B

LAMBERTI VELTHUYSII, ULTRAJECTINI, OPERA OMNIA.

Ante quidem ſeparatim, tam Belgicè quam Latinè, nunc verò conjunctim Latinè edita.

Quibus acceſſere duo Tractatus novi, hactenus inediti:

Prior eſt

DE ARTICULIS FIDEI FUNDAMENTALIBUS:

ALTER

DE CULTU NATURALI,

Oppoſitus Tractatui Theologico-Politico & Operi Poſthumo BENEDICTI de SPINOZA.

Catalogus Tractatuum Paginâ poſt Præfationem proximâ exſtat.

PARS PRIMA.



ROTERODAMI
Typis REINERI LEERS,
M. DC. LXXX.

Ampliſſimo , Spectatiſſimoque Viro

W E R N E R O

à

V E L T H U Y S E N,

Nobilibus & Potentibus Ordinibus

PROVINCIÆ ULTRAJECTINÆ

anteà à Secretis.

ELoquentiæ Romanæ Princeps Cicero , Frater dilecte , duce rectâ ratione docet , magni æſtimandam conſcientiam mentis noſtræ, quam à Deo immortali accepimus, & quæ à nobis divelli non poteſt. Valet certè teſtimonium conſcientiæ plurimum in utramque partem : probis & virtutis viam ingredientibus tranquillitatem mentis , conſtantiam adverſus omnes fortunæ

tunæ caſus, animumque ſua ſorte contentum præſtat; improbis inquietudinem, terrores, curſum vitæ vagum & devium ad omnia, quo ipſos temerariæ animi commotiones impellunt, parit. Unde etiam experiri licet in hominibus probitate aut improbitate affectis, tam mirificam, prout ſeſe res dant, animorum diverſitatem: & quamvis, ſi ad externa mentem vertas, ſæpè utrique eandem fortunam nacti eſſe videantur, longè tamen aliter animis conſtituti ſunt. Bonus in proſperis non inſoleſcit: non inani lætitia exſultat: ſe non intolerantius oſtentat: æquabilitatem communis juris præſtantia dignitatis aut fortunæ non tranſit; conſtantemque vitæ tenorem conſervat atque tuetur. Malus ſecundiorem nactus fortunam ſuperbit, elatus levitate temere geſtit, ſe circumſpicit, ſeſe jactat, alium vultum, alium inceſſum meditatur, luxu & oſtentatione omnibus gravis eſt,

eſt. Probus ſi adverſos caſus ſubire neceſſe habeat, ſua virtute ſeſe involvens, intrepido firmoque animo eos excipit; nullæ ex eo audiuntur querimoniæ, nullæ expoſtulationes; nullæ lamentationes; nulla deſperatio vitæ; nulla invidia, nulla vindictæ cupido ipſum agitat; nihil quod priſtina ſua dignitate indignum ſit, agit: ſed ſe ſupra omnes fortunæ ictus conſtitutum putans, bono conſcientiæ teſtimonio ſe ſolatur. Improbo, quando de ſtatu vitæ ſuæ dejicitur, animus cum re concidit; omnia querelis & lamentis implet; in ſordibus & lachrymis jacet; nunc adulatur, nunc præ ira minatur, nunc deſperatione rerum languet, nunc ſeſe rurſus vana ſpe erigit: ſed quamvis alternantibus hujuſcemodi jactetur affectibus, perpetuis tamen livoris & invidiæ cruciatur tormentis; nec unquam illum aculeum ex animo evellere poteſt. In hunc ſermonem, Frater dilecte, ingreſ-

ſus ſum; quia in vitæ tuæ curriculo non ſimplici fortuna conflictatus, ſed expertus proſperos & adverſos caſus, talem te omnibus, qui aliqua vitæ conſuetudine tibi conjuncti fuere, probaſti, ut qui animo ſupergreſſus quicquid homines aut cupide expetunt, aut meticuloſè perhorreſcunt, in omnibus vitæ caſibus compoſitum & temperatum conſervaveris animum. Variis honoris gradibus, qui honeſtis & alicujus ordinis civibus in libera Civitate pro meritis, non fortunæ nutu, aut gratia conferri ſolent, ornatus, & enixus ad ea, quibus honeſtum dignitatis ſtatum inter Senatores & Scabinos noſtræ Reipublicæ tueri poteras, procul ab omni ambitione ſuaviter conquieſcebas in illa, in qua te Deus collocaverat, ſtatione. Patriæ tamen amantes viri ab illa vitæ conditione te invitum & reluctantem (conſcii ſunt multi per ambitionem hæc à me non dici) ad aliud

vitæ

vitæ genus magis negotioſum, quamvis non honore vacuum, vocarunt: & obteſtantes ſe in tua evocatione ad aliud munus, non ſuis privatis commodis, ſed Reipublicæ utilitati, & præſertim Ærario Provinciæ publico conſulere: (an illos ſpes fefellerit nec ne, alii ea de re æſtiment) tandem majorem rationem utilitatis civium quam tuæ ducens, te moveri ad illorum arbitrium, & vinci atque traduci in illorum ſententiam paſſus es. Hiſce honoribus & beneficiis, ultro tibi oblatis, affectus, eam æquabilitatem animi ſervaſti, ut nullo vitæ cultu, nullo ſplendore rei familiaris, nulla conſuetudine vitæ cum tuis ullum dederis indicium, tibi animum cum fortuna mutatum eſſe. Hoc ſtadium cum pulchrè decurreres, evenere, eheu! acerba illa tempora, & bonis omnibus civibus luctuoſa, quibus Provinciarum ſalus & libertas in maximum venit diſcrimen: & quæ

præ-

præcipue Provinciam Ultrajectinam afflixerunt, ipſamque in poteſtatem Gallorum redegerunt. Illa calamitas te non de ſtatu mentis dejecit, ſed cum intelligeres curam Politiæ & Ærarii publici antiquis Reipublicæ Rectoribus & Magiſtratibus à Rege Galliarum permitti, eoſque illi genti nullo ſacramento adſtringi, quo Unitarum Provinciarum fœderi renunciare cogerentur, etiam in illis miſeris Reipublicæ temporibus deeſſe tuis civibus noluiſti, (quis enim color aut ratio cum tranquillis rebus ad clavum ſederis, ut eum deſeras abjiciaſque rebus turbatis) ſed tutans munus tuum cum præclaris viris, laboraſti ut illa publica calamitas minus gravis civibus accideret; & tributa à Gallis imperata ex Ærario publico; quantum temporum ratio permittebat, partim ſolverentur. Poſt deceſſum Gallorum ex noſtra Provincia, & cum omnibus malis defuncti videremur,

mur, putarentque cives ſe rurſus in poſſeſſionem libertatis veſtigium poſituros, & de Republica bene meritos Magiſtratus honoribus, ornamentis & utilitatibus ſuis fruituros, ipſos fruſtrata eſt illa ſpes. Solatia enim exſpectantes à ſociis & confœderatis, contra evenit: nam quamvis illi ut ſua tuerentur, nos omni ope & præſidio contra Gallos nudarant, & ita in hoſtium poteſtate reliquerant, quamvis multis miſeriis & injuriis hoſtium vexati & exhauſti; quamvis nonniſi magno auri pondere ex ultimis civium fortunæ reliquiis coacto ab ultima ruina, flamma & vaſtatione Provinciæ, quam Galli minabantur, nos redimere coacti fuerimus; quamvis hæc omnia immerito paſſi, & quod ideo nos æquiſſimis ſociis & confœderatis uſuros jure exſpectaremus, deſtituit tamen nos illa ſpes. Ordines Generales compoſiti tantum ex tredecim delegatis ordinariis & extraor-

dinariis quatuor Confœderatarum Provinciarum ſine ſuorum ſuperiorum juſſu per ſuos Deputatos curarunt noſtram quietam & nullo tumultu Civium agitatam Rempublicam & jus Majeſtatemque imperii armis invadi, occupantes non ſolum militibus Curiam, & cives ibi vigilias agentes inde expellentes; conſeſſumque ordinum Provinciæ præſidiis ad intentandum metum obſidentes, ſed etiam excludentes ab ejus adminiſtratione veteres Rectores nullo judicio non dico damnatos, ſed ne accuſatos quidem; & quos ne nunc quidem in ullam ſuſpicionem criminis vocare poſſunt, eam curari juſſerunt ſuo nomine per homines peregrinos, rerum noſtræ Provinciæ rudes & ſacramento ſibi (hoc eſt alienis dominis) devinctos. Ita experti aliquot menſium interregnum ſpes fortunæque noſtræ ab hominibus exteris & alienigenis pependere

dere. Quanta plaga illo interregno impoſita ſit Reipublicæ, ipſi Ordines Generales teſtantur in ſua ad Ordines Friſiæ epiſtola. Tunc rurſus civibus noſtris oblata per illa tempora occaſio, qua ſuæ aut erectioris indolis, aut roboris ſuæ mentis, præceptis & exercitatione virtutis comparati documenta dare potuerunt, aut jacentis animi indicia prodere. Quot vidimus tunc hominum occurſationes, quot prenſationes, quot adulationes, quot ſubmiſſiones, etiam erga eos, quibus imperandi poteſtatem antea habuerant. Hic rurſus æquum conſervaſti animum: nec ut te cuiquam ſupplicem præberes, gradum limine extuliſti, nec litteris quicquam tentaſti, ut quorundam gratiam & favorem tibi conciliares, quibus adjumenta aut præſidia tuendæ tuæ dignitatis comparares. Tandem cum ultimi actus ſcena ultima ageretur, Ordines Generales, qui nullam in nos

 (ut

(ut æſtimamus) poteſtatem habebant, & quibus jure Majeſtatis non eramus inferiores, quique fœdere devincti erant ad tuenda Provinciæ noſtræ jura, Uni (non Gubernatori Provinciæ, quo tunc carebamus, ſed Imperatori exercitus) in nos regiam poteſtatem permiſerunt. Unde nata nova Reipublicæ noſtræ forma, novuſque creatus Magiſtratus; & plus quam centum & viginti Civitatis ſolius Ultrajectinæ ex omni ordine Cives, Nobiles, Patritii, Plebei, nullo crimine vitæ aut geſti Magiſtratus accuſati, dignitatibus, honoribus & muneribus exuti, & magna eorum pars collata in hoſpites & peregrinos: aliis porro jura, aliis terras noſtræ Provinciæ ad ſe trahentibus, quæ ſibi uſui fore putabant, & ita miſeros, omnibus calamitatibus confectos, novis miſeriis cumulantes. Videbiturne cuiquam in poſterum quicquam crudele in hoſtes, cum talis acerbitas extiterit

terit in ſocios & confœderatos? (hæc dolenter, non inimicè aut contumelioſe dico: nec puto fore illam ſævitiam in moribus noſtrorum, ut illos, quos luctu affecerint, lugere non ſinant) Tunc tu Frater communi illa calamitate una mecum & cum omnibus cognatis implicitus, eam animi conſtantiam & fortitudinem oſtendiſti, ut tela quidem inimicorum in te conjecta conſpexerimus, ea tamen te non attigiſſe aut læſiſſe conſtaret: & non habens rationes vitæ tuæ ſuſpenſas ab iis rebus, quæ in voluntatis noſtræ poteſtate non ſunt, leviori & alacriori animo munus tuum abdicaſti, quam illud ſuſceperas: otium & vitæ tranquillitatem cum conſcientia recta ſummum in hac vita æſtimans bonum, & ab avaritiæ & gloriæ cupiditate alienus, facile iis cares, quæ alii prima ducunt: & honores, poteſtates, divitias, cæterorumque commodorum facultates ex

tumultu & ſeditione civium comparatas, non invides aliis, quorum nonnulli in ſpe novarum rerum verſabantur, quia aut otio & tranquillitate Reipublicæ langueſcebant, aut ſuis vitiis contabeſcebant, aut inanimentis explementum quærebant. Plura non addam, ne videar temporibus aut perſonis iratus. Hæc æquo animo intueri viro digna arbitror: non tamen hæc recenſeo, quo in tuas laudes irem, ſed ut oſtenderem te non vocatum in crimen alicujus delicti munere tuo privatum, ſed id temporibus imputandum. Ut præterea conſtaret ratio quare nomen tuum meis opuſculis inſcriberem. Scio quantopere inimici mei vexarunt ſcripta & cogitata mea; & quantopere ſemper exarſerint ad editionem alicujus mei Tractatus; laborarintque ad me propterea in odium civium meorum adducendum: & quamvis præcipui eorum mortalitate functi abierint ad plu-

plues, non pauci tamen ſuperſunt, qui eodem in me & meas lucubrationes animo ſunt; & à quorum hoſtili impetu vix immunis eſſe poteſt, qui meis diatribis aliquem applauſum dat: quare niſi te iſtius conſtantiæ virum cognoſcerem, qui illorum conatus facile contemnas, hac inſcriptione te non vocarem in ſocietatem mearum concertationum & injuriarum; tametſi eas partim antea propter ſanguinis neceſſitudinem mecum communicaſti. Sed cum communis conſuetudo obtineat, ut liber, qui recens editur, alicui adſcribatur, hoc me officii ratione tibi ut Fratri natu maximo, & quocum in unis ædibus vivo, debere exiſtimavi; nec paſſus ſum me ab hoc munere depelli odii & invidiæ quorumdam metu, plane perſuaſus te animum ſupra ea omnia gerere. Feret itaque veſtibulum hujus libri nomen tuum in teſtimonium meæ in te pietatis & amoris;

erit-

eritque pignus communis noſtri ſanguinis, & mutuæ inter nos voluntatis, quam nulla dies aut temporum acerbitas dirimet. In hoc voto finiens rogo Deum ut nobis vitæ noſtræ ſtatum quietum & otioſum conſervet, donec expleta mortalitate vitaque functi, illum nanciſci liceat, quem omnes Chriſtianos votis complecti decet.

PRÆ-

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

Benevole Lector,

QUod Opuſcula mea ſecundo typis excuſa in lucem prodeant, id mea ſponte factum non eſt: non enim ea putavi tanti eſſe, ut Typographus illud opus, illasque impenſas tutò ſuſcipere poſſet: multo minus id fiduciæ habebam, ut putarem me novis cogitatis illis majus pretium addere poſſe, quam quo antea cenſebantur. Sed cum Typographus à me peteret poteſtatem conjunctim edendi opuſcula mea, nolui ejus voluntati refragari; neque dolui mihi oblatam occaſionem opportunitatemque, quædam in iis corrigendi, eaque præſertim, quæ mihi juveni cruda exciderunt. Nunquam enim ita quiſquam benè ſubducta ratione ad vitam fuit, quin res, ætas, uſus ſemper aliquid apportet novi, aliquid moneat, ut illa, quæ te ſcire credas, neſcias, & quæ tibi putaris prima, in experiundo repudies.

Et cum diu, antequam à Typographo rogarer, animo menteque volutaveram Tractatum Theologico-Politicum Spinozæ, *& poſtea animum converteram ad examen* Operis *ejus* Poſthumi, *putavi me aliquid operæ pretium facturum, ſi meorum Tractatuum antea editorum, numerum cumularem re-*

ſutatione duorum iſtorum Tractatuum Spinozæ. Non quod illius veſtigia perſecutus ſim; putavi enim me meo ſcopo ſatisfacturum, & conſtiturum fructum laboris mei, ſi aggrederer ea refellere, à quibus illi, qui iſtius Auctoris ſectam ſequuntur, præcipuè ſua præſidia petunt: dummodo ſedulo darem operam ne quid Adverſario tribuerem, quod ab ejus ſententia alienum eſſet; quod me ea fide præſtitiſſe arbitror, ut propterea nullus meum candorem in dubium ſit vocaturus. Nam revera ferme tantum laboris impendi ut auctoris (quamvis, dum viveret, multos cum eo contulerim ſermones) ſenſus ex ejus ſcriptis aſſequerer, & aſſecutum lectoris menti ſubjicerem, quantum collocavi operæ in ipſo refellendo: nam non omnes commoditates, quas quidem deſideravi cum inſtitutum perficere laboravi, habui. Quia in urbe in qua dego, nullum omnino reperire licuit, qui ita Spinozæ ſententiis informatus eſſet, ut mihi ex illorum ſermone, doctrinæ ſpeciem aut ſimulachrum animo complecti licuerit. Nam uſu comperi eos, qui præ ſe ferebant doctrinam Spinozæ animo percepiſſe, vix prioribus labris ejus ſenſus guſtaſſe: & reliqui, qui hic eruditi cluunt, ad alia contulerant ſua ſtudia, ita ut nihil mihi hac in re commodare potuerint. Proprio itaque Marte primò opus aggreſſus ſum, & pertendi in inſtituto perſequendo donec aliquod ſyſtema Doctrinæ Adverſarii videbar mihi comparaſſe: tunc tandem (ne planè rudis ad conſultationem venirem) per litteras & Συζητήσει cum amicis alibi degentibus; & qui doctrinam Spinozæ optimè comprehenſam habebant, ita me puto men-

mentem ſententiamque Adverſarii perſpexiſſe, ut pauciſſima me fugiſſe arbitrer eorum, quæ digna exiſtimavi, ut ad examen vocarentur. An autem fruſtra, an ob rem, in Auctore refellendo operam navaverim, erit Lectoris æſtimatio.

Cœperam præterea ante aliquod tempus impetum aliquid tradendi de Articulis fundamentalibus, ſive creditu neceſſariis ad ſalutem; & cum intelligerem ſatis mihi ſpatii fore ad illa, quæ de difficili illa quæſtione commentatus eram, ſcriptis mandanda, antequam Typographus opus ſuum poſſet abſolvere, non exiſtimavi me in bonum publicum peccaturum, ſi ea cum reliquis meis Tractatibus publici juris facerem. Me autem hortata ad id eſt ſpes bene merendi de Chriſtianiſmo: librans enim ſuis ponderibus articulos fidei, qui inter Chriſtianos agitantur, & propter quos itum eſt in partes, & excluſis non neceſſariis, exiſtimo eo aditum parari ad pacem & concordiam Chriſtianorum conciliandam. Feci autem id eo impenſius, quia augurabar neminem facile noſtrorum Doctorum illud oneris in ſe ſuſceptutum; fugientes odium & obtrectationem ſuorum: neque putavi me incaſſum laboraturum, quia alii illud tentarunt & aggreſſi ſunt: nam (cum bona eorum venia dixerim, deprecorque à me omnem jactationis ſuſpicionem) pars tam perfunctorie & ſupine rem tractavit, alii ad tam devia declinarunt, ut lectores nihilo certiores ex eo ad benè de tota re æſtimandum facti ſint, quam erant dudum cum tota controverſia ipſis lateret. An temere hæc à me dicantur, ipſe Tractatus docebit, in quo omnium ſententias, quas quidem colligere potui, erroris & vitii arguo.

 De

De hoc præterea Lectorem monendum duxi, quoſdam horum Tractatuum vernaculo ſermone ſcriptos fuiſſe: quia appendices temporum & perſonarum, quæ ad eos componendos mihi occaſionem præbuere, id tunc flagitare videbantur. Neceſſe itaque fuit quoſdam ex Belgica lingua in Latinam vertere: neque id per unum (quod quidem optandum erat) fieri potuit; quia is, qui ſe id facturum Typographo receperat, alio lares ſuos tranſtulit. Neceſſe itaque illi fuit diverſos hoc rogare, tum quia maturabat opus ad exitum perducere; cum etiam quia pauci, qui aliquem ſenſum ceperunt veræ eruditionis, nec diſciplinarum ignari ſunt, in inglorio hoc labore operam ſuam lubenter collocare volebant. Plures itaque amici partiti ſunt operam: unde nata orationis diverſitas, quam Lector æqui bonique conſulet. Non elegantiâ aut puritate ſermonis hæc opuſcula ſeſe Lectori commendare poſſunt; nec ipſe lenocinii verborum, aut ſententiarum illectamentis in ipſis conſcribendis quicquam dare volui, ut qui animis non auribus ſcriberem: & ductus ſolummodo ſtudio & amore veritatis, animum ad ſcribendum appuli; cui ſtudio & amori cum obedirem, ubertatis aut copiæ dicendi, ut nec varietatis & elegantiæ rationem habere potui, ne in vitium inciderem eorum, qui dum profitentur ſe occupatos eſſe in limanda veritate, omnem ingenii vim & ſuccum exhauriunt, & conſumunt in poliendo ſermone, & in ornando ſermonem verborum calamiſtris. Ego putabo me ſatisfeciſſe, ſi veritati litaverim, & aliquid contulerim, quo hominis mens excolatur.

IN-

INDEX TRACTATUUM

In hoc Opere contentorum.

IN PRIMA PARTE.

TRACTATUS DE JUSTITIA DIVINA ET HUMANA. Quo probatur neceſſitas Satisfactionis Chriſti, & jus Chriſtianorum belli gerendi. Exponitur doctrina de duplici Dei Juſtitia punitiva: de legis perfectione: de virtutum & vitiorum gradibus: de bonis operibus: de peccato originali. Pars. I Pag. 1.

Pars II. In qua agitur de POENA HUMANA PUBLICA ET PRIVATA. Pag. 54.

Pars III. In qua probatur ex Scriptura SATISFACTIONEM pro peccatis hominum præſtitam eſſe per CHRISTUM. Pag. 75.

DISSERTATIO DE USU RATIONIS IN REBUS THEOLOGICIS, & præſertim in interpretatione Sacræ Scripturæ. Pag. 96.

TRACTATUS MORALIS DE NATURALI PUDORE ET DIGNITATE HOMINIS: in quo agitur de inceſtu, ſcortatione, voto

voto Cælibatus, Conjugio, Adulterio, Polygamia & Divortiis, &c. Pag. 160.

DOCTRINA DE GRATIA ET PRÆDESTINATIONE, tradita Nova Methodo. Pars prima. Pag. 241.

NOVÆ METHODI DE GRATIA ET PRÆDESTINATIONE ſecunda Pars. Pag 299.

MUNUS PASTORALE, vulgo dictum CONCIONATORUM, ET JUS ECCLESIÆ, definitum ex regulis verbi Divini, primiſque Reformationis noſtræ fundamentis: contra ſententiam quorumdam Doctorum, qui Reformationem profitentur, & poteſtatem Paſtorum plus æquo extendunt, *è Belgico in Latinum tranſlatum.* Pag. 333.

TRACTATUS DE IDOLOLATRIA ET SUPERSTITIONE. Cui additi ſunt libelli Synedrii Belgici Ultrajectini, Magiſtratui Ultrajectino exhibiti, continentes querelam contra Auctorem, & notas in ejus Tractatum: cum reſponſionibus ejusdem Auctoris ad eaſdem, *è Belgico in Latinum translatus.* Pag. 373.

DISQUISITIO an Principi Chriſtiano in ditione ſua malum aliquod tolerare licitum. In qua ſpeciatim agitur de profanatione Sabbathi, aut Diei Dominicæ, *è Belgico in Latinum tranſlata.* Pag. 609.

TRACTATUS DE ARTICULIS FIDEI FUNDAMENTALIBUS. Pag. 693.

SPECIMEN RETORSIONIS CALUMNIARUM Auctori à mendaciſſimo quodam tenebrione impactarum. Pag. 827.

IN SECUNDA PARTE.

DE INITIIS PRIMÆ PHILOSOPHIÆ juxta fundamenta Clariſſimi CARTESII, tradita in ipſius Meditationibus. Nec non de Deo & Mente Humana. Pag. 850.

EPISTOLICA DISSERTATIO DE PRINCIPIIS JUSTI ET DECORI. Pag. 955.

DISPUTATIO DE FINITO ET INFINITO, in qua defenditur ſententia Clariſſimi CARTESII de Motu, Spatio & Corpore, Pag. 1013.

DEMONSTRATIO, in qua oſtenditur neque Doctrinam de QUIETE SOLIS ET MOTU TERRÆ, neque Principia Philoſophiæ Renati DESCARTES verbo Dei contraria eſſe. Oppoſita Tractatui J. Du Bois, Concionatoris Lugduni Batavorum; cui titulus Nuditas Philoſophiæ Carteſianæ detecta, *è Belgico in Latinum tranſlata.* Pag. 1337.

LUCULENTIOR PROBATIO quod neque Doctrina de QUIETE SOLIS ac MOTU TERRÆ, neque Principia Philoſophiæ Renati DESCAR-

CARTES verbo Divino contraria ſint. Oppoſita Tractatui J. du Bois, Concionatoris Lugduni Batavorum, cui titulus Noxa Philoſophiæ Carteſianæ, è *Belgico in Latinum tranſlata.* Pag. 1119.

TRACTATUS Duo Medico-Phyſici: Unus de LIENE, alter de GENERATIONE. Pag. 1201.

TRACTATUS DE CULTU NATURALI ET ORIGINE MORALITATIS. Oppoſitus Tractatui Theologico-Politico, & Operi Poſthumo B. D. S. Pag. 1163.

TRACTATUS
DE
JUSTITIA DIVINA & HUMANA,

Quo probatur neceſſitas ſatisfactionis Chriſti, & jus Chriſtianorum belli gerendi.

Exponitur doctrina de duplici Dei juſtitia punitiva: De legis perfectione: De virtutum & vitiorum gradibus: De bonis operibus: De peccato originali, &c.

Ampliſſimo, Spectatiſſimoque Viro

D.D. THEODORO à VELTHUYSEN,

J.U.D. Vectigalium generalium Provinciæ Ultrajectinæ Quæſtori.

S.P.

Lambertus à Velthuyſen Frater.

CAuſa concinnandi hunc tractatum, & tibi eundem dedicandi, Frater dilecte, una eademque fuit. Cum à doctiſſimo & pietatis ſtudioſiſſimo viro D. van Velſen cognato tuo, tibi injecti eſſent quidam ſcrupuli de officio Magiſtratus & judicis; nec non de jure Chriſtianorum belli gerendi, optaſti videre argumentorum, quæ ab utraque parte in medium proferri poſſunt, collationem, ut facto eorum juſto examine, quid tibi de tota controverſia decretoriè ſtatuendum foret, exploratum eſſet. Evenit ut idem ille cognatus tuus, cujus memoriæ recordatio mihi propter inſignem viri pietatem, & eruditionem gratiſſima eſt, te inviſens; & mecum ſuper ea controverſia in placida diſputatione ſermones habens, te voti tui compotem fecerit. Et quia ab ipſo proferebantur argumenta, quæ in vulgaribus doctorum ſcriptis non reperiuntur; meaque hujuſmodi erant, quæ à communibus Principiis non parum recedunt, cœpit me libido argumentorum numerum, & ſeriem ab utroque noſtrum productorum, ſcripto complecti, ut contenta meditatione eorum pondus rectè æſtimari poſſit. Scriptum illud diu in variorum amicorum manibus verſatum, tandem inter eos periit: & cum alii ſuam illius legendi cupiditatem mihi aperirent, meque ea de re convenirent; exiſtimavi me operæ pretium facturum, ſi iterum illud, quantum quidem per memoriam liceret, componerem. Et quia cogitata mea de juſtitia Dei punitiva jam habebam parata; uſuque cognoveram per errorem ſummum juſtitiæ Divinæ & humanæ naturam & proprietates confun-

di, exiſtimavi cum fructu duos hos tractatus conjungi poſſe, publicique juris fieri, cum ut priorem noxam vitarem, tum ut errorem eorum, qui ſatisfactionem Chriſti negant, in aperto ponerem: quos ego omnes ideo errare comperi, quia juſtitiam Dei punitivam aliter accipiunt atque eſt; & ita præjudiciis occupati, cum minori fructu verſantur in lectione Scripturæ Sacræ. Confido, Frater dilecte, hunc tractatum tibi etiam ideo gratiorem futurum, quod in eo obſervetur methodus, quam tu ſemper probaſti: nempe qua res ex primis ſuis principiis deducitur, & illa mihi tantopere placet, ut mihi perſuadeam, vix alicujus fidem aut ſcientiam in rebus, quæ ſunt altioris indaginis, firmam eſſe poſſe, qui eam per hujuſmodi procedendi rationem ſibi non pepererit. Ego ſaltem me aſſuefeci nullum de rebus, quæ in diſciplinis traduntur, ferre judicium, niſi prius illas ad primum aliquod principium revocaverim. Poſtulat equidem illa res laborem magnum & meditationem acrem, ſed fructus reddit tam pulchros & uberes, ut neminem illius, cui veritas cordi eſt, pœnitere poſſit. Et quod ſi illa methodus vigeat floreatque, credo brevi longas illas & ſine fine altercationes ceſſaturas in omnibus ferme diſciplinis; & multos depoſituros faſtum & ſupercilium, quod in alios attollunt: uſu enim comperient, quam longe inter ſe diſtent, niti ad claram diſtinctamque cognitionem parandam, & multa temere recepta & credita tamquam rata & firma doctis & indoctis velle propinare. Plura non addam, ne videar & nimium mihi placere, & tuo judicio nimium tribuere. Boniſne autem an malis avibus hoc opus ſuſceperim, illius rei arbitrium penes probum & cordatum erit lectorem: veniesſque tu Frater, cum propter arctam ſanguinis neceſſitudinem, tum propter frontiſpicium libri tuo nomine inſignitum, in ſortis meæ ſocietatem; ſed libenter ſcio illud periculum mecum adibis: & jucundum fuit occaſionem mihi offerri, qua licuit prodere aliquod publicum teſtimonium fraterni mei erga te amoris. Velit Deus, ut ita ambobus liceat vitam agere, ultimumque ejus actum claudere, ut nec nos fratres fuiſſe pudeat, nec vixiſſe pœniteat. Dabam Ultrajecti in muſæo. Ipſis Nonis Maji 1664.

TRA-

TRACTATUS *DE* POENA DIVINA & HUMANA,

In quo probatur neceſſitas ſatisfactionis Chriſti, & Chriſtianorum jus belli gerendi.

Communis & vulgaris pœnæ definitio eſt, quod ſit vindicta noxæ. At vocis noxæ non ſimplex & unus uſus atque uſurpatio eſt: aliquando damnum denotat, nonnunquam injuriam. Injuria rurſus duplex, una quæ cum facultatum aut bonorum noſtrorum imminutione nihil coniunctum habet, altera quæ ſimul tale detrimentum infert. Injuria enim vel hujuſmodi eſt, qua alicujus autoritas & æſtimatio ita læditur, ut minor inde ejus potentia inter homines re ipſa exiſtat, vel ſaltem exiſtere poſſit; vel eſt ejuſmodi, quæ nullam potentiæ imminutionem poſt ſe trahit. Prior locum habet inter homines, poſteriori Deus à creatura afficitur. Quamvis enim Deus hominum peccato non lædatur, non deſinit tamen peccatum Dei reſpectu injuriam eſſe, non minus quam bona, quæ Deus hominibus largitur, retinent naturam beneficii, quamvis Dei opes largiendo contractiores non fiant. Porro vindicta, vulgari ſignificatione ſumpta, (hæc enim in ſequentibus ad examen accuratius revocabuntur) putatur tantum occupata circa illud, quod injuriam conjunctam habet: non ſolemus enim ad pœnam vulgò ita dictam progredi, niſi aliquis in nos quippiam culpandum commiſerit, hoc eſt, niſi aliquo reatu per culpam ſeſe obſtrinxerit. At nulla culpa ſine injuria. Eſt autem injuria alterius juris læſio, eſtque ea ſemper voluntaria, quia nulla juris conſtitutio, niſi inter res voluntate præditas. Eſtque illud *voluntarium & liberum* omne moralitatis fundamentum, quod naturâ notum eſt, & ulteriori probatione confirmari non eſt neceſſe.

Res autem liberæ ſunt in duplici differentia, alia eſt *Creator* ſive *Deus*, alia *creatura*: inde duplex jus, unum nempe Divinum, alterum quod creaturis proprium eſt. Quod poſterius rurſus bifariam dividi poteſt, in angelicum & humanum: ſed quia juris angelici nullius ferme apud homines uſus; & quia ratione aut Scriptura de eo nobis parum compertum eſt, recte apud authores de eo ſiletur.

Cæterum cum jus ſit id, *quod cuique competit*, erit jus Divinum id, quod Deo competit, *Luc.* 20: 25. *Date Cæſari quæ ſunt Cæſaris, & Deo quæ ſunt Dei: Rom.* 1: 32. Per Deum omnes intelligunt *ens ſummè perfectum:* in ſumma illa perfectione includitur, quod ſit omnium rerum cauſa & quoad naturam & quoad exiſtentiam: nulla enim res aut rei natura ante voluntatem Dei eſt, *Rom.* 11: 34. 35. 36. *Quis enim cognovit mentem Domini, aut quis ei fuit à conſilio, aut quis prior de-*

dis ei, & reddetur ei: nam ex eo & per eum & in ipſum ſunt omnia. *Eſaiæ* 40: 13. 1 *Cor.* 8: 6. Natura enim quæ Deum authorem non habet à ſe eſſet, & eatenus *independens* à Deo: eſt itaque *verum, juſtum, ſanctum*, aut potius juſti, veri & ſancti natura &c. à Deo, non minus quam natura humana aut equina. Et ita quidem natura Divina ante omnes alias naturas eſt, quatenus hæ quidem ſuam naturam habent à Deo dependentem; & ideo aliter natura Divina neceſſaria eſt, aliter aliæ naturæ. Divina natura abſolute eſt neceſſaria, aliæ ſunt neceſſariæ, quia Deus eas neceſſarias fecit. Et quamvis intellectione comprehendere non poſſimus, quomodo illæ naturæ aliter ſe habere potuerint, ſumma tamen Divinæ naturæ perfectio nos docet, rem ita ſe habere. At poſtquam Deum conſideramus ut authorem *rationis*, ſimul & ultro ſe profert, quod verum, ſanctum, bonum, quæ ratione dijudicantur, ſunt naturæ neceſſariæ, non minus quam neceſſarium eſt bis ter eſſe ſex. Recte itaque Deus primo conſideratur ut ſibi ſufficiens: deinde ut Sanctus, Juſtus, &c.

Sufficientia Dei, ejuſque in omnes creaturas *potentia*, jus & fundamentum imperii Divini conſtituit, 1 *Cor.* 10: 22. *Ad æmulationem provocamus Dominum? num eo validiores ſumus?* At Dei *Sanctitas* indicat legem & normam ad quam creaturæ rationales vitam ſuam componere debent, 1 *Pet.* 1: 15. *Sicut is qui vos vocavit Sanctus eſt, ipſi quoque ſancti in omni converſatione reddamini.* *Levit.* 11: 46. 2 *Pet.* 1: 4. *Ut per hæc efficeremini Divinæ conſortes naturæ.* Quemadmodum itaque implicat Sanctitatem non eſſe perfectionem, & Deum non eſſe perfectum, ita implicat Deum non eſſe Sanctum, 2 *Tim.* 2: 13. *Si infidi ſumus, ille tamen fidus manet, ſe ipſum enim abnegare non poteſt.* *Jacob.* 1: 13. *Deus tentari malis non poteſt, nec quemquam tentat.* *Rom.* 3: 5. *Num injuſtus Deus &c. abſit, alioquin quomodo judex erit Mundi?* Et hac Dei Sanctitate continetur *Jus Divinum naturale*, diſtinctum à *jure Divino poſitivo*, quod à nobis intelligitur ut non neceſſarium: & à quo profectæ ſunt omnes leges Ceremoniales & politicæ; & quarum materia & præcepta nullam formalem & veram Sanctitatem complectuntur, 1 *Corinth.* 8: 8 *Rom.* 14: 17. Quemadmodum autem implicat Deum non eſſe Sanctum, & jus naturale non eſſe neceſſarium, ita ſequitur manifeſtò Sanctitatem non eſſe *rem indifferentem*. Eſt enim in moralibus res indifferens, quæ lege nulla imperatur aut prohibetur: at nihil prohibitum aut imperatum putatur, quod ſub pœnæ comminatione non imperatur aut prohibetur, *Rom.* 2: 9. *Afflictio & anguſtia in omnem animam perpetrantem malum &c.* Quod quidem eo uſque verum eſt, ut omnis juſti, & ſancti, & ut uno verbo dicam, omnis moralitatis ratio, ſub forma legis percepta, ceſſet, quando pœna è medio tollitur.

Et hæc eſt cauſa, quare in Scriptura Sacra, Sanctitas ſemper cum Dei communione jungatur, & impietas pœnam ſemper conjunctam habeat, 1 *Johan.* 1: 5. *Renunciamus Deum lucem eſſe, nec tenebras in eo eſſe ullas.* *verſ.* 6. *Si finxerimus nos communionem habere cum Deo, & ambulamus in tenebris, mentimur.* 2 *Cor.* 6: 14. 15. 16. *&c.* *Hebr.* 12: 14. *Sine ſanctimonia nemo videbit Dominum.* At ſicut ſumma felicitas conſiſtit in Dei viſione, *Matth.* 5: 8. ita ſumma miſeria in vacuitate illius viſionis, *Matth.* 25: 41. *Abite à me in ignem æternum &c.* 2 *Theſſ.* 1: 9. *Qui pœnam pendent æterni exitii, expulſi à facie Domini & gloria virium ipſius.* Sublata pœna, actiones quidem à ſe invicem ſuis circumſtantiis diſtinguerentur, variamque denominationem ſortirentur, quemadmodum actiones phyſicæ; aliud enim eſſet furari, aliud mentiri, aliud blaſphemare: ſicut aliud eſt currere, aliud ſaltare, aliud ſedere: ſed *moralitas* non magis in prioribus, quam in poſterioribus inveniretur actionibus.

onibus. Quare quæſo furari vocaremus peccatum, & diceremus non *licere* furari; reddere unicuique ſuum, eſſe virtutem, ſi eſſemus imbuti ea opinione, à Deo hæc ſusque deque haberi, eaque nullam pœnam aut præmium ſequi: eſſet enim tunc nullum præceptum, nullum enim præceptum ſine pœna aut præmio. Homini quidem propter naturam infirmam, & perfectionem non ſummam multa ingrata & grata foris evenire poſſunt, quæ re ipſa pœnâ non perſequitur, aut præmio non proſequitur: at Deo per peccati perpetrationem, propter ſummam in ipſo perfectionem, aliquid adverſi, inviſi aut odioſi accidere non poteſt. Quia ſic obtinet inter homines, ut ea, quę vindicamus & punimus, nobis ingrata atque adverſa ſint, propterea vulgus ſolet æſtimare ita etiam in Deo rem ſe habere. Quæ in medium adfero, ne quis arbitretur requiri ad moralitatem conſtituendam in actionibus, quod earum quædam Deo gratæ aut ingratæ ſunt. Deus enim cum ſit ſumme beatus, nec dolore aut triſtitia tangitur, neque voluptatis incrementum aut decrementum capit: ſed peccatum Deo ingratum eſſe putatur, quia creaturam rationalem peccantem ſubjicit reatui & pœnæ Divinæ. Quemadmodum itaque non poſſumus concipere ullam moralitatem in actionibus, ſi concipiatur Deo nullas actiones gratas aut ingratas eſſe, ita nulla moralitas in iiſdem concipere licet, ſi pœnam aut præmium poſt ſe non trahant *neceſſariò*. Quam neceſſariò itaque in actionibus quibuſdam eſt moralitas, tam neceſſariò Deo gratæ aut ingratæ ſunt quædam actiones: & quam neceſſariò Deo ſunt gratæ aut ingratæ, tam neceſſariò poſt ſe trahunt pœnam aut præmium; id enim voces, *gratum* & *ingratum*, Dei reſpectu, denotant.

Et quam neceſſariò peccata poſt ſe trahunt pœnam, tam neceſſariò Deus punit. Præterea ſi neceſſariò non punit, quare unquam ad pœnæ executionem progrederetur? Non eſſet enim Dei juſtitia: ea enim Deo liberum relinquere non poteſt peccata punire vel non punire. Præterquam quod nulla ratio excogitari poteſt, quare Deus potius multa peccata in extremo judicio puniret, quam unum: aut quare potius puniret, quam non puniret. In ultimo enim judicio nec correctio, aut exemplum, aut mali alicujus propulſatio locum habet.

Scio equidem plurimos hunc nexum non ita concedere, ſtatuentes longe, longeque plurimum diſtare, neceſſariò propter peccatum nos fieri reatui obnoxios, & neceſſariò re ipſa pœnæ irrogationem fieri: ſed ab iis Doctoribus res non recte expenditur. Si enim non implicat pœnam re ipſa à Deo non infligi; non etiam implicat Deum potuiſſe decernere non punire peccatum: at ſi non implicat, Deum potuiſſe decernere peccatum non punire; etiam non implicat legem pœnam non habere connexam; non implicat in actionibus non eſſe moralitatem; Deo ſanctitatem non eſſe naturalem; nullum jus naturale in Deo eſſe. Qui enim poteſt decernere non punire ullum peccatum, potuit decernere ferre legem, cui pœna non eſſet annexa, at qui hoc poteſt, poteſt ſimul omnem moralitatem ab actionibus tollere, & res omnes indifferentes relinquere. Quemadmodum itaque implicat legem ferre ſine comminatione pœnæ, ita implicat Deum re ipſa peccatum non punire. Nullum hic patet effugium, niſi quod dicatur, Deum quidem poſſe decernere non punire peccatum, ſed non poſſe legem ſine comminatione pœnæ ferre: ſed partim illi objectioni reſponſum eſt. Reſpondemus deinde, illam argumentationem depromptam eſſe à natura legis humanæ, & à natura pœnarum, quæ ab hominibus aliis hominibus infliguntur: & ideo hujusmodi comminatio pœnæ, ab ipſa pœnæ irrogatione ſejungi poteſt: ab hominis enim lege, & pœna ipſi ſuperaddita non pendet actionis

nis moralitas; res enim ideo juſta aut injuſta non eſt, quia ab homine prohibetur aut imperatur, ſed imperatur & prohibetur, quia res juſta aut injuſta eſt, 1 *Cor.* 10: 29. *Cur enim libertas mea judicatur à conſcientia aliorum. Matb.* 15: 9. *Fruſtra me colunt docentes doctrinas, quæ ſunt mandata hominum*; lex enim humana non obligat conſcientiam: neque lex humana ab hominibus, aut potius à ratione ipſis inſita, procedit, tanquam à regula & norma bonitatis moralis: non peccamus enim contra hominis ſanctitatem, quando legibus humanis non paremus. Et lumine naturali atque per ſe notum eſt, rationem rectam non eſſe in nobis primam & originalem normam bonitatis moralis, ſed ad normam Sanctitatis Divinæ, qualem eam nobis revelavit, eſſe compoſitam. Neque homines pœnæ comminationem legi addunt, ut actionibus moralitas concilietur, ſed ut malum & noxam depellant, quam à Deo aut hominibus ſibi imminere putant: at, ſicut jam dictum eſt, pœnæ Divinę neceſſitas pendet à Dei Sanctitate, vel potius continetur in Dei Sanctitate, ſine qua ſanctitate (de cujus eſſentiali conceptu etiam eſt punitio peccati) nullus ſupereſt moralitati locus. Et quemadmodum inter homines ipſa legis pręſcriptio legem non facit legitimam, & æquam in ſe, neque puniendi aut comminandi neceſſitatem infert, ſed malum aut bonum opinione ſuſceptum, nobis jus & facultatem conciliat legem cum comminatione pœnę ferendi, ut eâ aut malum imminens averruncetur, aut bonum ſperatum paretur: ita Dei reſpectu legiſlatio comminationem aut inflictionem pœnæ juſtam non facit, ſed præcedens Dei Sanctitas, ita ut pœnę comminatio aut irrogatio non ideo juſta putetur, quia Deus voluit pro ſuo beneplacito legem de quibuſdam rebus ferre, ſed quia Dei Sanctitas exigebat legiſlationem cum pœna; vel potius, quia legiſlatio cum pœna continetur in Dei ſanctitate. Ita ut quæ eſt neceſſitas comminationis, cum fertur lex, eadem ſit neceſſitas punitionis peccato perpetrato. At quemadmodum, poſitâ rationali creaturâ, neceſſariò lex ei præſcribitur, ita tam neceſſarium eſt punire, quam legem ferre. Homines aliquando non puniunt, quamvis pœnam comminati ſunt, quia cauſę, propter quam lex lata fuit cum comminatione pœnę; & propter quam cauſam legiſlatio æqua tantum eſſe poteſt, ſatisfit aliquando comminatione ſola: apud Deum vero per comminationem, qui actuali pœna comitata non eſt, nunquam ſatisfit cauſæ, à qua legiſlatio cum comminatione pœnæ profecta eſt, nempe Dei Sanctitati.

Præterea ſi ipſa pœna, Dei reſpectu, non eſt neceſſaria, tota religio tantum ludus & jocus & ſcenica actio eſt: erunt enim omnes res Deo indifferentes, neque ulla erit ratio, quare virtute delectari & vitio offendi diceretur; multo minus ulla ſupererit cauſa, quare ullam pœnam exerceat: nec poterit per pœnæ comminationem effugere notam crudelitatis & hypocryſeos: recte enim judicatur illos & crudelitatem exercere & mimicam actionem inſtituere, qui propter rem ipſis omnino indifferentem, leges ferunt, & earum tranſgreſſores puniunt, aut teſtantur ſe ea tranſgreſſione offendi: quandoquidem *ipſa rei indifferentia tollit omnem puniendi aut dolendi cauſam*: quoties itaque in Scriptura Deus teſtatur ſe delectari juſtitia, offendi injuſtitia, ita ut ira excandeſcere & furor ejus propter peccata hominum excitari dicatur, *Pſal.* 18: 9. *Deut.* 29: 20. & aliis locis infinitis; dicendum, peccatorum perpetrationem Deo quidem ita indifferentem eſſe, ut nullo dolore per eam afficiatur, tamen ejus Sanctitati repugnare; atque ideo peccatorem pœnæ atque reatui ſubjicere neceſſariò: atque adeo neceſſariò peccatum vindicandum eſſe. Ideo enim peccatorem reatui ſubjicit, quia peccatum eſt vindicandum. Præterea nulla eſſet differentia

rentia inter legem Dei poſitivam & naturalem: cum enim materia legis poſitivæ non ſit actio moralis, hoc eſt, actio in ſe mala aut bona, ſed res indifferens; cumque liberum Deo ſit, talem legem ferre aut non ferre; materia autem legis Divinæ naturalis ſit actio in ſe bona aut mala, & cum latio illius legis concipiatur ut Deo neceſſaria, ſi Deo liberum ſit actionem in ſe malam non punire, erit Deo liberum illam non prohibere. Quare enim neceſſariò eam prohiberet, ſi neceſſariò illam non puniret? Probavimus enim in ſuperioribus, neceſſitatem prohibendi naſci ex neceſſaria natura actionis moralis: neceſſariam autem naturam fluere ex naturali Sanctitate Dei; ea autem includi neceſſitatem puniendi. *Sanctitas autem in Deo nihil aliud eſt, quam recta ratio imperans bona & prohibens contraria:* permiſſionem itaque & prohibitionem in ſe continet. At quæ juſſio neceſſaria ſine neceſſitate puniendi?

Hanc Dei Sanctitatem ſi referamus ad legis transgreſſionem, & peccatum perpetratum, vocatur Juſtitia Dei punitiva, & ejus effectus pœna, 2 *Theſſ.* 1:6. *Juſtum eſt apud Deum ut rependat afflictionem affligentibus vos.* *Rom.* 2:5. 2:22. *Pſalm* 9:9. 97:9. *Apoc.* 19:11. Vocis juſtitiæ alioquin apud Authores duplex notio eſt: ſignificat enim vel id, quod licet,& jure,hoc eſt,ſine injuria fieri poteſt; vel quod fieri debet: ita in priori ſignificatione juſtum, eſt creditum repoſcere; in poſteriori, debitum ſolvere: ita homines *jure* purſiunt eum,qui leges tranſgreſſus eſt, non tamen *ex juſtitia*: quaſi juſtitia punitiva inter homines exigeret,ut omnes tranſgreſſiones puniret. Ex prioribus manifeſtum eſt, juſtitiam punitivam Dei poſteriori notione juſtitiam vocari: Deus enim neceſſariò peccatum punit, id eſt, in noſtro conceptu ponit pugnantia, Deum peccatum re ipſa non punire, h. e. vera pœna non expiare. Sicut prior juſtitia non eſt neceſſaria, ita etiam intentionem pœnarum & juris condonationem admittit: at poſterior, quemadmodum eſt neceſſaria, ita nullam remiſſionem aut intentionem pœnæ, aut illius condonationem permittit; ideoque conſiſtit in vera adæquatione pœnæ cum delicto, aut malitia morali: & pœna, quam jam illius juſtitiæ effectum eſſe diximus, eſt malum, habens veram rationem *ſolutionis*, & *ſatisfactionis* pro culpa atque reatu, contracto per peccatum, quem reatum homo peccatum, ut malum morale, Sanctitati Dei contrarium, contrahit. Quod malum morale ita conſideratum, longe diverſum eſt ab eo malo æſtimato, ut noxio hominis ſocietati: propter quod malum Deus vel homo homines damno, quod etiam *malum pœnæ*, ſed improprie vocant, mulctant in exemplum & ad correctionem. Quam virtutem etiam, tam Dei quam hominum reſpectu, *juſtitiam punitivam* vocare ſolent; nempe propter aliquam ſimilitudinem, quam cum propria & vera juſtitia punitiva, quæ Deo propria eſt, & quæ ſola pœnam demerito exæquat, & ſola peccatorem *propter malum morale* ſanctitati contrarium punit, habet. Quod inde manifeſtum eſt, quia nomen juſtitiæ punitivæ communiter attribuunt illi juſtitiæ, cujus effectus eſt pœna publica à perſona publica inflicta; non autem ita communiter, ſed à doctioribus tantum, & qui rem penitus inſpexerunt, idem nomen juſtitiæ punitivæ privatæ, cujus effectus eſt vindicta privata, attribuunt: quam vindictam privatam etiam multi imperitiores, nec pœnam *humanam* vocare ſolent, neque eam à juſtitia, vulgo ſic dicta, proficiſci putant: quamvis revera, ſicut in ſequentibus docebitur, una eademque ratio ſit pœnæ publicæ humanæ & privatæ: quæ utræque longiſſime & quàm plurimum diſtant, formali & intrinſeco ſuo conceptu, à juſtitia Divina punitiva, proprie ſic dicta, de qua præcipue jam ſermo inſtituetur.

Conveniunt quidem in hiſce, quod ambæ præſupponunt *voluntarium & liberum*; neque pœna ab iis proficiſcens brutis irrogatur: & ſi legitima eſt, *præſupponit* etiam in actione *malum morale*, (loquor de vindicta humana vulgo ſic vocata) quamvis pœna humana *damnum*, quod per illud malum morale homini accidit, aut accidere poſſit, tantum reſpiciat. Eſt præterea in pœna humana qualis qualis exæquatio mali pœnæ cum malo damni, quod ex culpa nobis accedit, vel accedere poteſt: & ideo crudelitatis nota inuritur pœna, quæ major eſt, quam quæ damno amoliendo, in quem uſum ſola parata eſt, neceſſaria putatur. At cauſa præcipua, quare juſtitia humana punitiva publica, juſtitia vocatur, ea eſt, quod judex publicus non ex ſuo arbitrio, & judicio privato ſtatuit de damno, quod culpa hominum Reipublicæ accidere poteſt: & ideo judex, ut judex conſideratus, nec jus ferendi leges, nec pœnæ magnitudinem definiendi habet. Et quemadmodum illud jus non habet, ſic multo minus jus habet intendendi aut remittendi, infligendi aut condonandi pœnam, reſpectu ſingularum perſonarum, quæ in Rempublicam peccant; hoc eſt, quæ ſua culpa & delicto id agunt, quo Reipublicæ incommoda oriri poſſunt: ſive illud damnum ſequatur ex natura ipſius delicti, quale eſt, v. g. latrocinium; vel recte n[illegible] gubernationis Divinæ, in qua etiam juſtitia quædam punitiva Divina ab ea, de qua hactenus ſermo fuit habitus, longe diverſa; & ferme juſtitiæ punitivæ humanæ ſimilis, verſatur, quatenus Deus, in bonum Societatis humanæ, homines in hac vita malis & damnis mulctat propter peccata: & quod in Verbo ſuo declaravit, ſe vindicare non rarò negligentiam Magiſtratus in pun[illegible] peccatis, quæ quidem gravia ſunt, non tamen ex ſe ita Rempublicam labefactant: qualia v. g. poſſunt eſſe peccata Sodomitica. De tali vindicta Divina, quæ cum vindicta humana affinitatem habet, & quæ oritur ex gubernatione Divina reſpectu viatorum; quæque ad correctionem & exemplum infligitur, nec tam *malum morale* in peccato reſpicit, quam *damnum*, quo Societatem humanam afficere poteſt, loquitur Scriptura, quoties populo Iſraëlitico aut Gentibus denunciat plagas & calamitates, ruinas & vaſtationes; & quoties caſtigaturum ſe dicit populum ſuum, *Gen.* 6: 3. *Deut.* 28. *Exod.* 20: 5. 32: 34. *Pſalm* 1: 17. 18. *Jerem.* 30: 11. 31: 18. *Heb.* 12: 6. *Apoc.* 3: 19. 1 *Cor.* 11: 3. & aliis locis infinitis, in quibus de pœna, quæ in hac vita exercitur, ſermo eſt. Sed locus *Ezech.* 21: 1. 3. inſignis eſt: *Sic ait Jehova, ecce me contra te exſerturum gladium meum e vagina ſua, ut exſcindam ex te juſtum & improbum*: talis certe vindicta longe diſtat ab illa, qua Deus unicuique redditurus eſt ſecundum opera ſua. Quatenus itaque judex publicus habetur atque æſtimatur, ut exercens vindictam juxta juſtitiæ normam, in legibus ipſi præſcriptis contentam: quæ juſtitia nititur, ut diximus, magnitudine mali, quo delictum Remp. afficere poteſt, non magnitudine vitioſitatis moralis; & quia ex æquo ſine exceptione perſonarum, juxta legis præſcriptum, vindictam exercet, ideo præcipue ille judicis actus *juſtitia* vocatur: & propter ſimilitudinem aliquam in his paucis, inter juſtitiam punitivam Dei & judicis juſtitiam, eodem nomine hæ duæ res inſigniuntur: cum re ipſâ tam longe diſtant, quam cœlum à terra disjunctum eſt. Et quia cauſa ſcribendi hunc tractatum, in eo mihi præcipue conſtat, quod naturam utriuſque magis, quam hactenus ab aliis factum eſt, in aperto ponerem, & ut doctrinam de *neceſſitate ſatisfactionis Chriſti*, & *jus gladii* ſub N Teſtamento invictis, & quæ infirmari non poſſunt, ut ego quidem arbitror, argumentis confirmarem, ſcopus meus & uſus mihi legem imponit ad aperiendas

riendas omnes, aut ſaltem præcipuas inter has duas juſtitias differentias, quo juſtitiæ Divinæ natura recte ſe prodet atque eluceſcet; fietque hoc toto hoc tractatu.

Prioribus itaque inſiſtens, & quæ fuſius dicta ſunt, contrahens in compendium, ut ſumma cum imis ſub uno aſpectu ponantur, ita pergimus. Quemadmodum in noſtro conceptu implicat, Deum non eſſe Sanctum, ita implicat Sanctitatem concipi ſine præmio aut pœna, atque ideo ſine lege: legem itaque Divinam procedere à Sanctitate Dei, à qua etiam procedit puniendi neceſſitas; & ideo, quando in legem Dei naturalem peccatur, peccatur in Sanctitatem Dei: jus pœnæ Divinum itaque non oriri dicimus ex metu damni, aut conſervatione ſui ipſius, ſicut jus pœnæ inter homines eo fundamento innititur: & ideo pœna Divina pro fine non habet exemplum aut correctionem, ſed redditionem mali pro demerito, habens aliquo modo rationem *juſtitiæ commutativæ*. Neque menſura pœnæ deſumitur à magnitudine damni, quo peccatum mulctare & afficere poteſt homines, ſed ex magnitudine vitioſitatis.

Quam veritatem ratione probatam, porro locis Sacræ Scripturæ adſtruere conabor. Scriptura teſtatur pœnam fore poſt hanc vitam in ultimo judicio, *Mal.* 3: 14. *Matth* 10: 15. 24: 28. & ſequentibus. *Act.* 17: 31. *Rom.* 2: 5. 16. 14: 10. *Apoc.* 2: 23. 2 *Pet.* 2: 9. 17. 3: 7. & aliis locis plurimis. Talem pœnam fore *æternam* eadem Scriptura teſtatur, *Marc.* 9: 43. *Vermis eorum non morietur, Apoc.* 14: 11. *Et fumus tormenti ipſorum aſcendet in ſæcula ſæculorum*, *Matth.* 18: 8. *Damnati mittuntur in ignem æternum*, *&* 25: 41. 46. 2 *Theſſ.* 1: 9. *Qui pœnas pendent æterni exitii*, *&c. Hebr.* 6: 2. *Non adjicientes rurſus fundamentum —— judicii æterni*, nempe quia ſententiæ in ultimo judicio latæ effectus durabit in æternum. Et certe cum poſt ultimum judicium ſtatus *viatorum* ſit ceſſaturus, non poteſt ulla mutatio exſpectari ex illa miſeria, in quam, juſto Dei judicio, conjicientur peccatores obdurati, eoque condemnati, 1 *Cor.* 15: 28. *Poſtquam vero ſubjecta fuerint ei omnia, tunc & ipſe filius ſubjicietur ei. Luc.* 16: 25. *Dixit autem Abrahamus, fili memento, te bona tua recepiſſe in vita tua, & Lazarum ſimiliter mala*, &c. & *Adhæc omnia inter nos & vos hiatus ingens eſt conſtitutus, ut ij qui volunt hinc tranſire non poſſint, neque iſtinc huc tranſire.* Et eſt inſignis rationis humanæ abuſus, & hominis ſummopere culpanda temeritas, qui ex ſuo jecore & ingenio ſtatuit, adhibitis in conſilium humanis ſuis affectibus & rationibus, & quæ tantum in pœna humana locum habent, pœnam non duraturam in æternum, & peccatores æternis angoribus non eſſe cruciandos, quia id inter homines putaretur eſſe crudele; vel propter alias rationes humanas: & propterea locis claris & perſpicuis aptare audent interpretationes longe petitas, aut ea argutiis, quibus admodum delectari videntur, eludere: ſtatuentes per pœnam æternam deberi intelligi deſtructionem aut annihilationem peccatoris, quæ in æternum duratura eſt: quam interpretationem nullus Scripturæ locus iis ſuggerit; ſed excogitata eſt ab iis ipſis, ut loca Scripturæ ſuo dogmati, quod ex ratione mala & perverſa hauſerunt, adverſa, ſi literam ſpectes, enervarent. Quæ ratio interpretandi Scripturam adeo exitioſa, & Deo inviſa eſt, ut vix ulla in re periculoſius errari putem, quia de rebus infinitis & Deo propriis, & ipſius natura contentis, format conceptus à *rebus finitis* depromptos, eoſque tamquam normam interpretandi Scripturam adhibet, examinatque ad eam, quo ſenſu loca Scripturæ intelligenda ſint, proprione an figurato? & ſi duplex vocis in Scriptura uſurpatio eſt, eam aſſumunt, in qua putant ſuo dogmati plus præſidij eſſe poſitum; & ita cogitata ſua de rebus, quarum *nullas ideas* aut *principia* Deus menti im-

impreſſit, Scripturæ dictis exæquant: cum tamen in rebus hujuſmodi unice cum Scriptura loquendum ſit.

Præterea, pœna, quam Deus in hôc mundo exercet, non ſemper juxta cujuſque demeritum infligitur, quamvis ſemper etiam illa pœna peccatum pro fundamento habeat; ſed ſæpe illi, qui eo impietatis non proceſſerunt ut reliqui, majori damno, atque pœna improprie dicta, mulctantur, *Hebr.* 12: 6. *Quem enim diligit Dominus, caſtigat, flagellat autem quemcunque filium agnoſcit. Joh.* 9: 3. *Neque iſte peccavit, neque parentes ejus, ut cæcus naſceretur, ſed ut opera Dei manifeſta fierent in eo: vide Pſal.* 73. *Job* 21: ſed præcipue id confirmatur ex generali illa œconomia & gubernationis mundi ratione ſub N. T. de qua Scriptura declarat, quod omnes qui pie vivere inſtituunt, calamitatibus erunt obnoxii, 1 *Timoth.* 3: 12. *Actor.* 14: 22. Quandoquidem, inquam, hæc Dei juſtitia hujuſmodi eſt, non eſt illa vocanda juſtitia propriedicta, & longe differt ab ea, quam Deus exerciturus eſt in ultimo judicio, in quo unicuique retribuet ſecundum opera, & pro cujuſque demerito, *Actor.* 17: 31. *Rom.* 2: 5. *Actor.* 8: 42. *Apoc.* 2: 23. Ideo ille dies, per excellentiam, *dies judicii* vocatur, *Matth.* 10: 15. 12: 36. 2 *Pet.* 2: 9. *&* 3: 7. *Judæ* 4. 6. & ideo frequentiſſime, & propter eandem rationem, ille ſolemnis actus, quo Deus tunc judicaturus eſt mundum, vocatur *judicium*, Scriptura eo loquendi modo indicans reliquos actus juſtitiæ, quibus in hac vita homines plectuntur, proprie judicium non eſſe; quia non aliam ob cauſam juſtitia in ea apparet, quam quod *licitum* ſit, *Luc.* 10: 14. 11: 31. 32. *Johan.* 5: 24. *Actor.* 24: 25. *Heb.* 9: 27. & aliis in locis quam plurimis.

Judicium autem illud, quod juxta regulam juſtitiæ Divinæ punitivæ præciſe ſic dictæ inſtituitur, non ad regulas Dei beneplaciti inſtituitur; eſt itaque aliquid in Deo, quod ſingulis peccatis certum pœnarum modum aſſignat: at ſi detur in Deo *naturale attributum*, quod ſingulis peccatis modum pœnæ ſtatuit, neceſſariò idem illud attributum imperat, generatim peccatum eſſe puniendum: nam quomodo illud attributum poſſet modum pœnarum peccatis ſtatuere, ſi non imperet peccatum eſſe puniendum? An juſtitia commutativa jubere poteſt ſingulis creditoribus tantum, hoc eſt, certam pecuniæ ſummam eſſe reſtituendam, nec tamen generatim jubere debitum eſſe ſolvendum? Ita ut ſupra citata loca hanc ſententiam etiam probent, quibus tamen hæc addi poſſunt, *Hebr.* 9: 9. *Dona & Sacrificia oblata ſub V. T. non poſſunt in conſcientia conſummare cultorem*, h. e. peccatorem ſanctum purumque ſiſtere Deo, eique parare liberum aditum ad ſancta ſanctorum, h. e. in cœlum, ut illic facie & communione Dei fruatur: ſed opus fuit alia oblatione, nempe ipſius Chriſti, cujus efficaciâ ſancti purique à reatu peccati conſtituti, porro in perpetuum conſecrati Deo manemus vitæ ſanctitate; & ita re ipſa participes reddimur regni cœlorum, & ſtatus libertatis filiorum Dei: qui poſt aſcenſionem Chriſti incipiens, continuatur in ſeculo futuro. Quam oblationem Chriſti Patres ſub V. T. ut futuram exſpectabant, ideoque quamdiu in terris verſabantur, ſpe tantum ſancti purique à reatu erant, neque re ipſa participes ſtatus libertatis filiorum Dei. Quæ addimus, ne quis hunc locum & alia ſequentia interpretetur de ſanctificatione & regeneratione tantum: quaſi Sacrificia ſub V. T. oblata, totaque V. Teſtamenti religio, non fuerit inſtructa viribus & argumentis ad convertendum peccatorem, eumque ad ſtudium virtutis adducendum. Nam quamvis non negemus hic etiam agi de Sanctificatione; reſpicit tamen Apoſtolus præcipue ad ſacrificium, cujus efficacia rurſus Deo puri, ſanctique redditi, & apti comparere coram

ram facie ipſius, cum libertate filiorum Dei, etiam ejuſdem Sacrificii jam peracti beneficio, acquirimus dona Spiritus ſanctificantis, quæ illi ſtatui, in quo jam *liberè* debemus appropinquare Deo, conveniant. Non poſſunt enim adverſarii negare, ſub V. T. Patres Sanctificationis fuiſſe participes, adeoque illa ſacrificia & oblationes, ſanguinemque hircorum & taurorum non potuiſſe eo modo auferre peccata. Et ideo efficaciter concludimus, Apoſtolum non reſpicere hoc citato loco, & reliquis ipſi parallelis, ad Sanctificationem ſimpliciter; ſed ad *expiationem realem* peccatorum, & non ad eam, quæ adhuc erat in expectatione; & Apoſtolum reſpicere ad ſtatum juſtificatorum, in hac vita per realem illam expiationem impetratam, cujus Patres ſub V. T. non fuere participes. Loca præcedenti affinia ſunt, *Hebr.* 10:4. *Non enim poteſt ſanguis taurorum & hircorum auferre peccata: & v.* 11. *Omnis igitur Sacerdos adſtat quotidie Sacro miniſterio defungens, & eaſdem ſæpius offerens hoſtias, quæ nunquam poſſint auferre peccata.* Ex quibus locis ita porro concludimus: ſi Sacrificia V. Teſtamenti, totuſque V. Teſtamenti cultus, conſideratus extra meritum & oblationem Chriſti, non potuit ullum conſummare, ſanctificare, purum reddere, aptumque comparendi coram facie Dei in cœlis, & fuit tamen Sanctificatio Patrum ſub V. Teſtamento, ſequitur Deo *arbitrarium* non eſſe, aut fuiſſe, peccatori etiam reſipiſcenti, citra ſatisfactionem, per mortem & paſſionem juſtitiæ Divinæ punitivæ præſtitam, condonare culpam. ſed prius verum eſt ex Scriptura, & tota Epiſtola ad Hebræos, ergo. Certe cum author Epiſtolæ ad Hebræos ubique removeat Sacrificia V. Teſtamenti, ut & totum cultum Veteris Teſtamenti, ſacerdotio legali ſuffultum, ſubſtituatque ſacrificium Chriſti, ſequitur & priorem in ſe conſideratum fuiſſe inutilem, & alterum neceſſarium. At ſi Chriſti ſacrificium fuit neceſſarium, ergo juſtitia Dei punitiva neceſſariò flagitat peccati vindictam; & paſſio Chriſti fuit ſatisfactio: nam quodcunque Sociniani Chriſto in paranda nobis ſalute, aſſignant præter ſatisfactionem, & ea quæ cum ſatisfactione connexa ſunt, nihil aſſignabunt, niſi quod Deo arbitrarium fuerit Chriſto imponere; quodque nullum neceſſarium nexum habet cum decreto ſalvandi peccatorem.

Addimus nunc etiam omnia illa loca, quæ à noſtris adducuntur, quibus probant Chriſtum pro nobis ſatisfeciſſe, & redemptionis pretium interceſſiſſe, *Epheſ.* 1:7. 1 *Tim.* 2:6. *Coll.* 1:14. 1 *Pet.* 1:18. Deinde quod Chriſtus tot anguſtiis oppreſſus fuerit ante paſſionem, & in ipſa paſſione, quæ eum exclamare coëgerunt, quaſi Deus ipſum deſeruiſſet: *Deus mi, cur deſeruiſti me.* Certè nemo ſibi perſuadere poterit, niſi qui præjudiciis ſit abreptus, Jeſum Chriſtum, (ex adverſariorum quidem ſententia ſimplicem hominem, ſed ampliſſimis donis inſtructum, & Deo ſumme charum, dignumque qui ſingulis momentis teſtimonia charitatis Divinæ in ſe experiretur) ſi pro peccatis noſtris non fuiſſet facta maledictio & execratio, ad mortis dolores tam timidum atque fractum ſe debuiſſe præbere in ſubeunda morte crucis; cum martyres & graviores cruciatus conſtantius tulerint, & Deo minus chari atque delecti fuerint. Et ideo mihi invictum argumentum eſſe videtur in illis Chriſti angoribus, quod pœnam, ex juſtitia Dei punitiva peccatis debitam, tulerit; & ita revera factus fuerit *execratio*, *Gal.* 3:13. Neque ullam rationem adferre poterunt adverſarii, quare Scriptura hujuſmodi loquendi formulis utatur: quod Deus in Chriſtum fecerit *incurrere* omnem noſtrorum iniquitatem, *Eſaj.* 53. Quod fecerit Chriſtum *peccatum* pro nobis, 2 *Cor.* 5:21. Quod factus fuerit *execratio*, *Gal.* 3:13. Quid quæſo hi loquendi modi commune

habent cum illo munere aut ejus partibus, quo Chriſtum functum ferunt in terra illi, qui ſatisfactionem Chriſti pro peccatis negant. Poſſumus ſexcenta hujusmodi argumenta adducere, quæ prima fronte innuunt Chriſti meritum fuiſſe verum, redemptorem verum, pretium verum, maledictionem veram, veram expiationem, verum ſacrificium, veram placationem, reconciliationem veram, factam ſacrificio vero, per-ablationem aut placationem Divinæ iræ: & non talem reconciliationem, qua nos averſi à Deo peccandi conſuetudine, per converſionem ſumus reconciliati Deo, nobis etiam ante converſionem non irato propter peccatum, ſub cujus reatu, ex adverſariorum ſententia, non eramus, & à quo conſequenter Chriſtus nos non liberavit. Et meo judicio, nullam rationem habent adverſarii confugiendi ad ſubtiles quasdam exceptiones, & interpretationes talium locorum: ſed falſam & ex mala ratiocinatione collectam, ſibi in iis fingunt contradictionem: quales ſunt v. g. Deum Patrem, ſupremum Dominum ſatisfactionem pro peccatis exigere, idque à filio natura non diſtincto à Patre; & per tale pretium ſibi pati ſatisfieri, quod ipſe Deus Pater comparavit ſibi pro genere humano, & quæ ſunt hujuſmodi: cum tamen in his omnibus re ipſa aut nulla ſit contradictio, aut ſi qua detur, non oritur ex *conceptibus*, quos Scriptura nobis *dictat & ſuppeditat* de hoc myſterio; ſed ex iis, quos illi ipſi, aut *contra* Scripturam, aut *ſupra* Scripturam ſapere volentes, ſibi formant. Erat itaque illorum officium non ita indulgere rationi, ut apertis textibus adaptarent interpretationes longe petitas & violentas, quæ tollerent incommodum, nempe imaginariam contradictionem, elicitam per rationem de rebus obſcuris, infinitis, & à nobis incomprehenſibilibus: cum tantum contradictionis manifeſtæ, & ex principiis claris & manifeſtis depromptæ, perſuaſio atque opinio nobis cogitationem injicere debeat, aliquem locum, obſcurum alioquin, non *proprie* eſſe intelligendum: quia apud omnes, qui Theologica tractant, in confeſſo eſt, duo contradictoria nunquam poſſe eſſe ſimul vera. In præſentia hæc ulterius perſequi non lubet; ſed ad calcem hujus tractatus, totum illud ſtadium decurremus, & docebimus ex Scriptura contra adverſarios, ſatisfactionem veram pro noſtris peccatis à Chriſto eſſe præſtitam, & noſtram cum Deo reconciliationem ejus ſanguine fuiſſe ſancitam.

Porro probatâ ſatisfactione à Chriſto præſtita, eadem operâ probatur ejuſdem ſatisfactionis neceſſitas: quid enim attinet requirere ſatisfactionem, ſi nullum debitum aut culpa contracta ſit? Et quomodo illa contracta eſt, ubi nulla eſt puniendi neceſſitas? Et quæ puniendi neceſſitas, ſi attributum juſtitiæ Divinæ illam non imperet? Supra enim probatum eſt, ibi non eſſe neceſſitatem iraſcendi propter peccatum, ubi non eſt neceſſitas puniendi: ea autem hic repetere eſſet ſupervacaneum. Sed addam & hoc argumentum, nempe, nullam ſignificationem amoris Divini eſſe poſſe in traditione Chriſti in mortem pro peccatoribus, quando Chriſti ſatisfactio non ſtatuitur neceſſaria, *Rom.* 5: 8. *Commendat autem Deus ſuam erga nos charitatem eo, quod cum eſſemus adhuc peccatores, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Quid enim, ſi ſatisfactio eſt Deo arbitraria, opus fuit pro nobis immolare Chriſtum? Neque Deus ea in re tam oſtendit *amorem* ſuum, quam ſummum ſuum *jus* atque *imperium* in Chriſtum. Neque regeri poteſt, Deum potuiſſe impedire, ne peccatum committeretur, atque ita prævenire *neceſſitatem* ſatisfactionis, & ita rem redire eodem, noſque in eadem difficultate hærere. Si enim, inquient, Deus tantopere amavit genus humanum, & Chriſtum; fuitque aliquid in traditione Chriſti, quod, ut ita dicam, Deus

non

non libenter feciſſet, ſi non fuiſſet ductus ſummo amore erga genus humanum, cur peccatum non impedivit? Deinde, ut etiam ſecundam adverſariorum objectionem addam: ſi traditio Chriſti, Dei reſpectu, fuit res indifferens, ita ut nullum in Deo attributum fuerit, quo potius moveretur ad Chriſtum tradendum: quod ita eſſe putandum eſt, quia Deus nullis affectibus ducitur, neque gaudio aut triſtitia affici poteſt; quæ fuit demonſtratio amoris Divini in traditione Chriſti in mortem pro nobis? Ad hæc ita reſpondemus: nempe differentiam maximam eſſe, inter peccati inhibitionem, qua poſita ad felicem hominum ſtatum conſtituendum, Chriſti mors non fuiſſet neceſſaria; & inter traditionem Chriſti in mortem peccato perpetrato. Repugnat, ut jam diximus, attributo juſtitiæ Divinæ condonare peccatori culpam, nullâ ſatisfactione intercedente: at peccatum inhibere, aut non inhibere Deo fuit arbitrarium; neque ulli attributo Dei repugnat, *abſoluto nempe decreto decernere, ut exiſtat homo libere peccans.* Et Deo tam liberum fuit permittere, ut lapſus hominis per *accidens ſequeretur ad uſum ſui juris*, quam homini liberum eſt uti jure ſuo, quamvis prævideat ex eo uſu, ſequuturum *per accidens* proximi peccatum: quid autem intelligam per *aliquid ſequi per accidens* uſum legitimum noſtri juris, in tractatu de prædeſtinatione & gratia expoſuimus. Quærere porro, quare Deus maluit permittere peccati perpetrationem, & ita hominem reatui ſubjicere; & ex eo eum rurſus morte Chriſti redimere, quam eam gratiæ menſuram eidem homini largiri, qua ſibi çavens à peccato, Chriſti ſatisfactione non eguiſſet, eſt idem ac ſi rationem exigas à Deo eorum omnium, quæ à libero ipſius arbitrio pendent: quare v. g. hoc univerſum tale & non aliud creaverit? Quare aliam gratiæ œconomiam, & diſpenſationem ſub V. T. quam ſub Novo inſtituerit? Quare jam Deus quoſdam ſinit labi in peccatum, cum eam gratiæ menſuram omnibus poſſit dare, ut à peccato ſe temperare poſſint? Quare primum hominem, & ejus poſteritatem, non confirmavit in gratia, quemadmodum ſanctos Angelos? Aut quare hominem non ſtatim æternæ ſalutis participem creaverit? Concedunt enim adverſarii hæc omnia hujuſmodi eſſe, ut à libero Dei arbitrio manarint; & nec Dei attributum, nec hominis naturam repugnare, quin aliter Deus hæc inſtituere potuerit. Talibus quæſtionibus unà cum Apoſtolo hanc adaptamus reſponſionem: *O profundas divitias tum ſapientiæ tum cognitionis Dei! Quam inſcrutabilia ſunt ejus judicia, & ejus viæ imperveſtigabiles! Quis enim cognovit mentem Domini? Aut quis ei fuit à conſilio? Aut quis prior dedit ei, & reddetur ei? Nam ex eo, & per eum, & in ipſo ſunt omnia, ipſi ſit gloria in ſeculum. Amen. Rom.* 11. Denique hoc addo, idque in adverſarios retorquendo: quandoquidem Deus amat genus humanum, *nec libenter punit aut affligit filios hominum*, quare in ultimo die puniet improbos Deus, & mortuos in peccatis ſuis, cum Deo plane ſit arbitrarium punire aut non punire, neque ullum felicitatis incrementum ex eo percepturus ſit. In rebus, quæ à Dei libero arbitrio dependent, videndum, quid Scriptura de iis nos doceat, nec Dei rationes agendi revocandæ ad noſtras.

Quod autem ab adverſariis additur, nos non recte argumentari ab amore Dei, cum nihilominus ſatisfactio potuerit eſſe Deo arbitraria, quia traditio Chriſti pro ſalute generis humani, Deo (etiam ex noſtra ſententia) moleſta eſſe non potuit, neque ullum inde ipſi beatitudinis incrementum aut decrementum oriri; id noſtræ argumentationis vim non deſtruit. Nam, quamvis verum ſit, Deo ex traditione Chriſti nihil moleſtiæ natum, non deſinit tamen in ea extare atque ſe prodere ſummi amoris teſtimonium erga genus humanum, ſummumque

mumque beneficium: quia natura virtutis aut beneficii non mutatur, etiamſi ſine ulla moleſtia peragatur. Non imminuit amorem Dei erga Chriſtum, aut ergà genus humanum, quod Deus Pater, ſumme beatus exiſtens, potuerit tradere filium in mortem ſine ulla felicitatis ſuæ imminutione; atque quod ita ſub illa conſideratione Deus *nihilo* paraverit generis humani redemptionem. *Amavit* enim Deus nihilominus filium, & eum pro nobis tradidit; & munus ideo nihilo minus fuit. Adverſariis imponit, quod putant rationem virtutis ceſſare, quando ceſſat aliqua moleſtia in ea exercenda. Inter homines, quamdiu ſunt *viatores*, & degunt in mundo, *magnitudo* quidem virtutis petitur à moleſtia, at *ratio* virtutis ab ea non petitur. Non deſinit Deus, etiam ex adverſariorum ſententia, eſſe clemens, miſericors & longanimis, etiamſi nullus in Deo verus ſit ſtimulus ad puniendum, quem expugnare neceſſe habet, ut à pœna ſe temperet, quemadmodum id obtinet inter homines. Et quamvis quo juſtior cauſa ſit inter homines ad exigendam vindictam, & à qua tamen abſtinent, eo clementia eorum major recte æſtimetur, quia eo moleſtius eſt à jure ſuo decedere, non ideo tamen minor eſſet virtus clementiæ in *viatore*, qui à Deo edoctus eſt ſua parvi aut nihili pendere; & qui ſe per virtutis ſtudium ad illum gradum perfectionis extulit, ut ſine lucta, cuivis, clementia ſua non indigno, pœnam condonet; & quamvis ille viator ita gratia Dei corroboratus, quam facillime de ſuo jure cedit. Qui edoctus pecuniam nihili æſtimare, & largiter ſine ulla moleſtia ſua largitur, is ideo non minus donat, quam is, qui eo perfectionis nondum devenit, & cum lucta idem dat: amor enim, quem hic habet pro eo quod donat, non auget pretium doni; & contemptus, quo ille *propter Deum* ſpernit id quod donat, non imminuit doni pretium: nam non contemnit id quod donat, quia amore non eſt dignum, aut quia id ipſi minus uſui eſſe poſſet quam alteri; ſed quia à Deo edoctus eſt, propter Deum omnem ſuum amorem ab eo, quod donat, avertere, quando exiſtimat gloriam Dei eo augeri poſſe. Plura nunc non addam, quia in ſequentibus, ubi agetur de peccatorum & virtutum gradibus, deque eorum pœna & præmio in ultimo judicio, fuſius ea de re agemus; & ſcrupulos, qui lectoribus ſupereſſe poſſunt, tunc porro eximere conabimur. Concludimus itaque, nullam demonſtrationem amoris Divini erga genus humanum, in traditione Chriſti pro nobis apparere, ſi ſatisfactio non fuit neceſſaria; ſed tantum ſupervacuam impoſitionem dolorum ſuper Chriſtum innocentem, & ſuo & alterius nomine.

Ex his ita demonſtratis, hæc porro ſequuntur *poriſmata*. Primo, Legem Dei ſemper æque perfectam eſſe, neque ſub N. T. ſanctiorem aut perfectiorem vitæ normam præſcribi, quam factum eſt ſub V. T. Fluit enim lex naturalis Dei à Dei Sanctitate; eſtque illius Sanctitatis expreſſio: quæ Sanctitas Deo arbitraria eſſe non poteſt.

Cum aſſerimus legem perfectiorem hominibus tradi non poſſe; neque ſub N. T. ullam fuiſſe traditam, id ita intelligimus, quod nihil omnino ſub V. T. Iſraëlitis conceſſum fuit, quod cum recta ratione pugnaret, & quod ex ratione argui poſſet peccati aut defectus. Deinde, quod nihil Sanctum, honeſtum aut bonum excogitari ab hominibus poteſt; aut à Deo & Chriſto ſub N. T. præceptum putatur, quod lege Dei tam cordibus inſcripta, quam in litera tradita, omnibus & ſingulis hominibus, tam Gentibus quam Judæis non fuerit præſcriptum. Quid quæſo cumulatius in virtute excogitari poteſt eo, quod Chriſtus reſpondet: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota cogitatione tua, & diliges proximum tuum ſicut te ipſum*, *Matth.* 22: 35. At id ſumma legis eſt,

quæ

quæ Iſraëlitis fuit tradita. An ullus Deum & proximum ita diligere poteſt, qui tamen ad omnia ſanctiſſima & perfectiſſima non adſpiret, ſtudeatque id aſſequi, quod Apoſtolus *Philipp.* 4: 8. fieri imperat: *Quod reliquum eſt fratres, quæcunque ſunt vera, quæcunque veneranda, quæcunque juſta, quæcunque pura, quæcunque amabilia, quæcunque boni nominis, ſi qua virtus, ſi qua laus eſt, ea reputate.* Qui ex animo, & ex omnibus viribus amat Deum ſuum, an ille non ſtudebit in iis eſſe occupatus, per quæ Deus quam maxime glorificetur? Et quo jure is dici poteſt ſumme Deum ſuum amare, qui quædam corporalia, & quæ carnem oblectant, præfert iis, quæ gloriam Dei illuſtrare poſſunt? Talis certe plus diligit ſe ipſum, quam Deum. Chriſtus, *Matth.* 19: 17. dicit, *ſi velis vitam ingredi, ſerva mandata:* factum hoc ſub Teſtamento Novo, ergo illa mandata continebant ſanctitatem, quæ ſub N. T. ſufficiebat homini, ad habendam communionem cum Deo; atque adeo quæ docebant ſanctitatem perfectam; quibus adde loca, 2 *Timoth.* 3: 15. 16. 17. *Pſal.* 19: 8. *Rom.* 7: 12. 13.

Nec obſtat, quod lex tantum jubet diligere proximum ſicut ſe ipſum, at Euangelium jubet etiam vitam noſtram exponere pro ſalute proximi, ſi noſtra morte proximi vita repræſentari poſſit, adeoque proximum plus diligere quam nos ipſos, 1 *Joh.* 3: 16. Nam ſi amoris naturam recte reputemus, nunquam ullus ejus fructus aut uſus eſt, quam quando proximi commoda præferimus noſtris ſtudiis & commodis; neque unquam extitit tempus, quo licuit, ſeſe ſine prævaricatione in Deum, ſubtrahere periculo mortis, vel præſentanea morte, quando judicavimus talem caſum ſeſe obtuliſſe, quo detrectatio talis diſcriminis infert, nos noſtram vitam *nimium* æſtimare, vel Dei gloriam nobis non eſſe ſatis cordi. Nam omni tempore, omnibus in caſibus, id legem Euangelicam ab homine Chriſtiano non efflagitare, etiam adverſarii concedunt: hominis Chriſtiani officium non eſſe omni tempore, & quovis in caſu, omnia ſua bona largiri pauperibus; tempora tamen incidere poſſe, quibus à tali liberalitate temperare non poſſimus; haberi tales, qui noſtras fortunas potiores ducimus gloriâ Dei: at id nunquam tam ſub V. T. quam ſub N. T. licitum fuiſſe adverſarii concedunt, & ratio manifeſtiſſima id docet: cui enim in mentem venire poteſt, unquam Deum id homini conceſſiſſe aut concedere potuiſſe, ut ea, quæ ſunt Dei, poſt haberet iis, quæ ſunt mundi? Et finge Deum ſub N. T. à Chriſtianis majorem exigere & poſtulare perfectionem; id non obſtat Reformatorum doctrinæ, qua tuentur legem moralem, tam cordi omnium hominum inſcriptam, quam in tabulis lapideis exaratam, & populo Iſraëlis traditam, perfectiſſimam ſanctitatem continere: mutatis enim circumſtantiis mutantur hominum officia. *Nolle contendere ad ſumma*, Deique Sanctitatem quam perfectiſſime moribus atque vita nolle referre, ſemper & omnium hominum reſpectu, peccatum eſſe ſupra probavimus; at non eſt peccatum, omnium hominum conditionum reſpectu, ſanctitatem ſummam & completam ab omnibus & ſingulis non præſtari; ſed ea charitatis atque religionis munera explere omnes debemus, quibus, pro menſura gratiæ, atque Spiritus à Deo nobis conceſſi, pares ſumus. Nullus *viator* ſe peccati reum facit, quod ſanctitate glorificatis inferior ſit: & qui inter regenerationis primordia conſiſtit, & infans eſt in ſpiritualibus, non peccat, ſi viri ſpiritualis adulti pietatem non aſſequatur. Et Patres, qui ſub V. T. vixerunt, deſtituti illa copia Spiritus, quæ ſub N. T. promittitur, non peccarunt, quod pietatis officiis ſe non exæquarent Chriſtianis. Nec ſequitur Deum ſub N. T. majorem perfectionem hominibus præſcribere, quam ſub V. T.

 quam-

quamvis velit fideles ſub N. T. *magis* in ſpiritualibus occupatos eſſe: non magis hoc ſequitur, quam ſi dicas Deum ſub N. T. non ſummam ſanctitatem ab omnibus poſtulare, quia quorundam ſtatus ejuſmodi eſt, ut iis magis circa βιωτικὰ liceat eſſe occupatis, quod aliis, quibus alia perſona impoſita, non liceret. Sed quia hæc res eſt magni momenti in Theologia, pauca præterea addam, quibus res clarior & illuſtrior fiat. Diſtinguendum inter præcepta, quæ præcipiunt aut prohibent id, quod abſolute bonum vel malum eſt, qualia ſunt v. g. non furaberis; diliges proximum tuum ſicut te ipſum; omni ſtudio & diligentia incumbes ad operandam ſalutem tuam, nullas opportunitates negligendo, quæ illam promovere poſſunt: & inter præcepta, quæ reſpiciunt gradus perfectionis, & quorum reſpectu non eſt iis peccatum, juxta minores gradus perfectionis operari, qui ad altiores perfectionis gradus evecti non ſunt; ſed tantum minor virtus. Et in hujusmodi præcepta peccatur, non quia juxta altiores perfectionis gradus actio non eſt inſtituta, ſed quia neglegimus media, quibus majores in virtute progreſſus facere licuiſſet; quodque talento nobis concredito non bene ſumus uſi: hujuſmodi præcepta Pontificii per errorem conſilia vocant; quaſi Deus ſingulis non præciperet ad ſumma in pietatis ſtudio niti. Aliud eſt, ſtatuere Deum omnibus & ſingulis imperare, ut ſe gerant tamquam corporis caput, ejuſque munera expleant, quamvis ea ſpiritus portione præditi non ſint, quę requiritur ad tam alta pietatis exercitia: illud Deus nec imperat, nec nobis conſulit. Aliud eſt, quod dona, occaſiones, & opportunitates negligere non oporteat, quibus nos licuiſſet extollere ad capitis dignitatem.

Sed addimus præterea, rationem legis moralis non ferre, ut de rebus, quæ abſolute, & per ſe bonæ aut malæ non ſunt, ſed ex circumſtantiis & rerum appendicibus talem moralem naturam nanciſcuntur, præcepta ferantur: & quod ſi fiat, illa præcepta tunc aut induunt naturam præceptorum *civilium*, quorum materia in ſe nihil moralitatis continet, aut illorum verborum intelligentia exigitur ad generalem moralitatis normam: quod contingit in expoſitione quinti præcepti, *non occides*; cujus præcepti ſenſus pendet ex generali morali præcepto, *de non proſequendo odio proximum*, & de eidem præſtando omnia charitatis officia. Quis enim inter Reformatos vocat in dubium, utrum aliquem occidere liceat? Et Anabaptiſtæ, qui inficiantur id fas eſſe, in eam ſententiam venêre, quia putant homicidium voluntarium, quacunque de cauſâ commiſſum, repugnare charitati Chriſtianæ. In quo inſigniter falſi ſunt: nam ſi homicidium voluntarium repugnat charitati Chriſtianæ, repugnat cuivis charitati, & ſequitur ex eorum ſententia, ſub V. T. licuiſſe *impunè in charitatem peccare*, vel peccatum adverſus legem de charitate ſub V. T. nullum fuiſſe, quod ſua deformitate ſe ipſum evertit. Quod ſi Deus omnes, qui Chriſtianiſmum in baptiſmate profeſſi ſunt, conſtitueret ſemper in iiſdem circumſtantiis, & eadem zeli & ſpiritus menſurâ ornaret, qua illi ſe inſtructos experiuntur, qui ſe ad heroica charitatis officia excitari cognoſcunt; aut ſi intelligerent hominis ſpiritualis *adulti* perſonam ſibi à Deo impoſitam eſſe: & ſi Deus è contrario omnibus, qui ſub V. T. vixerunt, tam exilem ſpiritus menſuram conceſſiſſet, ut tantum ad communia charitatis officia ſe excitarent, & *pueri* perſonam tantum ſuſtinerent, poſſet recte dici Chriſtianos ad majorem charitatem, quam Judæos teneri; malè tamen aſſeretur, Deum *nova* & *perfectiora* præcepta Chriſtianis quam Judæis tradidiſſe; & illa Chriſtianos inter & Judæos differentia forte permitteret, ut aliquo ſpeciali præcepto morali aliquod ſingulare factum, aut caſus Chriſtianis prohiberi poſſet;

poſſet: v. g. *ne bellum gererent*; ne ferientem ferirent vicisſim; ne petenti aliquid negarent: fortaſsis inquam illa differentia tali præcepto locum faceret, poſito nempe, aliquem pietatis gradum ſummum, in quo Deus ſimul omnes poneret Chriſtianos, talem ab ipſis Chriſtianis flagitaret facilitatem in cedendo de ſuo jure, qualem ego aut non, aut vix fingi poſſe arbitror. Sed quoniam Deus parem & æqualem gratiam ſingulis Chriſtianis non impertit, non poteſt tradi de hujusmodi rebus (quarum contrarium non eſt *peccatum*, ſed minor *perfectio*) præceptum, quin *civilis* præcepti naturam induat, quod tamen majorem ſanctitatem, aut perfectionem, quam lex naturalis, non imperat; quandoquidem omnem ſuam æquitatem & ſanctitatem a lege naturali mutuatur; lex enim naturalis imperat, & ut *ad ſummum contendamus*, & vitio vertit, peccatique homines arguit, qui caput aut adultus cum ſit, pedis tamen aut infantis partes, in pietatis praxi tantum explere velit. Sed lex civilis poſitiva, aut conſtitutio Eccleſiaſtica, quę hic conjungo, quia earum omnium par ratio eſt, imperat tantum actionem externam, & obedientiam legi, quæ illam actionem præſcribit, ex *animo* præſtandam eſſe: quod poſtremum tamen lege Dei morali, aut decalogo imperatum eſt. Finge legi naturali non repugnare repudii libellum, præter cauſam adulterii, mittere uxori; plures uno tempore unâ uxores habere; hoſtes & bello captos in ſervitutem abigere, &c. Finge cumulatioris virtutis opus eſſe cum una uxore ætatem agere; nolle ſummo ſuo jure uti in repudianda uxore, & nolle illam animi ægritudinem illi imponere; hoſtes & bello captos æquiori, quam ſervili conditione habere. Finge Deum expreſſo & novo mandato in Euangelio imperaſſe Chriſtianis, ut ita ſe erga uxorem & hoſtes gererent: non ex iis ſequeretur, quædam præcepta Euangelica perfectiora eſſe præceptis decalogo contentis, non hoc ſequeretur inquam: tum quia adulti & perfecti teneantur perfectius operari; cum etiam, quod omnes contendere debeant ad ſummum; idque vi præceptorum decalogi. Præterquam quod talia præcepta non imperarent majorem charitatem, caſtitatem, aut clementiam, ſed tantum actiones quasdam externas legibus circumſcriberent. Nullus certè dixerit, illum Senatum civilem aut Eccleſiaſticum, ſibi ſubjectæ plebi majorem ſanctitatem imperare, qui legibus imperat aliquot horarum preces, aut eos jubet, bis terve in ſeptimana, ſacris intereſſe; quam illum, qui illud quidem cujuſque zelo & pietati permittit, ſed tamen illam doctrinam & Religionem profitetur, eamque ſubditis & populo inculcari curat, quæ docet cujusvis hominis officium eſſe adniti, ut omnia illa ſedulò curet, quibus ad ſummam pietatem pervenire poſſit; & ita in pietatis exercitiis quam frequentiſſimus eſſe. Hoc certe mihi illi omnes concedent, qui à ſacris Pontificiorum alieni, tamen urgent nova præcepta quædam, in Euangelio tradita, perfectiora iis, quæ populo Iſraëlitico in lege veteri, ut ita dicam, tradita ſunt. Neque eorum quisquam talia præcepta alio in numero habebit, quam in numero præceptorum civilium, aut Eccleſiaſticarum conſtitutionum, quæque nullo modo complectuntur aliquam perfectionem, quæ præceptis decalogi, aut Euangelicis, ut eorum ſermone utar, excelſior ſit. Num ille ſanctior, qui ex præſcripto Pontificis, 24. horarum precibus intereſt ſine motu aut animi diſpoſitione, eo, qui horam ex animo Deum precatur, & quem tunc deficit Spiritus ad ex animo faciendas preces longiores? Non arbitror. Quid ergo majoris ſanctitatis in illo præcepto comparet? cum conſtet illud actionem externam tantum imperare; at præceptum de invocando in Spiritu & ex animo Deum, decalogo continetur. Finge Deum

um interdixiſſe Chriſtianis uſum libelli repudii extra caſum adulterii, & Judæis illum indulſiſſe, atque conceſſiſſe: an ille Chriſtianus ideo perfectior erit, qui uxorem ut individuam vitæ ſociam habet, eam tamen odit, eo Judæo, qui jure ſibi à Deo conceſſo utens, non quidem ſumme uxorem diligit, alioquin illam à ſe non dimitteret, non tamen odit? Nam quod reponi poſſet, Chriſtiano non tantum interdictum repudium, ſed Deum ab eodem exigere majorem erga uxorem amorem, quam exegit à Judæis, id vanum eſt, & ab omni rationali cultu disjunctiſſimum: nam odiſſe uxorem ubique prohibetur, & amoris gradus imperantur pro modo atque menſura doni, quo ſinguli à Deo ornati ſunt: at ſecundum illum modum atque menſuram operari, ſicut & ſtudium perveniendi ad ſummum, non lege *Euangelica*, ſed *naturali* imperatur. Denique ut concludam: aut dicendum peccatum ſub V. T. non fuiſſe peccatum, quod Deus ſub Euangelio eſſe vult peccatum; atque ita juſtitiam & ſanctitatem Deo naturalem non eſſe, ſed arbitrariam; quod mihi videtur ſubvertere totam doctrinam morum: aut abdicanda doctrina de præceptis Euangelicis, præſcribentibus majorem perfectionem eâ, quæ in decalogo continetur: aut dicendum controverſiam tantum eſſe de legibus poſitivis aut civilibus, plebem Chriſtianam ſpectantibus, quales ſunt leges de Eccleſiæ regimine.

Cum ſuperioribus connexum eſt: quod, quia homo *rationalis* creatus eſt, ideo neceſſariò tota lex moralis menti ejus inſcripta fuit; quatenus principia rationis moralis, ex quibus tota lex moralis fluit, vel potius, quibus tota lex moralis continetur, in ſe habuit: implicat enim, rationem moralem homini tunc aliquid dictaſſe ut rem indifferentem, quæque ad ipſius officium non pertinebat, nunc rurſus idem peccati & vitii arguiſſe; idque ratione morali; quod autem lex moralis non ſit aliud quam *recta ratio*, Scriptura innuit, cum religionem vocat *cultum rationalem*, *Rom.* 12: 1. *Et lac rationale*, 1 *Pet.* 2: 2. *Cum docet Gentes legem cordi ſuo inſcriptam habere*, *Rom.* 2: 14. 15. Cum indicat nos *natura* judicare de honeſto & decoro. *Anne natura ipſa vos hoc docet, quod viro quidem comatum eſſe dedecori ſit, &c.*

Eſt etiam ex præcedentibus manifeſtum, quare naturaliter hominis conſcientia hominem propter bene vel male facta accuſat aut excuſat; & quare, quod eodem redit, omnes homines, vitium & peccatum reatum contrahere, virtutem nos ab eo immunes habere, judicent. Non eſt enim moralitas in actione aliqua viatoris, quæ reſpectum non habet ad præmium & pœnam. Et hinc apparet differentia inter rationem, quæ præbet fundamentum moralitatis, & inter rationem, quæ præbet fundamentum alicujus ſimplicis veritatis: inter *contradictionem* moralem, & inter *contradictionem* ſpeculativam, ſi ita loqui liceat.

In poſteriori non eſt eſſentialis reſpectus ad pœnam aut præmium. Quamvis v. g. contradictio appareat, accidens per ſe ſubſiſtere, & extra ſubſtantiam eſſe, non ideo idea aut conceptus vitii in mente verſatur: at cum concedis aliquid alterius eſſe, & ſtatuis tamen idem illud tuum eſſe, tunc idea vitioſitatis moralis ſeſe menti inſinuat & aperit; quia intelligimus hujusmodi facta, in quibus talis contradictio ſe prodit, Deum odiſſe: at odium in Deo nihil aliud denotat, quam Deum talem ordinem & reſpectum acquirere ad creaturam rationalem, quæ tale factum perpetravit, ut pœnæ illam ſubjicere debeat. Et ideo is, qui fingit Deum non eſſe, imo qui ſtatuit juſtitiam punitivam Deo arbitrariam eſſe, omnem moralitatem tollit ab actionibus: non eſt enim aliquid bonum aut malum, niſi quia eſt contra eam rationem, quæ legis naturam & formam habet.

Sed argumentum, à teſtimonio conſcien-

ſcientiæ ductum, eo firmius apparebit, ſi intelligamus noſtrum bonum & malum pendere præcipue ab interioribus mentis commotionibus, lætitiam veram ſpiritualem à virtutis perpetratione & officii præſtatione; & niſi hæc voluptas eſſet aſſidua comes recte factorum, nulla ratio ſubeſſet, quare virtutem potius ſectaremur quam vitium. Quemadmodum itaque creatura rationalis non poteſt non gaudio affici propter recte facta, & non poteſt non dolore affici propter peccata, ita ut dolor qui in pœnitentia eſt, ſit juſtus, rationalis & neceſſarius; ita Deus non poteſt non præmio afficere probum, punire improbum: illa enim ſatisfactio, quæ oritur ex virtutis exercitio, eſt pars illius felicitatis, quæ probos manat; & dolor ex commiſſione peccati pars illius pœnæ æternæ, quæ incumbet improbis.

Deinde an teſtimonium conſcientiæ non eſt veriſſimum, quo omnes perſuaſi ſunt, Deum virtutem favore proſequi, peccatum odio habere naturaliter? Et an non eſt effectus odii, quod nos disjungat à re, quæ odio digna eſt? An ergo Deus tam neceſſariò non punit peccatum, quam neceſſariò virtutem amat, & probo favet? Præterea jubetne ratio virtutem laudare, peccatum vitio vertere? At illa laus, & ignominia ſunt ſpecies præmii & pœnæ. Et quemadmodum utrumque eſt neceſſarium, ita neceſſarium virtutem & peccatum præmio & pœna afficere. Deinde ſummum bonum non eſt noſtrum, niſi quando illud poſſidemus, & illud non poſſidemus, niſi in ipſo virtutis uſu: nam ſi illud gaudium & ſolatium, quod ex conſcientia recte factorum oritur, non eſſet hominis felicitas & beatitudo, ſequeretur inde creaturæ rationalis gaudium verum, & ipſi conveniens, extra virtutem eſſe poſſe; & gaudium cœleſte fore minus ſpirituale, & homini minus quadrans, quam illud, quod in hac vita ex virtute percipit. Præterquam quod ex hac ſententia ſequeretur, malis poſſe eſſe bene, & bonis male. Denique ſi fœditas à peccato ſeparari non poteſt, nec actualis pœna ab eo ſeparari poteſt: res enim conſiderata ut fœda, movet in nobis odium & fugam iſtius rei, quæ fœda eſt; quemadmodum res pulchra amorem ſui & proſecutionem. Omitto, quod confidentia ſemper conjuncta ſit cum virtutis ſtudio, & peccatum cum timore appropinquandi Deo.

Pariter elucet, quare tam alte inſidet omnium mentibus, in ultimo judicio, & illo tempore, quod inde in æternum decurret, nullum pœnitentiæ locum fore; ſed tunc unicuique diſtributum iri ſecundum ea, quæ fecerit bona aut mala; & quare ille ultimus dies, dies *judicii* vocetur: tunc enim vera juſtitia punitiva, exæquans pœnam delicto, tantum exeret ſuum effectum; & tunc tantum vera pœna obtinebit, quæ eſt occupata in ſatisfaciendo juſtitiæ Divinæ, cui nulla pœnitentia ſatisfacere poteſt; & cujus juſtitiæ punitivæ reſpectu pœnitentia, nec in hac vita, nec poſt hanc vitam, locum habet: ſed pœnitentia uſum ſuum habet tum in pœna humana, quia hominibus, in quorum gratiam & bonum, leges & pœnæ improprie dictæ, comparatæ ſunt, ſecuritatem & cautionem præſtat, pœnitentem facti & peccati ſui, in poſterum in idem peccatum non prolapſurum; nec ideo tamen præcedentem culpam eluit: cum etiam in pœna Divina improprie dicta, quæ obtinet in mundi gubernatione, quatenus cum vera eſt, vitæ emendationem in poſterum pollicetur; & eſt medium, ſine quo Deus homini remedium contra peccati pœnam, quod ex incomprehenſibili ſua miſericordia in Chriſto generi humano comparavit, uſui eſſe non vult. Sed poſtquam tempus gubernationis, qua Deus homines ut *viatores* conſiderat, elapſum eſt, jamque judicis proprie dicti perſonam ſuſcepit, nulla amplius pœnitentiæ ratio haberi poteſt, quia judicium exeretur ſecundum *legem*, quæ neceſſario fluxit à

Dei Sanctitate, qua quodlibet peccatum tam neceſſariò vindicatur pœnâ, quam cuilibet legi pœnæ comminatio additur. Et quemadmodum iſtius legis & juſtitiæ punitivæ reſpectu, pœnitentiæ ad averruncandum aliquid malum pœnæ, nullus eſt locus, ita etiam pœna caſtigationis, quæ in libera œconomia & gubernatione Divina, ut & in gubernatione humana publica & privata, quaſi utramque paginam facit, à Deo non uſurpatur, aut uſurpari poteſt in neceſſaria illa œconomia, qua, poſita creatura rationali, eidem legem perfectiſſimam præſcribere debet, & transgreſſorem juxta peccati magnitudinem punire.

Unde etiam manifeſtum eſt, legis præſcriptionem rationali creaturæ factam, non tam eſſe partem gubernationis, qua variis modis creatura rationalis ad finem, quem Deus ſibi propoſuit, perducitur, & quæ variis partibus temperata eſt; ſed eſſe impreſſionem imaginis ſuæ, & expreſſionem ſuæ Sanctitatis. Et hinc petenda ratio, quare non putatur in Deo crudelitatem eſſe, propter unum peccatum hominem æterna condemnatione & reatu teneri. In Dei regimine libero, & hominum gubernatione, id malum pœnæ crudelitatis nomine venit, quod ad prodendum exemplum, aut ad caſtigationis fructum obtinendum non eſt neceſſarium; & ideo vindictæ libidini litari, aut nihil aliud intendere in puniendo, quam malum illius qui punitur, inter homines peccatum graviſſimum eſt.

Sed quia naturalis illa œconomia Dei, à qua legis moralis præſcriptio profecta eſt, non eſt inſtituta, ut aliud bonum inde pararetur in puniendo, quam debiti per peccatum contracti ſolutio per pœnam, quam juſtitia, quæ à Dei Sanctitate procedit, poſtulat; ideo non magis crudelitas in Deo æſtimanda hæc naturalis Dei œconomia in infligendis pœnis, quam naturalis obligatio peccatoris ad pœnam propter peccatum. Nemo certe dixerit, Deum ideo crudelem vocandum, quia ratio recta & æterna in Deo requirit, ut peccatum pœna dignum putetur, & homo propter illud jure puniri poſſit, & ut revera aliquando puniatur; cum ex pœnæ inflictione, aut potius pœnæ comminatione, imo legis præſcriptione, Deo nullum felicitatis incrementum accedat, aut ulla in poſterum cautio paretur: quæ omnia, ſi in legis præſcriptione ab hominibus facta, abſint, tunc à crudelitatis nota vindicari non poſſunt. At Deus tam naturaliter judex eſt, quam eſt Sanctus: cujus in hominibus non eſt eadem ratio, ut in ſequentibus docebitur. Et ideo miſericordia Dei, reſpectu iſtius œconomiæ naturalis, exeri non poteſt ſine plenaria & proprie dicta ſatisfactione pœnali. Et quandoquidem juſtitia Dei punitiva conſiſtit in exæquatione pœnæ cum vitio morali, nullum mihi dubium eſt, quod non ſolum ſatisfactio fuerit neceſſaria; ſed quod, quantum ad ipſam pœnæ & ſatisfactionis formalem & intrinſecam rationem, Chriſtus tot cruciatus ſubire debuerit, quot Sacra Scriptura ipſum ſubiiſſe teſtatur: neque ſalutem nobis per alium impetrari potuiſſe. Nam quamvis Deo liberum fuerit peccatori non parare ſalutem, attamen poſita illa benevola voluntate erga genus humanum, non potuit illa aliter quam per Chriſti ſatisfactionem effectum ſortiri. At quemadmodum nos fugit, quis gradus pœnæ ſingulis peccatis ſit debitus, & quare talis aut talis pœnarum gradus illis à Sanctitate Dei neceſſariò conſtituitur, & quid proprie illa ſatisfactio pœnalis in ſe ſit; ſed tantum intelligimus per eam *ceſſare reatum, & nos immunes haberi à malis, quæ peccatum ſequuntur ex Dei juſtitia*: ita nobis non eſt datum accuratos, claros, & diſtinctos formare conceptus, quomodo hæc juſtitia Dei punitiva permittat ſubſtitutionem unius perſonæ pro alia: & meo judicio, illi omnes male inſiſtunt, qui facti illius poſſibilitatem aut impoſſibili-

bili-

bilitatem, æquitatem aut iniquitatem probare laborant argumentis petitis à juſtitia Dei *punitiva libera*, aut ab ea, quæ obtinet inter homines. Sufficit à priori, ut loqui ſolemus in ſcholis, probari poſſe, juſtitiam naturalem Dei requirere pœnæ exactionem pro delicto: & à poſteriori per Scripturam probari, nos omnes iſtius legis transgreſſores, adeoque ſub reatu eſſe; nos liberari ab illo reatu; Chriſtum per paſſiones ſuas illum reatum ſuſtuliſſe, id agens & præſtans, quod juſtitia Dei naturalis requirebat: *quod eſt ſatisfacere juſtitiæ Divinæ pro peccatis*. At quemadmodum proprie non poſſumus comprehendere, quid ſit Dei Sanctitas, & conſequenter, quomodo Dei Sanctitas *violetur* per peccata, & quomodo *illa violatio requirat pœnam*, niſi quatenus ſine pœna vitium morale eſſe non poteſt; ita non comprehendimus, quomodo illi juſtitiæ ſatisfit, quam quod per *malum pœnæ*, quod juſtitia punitiva requirit, id obtinetur, quod juſtitia naturalis punitiva Dei fieri jubet. Unde ex ipſa ratione probatur, (poſito & conceſſo, quod etiam ex Scriptura probatur, nos per paſſiones Chriſti liberari à pœna & reatu) paſſiones Chriſti habuiſſe rationem *pœnæ proprie dictæ*, quandoquidem impoſſibile eſt nos aliter à reatu liberari poſſe.

Porro quemadmodum nullæ rationes, deſumptæ à juſtitiæ Divinæ natura, reddi poſſunt, quare alius vice noſtra pœnam ſuſtinere non poteſt: ſicut nec reddi poſſunt, quare alius in ferenda pœna ſubſtitui poteſt; iſtius enim juſtitiæ naturam, quia infinita eſt, ſicut & ipſius Dei naturam, non comprehendimus: ſed ſolummodo ex Scriptura hic loquendum: ita meo judicio male inſtituunt rationes ſuas, qui ideam pœnæ Divinæ & ſatisfactionis mutuantes à natura debiti, aut a pœna humana, aut ab alia re finita, ab ea poſtea depromunt argumenta ſinguli pro ſua ſententia, in controverſia de Chriſti ſatisfactione: alii ſtatuentes Chriſtum pro omnibus mortuum, alii tantum pro electis: alii Chriſtum pro omnibus ſufficienter mortuum, non autem efficaciter: alii ſtatuentes mortem & paſſiones Chriſti ſufficere redimendis infinitis mundis: alii Chriſtum tantum ea paſſum, quæ pati debuit, ut juſtitiæ Divinæ ſatisfieret pro iis, à quibus per paſſiones ſuas avertit iram Dei. Solent ſinguli, quando de his controverſiis ſermo eſt, argumentari pro ſua ſententia, rationibus ductis à natura ſatisfactionis, quam quisque ex ingenio ſuo ſibi fabricat: alii conſiderantes culpam per peccatum contractam, tanquam debitum, alii tamquam reatum, qualis inter homines reſpectu juſtitiæ punitivæ humanæ obtinet. Et rurſus, prout quiſque ſibi imaginatur, naturam culpæ humanæ vel debiti pati poſſe hanc aut illam diſpenſationem gratiæ & gubernationis Divinæ, ita ad adverſariorum objectiones reſpondent, & ſuam ſententiam confirmant. V.Gr. qui univerſalem redemptionem & gratiam univerſalem negant, ſic argumentari ſolent: pro quibus debitum ſolutum eſt, illi abſolvi debent reatu: ſi ſolutum pro omnibus, ergo omnes debent reatu ſolvi, ergo omnes ſalvari; ſed quia omnes non ſalvantur, ideo ſtatuendum, pro omnibus non eſſe ſatisfactum. Vel ſi pœna pro omnibus eſt ſoluta, ergo omnes à pœna debent eſſe immunes, at omnes non ſunt immunes à pœna, ergo pro omnibus non eſt ſatisfactum; & ſi quæ alia ſunt argumenta à ratione petita, quæ pro ſua ſententia illi, qui ſatisfactionem univerſalem oppugnant, in medium adferre poſſunt. Sic ex adverſo alia argumenta pariter ex ratione deprompta illi, qui contrariam ſententiam defendunt, adferre poſſunt. Quamvis hic non definiam, utra duarum illarum ſententiarum verior ſit, id tamen aſſero, hujusmodi argumentandi rationes nullum pondus habere debere, quia ſunt deſumptæ ab idea rei, quæ longiſſime diſtat ab ea re, de qua agitur in controverſia;

verſia: ſed tantum agendum eſt argumentis petitis ex Sacra Scriptura. Ratio humana non exiguum uſum habet in rebus Theologicis, quemadmodum id liquet in exemplo, ſupra in medium adducto de ſacrificio & ſatisfactione pœnali; ſed id tantum uſu venit in rebus, quarum ideam habemus, & *quatenus* earum ideam habemus: multa enim *apprehendimus*, quæ tamen non *comprehendimus*; at nihil apprehendimus, cujus ideam non habemus in tantum, in quantum apprehendimus. De ſatisfactione Chriſti hunc tantum ex ratione conceptum formare licet: nempe paſſionibus Chriſti juſtitiæ Divinæ ita ſatisfactum, ut Chriſti pœnâ proprie dicta, omnes qui ſervantur, à reatu peccati liberentur: neque huic conceptui repugnat, quod Deus neminem alium hujus ſatisfactionis velit percipere fructum, quam qui credit, & ſancte atque inculpate vitam inſtituit. Neque etiam ex *conceptu ſatisfactionis* manifeſtum eſt, Deum id velle, ſed id totum ex Scriptura petendum.

Objicit vir doctus, eſſe quoddam familiare quibuſdam effugium, quando quaſdam difficultates ſolvere non poſſunt, confugere ad infinitam Dei naturam, & dicere eam à nobis comprehendi non poſſe; & multa ideo concedenda nobis, quæ explicare non poſſumus, neque etiam conciliare. Reſpondemus illud non eſſe effugium, ſed aptam reſponſionem innixam infinita Dei, & finita noſtra natura, quæ idonea non eſt ad comprehendendam rem infinitam; & ideo nos lumine naturali, & Sacra præeunte Scriptura, multa ſcire eſſe in Deo, eique attribuenda eſſe, quæ quomodo in Deo ſunt, explicare non poſſumus; ſed tamen illa Deo ineſſe aſſerimus: tum quia Deus eſt ens ſumme perfectum; & quia ea, quæ Deo attribuimus, perfectionem eſſe ſcimus: cum etiam, quia Scriptura perſpicue docet hoc & illud de natura Dei eſſe. V. Gr. eſſe *unum* tantum Deum, & tamen eſſe Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, qui ſubſtantia, natura, aut eſſentia non differunt; neque ſunt tamen naturæ Divinæ *proprietates* aut *accidentia*, *&c.* Quomodo autem hæc in Deo ſunt, nec concipere nec declarare poſſumus. Quid vir doctus dicet de decretis Dei liberis, quæ tamen ſunt æterna, neque ulla mutatione Deum afficiunt? Quid de Dei potentia, & quomodo ea in creaturis & circa creaturas operetur, ſeſeque exerat? Quid de Dei voluntate & intellectu, quomodo nempe Deus velit & intelligat, nec illi tamen novi actus accidant, aut adveniant? Quid de Dei ſanctitate, cui non repugnat, ſicut ex effectis & eventu diſcimus, permittere aliquod peccatum, quod impedire in Dei erat poteſtate; cujus permiſſionis cauſa nulla alia inveſtigando ab hominibus percipitur, quam liberrima Dei voluntas, qua decernit fieri & exiſtere, quicquid ſibi complacitum eſt: nulla utilitate aut ſpe commodi ductus, quia ab æterno perfectiſſimam felicitatem poſſidet. Concilient efficacem Dei providentiam in prophetiarum prædictionibus adimplendis cum libertate voluntatis. Porro inde manifeſtum eſt, nos non poſſe intimam rationem, & intimam naturam juſtitiæ Divinæ comprehendere; quod ſi operam ſumas ad formandum de iis aliquos conceptus, non invenias ubi pedem figas: nam & ipſi adverſarii concedent, juſtitiæ Divinæ rationem eſſe diverſam à juſtitia punitiva humana, cum in illa nec exemplum, nec illati damni reparatio, nec cautio profutura in futurum valeat, à quibus tamen pœnarum æquitas & modus in juſtitia humana petitur. Neque adverſarii poterunt vel rationis ſimulacrum reddere, quare arbitrentur reatum cum debito civili conferendum eſſe: ubi creditori licet debitum condonare, aut efflagitare ejus ſolutionem ex arbitrio; ſed hoc comminiſcuntur, ut theſin ſuam & ſuſceptam opinionem tueri poſſent. Licet equidem aliquam ſimilitudinem

dinem & comparationem in medium adferre, qua rem illuſtrari poſſe arbitramur; ſed cavendum, ne eo uſque eam extendamus, ut ea aliquid confici videatur, quod aut perfectioni Dei, aut ei repugnat, quod ſacer textus nos de juſtitia Dei docet. Si autem per debitum intelligant *debitum pœnale*, ultro largiuntur quod poſcimus; & ex natura juſtitiæ Divinæ probatum dedimus, reatum ſine pœnæ ſolutione tolli non poſſe: aut cedant adverſarii tertiam vindictæ ſpeciem, & ejus naturam & rationem nobis explicent, & ex ea confirment juſtitiæ illius naturam permittere, peccatum impune committi poſſe, & probos juxta ac improbos eundem poſſe manere exitum; improbos ſibi æque placere quam probos, & erecto animo eſſe poſſe ex conſcientia bene-actæ vitæ, quo tota felicitas præſentis ac futuri ſeculi continetur; ſicut in diſplicentia, conſcientiæ vermis, ac animæ mors. Sed mihi tantum de eorum integritate promitto, ut eos nunquam id ſuſcepturos arbitrer. Quod ſi dicant intellectum, voluntatem, decreta, potentiam, ſanctitatem, juſtitiam & reliqua attributa non aliter concipienda eſſe in Deo, quam in nobis eſſe putantur, hoc eſt, cum aliqua imperfectione; nonne hoc eſt omnem religionem tollere? Nam ſi mihi liceat concipere Deum cum aliqua imperfectione, aut cum perfectione limitata, quæ tantum cognoſcitur ex cognitione majoris perfectionis,& cujus reſpectu limitata perfectio imperfectionem arguit; quidem mihi licebit alias ſuper alias imperfectiones Deo attribuere; quia Deus non has aut illas imperfectiones habebit; quia Deum aut ejus attributa concipere non poſſumus niſi cum aliqua imperfectione: ſed quia illæ imperfectiones in Deo ſunt, ideo ita concipiuntur. Quidni ergo infinitæ aliæ imperfectiones in Deo eſſe poſſunt, ita ut etiam ejus natura infra hominis naturam deprimatur: præterquam quod inde ſequeretur Deum certam naturam non habere. Eſt itaque candida & vera reſponſio, docere rem in Deo eſſe, quia ratio & Scriptura eam in Deo eſſe docent, Deumque eâ carere non poſſe ob ſummam ſuam perfectionem; & tamen ſimul concedere, nos concipere non poſſe, quomodo in Deo ſint; & negare ullam argumentationem formandam eſſe aut formari poſſe ex modo, quo in Deo ſunt, & quem percepiſſe aliquis ſibi falſò perſuadet: docere Deum neceſſariò punire peccatum, talemque juſtitiam in Deo eſſe, non tamen poſſe explicare, quare unumquodque peccatum talem v. g. pœnæ menſuram mereatur: iſti juſtitiæ per alium, qui non peccavit, poſſe ſatisfieri, unum poſſe ſatisfacere pro pluribus. Sicut propter eandem rationem diximus, non recte argumentari ex natura ſatiſfactionis Chriſti, eos non poſſe perire pro quibus ſatisfecit, aut contra, eos perire poſſe: dicentes vim argumentorum ex natura juſtitiæ Divinæ, cujus rationem & modum eouſque non intelligunt, ut iis ita argumentari liceat; non magis quam intelligunt modum & rationem, qua Deus certò exequitur, quæ ab æterno decrevit abſoluto decreto, per hominis liberum arbitrium ad exitum perducere. Et faciat quivis periculum, experietur ſe mutuari ſuum argumentum aut à debito, aut juſtitia Dei punitiva arbitraria, aut ab alia re, quæ longe ab illa juſtitia, de qua jam agimus, diverſa eſt. Et ſi mentem ad veram Dei juſtitiam convertat, percipiet ejus rationem, utpote infinitam, ſibi eſſe incomprehenſibilem: non minus quam Divinæ intellectionis & voluntatis ratio ipſi eſt incomprehenſibilis; quamvis clare intelligat *intellectum* & *voluntatem* in Deo eſſe.

Sed perſequamur reliqua. Non eſt itaque verum, Deum in ultimo judicio pœnas inflicturum peccatoribus propter *veritatem*, non autem propter *juſtitiam punitivam*. Fuêre inventi, qui de ira & vindicta humana bene accurateque differentes,

tes, & videntes illam ſpectare tantum exemplum & correctionem, eamque iræ Divinæ ſimilem putantes, exiſtimarunt Deum in ultimo judicio non punire propter iram, hoc eſt, propter juſtitiam ſuam punitivam, (in ultimo enim judicio nec correctioni, nec exemplo locus eſt futurus, quæ duo pœnam humanam legitimam conſtituunt, & ſine quibus nulla juſtitia humana in exigendis pœnis ſupereſt) ſed propter veritatem. Quamvis enim id ſtatuere non ſit impium, eſt tamen longe à veritate alienum. Deus equidem veraciſſimus eſt: ſed comminatio legi addita à rectore, & gubernatore, aut Domino tali, à quo juſtitia arbitraria proficiſcitur; & cujus reſpectu pœna arbitraria Divina ſimilis eſt pœnæ humanæ, non habet rationem dictionis teſtimonii de eo, quod fiet; ſed de eo, quod jure fieri poteſt, & fortaſſe fiet, niſi ſibi caveant. Qui itaque iram Dei naturalem, cum ira Dei arbitraria aut humana confundunt, & unam eandemque eſſe arbitrantur, aberrant in argumentando, exiſtimantes *veritatem* Dei requirere pœnarum inflictionem: ubi enim non eſt dictio teſtimonii de aliqua re, ibi veritas non requirit rem illam præſtari. At reſpectu juſtitiæ naturalis Dei, pœna legi morali addita, non habet rationem comminationis, ut nec declarationis ejus, quod jure fieri poteſt; ſed ejus quod *fieri neceſſe* eſt, & quod juſtitia reipſa fieri *imperat*. Pœna itaque legibus humanis addita, habet rationem comminationis talis, *ut Supremus dominus* nec propter veritatem, nec propter juſtitiam teneatur progredi ad comminationem re ipſa exequendam, ſi peccatum fuerit commiſſum: ſi enim arbitretur, pœnæ executionem redundaturam in perniciem Reipublicæ, vel ſibi nullum fructum inde oriturum, ex jure & æquo à pœna temperat. Et cum nulla fraus committitur, non peccatur adverſus veritatem: at pœnarum comminationibus legiſlator non teſtatur, ſe ſemper reipſa pœnam inflicturum. Non itaque recte quoſdam Theologos argumentari arbitror ex *Gen.* 2: 17. *morte morieris*; Adamum ideo proculdubio morte mulctandum fuiſſe, ut ſc. comminationi factæ ſua conſtaret veritas. Nam, ſicut ſupra diximus, legiſlatoris voces, intentantes pœnam, non teſtantur pœnarum inflictionem reipſa præſtandam, ſi in legem peccetur. Sed cum Scriptura docet, mortem æternam fore pœnam peccatoribus in ultimo judicio, mortis comminatio neceſſariò effectum ſuum ſortitur, non tam propter Dei *veritatem*, quam propter Dei *juſtitiam punitivam naturalem*. Et ideo, quoties conſtat in comminatione pœnarum non agi de pœna, quæ à juſtitia Dei naturali, ſed quæ à juſtitia Dei punitiva arbitraria proficiſcitur; & ex eventu conſtat pœnarum irrogationem, juxta comminationis formulam, non fuiſſe factam, non eſt laborandum quomodo veritas Dei illibata maneat: veritati enim tantum oppoſita eſt falſi teſtimonii dictio, juxta legis præceptum, *non dices falſum teſtimonium*: cum enim verba comminationis non teſtentur legiſlatorem reipſa pœnam inflicturum, non eſt falſitatis reus coarguendus, ſi à pœna ſuperſedeat. Rem totam uno exemplo illuſtrabo: *Joh.* 6: 5. Chriſtus cum ſe ſuſpenſum & animi dubium fingit, quomodo multam turbam, quæ ipſum ſequebatur ad montem uſque, quem ſubiit, cibaret, cumque ita Philippum alloquitur, *unde ememus panes ut edant iſti*, non dixit falſum teſtimonium; quamvis à Spiritu Sancto addatur, *Chriſtum hoc dixiſſe Philippo, ut ipſum tentaret*; *ipſe*, *Chriſtus nempe*, *ſciebat quid eſſet facturus*. Non dixit autem Chriſtus falſum teſtimonium, quia illa fictio, animum dubium aut anxium ſimulans, exiguo tempore inter homines uſurpata, non habet rationem dictionis teſtimonii, nos reipſa animi dubios eſſe: ſed in uſu & conſuetudine vitæ

civilis,

civilis, diverſam ab ea rationem habet.

Porro quemadmodum vindicta à juſtitia Dei naturali proficiſcens, eſt neceſſaria; ita & gradus pœnarum ſunt neceſſarii: hæc enim juſtitia exæquat pœnam delicto; eique non minus repugnat magnum peccatum pœna, æqua proportione delicto non reſpondente, punire, quam non punire. Quemadmodum tam pugnat cum juſtitia commutativa, (cui hæc juſtitia Dei, de qua jam ſermo eſt, magis conſentit, quam juſtitiæ Dei punitivæ arbitrariæ, aut juſtitiæ punitivæ humanæ) partem debiti tantum reddere, quam totum abjurare.

Juſtitia Dei punitiva arbitraria, quæque in mundi gubernatione obtinet, ſæpiſſime graviſſimos peccatores impunitos demittit, & minores multis malis & caſtigationibus exercet: & juſtitia punitiva humana peccatum leve, ſi nempe *vitioſitatem moralem* ſpectes, gravi ſupplicio jure vindicat; verbi gratia, excubias agentem, & ſomno ſe opprimi patientem, ultimo ſupplicio, propter ſumma pericula, quæ Reipublicæ imminent per illam ſocordiam. At juſtitia Dei punitiva naturalis, quandoquidem nec bonum nec malum futurum ſpectat, nec Dei *arbitrio*, nec occultis providentiæ Divinæ regulis, à Deo ex ſuo beneplacito inſtitutis, nititur; ſed naturali Dei Sanctitate, pœnarum gradus gradibus vitioſitatis moralis attemperat: et ideo tam gravis pœna ſingulis peccatis ſub V. T. quam ſub N. eſt propoſita. Nec mihi placet eorum ſermo, qui dicunt, vel unicam ſanguinis guttulam Chriſti ſufficere potuiſſe redimendis infinitis mundis. Non equidem urgeo pœnarum formas, quas Chriſtus ſubiit, profectas à juſtitia Dei naturali; ſed magnitudinem pœnarum ab illa profectam, planè mihi perſuadeo, propter rationem jam traditam.

Cæterum, quod ſupra diximus, Deum reſpectu gubernationis arbitrariæ Divinæ, eos multis ſæpè malis exercere, qui minus peccarunt, imò eos ſibi maximè dilectos eſſe, quos ſeverius caſtigat, ut ita bonam frugem meditentur, & in fide & patientia ſe exerceant; atque ita veram pœnam effugiant in ultimo judicio: inde primò apparet, veriſſimum eſſe quod ſupra indicavimus; nempe *legiſlationem & pœnarum comminationem à juſtitia Dei naturali profectam*, non eſſe aliquam gubernationis partem, qua Dominus & gubernator mundi finem aliquem *liberè* ſibi propoſitum, aſſequi per liberas creaturas decrevit, & in qua gubernatione multa ſe produnt, quæ obtinent in gubernatione humana: ſed illam legiſlationem, & pœnarum comminationem, potius eſſe naturalem quandam ſequelam conſtitutionis *rationis*, aut potius creaturæ rationalis; quam conſtitutionem ſequitur, vel potius qua conſtitutione continetur & omnis *moralitas*, & neceſſaria præmii & pœnæ diſtributio: & ideo non quærendum, quid Deus ſibi propoſuerit, cum legem moralem menti hominum indidit? atque ita ei legem tulit? Aut quare puniat homines? Aut quomodo crudelitatis notam effugere poſſit, quod legem dederit, in quam ſi quis ſemel peccat, reus conſtituitur mortis; & à quo reatu liberari non poteſt, niſi ipſe peccator aut Chriſtus pro eo pœnam, delicto debitam, ſubeat? Hæ enim eo reſponſo ſolvuntur, quo ſolvitur quæſtio, quarè Deus ſit neceſſariò Sanctus? Aut quarè omnis actus ſit neceſſariò bonus aut malus? Vel (quod à quæſtione propius abeſt) quare Deus hominem creaverit? Hæc enim naturali neceſſitate ſequuntur conſtitutionem naturæ humanæ. Sed præcipuè ex ſupradictis notandum venit, quod pœna profecta à juſtitia naturali Dei, non poteſt *conſiſtere cum amore Dei*; ſed ſemper cum odio illius, qui punitur, conjuncta eſt. Deinde quod pœna à juſtitia Dei *arbitraria* procedens, aut etiam pœna humana amori oppoſita non ſit; & ideo poſteriores has pœnas non eſſe

propriè *vindictam & iræ effectus*, atque ita charitati non repugnare: ſed *pœna illegitima humana*, orta à vindictæ libidine, & tantum ſibi proponens malum illius qui punitur, in eoque finiens, potius *pœna & vindicta* vocanda eſt; quæ etiam cum illius amore, de quo vindicta ſumitur, non poteſt conſiſtere: & quam ideo Deus tam in V. quam N. T. prohibet, & ab hominibus exerceri non vult; ſed eam ſibi vindicat, ſibique propriam eſſe dicit. Præterea id ex ſupradictis notandum: cum Deus dicitur *odiſſe malum*, id innuit Deum odiſſe *peccatorem*, quia non datur *malum morale*, niſi in ordine ad creaturam liberam: homines equidem dicuntur odiſſe malum & peccatum hominis, non autem hominem ipſum, quia non habent jus pœnarum propriè dictarum; nec ideo jus habent proximum odio proſequendi. Inter homines autem *odiſſe peccatum*, nihil aliud eſt, quam *judicare* actum quendam moralem vitioſum eſſe, & à Deo *puniendum*. At in Deo, *odiſſe peccatum* eſt peccatorem *punire ex ira*, intenditurque ſemper per eam peccatoris malum. Non enim reſpicit correctionem aut exemplum, aut aliud quippiam, quod refertur ad bonum ſocietatis, ſed reſpicit peccatoris malum ut ſolutionem debiti. At in pœnis humanis judex in ipſa pœnę irrogatione, reum amare tenetur, illiuſque bonum omnibus modis quærere: nam malum, quod patitur reus in ſubeunda pœna, non ideo infligitur à judice terreno, quia *illi male vult*; vel quod à reo aliquid ſit perpetratum, quapropter *vindictæ libidine* in eum exardeſcit; nec exigit pœnam, ut *vindicans* aliquid mali in reo, ſed ut *propulſans* à ſe & Republica malum, per quam propulſationem ad reum *per accidens* malum ſequitur: & ita judex terrenus non eſt judex aut *vindex mali moralis*; ideoque dicitur peccatum odiſſe non peccatorem; & poſſumus ex animo illi condonare, quem reipſa punimus, ſicut id inter Chriſtianos ita obtinet; & nihil apud judicem terrenum eſt uſitatius, quam reum punire, & tamen eidem condonare culpam & offenſionem privatam, propter quam metuit reus, ne judex alienum à ſe habeat animum; ſuiſque ſtudiis, votis & precibus minus cupide pro ipſo apud Deum intercedat pro condonatione pœnæ veræ; & cujus exactionem Deus ſibi propriam conſervavit, quæque nihil commune habet cum pœna humana. Et minus attenta hujus rei conſideratio, Mennonitis cauſa erroris extitit, quo arbitrantur omnem humanam vindictam, & vim coactivam à Chriſto prohiberi, eamque charitati Chriſtianæ oppoſitam eſſe. Sed de iis fuſius in ſequentibus.

Ex his etiam apparet eos diſſentanea loqui, qui veram ſatisfactionem pro peccatis præſtitam agnoſcentes, tamen negant Chriſtum *iram* Dei tuliſſe. Mitto nugas de purgatorio & ſatisfactione humana, qua Doctores pontificii, juſtitiæ divinæ naturali poſſe ſatisfieri, putant. Sed potiſſimum ex hac doctrina elucet error eorum, qui per opera nos juſtificari putant, aut *acceptilationem* introducunt. Implicat in noſtro conceptu, alicui vitam æternam, quæ tantum præmium eſſe poteſt perfectæ obedientiæ, (includit enim atque complectitur conjunctionem cum Deo, quæ ſine ſummo Dei amore eſſe non poteſt) propter opera imperfecta largiri, cum quodlibet peccatum nos æternæ pœnæ reos faciat. Poſſem ad hanc veritatem ferme omnes fidei articulos revocare; & manifeſtum facere, vix ullum integrum & ſincerum manere, quando erratum eſt in doctrina de juſtitia Dei punitiva, & de ſatisfactione pro peccatis: ſed applicationem hujus doctrinæ lectoris induſtriæ relinquimus.

Exiſtimamus, hac occaſione non prætermittendam diſquiſitionem de magnitudine virtutis & peccati, reſpectu juſtitiæ Divinæ naturalis: ut ita conſtet, quale de virtutibus & peccatis judicium

ſit ferendum; & ut ſemel enodetur controverſia illa, *unde nempe pretium virtutum in hac vita petendum ſit*; quæ meo quidem judicio nunquam dignè tractata fuit: quapropter etiam multæ quæſtiones utiles & momentoſæ tenebris involutæ jacent, quæ à dicta controverſia rectè explicata, inſignem lucem mutuari potuiſſent. Puto itaque me aliquid operæ pretium facturum, ſi incumbam in hac controverſia enucleatius tractanda.

Virtutis formalis ratio conſiſtit in conformitate actionis liberæ cum lege Dei: vitii ex adverſo ratio formalis conſiſtit in diſconformitate actionis liberæ cum lege Dei, 1 *Joh.* 3: 4. Naturam voluntatis, à qua actio libera ſuam naturam habet, ſi ſpectes, ea in individuo conſiſtit, nec decrementum aut incrementum admittit; & ideo omnes actiones liberæ æquè liberæ ſunt in terra, ſicut & in cœlo. Hæc alibi ſuſius expoſuimus, unde lector ea petere poteſt, ſi ducat operæ pretium. At quamvis actiones liberæ in gradibus libertatis ſibi invicem ſint ſimiles, non tamen omnibus creaturis liberis, omni tempore & loco, æquè proclive eſt, ſingularem aliquam virtutem aut ſingulare aliquod vitium exercere. Angeli & animæ glorificatæ degentes in cœlis, non tantum ſine ulla lucta, pugna aut conatu, alacritate ſumma, & ſtudio prono quaſlibet virtutes æque alacriter expediunt, ſed eas etiam exerunt ſine ulla abnegatione & renunciatione propenſionum, aut inclinationum naturalium *bonarum*. Chriſtus quidem non minori alacritate & promptitudine omnes virtutes exercuit, quam angeli; ſed non ſine abnegatione multarum inclinationum naturalium *bonarum*, à qua abnegatione Chriſto orta moleſtia in virtutis ſtudio: ſæpe contigit Chriſto in præſtanda patri obedientia, famem & ſitim pati, labores ſubire, inimicorum tela in ſe admittere, &c. & ideo Chriſtus conſiderandus ut *viator*, & conſtitutus in ſtatu *merendi aliquod præmium*. Adamus ante peccatum, & ante animi ægritudinem peccato contractam, ſicut peccare potuit, ita potuit à malo tentari, & peccati illecebris moveri; opus itaque habuit curâ, ſtudio & diligentiâ, ne à peccato circumveniretur: & in hoc rurſus à Chriſto differt, *qui à malo tentari non potuit*, atque ideo in Chriſto talis cura & ſollicitudo non fuit. Adamus rurſus in ſtatu integritatis conſtitutus, virtutem exercuit ſine moleſtia ea, quæ oritur ex abnegatione inclinationum naturalium; unde corporis dolor, moleſtia & triſtitia. Pretium itaque virtutis in Adamo integro & viatore, non petendum ab eo, à quo à Chriſto petitur, ſed à cura & ſollicitudine vitandi peccatum. Poſt perpetratum peccatum, & poſt contractam labem originalem, pretium virtutis in Adamo & ejus poſteris, æſtimandum ex cura & ſollicitudine vitandi peccatum, & etiam ex abnegatione inclinationum naturalium.

Porro notandum, quod etiam ſupra indicavimus, magnitudinem bonitatis aut vitioſitatis moralis non æſtimari ex magnitudine commodi aut incommodi, quo aut is afficitur qui legem tulit, aut is, in cujus utilitatem & bonum virtutes imperantur, & vitia prohibentur. Inter homines pœnarum magnitudo attemperatur hujuſmodi incommodis: at Deus ex noſtris virtutibus felicitatis incrementum non capit, neque ex vitiis noſtris aliquid damni, quia ſummè beatus eſt, & cui nihil deeſt, *Act.* 17: 26. *Job.* 22: 2. Nec tulit Deus legem moralem, ut ſibi aut aliis aliquid boni ex legiſlatione pararet, aut malum propulſaret, ſed quia poſita rationali creaturâ, neceſſitate naturali lex moralis ponitur. Ideo non tam in aliquem finem legem tulit, quam quod conſtituendo creaturam rationalem, ſimul legem moralem conſtituit: eſt enim lex moralis de intrinſeca natura *rationis* Inde eſt, quod cultus noſter *rationalis cultus* vocetur, *Rom.* 12: 2. Et doctrina gratiæ, qua

qua vivimus & alimur, *lac rationale*; & *rationales*, qui rectè agunt, *inſipientes & mente corrupti*, qui peccatis ſe tradunt. Hæc cum ita ſe habeant, dubium ſe offert, *unde petenda ſit menſura peccatorum & virtutum*. An omnia peccata erunt æqualia, quia omnia eodem modo Sanctitati Dei repugnant? An potius virtutis & peccati æſtimationem accerſemus, ex majore vel minore proclivitate ad quaſdam virtutes & vitia, vel an aliunde potius? Has difficultates ſic expediendas arbitramur.

Primò, ſtatuendum promptitudinem & alacritatem in obſequendo, virtutem non tollere, neque eam minuere, ſed augere. Secundò, multo minus naturam virtutis tollit ſublatio *indifferentiæ*; quando homo per Dei gratiam, & donorum magnitudinem ita eſt confirmatus in bono, ut ad malum, non tantum ratione Divinæ præſcientiæ, ſed ratione præſentis gratiæ & perfectionis naturæ, nunquam ſit incubiturus. Res hæc eſt manifeſta in ſanctis Angelis, Spiritibus glorificatis, & domino noſtro Jeſu Chriſto, quos Deus ad tantam ſanctitatem extulit atque evexit, ut omni tentatione ad malum ſuperiores conſtituti, & à peccandi metu liberati, non opus habeant hujusmodi precibus Deum ſollicitare ad perſeverandum in bono, quæ proficiſcuntur à metu periculi non perſeverandi: quamvis neceſſe habeant agnoſcere ſuam dependentiam à Deo ſuo.

Tertiò notandum, etiamſi *ratio recta*, quæ legum fundamentum eſt, nunquam mutetur, maneatque virtus ſemper virtus; quaſdam tamen virtutes ceſſaturas poſt ultimum judicium, ut & vitia; quia deſinent quidam reſpectus & circumſtantiæ, à quibus virtutum materia naſcitur. Scriptura id diſerte teſtatur, 1. *Cor.* 13:8. & ratio evincit: non enim caſtitas, aut ſobrietas in vita beata locum habere poſſunt, in qua nec editur nec bibitur, nec generatio futura eſt, 1. *Cor.* 15:44. & ſequentibus. *Matth.* 22.

Quartò, quemadmodum propter varietatem circumſtantiarum quædam virtutes ceſſant, ita propter quaſdam circumſtantias, (quæ etiam ſtatum hominis mutant) virtutes aliæ aliis majores ſunt in quodam hominis ſtatu, quæ alioquin in alio ſtatu pares ſunt. Rem clarius exponam. Diverſus hominis ſtatus eſt, *gloriæ* ſtatus & *viatoris*: ſtatui gloriæ inter alia hoc proprium eſt, ut *merito* illic nullus locus ſit: per *meritum* intelligo non ſolum meritum propriè dictum, quando *ex juſtitia operanti debetur præmium*, ſed per meritum etiam intelligo omne commodum, quod operanti *juxta leges ſtatus viatoris* accedit propter opus bonum: quale eſt approbatio Dei, & ſpes conciliandi ſibi Dei favorem, & incrementum gratiæ parandi; imo obtinendi ſalutem, ſi virtutis via graſſari pergat. Eſt autem hujuſmodi merito nullus locus in ſtatu gloriæ, non tantum quia glorificati adepti ſunt coronam; ſed quia ſunt extra illum ſtatum conſtituti, quo in virtutis exercitio ſæpe opus eſt moleſtias, & animo adverſa ſubire. Poteſt enim aliquis conſiderari, ut vivens vitam ſanctam extra moleſtiam, nec tamen ut adeptus coronam: talis enim is eſſet, qui nunquam viatoris perſonam ſuſtinuiſſet. Nec video, quare non liceat creaturam rationalem ita conſiderare, nempe ut productam à Deo cum cumulo omnium perfectionum, quas glorificati & præmio affecti ſancti poſſident. Porro per moleſtiam non intelligo luctam illam, quæ omnibus regenitis propter peccati reliquias, uſque ad ultimum vitæ ſpiritum adeſt: nam hujuſmodi corporis peccati motus non neceſſariò viatori adſunt, ſicut liquet in Adamo integro & in Chriſto. Neque per luctam intelligo metum deficiendi in curſu, aut labendi in peccata; nam quamquam illa multis viatoribus inſit, & ſtimulum precum, curamque atque ſollicitudinem addat, unde in prudentia ſpirituali egregios progreſſus faciunt; & à vitiis abſtinentes,

tes, firmi contra tentationes fiant; virtutemque altius menti inſidere, atque inhæreſcere faciant; ille in viatore tamen virtutis pondus, ad quod inveſtigandum tota oratio nunc dirigitur, non auget: ſed per moleſtiam intelligo abnegationem naturalium, & in ſe non malarum propenſionum, quæ non niſi cum dolore & triſtitia abjiciuntur, à quibus cum natura abhorreat, mallet non conſtitui in hujusmodi circumſtantiis, propter quas multa acerba ſubire debet, ſi in virtutis ſtudio pergere velit. Ita appetitus edendi, bibendi, vivendi & generandi ſunt naturales, non mali, quibus ſicuti natura delectatur, & quæ dulcedinis ſuæ recordatione, mentem ſuaviter & dulciter movent; memoria autem doloris & triſtitiæ, in quæ mens incurrit, ſi iis uti non licet, abſterretur ab iis aggrediendis propter regnum cœlorum, quæ iſtis appetitibus obſiſtunt. In his itaque appetitibus ſuperandis, dolor & moleſtia homini obrepit, quæ alacriter omnis probus, nullo modo ſecum diſputans, utrum officio ſuo fungetur, (quæ vacillatio peccatum eſt) ſubit: quæ alacritas tamen dolorem & juſtitiam, quæ in exerendis iſtis virtutibus occurrunt, non tollit. Talis pugna fuit in Adamo integro ſine peccato: & quandoquidem adhuc integer erat, & tamen ei operandum erat ut coronam juſtitiæ obtineret, labor in operando proficiſci non poterat à peccati illecebris, ſed à bonis naturæ inclinationibus. Fuit etiam in Chriſto, quando famem, ſitim, itinerum labores, contumelias, injurias, mortem & iram Dei ſuſtinuit propter nos, ut nos, Deo ſatisfaciendo pro noſtris peccatis, reconciliaret. Et ideo Scriptura teſtatur Chriſtum in omnibus fuiſſe tentatum, excepto peccato: dolores & triſtitia ſubegerunt Chriſtum gemitus, lachrymas & querelas, imo preces fundere: quas effudit, non certe ut liberaretur à peccati illecebris, aut ne induceretur in tentationem; quod de Chriſto cogitare impium mihi videtur: ſed ut conſolationem acciperet, & acerbitatum ſenſus interno ſpirituali gaudio, ut ita dicam, mitigarentur. Imo etiamſi Chriſtus jam ad omnia, quæ Deo Patri pro nobis ſe facturum eſſe receperat, ſubeunda paratiſſimus & inſtructiſſimus eſſet, omniſque ipſi alacritas ſine ulla hæſitatione adeſſet, & proculdubio in ſuſcepto munere cum lætitia & animi tranquillitate acquieverit, non ideo tamen dolor, & triſtitia, & ærumnarum ſenſus adeſſe deſit; neque ideo naturales inclinationes fuere extinctæ, ut mens iis non afficeretur. Eſt enim id inde manifeſtum, quod precatus ſit, *Pater ſi velles transferre poculum hoc à me*: quæ precatio non continet voluntatis Chriſti declarationem, ſed animæ ſuæ dolorem naturalem: ſtatim enim ſubjungit; *verum tamen non mea voluntas, ſed tua fiat*, *Lucæ* 22:42.

Dicimus itaque ex hujuſmodi difficultatibus, quæ in decurrendo virtutis ſtadio occurrunt, naſci virtutis differentiam *in gradibus*: ab his difficultatibus viatoris ſtatum ſejungi non poſſe: ab iis meritum, in ſenſu ſupra jam tradito, dependere: ſine his difficultatibus omnes virtutes magnitudine pares eſſe: in cœlo illas abeſſe; ideo viatoris perſonam omnes glorificatos depoſuiſſe; neque ullo merito ibi locum eſſe, virtuteſque illic pares eſſe. Et ſicut pugna & labor ex inclinationibus naturalibus fluens, pretium virtuti addit; ita lucta, quæ ex pugna carnis corruptæ & ſpiritu oritur, virtutis meritum imminuit. Per inſignem errorem hanc luctam haſque moleſtias confundi cum libertate indifferentiæ, quam ad rationem viatoris & meriti requiri putabant: cum tantum difficultates, quales jam recenſuimus, requirantur, ut viatoris perſonam quis ſuſtineat; & virtutis exercitio operanti aliquid boni accedat, juxta leges ſtatus viatoris: quod, ni fallor, Patres voce *meriti* indigitare voluerunt. Fuerunt plurimi in Chriſtiana

Eccle-

Eccleſia, qui exiſtimarunt *indifferentiam voluntatis* requiri ad ſtatum viatoris: erat enim hoc eorum menti quaſi impreſſum, labore, & conatu opus eſſe ad *merendum.* Neque omnes, ut ex ſupra dictis liquet, animo falſi fuere; ſed eorum error in eo extitit, quod iſtum laborem & conatum retulerint ad *indifferentiam*: quem errorem adhuc cumularunt iſtis cogitatis, quibus putarunt virtutis pretium imminui in iis, qui ea gratiæ menſurâ præditi erant, ut omnia virtutis officia alacriter, & ſine hæſitatione aut vacillatione explerent. Impoſuit illis non bene percepta diſtinctio inter gratiæ magnitudinem, qua nos in omni virtute promptos & expeditos præſtamus, & inter virtutis ſpeciem, quæ ſine difficultatibus exeritur. Copia gratiæ, & quæ ex ea oritur alacritas, virtutis valorem intendit: denotat enim mentem totaliter Deo devotam, ſine ulla aliquarum facultatum repugnantia, juxta legis præſcriptum; *amabis Deum tuum ex toto corde, & omnibus tuis viribus.* Præterquam quod res ſuâ abſurditate ſe ipſa confutet, illius nempe opera Deo minus grata eſſe, illaſque virtutes minores, quas probus ſanctitate provectiore exerit, operibus illius, qui in principiis adhuc conſiſtens, propter veteris hominis vires, non ita toto corde ſe ad Dei mandata flectit. Chriſti virtutes ideo minores fuiſſe, quia ſupra conſortes unctus, & ab omni peccati labe immunis, nullis animæ facultatibus reluctantibus, virtutem coluit. At actio ſecundum legis normam quidem edita, ſed quam ultra quaſi naturales inclinationes effundebant in *viatore*, recte minoris pretii putatur eſſe; quia ſine difficultate edita, minus in ea eſt illa animi altitudo, qua homo à corporis indulgentia obſequioque decedens, reprimit & contundit naturales ſuos appetitus & impetus, ac ſe ipſum odit propter Deum; & ita à ſe ipſo divortium faciens, Deo totum ſe tradit. Et ideo *martyrium*, & heroicæ virtutes in tanto apud Deum pretio ſunt: eapropter fides tantopere Deo placet, in qua cum omnia deficiant, quibus ratio naturalis incumbere conſuevit; & quibus ſpem alere uſus in vita humana docuit, homo tamen contra ſpem ſub ſpe credit, *Rom.* 4:18. 2 *Cor.* 1:9. *Heb.* 11. toto capite. Ex adverſo, quid magnopere extollendum ſe prodit, ſi edamus & bibamus ut vitam ſuſtentemus: ſi eos diligamus, qui nos diligunt: ſi liberales erga eos, à quibus mutuum exſpectamus: ſi operam demus, ut liberis bene ſit; eos diligamus, iis opes & hæreditatem parare ſtudeamus: ſi Eleëmoſynam ex affluente bonorum copia pauperibus impertiamur: ſi ſtemus promiſſis, & præſtemus ea, quando providemus nullum nobis inde oriturum damnum: ſi grato animo accipiamus Eleëmoſynam. Certe Chriſtus & Apoſtoli tam clare teſtantur, virtutum gradus in ſtatu viatorum, ex hoc fundamento petendos, ut quem ratio non moveat, ei Scripturæ authoritas perſuaderi debeat, *Matth. cap.* 5. per totum caput. *Marc* 12:44. *Hebr.* 11. toto capite: ſed fruſtra eſt hic plura teſtimonia adducere, cum res ſit notiſſima.

Porro quemadmodum æſtimatio de virtutum gradibus hoc fundamento nititur, ita contra æſtimatio peccatorum petenda à majori vel minori *declinatione*, & aberratione ab his naturalibus inclinationibus: quanto enim magis contra eas itur, tantis majoribus auctibus creſcit moralis vitioſitas in actionibus liberis; indicat enim majorem Numinis contemptum. Qui nocens affligitur, & tamen aut vindictam parat, aut convitia retorquet, gravius peccat eo, qui innocens in eadem peccata prolabitur: qui amicum occidit eo, qui inimicum: qui parentes, quam qui peregrinum: qui humanitatis & pietatis officia non præſtat parentibus, aut aliis bene de nobis meritis, gravius peccat iis, qui eadem illa officia iis non exhibent, qui nullo conſuetudinis aut officiorum vinculo nobis juncti ſunt. Ex hoc pri-

primo elicitur ratio æſtimandi gravitatem peccatorum eorum, quæ vulgo peccata contra naturam vocantur; item inceſtus, & reliquorum his affinium: qualia ſunt, quæ contra pudorem naturalem committuntur. Sed in his poſterioribus dijudicandis, magna opus eſt induſtria & cautione. Notandum autem, nos per inclinationes naturales non tantum intelligere affectus, & impreſſiones tam ſpirituales, quæ ſolum mentem immediate afficiunt, quam corporales, in quibus ſpirituum motus partem ſibi vindicant; ſed etiam notiones primas, & à primis non admodum longe remotas, quibus mens imbuta, etiam prona eſt ad quaſdam veritates amplectendas; contra quas ſi eatur, inſignis malitia, aut ſaltem magnopere culpanda ſupinitas, & negligentia perveniendi ad cognitionem veritatis, ſe prodit. Ex hoc fundamento concludimus Athëiſmum, Idololatriam, Polythëiſmum, craſſas & indignas de Ente ſummè perfecto opiniones, animæ mortalitatem, pœnarum poſt hanc vitam inficiationem eſſe peccata magna, Deoque ſummopere inviſa. Huic veritati Scriptura aperta exhibet teſtimonia, *Rom.* 1: 19. & ſequentibus. *Pſalm* 41: 10. *Johan.* 13:18. 1 *Pet.* 2: 10. *Luc.* 10: 33.

Ita etiam exiſtimo dignitatem *fidei*, & vitioſitatem *incredulitatis* atque infidelitatis metiendam ex majori vel minori difficultate orta ex inclinationibus naturalibus, vel ex quibuſdam principiis tam practicis quam theoreticis, quibus à pueritia uti conſuevimus in rebus humanis ad aliquam ſpem concipiendam, aut ad aliquid credendum. Neque fidei dignitatem petendam puto ab objectorum fidei abſtruſa natura, & difficili inveſtigatione per argumentorum, ſive ex ratione, ſive è Scriptura petitorum, ſeriem: quod ex omnibus rebus, circa quas verſatur, aut unquam verſata eſt proborum atque electorum fides, manifeſtum eſt. Quia ex præexiſtente materia quæcunque in univerſo fiunt, fieri videmus, ideo non eſt mentis propenſio ad credendum mundum ex nihilo productum. Propter eandem rationem difficile eſt creditu, ex effæto & emortuo corpore prolem naſci poſſe: & adhuc Abrahamo difficilius creditu fuit, ex illo ſperare tam amplam progeniem, quæ cœli ſtellis, & arenæ littoris æqualis futura erat, quem cœlibem & ſine prole, ex Dei mandato, jamjam immolare debebat. Similiter creditu difficile eſt, ex rupe dura, arida & ſicca aquam copioſe poſſe profluere: in deſerto arido alimentorum copiam pro innumerabili multitudine adfore: aut civibus longa obſidione fame & vigiliis fractis, & ad ultimam neceſſitatem redactis, hoſtibuſque omni ex parte inferioribus, annonæ vilitatem ſummam indulturum Deum. Gentem Judaicam deletam, & in ultimas terras deportatam, omni præſidio & favore humano deſtitutam, reſtitutum iri paternis ſedibus. Credere illum diu exſpectatum & ardentiſſimis votis expetitum Meſſiam eſſe, ſuæque gentis reſtauratorem, qui omni ſplendore & gloria deſtitutus, everriculum mundi potius videbatur, & infimi Judæi opibus indigens: nec ita facile ſibi perſuadere poterant Judæi, ut illum pro doctore & magiſtro haberent, qui non æſtimatus, nulla diſciplina inſtructus, nullius magiſtri inſtitutione uſus; qui nullo modo doctoris perſonam toga, ſupercilio, adſtricta fronte, perſonata fictave gravitate induens, ibat everſum inveteratas ſuperſtitiones, & perverſa dogmata, & qui nec parcebat ipſis Magiſtris Judæorum; unde ſui contemptum imminere videbant. Illum pro cœlitus miſſo doctore & ſancto habere, qui ea non tantum negligebat, ſed etiam carpebat, quæ illi in pietate prima ducebant: pallere jejuniis: longas preces fundere: cum alienigenis nullum habere conſortium: in obſervando Sabbatho ultra quam ſatis eſt, ſeveros ſe præbere, ita ut nec ſui nec

 proxi-

proximi rationem haberent, & charitatis opera negligerent: lavare ſæpius: exteriorem poculi, patinæque partem purificare: decimare & mentham & rutam, & quodvis olus, & quæ ſunt hujuſmodi. Ab eo ſalutem & bona exſpectare, qui ignominioſa morte extinctus, inimicis ſuccubuerat, ut putabant. Doctrinam & cultum, qui ab Apoſtolis tradebatur, verum credere, qui nec legis ceremonialis cultum inculcaret, nec ea æſtimaret, quibus Judæi ſe cæteris gentibus præſtare putabant: nempe quod ab Abrahamo originem ducebant: quod circumciſionem & cultum divinitus inſtitutum habebant: & quod eſſent populus Deo peculiariter charus; & quæ ſunt hujuſmodi. Illum cultum denique verum putare, qui gentes in ſocietatem verorum bonorum una cum Judæis pariter vocabat. Ita ex adverſo gentibus ad credendum Euangelio remoram faciebat humilitas doctrinæ Euangelicæ: & quod, quæ in ea traduntur myſteria, non exſtructa aut excitata erant altis atque profundis, & ratione deductis argumentationibus: ſed quæ ſummatim complectebantur *Jeſum Chriſtum, eumque crucifixum*: quod intellectu facile, ſicut reliqua fidei myſteria, ſed creditu difficile. Quemadmodum neque *intellectu* difficile eſt, Deum propter meritum & ſatisfactionem Chriſti, peccatori credenti & reſipiſcenti condonare peccata; ipſumque juſtificare: ſed id peccatori ex peccatorum conſcientia, & juſtitia & ſanctitate Dei perterrito, creditu difficile eſt. Plura exempla adducere ſupervacaneum foret.

Sunt equidem, ut diximus, multa *myſteria* in Chriſtiana religione; nec omnia quæ in Scripturis traduntur, æque apertè & clarè traduntur, ſed multa longa ratiocinatione indigent. Hoc tamen aſſerimus, dogmata & myſteria Chriſtianæ religionis *creditu* atque *ſcitu neceſſaria*, quamvis ſine revelatione hominibus neque angelis in mentem venire potuiſſent; ſintque inperſcrutabilia, ſi ea quis conatur aut plane intelligere, ad rationis finitæ trutinam res infinitas & noſtro intellectui incomprehenſibiles, appendens; aſſerimus, inquam, tamen ea dogmata intellectu facilia eſſe: eatenus nempe, quatenus eorum natura nobis in Sacra Scriptura revelatur; & dicimus ea ita in Scriptura proponi, ut nullum, qui ſacra Biblia admittit, fugere poſſint, niſi qui malis inclinationibus & rationi carnali nimium indulget: omnem itaque probum, quique conſequenter renunciat præjudiciis, & intellectum captivat ſub ratione recta & authoritate Scripturæ, quæ nunquam rationi rectæ contraria eſt, facile noſcere dogmata creditu neceſſaria; utpote quæ nec longa argumentorum ſerie, neque præclaro aut ſubtili indigent ingenio, nec abdita aliqua arte & diſciplina, quâ expendantur: ſed probum & candidum requirunt pectus. Sunt enim, ut diximus, difficilia creditu: non propter *obſcuritatem* verborum Scripturæ quibus traduntur; neque propter obſcuritatem ipſius rei, quando noſtros conceptus finimus & ſiſtimus inter eos, quos Sacra Scriptura nobis ſuggerit, (quod quidem neceſſe eſt fieri, quo pacto enim res infinita à ratione finita lumen accipere aut mutuari poſſet) ſed propter difficultates, quæ in noſtra corrupta voluntate ſeſe offerunt.

Scio equidem, alta & ſublimia à noſtris Theologis tradi in ipſorum ſcriptis; & quædam hujusmodi eſſe, quæ tantum longa atque ſevera meditatione ex Sacra Scriptura erui poſſunt, ipſo teſtante Apoſtolo, 2 *Pet.* 3: 16. quæque non ideo creditu & ſcitu difficilia ſunt, quod propter quaſdam inclinationes difficulter à nobis impetrare poſſumus, ut iis fidem adhibeamus, ſed quia abſtruſa ſunt. At etiam audacter adſeveró: Primo, neminem, ſi *ſine malitia* à voluntate profecta, in iſtarum rerum ignorantia verſatur, propter illarum ignorantiam à ſalute excluſum iri; adeoque *conceptus* tales de aliquo myſterio

ſterio & dogmate Christianæ religionis non eſſe *fundamentales*, & creditu & ſcitu ad ſalutem neceſſarios. Secundo, magnam Theologorum partem, præſertim eorum, qui pontificiam doctrinam profitentur, male induſtriam ſuam occupare in explicandis inexplicabilibus & inconceptibilibus, & quorum nullum eſt judicium, hoc eſt, in docendis rebus, quæ aut ad Dei infinitam naturam; aut ad Dei infinitos & nobis incomprehenſibiles agendi modos pertinent; ad rationem finitam ponderantes res naturæ infinitæ: atque ita multa quidem ſubtilia & alta in ſpeciem congerentes, ſed quæ omnia nihil omnino ſolidi tinniunt; & ſibi aliisque imponentes, aut conceptus de rebus infinitis formant, qui pugnant ſecum; aut voces & verba tradunt, quibus nullus ſubeſt ſenſus aut notio. Et recipio me probaturum, propemode omnem altiorem, ut vocant, Theologiæ ſcientiam, (eam excipio, quæ textibus Scripturæ paulo abſtruſioribus innititur, & de qua primò ſum loquutus) in his erroneis conceptibus occupatam eſſe; & ideo hujusmodi dogmata non tantum non creditu neceſſaria, ſed aut falſa eſſe, aut voces & verba tantum complecti, quibus nulla notio aut ſenſus ſubeſt: aut eſſe tantum inanes ſpeculationes, quibus ſine ullo fructu homines ingenium fatigant, & ſe excruciant. Suntque hæc adeo connexa, ut ferme ubique pari paſſu procedant, & in diſciplina Theologica frequentiora, quia verſatur circa Deum, rem infinitam. Neque poteſt hæc res ſatis inculcari: eſt enim alter ſcopulus, ad quem plerique Theologi naufragium faciunt. Si enim rem ut oportet æſtimemus, comperiemus Theologiæ Doctores duplicem curſum tenere; quorum quis altero ſit tutior difficile judicatu eſt. Quidam non attendentes ad naturam rei infinitæ, omnia quæ de Deo credunt, eidem ineſſe arbitrantur, quemadmodum hominibus inſunt: cujus rei noſtro ſeculo inſigne exemplum præbuit *Vorſtius*, præcipue in tractatu ſuo de *Deo*; in quo duobus erroribus totus ejus ſermo vertitur, quorum unus, quod *ideam ſpiritus* confuderit cum *idea corporis*; alter, quod attributa Deo modo humano ineſſe putaverit. Alii naturam rei infinitæ recte & bene ante oculos habentes, ſedulo primò cavent, ne quid imperfectionis Deo attribuant; & ideo conceptibus veris, & verbis diſertis eà omnia à Deo removent: & eouſque noſtræ Theologiæ partes bene ſe habent. Et ejus rei inſigne documentum dedêre orthodoxi Theologi in tradenda doctrina de Trinitate, commodis verbis utentes ad declarandum Patrem, Filium & Spiritum inter ſe diſtingui, non eſſe Dei attributa, non ſimplicia nomina, non reſpectus ſimplices ortos ex creaturarum productione, & quæ ſunt ſimilia veritati non conſentanea. Sed inter hos terminos ſeſe non continentes, & illis conceptibus, quibus imperfectiones rei finitæ à Deo removeri diximus, non contenti, modum, quo Deo quædam inſunt aut propria ſunt, & quo agit atque operatur, comprehendi à ſe, quod tamen repugnat, putantes, conceptus formarunt, qui ſecum non conſiſtunt, ſibique obſtrepunt; & vocibus & phraſibus uſi ſunt, quibus aut nullus alius ſenſus, aut notio ſubeſt, quam quod negent imperfectiones in Deo, & rem non tam explicent quid ſit, quam quid non ſit, (quod quidem laudandum) aut iis utuntur vocibus, quibus pugnantes exprimuntur conceptus; & in quibus ideo nullus ſenſus aut ratio eſt. Et hujusmodi conceptibus & phraſeologiis, ad tales conceptus exprimendos inventis, plus quam ſatis eſt, noſtra Theologia eſt inſtructa, ex quibus controverſiarum ampliſſima ſeges, & diſputationum portentoſa volumina nata ſunt. Cujus rei, ut diximus, egregium exemplum habemus in diſputatione de Trinitate: in qua Theologi non contenti conceptibus, quos Scriptura de eo myſterio ſuppeditat; at-

que etiam iis, quibus exprimunt quid non ſit, concipere & explicare tentarunt, quid *perſona* poſitive eſſet in Deo; & quid poſitive Pater, Filius & Spiritus Sanctus in uno Deo ſint: quomodo ſint perſonæ plures in uno ſuppoſito; & quomodo hoc eſſe & concipi poſſit: quid illud proprie ſit, quo perſonæ diſtinguantur. Examinando recentium doctorum ſcripta, uſu comperi, eos nullum poſitivum & clarum conceptum de natura trium perſonarum in uno ſuppoſito habere; neque illos ullam ideam aut conceptum perſonarum habere, quæ ſingulare ſuppoſitum ſingulæ non habeant. Et falſi ſunt animo, quod putarunt, Patres per vocem perſonæ, aut per vocabula illi voci analoga, explicare voluiſſe, quid Pater, Filius & Spiritus Sanctus poſitive in Deo ſint: cum illud myſterium hominum captum ſuperet. Fuit autem Patrum ſcopus tantum explicare per iſtas voces, quod Pater, Filius & Spiritus Sanctus non Dei attributa, nec accidentia in Deo, nec nomina tantum diverſa unius ejuſdemque rei, &c. ſunt. Ex adverſo illi, qui negant Patrem eſſe Deum, Filium eſſe Deum, & Spiritum Sanctum eſſe Deum, & eſſe tamen tantum unum Deum; cum tamen Pater non ſit Filius aut Spiritus Sanctus, nec Filius Pater aut Spiritus Sanctus, nec Spiritus Sanctus Pater aut Filius, illi, inquam, cum laborant contradictionem oſtendere in hoc dogmate, argumenta ſumunt aut à rebus naturalibus & finitis, quod perquam abſurdum, aut à noſtrorum conceptibus malis, ultra quam ſcriptum eſt ſapere volentium, & utentium pariter conceptibus à rebus finitis depromptis; aut potius utentium vocibus, quibus nullus ſenſus aut notio ſubeſt. Nam quæ quæſo major contradictio in hoc articulo fidei comparet: dari Patrem, Filium & Spiritum, modo quo diximus, atque adeo dari Trinitatem, quam dari voluntatem & intellectum in Deo; ſi enim poſterioris rei naturam inſpicias, non minus ea nobis apparebit incomprehenſibilis, quam Trinitatis myſterium; & Scriptura fidem de utraque re æque manifeſte docet.

Et quod hic diximus de myſterio Trinitatis, idem jam diximus eveniſſe in quæſtione de ſatisfactione Chriſti; in qua noſtri Theologi, quemadmodum etiam adverſarii, pariter male inſiſtunt, cum argumenta depromunt à juſtitia humana, aut à ratione juſtitiæ Divinæ nobis incomprehenſibili. Cum noſtris ſatis eſſe debet, removere à juſtitia Dei punitiva omnes imperfectiones; deinde aliquem conceptum formalem *apprehenſivum* de ea habere: nullo modo autem laborare ad conceptus, rationem attributorum Dei comprehendentes, acquirendos; quæ infinita cum ſit, etiam incaſſum laboratur ad eos parandos, & qualeſcunque formantur, non erunt recti & probi; ideoque ab iis male argumentatio inſtituitur. Sed in hujusmodi rebus rigide & præciſe loquendum cum Scriptura, neque conceptus ullus (loquor de rebus infinitis) conceptibus, quos revelatio nobis parit, ſuperaddendus; multo minus ratio in conſilium adhibenda, qua argumentis & conceptibus à rebus finitis petitis, explicare nitimur, quo pacto ſe res habent: quamvis hic ille rationis uſus ſemper obtineat, quo probetur contradictionem conceptibus aliquibus ineſſe aut non ineſſe. Ita & Scriptura ſuam authoritatem obtinebit, & ratio ei ſubjicietur; & ea tamen ſuum uſum habebit in Theologia. Ita v. gr. & ratione & Scriptura edocti, tenemus de juſtitia Dei punitiva, quod ſit Deus conſideratus ſub ratione Judicis, vindicantis omne peccatum morte æterna in iis, qui in incredulitate pereunt, aut qui in Chriſto Filio Dei, ferente iram Dei pro credentibus in ipſum, peccatum vindicat. Nihil hic abſtruſum aut intellectu difficile occurrit; multo minus tale quippiam hic ſe offert, cujus propter rei infinitatem nullum conceptum habere liceat.

ceat. Occurrunt nihilominus hic myſteria, quæ ratio humana notionibus ſibi inſitis, non aſſequi potuiſſet, ſed quæ ſolummodo ex Scriptura haurit: occurrunt præterea, quæ quamvis nihil infiniti exprimant, ejus enim rationem aſſequi non poſſumus, eorum tamen modus quo fiant, aut ſe habeant, (quod per τὸ πῶς Philoſophi exprimunt) infinitus eſt; qui ideo nobis non intelligibilis: quorum itaque ideam nullam habemus, neque de iis aliquam formare licet. Denique occurrunt, quæ mens humana principiis ſibi inſitis, aſſequi potuit, quamvis pauciſſimi illam facultatem naturalem eouſque evehere potuiſſent, ſi lumine revelationis in Scriptura traditæ, deſtituti fuiſſent. Ipſa re totum hoc manifeſtum faciam. Quid ſit *Iudex*, quid *punire*, quid *mors æterna*, quid *peccatum*, quid *fides in Chriſtum*, *quid ferre pro aliis pœnam*, omnia ita intellectu, quantum quidem ad rem ipſam, non ad quaſdam minoris momenti circumſtantias, facilia ſunt, ut, poſito hæc apertis Scripturæ verbis tradi, ita ut ex modo tradendi non oriatur difficultas, (de qua difficultate in præſenti nulla diſputatio nobis eſt) nullum veritatis ſtudioſum fugere poſſint. Multo minus hæc verba & voces aliquid infiniti comprehendendum proponunt: diximus enim jam illa intellectu facilia eſſe. At eſſe Dei Filium, & Deum voluiſſe ſubſtituere ſuum Filium unigenitum, ut pœnas, quas juſtitia Dei exigebat pro peccatis, ferendo, omnes qui in ipſum crederent, ita ſalvarentur ab ira, id, ut reliqua omittam, plane ex Scriptura tantum intelligi & ſciri poteſt. Et quamvis hæc ſciamus, multorum tamen iſtorum modos, quia de infinita Dei natura ſunt, non intelligimus: v. gr. modum, quo juſtitia Divina ſe habeat in Deo: modum, quo Filius Dei ſit unà cum Patre ab æterno unus Deus; & ideo natura ab ipſo non diverſus & diſtinctus. Hos modos infinitos eſſe inde manifeſtum eſt, quod quamprimum aliquis mentem intendat ad conceptum aut ideam de ea re formandam, ſtatim percipimus aut repugnantias in conceptibus noſtris ſe prodere, aut noſtras cogitationes ad nihilum recidere. Et hac in re præcipuè peccatur ab iis, qui in Theologia ſe doctores & magiſtros eſſe profitentur: volentes enim modum infinitum exprimere, formant aut conceptus qui ſibi repugnant; aut nihil intelligentes, contenti ſunt uti vocibus, quibus nullus ſenſus aut ratio continetur; niſi quatenus removent aliquid abſurdi à dogmate, non autem quatenus aliquid poſitivi exprimunt, in quem uſum tamen ab iis adhibentur.

Quia itaque modum, quo ſanctitas & juſtitia in Deo ſunt, non intelligo; ideo inhærendo authoritati Scripturæ, & loquendo cum Scriptura in quæſtione de juſtitia Dei punitiva, ſummopere cavendum, ne addendo noſtros conceptus petitos à ratione noſtra finita, aut prava ratiocinatione innixos (quâ res Deo ineſſe putamus, quemadmodum nobis inſunt) conceptibus, quos Scriptura unice nobis ſuppeditat. *Ex Scriptura ſolummodo intelligimus* peccata ſingula mortem mereri: argumentum itaque quo concludunt peccatum, quia contra Majeſtatem *infinitam* committitur, pœnam æternam mereri, (meo judicio) continet tantum voces & verba, neque ullus iis ſubeſt ſenſus. Pariter ex Scriptura tantum edocti ſumus, in ſatisfactione pro peccatis Deo præſtanda, *ſubſtitutionem* locum habere, æternum Filium Dei æterni pro nobis ſatisfeciſſe. Verum enim vero quandoquidem iſtæc myſteria ideo modum, quo ſanctitas & juſtitia in Deo ſit, non explicant, fruſtra nos fatigamus, inquirendo quomodo *unus* pro *multis* potuerit ſatisfacere? Quomodo *innocens* pro *nocente*? Quomodo Filius Dei *natura* aut *voluntate* à Deo, vindictam exigente, non diſtinctus? Quare, cum Chriſtus pro omnibus ſatisfecit, quidam tamen pereunt, & ipſi pœnam luere tenentur? Quomodo miſericordiæ Divinæ conſentaneum ſit, nullum

lum vel leviſſimum peccatum inultum tranſire ſinere? In hiſce enim tantum ad Scripturam attendendum,& quid ea nos de Dei juſtitia doceat; nec cogitationibus indulgendum. Solutio enim harum quæſtionum dependet à cognitione *modi*, quo juſtitia in Deo eſt; & quomodo Pater à Filio diſtinguitur. Qui modus & ratio cum infinita ſit, cohærentia per rationem hic inveſtiganda non eſt; ſed id credendum, quod Scriptura de ea nobis revelat; totuſque rationis uſus in rebus hujuſmodi eſt, quod contradictoria vitemus, & explicemus noſtros conceptus ex Scriptura hauſtos, ut nullam repugnantiam contineant. Denique præter myſteria ex Scriptura ſolummodo cognita, præter ea quæ ratione ſine Scripturæ ſubſidio difficulter eruuntur, ſunt alia, quæ notionibus inſitis & ratione iis innitente cognoſcimus: ita cognoſcimus eſſe Deum ſanctum, veracem, juſtum, mali atque peccati vindicem; tamen bonum atque clementem: peccata pœnam mereri: reſipiſcentia vitæque ſanctitate nos Deum nobis propitium reddere; talemque nos ipſum experturum in judicio: animam eſſe immortalem: & poſt hoc vitæ curriculum bonos maloſque manere judicium; & quæ ſunt hujusmodi: in quibus rationis uſus eſt, non tantum pugnantia indicare, eaque ab omni articulo fidei removere; ſed etiam multa probare & illuſtrare, de quibus Scriptura aut ſilet, aut quæ præſupponit. Concludimus itaque religionis Chriſtianæ dogmata ſcitu & creditu neceſſaria, non eſſe difficilia cognitu, ſed quædam eorum tantum eſſe difficilia creditu: altas & ſublimes quæſtiones eſſe præcipue de rebus infinitis, quarum nullum conceptum comprehenſivum habemus; aut eas tantum eſſe de circumſtantiis & appendicibus rerum earum, circa quas fides verſatur: ſed quæ ad fidem & pietatem nullum conferunt momentum. Nullus itaque perit, quia eſt deſtitutus intellectus acumine, ſed quia malè utitur ſuo libero arbitrio: atque hæc dicta ſufficiant. Revertimur ad inſtitutum, & reliqua perſequimur.

Etiam ab hac re, ni fallor, pendet intelligentia famoſæ iſtius controverſiæ de bonis operibus, quam nempe rationem habeant, & quo nomine vocitari poſſint in ſalutis noſtræ negotio; ut & in quæſtione de electione & reprobatione, an *meriti* nomine? Et rurſus an nomine meriti ex *congruo*, an ex *condigno*? Nam hiſce poſitis, primum, nos à mortis reatu liberari, & jus ad vitam æternam acquirere merito Chriſti fide apprehenſo: deinde, nos ideo ilico non conſtitui extra ſtatum *viatoris*, & participes gloriæ cœleſtis: tum etiam nos tantum bonis operibus & ſtudio ſanctitatis graſſari ad gloriam: illis ſc. quibus Deus poſt fidem concedit vitæ uſuram, ſupereſt diſcutiendum, qualem uſum bona opera præſtent fidelibus, & qualem relationem, quamque rationem habeant in aſſequenda ſalute & cœleſti hæreditate. Oportet primum diſtinguere inter opera; diſtinguenda etiam relatio, quam opera bona pro ſua diverſitate diverſam habent. V. Gr. gaudere & delectari in Deo, pace conſcientiæ frui, animum gratitudinis plenum habere, &c. non ſolum in noſtra *juſtificatione* & *acquiſitione juris* ad vitam æternam, nec meriti, imo ne quidem cauſę moralis rationem ſuſtinent; ſed ne quidem hujusmodi rationem habent *in acquirenda ſalute & adipiſcenda gloria*: nam in iſtis operibus, ita conſideratis, exerendis nulla adeſt moleſtia, ita ut ipſa *fides*, qua ſuaviſſime in Deum recumbimus, (non enim de eo fidei gradu ſermo eſt, qui pugnam & luctam non excludit, quâ tanquam opere quidam nos juſtificari putant) ne quidem operis rationem & qualitatem ſuſtinere poſſit, quia eſt ſine tali moleſtia; & ideo præmium & remunerationes reſpicere non poteſt: non magis certè, quam gaudium, quod capimus ex donatione juris in aliquam rem, rationem operis, *quod præmium reſpicit*, habet. Ita ut

ut mihi longiſſimè errare videantur, qui talem fidem prævisam, de qua jam ſermo eſt, putant eſſe electionis cauſam: eſt equidem illa fides prævisa conditio, & qualitas prævisa in homine, qua ablata Deus nulli vellet decernere ſalutem, aut aliquem ad eam eligere: & eſt illa fides actio moralis bona decreta & prævisa, ut *præſtita ab homine*; & eſt requiſitum in homine, ab homine, quamvis per gratiam Dei, conferendum, ſine quo Deus illum hominem ad ſalutis conſecutionem non deſtinaret; quemadmodum medicus pauperis inopiæ non aliter mederi deſtinat, quam ut velit liberari à paupertatis moleſtiis, & beneficium acceptare: non habet tamen illa actio moralis bona peccatoris & pauperis, acceptantis oblatam in Chriſto gratiam, & eleëmoſynam, ita rationem cauſæ moralis, conditionis & operis, ut voluntas Dei aut divitis ideo moveatur: habet tamen rationem cauſæ moralis & conditionis, quatenus cauſa moralis opponi poteſt cauſæ ſine *qua non*: qualis cauſa fuit ignorantia, in qua verſabatur Paulus, cum perſequebatur Eccleſiam, 1 *Tim.* 1: 13. Sed revertamur ad rem.

Quædam autem bona opera ſunt hujusmodi, ut ad ea exequenda multum diſcedendum ab inclinatione, & appetitu naturali, & bono; & quibus propter ſtudium virtutis obedire non lubet nec licet, quia circumſtantiæ repugnant, ut nunc iis nos duci ſinamus; ita ut ſpes præmii & remunerationis, & æſtimatio, quam de jure in rem acquiſito habemus, ſint etiam rationes, quibus movemur & impellimur ad ſtadium ſtrenue decurrendum. Talia opera tali cum intuitu edita, *cauſæ vitæ æternæ rationem* non tantum ſuſtinent, ſed ex Scripturæ ſtilo vita æterna eorum *merces* vocatur. Dicimus autem hujuſmodi operibus cum tali intuitu editis, vitam æternam tamquam *mercedem* attribui: poteſt enim (quod hic ſummopere notandum eſt) unum idemque opus bonum, eodem tempore præſtitum, diverſos reſpectus, rationes, & cauſas habere: poteſt proficiſci ex amore Dei: poteſt ex gratitudinis affectu: poteſt ex amore virtutis, & ex delectatione, quam ex illius uſu capimus: poteſt ex amore præmii & mercedis, quam ex bono opere ſperamus, proficiſci; & hæc omnia rectè cauſa & argumenta vocari & eſſe poſſunt, quibus ad ſtudium virtutis impellimur. Nam quamvis nullum opus Deo gratum eſſe poſſit, quod ex amore mercedis & præmii, *ſeparato ab amore Dei*, præſtatur; quemadmodum illud etiam inter homines obtinet: tamen ita operari bonum, ut reſpectum etiam habeas ad mercedem, & ſpe iſtius fruitionis alacrior in ſtudio virtutis evadas, vitium non eſt, nec opus depretiat aut imminuit. Cui rei probandæ nobis invictum ſuppeditat argumentum, omiſſis aliis argumentis, exemplum Chriſti, *Heb.* 12: 2. Et ideo puto illos Doctores nec accurate, nec ex ſtilo Scripturæ loqui, qui docent bona opera eſſe tantum *gratiarum actiones*; & quæ conſequendi præmii gratia ſuſcipiuntur, non amplius boni & Deo grati operis dignitatem tueri poſſe; eamque non filium ſed mercenarium decere. Et ideo nobis non placet argumentatio ex illo loco de gratiarum actione petita, contra *merita* bonorum operum: quia ex hoc argumentandi modo ſequitur, bona opera fidelium, nec *cauſæ* nec *meriti* rationem habere poſſe in conſequenda gloria & vita æterna; neque corona, præmio aut mercede poſſe affici: quod directe contra Scripturam eſt.

An autem illa moralis efficacia bonorum operum in acquirenda gloria & hæreditate cœleſti, poſſit *meriti* nomine venire, non puto magnopere ea de re laborandum eſſe inter Chriſtianos, quandoquidem, rem ſi ſpectes, inter omnes convenit *mercedem*, *coronam*, *præmium*, *&c.* fidelibus propter bona opera conferri, *Matth.* 5: 12. 10: 24. *Coloſſ.* 3: 24. 2. *Tim.* 4: 8. *Luc.* 20: 35. *Matth.* 25: 34. *Luc.* 7: 47.

Apoc. 3:10. Debet ſolummodo in conſiderationem venire, quale ſit *meritum*. Certe ratio meriti variat ipſum meritum, quatenus mutatur perſonæ reſpectus & qualitas, cum illius qui operatur, cum etiam illius in cujus gratiam opus ſuſcipitur; & meritum majus vel minus, & magis & minus propriè meritum vocatur, prout perſonarum reſpectus & qualitas illud variat. Qui ſolum de ſuo operam præſtat illi, cui nullo modo obſtrictus eſt; quique ex noſtra opera commodum percipit, eam etiam à nobis flagitat propoſito pretio, labori proportionato & exæquato; (quod æſtimari debet communi hominum officio, inter quos vivimus) ille rectiſſime *meruiſſe* dicitur, quando obtinet id, quod alter promittit & præſtat: & tale meritum proprie vocandum eſt meritum de *condigno*. Quatenus autem labor & opera mercedi minus eſt proportionata, aut is cui opera præſtatur, minus ex ea commodi percipit, aut quatenus opera non omnino ex noſtra facultate præſtatur, aut cum minus nos removemus à cupiditate naturali bona, & ſi quæ alia ſunt, quorum ratio habetur in æſtimando labore aut mercede, eatenus illud opus minus accedit ad rationem *meriti de condigno*. Et eſt extra controverſiam, obedientiam præſtitam rectori ſocietatis minus habere rationem meriti de condigno, quam opera præſtita à perſona libera homini libero, qui operam noſtram ſolummodo vertit in ſuum commodum. Et obedientia rectori præſtita, qui nullum fructum aut commodum percipit ex noſtro labore, minus habet de ratione & natura *meriti de condigno*, quam obedientia quæ tali rectori præſtatur, qui non ſolum propter totius ſocietatis bonum conſtitutus eſt, ſed ſpeciatim egregia commoda ex illa obedientia percipit. Poſſunt nonnulla alia excogitari, à quibus meriti valor æſtimari debet, quæ doctis penſitanda relinquimus.

Ex his quæ diximus liquet, *obedientiam perfectam*, ab homine perfecto Deo ſuo præſtitam, longè plurimum abeſſe ab illius meriti dignitate, quam modo deſcripſimus, & meritum *ex condigno* ſtrictiſſime dictum, & cui ex debito merces rependitur, vocavimus. Voluit nihilominus Deus illam obedientiam vocare *meritum*, *cui merces imputatur ex debito non ex gratia*, *Rom*. 4. Ita ut ex hoc manifeſtum ſit, cum de gratia & meritis bonorum operum diſputatur, non ita attendendum eſſe ad vocem meriti & gratiæ, (quatenus de iis notiones quaſdam naturæ lumine habemus, aut uſu & conſuetudine hauſtas,) quam ad modum loquendi Scripturæ, & quibus in rebus meriti & gratiæ vocabulis utatur. Ex ſenſu Scripturæ meritum non definit meritum *ex condigno* eſſe, & cui merces imputatur ex *debito*, quamvis Deus ex noſtro opere nulla percipiat commoda, quamvis noſtri juris non ſimus, ipſique omnia debeamus. Ex Scriptura itaque diſcendum, quid ſit illud *meritum*, cui *gratia* opponitur, & quæ ſit illa gratia, quam Scriptura docet tantopere divergere à merito. Juſtificari *ex operibus*, quibus ex merito merces debetur, non eſt juſtificari ex *merito de condigno*, quatenus à natura illius meriti notionem habemus, & quam ſupra deſcripſimus. Ita pariter ex Scriptura examinandum, quid ſit *gratis* & *ex gratia* juſtificari: nam ut liquet ex ſupradictis, gratia poteſt etiam inſignem locum habere in juſtificatione ex operibus.

Meritum de *congruo* nomen ſuum habet ex uſu inter homines, in quibus humanitas, gratitudo, liberalitas, &c. vigere debent; & quarum virtutum reſpectu quædam opera ab hominibus talibus virtutibus prædītis, non ita ſunt inſuper habenda nec flocci facienda, ut aliqua *remuneratione* digna putanda non ſint. Et in hoc meritum de *congruo* præcipuè à meritis ſupra recenſitis differt, quod nullo ex pacto, nullaque officii, muneris, aut magiſtratus ratione, operi aliqua remuneratio debetur, ſed nititur tantum gratitudine

aut amore, quem erga bonum opus habemus. Quod ſi ad Scripturæ uſum, ejuſque ſermonis conſuetudinem attendatur, *bona noſtra opera* plus ad acquiſitionem gloriæ conferunt, quam *merita ex congruo*, ſecundum ſenſum jam explicatum. Itaque ſi de cæteris conveniret, neque verendum eſſet id fraudi nobis fore propter adverſariorum artes, non eſſet mihi religio, bona opera noſtra *merita* vocare, non magis, quam *cauſam vitæ æternæ*.

Ita quidem loquendum de bonis operibus, quatenus eorum ratio habetur in ſalutis acquiſitione, à qua longè diſcedit eorundem operum conſideratio, quando reſpectum habemus ad *juſtificationem*, hoc eſt, ad ſtatum, in quo à judice Deo *juſti*, & jus ad vitam æternam habentes, *juxta juſtitiæ Divinæ naturalis leges*, ſecundum quas in ultimo judicio quibuſdam vitam æternam adjudicabit, cenſebimur. Cum enim juſtificare, ex Scripturæ ſenſu, ſit illius judicis actum exercere, quo homo reatui obnoxius abſolvitur à reatu, & jus ad vitam æternam illi adjudicatur, fieri non poteſt, ut bona noſtra opera ad juſtificationem relata, ullam quamcunque *meriti* rationem habeant. Nam quamvis non incongruè & juxta Scripturæ loquendi rationem uſitatam dici poſſit, idque adverſariis concedi, quędam bona opera *mereri*, quatenus Deus ſe ita bonum, liberalem & clementem in Scriptura declarat, ut noſtros conatus, etiam ejus gratia præſtitos, majori gratia cumulare velit, & ita iis gratiam referre & remunerare; quæ clemens agendi ratio *meritum de congruo* non reſpuit. Abhorret tamen à Scripturæ loquendi modo, à ratione, & a veritate, docere nos bonis operibus, reſipiſcentia aut ſanctitate juſtificari. Et quod hic notatu dignum eſt, in cauſa & opere conſequendæ ſalutis, (quæ per ſtudium bonorum operum acquiritur) *opus*, & *operari* illi Dei *gratiæ*, qua indigemus ad opera bona præſtanda, non opponitur: quemadmodum nec juſtificationi per legem quælibet *gratia* opponitur; nempe non illa, qua homo integer indigebat ad colendam vitæ ſanctimoniam: neque pariter quælibet gratia opponitur *gloriationi*. At in negotio juſtificationis nec gloriatio, nec opus qualecunque, ſuſceptum aut mercedis aut præmii gratia, aut placandi Numinis cauſa; ita ut in eo vim & cauſalitatem qualemcunque moralem pônamus, qua exiſtimamus Numen ad nos juſtificandos flecti poſſe, conſiſtere poteſt cum gratia, qua juſtificari dicimur, *Rom.* 3: 10. *Epheſ.* 2 8. 2 *Timoth.* 1: 8. *Tit.* 5: 6. Ita ut fides, quatenus ſubjectivè in nobis eſt, noſtrumque eſt opus, nullum reſpectum habeat ad remunerationem, non magis quam *pax* & *gaudium* ſpirituale. Et ideo objectum fidei non eſt tale quid, quod à nobis *acquiri* debet, neque reſpicit fides id, *cui acquirendo nos aliquid debemus conferre*, aut quod exſpectamus nobis collatum iri à Deo, propter aliquid à nobis præſtitum, quod meriti *de condigno*, aut de *congruo*, *aut cauſæ moralis* rationem habeat: ſed eſt id quod à Deo ſolo, & unice ex gratia ſtrictiſſimè ſic dicta, & quæ omne meritum & cauſalitatem moralem ab homine procedentem excludit, conferri debet; & quod ideo ex fide exſpectamus, & ab eo præſtitum iri confidimus. Ideo ſpeciatim dicimur juſtificari *ex gratia*; *ex promiſſione* nos eſſe vitæ *hæredes*; vitam nos aſſequi tanquam *hæreditatem*; juſtificari per fidem eſſe juſtificationem hominis *improbi*, deſperantis omnia præſidia comparandæ per ſeipſum ſalutis, & ita, & ſub hac ratione omnem ſalutis ſpem abdicantis, ſed credentis in Deum, qui Chriſti juſtitia, non hominis juſtitia hominem juſtificat. Juſtificat inquam Deus hominem fidelem juſtitiâ Chriſti, ſi materiam noſtræ juſtificationis ſpectes, non autem ſi ſpectes in homine prærequiſitam qualitatem, propter quam merâ ſua gratiâ Deus hominem participem reddit meriti Chriſti: nam ea ratione homo juſtificatur fide ſuâ

ſibi inhærente; & in hoc ſenſu Scriptura teſtatur *Abrahamum fide juſtificatum*, quatenus fides fuit opus Abrahami, & quidem opus excellens & heroïcum: ſed cujus operis tamen ea eſt proprietas, ut cum ejus natura prorſus pugnet, ut id ſuſcipiatur ab homine, tamquam medium, & tamquam opus conſequendi aliquid à Deo; ſed quod in nobis oritur, & cui operi heroico in nobis tantum locus eſt, quia nos agnoſcimus deſtitutos omni facultate adipiſcendæ ſalutis; & per quam præcedentem cognitonem deſperantes omnino de noſtris viribus, unicè recumbimus in gratiam Dei juſtificantis *improbum*: hoc eſt, juſtificantis hominem, qui conſideratus ut objectum juſtificationis etiam ſua *qualitate* debita, hoc eſt *fide*, affectus, ſe agnoſcit dignum condemnatione, quemadmodum omnes improbi: quia, quamvis fide diſtinguatur ab impiis, in materia tamen juſtificationis illa fides nullam rationem cauſæ moralis, in ordine ad juſtificationem ſuſtinet; ſed ſua natura & formali ratione eam excludit, & includit deſperationem aſſequendæ juſtificationis per ullam in nobis bonam qualitatem: & ideo fides, quatenus eſt fides juſtificans formaliter in ſe continet perfugium ad gratiam Dei fundatam in merito Chriſti. Ideo juſtus dicitur ſua fide vivere, quatenus ſedato & quieto animo in Deum ſuum recumbens, confidit à Deo effectum datum iri, ad quod faciendum ipſum fidelem vires & facultates deficiunt; quemadmodum Abraham deficiebant vires ad generandum. Et hanc fidem certò comitatur amor erga Deum & Chriſtum, & ſtudium atque conſtans voluntas ſectandi quod bonum eſt. Quæ ſalutis obtinendæ ratio longè diſſentit ab illa, qua aliquis credit Deum propter meritum Chriſti, ſibi condonaſſe omnia peccata; & ſe propter ſua bona opera, quanquam imperfecta, & longè à lege deficientia, per idem illud meritum Chriſti à Deo tractatum iri, tamquam juſtum, quamvis juſtus non ſit. Et cum opus & operari à fide excluditur, intelligitur hominem nullo ſuo ſtudio aut conatu, qui ut cauſa moralis reſpectum habeat ad juſtificationem, juſtificari, hoc eſt, abſolvi à reatu, & ſubſiſtere in Dei judicio, ſed ſolâ *gratiâ*; quatenus in negotio juſtificationis nihil præſtatur ab homine, quod reſpectum habere poſſit ad qualemcunque remunerationem. Et ex hiſce licet intelligere, quid propriè ſit *fides juſtificans*; & quare ejus actus in negotio juſtificationis, ſit *amplecti meritum Chriſti*, & eo ſe induere, ita ut homo fidelis non habeat ſuam juſtitiam, ſed eam quæ *Dei eſt*, & quæ ideo *ex fide* eſſe dicitur. Et ideo rectiſſimè à noſtris Theologis fidei actus, quo juſtificamur, aſſimulatur manui mendici, quâ eleëmoſynam recipit & amplectitur; non iſti mendici actioni, qua precibus flectit divitis animum, quæ actio ex ſenſu Scripturæ non excludit omnem *efficaciam moralem*, ut reſpectum *ad remunerationem*; & ideo conſiſtit cum *gloriatione*, & cum opera: ſed eam gratiam excludit, qualem Apoſtolus, cum de juſtificatione agit, urget. Quando itaque Scriptura dicit, *fidem imputari ad juſtitiam*, non intelligit fidem, ut *opus* imputari ad juſtitiam; quia fides in juſtificatione non habet rationem operis: non poteſt enim tunc reſpicere remunerationem, aut exſpectare præmium & coronam. At ille actus fidei, quo tentationes ſuperamus, quo purgamus cor noſtrum, &c. ille eſt opus, ſed ille actus *in juſtificatione* nullum uſum habet. Quid igitur ſibi volunt verba illa, *fides Abrahamo fuit imputata ad juſtitiam?* An per fidem intelligendum objectum fidei, ſc. meritum Chriſti? Sic quidem multi iſtæc verba interpretantur; & hæc interpretatio ſatis conſentit cum analogia fidei: ſed dubito, an ſatis congruat cum circumſtantiis textus; mallem itaque dicere ipſam *fidem* Abrahami, quatenus ſubjective fuit in Abrahamo, illi imputatam fuiſſe ad juſtitiam, quia ille actus fidei Abraha-

mi

mi tam gratus fuit Deo, ut Abrahamus ipſi propterea per & propter meritum & obedientiam Chriſti, fuerit gratus & acceptus: & quia ille actus fidei ejuſmodi eſt naturæ, ut non poſſit ſuſcipi ab homine tamquam medium & opus conſequendę ſalutis,& tamquam aliquam cauſalitatem moralem continens, quâ aliquid paretur; ſed qui actus fidei contra includit hominem, in ordine ad aliquem effectum moralem, æſtimari ut *nihiloperantem*; & omnia exſpectantem à Dei bonitate: & ideo non pugnant nos *gratis juſtificari*, & tamen *fidem tamquam opus egregium homini imputari ad ſalutem*: & opus & gratia, in hoc poſteriori ſenſu, in Scriptura, ubi agitur de juſtificatione, non opponuntur, ſed in ſenſu illo, quo opus tale in juſtificatione inducitur, quod ſua natura & formali ratione *non excludit cauſalitatem moralem* ad aliquid conſequendum tamquam per opus, reſpectum, & relationem habens ad aliquem effectum moralem modo ſupra tradito. Nec obſtat, quod fides ſit conditio ab homine præſtanda, ſine qua nullus à Deo juſtificatur: non enim quælibet conditio eſt cauſa moralis ſtrictè dicta, aut opus tale, quod Scriptura à juſtificatione removet; neque quælibet res, aut conditio à nobis præſtanda, excludit *gratiam*, aut includit *gloriationem* illam,quam Apoſtolus longè à juſtificatione disjungit. Non enim quælibet conditio habet rationem cauſæ moralis excitantis relationem, quam ſequitur ſtatus exſpectans aliquam remunerationem; quamvis omnis conditionis ea ſit natura, ut non permittat fieri *decretum abſolutum*, nec circa *rem*,quæ ſine conditionis præſtatione, quæque ab homine proficiſci debet, exitum ſuum habere non poteſt; neque etiam circa *conditionem* ipſam: quia non oportet conſtituere decretum Dei de poſitione conditionis, quæ excludat illud *liberum*,quod eſt in actionibus liberis: quod *liberum* quemadmodum in executione debet conſiderari ut aliquid *proficiſcens* à nobis, & non ut *medium* ita collatum à Deo, ut id à nobis, ut ita dicam, non *exſpectet*; ita in *ipſo decreto* eandem habet naturam & rationem: neque decernit illud liberum, cujus natura à Deo eſt, quin illa *moralitas*, quæ in omni libero eſt, eam habeat rationem, ut ſine illo libero illam moralitatem nec *voluiſſe potuerit*: neque etiam voluiſſe potuerit extra illud *liberum*, & extra moralitatem, quæ ab illo libero eſt, illud cujus illa moralitas eſt cauſa efficiens moralis. Non itaque quidem cauſa extra Dei beneplacitum datur, quare hunc aut illum peccatorem voluerit exiſtere; aut voluerit, ut hoc aut illud peccatum, ab hoc aut illo, liberè perpetrandum, eſſet pars ordinis illius, quem Deus in mundo eſſe voluit, quemque uſu & eventu conſpicimus:ſed ille malus liberi arbitrii uſus eſt *qualitas moralis* in homine, ſine qua Deus non *potuiſſet* decernere hujus aut illius hominis peccatum: ita ut non oporteat prius hominem *integrum* concipere, deinde concipere decretum Dei circa illum eſſe, *ut libere peccet*: neque decreto reprobationis abſoluto objiciendus hic aut ille homo *ſine morali illa qualitate mala*, ſed homo *liberè peccans*. Nam quemadmodum non oportet, abſolutum Dei decretum concipere de fine abſolute obtinendo, & poſtea decretum de mediis ſubjungere; cum talis conceptus per primum decretum excludat mediorum neceſſitatem: ita non oportet concipere primò decretum de hoc aut illo, hujus aut illius reatu, deinde ſubjungere decretum, ut hic aut *ille libere peccet*; quia non permittit Dei bonitas, & benefica ejus voluntas erga creaturam innocentem, ut ipſam deſtinet peccato; neque natura rei permittit, ut liberi arbitrii malus uſus deſtinetur tanquam medium, quo peccatum obtineatur; quia ille abuſus liberi arbitrii ſeparari non poteſt à peccati conceptu: & hoc ſenſu reprobatio non eſt abſoluta, ſed conditionata, quia includit hominis *liberum arbitrium*, propter

 quod

quod omnis res, quam per illud Deus exequitur, conditionatè decreta eſt. Non eſt etiam reprobatio, hoc ſenſu ſumpta, hominis nulla qualitate morali affecti, aut ſub nulla qualitate morali conſiderati; ſed eſt hominis *liberè peccantis*, de quo tamen Deus non formavit decretum, *ut exiſteret*, & ut *liberè peccans exiſteret*; quia peccaturum eum *præviderat* ante ſuum decretum: ſed formavit de hoc individuo tale decretum, quia ita ipſi placuit; neque extra Dei beneplacitum alia requirenda cauſa: quandoquidem illud decretum *cauſa* eſt, quare hic aut ille homo *liberè* peccans aliquando exiturus eſt. At quamvis propter peccatum Deus non voluerit, ut *hic* aut *ille* homo *foret*, & *foret liberè peccans*; in quo ſenſu reprobatio *abſoluta* eſt: tamen liber abuſus liberi arbitrii iſtius hominis eſt qualitas moralis in illo homine, quapropter tale decretum reprobationis, quo decernit Deus, ut hic & ille liberè peccans exiſtat, à Deo *fieri potuerit*: & in hoc ſenſu nullus niſi peccator reprobatur, & quatenus eſt peccator; illoque ſenſu omnis reprobatio eſt conditionata. Libuit huic rei diutius inſiſtere, tum quia affinitatem habet cum quæſtione de bonis operibus, cum etiam quia uſu didici multos ſententiam noſtram de prædeſtinatione non bene aſſecutos. Nunc pergo ad reliqua quæ reſtant, expedienda.

Prodit ſe hic etiam eorum error, qui exiſtimarunt *abnegationem ſui ipſius* eſſe novum præceptum Euangelicum, neque decalogo comprehenſum. Tantum enim abeſt, præceptum illud eſſe novum, ut ſi hoc præceptum ex decalogo tollatur, omnis ferme virtutis materia tollatur; & ita *viatoris* perſona vix ſupereſſe poſſit.

Liquet præterea, quid dicendum de juſtitia *activa* & *paſſiva* Chriſti. Si rectè accurateque loqui velimus, omnis juſtitia Chriſti eſt juſtitia *activa*, ſed quidam eam *paſſivam* vocant, quando Chriſti obedientia verſata eſt in rebus difficilibus, & à quibus humana Chriſti natura, propter propenſiones naturales, ipſis contrarias, abhorrebat: qualia ſunt fames, ſitis, rerum inopia, contemptus, mors; ſed præcipue iræ Divinæ ſenſus. Vocant autem juſtitiam activam, obedientiam Chriſti occupatam in rebus, quæ communi humanitatis lege, hominibus in ſuo curriculo vitæ occurrunt. Omnis autem virtus & obedientia, quam Chriſtus toto vitæ decurſu uſque ad reſurrectionem præſtitit, *meriti* rationem habet: quia vas & ſponſor conſtitutus, legi tamquam viatorem ſeſe ſubiecit, cum ex perſonæ dignitate *ſtatum glorificatorum* ſibi vindicare potuiſſet, *Phil.* 2:6. 7. 8. Et quamvis omnis creatura rationalis actiones ad legem Dei componere neceſſe habeat, non eſt tamen de ratione creaturæ rationalis *viatoris* perſonam induere. Cum itaque Chriſtus ſua ſponte propter nos, inque uſum noſtrum, illam perſonam ſuſcepit, omnis & qualiſcunque obedientia Deo præſtita à Chriſto, præſtita pro nobis eſt: quamvis *pœnalis ſatisfactionis* rationem præcipue ſuſtineant dolores & acerbi cruciatus, tam animi, quam corporis, quos Chriſtus ſubiit in morte, & cum morti vicinus, & ad moriendum in procinctu eſſet.

Supereſt tamen aliquid, quod enucleatius tractandum putamus: nempe hujus *juſtitiæ punitivæ neceſſariæ* reſpectu, neminem pœnam attingere, qui per culpam, proprie dictam, ſe reum non fecit. Eſt hoc per ſe notum; & recenſendum inter notiones primas, *neminem reum eſſe niſi per propriam culpam*: neminem culpandum, niſi qui *voluntariè* peccat: neminem itaque *alterius voluntate* peccare, aut culpæ alterius reum fieri; adeoque neminem propter alterius peccatum, pœnæ proprie dictæ, ſubjici.

Juſtitia punitiva humana, & arbitraria Divina duplici ratione eos, qui culpæ & reatus participes non ſunt, *malo*, quod peccatum alterius ſequitur, ſubjicit: primò,

mò, quando illud malum *naturaliter* ſequitur ex malo pœnæ, quod peccatori, & qui culpam commiſit, infligitur; & tunc judex ſibi non proponit pœnam illius qui punitur, *intendere & augere*, conſultò & libere involvens, aut implicans proximos rei, & ſanguinis, aut affinitatis vinculo ei junctos, aliqua calamitate; ſed ſequitur calamitas proximorum rei, & ejus qui punitur, *ex naturali nexu*, qui eſt inter reum & proximos rei. Exempli gratia: cum maritus aut pater ultimo afficitur ſupplicio, uxor & liberi in ſocietatem *damni* neceſſariò veniunt; uxor marito, & liberi patre privantur, & ſupplicii infamia illis etiam incumbit. Illud malum, quod liberis & uxori ea ratione accidit, malum pœnæ, nec judicis, nec ipſorum reſpectu qui puniuntur, ullo modo vocari poteſt. Eſt & alia calamitas, qua innocentes *per accidens* implicantur, propter inflictionem pœnæ proprie dictæ, directe reo inflictæ: quando, v. gr. in bello innocentes, & qui pacem ſuaſerunt, aut eam votis expetunt, cum belli ſuaſoribus paribus calamitatibus comprehenduntur: ibi bonis non parcitur, non ut pœna ex calamitate innocentium, amplior fieret malis; ſed quia boni malis permixti univerſalibus belli calamitatibus eximi non poſſunt. Et hoc malum, etiam bonorum reſpectu, quos ſalvos, & à belli calamitatibus non tactos optamus, improprie pœna vocatur. Aliter autem oratio inſtituenda, quando pars læſa eo animo permiſcue omnes inimici ſubditos aggreditur bello, ut inimicus in ſubditis puniatur; & ex ſubditorum damnis ſua commoda, ſuaſque vires imminui ſentiat; & ita ex rapinis ſubditorum inimici regis damnum illatum reſarciatur; aut inimicus ad æquas pactiones deſcendere cogatur; aut metus incutiatur, abſterreaturque ab inferenda ſecundò injuria. Mala in ſtatu belli, eo ut dictum eſt animo, illata, vera *pœna humana* vocanda ſunt: quamvis contingat ut is, qui belli cauſa extitit princeps, & ejus author atque dux fuit, illo malo lenius crucietur, quam ulli ſubditorum innocentium. Ex quo, ut hoc obiter dicam, liquet, quam longe pœna humana à Divina naturali, quæ ſolummodo vera pœna eſt, differat.

Eſt & aliud pœnæ humanæ genus; nempe quando legiſlator ex prima ſua deſtinatione non tantum vult, ut malum pœnæ tranſeat ad ipſum reum, ſed etiam proximos damnis mulctat, ut ita gravius & acerbius culpa vindicetur; atque ita egregium exemplum atque documentum vindictæ contra inſigne ſcelus extet. Ita in crimine læſæ Majeſtatis & perduellionis, etiam inter cultiſſimas & moderatiſſimas gentes, rei proximi aliqua infamia notantur. Et apud Barbaros nonnullos omnes rei affines & cognati morte mulctantur; quod tamen Deus in lege ſua populo Iſraelitico interdixit. Hoc genus pœnæ etiam eſt pœna humana proprie dicta: infligitur enim a judice propter malum culpæ, ad correctionem aut exemplum. Quo referenda etiam eſt illa pœna, qua populi, aut poſteri parentum ſuorum peccatis inhærentes, menſuram adimplent; atque ita ſibi accerſunt pœnam graviorem, quam ſubiiſſent, ſi parentes ipſorum ſuis peccatis, iram judicis aut rectoris in ſocietatem aut populum, quem ipſi cum poſteris tanquam unam perſonam conſtituunt, commoviſſent. Eſtque illa conjunctio & ſocietatis communio, qua tamquam unum corpus politicum morale conſiderantur cives unius ejuſdemque civitatis, fundamentum æquitatis in tali pœna. Ita Judæi adimplebant menſuram peccatorum parentum ſuorum: quapropter Chriſtus iis minatur vindicatum iri ſanguinem juſtorum à Judaica gente occiſorum, à mundi primordiis uſque ad ultima iſtius gentis tempora, *Luc.* 11:50. 20:22. Huic pœnæ generi affinis eſt illa pœna, qua Deus propter aliquod peccatum parentum, aut gratiæ abuſum, quatenus

illam negligunt, & ad bonum uſum non referunt, illis & poſteris aufert ex medio illorum candelabrum ſuum, & ita dat in enſum reprobum: nempe ſinens eos ambulare in viis ſuis; neque aliquo benigniore favore eos amplectens, ſed eos malis ſuis cupiditatibus permittens, ſinit eos ſeſe corrumpere, & ruere, atque prolabi in pejus; & Theologi hujusmodi pœnam vocant pœnam, qua Deus *peccata peccatis punit*. Quod ſane ita non eſt intelligendum, quaſi Deus ideo minorem iſtorum reproborum ſalutis rationem haberet *in eum finem*, ut in graviora peccata laberentur: eſt enim per ſe notum, ſanctitati tam Divinæ quam humanæ repugnare, aliqua re, tamquam medio uti, quo peccatorum magnitudo, aut numerus augeatur: ſed ceſſatio collationis gratiæ, eſt pœnæ genus, ſequens per ſe hominum obſtinatam pertinaciam in repudianda oblata gratia, quam per accidens ſequitur cordis major atque major obduratio, & intellectus obtenebratio. Et talem peccatoris abdicationem, Scriptura *reprobationem* vocat; & novam gratiæ collationem, certo & determinato tempore, certis nationibus aut hominibus ex mero beneplacito factam, *electionem*. Cui reprobationi, ex ſenſu Scripturæ, affinis eſt etiam ea reprobatio, (quæ tamen ita *ad pœnam* referri non poteſt) quando Deus in Scriptura verbis conceptiſſimis declarat, ſe ad præcedentia peccata nullum reſpectum habere, quare unum præ alio majori gratia complectatur; & unum jam natura corruptum, ſinat aberrare, alium ſpeciali gratia proſequens ad bonam frugem convertat. Huc commode refertur illa Dei œconomia, qua infantes in fœdere natos, ſanctos, & natos extra fœdus, impuros Scriptura vocat. Sancti nempe ſunt tum ſanctitate externa, quatenus in parentibus ſejuncti ſunt à gente profana, quæ à fœdere externo Dei aliena eſt; cum interna, quatenus peculiari amore eos complectens, peculiarius eorum ſalutis rationem habet. Ita gens Judaica Deo ſimul ſancta & electa, atque etiam reproba habetur. Sancta & electa propter fœdus initum cum Abrahamo, Iſaäco & Jacobo, cujus fœderis fructus illos adhuc aliquando fore participes Scriptura teſtatur: reproba, quia ad tempus illam Deus deſeruit, & duratio cordis ad tempus in illa hæret. Eſtque hæc agendi ratio, in qua ad peccatum non reſpicitur, in rebus religionem & ſalutem ſpectantibus, illi conſentanea, qua Deus nulla habita ratione peccati parentum aut ipſius hominis, qui natus cœcus, à Chriſto narratur, hoc vitio natum fuiſſe, ut opera Dei manifeſta fierent. Hæc autem agendi ratio, quamvis non habeat reſpectum ad peccatum ut pœna, præſupponit tamen peccatum; hominemque, propter reatum ſub quo jacet, non indignum quocum hujuſmodi ineatur ratio. Arbitror enim, nec rationi nec Scripturæ conſentaneum eſſe, ſtatuere Deum rationalem creaturam innocentem affligere poſſe: ſed hic non eſt locus differendi ea de re. Quæ hactenus recenſuimus, continentur *arbitraria Dei juſtitia & œconomia*; & ideo paria atque ſimilia etiam in juſtitia punitiva humana & gubernatione humana locum habent: quorum omnium ne unum quidem obtinet in juſtitia Dei *punitiva naturali*, cujus effectus, cum ſit *pœna* propriè dicta, etiam talem œconomiam non admittit; & malum, quod ab ea proficiſcitur, ſolummodo peccatorem juxta culpæ magnitudinem attingit. Et ideo magnopere cavendum eſt, ne in lectione Scripturæ hæ duæ ſpecies, *iræ, pœnæ, odii &c.* confundantur. Reſpectu juſtitiæ Dei arbitrariæ Deus multos recte *odiſſe* dicitur, quos tamen juſtitia punitiva naturali non recte puniret: odit v. gr. malos habitus, quos tamen pœnâ, proprie ſic dictâ, non vindicat: quemadmodum nos odimus *facinoroſum*, etiam poſtquam pœna juſtitiæ punitivæ humanæ ſatisfecit, non tamen eum ideo pœnâ dignum putamus. Odium inter homines ſpectat peccatum; & iſtius

odii

odii legitimus uſus eſt, ut & nobis caveamus, ne peccati illecebris pelliciamur, & ut provideamus, ne ab iis, qui malis habitibus imbuti ſunt, & ideo facile ad priſtinam malam vitæ conſuetudinem prolabuntur, nobis aliquod damnum & noxa creetur. In ultimo judicio nullus hujusmodi uſus ſupereſt. Et cum naturaliter mali habitus ſequantur voluntarios actus vitioſos; ſitque per ſe notum, nihil niſi *voluntarium* juſtitia Dei punitiva naturali puniri: quemadmodum etiam ex præcedentibus notum eſt, *odiſſe* atque *punire*, iſtius juſtitiæ reſpectu, *idem* eſſe: ex eo manifeſtum eſt, Deum iſtos habitus nec odiſſe, nec punire. Poſſem hujusmodi plura recenſere, petita partim à diſtinctione juſtitiæ Dei naturalis & arbitrariæ, partim à diverſis ſpeciebus juſtitiæ Divinæ arbitrariæ; (diximus enim aliam, juſtitiæ Divinæ arbitrariæ rationem eſſe, qua peccata peccatis punit: aliam, qua innocentes, ſed partes alicujus ſocietatis conſtituentes, vocat in communionem & ſocietatem pœnarum: aliam, qua ejusdem ſocietatis peccatores, & propter ſua ipſorum, & ſimul parentum peccata punit, & eodem calamitatis jure comprehendit: aliam eſſe rationem, qua poſteri per accidens pœnæ parentum fiunt participes: aliam, qua judex, ſive potius legiſlator intendit rei proximos malis implicare, ut ita majori metu à malo deterreantur) dico me hujusmodi plura recenſere poſſe, à quibus commoda quorundam Scripturæ locorum interpretatio peti poſſet, ſed cordati, & rerum intelligentes, hæc facile ſuo proprio marte uſui accommodabunt. Unam tamen controverſiam, cujus gratia præcedentibus diutius inhæſi, & quæ me diu torſit, expediam; nempe quo pacto juſtitiæ Divinæ naturali conveniat, poſteros Adami æternæ pœnæ reos haberi propter peccatum Adami: aut quid de peccato originali dicendum ſit.

Tria mihi in quæſtione de peccato originali conſideranda videntur. I. *Mors & miſeria*, quibus omnes mortales, etiam infantes, obnoxii ſunt. II. *Vitium morale*, quo omnes homines, ſimulac ratio ſe prodit, ad malum potius quam ad bonum proclives ſunt. III. *Reatus* reſpectu juſtitiæ Divinæ naturalis, in quo omnis poſteritas Adami naſcitur. Quam paucisſimis potero hæc omnia expediam. Apud nullos in controverſiam vocatur, omnem Adami poſteritatem, etiam infantes, mortis & miſeriarum, quæ ad mortem ducunt, participes eſſe. Per & propter peccatum dicta mala humanum genus invaſiſſe; adeoque non eſſe hominis ſtatum naturalem, aut aliquid, quod ita à libera Dei gubernatione procedit, ut ad peccatum qualecunque nullus haberi debeat reſpectus, (nondum definio per cujus peccatum, multo minus an rationem pœnæ, aut qualem pœnæ rationem habeant iſtæc mala; neque à quali juſtitia, ſi pœnæ rationem habeant, illa pœna proficiſcatur) Scriptura, inquam, verbis apertis teſtatur, peccatum occaſionem præbuiſſe, quod cum jam ſupra enumeratis malis humanum genus conflictaretur, cum dicit, *Mortem per peccatum ingreſſam eſſe in mundum, & peccati ſtipendium mortem eſſe*, Rom. 5. Et ideo *mors ultimus hoſtis vocatur*, 1 Cor. 15: 56. Et ideo Chriſtus mortem, tamquam hoſtem & opus diaboli, frangendam & domandam habuit: *abſorpta eſt mors ad victoriam*. Eodem referendum, quod Scriptura dicit, *Chriſtum reſurrexiſſe ut vivis ac mortuis dominaretur*, Rom. 14: 9. *Et traditum morti propter noſtras offenſas, & ſuſcitatum ad noſtri juſtificationem*, Rom. 4: 25. *Ut ita per mortem nos liberaret à mortis metu, &c.* Præterea cum hominis natura, & quicquid naturam ſequitur, Deum authorem habeat, Deus non poteſt eſſe author mortis, qui teſtatur ſe nolle mortem peccatoris; ergo multo minus mortem creaturæ innocentis. Præterquam etiam quod illud abſurdum ſequeretur, naturalem hominis ſtatum poteſtati diaboli ſubjectum eſſe; quia omnes, qui moriendi neceſſi-

neceſſitate conſtricti ſunt, ſunt ſub poteſtate diaboli, *Heb.* 2:14. Hiſce addo, quod Apoſtolus teſtatur, *nos omnium creaturarum fore miſerrimos, ſi ultra hanc vitam nihil ſperandum eſſet*, 1. *Cor.* 15:19. Præterea quomodo Deus miſertus eſſet hominum, morbis & infirmitatibus laboranti-um, ſi omnia hujuſmodi mala humanæ naturæ, extra peccati reſpectum fuiſſent propria, & naturaliter cum ea conjuncta. Sed eſt ne veriſimile, Deum nobiliſſimam creaturam tot miſeriis ſubjicere, ut iniquiore conditione ſit reliquis creaturis; & adhuc aſſerere illum ſtatum homini naturalem eſſe? Neque excipi poteſt, Deum infantes miſeriis & morti ſubdidiſſe per ſingularem & nobis incognitam diſpenſationem, ut iis pro malis temporalibus æterna bona rependeret: nam præterquam, quod ſupra in medium allata argumenta probent, peccata morti locum dediſſe; & repugnet rationalem creaturam malè eſſe, antequam ſit peccator, quid cauſæ eſt, quod Deus cum Adamo, & poſtea cum Abrahamo ejuſque poſteris, novum fœdus pactus fuerit; quo promittit ſe Deum illius & ejus poſteritatis fore? Sub qua poſteritate etiam infantes comprehenduntur conſiderati ut tales: quod manifeſtum eſt ex loco ad Corinthios ſupra citato, *Maritus infidelis ſanctificatus eſt in uxore, & uxor infidelis ſanctificata eſt in viro; alioquin certe liberi veſtri eſſent impuri, nunc autem ſancti ſunt*: ſunt ergo infantes conſortes per fœdus, quod Deus pepigit cum parentibus, eorundem cœleſtium bonorum, quorum parentes fideles ſunt participes: habet ergo infantum reſpectu eundem uſum illud fœdus, qualem parentum reſpectu; at parentum reſpectu comparatum eſt contra mala, quæ per peccatum generi humano evenere: ergo infantum reſpectu eundem uſum habet. Præterquam quod abſurdum ſit, infantes fieri participes omnium illorum malorum corporalium, (de ſpiritualibus poſtea differendi locus erit) quæ lex peccatoribus minatur & intentat, & tamen mortem, ſine ullo reſpectu ad peccatum, humanum genus adortum eſſe. Concludimus itaque, mortem in genere ad minimum eſſe aliquid *inconveniens, inordinatum, incompoſitum, &c.* in mundo a peccato profectum, ejusque effectum & fructum.

Nunc loquendum de *vitio morali* ſive *labe originali*. Nos omnes, ubi ratio in nobis ſe exerere incipit, procliviores eſſe ad malum quam ad bonum, experientia & uſu cognoſcimus; ideo diſciplina & inſtitutione egemus, quæ etiam pœnarum comminatione munitur, & tamen pluſculum incaſſum adhibetur: plures enim mali quam boni reperiuntur; & boni qui reperiuntur, non tales à natura ſunt, ſed expugnando malum, quod illis adeſt, tales fiunt. Et ideo Scriptura aperte teſtatur, neminem poſſe habere communionem cum Deo, niſi fuerit regenitus, *Joh.* 3:3. *Amen Amen dico vobis, niſi quis fuerit regenitus, non poteſt videre regnum Dei*. Sed non eſt neceſſe magno molimine rem illam probare, cum à nemine, qui ſacra Biblia admittit, vocetur in dubium. Diſputationis cardo in eo vertitur; an labes & vitium illud, quod in omnibus eſſe & Scriptura & uſus probat, *conſuetudine & malo exemplo in nobis ſit*, an autem à prima origine nobiſcum oriatur: & ſi nobis omnibus ab origine inſideat, an propter peccatum Adami: & ſi propter peccatum Adami, an habeat rationem pœnæ; & qualis pœnæ rationem habeat? Eſt prorſus a ratione alienum, docere illam inclinationem ad malum, quæ ſe prodit una cum ratione, malis exemplis & ſeductione ita paratam eſſe; ut in infante non major fuerit infirmitas ad peccandum, quam ad virtutem propenſio: nam ſi res ita ſe haberet, tunc in infantibus, quando primum ratio ſe prodere incipit, nulla ſeſe aperiret vitioſitas, tum quia illa mala exempla in infantili ætate non adſunt; cum etiam ubi mala exempla ſunt, ibi nec bona

bona deſunt: præterquam quod inſtitutio & diſciplina omnibus adhibeatur, & tamen in omnibus malum tantum valet, ut propterea omnes homines à Chriſto vocentur *mali*, *Luc.* 11:13. *Si vos igitur qui mali eſtis, noſtis bona dare liberis veſtris, &c.* Et Apoſtolus ideo illam inhærentem in nobis malitiam, *legem peccati vocat*, *Rom.* 8:2. impellens & inſtigans ad malum, quemadmodum lex homines compellit: quam legem peccati eodem *cap. v.* 3. Apoſtolus *carnem* vocat, eique talem efficaciam ad nos pelliciendos ad malum, attribuit, ut per eam legis promulgatio cum præmio & pœna ipſi additis, infructuoſa & inutilis nobis ſit: *nam quæ legis erat impotentia, cum viribus eſſet deſtituta per carnem, &c.* Concludimus itaque pravitatem illam moralem & in omnibus reperiri, (unico Domino noſtro Jeſu Chriſto excepto) & nos eam uſque ab utero matris circumferre. Neque æſtimandum illam propenſionem ad malum in infantibus, quando ratio ſe prodit, naſci à recto atque legitimo uſu rerum corporalium, quibus infans aſſuevit à primis naturæ ſuæ initiis; cum iis tantum frui potuit, quæ ad corporis naturam & ſuſtentationem pertinerent; & quorum uſu, utpote naturæ ſuæ convenientium propter naturam unionis animæ cum corpore, quæ à Deo eſt, delectabatur: unde factum eſſe aliquis credere poſſet, quod corporalibus atque terreſtribus magis gaudeat atque afficiatur, quam cœleſtibus, quorum neque guſtum habuit, neque uſu habitum acquiſivit ea perſequendi. Dicimus itaque non putandum ea ratione propenſionem ad malum in nobis oriri: nam quamvis & ex natura unionis animæ noſtræ cum corpore, & ex ratione educationis infantis ſequatur, mentem delectari iis, quæ commodum atque utile nutrimentum præbent; & iis percipiendis animam ſæpiuſcule occupatam eſſe: ex hujusmodi tamen naturali uſu mentis noſtræ, perverſitas originem habere non poteſt; multoque minus in eo ejus natura conſiſtit. Nam quemadmodum mens, propter relationem ſuam quam habet ad corpus, cum quo unum per ſe conſtituit, corporis bonis afficitur; ita propter naturam ſuam rationalem, qua, ut ſupra diximus, ipſa lex naturalis & moralis continetur, *recto* & *bono* debebat affici, quando occaſio illius agendi ſeſe offerret. Neque poteſt legitimus terreſtrium uſus officere animæ rectitudini, conſiſtenti in obſequendo rectæ rationi: à quo tamen obſequio mens propter labem originalem longe abeſt, eique magnopere refragatur. Et certe non minus menti convenit *obſequi rationi*, quam *corporis gaudiis affici*: præterquam quod nos proclives experiamur ad multa mala, quæ cum corporis voluptatibus nullam affinitatem habent; qualia ſunt v. gr. idololatria, blaſphemia, ſuperſtitio. Denique ſi inde peccati originalis principium atque origo petenda eſſet, etiam in Chriſto foret peccatum originale: nam & is ab initiis naturæ ſuæ humanæ, propter unionis mentis cum corpore naturam, rebus corporalibus uſus eſt; habuitque omnia, quæ naturalis infantis conſtitutio requirit: nullam tamen inde anima Chriſti contraxit infirmitatem peccandi; neque ulla regenerationis aut reſtitutionis gratia eguit. Si dicas mentem ex illo naturali, bonoque corporalium uſu, nullam ſibi infirmitatem conciliare, ſed ſingulos homines, ubi ſe ratio exerit, ſponte ſe corrumpere, quemadmodum Adam ſe corrupit; omneſque ita eſſe conſtitutos ut Adam. Reſpondemus, primo veriſſimum eſſe omnes homines ſe ultro corrumpere; nullamque mentem, aut animam à Deo peccati labe infectam produci: ſed pariter aſſerimus omnes animas, vel potius homines, propter conjunctionem, quam omnes poſteri Adami cum Adamo propter fœdus, quod Deus cum Adamo erexit, & propter ipſius peccatum, habent, ita à Deo negligi, taliſque in circumſtantiis conſtitui, ut omnes ſe certo corrumpant: nam ſi res aliter con-

concipiatur, nulla juxta adverſariorum doctrinam,erit peccati Adami imputatio, quam tamen Scriptura tam liquide docet: & omnes homines conſiderandi erunt ſeorſim; & cum Adami peccato, & pœna illud ſecuta, nullam majorem communionem habentes, quam angeli, qui in ſanctitate perſtitere, ſocietate aliqua conjuncti fuere cum diabolis; aut quam ſinguli diaboli cum ſingulis; qui certe nullo modo cum peccatis aliorum diabolorum communicarunt.

Nunc tertiò conſiderandus venit *reatus*, in quo omnis Adami poſteritas, etiam infantes, naſcuntur. Nos omnes naſci ſub reatu inde probatur, quod omnes egemus reconciliatione, quæ in fœdere euangelico proponitur; & cujus infantes etiam debent eſſe participes, ſi ſalutem ſint conſecuturi: quod ex ſupradictis manifeſtum eſt. Præterea, quandoquidem tota Adami poſteritas, etiam infantes,conſortes ſunt omnium malorum corporalium, quæ Deus comminatus eſt Adamo, vere recteque concluditur eandem illam poſteritatem, ſicut de malis peccatum ſequentibus participat, ita etiam *reatui* implicatam eſſe: præſertim cum repugnet, innocentem creaturam malis & ærumnis à Deo affici. Reſpectu juſtitiæ Divinæ punitivæ arbitrariæ poſſunt alicujus poſteri, ſed *peccatores*, multis malis exerceri: poſſunt iſtius juſtitiæ reſpectu ſub ira eſſe propter peccata parentum; & ideo hujusmodi mala poſſunt habere rationem pœnæ, modo ſupra tradito: ſed juſtitiæ punitivæ naturalis reſpectu creatura innocens, & nullo reatu obſtricta, in ſocietatem malorum peccatori comminatorum, venire non poteſt. Mitto ea, quæ teſtantur mortem eſſe *peccati ſtipendium: opus diaboli*: *nos per mortem eſſe ſub poteſtate diaboli*: quæ, qua ratione ſine reatu & culpa fieri poſſint, nulla cogitatione aſſequi licet: denique nos omnes qui ſalvamur, *in Chriſto & per Chriſtum ſalvari*, qui tamen tantum peccatores ſalvatum venit.

Nec quicquam eſt, quare hæc doctrina ab omnibus non impetret aſſenſum &. fidem, niſi quod juſtitiæ Divinæ naturali repugnare videatur, aliquem propter peccatum alterius reum habere; aut hujusmodi ordinem & œconomiam inſtituere, ut poſteritas, quæ etiam nondum extitit, *peccatrix* fiat in primo ſuo parente, *verè rea*, participans de malis omnibus peccatori comminatis, tamquam *de pœna propriè dicta*; & quæ (ut diximus) ſolummodò in juſtitia Dei naturali locum habet. Sed ex ſequentibus patebit,non eſſe neceſſe ad hujusmodi doctrinam, quæ meo judicio ita rationi & Scripturæ repugnat, ut nihil ſupra, perfugium habere, ut præcedentia dogmata ſe tueri poſſint: & ita confido impedimentum ſublatum iri, quod impedit, multos in noſtra caſtra transire non poſſe.

Eſt itaque jam examinandum, quo pacto *reatus*, *pœna peccati*, & *labes*, qua cum naſcimur, in tota poſteritate Adami, etiam infantibus recens natis, excepto tantum Chriſto, exiſtat. In Epiſtola ad Romanos *cap.* 5:12. hæc continentur. *Propterea ſicut per unum hominem peccatum in mundum introiit, ac per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pervaſit, quia*, vel ut quidam, *in quo omnes peccarunt*. Et v. 15. *At non ut offenſa, ita etiam eſt quod Deus gratificatur: nam ſi illius unius offenſa multi mortui ſunt, &c.* Et v. 16. *Neque ut illud quod interiit per unum qui peccavit, ita eſt beneficium: nam reatus quidem eſt ex una offenſa ad condemnationem, quod autem gratificatur Deus, eſt ex multis offenſis ad juſtificationem.* Et v. 17. *Etenim ſi per unam offenſam mors regnavit per unum, &c.* Et v. 18. *Nempe igitur ſicut per unam offenſam reatus venit in omnes homines ad condemnationem, &c. Vers* 19. *Sicut per contumaciam unius hominis, peccatores conſtituti ſunt multi.* Et 1 *Cor.* 15:22. *Sicut enim in Adamo omnes morimur, ità & in Chriſto omnes vivificamur.*

In his locis Apoſtolum & Spiritum Sanctum

ctum reſpicere ad actuale peccatum Adami, quod commiſit in paradiſo, guſtans de fructu vetito, per quod ſtatim reus eſt conſtitutus, & à quo ad totam ejus poſteritatem proceſſêre reatus, mors, & reliqua mala, quæ ad mortem ducunt, & à quibus per meritum Chriſti tantum liberatur, aſſerimus; nec puto à quoquam, niſi pertinace aut præjudiciis occupato, id poſſe vocari in dubium: ſed pariter ex iis, quæ ſupra retulimus, liquido conſtare exiſtimo; *Primo*, neminem *propter peccatum alterius*, reſpectu juſtitiæ Divinæ naturalis reum conſtitui, aut pœnam propriè dictam ſubire. *Secundo*, Adami peccatum ita Adamo ſoli attribuendum, ut ejus poſteritas, quæ tum temporis nondum extabat, nullo modo in *criminis ſocietatem* venerit, aut venire potuerit: & ideo Deum nunquam tale fœdus iniiſſe cum Adamo, & in Adamo cum ejus poſteris, ut peccatum *perſonale Adami* putaretur etiam ita eſſe poſteritatis peccatum, ut per illud poſteri revera rei exiſtimarentur, aut revera in illo peccaſſe putarentur. Si enim implicat, Deum juſtitia ſua punire pœna propriè dicta aliquem, qui ſe nullo peccato ullo modo obſtrinxit; pariter non eſt conſentaneum eidem juſtitiæ, ut tale fœdus cum Adamo & ipſius poſteris ineatur. Imo ſi rem æqua judicii lance ponderemus, id nec apud Deum, nec apud homines, obtinere poteſt: nec ullus de tali peccato, & reatu illud peccatum ſequente conceptus formari poteſt. Docuimus ſupra, & Deum reſpectu juſtitiæ punitivæ arbitrariæ, & homines reſpectu juſtitiæ humanæ, aliquando proximos & poſteros implicare malis, imo pœnis (ſed impropriè ita dictis) propter peccatum parentum, & eorum, cum quibus naturaliter aut politice conjuncti ſunt: ſed nemini unquam in mentem venit, aut venire potuit, *peccatum parentum, poſterorum peccatum eſſe*; eoſque propter illud propriè reos fieri. *Tertio*, ex hoc ſecundo manat, poſteritatem Adami nec mortis, nec reliquarum calamitatum, tam ſpiritualium, quam corporalium, participem eſſe, quia ſunt rei in Adamo; & ideo illam malorum cohortem poſteros Adami non ita invaſiſſe, ut *pœnam* proprie dictam peccati Adami *ferant*: nam reſpectu juſtitiæ Dei naturalis nullus punitur, qui non peccavit: & in ea juſtitia (ſicut nec in pœna propriè dicta) vinculum naturale & politicum nullum locum habet. Dicimus itaque *quarto*, poſteritatem Adami propter *proprium ſuum peccatum actuale* ream eſſe; & mortem, tam ſpiritualem quam corporalem, tanquam *pœnam* proprie ſic dictam, ferre. Statuimus tamen totam poſteritatem Adami, propter peccatum *actuale* Adami, ita abdicatam à Deo, & in tali ſtatu conſtitutam, ut quam primum eſſe incipit, etiam in matris utero, *peccatrix* ſit; Deo inviſa, atque exoſa. Adamus actuali ſuo peccato, in totam ſuam poſteritatem immiſit *peccati legem*, & per eam *ſtatum* condemnationis; fitque id *imputatione*: quia Deus tale pactum cum Adamo iniit, idque fieri voluit, ut ſi peccaret, totam ſuam poſteritatem in ſtatum condemnationis, *intercedente peccati pollutione* voluntaria, conjiceret. Hæc duo itaque elucidanda & probanda ſuperſunt: nempe hic *imputationem* locum habere; & infantes recens natos jam in utero *actuale peccatum commiſiſſe*.

Imputatio peccati Adami in hiſce conſiſtit: primum, quod Deo placuit *per œconomiam arbitrariam*, ex uno ſanguine, formare totum humanum genus; & ita poſteros omnes participare de omnibus iis rebus, quæ *naturaliter* à parentibus ad poſteros propagantur: quo fit, ut occaſione iſtius peccati, omnes Adami poſteri reatum ſibi accerſant; quatenus mens lege generationis corpori, quod ab alio corpore, vanitati propter peccatum ſubjecto, originem trahit, jungitur; & quatenus ſe, quamvis ſua ſponte, ita corporis motibus duci ſinit, ut ſui obliviſcens iis tantum obtemperet; & obedit iſti men-

mentis diſpoſitioni, qua à vitijs adhuc libera & incorrupta, non tantum non propendet ad malum, ſed etiam malarum cupiditatum inſolens eſt: ſed ſimul ac corpori jungitur, ſe ſua ſponte ſuaviter oblectat, ſeque iis dedit, quibus mens abhorrere debebat: quemadmodum caſta virgo aſpernatur ſua ſponte ea omnia, quæ à caſtitate aliena ſunt, quamvis ipſi non conſtet ratio, neque implicatas ſuas notiones evolvere poſſit, quare multa, quæ fugit, cum caſtitate pugnent. Cum itaque Deus potuiſſet Adamum morte è medio tollere, antequam liberis operam daret, & ita non ab Adamo totum genus humanum deducere: aut cum corpora poſterorum Adami potuiſſet non ſubjicere *vanitati*, *Rom.* 8: 20. faciens ceſſare legem communem generationis: cumque Deus mentem, quæ tali corpori jungitur, majori gratia munire potuiſſet, ut ita fortius ſe à corruptione tueri potuiſſet, nec tamen id ipſi placuerit, nec generali illi corruptioni aliter obviam ire voluit, quam ea largiendo, quæ homini naturaliter debentur; inde recte ratio *imputationis* petitur. Quemadmodum recte peccatis parentum imputatur, quod poſteri luce Euangelii privantur; & Deus ita dicatur minorem rationem poſterorum ſalutis habere: nempe quia ſpecialiori gratiâ, ſive propenſiore voluntate, quam præſtare non tenetur, eos non complectitur; unde fit, illos in omnem idololatriam & impietatem prolabi. Quatenus itaque Deus conſtituit, & tale fœdus cum Adamo pepigit; ut ipſo Adamo labente, ſineret graſſari in poſteros peccati iſtius ſingularis effectum & efficaciam, quouſque juſtitia ſua id permitteret; ex qua conſtitutione, & non exhibitione ſpecialioris gratiæ, ſequitur hominis ab utero & in utero, imo à primo unionis mentis cum corpore momento, à Deo averſio, & ad terreſtria converſio voluntaria & ſpontanea, & ab actuali illa converſione labes illa & vitioſitas moralis in toto homine; quam *labem originalem* vocamus: ideo Scriptura dicit, *nos peccaſſe in Adamo*; *nos peccato Adami reos conſtitutos*; *nos offenſâ Adami mori*; *nos in Adamo mortuos eſſe*; *& quod per contumaciam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi.* Cum alioquin ſinguli poſteri Adami non fiant rei, aut moriantur, nec peccatores conſtituantur, quam per proprium ſuum actuale peccatum; quatenus in ipſo utero mens ſe a Deo avertit. Neque cuiquam abſurdum videri debet, quod infantibus actuale peccatum attribuimus, etiam in matris utero: cum enim mens à prima ſua creatione, intellectu & voluntate ſit prædita, iiſque utatur, non eſt enim *otioſa*, neque *dormit*; habeatque ſuas ideas, notiones & principia, quæ *ab experientia* mutuari non habet neceſſe; & quibus pro modulo virium, & uſus ſupradictarum facultatum uti poteſt, facile concipere poſſum, mentem & virtutis & vitii in utero matris capacem eſſe. Concedimus gentes barbaras multas de Deo cognitiones per principia menti inſita, & quæ *ex ſe immediate*, ſi modo vellent attendere, *poſſent excitare*, habere poſſe, quibus jam carent per negligentiam, imo per impietatem ſummam, per quam nil niſi terreſtria cogitando, negligunt mentem excolere, ſeque introſpicere & explorare. Sic pariter concedendum puto, mentem in utero pro modulo uſus rationis, quem infantilis corporis intemperies illi concedit, bona & mala quædam ſuo modo cognoſcere poſſe, quatenus iis afficitur, quemadmodum jam dixi caſtam virginem affici rebus, cum caſtitate conjunctis, aut cum ea pugnantibus. Denique cum hæc duo vera ſint; neminem juſtitia Dei naturali puniri, qui ipſe non peccavit, (eſt enim notio prima, & res per ſe nota, à Deo hominis menti indita) & nos omnes naſci peccati labe infectos, & morti tanquam veræ pœnæ obnoxios; inde manifeſto ſequitur, nos etiam in utero matris peccare: hoc ſaltem manifeſto ſequitur, aliquid pollutionis peccaminoſæ

ſæ intervenire debere, antequam mens, à Deo profecta, & cum corpore unum per ſe conſtituens, reatui & odio Dei ſubjici poſſit. Et ſi cui minus ſatisfacimus modo, quo illa pollutio hominem occupet, res tamen ipſa ideo in dubium vocari non debet. Quo argumento etiam tollitur dubium; quo pacto nempe fiat, omnes poſteros Adami etiam ab utero, & in utero ſe peccati reos conſtituere: quandoquidem mens *integra* corpori jungitur. Et quomodo omnes ſponte & libera ſua voluntate peccent? Sufficit enim eventu, & ex Sacra Scriptura nobis conſtare, rem ita ſe habere. Præterquam quod Pelagianos, qui labem & corruptionem per conſuetudinem cum improbis, & per mala exempla contrahi putant, etiam interrogare liceret: unde fiat, totam poſteritatem Adami bonam & incorruptam ab utero, ſe peccato ita tradere, ut omnes gratia regenerante egeant?

Fluit ex præcedentibus, quod digito indicaſſe ſufficit: & mortem, cui ſubjecti ſunt infantes, eandem eſſe, quam Adamus ipſe paſſus eſt; & eos omnino ejuſdem culpæ reos, eandemque legem transgreſſos, in quam prævaricatus eſt Adam; adeoque ejuſdem pœnæ participes eſſe, quam lex moralis comminatur, & juſtitia Dei naturalis flagitat. Et ideo nos omnes naſci *filios iræ*, *Eph.* 2:3. tum quia ſumus objectum juſtitiæ Dei naturalis propter peccatum actuale, etiam in utero commiſſum, quo neceſſariò pœnæ ſubjiciendi eramus, niſi meritum Chriſti interceſſiſſet; cum etiam propter *labem originalem*, qua cum naſcimur, quamque peccato actuali contrahimus, quemadmodum fecit Adam. Propter illam labem enim odio illo, quod locum habet reſpectu juſtitiæ Dei arbitrariæ, digni ſumus, & meritò ab omni ſancta ſocietate ſegregati. Et patet pariter, non eſſe hyperbolicam loquendi formulam, cum David dicit ſe in peccatis fotum atque conceptum: neque illa verba referenda ad patrem Davidis, qui in generatione libidine æſtuans ſe peccatis polluerit. Hujuſmodi enim exceptiones, cum propter alias rationes, tum propter hanc, quod infantes in utero peccant, faceſſere debent. Sed video hanc ſententiam admodum à quibusdam vexari, cum tamen ea, quæ hic in medium protuli de peccatis infantum adhuc in utero matris concluſorum, ea de cauſa tractaverim, ut darem operam, ut quam commodiſſime ſententia Contra-Remonſtrantium de peccato originali defendi poſſet: & exiſtimo commodiorem rationem expediendæ illius difficultatis, quæ ſeſe offert in propugnatione labis originalis, quâ infantes etiam in utero matris inquinati ſunt, tradi poſſe; quam ſi doceatur infantes adhuc in utero hærentes, ſponte ſua per actionem moralem mentis, aut voluntatis, ſibi illam vitioſitatem contrahere; quamquam tamen non negem, illam ſententiam etiam apud multos fidem non inventuram; & præſertim non apud eos, qui illam vitioſitatem originalem in infantibus à primo ortu eſſe negant. Exiſtimo tamen me in tradenda hac doctrina, tam conſentanea dixiſſe principiis noſtrorum Theologorum, ut non ſit tam vocanda nova, quam notanda nomine illuſtrationis & explicationis doctrinæ communis & receptæ. Quandoquidem itaque doctrina de *peccato originali* eſt obſcura, intricata & perplexa, ita puto eſſe rem dignam, in qua aliquis induſtriam ſuam collocet, ut illam illuſtret: & ita quidem non ſuſpicabar me initurum malam, ſed bonam potius gratiam ab iis, cum quibus mihi conſenſus & ſocietas fidei eſt: video tamen illam ſententiam ab ipſis ſatis pugnaciter invadi, imo irriſione illudi. Lubet itaque fundamenta iſtius ſententiæ altius repetere, eamque iis argumentis confirmare, quæ ſaltem iis, qui Contra-Remonſtrantium partibus addicti ſunt, probabuntur, ſi modo ipſis ſuæ doctrinæ ratio conſtet, ſibique bene conveniant.

Primum itaque præſuppono, mentem hominis ſemper cogitare: deinde eam, ad præſentiam quarundam cogitationum, quas in ſe experitur, ſe ad quædam perſequenda aut fugienda excitare; atque ita ſe determinare: deinde hanc mentis determinationem referendam eſſe ad id cogitationis genus, quod voluntatem vocamus. Per voluntatem, in præſentia, nihil aliud intelligimus, quam illam ſpontaneam motionem mentis, qua mens per ſe, & per modum principii activi, ſe ad hoc, vel illud determinat. Nunc in hoc non diſputo, utrum mens in tali infante ſit prædita *libero arbitrio*, & inſtructa cognitione illarum rerum, quæ ſufficiunt ad præbendum fundamentum moralitatis de iis in ſequentibus erit dicendi locus. Memini itaque tantum hujus *determinationis*, ut illam diſtinguerem ab iis cogitationibus, in quibus ratio actionis, & ſpontaneæ determinationis non ita ſe prodit; ſed quæ in numero paſſionum potius ponendæ ſunt, qualis eſt illa cogitatio, quam perceptionem vocamus. Neque exiſtimet lector, me nimium mihi ſumere, quod attribuam infantibus *determinationem*, natam ab illa mentis facultate, quam *voluntatem* vocamus: per illam enim nihilo plus attribuo infanti in utero matris concluſo, quam *mentis appetitum*, natum ex certa mentis conſtitutione, quem appetitum nemo menti eripere poteſt, qui illi aliquam actionem attribuit.

Puto etiam me meritò & rectè iſti *determinationi* mentis, in utero matris ſæpius iteratæ, attribuere illum effectum, quo in mente producuntur habitus, quibus mens pronior & proclivior redditur ad ſe determinandum ad alicujus rei fugam aut proſecutionem; & quo habitu majori gaudio aut tædio verſatur in talis rei fruitione aut privatione. Finge (exempli gratia) mentem in percipiendo cibo grato gaudere, in eoque gaudio ſe oblectare; privatione iſtius grati nutrimenti contriſtari, & magis magiſque odio illius privationis affici, nulli dubium eſſe poteſt, mentem iſtis motionibus ſæpius affectam, acquirere habitum, quo mens grato illo nutrimento indies magis delectetur, & ideo cupidius & pronius ad illud perſequendum ſeſe determinet, fixiuſque & conſtantius in ea perceptione inhæreat; & contra, propter rationes oppoſitas infans ingratum nutrimentum indies pejus oderit. Hoc tamen lubens do adverſariis, mentem ita conſtitutam, & ita corpori in utero matris demerſam, aliter agere non poſſe, neque ſpontaneam illam determinationem ſiſtere; atque ita hujuſmodi determinationes *neceſſariò* à mente infantis proficiſci.

Hoſce autem habitus in infante in utero matris productos, etiam in infantibus poſt partum ſupereſſe, nemo ibit inficias: habitum itaque illum, quo infans tam cupide appetit cibum & nutrimentum gratum, & in illius uſu tam dulciter & ſuaviter movetur, & afficitur, vocabo *intemperantiam circa victum*, quæ non ſolum eo continetur, quod plus editur aut bibitur, quam convenit; ſed etiam eo, quod ſuavitate cibi aut potus nimis delectamur. Pariter omnes mihi facile concedent, iſtum malum habitum intemperantiæ, quemadmodum etiam v. gr. iracundiæ, omnibus qui ſanctitatem colunt, expugnandum & exturbandum eſſe: ſcimus equidem hiſce reſponderi poſſe, omnes tales habitus in infantibus ante uſum rationis, nec bonos nec malos eſſe, ſed eos manare à natura conjunctionis animæ cum corpore; quemadmodum amor vitæ & metus mortis eandem habent cauſam, & tamen vitioſi non ſunt, ſed in vitii naturam tranſeunt, quando commutatur hominis officium; & amor Dei imperat vivendi ſtudium poſthabere amori Dei, & tamen malumus illi ſtudio conſervandæ vitæ obſequi, quam parere Deo: inquiunt itaque adverſarii, non eſſe ſua natura peccatum, ſuaviter affici uſu cibi & potus; neque in illa mentis affectione *nimium* eſſe poteſt,

poteſt, niſi quando homo per illam ſe ſinit abduci à ſtudio virtutis, quod infanti ante uſum rationis contingere poſſe negant. Sed, primo reſpondeo, nullum noſtrorum Theologorum illam reſponſionem approbaturum, quia omnes contra docent, hujuſmodi infantis propenſiones ad intemperantiam & ad iram v. gr: & excandeſcentiam, eſſe peccaminoſas; & fructus peccati & labis originalis: & ideo non poſſum ſatis mirari quorundam noſtrorum Theologorum ſtudium ita exarſiſſe contra ſententiam, quam jam tueri lubet, cum nihil magis conſentaneum illorum principiis doceri poſſit.

Sed rem ipſam expendamus: nonne hæc meritò peccata ſunt vocanda, quæ tam vehementer pugnant cum ſobrietate, & animi æquitate & lenitate, & cauſa ſunt, quare illi habitus boni tam difficulter ſibi aditum in mentem parare poſſunt. Deinde, quandoquidem hominibus adultis vitio vertimus, & eos peccati arguimus, quando nimis ſuaviter ſe oblectant in grato ſapore alicujus cibi, & fixius illi guſtationi inhæreſcendo, mentem proniorem reddunt ad ſe determinandum ad perſecutionem grati & jucundi ſaporis; & ita mentem imbuunt vitio intemperantiæ: quamvis in eo ductum naturæ tantum ſequi videntur; & tunc cum ita ſuaviter cibo delectantur, nulla pietatis officia jubeant mentem aliis rebus intentam habere; (quod jam præſupponimus) ita ut vitioſitas iſtius actus eo tantum contineatur, quod ſinat ſe duci appetitu, à quo longè abeſſet, ſi in uſu cibi ita ſe regeret, quemadmodum ille, qui ſobrietati litans, & tamen iiſdem cum intemperante cibis utens, iis tamen ita fruitur, ut intemperantiæ & gulæ vitium vitet, & oppoſitam illi vitio virtutem, temperantiam ſibi paret: ſi itaque adulti ita agendo ſe peccati reos conſtituunt, quidni infantes eadem culpa tenentur, quando indulgent corporis affectibus; iiſque nimis jucunde moventur.

At inſtant adverſarii: quomodo peccato locus eſſe poteſt, ubi nulla eſt cognitio boni aut mali moralis, neque ulla menti infantis potentia obſiſtendi iſti determinationi aut appetitui; aut enim flectendi & detorquendi alio? Reſpondeo, me libenter concedere mentem infantis in utero adhuc hærentis, deſtitutam eſſe potentia ſuſtinendi ſuam determinationem; neque modum poſſe ponere appetitui mentis in proſecutione grati nutrimenti; ſed nego inde rectè confici, infantem non ita peccare, quemadmodum ex oppoſito, infans ſanctificatus in utero matris rectè operatur, quando ſanctæ ſuæ naturæ ductum ſequens, ſe temperat ſua ſponte, vi iſtius ſanctitatis, ab iis determinationibus, quibus intemperantia & iracundia oritur. Quemadmodum caſta virgo innata caſtitatis virtute, ab omnibus abſtinet, quæ aliquo modo cum caſtitate pugnant, quamvis ipſi lateat ratio, quare quædam à caſtitate aliena ſunt, cum & Ethicæ diſciplinæ peritiſſimi, & moralitatem callentes, ſæpius in iis cœcutiant; neque rationem vitioſitatis actionis reddere norunt: cujus rei alibi plurima prodidi exempla. Sic contra illis evenit, qui nudi à caſtitatis habitu, in iis ſibi indulgent, quæ pudicis moribus non conveniunt; & tamen in illa prolabuntur, non facientes deſtinatò ſelectum inter pudicum & impudicum, decorum & indecorum: ſed ſequentes tantum vitioſæ ſuæ naturæ ductum. Cujus rei inter infinita alia exempla, unum habemus in barbaris gentibus, quæ nudæ à genitalibus incedunt: exiſtimamus tamen caſtam virginem, cum ea fugit, quæ caſtitati adverſa ſunt, etiamſi neſciat, quare ab illis abhorreat, tamen aliquid ſe dignum præſtare; & barbaras nudis genitalibus incedentes in hominum conſpectu, aliquid agere, quod pudori non conveniat; & ita ambas in aliqua moralitate verſari, & ita cum virtute & vitio participare.

In eo falluntur adverſarii, quod putent in omni actione morali duo requiri. 1. Co-

Cognitionem reflexam, qua cognoſcimus id quod agimus, eſſe bonum aut malum; & quidem ſub illa formali ratione boni aut mali. II. Potentiam ſeſe determinandi ad contrarium, aut ſaltem ſuſtinendi determinationem. Sed adverſarii in eo, ut dixi, ſe fruſtrantur, quia non pertinet ad rationem virtutis, illam exerere ſub illa formali ratione, ut ejus oppoſitum cognoſcamus, & ita delectu & prudentiâ ducamur, eligentes ſc. bonum, & vitantes malum; & ita legi parere, in animo habentes: ſed ſufficit ad moralitatem, ut appetitus mentis noſtræ congruant cum iis principiis, ex quibus excitantur virtutes, aut ab iis diſcedant. Sic parvi, virtutum ſimulachris, quarum in ſe habent ſemina, moventur, & manſuetudini & lenitati v. gr. convenientia operantur. Sed ad propiora accedamus. Qui intenſo amore erga proximum ducitur, innumera benefici animi munera explet vi iſtius amoris, ne cogitans quidem interea de legibus veræ amicitiæ, nec ea amico exhibens, ut legibus amicitiæ ſatisfaciat, ſed in eâ propendens, quia amor amici eum eo ducit, & quia mentis diſpoſitioni, charitate & amore proximi imbutæ, conveniunt; & in iis ſeſe oblectat, quia vim bonam ſuæ mentis in illis amicitiæ muneribus exerit. Quemadmodum itaque mens ſanctificata, qualis fuit v. gr. mens Chriſti diſcedit eouſque ab indulgentia corporis, ut ſe immunem præſtet ab habitu intemperantiæ atque iracundiæ: & ita abſtinendo, ſe corroboret, & vim atque virtutem mentis auget, ita mens infirma propter juſtitiæ originalis vacuitatem ſe ita affici ſinit à corpore, ut illi plus æquo indulgens, contrahat illam ægritudinem, ut quam faciliime corporis facibus inflammetur ad voluptates, & ita ſe magis magiſque corrumpat. An ille, qui unctionis ſpiritualis, de qua *Joh.* 4. particeps eſt, tantum ſanctitatis & luminis ſpiritualis non impertitur, ut à multis erroribus animus abhorreat, quamvis multorum iſtorum errorum formalem rationem aſſignare non valeat, & complicatas ſuas notiones evolvere: fitque id eo modo, quo aliquis caſte & pudice educatus, facilius & pronius judicat, quid modeſtiæ & pudori conveniat, quam alii, qui in ſtudio diſciplinæ ethicæ, & in decidendis caſibus conſcientiæ, ætatem contriverunt, ſed, aut vi malæ conſuetudinis, aut præjudiciis tamquam præſtigiis à veritate depelli ſe ſinunt, & qui ideo de multis rebus ferunt judicia prava, quæ pudica mens facile animadvertit, & ſponte ſua damnat, quamvis rationem expedire non noverit, quare ita judicet. Si intueamur in mores & conſuetudinem multitudinis de plebe, & quæ ingenium diſciplîna excultum non habet, reperies illam tacitis potius ſenſibus de virtute & vitio judicare, quam apertis rationibus.

An uſus nos non docet, homines probos, & præſertim eos, qui ab aliquo vitio ſpeciatim admodum abhorrent, etiam in inſomniis eundem horrorem ab eodem vitio conſervare: cujus cauſam eſſe arbitror, quod ſomniantis mens habitu virtutis alicui vitio contrarii, ita eſt imbuta, ut non poſſit velle aut delectari aliqua re, & conſequenter ſe ad eam determinare, (in ſomniis enim determinationem mentis eſſe certò perſuaſus ſum) quæ ipſi admodum inviſa & exoſa eſt. Et ideo illi motus primo primi, in quibus aliqua eſt delectatio, & cum quibus ideo junctus eſt aliquis appetitus mentis, ſive motus voluntatis, & quæ ideo rectè à noſtris Theologis peccatis accenſentur, non ſolent obrepere perfectè ſanctificatis; & Chriſtum ab iis immunem fuiſſe non eſt dubium. Neminem fugit, quomodo in nobis aliquando experimur inclinationes ad gaudium, aut ad triſtitiam, quamvis lętabiles aut illętabiles res nullę nobis evenerunt: idque oritur, quia mens libenter occupata eſt in iis, ad quæ parata & accommodata corporis, cujus opera utitur, inſtrumenta repperit; & ſi illa mentis diſpoſitio ad res lætas oritur ex

vini largiore uſu, mens ut plurimum ad res vanas ſeſe flectit, iiſque delectatur, & ita peccat. Quidni mens infantis, vacua à juſtitia originali, pariter occaſione motuum ſpirituum in ſe excitare poteſt propenſionem ad amplectenda ea, quæ à ſanctitate aliena ſunt; quemadmodum mens hominis adulti, qui largius ſeſe mero invitavit, non tantum ad hilaritatem diſponitur,ſed ſua ſponte ſe flectit & determinat ad capiendum gaudium illicitum ,& ſeſe oblectandum in ludicris, & in iis, quæ hominem Chriſtianum minime decent: & quamvis homo, vini uſu ad hilaritatem proclivis, poſſit mentem contorquere ad capiendum gaudium licitum; infans autem in utero libertatem ad oppoſitum non habeat, non deſinit tamen infans peccare, quia ſponte ſua ſe nimium affici ſinit à corporis & ſpirituum operationibus: & eſt in tali infante tantum libertatis, quantum eſt in homine amoris erga proximum pleni, & qui amor contra in mentem venire non ſinit ullam cogitationem de odio proximi, quique ideo conſtanter de proximo bene meretur, nec poteſt non bene mereri, quamdiu ejus animus verſatur in tam flagranti amore: neque tamen deſinunt iſtius hominis amoris officia virtutes eſſe. An noſtri Theologi communiter non docent homines poſt lapſum ſe ſuæ nuditatis pudere, & ideo genitalia tecta habere, quia in coitu, anima labe originali infecta,tantopere afficitur veneris uſu, & eo ſe eouſque vinci & ſuperari ſinat, ut immemor ſuæ dignitatis & originis, exuat ferme quicquid eſt hominis; & neſcit vilem & animalem illam actionem, in qua nulla eſt dignitas, eo decore conveſtire, ut ſe ejus pudere neceſſe non habeat: & hæc eſt cauſa, quam Theologi communiter tradunt iſtius pudoris; & tamen hominem rebus venereis in legitimo conjugio utentem, ab aberratione à decoro immunem, non habent, quia,ut ferunt,mens vitio labis originalis nimium in coitu afficitur, & decorum non obſervat: & quamvis agnoſcant hominem indecorum illud vitare non poſſe, tamen non deſinunt eum arguere alicujus vitioſitatis. Et quare hominibus, in quibus plus quam communem morum ſeveritatem requirimus, veneris uſum non permittimus? Nonne ideo eſt, quod cum homines reliquis actionibus animalibus, vilibus & omni dignitate carentibus, aliquod decus addere norunt, ita ut conſpectus aliorum hominum,quando illis naturæ muneribus defunguntur, eos non rapiat in contemptum: & contra veneris uſus hominem adeo de ſtatu ſuæ dignitatis dejiciat, ut prohibeat illum actum aliquo decore honeſtare, ut ita gravis ſine rubore ejus meminiſſe non poſſit. Cum hæc ita ſeſe habeant, quidni etiam peccatorum numero cenſendum, quando mens infantis in utero, nimis indulgentem ſe præbet in corporis gaudiis guſtandis?

Præterea cum uſus nos doceat, omnes adultos, iis exceptis, qui aut initiis ſuæ naturæ à vitioſitate fuere immunes, aut à primordiis ſui conceptus ſanctificati ſunt, ſeſe corrumpere & regeneratione indigere; quodque ſtatim, cum ratio ſe prodit in infantibus ,illi ad malum propendeant,an inde non recte conficitur ,aut infantes in utero matris habitum peccandi contraxiſſe, aut illam vitioſitatem originalem auctorem Deum habere? At poſterius nullus eſt affirmaturus, prius itaque ab iis negari non poteſt , qui infantes jam inde ab utero matris, labe originali infectos docent: nam quandoquidem illa labes eſt aliquid morale, quomodo illud occupare mentem poteſt nulla mentis actione morali interveniente, quæ nulla alia eſſe poteſt, quam voluntatis operatio; ſicut nec Dei gratia in mente locum habere poteſt, niſi per hominis voluntatem: quemadmodum Deus enim nos ſine nobis non ſervat, ita nos ſine nobis non perdit.

TRACTATUS DE JUSTITIA DIVINA & HUMANA SECUNDA PARS,

In quâ agitur de Pœna Humana publica & privata.

Ut hæc res cum uſu & fructu tractetur, initium ejus paulo altius accerſam. Omnibus ubique hominibus inditas eſſe notiones, ideas, conceptus, aut quocunque libet vocare nomine, de bono & malo, vero & falſo, recto & iniquo, juſtó & injuſto, &c. nunc præſupponimus. Nullibi enim quemquam reperire licet, qui non credat & ſentiat, *ſuum cuique tribuere eſſe virtutem*; *& id quod alterius eſt, ſibi vindicare, eſſe peccatum ſive vitium morale*. De reliquis virtutibus & vitiis idem dicendum eſſe, quivis facile concedet. Et hæc poſitio longe quidem remota eſt ab ea quæſtione, qua quæritur, quomodo inſiſtendum ſit, ut inveſtigetur quid ſit meum aut tuum, aut quando verum aut falſum teſtimonium dictum ſit; hoc eſt, quando contra veritatem aliquid commiſſum, aut non commiſſum ſit. Volumus etiam lectorem recordari ſtatus hominis duplicis, nempe *naturalis*, & *civilis*. Per ſtatum *naturalem* intelligo ſtatum hominis nullo pacto aut lege (quæ homines liberè, quamvis ratione & conſcientia imperante, inter ſe conſtituere ſolent) cum proximo conjuncti: talis ſtatus imaginem veram exhibent ſumma imperia, nullis pactis inter ſe devincta, quamvis illis, qui ſumma imperia tenent, multa invicem officia præſtare, ratio & lex Divina imperet. Per ſtatum *civilem* intelligo illum ſtatum hominis, qui pactis & legibus cum uno aut pluribus aliis hominibus devinctus eſt; iiſque propter talia pacta aliquid præſtare tenetur. In ſtatu *naturali* omnia charitatis officia proximo (per proximum intelligo omnem hominem) præſtare teneor; & ab omnibus iis me temperare, quæ cum charitate non conſiſtunt. Non mihi ſevero in proximum eſſe licet; non fraude aut mendacio illum eludere; non iniquum aut injuſtum me ei præbere. His legibus ita devincimur, ut nullum tempus, locus aut occaſio incidere poſſit, quibus iſtis virtutibus abſtinere liceat, aut aliquid contra eas committere. Verum enim vero talia ſæpe incidunt tempora, & tales ſe præbent ſæpe circumſtantiæ, ut non ſemper iiſdem factis materia iſtarum virtutum contineatur, ſed homini contrariis uti liceat; nec tamen ideo officium, quod lex proximo præſtandum jubet, deſeret. Lex jubet pacem cum proximo colere, *Rom.* 12:18 *Si fieri poteſt, quantum in vobis eſt, cum omnibus hominibus in pace vivite.* At quod ſi proximus pacem mecum colere nolit,

nolit, ſed mihi, vitæque inſidiatur, rapit, trahit ad ſe omnia, non ideo quidem charitatis officia erga proximum deſerere debeo: ſed tamen charitatis præceptum tunc non erit, *eo familiariter tanquam amico uti*, & ita me nudum apertumque ejus inſidiis exponere, mea illi diripienda permittere; eaque non aliò conferre. Nam ſi charitas in hujuſmodi circumſtantiis talia imperaret officia, nec ædes feneſtris, cancellis, clathris, &c. munire liceret contra rapinam & vim: imo foret charitatis Chriſtianæ officium, proximo noſtra cupienti, tradere, ne mala cupiditate in tranſverſum actus, vi noſtra capiendo, furti ſe reum conſtituat. Sic nec charitatis officium erit illi gladium, arma, pecuniam, panem, &c. præbere, quibus eum in meam perniciem uſurum prævideo. Nec erit pariter charitatis officium, operam opemque meam commodare proximo, quo major ejus authoritas exiſtat, quando prævideô eum abuſurum ſua poteſtate in meam perniciem. Pariter non peccabo contra clementiæ & benignitatis officia, ſi proximo omnia non indulgeam, quibus commodius, & ab omni moleſtia immunis vitam acturus eſt; ſi proximus mea benignitate & clementia exultans, ferocior ilico adfuturus ſit. Hæc per ſe nota ſunt, nec à quoquam vocata in dubium.

Quod autem hæc in proximum conferre non teneor, manente illibato charitatis officio, id inde eſt, quod Deus jubet nos noſtri etiam habere curam. Apparet enim ex exemplis ſupra allatis, nos ad quædam proximo præſtanda non teneri, quia illa in noſtram noſtrorumque ruinam & damnum, redundatura erunt; quod certe nos à lege præſtandi talia officia proximo non abſolveret, ſi Deus nobis imperaſſet noſtri nullam rationem habere, ſed imperaſſet in omnibus obſequi libidini proximi. Et ſi Deus nobis imperavit noſtri curam, voluitque ut non in omnibus obſequeremur proximo, ſemper interim charitatis legem inviolatam præſtantes, manifeſtè inde ſequitur, Deum nobis non imperaſſe, ut in æſtimando noſtro officio potius *proximi*, quam *noſtro judicio* ſtemus. Tum enim Deus alioquin nos abſolutè proximi libidini ſubjeciſſet: præterquam quod ſemper dubium maneret, cui ex tam magno hominum numero nos ſubjeciſſet. Juſſit Deus ſemper auſcultare rectæ rationi, & ea adhibere media, quæ nos ducunt ad bonum rectumque judicium comparandum: ſed recta ratio mihi non dictat, proximi judicium ſemper meo præſtare. *Eſt itaque quiſque in ſtatu naturali judex ſui officii*; neque proximo facit injuriam, ſi ſuo quam alterius judicio uti malit; vultque potius charitatis, juſtitiæ, clementiæ, &c. officia ex ſuo, quam alterius arbitrio, explere. Poſſumus quidem ſinguli graviter peccare adverſus charitatem, juſtitiam, clementiam, &c. male utentes ratione noſtra: ſed proximo non facimus injuriam, quod ex ejus arbitrio, quid æquum aut juſtum ſit, non determinemus. Imo poſſum proximo aliquo modo injuriam facere, quando nimis cupide & inſolenter me erga illum gero: nimirum, quando præter rationem multarum rerum uſum illi interverto, quo fraudandus in quibuſdam circumſtantiis non erat; & ita non rationi rectæ, ſed libidini meæ obſequor, avaritiæ, metui malo, ferocitati, ambitioni: quo fit, ut pecuniæ uſu, libertate, parte imperii, &c. privetur, qui ex parte horum particeps eſſe debebat; *at injuriam proprie dictam illi non facio*. In ſtatu enim *naturali* unicuique conceſſum eſt jus ſuis rebus utendi ex ſuo, non ex proximi arbitrio, ſicut jam diximus.

Si huic ſtatui *naturali* acceſſiſſet ſtatus *integritatis*, & confirmatus in gratiâ; ita ut homines à peccandi, & male utendi ſuo judicio periculo, immunes extitiſſent, nullis ultra legibus, nulla ſocietate opus fuiſſet: ſingulis enim bene fungentibus judicio ſuo, & rectè æſtimantibus officia, quæ homines ſibi invicem debent, omnis iniquitas, avaritia, crudelitas, &c. faceſſiſſet.

 Verum

Verum enim vero, peccato in mundo partes ſuas occupante, & per peccatum voluntatis ad pravum propenſione in nobis dominante, non ſatis fuit homines naturalis legis cognitione imbutos eſſe; quia ſtante hac lege, tamen ſinguli ſui officii æſtimatores erant; neque jus, aut ratio ulla imperabat iis, ſe proximi judicio potius, quam ſuo uti debere in explendis officiis, quæ aut Deo, aut proximo, aut ſibi debent: debuit itaque illum ſtatum ſequi ſumma in utendis rebus judiciorum diverſitas. Homo timidus & plus juſto ſibi diffidens, ea ſibi ſecuritatis præſidia parare volet, quæ proximus putabit non neceſſaria; & judicabit præter neceſſitatem ſuam naturalem libertatem imminui à proximo. Et quamvis timidus atque avarus concedat, proximo præter neceſſitatem nulli creandam moleſtiam aut incommodum, neminemque debere abuti jure ſuo per petulantiam; ſtatuet tamen non eſſe nimium timentis aut cupientis, ſed ſe æquum æſtimatorem eſſe eorum, quæ ſibi neceſſaria putat, (quamvis falſo,) ad propulſandam paupertatem, aut aliorum ſtudia & impetus: & ideo ſtatuet atque decernet, neceſſitatem parandi talia præſidia contra vim aut inopiam, jam adeſſe; ſeque ſui officii in ſtatu *naturali* æſtimatorem eſſe, non proximum. Ex hac judiciorum diverſitate, &, quod illam ſequitur, ex diverſo rebus communibus utendi ſtudio neceſſario alterutrum ſequitur, *vel ſtatus belli ſingulorum in ſingulos, vel eorum, qui bellum illicitum putant, certus per vim, aut famem, atque inopiam interitus.*

Qui bellum *illegitimum* putant, eo venire debent, ut exiſtiment charitatis, quam proximo debemus, legibus, aut præcepto de non vindicando, repugnare, *jure ſuo contra proximi voluntatem uti*; hoc eſt, Deum nos aliorum hominum voluntati atque libidini abſolute ſubjeciſſe: neque fas nobis eſſe contra illorum conatus, aut ſtudia non tantum ire: ſed ne quidem nobis licere noſtro jure uti, ſi inde aliqua tantum moleſtia creetur proximo; imo nobis non licere iis non obſequi in omnibus. Eſt enim in tali uſu juris noſtri ſemper *vis*, proximi reſpectu: propriè enim & ſtrictè loquendo, *illi vis infertur, cui ab alio impedimentum ponitur, propter quod impedimentum non poteſt exequi quod vult.* Sed quia hæc res eſt magni momenti, & quia ab ea pendet omne jus vindictæ humanæ, & belli, & Magiſtratus, & dominorum; denique eorum omnium, qui vi utuntur, rem totam à primis ſuis exordiis expediam.

Supra tradidimus cujuſque hominis officium eſſe, tam in ſtatu *naturali*, quam *civili*, virtuti operam dare; ſed tamen unumquemque in ſtatu *naturali* officii ſui æſtimatorem eſſe: charitatis officia erga proximum ſemper & ubique exercenda; neque licere cuiquam quicquam contra illa officia committere: charitatis tamen & patientiæ Chriſtianæ officia eouſque ſeſe non extendere, neque tam late patere, ut non liceat quippiam agere, quod proximo *ingratum* ſit, aut unde illi aliquod damnum creetur, aut impedimentum ponatur, quo minus id, quod velit, obtinere queat. Non putavit Paulus ſe contra charitatem peccare, quando jure ſui defenſionis utens, excitavit ſciſma & diviſionem inter Phariſæos & Sadducæos; declarans ſe propter ſpem reſurrectionis in jus vocari, *Act.* 23: 6. Neque aliquis dubitat, quin licuiſſet Paulo ex carcere ſibi fuga proſpicere, etiamſi periculum erat, ne Commentarienſis per deſperationem ſibi violentas inferret manus, *Actor.* 16: 26. Et Chriſtus *Matth.* 20: 18. docet nos ideo malos non eſſe, hoc eſt, non ideo nos ullius peccati reos facere, ſi jure noſtro utendo, aliorum invidia inde ſævior & irritatior fiat. Permittit Chriſtus diſcipulis, ut de civitate in civitatem fugiant. Et Apoſtoli doctrinæ præceptoris memores, non dubitarunt fuga ſibi conſulere, & ita eludere malos adverſariorum conatus. Nec putavit Paulus ſibi fas non eſſe provocare ad Cæſarem, ut ita ſe liberaret ab iniqua Judæorum perſe-

cuti-

cutione; quamvis id Judæis ingratum erat, novæque inde iis curæ oriebantur, *Act.* 25. Neque aliquis exiſtimat ſe parum charitati ſatisfacere, ſi illi, qui noſtrorum bonorum cupidus eſt, ſua non largiatur atque donet; ne aliena concupiſcendo peccet, aut tentationi concedens, ad furandum ſeſe proripiat. Neque putabit aliquis illicitum eſſe, honorem & famam ſuam tueri, etiamſi id fieri non poſſit ſine proximi opprobrio, ita ut proximus mendacii vel fraudis arguendus ſit, *Actor.* 23:3. Neque eſt quiſquam eouſque ratione deſtitutus, ut putet tale factum charitati repugnare, quamvis famam meam non tuear ſine damno proximi: ſed producens teſtimonia contra proximum, quibus fides teſtimonii illi abrogatur, & merito ejus fides & probitas in dubium vocari debent, cum directè petam, & damno afficiam: quemadmodum in neceſſitate legitimæ tutelæ, directè peto proximum lædendo, & ita arcendo ipſum, ne me lædere poſſit. Pluribus hæc probare eſſet operam perdere, cum res ſit per ſe nota. Non itaque charitati aut patientiæ, atque lenitati aut æquitati animæ hominis Chriſtiani repugnat aliquid agere, quod proximo ingratum ſit, aut unde illi aliquod damnum oriatur.

De proximo impedimento ponendo, propterquod id, quod vult, obtinere non poteſt, idem dico Paulus provocans ad Cæſarem objecit adverſariis impedimentum, quo impediti fuere ad exequendam maleficam illam voluntatem, quam conceperant contra Paulum; oppoſuit ſc. jus appellandi, & authoritatem Imperatoris, qua jus illud munitum erat. Præterquam quod, ſi contraria ſententia ſtaret, non liceret ædes foſſis, muris, feneſtris & cancellis munire, quibus fures aditu prohibeantur. In omnibus hiſce jure noſtro utimur contra voluntatem proximi; neque tamen charitatis officia deſerere putamur. Ad hunc ſecundum modum, nempe, ad modum aliquid agendi contra voluntatem proximi, refero, quoties fuga, vel noſtra bona aliò deportando, impedimus, ne proximus voti potiri poſſit, & noſtra rapere & ad ſe trahere. Et vis atque coactio tunc ſeſe manifeſto prodit; ſtatimque omnes exclamamus per vim nos impediri, quo minus noſtrorum potiri poſſumus; quando nos æſtimamus nos noſtris rebus, & quarum domini ſumus, fraudari proximi fuga, aut quarundam rerum in alienas terras, in quibus nullam poteſtatem habemus, deportatione: neque dubitamus dicere, vi nobis ablata quæ noſtra erant; quamvis nec fores effregerit, neque armis munitus nos impedierit ab uſu & poſſeſſione eorum, in quæ jus habere putabamus.

Tertius gradus ponendi impedimenti proximo eſt, quando non tantum aliquod impedimentum ponitur proximo; ſed quando immediatè à nobis, aut ab uſu noſtri juris, proficiſcitur vis, qua proximus impeditur & prohibetur facere, quod ipſi placet aut lubet: fitque cum aut manus aut pedes funiculis v. gr. conſtringo, cum ergaſtulo eum includo, cum gladio aut ſclopeto ipſum aggredior, denique cum vulgo dicta hoſtilia adverſus illum perpetro, prædam de illius bonis ago, denique occido. Hæc pariter ex iiſdem fundamentis aſſerimus charitati non repugnare, neque cum vindicta, in Sacris prohibita, ullam communionem habere; adeoque homini Chriſtiano eſſe licita. In prioribus enim, quę tamen adverſarii licita putant Chriſtianis, eadem vis eſt, quæ in hoc caſu, quem jam tractamus: videtur quidem eſſe in hoc poſteriori caſu vis major, ſed quandoquidem gradus non mutant rei naturam, ſi vis in prioribus non repugnet charitati, patientiæ Chriſtianæ, aut Chriſti præcepto de non vindicando, ergo nec in caſu poſtremo. Hoc ſaltem concedere tenentur, omnem vindictam, pœnam, caſtigationem, &c. non eſſe illicitam, ſed illam tantum, quæ *naturales proximi facultates conſtringit, imminuit aut tollit*: ſed addimus præterea

 totam

totam adverſariorum diſtinctionem inanem eſſe. Illi qui exiſtimant eum præcipuè vim proximo inferre, qui illius brachia aut pedes vinculis conſtringit, aut verberibus & plagarum dolore, eum cogit in ordinem, oſtendunt ſe de rerum natura externis potius ſenſibus, quam ratione judicare. Nam quare putamus actionibus jam dictis proximo vim inferri? Nonne ideo, quia in corpore eſt mens humana intellectu & voluntate prædita, *cui voluntati impedimentum ponitur*, ne exequi poſſit per corporis membra, *quod* vult & intendit: & ſi nulla eſſet voluntas in corpore humano; aut ſi quidam motus membrorum eſſet involuntarius, qualis contingit in convulſionibus, & ſi proximi cohiberem quosdam corporis motus, nemo putaret me ideo proximo vim inferre, quamvis ſine vi non poſſim cohibere motus convulſivos, aut bruti alicujus impetus. Ex quibus luce clarius ſe prodit, *vim*, de qua jam ſermo eſt, *conſiſtere in poſitione impedimenti, quo fit, ut proximus exequi non poſſit id quod velit*, quod jam ſupra indicavimus.

Et præter rationem eſt, docere ſpeciatim plus mali eſſe in poſitione impedimenti, quo uſus membrorum eo modo impeditur, quo proximus ſuis manibus aut vinculis, proximi membra ab uſu, quem proximus vult atque intendit, cohibet, quam ſi alio modo alius membrorum uſus contra voluntatem proximi prohibeatur. Nonne tandem ad illam abſurditatem ipſis veniendum erit, actionem illam, quâ meis manibus proximi manus cohibeo, phyſicè conſideratam, eſſe peccatum; cum revera omnis actio mala ſit, quia ea in aliquam legem peccatur? At quæ lex dictat ipſe malum eſſe, *manus aut pedes proximi noſtris manibus cohibere?* Nonne in convulſionibus hoc licet? Nonne in phreneticis? *Ubicunque itaque voluntati impedimentum ponitur, ibi eſt vis.* Neque ulla alia vis legibus prohibetur, quam ea, quæ pugnat cum *charitate* aut *tolerantia Chriſtiana*; aut quæ vindictæ illicitæ rationem habet. Nonne præterea eodem redit; ſive verberibus & plagarum dolore, proximum cogam in ordinem, ſive aliâ re, homini ingratâ, & à qua liberari exoptat? Quid quæſo intereſt, ſive aliquem, qui libere cameram ingreſſus eſt, in ea concludam, captivumque detineam, ut parietum obſtaculo impediatur pedes ultra 10 pedum ſpatium promovere, ſive vinculis idem impedimentum pedibus ponam? Quid refert, ſive lapidum mole & navium ſubmerſione, portum obſtruam, & ita ſubvectionem commeatus impediam, ſive vi immediate attingente corpora eorum, quibus commeatus ſubvectionis cura demandata eſt, commeatu obſeſſos prohibeam? Utrobique enim vis eſt. Quod quæſo diſcrimen, ſive laqueo aliquem gula frangam, ſive fame perire ſinam? Certe apud Magiſtratum eâdem pœna tale facinus vindicabitur. Et adverſarii non poterunt oſtendere, *priori facto magis charitatem lædi, quam poſteriori*; aut prius plus repugnare legi de non vindicando, quam poſterius. Quid intereſt, ſive gladio aliquem occidam, ſive fame perire ſinam, mihi reſervans alimenta, quibus proximus ſuſtentari poterat? Quid intereſt, ſive membrum ſocietatis ſerra aut cultro amputem, ſive fame enecem? Quid refert, ſive metu armorum cogam proximum in ordinem, ſive metu famis, impediens annonæ ſubvectionem? Quid refert, *ſive filium caſtigem verberibus*, & ita ad meliorem frugem convertere nitar, ſive eodem tendam me ſeveriorem, & inclementiorem erga ipſum præbens, eâque ſeveritate utens, vice caſtigationis; atque ita *malum pro malo rependens?* Agnoſcunt quidem in iis exemplis, in quibus vis non ita immediate attingit corpus proximi, aut non ita explicatur atque dirigitur in proximi facultates, plus ſe prodere innoxiam defenſionem ſui; viderique hominem magis paſſivè in iis ſe habere, quam quidem in iis exemplis, in quibus vis infertur ipſi homini, aut bona & fortunæ hoſtili invaſione

ſione diripiuntur. Et arbitramur inde natum, quod multi exiſtimant minus charitati, & præcepto de non vindicando, aut patientiæ Chriſtianæ repugnare, fuga conſervare id quod putamus noſtrum eſſe, quam minis, fuſtibus, & gladiis ſua tueri. Sed primum, inde non evincitur, *vim* in utriuſque generis exemplis pariter non adeſſe. Deinde offenſio, vindicta, vis, &c. utrobique eadem eſt: neque licet excogitare defenſionem ullam, quæ in ſe non complectitur offenſionem: ſed hæc duo vocabula inventa ſunt ad diſtinguendas duas diverſas circumſtantias ejuſdem naturæ belli. Cum ſtudemus ſervare ea, *quorum uſum & poſſeſſionem habemus*; *neque invadimus aliquid proximi*, *cujus ille pariter uſum & poſſeſſionem habet*; dicimur nos *paſſive* habere. Sic qui navi fugiens merces, quas in ſua habet poteſtate, hoſtium poteſtati non permittit, is dicitur *paſſive* ſe habere: ea enim fuga nihil ejus quod proximi eſt, ſive bona ſive corporis facultates invadit. At qui ea quæ poſſidet, ita conſervare atque tueri conatur, ut etiam in aliquid proximi manus injiciat, is offenſivum bellum gerere dicitur. Eſt tamen in utroque bello vis ejuſdem naturæ; eſt in utroque offenſio & læſio proximi, *utrobique ſtatus hominis non parati omnia pati & tolerare*, *quæ proximus in ipſum molitur*: *imo parati noxa & damno afficere proximum*, *ut ſua tueatur.* Primo, quia mihi fuga ſubducitur quod meum eſſe dico, aut ſaltem in quod jus ad reparandam noxam me habere duco. Secundò, iis carens, quorum uſum proximus per fugam mihi non concedit, multis vitæ commodis, imo ipſa ſalute carere debeo: quod fit, cum proximus fuga eorum, quæ mihi ad vitam ſuſtentandam neceſſaria ſunt, uſum & facultatem non concedit. Ergo in defenſione etiam *abſolute paſſiva* vis eſt & læſio proximi; & qui hanc inter Chriſtianos licitam putant, (ſicut omnes quotquot unquam ſunt, fuerunt, aut futuri ſunt homines, eam innoxiam eſſe credunt) etiam *offenſionem licitam* eſſe ſtatuere debent. Atque ita vis, vindicta, pœna, læſio proximi, vel aliquid facere atque conari, quo proximus lædatur, offendatur, vel etiam ad meliorem frugem convertatur, non repugnant charitati aut legi Chriſti de non vindicando.

Et eritne tantum crimen, & ita cum omni charitate pugnans, ejuſmodi *vis*, qua v. gr. corpus *proximi* immediate tantum lædo, ut Chriſtiano in quovis caſu ea ſit illicita, quamvis ipſi fas ſit in aliquo caſu *vi*, quæ naturâ eadem eſt cum ea, qua corpus proximi immediate lædo, ſed in accidentibus tantum differt, proximi interitus cauſam exiſtere? Si res ita ſe haberet, Chriſtus non omnem vindictam interdixiſſet Chriſtianis, ſed illam tantum, *qua immediatè proximum invadimus*: nunc autem omnem vindictam in genere prohibuit; nempe, quæ cum Chriſtiana charitate pugnat. Et notum eſt, ſæpius plus damni creari proximo ex bello defenſivo, quam offenſivo; & utrumque bellum, ſive privatum ſive publicum, eundem reſpicere finem, *nempe, ſui ſuamque conſervationem*; & in utroque bello charitati æque ſatisfieri, aut ab ea æque deflecti, in eamque peccari æque, & in utroque bellatores intra patientiæ Chriſtianæ leges ſe continere, aut eas tranſire poſſe: nempe, quando nos noſtraque non magni facientes, & avaritiæ, dominandi libidini, ſuperbiæ, ſeveritati, &c. frænum injicientes, ita nos gerimus erga proximum, quemadmodum virtutes, quæ conciliationem & conſociationem inter homines tuentur, imperant: quas non prohibere uſum juris noſtri, etiamſi proximus inde lædatur, ſupra probavimus. Eas tranſgredimur, quando modò nominatis vitiis indulgentes, nos omnibus modis proximo præbemus moleſtos & incommodos.

Tertiò, quare illa vis, quæ immediate corpus proximi lædit aut invadit, pugnabit cum lege Chriſti? An quia *charitati & tolerantiæ Chriſtianæ repugnat*? An potius

quia

quia *vindictam* infert; vel quia vim inferre proximo, & naturales hominis facultates ita conſtringere, ex ſe ſuaque natura malum eſt? Poſtremum nunquam dicturi ſunt; cum actio phyſica ex ſe mala non ſit, ſed mala propter vitium morale exiſtimatur; quia eo peccatur in aliquam legem moralem. Præterquam quod tunc infantes ratione deſtitutos, aut furioſos vi cohibere non liceret; quod tamen licitum eſſe adverſarii concedunt. Erit ergo, quia talis vis charitati non quadrat: ſed neque id ſanè ab iis doceri poteſt; cum ex allatis exemplis liqueat, proximo majus damnum creari poſſe ex actionibus, quæ immediate corpus hominis non attingunt, quam ex iis, quarum vis & effectus per ſe ad corpus hominis pertinent. Et ſi tales actiones vindictam inferant, pugnabunt cum charitate: vindicta enim, ex adverſariorum ſententia, illicita eſt, quia charitati Chriſtianæ repugnat. At an in talibus *malum pro malo rependitur?* An non etiam iis, in quibus talis vis ſe non prodit? Intueantur in exempla ſupra allata, & aliter exiſtimabunt. Vel an potius vindicandi animus cum tali actione ſemper cohæret cum aliis actionibus, quibus proximus læditur non ita? At etiam contrarium evincunt exempla allata. Sed fortaſſis putabunt illud genus cohibitionis ideo Chriſtianis illicitum, quia *pugnat cum illo leni atque quieto ſpiritu, qui coram Deo ita pretioſus eſt*, 1 *Petr.* 3:4. Sed ille lenis & quietus ſpiritus fuit etiam ſub V. T. ſicut ex loco citato liquet: fuit tamen talis vis eo tempore licita, etiam ex adverſariorum ſententia. Deinde quaſi Magiſtratus, paterfamilias aut dominus civem, liberos & famulos ſuos caſtigare, & in ordinem cogere non poſſent, niſi ira excandeſcentes. Præterquam quod omnis animi commotio aut paſſio ſub N. T. vitio non vertitur, *Act.* 17:16.

Quarto, quid ſi probetur omnem vim, quæ in vindicta proba & licita, tam publica quam privata, exercetur, eſſe meram defenſionem, & eam ſemper eſſe occupatam in defenſione juris noſtri: imo illam vim ita tantum *per accidens* ſequi ad defenſionem juris mei, quemadmodum cum ædifico in fundo meo juxta civitatis leges, proximus *cui benè volo*, inde damnum patitur contra ſuam voluntatem? Sed quia perſpicua hujus rei intelligentia magnum habitura eſt uſum, ob rem erit ejus rei expoſitioni paululum inhærere, quam tamen quam breviſſime potero, expediam. Notum eſt, Deum in verbo ſuo hominibus nullas aſſignaſſe terræ, & eorum, quæ ea producit, poſſeſſiones: non itaque ex jure Divino poſitivo peti poſſe fundamentum juris, quo homines ſibi vindicant res creatas, eaſque in ſuum uſum convertunt: petendum itaque illud ex jure naturali; quod jus ſingulare *de diſtinctione dominiorum* ita inveſtigatur.

Quandoquidem vitam, quam Deus mihi conceſſit, conſervare non poſſum, niſi me tuear à noxa, quam bruta, homines, elementa, &c. mihi inferre poſſunt, & niſi ſimul me cibo & potu ſuſtentem; mihique ex eodem jure pariter licitum ſit ſtudere, quam tutiſſime & quam maximè tranquillè, ſecurè & commodè vitam tranſigere, 1 *Cor.* 7:22. cavens in omnibus, ne peccem in Deum & proximum: inde recte concludo Deum mihi indulſiſſe jus & uſum earum rerum, quas judico iſtis, quas jam enumeravi, rebus conducere. Pariter notum eſt, Deum nullum hominem conſtituiſſe, qui in ſtatu *naturali* ea authoritate prædictus ſit, ut cuique præſcribat, quomodo de ſingulis, quæ occurrunt, judicare debeat; atque ita ſingulorum officium ſit *iſto judicio* acquieſcere: ergo Deus id *ſingulorum judicio* permiſit; de quo, quia in ſuperioribus locutum, nihil dicam præterea. Ergo ſi judico fini ſupra memorato, nempe conſervationi mei, aliquid conducere, in illud etiam jus habeo, neque *proximò facio injuriam*, ſi ex ejus arbitrio non ſtatuam de iis, quæ mihi conducunt.

Si itaque amoliar obſtacula & impedimen-

menta, quæ mihi impediunt uſum juris mei, ſum tantum occupatus in defenſione juris mei; & ſi quod incommodum, aut noxa proximo creetur ex amolitione iſtius impedimenti, id tantum ſequitur *per accidens* ad uſum juris mei. Dico id *per accidens* ſequi, non quia me non providente, aut inopinato, illud damnum proximum occupat; ſed quia *primum*, non *intendo* proximi damnum, aut animo ejus aliquam ægritudinem creare; at intendo primum *jure meo uti*, quamvis prævideam, proximum ex uſu juris mei damnum paſſurum, & animi dolorem concepturum; quapropter etiam doleo, & mihi in votis eſſet, proximum eo malo atque dolore vacare, ſi fieri poſſet: & ideo poſſum & ſimul *illi bene velle, amare, omnes charitatis partes erga illum explere*, & tamen *noxa & damno illum afficere*. Poſſum in fundo meo extruere ædificium, & utens jure meo, proximo & damnum & dolorem creare, nec tamen peccare contra charitatis, aut tolerantiæ Chriſtianæ leges, aut contra leges de non vindicando. Et omnes, qui Magiſtratus, & vim atque cohibitionem, bellaque parum convenire putant charitati & patientiæ Chriſtianæ, tamen talem uſum juris cuivis Chriſtiano licitum putant: & *Vindicta humana, tam publica quam privata, reipſa nihil aliud eſt, quam noſtri juris uſus cum damno proximi*, quod, ita ut diximus, *per accidens* ſequitur. Et ex hoc unico fundamento proficiſcitur *jus vindictæ*, eodemque unicè nititur. Et quicunque in vindicta primum intendit lædere proximum, odit proximum, in charitatem peccat, & vindictam, quam Chriſtus prohibuit, exercet: neque candidè teſtari poteſt ſe nolle malum aut damnum proximi; tantum abeſt, quod cum tali intentione conſiſtere poſſit animus bene merendi de proximo.

Ex hiſce jam manifeſtum eſt, duplici ratione nos quidem à vindicta legitima deflectere in ſtatu *naturali*: prima eſt, *quando primum intendimus damnum & noxam proximi; poſtea noſtri juris defenſionem*: ſecunda eſt, *quando quidem incipientes quoad intentionem à noſtri juris defenſione, & ita per accidens lædentes proximum, tamen plus æquo noſtri curam habemus, & malis paſſionibus avaritiæ, ambitionis, metus, ſeveritatis, &c. ut conſiliariis utentes, non rectè judicamus de neceſſitate defenſionis noſtri juris.* At quamvis duplici hac via deflectitur à recto in exequenda vindicta, vindictæ tamen paſſio originem ex una tantum re trahit, nempe, *ex jure defenſionis ſui ſuorumque*: neque nos vindicamus, quia ſumus conſtituti *domini noſtri proximi*, aut *vindices peccatorum proximi*, aut quia à natura ulli jus conceſſum eſt judicandi proximum; ſed quia ſumus naturaliter conſtituti judices ad ex arbitrio noſtro utendum noſtro jure. Et ideo dicimus, nos in exercenda pœna tantum eſſe occupatos in defenſione juris noſtri, & ita omnem vindictam, ſive publicam ſive privatam, eſſe defenſivum bellum; & proximo tantum *per accidens* malum ex ea accidere, quia malum proximo non intendimus primum, ſed redundat id in illum ex propoſito utendi jure noſtro. Verum equidem eſt, aliquando proximo ingrata accidere ex uſu juris noſtri, quamvis ille nec re ipſa impediat, nec metus ſit illum impediturum, ne nobis ex noſtro arbitrio ſtatuere liceat de uſu juris noſtri; & tunc malum & ingratum, quod proximus ex uſu juris noſtri percipit, non vocatur pœna: & hujusmodi, e. gr. contingit in extructione ædium in meo fundo, qua fit, quod proximus minus commode ſuis ædibus uti poteſt. In pœna autem & vindicta ſemper præcedit judicium atque æſtimatio, proximum me impedire re ipſa, quo

minus ex arbitrio meo uti poſſum iis, quæ conſervationi meæ conducere exiſtimo, aut ſaltem eum impedire velle, & mihi ſufficientem de futuro damno cautionem præſtare nolle: ſed id non impedit, quo minus pœna humana vera, juſta, atque legitima manet à jure defenſionis ſui, quodque ea ſemper tantum in defenſione ſui juris occupata ſit, ita ut ex nullo alio jure vel minima noxa plectere poſſimus proximum, quam ea, quæ *per accidens* ſequitur uſum juris noſtri. Quod eouſque verum eſt, ut in nullam creaturam rationalem aut irrationalem, ſenſibilem aut inſenſibilem ullum jus exercere liceat; neque ullus earum nobis ſit legitimus uſus, niſi quatenus occupati in jure defenſionis noſtri noſtrorumque, proximo impedimus uſum rerum, in quas ille in ſtatu *naturali* tantundem juris habet: neque cuiquam licet ſtatuere hoc aut illud ſuum eſſe, hoc eſt, alteri impedire uſum rei alicujus, & illius proprium ſibi vindicare uſum, quam quatenus illud impedimentum proximo naſcitur ex jure defenſionis ſui ſuorumque, & ita *per accidens* ſequitur ad uſum juris noſtri. Cum itaque in ſtatu *naturali* ſinguli declarent, quouſque proximus utetur rebus creatis, interdicuntque ulteriorem uſum; aut cum idem imperia ſumma præſtant, hoc faciunt, non quia ſibi putant jus directum eſſe in ullas res creatas, ita ut Deus ipſos conſtituerit dominos rerum & hominum; hominesque reliqui non æque liberi, aut ſui domini ſint ac ipſi, aut non idem jus habeant ex ſuo arbitrio ſtatuendi, quid ſuæ conſervationi conducat: ſed quia putant ſibi licere jure ſuo uti, etiamſi ideo proximus minus ſua adminiſtrare poterit ex ſua voluntate. Jus autem illud eſt in omnes res, quas aliquis defenſioni ſui putat eſſe neceſſarias; & cum iis utitur, non invadit jus proximi, aut illi jus aliquod tollit, ſed impedit ne impediatur in libero uſu juris ſui: & ita occupatus in jure ſui defenſionis, & uſu juris ſui, proximo *per accidens* creatur damnum & noxa. Et cum privatus in ſtatu *naturali*, aut ſumma imperia, nullis pactis cum aliis conjuncta, aliis declarant, quid fieri velint, ut libere ſuo jure uti poſſint; adduntque minas & comminationes, eaſque re ipſa exequuntur, ſi minus dicto obſequentes ſe præbeant, id faciunt, non quia aliorum judices & domini conſtituti ſunt, aut quia jus à Deo conceſſum habent ſub judicis aut domini perſona facta, conatus & ſtudia proximi, quæ iniqua aut non proba exiſtimant, pœna proprie dicta, & quæ ſolum in Deo locum habet, vindicare: ſed quia Deus iis conceſſit jus ſe conſervandi, & judicandi de iis, quæ ad ſuam ſalutem pertinent. Et ita conſtituti in uſu juris ſui, per comminationes & pœnas tollunt tantum impedimenta, quibus prohibentur à libero uſu ſui juris. Ita ut in tota vindicta legitima nihil aliud, quoad rei formam, occurrat, quam quod evenit, cum aliquis in fundo ſuo aliquid ædificat, ex quo proximum damnum & noxam capturum prævidet, & ideo id ægre laturum, ſeſeque oppoſiturum; ideo primum foſſam aut murum ducit, quo proximum impediat, &, ut ita dicam, proximi pedibus & manibus vincula injiciat, ne eas extendat, aut iis ſe conferat ad locum ædificii, & ita ædificatores turbet. Eſtque cognitio hujus rei adeo inſita omnium mentibus, ut ad primas notiones meritò referatur; nec ex ullis abditis aut reconditis fontibus hauriendum ſit, *non eſſe faciendum malum ut bonum eveniat*, *Rom.* 3. Contra pariter manifeſtum eſt, quemadmodum etiam in medio poſitum eſt, & communi quodam in uſu, atque in hominum more atque ore verſatur, *licitum quidem eſſe uti ſuo jure, quamvis* per accidens *proximus parcius quibusdam fruatur, & noxa & incommodo*, ſi ita loqui liceat, *afficiatur:* & ideo nos nullum in res qualeſcunque directum dominium habere, ſed ex jure defenſionis nos meritò tollere omnia impedimenta, quæ nobis obſunt in uſu juris noſtri. *Ita is*, qui non ambigit quin ſibi liceat mem-

membrum corporis ſui gangrenâ affectum, amputare, ſine ulla tamen hæſitatione ſtatuit ſibi non licere, propter lucrum membrum amputandum dare: licet enim nobis jure noſtræ conſervationis uti, vel cum membri noſtri corporis impendio; at non licet membrum noſtrum vendere. Sic mihi licet in uſu legitimæ tutelæ, qualis in omni bello legitimo reperitur, proximum interimere: ſed non licet mihi proximum, qui me telo non aggreditur, interficere, ut ab alio vitam ſalvam paciſcar; quia mihi licet me defendere, etiamſi *per accidens* in defenſione mei ſuccumbat proximus: at mihi non licet vendere vitam proximi, quia in eam nullum directum jus habeo. Propter eandem cauſam licet mihi, ut mortem vitem, me captivum barbaris, & ab omni vero Dei cultu alienis tradere, inter quos nullo cultu externo Deum meum venerari licebit: non licet tamen pretio cum iiſdem paciſci de non colendo Deum cultu externo, ut vitem damnum. Licet abeſſe à ſacris, modo ita ſum occupatus in *propulſione damni*, ut intermiſſus cultus ſequatur *per accidens* uſum juris mei: at non licet redimere intermiſſione cultus damnum aliquod. Licuit Davidi panes propoſitionis edere, & ita intermittere præcepti Divini obſervationem, ut amolirentur famis incommoda; at non licuit Davidi paciſci de non obſervando eo præcepto, etiamſi eo pacto extremum vitæ periculum, ab hoſtibus ipſi imminens, propulſare potuiſſet, & ab iis obtinere, ut vitæ uſuram tunc ſibi concederent. Non licet Magiſtratui Chriſtiano pretio vendere idololatris aut Judæis, libertatem exercendi damnata ſacra; at licet eidem Magiſtratui indigenti Ethnici alicujus induſtria, & Judæorum habitatione in ſua ditione, ut ſe tueri contra hoſtes, & belli ſumptus ferre poſſit, fructus & utilitates, quæ idololatrarum & Judæorum inhabitationem in ſua ditione per ſe ſequuntur, percipere, quamvis illam perceptionem utilitatum ſequatur falſi cultus exercitium; quemadmodum mihi arte & induſtria chirurgi aut medici, vitæ impuritate civibus ſcandalum præbente, uti licet: idem dico de nauclero & exercitus duce improbo, quorum opera & peritia indigemus. Et ſexcenta hujusmodi exempla in medium adferre liceret, ſi operæ pretium foret; & niſi in alio tractatu ex profeſſo controverſiam illam tractaſſem. Unum tamen adhuc exemplum, quod rei, quam præ manibus habemus, affine eſt, proferam. Judex, aut is, penes quem eſt ſummum imperium, nunquam pretio aut mercede inductus, reo culpam aut pœnam condonare poteſt, atque ita juſtitiam vendere; licet tamen eidem, imo officium illius eſt, reum dimittere impunitum, ſi prævideat pœnæ inflictionem redundaturam in ſocietatis civilis damnum: cujus rei exemplum habemus in Davide non vindicante Joabi perfidiam & homicidium, 2 *Sam.* 3:38. Ita Navarchus, nauclero homicidę meritò parcit, neque eum ultimo afficit ſupplicio, ne morte naucleri ipſa navis, & qui in ea vehuntur, adducantur in periculum; & ſi naucleri opera ſemper indiget, licebit in perpetuum nauclerum pœna eximere. Non licuiſſet tamen Davidi aut navarcho, accepto pretio aut pecunia, reo delicti gratiam facere.

In quo exemplo hæc ſe produnt, primò, malum quo afficimus proximum in puniendo, *per accidens* ſequi ad uſum juris noſtri; nos itaque proximum non punire, quia illum odimus, aut illi male volumus, aut quia primò ejus damnum aut noxam intendimus, quæ damnatæ & culpandę irę atque vindictę individui ſunt comites: ſed proximo malum ex pœna creari, quia occupati in uſu juris noſtri, nempe noſtri defenſione, cogimur amoliri omnia, quæ uſum juris impediunt; vel potius, quia uſui libero juris noſtri adhæret *per accidens* damnum proximi: quemadmodum ſtudio atque juri conſervandi totum corpus, adhæret *per accidens* amputatio membri gangrenâ infecti. Ita ut

non magis charitati aut patientiæ Chriſtianæ repugnet proximum punire, quam brachium gangrena infectum amputare: neque ideo meliore jure dicimur odiſſe proximum, quam odiſſe noſtra membra ægra & morbida. Et tantum abeſt vindicta humana legitima ab ea, quam jus Divinum atque humanum æque damnat, quantum abeſt propter ſtudium ſe conſervandi, membrum gangrena infectum amputare, ne malum ulterius ſerpat, *à læſione ſui ex deſperatione & odio.*

Secundò, ex hoc exemplo liquet, nos malum aut peccatum in proximo non punire, quia malitia & vitioſitas eſt in illius actione, quod propriè eſt *peccatum punire*, ſed quia nobis obeſt, & nocet in libero uſu noſtri juris: quod palam eſt, quando duo ſumma imperia mutuo bello implicantur; tunc enim alterum bello alterum non laceſſit, quia non paret ſuo imperio, (neutrum enim alterius imperio ſubjectum eſt, aut in alterum jus habet, ut non ſuo, ſed alterius judicio ſtatuat, quid juſtum & æquum ſit fieri) atque ita non punit, quia ſibi ab altero injuriam factam putat, quod potius ex ſuo, quam ex alterius ſummum imperium obtinentis arbitrio, ſtatuat quid ſibi ad ſui defenſionem neceſſarium eſſe putat: ſed alter ſummus ſuorum dominus, jure ſuo utens in æſtimando, quid ſibi juris competat, occupat jure ſuo uti, & alterum qui illud impedire vult, ſummovere ut ſuo jure liberè uti poſſit. Et quamvis jus naturale dictet, omnibus modis pacem proſequendam eſſe, ideoque *arbitrorum uſum non rejiciendum*; jus naturale non jubet ideo ſelectum arbitrorum relinquendum eſſe adverſæ parti; aut exiſtimandum eſſe eum, cum quo nobis controverſia intercedit, ſe nobis æquiorem præbiturum in deſignandis arbitris.

Tertiò, juſtitiam punitivam humanam non proficiſci à ſanctitate, aut dominio, aut jure judicandi atque puniendi proximum, naturaliter nobis competente in proximum: quaſi Deus in ſtatu *naturali* aliquot homines aliis ſubjeciſſet, voluiſſetque quoſdam ſtare & cadere alterius arbitrio; quibuſdam autem id muneris demandaſſet ut alios regerent; & quod caput eſt, iis pro merito aut demerito pœnas & præmia irrogarent. Ego enim falſiſſimum eſſe ſtatuo aliquos homines *natura ſervos eſſe*: nam quamvis veriſſimum ſit, quoſdam adeo mente & corpore imbecilles eſſe, ut ſe regere aut tueri non poſſint, adeoque eos peccare non ſolum, quod in alios imperium affectent, ſed etiam quod ſe aliorum imperio non ſubjiciant, peſſime tamen inde concluditur ſapientiori *jus eſſe* in ſtolidiorem: ſed è diverticulo in viam. Dicimus itaque ex hoc exemplo liquere, juſtitiæ humanæ non eam eſſe rationem, ut à ſanctitate, dominio aut jure judicandi alios proficiſcatur; nam tum fas non eſſet facinoroſum *impunitum demittere*, multo minus ſinere eum fungi ampliſſimo in republica munere. Imperantes pœnas non intenderent juxta *magnitudinem damni*, quo delictum ſua natura aptum natum eſt affligere rempublicam, ſed juxta magnitudinem *malitiæ atque vitioſitatis*, quæ in delicto eſt; eſſetque homo propter juſtitiam punitivam, non juſtitia punitiva propter hominem; & peccatorem impunitum demittere, ne pœna ejus redundet in reipublicæ damnum, *eſſet facere malum ut eveniret bonum*, *quorum condemnatio juſta eſt.* Origo itaque pœnarum eſt ex defenſione ſui, tam in ſtatu *naturali* quam *civili*. Magiſtratus ſummus à populo creatus, nomine ſocietatis pœnas infligit, ut ſocietatem tueatur à periculis: & *juſtitiam facit*, cum officio ſatisfaciens, & juxta æquitatem, ſine acceptione perſonarum, ſingulorum civium ſingula peccata æſtimans ex noxæ magnitudine, qua civitatem afficiunt, non ex perſonarum qualitate, quæ ea perpetrant, nec cuiquam ideo gratificans, debita & juſta pœna ea peccata ulciſcitur: quæ juſtitia pœnæ petitur, ut diximus, non ex magnitudine *malitiæ*, ſed *damni.* Et ita *inju-*

injuſtitia magiſtratus in duplici re verſatur; quod non attendens ad noxæ magnitudinem, qua peccatum ſua natura affligere poteſt ſocietatem, ſed talis qualitatis perſonæ, quæ in pœna nullum momentum habere debet, rationem habens, reo aut delicti gratiam facit, aut eum minus inclementer tractat, quam per leges determinatum fuit, ut tales tractarentur.

Ex quibus omnibus jam manifeſtum fit, *vim & pœnam* Chriſtianis eſſe licitam; charitati aut tolerantiæ, & manſuetudini Chriſtianæ non eſſe oppoſitam; adeoque nec lege naturę, nec Sacra Scriptura prohiberi: ſed eam tantum, quæ ex ſtudio & libidine nocendi proximo proficiſcitur, charitati atque tolerantiæ Chriſtianæ non convenire, quæ jubet *omnia tegere, omnia credere, omnia ſperare, omnia ſuſtinere*, 1 *Cor.* 13: 7. Et ideo loca, quæ *vindictam* & *vim*, quæ proximo infertur, prohibent, interpretanda ſunt de *vindicta illicita*: alioquin omne genus *caſtigationis* foret illicitum, etiam illud, quo parentes ſe minus indulgentes præbentes liberis, qui abuſi ſunt ſua liberalitate, eos adſtrictius regunt. Neque Paulo fas fuiſſet ſociis navigationis indicare nautas, qui ſcaphi fugam parabant, detinendos eſſe in navi, ſi ſalvari vellent, *Actor.* 27: 31. quod certe ſine vi fieri non potuit. Nec liceret *vi retinere* eum, qui ſe it perditum, ac ſibi mortem inferre parat, aut infanti bimulo aut trimulo v. gr. necem intendit. Et cum lex Moſis jubeat proximum diligere ſicut ſeipſum, *Levit.* 19: 28. bella tamen & magiſtratus munera populo Iſraëlitico imperaverit, liquet inde vim & cohibitionem non repugnare charitati, aut Chriſtianæ tolerantiæ. Imo non liceret talem pœnam Eccleſiaſticam exercere, quâ *per pudorem, quem directe intendimus*, correctio peccatoris aut errantis in fide obtinetur, quam tamen Apoſtolus in Eccleſia fieri jubet, 2 *Theſſ.* 3: 14. & quam adverſarii probant, dictitantes id fieri *in bonum peccatoris*: quaſi nulla vindicta poſſet fieri in bonum illius qui punitur; cujus contrarium liquet *in caſtigatione paterna*: & quaſi ex adverſariorum principiis non ſequatur, nullam pœnam qualemcunque, civilem aut Eccleſiaſticam, locum habere poſſe ſub N. T. quia *in omni pœna redditur malum pro malo*: & per pœnam qualemcunque peccatorem non ratione, & argumentis convertimus ad meliorem frugem, ſed aut *corporali*, aut *pecuniaria pœna*, aut *pudore* & *infamia*. Quibus addo ſententiâ Mennonitarum tolli differentiam domini & ſervi, quæ tamen ſub Euangelio viguit, *Eph.* 6: 5. *Coloſſ.* 3: 22. Si enim nulli licet imperio uti, nihilo plus juris habet dominus in ſervum, quam in ſibi parem; licebit enim tantum utrobique inductione & perſuaſione uti, neque diutius poterimus eſſe domini, quam ſervo placet: nam certe ubi eſt dominium, ibi eſt jus imperandi; ubi eſt jus præſcribendi leges, illic eſt jus puniendi: nulla enim lex ſine pœna. Idem dico de rerum dominio; ceſſat enim omnis bonorum diviſio, ubi Magiſtratus civibus non poteſt præſtare poſſeſſionem certam, quod ſine pœnarum metu fieri non poteſt: & jus imperandi toto cœlo diſtat ab illo jure, quo ſinguli proximum admonere & exhortari debent, quod filio & ſervo cum patre & domino commune eſt. Locus itaque *Matth.* 20: 25. *Scitis Principes gentium in eas dominari, &c.* non ita interpretandus, quaſi dominatus & imperia inter Chriſtianos tolleret: nam ſi verba & voces urgeas, & jus dominorum in ſervos, & patris in filios tollunt; neque cuiquam alteri aliquid *imperare* licebit, ſed utrumque jus, tam domini quam patris, erit jus *miniſteriale*, quale obtinet in Eccleſia, & ad quod Chriſtus reſpicit, in quo perſuaſio, admonitio & inductio tantum locum habet; & in quo qui paret, non paret *alterius imperio*, ſed ſuo *proprio judicio & conſcientiæ dictamini*; nec tenetur, imo fas illi non eſt, *jus imperii in rebus, quæ fidem ſpectant, agnoſcere*. At qui in hac controverſia à nobis diſſentiunt, agnoſcunt ali-

aliquod jus imperii, quod obligat inferiorem ad obedientiam *ipſo imperandi jure*, in rebus quæ ad conſcientiam non pertinent: alioquin parentibus & dominis jus non eſſet imperandi, imo *domino fas non eſſet, famulum in pœnam inobedientiæ dimittere.*

Adhuc quædam loca Sacræ Scripturæ nunc addere lubet, quæ evincunt imperia & bella ſub N. T. licita. De jure dominorum imperandi ſervis & famulis, ſupra loca citavimus. De jure Magiſtratus loquuntur omnia loca, quæ jubent atque imperant magiſtratibus obedientiam præſtandam eſſe, *Rom.* 13: 1. *Tit.* 3: 2. 1 *Pet.* 2: 13. Ex his jam etiam manifeſtum eſt, *excellentiam* illam & *Majeſtatem*, quæ imperantibus adeſſe debet, optime convenire cum illa *humilitate*, quam Chriſtus ubique inculcat: pari enim jure omnis dignitas à parentibus & dominis tolli deberet. Quemadmodum etiam *imperii & dominatus* optimè conveniunt cum mandato Chriſti & Apoſtolorum, jubentium ut nos humiles & demiſſos præbeamus puerulorum inſtar; & ne alta & ſublimia in hoc mundo affectemus, *Matth.* 18: 5. 6. *Rom.* 12: 10. 16. Aliud enim eſt, *dominandi libidine* ſeſe velle extollere ſupra alios, quod vitium vulgus *ambitionem* vocat: aliud, *propter neceſſitatem ſe ſuoſque defendendi, homines multos urbeſque munitas comparare in ſubſidium.* Aliud etiam eſt, moderate, & in finem jam dictum, aliud, intemperanter imperio uti: multo minus pugnat vindicta humana cum præcepto condonandi proximo, *Matth.* 6: 14. 15. 18: 22. In legitima enim vindicta omnia condonamus proximo; & nos noſtraque tantum tueri ſtudemus: neque malo afficimus proximum, ut pravæ vindictæ libidini (quæ malum & noxam proximi primò intendit, aut præter noxam nullum verum uſum aut fructum præbet) ſatisfaciamus: ſed verè dolemus, nos ad hujuſmodi redactos vitæ conditionem, ut ſine damno proximi noſtra ſarta tecta conſervare non poſſimus. Non eſt itaque neceſſe in vindicta legitima exhortari proximum ad pacem & reconciliationem; non magis quam id neceſſe eſt fieri, quando duo animo conjunctiſſimi ad componendam litem, quæ inter ipſos orta eſt, arbitrum elegerunt, cui totum negotium omni odio & ira vacui commiſerunt. Cum itaque & illi qui puniunt, vi utuntur, imo bella gerunt, poſſint vocari *mites & pacifici*, poſſunt etiam eſſe participes iſtius beatitudinis, cujus mites & pacificos fore hæredes, Chriſtus declarat, *Matth.* 5. Quod autem Apoſtolus *Epheſ.* 6: 12. docet, nos *bellum non habere cum carne & ſanguine*, ex eo non evincitur Chriſtianis bellum corporale eſſe non poſſe cum proximo: ſed ſenſus eſt, aperta illa bella, quibus petimur ab hominibus in hoc mundo, minus gravia & minus nobis calamitoſa eſſe iis, quæ Diabolus fraudum & impoſturarum inventor calidiſſimus, nobis infert, continuò nobis inſidians, & per cuniculos nobiſcum agens, cordiſque interiora petens. Loca autem illa V. T. quæ prædicunt ſummam fore pacem tempore Euangelii, *Jeſa.* 11: 6. 65: 25. *Hoſ.* 2: 17. eſſe intelligenda de pace ſpirituali certum eſt; cum ex Chriſti prophetia, qui prænunciavit graviſſima excitatum iri bella ex ipſa Euangelii prædicatione, *Matth.* 10: 34. & 24: 7. Cum etiam ex verbis Zachariæ, *Luc.* 1: 57. & 2: 14. quæ de pace ſpirituali intelligenda eſſe eventus docet. Sunt itaque illa loca intelligenda de illa pace, quam Chriſtus in cælum concedens diſcipulis ſuis dedit, *Joh.* 14: 27. *Pacem relinquo vobis; pacem do vobis.* Quæ ſpiritualis pax optime conſiſtit cum bello corporali. Vel ſi illa loca vaticinentur de ceſſatione bellorum corporalium, innuunt & prædicunt feliciſſima quædam fore tempora, quibus pax vigebit, & homines liberi ſunt futuri à belli calamitatibus, & mundus vacuus ab omnibus illis peccatis & ſceleribus, quæ bellum ſecum trahit: quemadmodum jurgiorum & litium quies in foro, ceſſare facit odium litigantium.

Loca

Loca autem, quæ ſupra adduximus ad probandum bellum ſub N. T. eſſe licitum, adverſarii exceptione quadam, quam hic apponere operæ pretium erit, infringere conantur. Dicunt Deum quidem gentibus & Judæis, aliiſque à fide Chriſtiana alienis, jus imperii exercendi conceſſiſſe; & pro beneficio à Deo collato Chriſtianos reputare debere, quod ſub æquis & juſtis imperiis ipſis vitam agere contingat: ſed Deum tam excelſam ſanctitatem, & exaggeratam virtutem à Chriſtianis requirere, quæ cum jure dominii propter rationes ſupra traditas, non conſiſtat. Ad hanc exceptionem reſpondeo; primum, adverſarios excogitaſſe hanc reſponſionem, quia imbuti erant ea opinione, imperia charitati & tolerantiæ, atque longanimitati Chriſtianæ repugnare: ut ita *malus rationis uſus in rebus fidei*, & loca quædam Scripturæ malè intellecta, eos ad hujuſmodi effugia quærenda ſubegerint. Nam confido ex ſupradictis illos perſuaſos rationum ſuarum, quibus bella illicita putant, momenta leviora eſſe, quam quod tam aperta Scripturæ loca præponderare debeant. Deinde ſupra probavimus *legem moralem* eſſe immutabilem; neque ſub V. T. id vitio dandum, cujus Deus ſub V. T. autor extitit. Neque putandum ſub V. T. aliquid charitati non repugnaſſe, quod ſub N. T. cum ea non conſiſtit. Præterquam quod fruſtra ad hujuſmodi effugia receptum ſuum habeant adverſarii, ſi probare non poſſint noſtram ſententiam cum ulla charitate aut tolerantia Chriſtiana non poſſe conſentire. Quod inſtant, Judæos juſſos precari pro incolumitate regni Aſſyriorum, quod tamen tyrannicum, malis artibus quæſitum erat, & pejoribus conſervabatur: ad id reſpondemus, diſtinguendum eſſe inter regnum ipſum, & vitia quæ illud comitantur; inter perſonam, cui jus regnandi competit, & inter vitiorum turpitudinem, quæ ſuperbiæ & inhumanitatis culpa ab iis, qui rempublicam adminiſtrant, ſuſcipitur: quemadmodum diſtinguendum inter jus paternum & herile, & inter acerba atque iniqua patris atque heri imperia. Jubemur parentibus aſperioribus non tantum præſtare obedientiam, ſed precibus apud Deum contendere, ut omnia proſpera iis impertiri velit; idem dico de regibus & imperatoribus: Apoſtolus enim jubet precari pro regibus & imperatoribus ſui temporis, 1 *Tim.* 2: 4. At vixit tunc, cum regnum Romanum moderaretur fœdiſſimus tyrannus Nero. Et quando inter ſumma imperia res, de quibus lis eſt, arbitris non conficitur, qui bello potior eſt, jure poſſeſſor & dominus illarum rerum habetur, quas ſibi paravit; quemadmodum civem juſtum poſſeſſorem hæreditatis eſſe credimus, qui in lite ex judicis ſententia, victor extitit: quamvis nullum ſit dubium, quin multa iniqua pronuntiet judex.

Movent præterea dubium *de menſura pœnarum reſpondente delicti magnitudini.* In lege Moſis inquiunt, pœnæ ſingulæ ſingulis delictis ex Dei præſcripto aptabantur: quæ leges ſub N. T. à potiſſima Chriſtianorum parte putantur abrogatæ; neque in N. T. novæ fuere traditæ. Præterquam quod populus Judaicus oraculo Divino inſtructus, bello aggrediebatur hoſtes; & ſæpius ipſum Deus de modo pœnæ imponendo erudiebat: ſed hæc difficultas levis eſt. Æſtimatio pœnarum, ut diximus, petitur à noxa, qua delictum Rempublicam affligere poteſt, vel per ſe, vel ratione atque reſpectu Dei vindicis peccatorum & ignaviæ magiſtratuum, quibus ex officio demandata eſt illa cura. Æſtimatio noxæ in ſtatu *naturali ſingulis* competit, in ſtatu *civili magiſtratui*: noxæ quantitas petitur ex eo, quanti aliquis ſe ſuaque æſtimat. At quanti quisque ſua *æſtimare* debet, id definiendum ex *regulis charitatis, æquitatis, & contemptus mundi mundanarumque rerum*: & debuit id relinqui aut ſingulorum in ſtatu *naturali*, aut magiſtratus

in

in ſtatu *civili* prudentiæ atque probitati; utpote qui factorum ſuorum rationem reddituri ſunt Deo. Nec adverſarios id magis anxios habere debet, quam æſtimatio periculi, laboris, induſtriæ in æſtimando lucro, quod capiunt ex mercatura vel ex arte mechanica. Nuſquam definitum in Sacris, quod quisque compendium ex arte quam exercet, capere debet; ſed aut ſinguli, aut magiſtratus illi modum ponit juxta univerſales æquitatis regulas. Pariter in Sacris nobis quidem imperatur liberalitas in proximum, ſed nusquam Sacræ literæ definiunt, quouſque aliquis de ſuis liberalis eſſe debet: ſed declarant tantum eum, qui liberaliter ſementem facit, amplam collecturum meſſem; & nos optimè rationem noſtram inſtituere, ſi quando ex iniquo mammone ſtudemus nobis amicos facere, qui ultimis diebus nos recipiant in cœleſtia tabernacula; reliquum committunt prudentiæ Chriſtianæ ſingulorum fidelium; qui tamen ideo à Deo edocti, non verſantur in continua ſollicitudine, utrum officio charitatis ſatisfactum ſit, quando quædam tantum de ſuis pauperibus impertiunt. Scriptura pariter nobis commendat modeſtiam in veſtitu, non tamen definit, quibus finibus illa modeſtia continetur; pii tamen ſine magno ſcrupulo eligere ſolent, quid juxta modeſtiæ leges ipſos deceat: quoties etiam dubii ſunt animo, eligunt id quod tutius eſt; maluntque ſe potius infra ordinem, quem inter cives obtinent, demittere, quam periculum incurrere ſeſe efferendi ſupra ordinem. Ita pariter malunt latius patere ſuam liberalitatem, quam ea uti, de qua dubitari poſſit, utrum liberalis viri officio ſatisfecerint. Propter eandem cauſam in exigendis pœnis pius magiſtratus mavult propius ad clementiæ, quam ad ſeveritatis limites accedere, aut ſummum ſuum jus urgere.

Solutio præcedentis objectionis non multum ab altera diſtat, quæ aptanda objectioni, quæ priori etiam vicina eſt; qua adverſarii ſtatuunt bella non poſſe conſiſtere cum illa tolerantia Chriſtiana, quam Chriſtus ubique inculcat, & præſertim *Matth.* 5: 38. 39. 40. 41. 42. *Audiſtis dictum fuiſſe oculum pro oculo, & dentem pro dente: ego vero dico vobis, ne reſiſtite improbo, ſed qui te cædet in dextram tuam maxillam, obverte ei & alteram; & ei, qui velit tecum contendere, ac tunicam tuam capere, dimitte illi etiam pallium; & quisquis te anguriabit ad miliare unum, abi cum eo duo: petenti abs te dato, & volentem mutuari abs te ne adverſere.* Vide reliqua loca eo referenda, 1 *Cor.* 6:7. 1 *Theſſ.* 5: 15. *Rom.* 12: 16. 19. &c. Reſpondemus primo, hic agi de vindicta illicita, quæ cum *odio proximi conjuncta eſt*: & oritur primum *à deſiderio nocendi proximo, & malum pro malo illi referendi, ut ipſi malè ſit*; quam & Scriptura & vera ratio damnat. Secundo, eſſe in verbis Chriſti loquutionem hyperbolicam; alioquin dicendum & Chriſtum ipſum, & Apoſtolos iſtam legem transgreſſos. Chriſtus cum ſe inimicorum oculis & manibus ſubduxit, non ita permiſit poteſtati & libidini inimicorum, ut legem, de qua jam ſermo eſt, verba ſi ſpectes, præſtitiſſe videatur. Et Apoſtoli cum fugerunt de urbe in urbem, cum ad tribunal Cæſaris appellarunt: & Paulus, cum prætoribus Philippenſibus, à quibus publicè indicta cauſa virgis cæſus erat, & urbe egredi noluit, ſi ipſi prætores in teſtimonium ſuæ innocentiæ eum educere nollent, *Act.* 16: 37. non ita conceſſerunt inimicis, ut verba Chriſti ſine tropo intellecta requirunt. Et cum Apoſtolus Paulus concedit Chriſtianis ad arbitros confugere, ad perſequendum ſuum jus, 1 *Cor.* 6: 1. non putat Chriſtianos præcepto Chriſti, juxta litteralem ſenſum intellecto, teneri. Nec illi, qui in hac controverſia à nobis diſſentiunt, præceptum Chriſti ſine figura intellectum, in uſum & praxin referunt. Voluit itaque Chriſtus verbis citatis *prohibere non tantum vindictam malam*, qua è medio ſublata, non ideo tamen ilico

intro-

introducitur illa æquitas & ἐπιείκεια Chriſtiana: ſed voluit ſimul inculcare nos debere noſmet commodos præbere, ſubmiſſeque gerere, nec inſtar ferocium, & ad quamvis injuriam propulſandam ilico paratorum, ne ſcilicet æſtimatio lædatur, & contemptus potentiæ & virium oriatur, ad vindictam progredi. Quod certè vitium & in privatis, & principibus tantopere graſſatur, ut hoc nomine Chriſtiana religio maximo afficiatur probro. Quod autem cum jure imperii & belli poſſit conſiſtere illa morum Chriſtianorum commoditas, æquitas atque facilitas in cedendo de ſuo jure, vel inde manifeſtum eſt, quod eas virtutes vigere videmus in quibusdam Chriſtianis, qui tamen & bella defendunt eſſe legitima, & gravi damno affecti, non deſinunt tamen ſine pravæ vindictæ ſtudio confugere ad judices, ut damnum illatum eorum authoritate reſarciatur. Solemus enim multos Chriſtianos clementes, benignos, faciles & commodos vocare, quamvis aut Magiſtratus gerant, aut ejus poteſtate, quando occaſio ſe offert, utantur. Quouſque autem nos oportet præbere commodos, id Scriptura non definit, neque ullo præcepto definiri poteſt: quemadmodum nec definit, quam diu ſacris ſit vacandum, quam diu in precibus agendum. Quemadmodum in omnibus illis virtutibus, in quibus ad ſumma non ſumus progreſſi, non ideo nos peccati reos conſtituimus; & in quibus pontificii per errorem conſiliis locum eſſe putant, fixa & conſtans regula conſtitui non poteſt. De quibus virtutibus etiam alibi fuſe locuti ſumus. Plura non addam: & ita huic controverſiæ finem impono. Diutius quidem in hac diſcutienda immorati ſumus, ſed rei neceſſitudo id flagitavit. Æſtimavimus illam controverſiam non ſatis accuratè tractatam à noſtris, ad perſuadendum adverſariis de veritate, & ad tollendum omnes ſcrupulos & difficultates, quibus eorum animus conſtrictus tenetur. Præterquam quod hac occaſione ea tradita ſunt, quæ tantum lucis ſunt fœneratura iis, quæ de vindicta humana dicenda habemus, ut reliqua omnia per compendium agi poterint.

Poſitis itaque, in ſtatu *naturali* unumquemque ſui officii eſſe arbitrum, & æſtimatorem; homines omnes à nativitate & ſuæ naturæ initiis, eſſe corruptos; Deum nolle, ut nos, noſtraque libidini aliorum ſubjiciamus: ſed nobis conceſſiſſe jus & poteſtatem nos noſtraque tuendi. Nunc reliqua perſequendo, quæ hujusmodi præſuppoſita ſequi ſolent, natura vindictæ humanæ, tam publicæ quam privatæ, ſe ultro prodet, oculiſque mentis ſubjicietur. In ſtatu *naturali*, in quo nulla pacta expreſſa cum proximo inita ſunt, *ſed in quo tamen omnes leges morales nos obligant*, eaque vi iſtius legis proximo præſtare debemus, quæ illa lex imperat, licet mihi ea de communitate, & univerſitate rerum uſurpare, meumque in uſum convertere, quæ exiſtimo meæ conſervationi præſenti, & ſecuritati in futurum eſſe neceſſaria: neque ullo jure, quod in alio eſſe fingitur, teneor id committere alterius judicio. Si reliqui homines, qui in mundo ſunt, aut aliquando extituri ſunt, mihi portionem illam, quam de univerſitate mihi vindicavi arbitrio meo, etiam mihi fruendam relinquerent, & in futurum de quieto iſtius uſu mihi ſecuritatem præſtare poſſent; cum omnibus hominibus mihi pax eſſet, foretque ſtatus optatiſſimus. Sed nunc infiniti reperiuntur, qui mihi non tantum de futuro non cavent, ſed in præſens de poſſeſſione meæ ſortis me dejicere ſtudent: alii vi aperta, alii clam & per cuniculos: alii hactenus quidem impetus reprimunt, quia ſunt deſtituti potentia ad occupandum facinus, ſed opportunitatem exſpectantes in ſpecula ſunt: alii mihi lubenter uſum meæ ſortis concedunt, quamdiu illa ipſis ad defenſionem ſui non eſt neceſſaria, ſed tali neceſſitate urgente, exiſtimantes ſemet ſibi proximos eſſe, non putant ſibi fas eſſe id alteri permittere, à quo ſua ſuorumque ſalus dependet; & ideo ſortem

quam meo arbitrio, non pactione aliqua, mihi vindicavi, vel potius mihi admenſus ſum meo arbitrio, in ſua poteſtate habere volunt. Eſt itaque mihi (nunc loquimur de ſtatu *naturali*) cum multis dimicatio de mea ſorte, cum aliis induciæ, cum aliis pax quædam, ſed malè fida, & in qua *juxta prudentiam Chriſtianam* ſecurus eſſe non poſſum. Qui itaque me bello aperto aggrediuntur, ſive per inſidias me à meæ ſortis poſſeſſione dejicere ſtudent, iis eadem vi & artibus reſiſto. Cum quibus mihi pax dubia atque incerta eſt; aut quos ita mihi faventes experior in præſenti, ut me mea portione meritò frui putent, invaſuri ſunt tamen illam, ſi ipſi ea indigeant; quia ipſis mecum par jus eſt in eam portionem, quam jam in mea poteſtate habeo, & cui ut ita dicam incubo: contra eos jure meritoque talia mihi comparo præſidia, ut ex eorum arbitrio cadere aut ſtare neceſſe non habeam; ideoque eorum vires & nocendi potentiam frango, quantum æquum eſſe judico ex neceſſitate me conſervandi, & ex magnitudine periculi, quod mihi ab illis imminet. In bello aperto occido eos, in ſervitutem ago, bona diripio, &c. tum ut vim eorum reprimam, cum etiam ut in futurum ſibi caveant, neque putent ſe inultos me ſecundò aggreſſuros. Pariter qui per inſidias mihi meisque inſidiantur, eundem in finem male mulcto; erga eos, cum quibus in præſentia mihi pacem eſſe perſuadeo, ita prudenter me gero, quemadmodum erga eos, quos in itinere offendo, quique mihi ſe præbent peregrinationis ſocios, & in mutuis humanitatis officiis ſe vinci non patiuntur; ſed quorum officia aut *ficta eſſe poſſunt*, aut quorum voluntas facile ad malum flecti poteſt. Non itaque me iis ſic trado, ut uno in cubiculo cum iis dormiam, ut ſolus via devia, aut in locis, ubi nulla politia & civitatis ſtatus eſt, quemadmodum in ſtatu *naturali* nullus talis datur, cum iis iter faciam. Et ubi primum ſe offeret occaſio, conabor me liberare illo periculo & anxietate: & vel ſolus mihi proſpiciens, quod tamen vix aut nunquam fieri poteſt, & me ſatis munitum putans, eos omni facultate omnique opportunitate mihi nocendi nudabo, aut ſocios mihi adſciſcam, & inter nos ſocietatem talem inibimus, in qua talis ordo, diſciplina & authoritas vigeat, ut à mutuo metu, quantum quidem in hac infirmitate humana obtineri poteſt, liberi exiſtamus; & alios, à quibus nobis metuimus, vel qui in eandem ſocietatem coaleſcere nolunt, ad illum vitæ ſtatum redigamus, ſi poſſimus, ut nullum periculum nobis creare poterint. Et prudentia Chriſtiana mihi imperat has agendi rationes meas inire; neque, ut in ſuperioribus probavimus, id charitati repugnat. Et quoties tália in proximum committo, *pœnam*, ſi rem ipſam ſpectes, *exerceo*, *malumque vindico*: dico me malum vindicare, quia impedio, ne me malo & damno afficiant in præſenti aut in poſterum: aut ſi me malo affecerint, ne ſecundò id faciant. Non autem ita vindico malum, *ut mibi ſatiſfiat pro malo morali*; aut ut pro ea proximus ita luat, ut illud malum expietur: id juris enim Deus nulli conceſſit, *pugnatque id cum charitate*.

Mala quidem & noxæ, quæ infliguntur in ſtatu *naturali* proximo, & quocum nulla nobis ſunt pacta & fœdera, cui etiam nullas leges (non habemus enim ei imperandi jus) præſcribimus, ſed cui tantum, neceſſitate nos conſervandi coacti, declaramus, à quibus rebus ſe temperare debet, non ſolent vulgo *pœnæ* vocari, quamvis ſæpè conceptu confuſo aliquis ſibi imaginetur *in proximo* (conſiderato ut jam diximus in ſtatu *naturali*) *fuiſſe obligationem ad obedientiam*, & in eo qui mala infligit, *jus imperandi*: qui conceptus à vero deflectit. In ſtatu enim *naturali* nullus alterum malo mulctat, quia non paret alterius legi & imperio; & non obſequi alterius voluntati, non eſt peccatum inobedientiæ, quæ inobedientia poſtea vindicatur pœna: nam & qui non paret tam utitur ſuo jure, quam

qui obedientiam flagitat: & unus tantum juris habet querendi, ſuæ voluntatis nullam à proximo rationem haberi, quantum alter. Propter hanc cauſam, inquam, non ſolet vulgus inflictionem hujuſmodi malorum *pœnam* vocare, ſed *mali tantum propulſationem & legitimam tutelam*. Quod manifeſtò ſe prodit, quando aliquis in ſtatu *civili* ab alio petitus, nec habens opportunitatem & ſpatium confugiendi ad leges & Magiſtratus, *atque ita rurſus conſtitutus in ſtatu naturali*, aggreſſorem è medio tollit. Illud malum hac ratione jure meritoque proximo inflictum, vulgus non ſolet vocare pœnam, ſed malum quod proximo accidit ex defenſione legitima. Solet autem vulgus pœnam & caſtigationem vocare illud malum, quod infligitur propter inobedientiam ab habente jus imperandi: ſc. cum Magiſtratus, pater & dominus puniunt tranſgreſſores ſuorum mandatorum atque legum: atque ita talis pœna obtinet tantum in ſtatu *civili*, & inter eos, ubi æqualitate *naturali* ſublata, diſtinctio bonorum & perſonarum ex pacto introducta eſt.

Verum enim vero quamvis accidentalis quædam differentia ſit inter malum, quod infligitur ab *imperandi jus habente*, & inter illud, quod infligitur in caſu *legitimæ defenſionis ſui*, intrinſeca tamen utriuſque ratio eadem eſt, utpote nata ex jure defenſionis ſui. Nam & neceſſitas defenſionis ſui ſubigit homines ad ineundam ſocietatem, aut ad ſe alicujus imperio ſubjiciendum: & leges quæ in tali ſtatu conſtituuntur atque rogantur, ad tuendam ſocietatem à noxa feruntur; atque ita ex jure atque neceſſitate ſui defenſionis conſtituuntur: & ita transgreſſores legum puniuntur quidem ut inobedientes, verum tamen non propter *malitiam moralem*, ſed *propter damnum, quo illa facta rempublicam mulctare poſſunt*, ſi legibus & pœnâ homines ab iis committendis, non deterreantur. Ideo etiam in ſtatu *civili* legum conſtitutio, & pœnarum intentio atque remiſſio petitur à conſideratione damni, quo res geſta aliqua Rempublicam poteſt afficere: & illæ leges putantur eſſe iniquæ, quæ præter neceſſitatem, civium naturalem libertatem imminuunt: & peccata hypocriſeos, avaritiæ, ingratitudinis Magiſtratus impunita tranſmittit: & quæ coram Deo levia ſunt, aut certe jam recenſitis atque enumeratis non majora, qualia ſunt, in agendis excubiis pati ſe ſomno opprimi, in prælio fuga ſe ſubducere, ordinem deſerere, &c. capitali pœna vindicantur. Plura argumenta probandæ huic rei non producam, cum in priori parte bonus eorum numerus in medium prolatus ſit, & quia ſub finem hujus tractatus ſtatui differentias vindictæ humanæ & Divinæ in compendium contrahere, ut uno intuitu mentis conſpici poſſit differentia, quæ eſt inter pœnam Divinam naturalem & humanam. Revertor itaque ad inſtitutum. Quamvis igitur nonnihil cauſæ ſubſit, quare vulgo diſtinguatur inter pœnam humanam propriè ſic dictam, & inter malum, quod proximo, qui nobis ſubjectus non eſt, infligitur, cum occupati ſumus in defenſione noſtri juris; *formalis tamen ratio utriuſque pœnarum generis eadem eſt*, ſicut & fundamentum atque origo eadem: ſubditum eum, & in quem jus imperandi habemus, non aliam ob cauſam punimus, quam quod ejus facta nocent aut nocere poſſunt Reipublicæ; & jus infligendi ſubdito malum propter cauſam eandem, eundemque in finem, non oritur *ex ſubjectione*, ſed *ex jure defenſionis noſtri*. Quod inde etiam manifeſtum ſit, quod is, qui ſe ſubjicit alicujus regimini, non ideo ex jure ſubjectionis tenetur ſe pœnæ ſua ſponte ſubjicere, ſeſeque judici ſiſtere, quando aliquod facinus commiſit: iſtud enim mutuis eorum pactis, qui in ſocietatem civilem coaleſcunt, non comprehenditur: quandoquidem id in moralibus inter impoſſibilia numeratur, quæ nemo præſtare poteſt, aut tenetur. Ideo etiam nullus contra officium boni civis peccat,

cat, ſi quis contra ſe ipſum teſtari, aut ad talia judicis interrogata reſpondere noh vult, quibus putat crimen ſuum facilius inveſtigatu aut probatu fore: ſed ſubjectionis formula comprehendit tantum tacitam ſtipulationem, nos probaturos ſententiam judicis, & adjuvaturos, ſi opus eſt, Magiſtratum aut judicem in executione ſententiæ in alios latæ; adeoque nos minimè oppoſituros conatibus Magiſtratus in vindicandis delictis aliorum. Quod autem reo ſine peccato reſiſtere non liceat Magiſtratui, id ideo non eſt, quod ex ſubjectione Magiſtratui jus majus naſcitur ad infligendum malum, quam ſinguli habent in ſtatu *naturali*, in quo obedientiæ promiſſio facta non eſt; & quo malo arceatur malum gravius, & exemplum ſtatuatur, aut peccator corrigatur: (quale malum omnem pœnæ rationem complectitur) ſed id ideo iniquum eſſe, rectè ſtatuitur; quia reus in conſcientia convictus, agnoſcit ſe ea perpetraſſe, propter quæ proximus, vel dicam potius *judex*, merito ad ſalutem reipublicæ tuendam expetit vindictam. Et certè in ſtatu *naturali* etiam nulli licet ſine peccato reſiſtere proximo, ſi conſcientia ipſum arguat ſe concedentem crudelitati, avaritiæ aut aliis vitiis, proximum indignis accepiſſe modis. Quamquam non dubitem, quin multum coram Deo peccatum, extenuet ſummi periculi ſummus metus, rapiens inſuperabili ferme impetu hominem ad ſui defenſionem.

Quod autem jus puniendi non oriatur ex ſubjectione, id inde etiam manifeſtum eſt, quod, ut alibi argumentis, ut arbitror invictis, probavimus, Magiſtratui competat civium ſuorum pravas, ut putat, in religione opiniones mulctis & damnis reprimere: cum tamen certum ſit, nullum ſubditum unquam conſcientiam, aut ſenſus ſuos de religione Magiſtratus authoritati potuiſſe ſubjicere. Etiam origo civitatum, & cauſa eas conſtituendi id etiam ſatis evincit: nam coimus ad propulſandum damnum, & ad nos tuendos tam contra exteros, & à ſocietate noſtra alienos, quam contra cives malos; & adverſus ambos in civitate poſita ſunt præſidia in legibus & armis, & quos legibus coercere non poſſumus, iis Marte jus dicimus. Et ſicut jam diximus, ſubjectione non acquirunt illi, penes quos eſt imperium, & qui regnandi jus obtinent in Republica, jus puniendi, quod omnes & ſinguli, etiam ante conſtitutam Rempublicam, habemus; ſed cautionem tantum cives dant ſe non impedituros vindictæ executionem adverſus alios, imo ſe opem laturos, ſi potentia magiſtratus per ſe infirmior ſit, quam ut de quibusdam pœna peti poſſit. Et quia in *civili* ſtatu cives ſe permittunt arbitrio & judicio Magiſtratus in iis omnibus, quæ pertinent ad Rempublicam, quod in ſtatu *naturali* non fit, ideo Magiſtratus legibus non obſequi, inobedientia vocatur: & Magiſtratus inde acquirit poteſtatem ſuo arbitrio exercendi jus defenſionis ſui, & totius civitatis, quod jus in ſtatu *naturali* ſingulorum erat. Quo jure continetur poteſtas ferendi leges, & transgreſſores puniendi: ſed de his dicta ſufficiant.

Cæterum ex ſupra dictis manifeſtum eſt, vindictam humanam primum rectè dividi in eam, quæ exercetur *in ſtatu naturali*; & eam, quæ *in ſtatu civili*: illa rurſus duplex privata & publica: hæc autem ſolummodo publica eſt. Vindicta privata in ſtatu *naturali* eſt, quando aliquis extra civitatis ſtatum conſtitutus, vel in præſentia ſe civitatis præſidiis deſtitutum inveniens, propria authoritate manante ex jure ſtatuendi de neceſſariis ad ſui conſervationem, ex ſuo arbitrio propulſat malum, ſeque defendit atque tuetur. Poteſt enim duplici in caſu hoc evenire, vel in ſtatu *naturali*, de quo jam plus ſatis locutum eſt, vel in ſtatu *civili*; ſed quando periculum adeo præceps eſt, ut ad authoritatem & magiſtratus potentiam confugiendi opportunitas nulla eſt, quod fit in legitima tutela, & quando ſicarii aut prædones peregrinantem adoriuntur. Et errant

rant, mea quidem ſententia, qui exiſtimant tali in caſu privatum induere perſonam publicam, cum potius ex adverſo, tunc ad ſtatum *naturalem* (ad ſingularem illum caſum quod attinet) redeat perſona civilis privata. Ceſſante enim cauſa, quare ſinguli, cedentes de ſuo jure, magiſtratus aut plurium ſuffragiorum numero ſeſe ſubjeceiant, ceſſat etiam obligatio atque ſubjectio civilis: ſed cauſa conſtituendæ ſocietatis civilis fuit metus periculi, & ſpes commodius ſe tuendi majori numero hominum, conſpirantium in mutuam defenſionem: caſus itaque ante proviſus, in quo à ſocietate civili ſalus exſpectanda non fuit, fuit exceptus, & civi conceſſum, ut à præſenti metu & periculo ſe tueretur, uti ſuo jure privato antiquo. Quod autem penes magiſtratum eſt examen, num privatus modum in ſe defendendo exceſſerit, eumque non raro mulctat, qui jure ſui defenſionis male uſus eſt, id non arguit eum, qui in legitima tutela modum non tenuit, *jure publico puniendi malè uſum eſſe: ſed caſum nondum exiiſſe, in quo ſtatus naturalis redit.*

Vindicta publica in ſtatu *naturali* exercetur, quando duæ ſocietates civiles, jus majeſtatis & ſummi imperii habentes, mutuo bello implicantur: nam quamvis ex jure *naturali* ſit ſingularum officium æquum arbitrum velle, quo lis componatur: quemadmodum cujuſque officium eſt, ſe *æquum atque commodum præbere*, non eſt tamen officium earum, alterius civitatis judicio potius quam ſuo ſtatuere, quis ille æquus arbiter ſit. Qui itaque putat juſtas ſe habere cauſas ſuſpicandi, arbitrum ab altera parte deſignatum, non fore æquum, neque ſperare poteſt ſe æquos ab adverſario arbitros impetraturum, is rectè arma expedit, quibus adverſarium cogat ad æquas pactiones deſcendere; & talis vindicta eſt *vindicta publica*, quia exercetur & expetitur à perſona publica, ſed *participat tamen illa pœna de natura vindictæ, quæ obtinet in ſtatu naturali.*

Vindicta publica civilis illa eſt, quam magiſtratus, aut judex nomine Magiſtratus, exercet erga ſubditos, & legum ſuarum transgreſſores. De hac pœna multa à Theologis, Juriſperitis atque Philoſophis docentur, quæ in vita humana inter Chriſtianos egregium uſum habent; quando differunt de peccatis, quæ in Republica pœnâ vindicanda ſunt, & quæ toleranda, Deoque vindici relinquenda; quibus pœnis & quam ſeverè ſingula crimina ſint punienda, & ſecundum quam regulam magnitudo pœnarum intendenda aut remittenda ſit. Sed hæc ad examen vocare præter noſtrum inſtitutum foret, quod fuit generatim tantum naturam vindictæ, tam Divinæ quam humanæ, explicare. Id rectene an malè, fruſtra an ob rem fecerim, judicet æquus lector.

Nunc finis operi imponi poſſet, niſi putaremus ſummopere fore ex uſu, ſi per compendium atque ſummatim enumeremus omnes differentias, quæ inter veram juſtitiam punitivam Divinam atque humanam reperiuntur, ut ita lector uno intuitu contemplari queat, quæ in hoc tractatu ſparſim dicta ſunt. Fundamentum juſtitiæ punitivæ Divinæ eſt Dei *Sanctitas*: humanæ eſt hominis conſervatio. Deus punit peccatum: homo pœna avertit damnum, quod ex alicujus actione homini aut ſocietati naſcitur. Deus punit peccatum, quia Sanctitati ipſius repugnat: homo, quia conſervationi ſuæ repugnat. Propter quam rationem peccatum eſt peccatum, propter eandem rationem Deus illud punit: at homo non ob eandem rationem, propter quam peccatum eſt peccatum, illud punit. Deus quod odit punit, imo odiſſe & punire in Deo unum & idem eſt: at homo quod odit non punit, & quod punit non odit. Modus & menſura pœnæ Divinæ ſumitur à Dei Sanctitate, & ratione recta, quatenus peccatum plus aut minus ab ea deflectit: modus pœnæ humanæ à magnitudine noxæ, qua aliqua actio homines affligere poteſt. Quæ ſit ratio ſatisfactionis pœnalis, qua Juſtitiæ Di-

vinæ ſatisfit, eam ratiocinatione luminis naturalis inveſtigare non poſſumus, ſed tota illa ratio petenda ex Scriptura: at ratio ſatisfactionis pœnalis, qua juſtitiæ humanæ ſatisfit, facillime inveſtigatur. Juſtitiæ Divinæ punitivæ ſatisfactum pœnâ putamus, quando eâ puniendi cauſa ſublata eſt; quæ cauſa eſt reatus natus ex peccati perpetratione, & ejuſdem peccati relatione ad Dei Sanctitatem, quam non poſſumus comprehendere, non magis quam ipſam naturam Divinam: at juſtitiæ humanæ punitivæ ſatisfactum pœna putamus, quando ea hominis aut ſocietatis ſecuritati proſpectum atque cautum eſt: an autem illa ſecuritas pœna ſit acquiſita, non difficulter dijudicatur. Propter eandem cauſam non poteſt ex ratione humana inſtitui æſtimatio, quam gravem ſingula peccata mereantur pœnam reſpectu juſtitiæ Dei punitivę: at contra tota ęſtimatio gravitatis pœnę ſub N. T. à ratione humana petenda eſt. Cum itaque Scriptura nos aliquid docet de ratione, atque modo ſatisfactionis, de peccatorum demerito, & eorum pœna, eorum nulla ratio ulterior quærenda eſt, neque etiam reddi poteſt: at juſtitiæ punitivæ humanæ alia eſt ratio. Quod itaque crudele, vel injuſtum, vel ut non conveniens juſtitiæ punitivæ humanæ putatur, id inepte & ſine ratione, transfertur ad juſtitiam Dei punitivam. Reſpectu juſtitiæ Divinæ perfectio putatur omnia peccata exactè punire; quemadmodum hominis ſanctitatis reſpectu, perfectio eſt omnia peccata etiam minima, perfecte odiſſe: at reſpectu juſtitiæ humanæ punitivæ non eſt perfectio omnia peccata punire, aut animum proclivem habere ad illa omnia punienda; ideo culpantur qui judicis munus ambiunt, & laudantur, qui non ita proni ſunt ad imponendum ſibi perſonam accuſatoris, aut ad urgendum pœnam proximi apud judices. Per pœnam Divinam reparatur illud malum, quod peccato illatum eſt: at per pœnam humanam non reparatur aut reſarcitur læſio aut injuria; ſed eâ homines ſibi cavent, ne ſecundò lædantur, aut injuria afficiantur. Judex Deus ex juſtitia punit peccatorem; & ideo clementia & miſericordia, quæ condonationem gratuitam peccatorum includit, pugnat cum juſtitia Dei punitiva: at reſpectu juſtitiæ punitivæ humanæ, miſericordia & clementia, quæ omnem ſatisfactionem pro delicto excludit, laudatur, & optime cum illa conſiſtit: & ideo juſtitia Dei punitiva rectius comparatur cum ſtatu debitoris, qui proximo pecuniam debet, quam cum creditoris ſtatu, in cujus ære proximus eſt; at contraria eſt ratio juſtitiæ humanæ: punit Judex quem ſumme diligit, & cui ex animo condonat; imo cui ex animo omnia proſpera atque bona optat, quæ charitas Chriſtiana proximo optare & parare jubet: at Deus quem punit odit. Reſipiſcentia in pœna humana ſæpe eum locum habet, ut Judex, aut Dominus ſine crudelitatis nota, ad pœnę executionem progredi non poſſit: quia eâ reſipiſcentia ſæpe commode obtinetur, quod ſperamus nos pœna conſequi poſſe: at reſipiſcentia nunquam juſtitiæ Divinæ ea ratione ſatisfieri poteſt; iſtius enim juſtitiæ reſpectu, propter eandem rationem peccatum punitur re ipſa, propter quam pœna dignum eſt; at reſipiſcentia non tollit id, propter quod peccatum pœna dignum eſt; ſed ex adverſo pœnitentia agnitionem culpæ includit. Propter quod peccatum pœna dignum eſt, propter id juſtitia flagitat ut re ipſa puniatur; quia nec ratio, nec Scriptura aliam puniendi cauſam in Deo ſupereſſe docet: at apud homines non ideo peccatum punitur, quia pœna dignum eſt, ſed quia nobis noxium & moleſtum eſt. Deus punit, quia id debet, ut ita dicam, ſuæ juſtitiæ: nos punimus, quia nobis aliquid debemus, nempe, noſtri conſervationem. Nos debemus odiſſe vitia peccatorum, non tamen ipſum peccatorem; quia juſtitia humana punitiva non intendit malum proximi, quo tamen odium ſua natura tendit: at Deus odit pecca-

catorem & punit, ut male & ægre ſit homini. Apud homines caſtigatio eſt pœnæ ſpecies; at juſtitiæ Divinæ reſpectu nulla datur caſtigatio. Deus neceſſariò ſemper punit, quia eſt neceſſariò ſanctus: at homo non neceſſariò punit, quia poteſt in multis de ſuo jure liberè cedere. Non raro duplici ratione innocentes atque innoxii pœna humana implicantur; nempe, per accidens, quando naturaliter illi, qui communionem habebant cum eo, qui plectitur, aliquid damni contrahunt ex pœna illius qui punitur; aut quando judex directe intendit, ut proximi, & arcta neceſſitudine juncti cum illo, qui pœnæ ſubjicitur, in communionem damni veniant, & ut ita pœna gravior reo infligatur: at juſtitia Dei punitiva neutrum admittit. Plures differentias non addam, quia quæ in medium allatæ ſunt, ſufficiunt ad naturam utriuſque ſufficienter explicandam. Et ita huic parti finem impono.

TRACTATUS
DE
JUSTITIA DIVINA & HUMANA
TERTIA PARS,

In quâ probatur ex Scripturâ, Satisfactionem pro peccatis hominum præſtitam eſſe per Chriſtum.

Diximus in ſuperioribus, ex ratione probari poſſe ſatisfactionem Chriſti pro peccatis eorum, pro quibus ſe obtulit, neceſſariam; neque Deo Patri ita arbitrarium fuiſſe homines peccatores reatu abſolvere, ut eos ſibi potuerit conciliare, & charos atque acceptos habere, etiamſi nulla interceſſiſſet ſatisfactio pœnalis: ſed pariter diximus naturam Juſtitiæ Divinæ ita nobis compertam non eſſe, ut omnium, quæ in ſatisfactione Chriſti pro noſtris peccatis ſeſe produnt, rationem reddere poſſimus; quando illas rationes ducere volumus ab imperfecta illa cognitione, quam de juſtitia Dei naturali habemus: & ideo ſtatuimus multa credenda de Chriſti ſatisfactione, ad quæ nulla ratio nos ducit, ſed quæ ſolummodo auctoritate Scripturæ nituntur; ita ut Scriptura, illorum credendorum reſpectu, *principii* rationem habeat; & res non argumentis à natura mutuatis, ſed tantum è Scriptura petitis, probari & illuſtrari poſſit, quia illæ res cum lumine naturæ inſito (quantum quidem in hac infirmitate humana æſtimare licet) nullam conjunctionem habent, ſicut in multis partibus fidei Chriſtianæ, & præſertim in doctrina de Trinitate id evenit; ut itaque completior cognitio juſtitiæ Divinæ naturalis haberi poſſit, conſulenda Scriptura, & ab ea, tamquam à prin-

à principio & fundamento petendum ſatisfactionem præſtitam eſſe; & humanum genus morte Chriſti, tanquam pœnâ redemptum,& Deo conciliatum: quo probato, faceſſere debent omnes objectiones, quas noſtra finita ratio contra in medium adſerre poteſt: quia illæ naſci non poſſunt ex ſatisfactionis naturâ, ſed ex pravis noſtris conceptibus, natis à rebus, quarum uſum habemus in mundo; & quæ nullam affinitatem habent cum Dei infinita natura; non magis, quam reliquæ res creatæ, quæ certè nullam nobis ſimilitudinem, aut imaginem prębent naturę Divinę; & ideo malè initur ratio, quando àb iis petere volumus argumenta, rationes, ſimilitudines, &c. ad illam deſcribendam, aut illuſtrandam. In hujuſmodi itaque difficultatibus, in quibus Scriptura eſt *principium* noſtræ fidei, non ratio, perfugere oportet ad Scripturam; & in illam ſolummodo incumbere: valere juſſis, & poſthabitis omnibus, quæ opponuntur, quando eorum valor nititur rebus, quæ obtinent in mundo inter homines. Lubet itaque introſpicere Scripturam, & videre, quid illa nos doceat de Chriſti ſatisfactione, & quomodo ex illa convincere poſſimus eos, qui non ſolummodo ſatisfactionem negant præſtitam à Chriſto pro noſtris peccatis; ita, ut ira Dei adverſus noſtra peccata non tantum ſeſe non exercuerit in Chriſti ſanguine; ſed quod ne quidem ulla placatio Dei, per Chriſti mortem ſit effecta: quia ſc. ex eorum ſententia, Deus hominibus non erat infenſus propter ipſorum peccata; ita ut mors & paſſio Chriſti ne quidem iram Dei averterint, & ceſſare fecerint, tamquam *placamentum*: quæ duo tamen immenſum diſtant; & qui poſtremum docet, diſcrepantia tamen à ſententia priori docet: quia in priori juſtitia Divina ita placatur, ut tamen effectum & vim ſuam exeruerit adverſus Chriſtum, ita ut Deus in Chriſtum per ipſius mortem expiaverit peccata generis humani, & exprompſerit iram ſuam: in poſteriori ita placatur, ut nuſquam, neque adverſus Chriſtum, neque adverſus hominem ullum, ſeſe exercuerit; ſed morte Chriſti ita eſt placata, ne ſe effunderet in aliquem. In priori itaque eſt ſatisfactio, in poſteriori eſt placatio, excludens omnem ſatisfactionem, ſed effectum iræ Divinæ ſiſtens. At Sociniani ne talem quidem ſatisfactionem, aut potius placationem iræ Divinæ admittunt; ſed docent, Deum ultrò ductum miſericordia erga genus humanum, iram ſuam depoſuiſſe; eumque benevolum affectum in Euangelio apertè declaraſſe, & per Chriſti doctrinam confirmaſſe. Sed ex uſu erit ſententiam adverſariorum deſcriptam ex epiſtola *Ruari*, viri inter Socinianos imprimis docti, hic ponere.

Agnoſco etiam, obedientiam, quam Chriſtus tamquam caput electorum omnium, in vita & multo magis in morte ſummo Deo præſtitit, ſufficiens eſſe λύτρον pro peccatis noſtris; adeoque æquipollens ſupplicio, quod nos peccatis noſtris eramus meriti: non quidem ex ſeſe, ne Deo amoris atque gratiæ auferatur gloria, quam Sacræ Litteræ tantopere nobis hic inculcant; ſed ex clementi Dei acceptatione, qui obedientiam illam non tamquam mercenarii, ex merito ſtrictè nuncupato; ſed tamquam filii unigeniti, effuſo in illum amore benigne ponderare atque æſtimare voluit. Cum autem meritum ſtrictè dictum ſatisfactione excludo; non nego tamen ejus meritum in laxiori ſignificatione: quo pacto nonnulli ex antiquis EccleſiæPatribus, (ſi parva licet componere magnis) piis quoque operibus interdum meriti aliquid adſcribunt: non ex proportione operum; ſed ex Dei beneplacito, aut promiſſo menſuratum. Interim fateor, Chriſti meritum omnia ſanctorum (ſi ita lubeat appellare) merita tantopere ſuperare; adeoque ad ſignificationem meriti proprie dicti tanto propius accedere, quanto & perfectior, & omnibus numeris abſolutior fuerit ejus præſtita Deo obedientia: & ſublimior naturâ & dignitate is, qui eam præſtitit. Pœnam pro peccatis noſtris à Chriſto perſolutam vix auſim affirmare: cum ea definiri ſoleat vindicta noxæ, à qua Chriſtus

ſtus alienus fuit: nec juſtitia Dei permittat, ut pœna debita nocenti, innocenti irrogetur. Si laxiori ſignificatione pœnam interpreteris, ſc. perpeſſionem mali delicti, quamvis alieni cauſa & occaſione, cuiquam illatam: de vocabulo nolim eſſe difficilis. Cum ob peccata generis humani, Chriſtum acerbiſſima quæque, Deo ita requirente, ſuſtinuiſſe fateor.

Lubuit hæc verba potius, quam alterius Auctoris adverſæ partis ponere, quia moderatiſſima mihi viſa, & eâ cura concinnata, ut Auctor minimum intervallum inter noſtram, & ſuam ſententiam relinquere voluerit. Quis autem horum verborum ſit ſenſus, refutatio exceptionum & reſponſionum adverſæ partis (quæ pro re nata inſtituetur) docebit. Orthodoxorum autem ſententia hæc eſt. Deum Patrem pro immenſa ſua miſericordia & amore erga genus humanum miſiſſe in mundum Filium ſuum unigenitum, qui homines propter peccatum æternæ damnationi obnoxios, & ita jacentes ſub Dei ira, per obedientiam, mortem & reliquas paſſiones, quæ eam præceſſere, vere pro eorum peccatis ſatisfaciendo, redimeret à perditione æterna. Hanc doctrinam nunc argumentis è Scriptura petitis, confirmare lubet. Hac ratione itaque progrediemur.

Si loca Scripturæ, quæ agunt de ſatisfactione & redemptione, talia ſint; ut, ſi ad verba animum intendas, ſatisfactionem & redemptionem ſtrictè dictam denotent, neque natura rei, neque alia loca repugnent, quo minus propriè iſtæc verba intelligenda ſint, officium boni interpretis erit, inhærere ſenſui proprio: rem autem ſic ſe habere probamus. Qui nos ita redemit pretio, ut quæcunque in redemptione à pœnis requiri ſolent, ea omnia præſtiterit, is meritò proprio loquendi modo nos redemiſſe dicendus eſt. Primò, requiritur ad veram redemptionem, ut redimendus ſit ſub reatu & in culpa: homines autem ſtricte loquendo ſub reatu fuiſſe, adverſarii non negant, & Apoſtolus ad *Rom. Capit.* 1. 2. & 3. tam operoſè illud probat, ut plane inverecundæ fronti ſit oportet, qui hoc negat; & ad *Galat. Cap.* 3:13. *Chriſtus nos redemit ab execratione legis: & cap.* 4. 5. *Ut & eos qui legi erant ſubjecti, redimeret. Epheſ.* 1:7. *In quo habemus redemptionem per ſanguinem ipſius.*

Secundò, requiritur ut intercedat pretium, quod etiam interveniſſe eadem loca probant, *Galat.* 3:13. *Chriſtus nos redemit ab execratione legis: dum pro nobis factus eſt execratio. Epheſ.* 1:7. *Sumus redempti per ſanguinem ejus.* 1 *Timoth.* 2:6. *Qui ſeipſum tradidit redemptionis pretium. Coloſſ.* 1:14. *In quo habemus redemptionem per ſanguinem ejus, id eſt, remiſſionem peccatorum.* 1 *Pet.* 1:18. *Ut qui ſciatis vos non corruptibilibus, argento vel auro redemptos eſſe, &c. ſed pretioſo ſanguine; utpote agni immaculati & inculpati, nempe Chriſti.* Excipiunt adverſarii, pretium proprie dictum intelligendum non eſſe; primò, quia diabolo, ſub cujus ſervitute eramus, pretium ſolvi oportuit: ſed falſiſſimum hoc eſſe ex ſuperioribus conſtat: rectori debebamus enim pœnam, & eramus ſub reatu ex vi legis, cujus Deus legiſlator erat. Secundò excipiunt: non fuit ſolutum verum pretium, quia is, cui pretium debebatur, ipſe pretium ſolvit, & ex ſuo deprompſit: *Deus enim proprio Filio non pepercit; ſed tradidet eum pro nobis omnibus, Rom.* 8:32. *Joh.* 3:16. Reſpondemus, nihil abſurdi continere, judicem ſollicitum eſſe pro reo, & omnibus modis ei opem ferre velle citra præjudicium legis: quid quæſo abſurditatis continet, judicem ipſum pro reo ſolvere pœnam pecuniariam? Hinc etiam liquet, neque ideo dicendum, pretium proprie dictum non interveniſſe in liberatione noſtra, quia Deus ante ſolutum pretium nos dimiſſos optabat, & libertati reſtitutos. Dicitur equidem Deus hominibus condonare & remittere debitum, *Coloſ.* 1:14. *Coloſ.* 2:13. *Epheſ.* 4 31. *Pſalm.* 99:8. 1 *Joh.* 2:12. *Heb.* 9:22. *Coloſ.* 3:13. Sed ille loquendi modus naturam pretii non deſtruit: cum

eadem Scriptura ſæpius inculcet, illam condonationem factam, interveniente redemptione, ut *Coloſ.* 1:14. *In quo habemus redemptionem per ſanguinem; id eſt, remiſſionem peccatorum*: hinc ille modus loquendi in Scriptura natus, quo dicitur *Deus nobis condonaſſe in Chriſto, Epheſ.* 4: 1. *Et remiſſa nobis eſſe peccata per nomen ejus: & ſine ſanguine non fieri remiſſionem peccatorum, Heb.* 9:22. Juſte itaque Deo attribuitur, eum ſcilicet nobis remittere noſtra peccata, quia pretium ſolutionis ipſe conquiſivit, & de ſuo redemptionem nobis peperit: cum autem idem ille judex ſit, & cujus legem eramus transgreſſi: ideo etiam illi attribuitur peccatorum condonatio, & nos dicimur remiſſionem obtinuiſſe, & per condonationem peccatorum ſalvatos eſſe: quia nos ipſi nihil contulimus, neque in nobis cauſa ulla fuit, quare peccata nobis condonarentur; ideo Deus teſtatur ſe peccata condonare propter nomen ſuum, *Eſaj.* 48:9. *Pſalm.* 25:11. Volens innuere nihil cauſæ in nobis extitiſſe, quare ſecundum merita nobiſcum non ageret. Nec ſcio, quid adverſariis in mentem venerit, qui exiſtimant reconciliationem cum proprie dicta ſatisfactione, & redemptione non poſſe conſiſtere; cum reconciliatio nihil aliud ſignificet, quam duorum, aut plurium inter ſe diſſidentium reditus in gratiam; neque attenditur an totalis, an partialis, aut an ulla ſatisfactio interceſſerit. Qui autem putant Deum nullo jure potuiſſe homini novas conditiones acquirendæ ſalutis præſcribere, ſi nempe plane, & in totum Deo pro hominum peccatis ſatisfactum ſit, illi inſigniter falſi ſunt: quia jure dominii, quod Deus in nos habet, obligamur ad omnia, quæcunque Deo nobis præſcribere placet. Deinde cum Deus ipſe noſtrum redemptionis pretium de ſuo ſuppeditaverit, illius etiam ſumus, & novo jure illi obſtricti, 1 *Cor.* 6: 20. 1 *Cor.* 7: 23. *Pretio empti eſtis, ne eſtote ſervi hominum.* Denique ad fidem obſtricti eramus per legem, licet non in ſpecie ad legem fidei, quæ locum habere non potuit, niſi poſt peccatum; attamen Deus nihilo plus à nobis in Euangelio, quando fidem nobis imperat, requirit, quam lege prima Adamo tradita continetur.

Quod autem putent unius pœnam non poſſe ſufficere redimendis tot millibus: primum reſpondemus, hic rationes hujusmodi mutas eſſe debere, quia ratio juſtitiæ Divinæ punitivæ ita nobis perſpecta non eſt, ut ab ejus natura nobis hujusmodi argumenta ducere liceat: ſicut id prima parte hujus tractatus fuſe expoſuimus. Secundo reſpondemus adverſariis juxta ſuam hypotheſin; qua juſtitiam Divinam punitivam naturalem componunt juſtitiæ punitivæ humanæ, quæ correctionem & exemplum ſpectat: cui enim dubium eſſe poteſt, quin Chriſti mors tantopere inſervire potuit fini pœnæ, quam omnes, & ſinguli homines debebant, quam ſi ſinguli ad ſupplicium tracti fuiſſent? Qua ratione Deus magis teſtari potuit odium ſuum erga peccatum; & homines per metum à peccato abſterrere, quam per traditionem Filii ſui dilecti in mortem; ut ea ratione legi pœnali ſatisfieret? Et adverſarii hoc ipſi non negant. Eadem ratione corruunt adverſariorum objectiones, quibus defendunt, ad veram & plenariam ſatisfactionem requiſitum fuiſſe, ut Chriſtus maneret ſub æterna condemnatione; cum talis ſimilitudo omnimoda non requiratur in ſatisfactione pœnali: ſed ſufficit pœnam, quæ Chriſto inflicta eſt, talem fuiſſe, ut, ſi omnes circumſtantias ſpectes, fini legis abunde ſatisfactum ſit: ad quam ſatisfactionem perſonæ dignitas non parum contulit. Primò, quatenus Filius Dei dilectus fuit, *Rom.* 8. & *Joh.* 3. Quatenus natura humana ὑποστατικῶς Divinæ perſonæ unita fuerit: atque adeo Deus paſſus eſſe dicitur, & ſanguine ſuo eccleſiam redemiſſe, *Act.* 20. *Et princeps gloriæ crucifixus*, 1 *Cor.*2: 8. Denique quod tam diris eum ſubjecit cruciatibus, ut ipſiſſimam male-

maledictionem in lege comminatam ſubierit, *Galat.* 3:13. *At Chriſtus nos redemit ab execratione legis, dum pro nobis factus eſt execratio; ſcriptum eſt enim, execrabilis eſt, quisquis pendet in ligno.* Et *Galat.* 4:4. *At poſtquam venit plenum tempus, emiſit Deus Filium ſuum, factum ex muliere, factum legi ſubjectum; ut eos, qui legi erant ſubjecti, redimeret: ut adoptionem acciperemus. Eſaj.* 53:4. *Verum tamen morbos noſtros ipſe pertulit, & dolores noſtros ipſe bajulavit; & Jehova fecit ut incurrat in eum* עון *iniquitas noſtrum omnium:* ubi per iniquitatem nihil aliud intelligi poteſt, quam pœna pro iniquitate: ſicut *Lament. Jerem.* 4:6. *Et major eſt iniquitas filiæ populi mei, ſupplicio Sodomi.* 2 *Cor.* 5:21. *Fecit enim, ut qui non novit peccatum, pro nobis peccatum eſſet, ut nos efficeremur juſtitia Dei in eo.* Vel debet intelligi ſacrificium pro peccato, ut *Num.* 5:11. Cum enim Chriſtus nullum unquam peccatum commiſerit, hi loquendi modi proprie intelligendi non ſunt: & plus dicunt, quam Chriſtum tantum occaſione peccatorum noſtrorum afflictum, ut ita nos à pœna & reatu peccati liberaremur: antea enim probavimus argumentis invictis, redemptionem proprie dictam debuiſſe intercedere. Et cum Apoſtolus dicat, *Galat.* 4. *Chriſtum ſub lege fuiſſe*; & ipſi adverſarii agnoſcere debeant, illic per ſubjectionem, qua Chriſtus legi ſubjectus fuit, ſtatum Chriſti calamitoſum, & miſerum eſſe intelligendum; ſic enim exponunt locum 2 *Corinth.* 5:21. & *Galat.* 3:13. quare negant ſtrictiſſime dictam execrationem interceſſiſſe? Cruciatus enim plus fuiſſe quam corporales, ſatis apparet ex agonia Chriſti ante mortem, & in ipſa morte: ut liqueat Chriſtum pro tempore ſuſtinuiſſe iram illam Dei peccatis debitam. Quam ſententiam confirmant ea loca, quæ docent Chriſtum tamquam ſacrificium Deo oblatum fuiſſe, *Hebr.* 9:12. *Neque per ſanguinem hircorum & vitulorum, ſed per proprium ſanguinem ingreſſus eſt ſanctuarium, æternam redemptionem nactus,* & *Cap.* 10:10. et infinitis aliis locis. Cum autem hoſtia expiare ſoleat peccata tamquam pretium pœnale, quare Chriſto eripitur eum veram fuiſſe hoſtiam, & pœnas peccatis debitas ſuſtinuiſſe; præſertim cum Sacra Scriptura teſtetur, legi ſatisfactum eſſe, neque ullam acceptilationem interceſſiſſe: ideo enim ſubjectus factus fuit legi, ut nos ab ea ſubjectione liberaret, hoc eſt, à condemnatione, & pœna, quæ condemnationem ſequi debet. Sicut itaque per noſtram ſubjectionem, legi pœnali ſatisfactum fuiſſet; ſic per ſubjectionem Chriſti, legi ſatisfactum eſt; lex enim nihil aliud poſtulat, quam talem ſubjectionem: qui ergo pœnam proprie dictam ſubiit, ut alterius ſalus ea repræſentaretur, qui vera pœna plecti dignus erat; idque cum factum ſit ſine violatione, aut abrogatione legis, is in totum id ſolvit, quod alter debebat. Huc ſpectat etiam ille loquendi modus, *Galat.* 3. *Pro nobis*, qui ſub execratione eramus, *ipſe factus eſt execratio, & nos qui eramus peccatum*, hoc eſt ſub peccati reatu, *Deus, Chriſtum peccatum faciens, liberavit, ut eſſemus juſtitia Dei in ipſo:* juſtitia Dei inquit, quatenus tali ſubſtitutione juſti reddimur ſecundum illam juſtitiam, quam lex à nobis poſtulabat. Hinc Apoſtolus Paulus locis fere infinitis, quando negat nos juſtificari poſſe per legem, propter carnis infirmitatem dicit nos juſtificari ex fide, hoc eſt, nos illam juſtitiam, quam lex requirebat à nobis, & quam viribus noſtris aſſequi non poteramus, adipiſci per fidem in Jeſum Chriſtum: & ideo legi omnino ſatisfactum eſſe oportuit, alioquin jus legis non fuiſſet adimpletum in nobis; & juſtitiam, quam lex requirit, ſcilicet aut obedientiam omnium & ſingulorum Dei præceptorum, aut pœnarum ſolutionem, nunquam fuiſſemus adepti per Chriſtum, ſi Chriſtus morte legis juri non planè ſatisfeciſſet. Ut inde liqueat quam abſurdum ſit docere, nos per fidem & bona opera

juſtificari : cum illa juſtitia, immanè quantum differat, à juſtitia illa legali, à qua ſi quis deficiat, reus eſt: & ideo alium noſtro loco ſubſtitui neceſſe fuit; ut ita damnationem fugeremus: & Apoſtolus docet nos illam juſtificationem, quam lex requirebat à nobis, conſequi in Chriſto. Et hinc dicit Apoſtolus, *Juſtus ex fide vivet*, *Rom.* 1:17. *Galat.* 3:11. Per juſtum intelligens talem, qui legi ſatisfecerat: non ſimpliciter, cui debebatur plenariæ obedientiæ præmium; ut is per juſtum intelligatur, qui in ſtatu ſalutis eſt extra reatum, & jus habens ad vitam æternam quocunque titulo: ſed per juſtum intelligit, primò, juſtificatum, hoc eſt, qui legi nihil debet: reſpicit enim juſtitia prius normam & legem, ſecundum quam aliquis juſtus, vel injuſtus vocatur; quam præmium aut damnationem: & ideo Apoſtolus diſtinguit ſæpius inter juſtum, & præmium juſti; & dicit eum, qui juſtus fieri non poterat per legem, juſtum fieri per fidem in Chriſtum; ita ut eadem ſit juſtitia, qua fidelis juſtus habetur coram Deo, cum ea juſtitia, qua juſtus habitus fuiſſet coram eodem judice, ſi legi perfectè paruiſſet: ſicut extra æs alienum conſtitutus eſſe dicitur, tam qui ipſe ſolvit debitum ſuum; quam cujus debitum per alium ſolvitur: & ideo Apoſtolus, *Act.* 13:39. *Et ab omnibus, à quibus non potuiſtis per legem Moſis juſtificari, per hunc, quisquis credit, juſtificatur*: ubi Apoſtolus innuit nos ab iis peccatis juſtificari, à quibus juſtificari non poteramus per legem Moſis; atque adeo juſtificatio per fidem, eſt juſtificatio talis, qua illi obedientiæ actus tamquam præſtiti reputantur, quos ſub lege propter carnis infirmitatem præſtare non poteramus. Denique cum judicium Dei ſit ſecundum juſtitiam: ſunt autem ſecundum illam juſtitiam, omnes ſub reatu & condemnatione, quicunque aliqua peccati labe infecti ſunt: nullus itaque, qui omnibus partibus conſummatam juſtitiam non habet, coram Deo juſtus reputari poteſt; & ideo eſt quod Apoſtolus 1 *Joh.* 2:2. dicit, *Peccata noſtra actualia purgari ſanguine Chriſti*: & *Heb.* 7:25. *Chriſtum ſemper adhuc expiare noſtra peccata.* Innuens neminem coram Deo juſtum reputari, qui ab omni peccato non ſit purus, aut ſaltem ab omni peccati reatu non ſit liber. Ita ut ex doctrina de juſtificatione ſententia orthodoxorum de ſatisfactione confirmetur.

Hic jam ſimul manifeſtum ſit, quid reſpondendum ſit ad argumentum adverſariorum, quod depromunt ex *Matth.* 8.17. *Ut impleretur, quod dictum eſt per Eſaiam Prophetam, ipſe valetudines noſtras accepit, & morbos portavit.* Quo in loco adverſarii aliquid præſidii ſibi reconditum arbitrantur ad ſubvertendum argumentum, quod formamus ex loco illuſtri Eſaiæ ſupra citato: voluntque Chriſtum innuere, *Matth.* 8:17. locum Eſaiæ non aliter interpretandum eſſe, quam de liberatione à malis, nulla ſatisfactione propriè dicta intercedente: quemadmodum Chriſtus re ipſa homines à morbis & languoribus miraculoſa curatione liberabat, nihil pœnarum ſubeundo; ſed tantum quædam agendo & patiendo, quæ hominis peccata, & ex peccatis natam calamitatem amolirentur. Nam ſi adverſarii accuratius attendiſſent ad phraſin & modum loquendi Scripturæ Sacræ, longe aliter iis de ea re ſtaret ſententia. Quotieſcunque enim Scriptura loquitur de expiatione peccatorum, de ſatisfactione, vel contra de hominum reatu, ſemper fere loquitur de bonis, aut malis abſolutionis, aut damnationis, quæ utrumque ſtatum ſequi, aut ejus comites eſſe ſolent; ita ut ejus peccata expiata ſint & dicantur, cui peccatorum pœna aut remiſſa eſt, aut qui eandem pœnam paſſus eſt: contra illius peccata adhuc manere dicuntur, cui aut pro peccatis pœna imminet, aut qui in ea ferenda adhuc angitur. Cum itaque Chriſtus homines à morbis & languoribus liberavit, eo declaravit eorum peccata eſſe expiata; cum talis libe-

liberatio à malis ſit expiationis peccatorum aliquid conſequens: & juxta modum loquendi Spiritui Sancto familiarem, illius peccata deleta, expiata, condonata dicuntur, qui à pœna iis debita, immunis conſtituitur: rurſus is ſub reatu eſſe, qui reatus notas, quales ſunt pœnæ & caſtigationes, circumfert. Et ea ratione is rectè peccata noſtra expiaſſe dicitur, qui reatus & condemnationis notas aufert; hoc eſt, à calamitatibus liberat: & tantum abeſt, quod talis pœnarum ablatio, propriam ſatisfactionem tollat, ut eam omnino ſtabiliat: ſi præſertim ad ablationem pœnarum accedat afflictio & calamitas ſumma ejus, qui liberationis author exiſtit. Sicut id liquet ex *Eſaia* 40: 2. *Loquimini quæ ſunt cordi urbi Jeruſchalaimorum, & prædicate ei, completum eſſe tempus præfinitum ejus, exſolutam eſſe iniquitatem ejus, eam accepiſſe è manu Jehovæ duplum pro omnibus peccatis ſuis:* hic Propheta innuit peccata populi Iſraëlitici expiata & deleta eſſe, quia à pœnis & miſeriis, quibus hactenus fuerant obnoxii, brevi liberandi erant: eâdem ratione *Eſa.* 22: 14. Propheta indicare vult peccata infidelium Iſraëlitarum non expianda, quia totâ ſuâ vitâ afflictionibus & miſeriis obnoxii eſſent futuri: *Atqui revelavit ſe, me audiente, Jehova exercituum, ſi expietur iſtæc iniquitas vobis, donec moriamini.* Sic *Jerem* 50: 20. dicit Propheta, *Peccatum Iſraëlis, ſi quæratur iis temporibus, nullum exiſtet, & iniquitates Jehudæ nullæ invenientur: quia condonavero iis, quos faciam reliquos:* innuens, ideo nullum peccatum repertum iri in Iſraële ſuperſtite, quia nulla amplius pœna aut afflictio eum malè exerceret. Sic *Hoſ.* 14: 3 *Sumite vobiſcum verba, & revertimini ad Jehovam; dicite ei, omnem condona iniquitatem, & acceptum confer bonum:* ubi Propheta paria facit *condonare peccata & conferre bonum*; cum unum ſit ſignum alterius: vide etiam *Hoſ.* 13: 1. 2. 3. *Jerem.* 49: 12. *Lament. Jerem.* 1: 22. *Ezech.* 33: 10. & 35: 5. *Eſa.* 27: 8. &c. quibus locis omnibus pœnarum ablatio expiationem peccatorum, aut earum præſentia reatum adhuc manere deſignat. Ita ut Chriſtus meritò, cum ægros ſanaret, diceret, Prophetiam Eſaiæ adimpletam eſſe, quæ prædixerat Chriſtum noſtra peccata laturum: quia ea præſtabat, quæ ſigna & ſymbola erant expiationis peccatorum.

Quod autem adverſarii abſurdum putant, nos docere pretium proprie dictum ſolutum eſſe, cum Deus gratis peccatum condonare potuerit; id nihil omnino ad rem facit: nam primo, negamus Dei juſtitiam punitivam naturalem permittere, ut peccatum impune commiſſum ſit. Deinde demus Deum peccatum impunitum tranſmittere potuiſſe, dicimus Scripturam docere, Deum id facere noluiſſe, neque potuiſſe poſito decreto de manifeſtandis illis attributis miſericordiæ, ſanctitatis, & juſtitiæ: quæ omnia inſigniter in myſterio redemptionis relucent. Quod autem aliquando pœnas temporales condonaſſe dicitur, id non importat, quod etiam æternas condonare voluerit; neque obeſt iis, qui docent nullum peccatum à Deo impunitum tranſmitti poſſe. Nam quod regerunt adverſarii: ſi illud peccatum, quod Deus condonaſſe dicitur, poſtea in ultimo judicio vindicaturus ſit, tunc illam condonationem non fuiſſe proprie dictam condonationem, & remiſſionem, id nullius eſt momenti: error eorum in eo vertitur, quod miſceant & confundant rationem juſtitiæ punitivę Divinæ naturalis cum arbitraria, de qua re in ſuperioribus fusè actum eſt. Deinde animadvertendum, Deum duplicem reſpectum habuiſſe ad populum Iſraëliticum; primum quatenus illorum ſpiritualis Rex & dominus erat. Secundum, quatenus rector, & dominus temporalis, regens eos, tamquam ſi ipſe immediate præſideret illi ſocietati, immediatè leges iis præſcribens, leges explicans, puniens ſæpe immediatè, & plane ſeſe inſtar Domini, aut

aut principis mundani, ſi ita loqui liceat, ſeſe gerens. Hujus Dominii reſpectu, omnes illi qui in republica Judaica vivebant, erant Iſraëlitæ, omnibus eadem erat dignitas, quoad qualitatem illam externam; ſemen, & poſteri Abrahami, populus Dei, gens ſancta, peculium Dei, &c. Imo lex ceremonialis duplicem uſum inde habuit in politia Judaica, unum temporalem, & mundanum; alium ſpiritualem: reſpectu uſus prioris, lex illa jugum erat, *Actor.* 15. Iſraëlitæ ſub pædagogia & legis ſervitute, *Galat.* 4. & 5. *In ea libertate, quâ Chriſtus nos liberavit, perſtate, & ne regredientes implicamini ſervitutis jugo.* 2 *Corinth.* 3:17. *Dominus autem Spiritus: ubi autem Spiritus Domini, illic etiam libertas.* erat enim velamen apud gentem Judaicam, ſignum ſervitutis, & ſubjectonis, 1 *Corinth.* 11. Reſpectu autem uſus poſterioris, erat gratia & beneficium; præfigurabant enim ceremoniæ beneficium & redemptionem Chriſti: ſicut Apoſtolus in tota Epiſtola ad Hebræos docet. Hinc etiam natum eſt, quod legis tranſgreſſoribus duplex pœnæ genus denunciatum ſit, unum, quod ſtatum Reipublicæ Judaicæ ſpectabat temporalem; alterum, ſpiritualem ejuſdem ſtatum.

Prioris reſpectu, quædam peccata expiari poterant ſacrificiis, quæ ſcilicet talia non erant, ut ſtatum reipublicæ Iſraëliticæ inſigniter labefactare poſſent; qualia ſunt quorum mentio fit *Levit.* 6. & aliis in locis pluribus: & Iſraëlitæ qui juxta legem, ſacrificiis & oblationibus peccatum illud expiaverant, ſancti habebantur, quoad carnis ſanctificationem: quatenus ſcilicet manebant ſanctus populus Dei, & admittebantur in templum, & ſacris vacare poterant; & id eſt quod voluit Apoſtolus, *Heb.* 9: 11. *Et omnia fere ſecundum legem ſanguine purificantur, & ſine ſanguine non fit remiſſio peccatorum*; purificationem & remiſſionem peccatorum pro una eademque re ſumens: & *Heb.* 10: 10. dicimur *Sanctificati per oblationem corporis Chriſti*, quatenus ſub V. T. populus, cum per pontificem oblationes offerret Deo, ſanctificabatur per eaſdem; vide *Heb.* 13: 12. & 10: 14. Et hinc ſunt nati modi illi loquendi, quibus fideles per oblationem, & meritum Chriſti dicuntur *ſanctificati*, *Heb.* 10: 10. *Et conſecrati v.* 14. *Et ſanguis Chriſti, qui per ſpiritum æternum ſeſe obtulit, &c.* dicitur *emundare conſcientiam noſtram ab operibus malis*, *Heb.* 9: 14. & *Tit.* 2:14. *Dedit ſemetipſum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret ſibi populum peculiarem*: & quæ ſunt his locis textus Scripturæ ſimiles, qui docent Chriſtum per mortem operari ſanctificationem, & converſionem, *Heb.* 9: 28. 1 *Petr.* 1:18. & 3: 18. 1 *Joh.* 4:4. 5. *Act.* 5:31. *Heb.* 8:10. Per quos loquendi modos, non doctrinam, & efficaciam Euangelii, nec fœdus tale, quo Deus jam non amplius ſtricto jure nobiſcum agere vult, ſed ad multa hominum peccata connivere, intelligere oportet; ſicuti adverſarii obtendunt) ſed æternam purificationem, & conſummationem eorum, pro quibus Chriſtus ſeſe obtulit: in hoc enim ſenſu Apoſtolus pactum antiquum opponit pacto novo; & ſacrificia ſub V. T. ſacrificio Chriſti: quatenus ſcilicet fœdus antiquum in typo, & figura tantum purificabat, *Heb.* 10:1. 2. & remiſſionem peccatorum promittebat: per fœdus autem novum, reipſa peccata expiabantur, *Cap.* 9: 14. *Secundo*, quod per oblationes legales, nemo *ſanctificabatur in perpetuum*, ſanctificatione ſcilicet illa externâ, *Heb.* 10:1. 2. *Chriſti autem oblatione ſemel facta, ſanctificamur in perpetuum*: hoc eſt, ab omnibus noſtris peccatis liberamur, *Heb.* 9:26. 28. & 10: 10. 12. 14. & 13:14. *Sanctificavit populum in perpetuum*: ergo omnia & ſingula eorum peccata expiat, quæcunque committunt: atque adeo juſti, & ſancti ſunt coram Deo per Chriſti expiationem factam pro omnibus & ſingulis peccatis commiſſis, aut committendis: & hæc eſt ratio, quare Chriſtus adhuc in cœlo noſtra peccata

cata expiare dicitur; quatenus vis victimæ, & oblationis in ſingulis expiandis peccatis, quæ ab iis committuntur, quibus Chriſti ſacrificium per fidem uſui eſt, exeritur: at ſub V. T. ad peccatum expiandum ſemper iteratione erat opus, Chriſti autem unica oblatio efficax eſt ad omnia peccata quovis tempore expianda: nam alioquin inquit Apoſtolus *opus fuiſſet eum ſæpius pati, & offerri à condito mundo*, *Heb.* 9: 26. Quo evincitur, & oblationes V. T. quoad conſcientiam neminem unquam ſanctificaſſe; ſed Chriſti oblationi unicè id imputandum, qui re ipſa præſtitit, quod fidelibus ſub V. T. figuris, & umbris ad confirmandam eorum ſpem, adumbrabatur. Ergo oblationes pro peccatis, prætetquam quod erant typi, & figuræ Chriſti, erant etiam ſatisfactiones pro pœna, quantum ad ſtatum politicum externum; & pro talibus peccatis erant ordinatæ, quæ neque authoritatem legiſlatoris, neque ipſum ſtatum reipublicæ diſturbare poterant: & ideo fortaſſis ea Apoſtolus *errata* vocat, *Heb.* 5: 2. ut à gravioribus ea diſtingueret: pro iis autem peccatis, quæ gravia erant, qualia ſunt idololatriæ, peccata contumaciæ, homicidii, adulterii, & infinita alia, quæ Deus voluit eſſe capitalia, pro iis nullum ſacrificium erat ordinatum ad expiandam pœnam illam temporalem, & corporalem: eo reſpexit author Epiſtolæ ad Hebræos *Cap.* 2:2. *Etenim ſi per angelos dictus ſermo fuit firmus, omniſque transgreſſio & Παρακοὴ contumacia, juſtam mercedem retributionem retulit, &c.* Ibi ex verbis ipſis, & ex conſequentibus *vers* 3. ſatis liquet Apoſtolum non loqui de qualibet transgreſſione; ſed de graviori peccato & contumacia inſigni: & *cap.* 10:28. *Qui aſpernatus fuerit Moſis legem, abſque miſericordia ex duorum aut trium teſtimonio moritur.* Et *Heb.* 12:25. Licet autem Deus nullum ſacrificium, aut oblationem in lege inſtituerat, quibus talia peccata apud judicem terrenum poterant redimi: contra pœnam tamen æternam iis proſpexit. Si itaque aliquando Deus pœnas corporales condonavit improbis, non ſequitur Deum idem voluiſſe, aut potuiſſe facere, quoad pœnam æternam, & reſpectu judicii ſui ſpiritualis, aut juſtitiæ punitivæ naturalis. Neque deſinit eſſe condonatio, etiamſi poſtea Deus illa peccata puniat; eripit enim eos quamdiu hic vivunt, ex multis calamitatibus & miſeriis, quas meriti erant. Sic nemo repugnabit, beneficium fuiſſe Chriſti, cum legionem illam diabolorum, non ablegavit in abyſſum, & iis feriis, quas hic in mundo agere ſibi videbantur, non eſt fruſtratus: ſed iis conceſſit porcos invadere, *Matth.* 8:31. Si cui hæc reſponſio minus placet, poterit communem eligere; mihi tamen videtur ſatis commoda, & ad multas difficultates ſolvendas accommodata: quæ tamen ſi difficultates & abſurda ſecum trahit, quæ ſæpe primo intuitu non comparent, & nos fugere poſſunt, non tales ſumus, qui iis inhærere velimus mordicus; ſed ſtatim, ubi melior affulſerit ratio, eam abdicare parati ſumus. Reſtat ut jam ad ſecundum capitale argumentum accedamus: quo probemus Chriſti mortem veram, & proprie dictam ſatisfactionem pro peccatis noſtris fuiſſe.

Ubi vera, & proprie dicta expiatio, per modum ſacrificii & victimæ facta eſt apud Deum iratum adverſus peccata noſtra; illic vera interceſſit ſatisfactio pro noſtris peccatis: hæc autem omnia interceſſiſſe in ſatisfactione Chriſti locis Scripturæ invictis probamus: 1 *Joh.* 2:2. *Chriſtus expreſſe vocatur* ἱλασμὸς, *propitiatio pro peccatis noſtris, & peccatis totius mundi. Et cap.* 4:10. *Deus miſit Filium ut eſſet propitiatio pro peccatis mundi. Heb.* 2:17. *Unde debuit per omnia ſimilis fieri fratribus, ut miſericors eſſet & fidelis pontifex, in iis quæ apud Deum, ad expiandum peccata populi. Rom.* 3:25. *Quem propoſuit Deus ut eſſet* ἱλαστήριον, *placamentum per fidem in ſanguine ipſius, &c.*

Per modum autem ſacrificii & victimæ id factum fuiſſe docent loca infinita. Primo,

mo, ea quæ docent nos Deo reconciliatos per *Sanguinem crucis*, *Col.* 1: 20. *Per mortem Filii*, *Rom.* 5: 10. *In cruce delevit chirographum*, *quod adverſus nos erat*, *Col.* 2:13. 14. *Eph.* 2:16. Secundo, ubi dicitur, *Chriſtus mactatus pro peccatis*, *Apoc.* 5: 9. *Nunc ſemel in conſummatione ſeculorum ad peccatum per immolationem ſui ipſius tollendum*, *patefactus eſt*, *Heb.* 9:26. Tertio, ubi dicitur, *ſeipſum pro nobis obtuliſſe*, *Heb.* 10:10. 12. 14. *&* 9:28. *&* 7 27. *Cui non ſit quotidie neceſſe*, *quemadmodum illis pontificibus*, *prius pro peccato populi victimas offerre &c. hoc enim fecit ſemel*, *cum ſemetipſum obtulit*. *Item Heb.* 5:1. Quarto, ubi Scriptura docet Chriſtum fuiſſe pontificem, & ex munere pontificio Deo aliquid obtuliſſe, quo noſtra peccata expiata ſunt, *Heb.* 8:3. 9:12. 26. 10:12. 13:12. & multis aliis locis. Quinto, ubi dicimur per *oblationem Chriſti ſanctificati in perpetuum*, hoc eſt, peccata noſtra omnia in perpetuum expiata, ut ita ſancti conſtituamur coram Deo, *Heb.* 10: 10. 14. *Unica oblatione conſecravit in perpetuum* (hoc eſt nos Deo ſacros reddidit, & ab uſu profano ſegegravit) *eos qui ſanctificantur*: *& cap.* 13:12. *Joh.* 17:19. *Ego me ſanctifico*, *ut & ipſi ſancti ſint*. Denique ubi per oblationem & ſacrificium Chriſti dicimur, *habere aditum in ſacrarium*, *in ſancta ſanctorum*, *ad Deum*, *viam ad ſacrarium per mortem Chriſti redditam manifeſtam*, *Heb.* 2: 15. 10:19. *Eph.* 2:18. *& Heb.* 9:8. Alia argumenta non addo: cum hæc ſufficere abunde poſſint.

Deum autem nobis iratum fuiſſe, atque adeo per ſacrificium Chriſti verè fuiſſe placatum, prout placatio locum habet apud eos, qui ipſam placationem deſiderant & optant, probatur his Scripturæ locis. Primo quæ docent, *Deum nobis reconciliatum*, *Rom.* 5:10. *Eph.* 1: 2. *Col.* 1:20. 21, *&c. Per Chriſtum pacem eſſe factam*, *Rom.* 5:1. *Eph.* 2:16. 17. *Col.* 1: 20. Secundo, *nos habere aditum ad Deum*, *Eph.* 1: 18. *&* 3:12. Tertio, quæ loca docent, *nos hoſtes fuiſſe Dei*, *Rom.* 5:9. *Eph.* 2:16. *Col.* 1:21, *&c.* Quarto, *ubi mentio fit advocati & mediatoris*, *interceſſoris*, *interpellatoris*, 1 *Joh.* 2:1. 2. 1 *Tim.* 2:5. *Gal.* 3: 20. *Heb.* 7: 25.

Jam paucis videamus, quomodo noſtri adverſarii hanc demonſtrationem perfringere ſtudeant: inquiunt primo, per vocem expiationis non probari proprie dictam expiationem, aut placationem; cum non raro impropriè ſumatur in Sacra Scriptura, & talibus attribuatur, qui expiare non poterant. Sed adverſarii non attenderunt, quod quandoquidem in vera expiatione multa concurrant, ſæpe evenire debere, ut expiatio attribuatur illi, qui aliquid ad expiationem confert, ſub quacunque ratione: id tamen non evincit, totam expiationem metaphoricè ſumendam; aut veram expiationem non interceſſiſſe: quia is, cui attribuitur expiatio, formalem illum expiationis actum non præſtitit, ſed tale quippiam, quod expiationem antecedit, comitatur, aut ſequitur Sic Moſes *Exod.* 32. dicit ſe viſurum, an poterit *expiare peccatum populi*; occurrit illic verbum כִּפֵּר quod proprie expiare, & placare per dona iram alicujus ſignificat, *Gen.* 32:20. *Num.* 5:8. *Num.* 25:13. Ubi Phineas memorabili illo facto dicitur expiaſſe populum Iſraëlis: vide *Levit.* 1:4. *&* 4: 31. Moſes autem dicitur tentaturus an expiare poſſet peccata populi; quatenus preces ejus, & interceſſio aliquid momenti illatura erant, ad placationem: & Deus dicitur expiare peccata populi, *Deut.* 21: 8. *Pſalm.* 65:4. *Pſalm.* 78: 38. *&* 79:9. *Eſa.* 43: 25. *&* 44: 22. quia is eſt, qui averſum à nobis habebat animum ante expiationem, & qui poſt expiationem iram ſuam deponit, & peccatis noſtris propitius eſt; ideo tamen tales loquendi modi ſatisfactionem & expiationem proprie dictam non excludunt; cum ea omnia in proprie dictâ expiatione locum habere poſſint. Nam is qui placatus eſt, revera eſt propitius peccatis noſtris: & ideo illud

fœdus

fœdus, quo Deus promittit ſe propitium futurum peccatis noſtris, *Heb.* 8:10. *Jer.* 31:33. Non excludit ſatisfactionem pro peccatis; cum propitius eſſe alicui, ſtricto loquendi modo, nihil aliud ſignificet, quam poſt conceptam iram, & odium contra aliquem propter offenſas, cum animum iratum deponere: vide *Num.* 14: 20. 21. ubi occurrit *verbum* סלח. *& Luc.* 18. 13. ubi verbum ἱλάσθητί μοι: ita ut propitiatio ſemper præſupponat iram conceptam, atque adeo cum placatione quantum ad effectum coincidit, quæ etiam ſemper iram præſupponit: & jam pro expiatione, jam pro placatione ſumitur; ſicut verbum כפר apud Hebræos. Promittit itaque Deus, ſeſe propitium futurum noſtris peccatis; ſatisfactionem tamen non excludit: quod inde liquet, quod Apoſtolus docet, *Fœdus illud in ſanguine Chriſti ſancitum eſſe: & opus fuiſſe, ut mors ejus interveniret; imo ſanguinem ejus id præſtitiſſe ad expianda populi peccata, quantum ad conſcientiam, quod ſanguis hircorum atque taurorum:* aut ergo nulla vera facta fuit expiatio pro peccatis populi, quoad ſanctitatem populi externam; aut etiam morti Chriſti eadem formalis ratio attribuenda eſt: illud autem dicere abſurdiſſimum eſt, cum Scriptura paſſim id inculcet, *Num.* 5: 8. *Aries expiationis, qui expiat peccata. & Num.* 6:23. & locis multis aliis Levitici. Videntur tamen adverſarii id aliquâ ratione in dubium vocare: quia Deus ipſe ordinavit ſacrificia expiatoria: & inde volunt conficere Deum iſtis ſacrificiis non tam placatum fuiſſe, quam illa ſacrificia fuiſſe effectus placationis, & ideo inſtituta, ut Deus iis teſtaretur ſe iratum animum deponere paratum; nec iræ ſuæ velle indulgere, ſed eam velle reprimere, ſi Judæi religione, ipſis in lege præſcripta, ſe ipſum colerent, non autem quod Deus iratum ſuum animum exercuerit in ſanguine taurorum aut Chriſti. Et illa eſt alia exceptio, quâ noſtrorum argumenta eludere conantur: ſcilicet illic expiationi proprie dictæ, locum non eſſe, ubi non eſt animus iratus ejus, cui offertur victima ad placandum: Deum autem nobis iratum non fuiſſe, quia alioquin ipſe victimam non ſuppeditaſſet hoſtibus, & quidem victimam, erga quam habebat amorem effuſiſſimum, ſcilicet proprium ſuum Filium. Atque ideo exiſtimant per inimicitias, quæ nobis cum Deo intercedebant ante mortem Chriſti, non talem inimicitiam intelligendam, quâ Deus nobis erat infenſus; ſed quâ nos habebamus animum à Deo alienum propter peccata, & pravos affectus, qui nos longè à Deo aberrare faciebant, & animum noſtrum ejus amoris vacuum reddebant: & ideo ſtatuunt Apoſtolum docere, nos Deo eſſe reconciliatos, non autem Deum nobis; & ſæpe per reconciliationem Apoſtolum nihil aliud intelligere, quam noſtram converſionem, aut reconciliationem Judæorum & gentium inter ſe *Deo factam eſſe*, hoc eſt, ad ſerviendum Deo. Sed ſi ideo expiatio proprie dicta locum non habet, quia Deus ante oblationem factam, paratus erat redire nobiſcum in gratiam, cum viam expiationis oſtendit, ergo omnia ſacrificia, quæ unquam, aut apud Judæos, aut gentes fuere in uſu, non fuerunt propriè ſacrificia expiatoria, cum eſſet pars cultus veri & à Deo inſtituti, qualis erat cultus Judæorum; aut putatitii, qualis cultus gentilium, qui nihilominus putabant Deum talibus ſacrificiis placari: imo ſequeretur nullam expiationem proprie dictam aut extitiſſe unquam, aut exiſtere potuiſſe; cum enim ira quæ per vindictam ſedatur, tunc ſedatur, quando vindictæ libidini ſatisfactum eſt: ira autem ſemper in aliquid excandeſcat. Si itaque in id, quod nobis iræ cauſa extitit, vindicta appetitum ſuum explere poſſit, peccatum expiatum dicitur: ergo declarat is, qui ira inflammatus eſt, quomodo illa, & per quid expiari poſſit. Qui itaque oſtendit modum expiationis, eo non ſubvertit expiationem proprie dictam; præſertim ſi conſideremus expiationem

tionem peccati, & placationem iræ apud judicem, nihil eſſe aliud quam ſatisfactionem, legi pœnali præſtitam; & non requiri, ut is, cui ſatisfieri debeat, irâ accenſus ſit: cum apud Magiſtratum illud nihil aliud ſignificet, quam puniendi animum, qui aliter deponi non poteſt, niſi legi ſatisfactum ſit: ſed de his ſupra. Quod autem non requiratur, ut is, qui placatur per ſacrificium ita animum habeat nocendi illi, cum quo reconciliandus, ut eum docere non debeat modum placandi, id longe à vero & uſu quotidiano disjunctum eſt; & contrarium abunde probatur ex Hiſtoria Davidis, 1 *Chron.* 21:17. Ubi Deus per Angelum, & Gad Prophetam, annunciari curat Davidi, ut ad ſedandam plagam, qua Deus Iſraëlitas vaſtabat, erigeret altare; & ita per oblationes ſuper altari, averſum Dei in Iſraëlitas animum flecteret.

Quod autem Scriptura nos exhortetur, ut velimus reconciliari Deo; & eadem Deum mundum ſibi reconciliaſſe indicat, ille loquendi modus non tollit placationem proprie dictam, cum ita reconciliati ſimus Deo per mortem Filii ejus, ut illa reconciliatio actualiter nobis non applicetur, niſi poſt conditionem à nobis præſtandam, quæ eſt fides; atque adeo nos etiam noſmet Deo reconciliamus: eodem modo quo Apoſtolus, 1 *Cor.* 7: 11. jubet, ut uxor quæ diſceſſerit à viro, *rurſus viro reconcilietur*; cum tamen mariti animus placandus eſſet; quia enim hoc fieri non poterat, niſi per officia quædam ab uxore præſtanda, ideo Apoſtolus vult eam reconciliari viro, non ut maritus reconcilietur uxori: & hæc eſt ratio quare Apoſtolus, *Rom* 3:25. dicit, *Chriſtum eſſe placamentum in ſanguine per fidem*: abſurdum autem eſt, adverſarios per *placamentum in ſanguine* nihil aliud intelligere, quam Deum Patrem, per ſanguinem Filii teſtari, & declarare ſe ratum habere fœdus illud gratuitum, quod ſine ſatiſfactionis interventu, remiſſis gratuitò peccatis, jam ſub conditionibus æquioribus cum hominibus contrahit. Dicimus iſtam adverſariorum ſententiam admodum abhorrere à vero, & Scripturæ adverſariam: probavimus enim jam, & poſtea firmius confirmaturi ſumus, mortem Chriſti fuiſſe mactationem quandam, & oblationem ſacrificialem; non autem in morte victimæ, Deum tantum ſe placatum oſtendiſſe; ſed propter victimam placatum eſſe: neque tantum ideo propter victimam placatur Deus, quia id præſtitum eſt, quod fieri Deus voluerat, antequam pactum ratum eſſet; & Chriſtus authoritatem condonandi peccata acciperet; ſicut urgent adverſarii. Deus dicitur placatus victimâ, quia illa victima in ſe excipiens, & quaſi exhauriens infeſtos iræ Divinæ effectus, iram Dei placat: alioquin quævis obedientia poſſet vocari victima, & omnes martyres Sacerdotes: cum tamen Apoſtolus ad Hebræos tam operoſe probat, Chriſtum eſſe verum & proprie dictum pontificem; & id, quia obtulit aliquid Deo, quemadmodum reliqui pontifices. Denique Chriſtus eſt ita placamentum in ſanguine, ut ſanguine ejus ſimus *redempti*, *Heb.* 9:24. & quidem *empti ex omni tribu, populo, & natione, & empti è terra*, *Apoc.* 5:4. & 14:3. Qui modus loquendi non congruit cum ſimplici ſanctione fœderis gratuiti, in quo emptioni, redemptioni & expiationi nihil eſt loci.

Verum quidem eſt ad Hebræos *cap.* 9: 17. Chriſti mortem ab authore Epiſtolæ conſiderari tamquam id, ſine quo pactum, & teſtamentum ratum eſſe non poterat: ſed longè differunt, ſine morte teſtatoris teſtamentum ratum non eſſe, & per mortem teſtatoris illud teſtamentum obſignari, & confirmari: illud enim fit, quia cum teſtamentalis diſpoſitio non ſit actualis donatio inter vivos, quæ ſtatim poſt donationem rata eſt, ſed diſpoſitio tantum donationis futuræ; quia ſemper eſt in poteſtate teſtatoris illam diſpoſitionem teſtamentalem mutare, aut plane irritam facere, quamdiu eſt in vivis;

& ideo mors teſtatoris interveniat neceſſe eſt, ſi teſtamentum ratum ſit futurum; non quia per mortem obſignat, aut ratum facit, quod antea non erat; aut quaſi ad jus transferendi bona ſua ad alium, requiratur mors, cum id per ſimplicem declarationem voluntatis fiat: ſed quia nemo ex vi diſpoſitionis teſtamentalis, jus in teſtatoris bona ſibi vindicare poteſt, niſi poſt mortem. Obſignatio autem propriè dicta eſt illa, quæ ſimul tanquam ſignum voluntatis, concurrit ad formam intrinſecam fœderis: in hac ſignificatione mortem Chriſti concurriſſe ad fœdus, quod Deus iniit cum hominibus, nunquam probabunt adverſarii; quod tamen iis incumbit, ſi interpretationem loci illius, de quo jam diſputatur, ſartam tectam velint. Ratio autem, quare Apoſtolus aliquam comparationem inſtituit inter mortem Chriſti & teſtatoris, hæc eſt, quod Chriſtus ejus pacti mediator eſt, quod aliter iniri non poterat, niſi morte mediatoris & ſequeſtri: dicit enim Apoſtolus *Galat.* 3: 20. *Mediatorem non eſſe unum*, hoc eſt, mediator diſcordiam inter partes denotat, quæ diſcordia tolli non potuit niſi morte mediatoris, & ita fœdus gratuitum ſanciri neceſſe fuit ſanguine mediatoris: qua in re convenit cum teſtatore, cujus teſtamentum nullam efficaciam habet, niſi poſt mortem teſtatoris.

Atque ita liquet quomodo interpretandus ſit locus ille, 2 *Cor.* 5: 19. 20. *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi &c.* ita enim erat in Chriſto Deus, ut nos ſibi reconciliaret per Chriſtum, ergo per Chriſtum non ſolummodo ſe nobis reconciliatum oſtendit: ipſa enim reconciliatio longe differt ab hoc, quo aliquis ſe reconciliatum declarat: deinde hic adverſarii *reconciliare aliquem ſibi*, interpretantur eo modo, quo nos illud interpretandum urgemus, ſcilicet docent iſtæc verba ſignificare, Deum iratum rediiſſe in gratiam cum hominibus: dicunt enim iſtæc verba, de quibus jam diſceptatur, nihil aliud indicare, quam Deum in morte Chriſti obſignaſſe illud fœdus, quo declarat ſe rediiſſe in gratiam cum hominibus: ergo modus ille loquendi *reconciliare homines peccatores ſibi*, non ſignificat à parte hominum, pacem tantum procurare per converſionem; Dei autem iram jam placatam & ſedatam fuiſſe.

Gaudet autem Spiritus Sanctus eo loquendi modo, qua Deus Pater modum, & medium reconciliationis ipſe invenit, & victimam, ut ita dicam, de ſuo deprompſit & ſuppeditavit; & mire ſibi complacuit in opere redemptionis, quod Chriſtus ſuſcepit: unde dicitur Pater *Chriſto corpus adaptaſſe, &, pro laboribus ſuſceptis gloriâ & honore coronaſſe, Hebr.* 2: 9. & 12: 2, &c. Et homines adhortantur ut reconciliari velint Deo, eo modo, quo eos adhortamur ad fidem, pietatem, & bona opera; ſunt enim reconciliationis media, non cauſa.

Abſurdius autem eſt, quam dici poſſit, velle omnia Scripturæ loca, quæ inimicitiam inter Deum & homines denotant, interpretari de hominum perverſa voluntate, quâ dediti operibus malis, Deum, qui contraria imperat, & à quibus homines propter inſitam malitiam & pravam cupiditatem abhorrent, oderunt: quomodo locus ille ad Romanos *cap.* 5: 1. talem interpretationem ſuſtinere poteſt; *Juſtificati igitur ex fide, pacem habemus apud, vel erga Deum, per dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*: de qua pace loquitur Apoſtolus? Non de illa, qua oppoſita iræ illi, cujus mentionem fecit *capite* 4: 15. *Lex iram efficit*: ſicut alibi idem Apoſtolus docuerat, eos qui ſub lege ſunt, eſſe ſub maledictione, à qua liberamur per Chriſtum fide apprehenſum. Deinde Apoſtolus docet, nos tunc tantum pacem habere apud Deum, cum fide juſtificati ſumus: at juxta doctrinam adverſariorum, Deus ante fidem hominum, jam erga eos placatus erat, & animum infenſum depoſuerat. Cum autem fides non ſit omnium, quomodo

modo per pacem, de qua hic loquitur Apoſtolus, intelligi poteſt pax illa univerſalis, qua Deus in Chriſto erga genus humanum ſeſe placatum oſtendit; non poteſt autem intelligi de pace illa & amore, quo Deus homines fideles proſequitur, poſtquam per fidem in fœdus illud gratiæ tranſierunt, & quos ſpecialiori gratia complectitur, tamquam fœderatos: cum hic de illa pace agatur, quæ oppoſita eſt iræ, ſub qua omnes jacent, qui ſub lege ſunt: quemadmodum ex capite 1. 2. 3. & 4. hujus epiſtolæ liquet; ubi Apoſtoli ſcopus eſt probare neceſſitatem juſtificationis per fidem, probans tam Judæos, quam gentes eſſe ſub condemnatione, & ira. Deinde agitur de tali pace, quæ nobis parta eſt per traditionem Chriſti in mortem; *capit.* 4: 25. *Traditus, Chriſtus ſcilicet, propter offenſas, & reſuſcitatus ad noſtri juſtificationem.* Cum quibus verbis cohærent, *Juſtificati igitur ex fide pacem habemus cum Deo*: ut planè intelligenda hic ſit talis pax, quæ oppoſita eſt iræ, qua Deus tamquam judex nobis extra Chriſtum conſideratis infenſus erat: nam quod in hoc capite Apoſtolus mentionem facit ſummi amoris erga nos, quo Deus impulſus, Chriſtum pro nobis tradidit, ille amor non ſubvertit illam iram, de qua hic diſputamus, ſicut ſupra probatum eſt; & Apoſtolus ſatis declarat, cum dicit, *Nos cum inimici eſſemus, reconciliatos Deo per mortem Filii ejus*; hic, licet non auſim repugnare adverſariis, per inimicos intelligendos eos, qui animum per peccata averſum habebant à Deo, quos vocat *verſ.* 6. *impios, & peccatores verſ.* 7. non tamen ſub eo formali, nec ideo eos inimicos vocat, quia ſimpliciter ſunt peccatores; ſed quia per peccata odium Dei ſibi accerſunt, & in ſe concitant, & dignos ſe reddunt ejus ira. Et ideo Apoſtolus dicit in ea reconciliatione tantopere elucere Dei miſericordiam, & bonitatem; quia propter peccatum ira Dei excandeſcit, & inflammatur, & peccatum etiam eſt actus hominis inimici, quia per eum Deus læditur: ſi enim peccata hominum talem reſpectum non haberent ad Deum, ut quæ concitant iram Dei, ex peccatorum condonatione non eluceret Dei tantopere ab Apoſtolo commendata miſericordia, & clementia.

Atque ita pariter liquet, quomodo locus ad *Epheſios* 2: 3. & ſequentibus intelligendus ſit: ubi Apoſtolus docet gentes, & inter eas Epheſios fuiſſe, antequam in Euangelium crediderint, *filios iræ*: non qui Deum tantum oderant; ſed qui etiam Deo erant exoſi: & ideo Apoſtolus *verſ.* 7. dicit in eo reconciliationis opere tantopere Deum oſtendiſſe opes illas eminentes τὸ ὑπερβάλλοντα πλοῦτον gratiæ ſuæ: neque eas gentes ita ſibi tantum reconciliavit, ut eas ad meliorem frugem converterit, *verſ.* 5. quod tantum principalis reconciliationis fructus eſt, *verſ.* 10. ſed ita *Eos antea mortuos, vivificavit in Chriſto: ut etiam una eos collocaverit in cœlis cum Chriſto Jeſu*; ut ita per liberationem ab illa ira, intelligi debeat receptio in gratiam. Verum quidem eſt in eo capite ſecundo agi de reconciliatione gentium cum Judæis, *verſ.* 14. 15. 16. ita tamen id docetur, ut ſimul Apoſtolus innuat inimicitias antea fuiſſe inter gentes & Deum; eas autem ſublatas, quatenus gentes jam receptæ ſunt in illud fœdus, quod ſancitum erat in Chriſto cum Judæis; & per quod fœdus Deus erga Judæos placatus erat. Ex hac enim occaſione agit de reconciliatione gentium cum Judæis; ut ita probaret & oſtenderet, Deum cum gentibus in gratiam rediiſſe: id enim Apoſtolus probare intenderat; quod ſatis liquet ex principio hujus capitis *verſ.* 2. 3. 4. quibus docet gentes fuiſſe *mortuas in peccatis, filios iræ*, &c. & ex *verſ.* 19. ejuſdem: *Nempe igitur non amplius eſtis peregrini, & inquilini; ſed concives ſanctorum, & domeſtici Dei.* Neque cuiquam jam ſcrupulus ſupereſſe poteſt, utrum in loco *Coloſſ.* 1: 26. intelligi debeat per

pacem,

pacem, quæ *ſanguine Chriſti facta* dicitur, pax quæ inter Deum & homines conſtituta ſit; an illa, quæ inter gentes & Judæos & angelos in cœlis? Liquet enim ſatis ex circumſtantiis, Apoſtolum præcipuè velle docere reconciliationem & pacem hominum cum Deo factam eſſe, quia illa reconciliatio facta dicitur *per ſanguinem crucis, ut ſiſtat Coloſſenſes ſanctos & inculpatos, & irreprehenſos in conſpectu ſuo*: ſicut itaque non ſancti & non inculpati, Deo ſunt offenſi & inviſi, quia ſecundum legem ſuam peccatores punire vult, ſic ſancti & inculpati illi ſunt, quorum reſpectu Deus jam eſt placatus, & ejus ira cecidit: cum autem Apoſtolus dicit, per ſanguinem pacem eſſe factam, indicat ſatis mortem Chriſti pacis cauſam extitiſſe, & ejus ſanguine ſancitam eſſe. Nec obſtat, quod Apoſtolus teſtetur, *Deum reconciliaſſe ſibi per ſanguinem crucis, tum quæ in terra, tum quæ in cœlis*: per ea autem, *quæ in cœlis*, intelligendos eſſe Angelos, qui cum non peccaverint, redemptore non egebant; atque ita urgent adverſarii, hunc locum, de quo diſceptatur, interpretandum non eſſe de redemptione proprie dicta, ſed de converſione hominum, qua evenit, ut concordia inter homines converſos & Angelos ſanctos reſarcita atque firmata ſit; quæ antea propter hominum flagitioſam vitam interrupta erat: & cum Apoſtolus aſſerit *Homines & Angelos Deo reconciliatos*, volunt intelligenda ea verba de fine, propter quem Deus ſibi illas creaturas reconciliaverit: ita ut, quando Apoſtolus docet, homines & Angelos Deo reconciliatos, nihil aliud nobis indicare voluerit, quam id ideo factum, ut ſcilicet Deo ſervirent, & ſanctitate vitæ gloriam ejus celebrarent. Nam licet non negemus, talem ſenſum verba *verſ.* 20. etiam continere, includunt tamen neceſſariò inimicitiam etiam interceſſiſſe inter Deum & homines; quemadmodum inter Angelos & homines; ſicut id expreſſe indicant *verſ.* 21. 22. in quibus Apoſtolus docet, *Coloſſenſes quondam fuiſſe alienatos, & hoſtes mente, &c.* cujus quæſo hoſtes? an Angelorum? ita quidem; ſed quia hoſtes Dei, *cui nos dicit reconciliatos in corpore carnis per mortem; ut ſiſtamur in conſpectu ejus ſancti & inculpati*; facit autem mentionem reconciliationis, & pacis inter homines & Angelos, ex occaſione verborum *verſ.* 18. & 19. *Eſtque caput corporis Eccleſiæ, eſtque principium, & primogenitus ex mortuis; ut inter omnes primas teneat: quoniam libuit Patri, ut omnis plenitudo in eo habitaret*: cum enim his verbis doceret Apoſtolus, Chriſtum etiam eſſe caput Angelorum, quemadmodum hominum, voluit oſtendere Angelos & homines in unum corpus coaluiſſe, per mortem Chriſti pace inter eos conſtituta: & ſicut unum faciunt corpus, ita Chriſtum eſſe caput iſtius corporis; & ea ratione nos omnia poſſidere in Chriſto: ſicut docet expreſſe *Capit.* 2: 10. *Et eſtis in eo completi, qui eſt caput omnis imperij & poteſtatis*: quare nulla eſt neceſſitas vos referre antiquum ceremoniarum cultum, aut per ſuperſtitionem, & indecentem animi ſubmiſſionem iis poteſtatibus, & imperiis deferre cultum, & honorem, quæ nobiſcum unum corpus conſtituunt, & qui idem cum nobis caput habent. Plane eodem utens argumento, quo utitur Angelus, *Apoc.* 19: 10. Qui, cum Johannes ei cultum religioſum deferre vellet, reſpondit, *Vide ne feceris, conſervus tuus ſum, & fratrum tuorum, qui habent teſtimonium Jeſu.* Atque hæc dicta ſufficiant de interpretatione quorundam locorum, quæ agunt de reconciliatione, & inimicitiis, quæ interceſſere inter Deum & homines ante præſtitam ſatisfactionem, & quæ inimicitiæ deletæ ſunt morte Chriſti.

Accedimus jam ad argumentum ultimum, quo probare conamur, Chriſtum morte ſua propriiſſimè loquendo, Deo Patri pro peccatis noſtris ſatisfeciſſe: adornabimus autem illud argumentum ex illis

Scripturæ locis, quæ docet Chriſtum eſſe pontificem; imo pontificis perſonam ſuſtinuiſſe, cum ſeſe morti traderet ejuſque acerbitates & dolores ſubiret. Hoc itaque eſto argumentum. Qui cum morti ſeſe, & immolandum traderet, in illo immolationis articulo perſonam pontificis geſſit, & ſimul victimæ rationem habuit, is tradendo ſeipſum morti, ſatisfecit pro peccatis eorum, pro quibus ſemet obtulit; ſed Chriſtus hæc omnia præſtitit: ergo etiam ſatisfecit pro iis, pro quibus ſemet obtulit; & ita iram Dei tali oblatione placavit. Adverſarii negant hujus argumenti minorem; Chriſtum ſcilicet in morte ſuſtinuiſſe perſonam pontificis, aut mortem fuiſſe victimam, & oblationem proprie dictam; ſed ajunt Chriſtum poſt mortem demum pontificem conſtitutum; & oblationem eſſe factam, non cum ſanguinem funderet, ſed cum poſt reſurrectionem per ingreſſum in cœlum ſeſe corpore glorioſo Patri ſiſteret: & hinc natum eum loquendi modum dicunt, quo Apoſtolus utitur, cum dicit *Chriſtum corpus ſuum obtuliſſe*, *Heb.* 10:10. *Patrem ipſi corpus adaptaſſe, quod Patri offerret*: ſtatuunt autem nuſquam dici, Chriſtum ſanguinem ſuum obtuliſſe Deo Patri; & ut paucis adverſariorum ſententiam complectar, Chriſtum poſt mortem tantum pontificem conſtitutum, & in cœlis ſuo munere non tantum fungi; ſed etiam illud in cœlis auſpicatum tantum eſſe, dicunt. Hinc modos illos loquendi ortos aſſerunt, quibus paſſim in epiſtola ad Hebræos utitur author: *Chriſtum eſſe miniſtrum ſanctuarii cœleſtis, quod fixit Deus & non homo*, *Hebr.* 8: 2. *Et ſi eſſet Chriſtus in terra, tunc ne ſacerdos quidem eſſet*, *vers* 4. *Et Chriſtus eſt ingreſſus in tabernaculum, non manufactum*, *Heb.* 9: 11. 24. *Non enim in manufactum ſacrarium ingreſſus eſt Chriſtus, &c; ſed in ipſum cœlum, ut compareat apud faciem Dei pro nobis.* Imo docent, ideo Apoſtolum locum, qui agit de regno Chriſti, *Pſal.* 2. *Heb.* 5: 5. 6. citare in teſtimonium, ut eo vindicet ſacerdotale munus Chriſto. *Ita & Chriſtus non ipſe ſibi hunc honorem tribuit, ut fieret pontifex; ſed is qui dixit ei, filius meus es tu, ego hodie genui te:* putantque inde probari poſſe, muneris ſacerdotalis partem non fuiſſe Chriſti traditionem in mortem; fuit enim mors extremus humiliationis gradus, qui longe remotus, atque ſejunctus à dignitate ſacerdotali Chriſti, & quæ excellentiam, atque honorem continet, quibus Chriſtus dignitatem filii adeptus eſt: ita ut eadem collatione honoris, qua factus eſt filius, ſit etiam factus & creatus pontifex; & ideo ſacerdotale munus conſiſtere in eo exiſtimant, quod expiet peccata populi jam in cœlo exiſtens, operans converſionem impiorum ſpiritus ſui efficacia, & hominum mentes flectens in obſequium ſui. Eandem rationem eſſe dicunt adverſarii, quando Apoſtolus *Heb.* 2: 11. dicit, *Chriſtum debuiſſe pati, ut ita fidelis foret pontifex*; mortem itaque Chriſti fuiſſe quaſi conditionem, aut potius gradum antecedentem, ſine quo dignitatem pontificalem adire Chriſtus non potuiſſet: atque ita ſtatuunt, traditionem Chriſti in mortem fuiſſe actionem quandam non pontificis, ſed qua Chriſtus ad munus ſacerdotale aptus redderetur, & ut ita dicam, ſanctificaretur. Hæc inquam eſt ſumma reſponſionum, & exceptionum adverſariorum ad argumentum ſupra adductum. Duo itaque nobis probanda ſuperſunt, ut exceptiones adverſariorum refutemus. *Primum*, traditionem Chriſti in mortem fuiſſe victimæ veræ immolationem. *Secundum*, Chriſtum tunc munus ſacerdotis, ſacrificantis & offerentis Deo victimam, ſuſtinuiſſe. Mortem autem Chriſti fuiſſe victimam ſupra abunde probavimus. Chriſtum autem cum ſe immolandum traderet, perſonam pontificis geſſiſſe, eodem argumento evincitur: ſi enim victima oblata fuit, ergo aliquis pontifex qui obtulit, quia ſub lege nemini victimas offerre licebat, niſi is qui ad tale munus vocatus eſſet, *Heb.* 5: 4. ſive modo ordinario,

nario, ſive extraordinario: ſicut David, Gideon, &c. Preſſius autem ſic probamus, *Heb.* 9:12. Chriſtus *per ſanguinem proprium ingreſſus* dicitur *tabernaculum, æternam redemptionem nactus*; & Apoſtolus hac in re inſtituit comparationem inter Chriſtum, & ſupremum pontificem, qui ſemel quotannis in ſancta ſanctorum ingrediebatur cum ſanguine: quis autem inficias ibit, immolationem hirci illius, *Lev.* 16. fuiſſe partem actus ſacrificalis? Verum quidem eſt Moſem *Lev.* 16:16. dicere, expiationem illam pro peccatis populi tunc fieri, quando Aharon inſpergebat ſanguine ipſum operculum propitiatorium; & inde videtur poſſe confici, morti beſtiæ expiationem non attribui, ſed ſanguinis aſperſioni; conſiderandum verò eſt, expiationem peccatorum per ſacrificia fieri per ſolutionem proprie dictam; atque ideo tunc primò expiationem fieri, cum expiationis pretium repręſentaretur ei, qui placandus eſt: quod in ſancto ſanctorum fiebat, quando ſanguis hirci immolati, deferebatur quaſi ante faciem Dei; ita tamen, ut ipſa mors animalis eſſet cauſa materialis, qua Deus placabatur, & debitum ſolvebatur: cum per mortem animalis tantum aditus ad operculum propitiatorium pateret, qui aditus ſignificat placationem, & reditum in gratiam, ſicut prohibitio ab illo aditu, iram innuebat, quemadmodum ſupra abunde probavimus: & hinc eſt quod *Heb.* 9:12. dicitur, *Chriſtus ingreſſus ſanctuarium cœleſte, nactus æternam redemptionem*: volunt quidem adverſarii hic eſſe temporis enallagen: ſed natura rei non patitur, cum placatio jam facta eſſe debeat, antequam hominibus in perſona pontificis pateat aditus ad Deum, *Hebr.* 10:19. *Cum itaque fratres habeamus libertatem ingrediundi ſacrarium per. ſanguinem Jeſu*, ἐν τῷ αἵματι Ἰησοῦ. Sicut itaque immolatio hirci erat pars ſacrificii, ſic immolatio Chriſti erat pars ejus ſacrificii: requirebatur tamen ad pœnarum expiationem, ut ſolutionis pretium repræſentaretur Deo: quare Apoſtolus 1 *Cor.* 15:17. dicit, *Si Chriſtus non reſurrexit, eſtis adhuc ſub peccatis veſtris*: nam licet mors Chriſti ſit pretium redemptionis, non habet tamen rationem pretii, quamdiu Deo oblatum illud pretium non eſt; oblatum autem eſt, cum Chriſtus ſanctuarium cœleſte ingreſſus eſt. Atque etiam hæc eſt ratio, quare nonnunquam actibus illis, qui peracti ſunt in cœlo, redemptio & ſanctificatio noſtra attribuatur.

Probamus ſecundo, Chriſtum in traditione ſui in mortem, ſuſtinuiſſe perſonam pontificis, & ſacerdotis: nam *Heb.* 7:26. 27. dicitur expreſſe, Chriſtum, cum ſemet obtulit, victimam obtuliſſe: *Talis enim nos decebat pontifex, &c. cui non ſit quotidie neceſſe, quemadmodum illis pontificibus, prius pro peccatis propriis victimam offerre, deinde pro peccatis populi; hoc enim ſemel fecit, cum ſemet ipſum obtulit*: ergo oblatio ſui ipſius fuit victimæ oblatio; quæ victima fuit mactata extra ſancta ſanctorum, hoc eſt, extra cœlum, cujus ſancta ſanctorum erat typus, & figura. Cum enim Chriſtus ſemel in terra mortuus, non amplius moriatur, nullo alio ſanguine ſanctificari, & expiari eſſe poſſumus, quam eo ſanguine, quem Chriſtus effudit in terra: ſanguis autem quo ſanctificamur, eſt ſanguis victimarum, *Heb.* 9:23. *Itaque neceſſe fuit exemplaria quidem eorum quæ ſunt in cœlis, hiſce rebus purificari, ipſa vero cœleſtia potioribus quam hæ ſunt victimis*: in quo loco Apoſtolus ſanguinem victimarum victimas appellat.

Probatur etiam ex *Heb.* 10:12. hic, ſcilicet Chriſtus, *una pro peccatis oblata in perpetuum victima, conſedit ad dextram Dei*: hic per victimam intelligi debere oblationem Chriſti in mortem, liquet ex antitheſi, quam Apoſtolus facit inter oblationem Chriſti, & reliqua ſacrificia, *vers* 5. *&* 11. Aut itaque dicendum eſt, ſacerdotem nunquam offerre victimas, aut Chriſtum etiam obtuliſſe victimam, & ſacrificia

cia: abſurdiſſimum autem eſt, oblationem corporis Chriſti, qui poſt reſurrectionem coram Deo comparuit, ſine relatione ad mortem præcedentem, vocare victimam; cum in omni victima requiratur immolatio animalis, quæ proprie victima dicitur.

Velle autem hic excipere, Chriſti mortem vocari victimæ immolationem, quia per mortem ſuam, tamquam conditionem antecedentem ad munus ſacerdotale, eſt quaſi præparatus & conſecratus, cujus muneris vi Chriſtus in cœlis exiſtens, expiat hominum peccata, id eſt totam argumentationem Apoſtoli, quam in hac Epiſtola intendit, futilem & inanem reddere; cum enim ſingulis fere verſibus inculcet Chriſtum eſſe Sacerdotem, & victimam obtuliſſe Deo; & pontificem ſummum fuiſſe typum Chriſti: denique, quicquid olim à pontifice in ſolennibus ſacrificiis agebatur in typo & figura, id à Chriſto factum reipſa & efficaciter, adverſarii, quaſi deditâ operâ & ſtudio, nihil horum à Chriſto factum eſſe confirmare ſtudent: non victimam immolatam; non ſanguinem ſparſum, & fuſum; non redemptionem proprie dictam impetratam, non placationem, non ſanctificationem populi, ejusque expiationem, ſicut per ſacrificia fieri ſolebat: ſed ab hiſce omnibus longe diverſa à Chriſto facta docent, quæ nihil commune habent cum iis, quæ aut in ſacrificiis, aut per ſacrificia fieri ſolebant, & pontificem talem nobis obtrudunt, qui longiſſimè ſejunctus eſt à pontifice V. T. qui Chriſti typus & figura fuit. Pluribus argumentis noſtram ſententiam non conabimur tueri, ne lectoribus tædium obrepat, & tautologiâ hunc diſcurſum vitiet, quam vix tamen effugere licet propter multorum argumentorum arctum nexum & conjunctionem.

Inſtantias autem adverſariorum ſic paucis refellimus. Chriſtum dici ſanctuarii cœleſtis miniſtrum, non quia tantum in cœlis ſui muneris exordium fecit; ſed quia potiſſima muneris ſacerdotalis pars in cœlis peragitur, ſcilicet oblatio & repræſentatio victimæ in terris mactatæ: cum ſupremus pontifex eam oblationem faceret non in cœlis, ſed in ſanctis ſanctorum, & illic typice compareret coram facie Dei: ſicut itaque nihil impedit, ſacerdotem ſupremum extra ſancta ſanctorum exercuiſſe aliquam partem muneris ſacerdotalis, licet in ſancto ſanctorum id agebat, in quo conſiſtebat formalis placationis typicæ ratio: ſic pari ratione de Chriſto aſſeritur, eum & ſanctuarii cœleſtis miniſtrum eſſe, & tamen pontificis munere functum eſſe in terra. Quibus liquet quomodo locus ille *Heb.* 8:4. ſit intelligendus: *Nam ſi Chriſtus in terra eſſet, ne pontifex quidem eſſet, &c.* Non enim dicit Apoſtolus, Chriſtum in terra nullis muneris ſacerdotalis partibus functum eſſe, aut pontificem non fuiſſe; ſed Chriſtum in terris nihil obtuliſſe Deo, loquens de ea oblatione, cujus figura erat ſanguinis animalis immolati & mactati oblatio in ſanctis ſanctorum, & ejus exhibitio coram facie Dei: proponit enim ſibi Apoſtolus in principio hujus capitis probare, non quando Chriſtus pontificale munus ſuum ſit auſpicatus: ſed quod aliquid obtulerit Deo, quandoquidem pontifex extitit: oblationem autem illam factam non fuiſſe in terra, ſed in cœlis; neque eam potuiſſe fieri in terris, quia manebant ſacerdotes illi, qui ſecundum legem offerebant dona; qui omnes ex proſapia Levi erant: è qua cum Chriſtus originem ſuam non duceret, ſine inſigni prævaricatione ſeſe in munera ſacerdotalia, quæ in terris peragebantur, introducere non potuiſſet: immolatio autem corporis Chriſti, quæ in terris facta eſt, tale incommodum ſecum non trahit, cum extra templum & ſanctuarium peracta ſit; & ipſa victimæ immolatio capitalis & primarius pontificis actus non fuiſſe videatur: quia miniſtrorum opera in eo uti licuit: ſaltem ea pars muneris ſacerdotalis, quæ cum maxima dignitate conjuncta erat, non

non verſabatur in immolationis actione, ſed in oblatione ſanguinis mactati animalis coram Dei facie per ingreſſum in ſancta ſanctorum. Simili reſponſione ſolvi poteſt ille locus *Heb.* 2:17. *Unde debuit per omnia fratribus ſimilis fieri, ut miſericors & fidelis pontifex eſſet in iis, quæ apud Deum agenda ſunt.* Et *Heb.* 7:26. *Talis enim nos decebat pontifex, ſanctus, ab omni malo alienus, ſine labe, ſeparatus à peccatoribus, & ſublimior cœlis factus.* Hinc adverſarii concludere volunt, Chriſtum demum poſt paſſionem factum pontificem; & per paſſiones & cruciatus, quaſi aptum redditum ad legitimè obeundum illud munus. Locus enim hic nihil aliud evincit, quam Chriſtum omnes pontificis partes non explevisse in terris; ſed poſt mortem inſignes adhuc reſtare, ad quas exercendas idoneè, plurimum momenti habebat Chriſti mors & paſſio: utpote qui non ignarus mali, miſeris ſuccurrere didicerat. Parum autem ſolida eſt argumentatio: Chriſtus multis ærumnis & cruciatibus exercitus, idoneus eſt redditus pontifex ad expianda peccata populi; ergo antequam ea ſubiret & exhauriret, non erat pontifex: quod ſi eodem argumento utens conficerem ex *Hebr.* 5:8. *Quamvis Filius eſſet, tamen ex iis, quæ paſſus eſt, didicit obedientiam*, Chriſtum tunc demum Patri verè obſequentem factum fuiſſe; cum ex iis quæ paſſus eſt, didicerit quid ſit illud, renuntiando ſuis affectibus, ad domini mandatum voluntatem ſuam flectere: quia ſcilicet in articulo mortis, & angoribus conſtitutus, neceſſe habuit ſuperare omnes illas naturales inclinationes, quibus homo propendet in ſui conſervationem, & quibus ea omnia ipſi adverſa ſunt, quæ cruciatus & dolores inferunt: non exiſtimo adverſarios illum argumentandi modum æquum exiſtimaturos: non ſunt enim adverſarii negaturi, Chriſtum etiam longè ante ultimam illam paſſionem Deo Patri obedientiam præſtitiſſe: pari itaque jure, & eorum argumenta, quæ à ſimili ratione ducta ſunt, rejicimus.

Urgent adverſarii adhuc locum *Heb.* 10:5. *Quapropter ingrediens mundum, dicit ſacrificium & oblationem noluiſti, corpus autem adaptaſti mihi, &c.* uſque ad *verſum* 11. Hic adverſarii per ingreſſionem εἰς τ̃ κόσμον intelligunt Chriſti ingreſſum in cœlum; per corpus, corpus Chriſti glorificatum; per oblationem corporis, cujus mentio fit *verſ.* 10. Chriſti inaugurationem in munus ſacerdotale; quatenus tunc ſeſe obſtrinxit obeundis omnibus illis muneribus, quæ ſacerdotalis officii ratio ab eo poſtulat; & Pater tunc in eum contulit dignitatem Sacerdotis ſupremi. Et ideo adverſarii inaugurationem Chriſti in munus ſupremi pontificis referunt ad glorificationem Chriſti. Et loca, quę agunt de reſurrectione Chriſti, & de ejus regno, ideo etiam à SpirituSancto aptari ſacerdotio Chriſti ferunt: ſicut *Heb.* 5:5. dicitur Chriſtum ſeipſum *non glorificaſſe, ut pontifex fieret, ſed is qui loquutus eſt, filius meus es tu, &c.* & Apoſt. *Heb.* 5:10. dicit, quod Chriſtus tunc, quando *Perfectus eſt redditus, appellatus ſit à Deo pontifex*: non itaque ante fuit pontifex, quam cum adeptus eſt nomen & dignitatem filii; & quidem ſpeciatim, cum Deus Pater Chriſtum, poſt exantlatos labores, præmiis ornans, tamquam Filium unigenitum conſtituit hæredem omnium, & eum ideo ſpeciatim etiam propter eam rationem adoptavit in Filium, cujus hæredis dignitatis pars eſt munus ſacerdotale, per quod facultatem acquiſivit fruendi hæreditatis fructibus.

Reſpondemus ad hæc loca Scripturæ paucis. Primo, hic per ingreſſionem Chriſti in mundum intelligi non poſſe, ingreſſionem Chriſti in cœlum, cum circumſtantiæ non ferant hic voci mundi talem interpretationem aptari. Ratio autem eſt, quia Apoſtolus *Heb.* 10:1. & ſequentibus, nititur probare abolitionem ſacrificiorum legalium; & inter alia argumenta,

ta, quæ conficiendæ huic rei adducit, citat locum ex *Pſalmo* 40: 7. 8. Ubi Propheta David gratias agens Deo pro beneficiis ſimul indicat, quibus rebus Deus maxime delectatur; atque adeo quibus homines ſuam gratitudinem Deo teſtatam facere poſſunt, & ut ita dicam ei vicem rependere; docetque Deum holocauſtis & oblationibus non delectari; ſed obedientia & reverentia erga ſua mandata: quod Deus in multis Scripturæ locis ubivis obviis teſtatus eſt. Dicit itaque Propheta, poſtquam ſacrificia & oblationes removit, Deum ipſi aures perforaſſe, & legem menti indidiſſe, qua omni promptitudine mandata ejus exequitur; idque Deum acceptare loco holocauſtorum & ſacrificiorum: loco autem quod Pſalmiſta poſuit, aures perfodiſti mihi אזנים כרית לי Apoſtolus poſuit corpus adaptaſti mihi σῶμα κατηρτίσω μοι: niſi itaque hic per corporis adaptationem intelligatur formatio corporis Chriſto à Patre facta, atque ita humanæ naturæ aſſumptio, ut ſecundum eam conſtitutus ſub lege, ſeſe Patri obſequentem, etiam uſque ad mortem crucis præberet; & ea obedientia nos ab ira, & maledictione liberaret; atque ita oblatione corporis ſui ſemel facta, omnia ſacrificia, & oblationes tolleret, nulla erit verborum affinitas Apoſtoli cum iis, quæ in Pſalmo reperiuntur, quod tamen neceſſe eſt, niſi Apoſtolum arguere velimus parum concinnè argumentatum eſſe. Perforare itaque aures, eſt reddere hominem ſibi obſequentem, eumque tamquam proprium, atque in ſervitutem ſibi vindicare. Sive Apoſtolus reſpexerit ad locum *Deut.* 21:6. & ſequentibus; ſive ad illa loca Scripturæ, quæ per aurium & cordis apertitionem ſignificant obedientiam, & promptum obſequendi ſtudium, *Eſai.* 29: 18. 35:5. *Actor.* 16:14. Atque ita aptare corpus apud Apoſtolum erit, formare corpus, quod is, qui illud habet, in Dei ſervitutem conſecrat; ſicut disertè & expreſſis verbis Apoſtolus id de Chriſto teſtatur, *Philip.* 2:6. *Cum enim eſſet in forma Dei, non duxit rapinam, parem eſſe cum Deo: ſed ipſe ſeſe inanivit, forma ſervi accepta, ſimilis hominibus factus, &c.*

Quod autem adverſarii Chriſtum poſt mortem demum in munere ſacerdotali inauguratum fuiſſe, probare nituntur ex *Heb.* 5:5. & 9: 10. id loca illa, & quæ his ſunt ſimilia, non conficiunt. *Heb.* 5: 5. Apoſtolus nihil aliud probare intendit, quam Chriſtum, dignitatem muneris ſacerdotalis ſibi non vindicaſſe contra voluntatem aut præceptum Dei; ſed Patrem in Chriſtum illam dignitatem contuliſſe, idque probat verbis *Pſalm.* 2:7. *Filius meus es tu, ego hodie te genui*: non quod illa verba, quæ agunt de generatione Filii æterna, complectantur in ſe vocationem Chriſti ad munus ſacerdotale, aut regale: ſed quatenus hæc verba, quia denotant Chriſti generationem æternam à Patre, & inde reſultantem dignitatem filialem, ſimul inferunt illam perſonam, quæ iis privilegiis & titulis gaudet, à Patre deſignatam ad ampliſſima illa regis, & ſacerdotis munera; & ideo quæ talis à Deo habetur & vocatur: ſicut Apoſtolus id de Chriſto probaverat, *Cap.* 1:5. ejuſdem epiſtolæ: ille etiam is eſt, quem Pater ad munus Sacerdotale vocavit, ſecundum Prophetiam Davidis, *Pſalm.* 2:7. 8. Illic enim Pſalmiſtam agere de Chriſti vocatione ad munus regale & ſacerdotale; apud omnes in confeſſo eſt, & verba expreſſe id declarant, *verſ.* 6 *Atqui ego inungens regem meum, præfeci Sioni monti ſanctitatis meæ*; quæ verba diſerte regnum Chriſti deſignant: quæ autem ſequuntur *verſ.* 8. *Pete à me, & donabo gentes in poſſeſſionem tuam, &c.* non obſcure innuunt munus ſacerdotale, cujus proprium eſt petere & poſtulare aliquid à Deo: vel ſaltem Prophetam ſub munere regali complexum eſſe ſacerdotale; quia utrique muneri multa ſunt communia, ſicut ipſi adverſarii faten-

fatentur, & argumentis probant, quæ hic recenſere fruſtra foret: verba autem hæc, *Filius meus es tu*, non deſignare ipſum munus ſacerdotale, aut regale; ſed tantum aliquid illis antecedens, liquet ex *verſu* 8. *cap.* 5. *Epiſtolæ ad Hebræos:* ubi Apoſtolus docet Chriſtum, *quamvis Filius eſſet, ex iis quæ paſſus eſt, didiciſſe obedientiam:* ubi certe nomen *Filius* non poteſt denotare dignitatem ſacerdotalem: idem tamen ſignificat quod nomen *Filius verſ.* 5. Probat enim Apoſtolus Chriſtum, non tantum nomine fuiſſe ſacerdotem, ſed eum, quem antea vocavit filium, & ſacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedec, obiiſſe ſacerdotis munera, dum in terris vivens, preces & ſupplicationes Deo obtulit, &c. & ita ille qui ſimul filius & ſacerdos erat, quamvis filius eſſet, & Patri ſumme charus & dilectus, experientia didicit, quid ſit obedire ſuperiori, & ad ejus voluntatis normam ſuam componere, reluctantibus ſæpius affectibus & animæ noſtræ propenſione. Cui hæc reſponſio minus placet, poterit illam ſumere quam jam tradam, quæ planior & minus confragoſa, & minus longe petita. Concedimus adverſariis, Chriſtum in loco controverſo ita conſtitutum pontificem, quemadmodum eſt conſtitutus filius: Chriſtum autem loco citato factum filium, quatenus eſt factus & conſtitutus hæres omnium, hoc eſt quatenus (ſi ita loqui licet) poſuit veſtigium in poſſeſſionem hæreditatis ſuæ, & ita ad dignitatem filialem ſit evectus; & quia in illo ſenſu dignitas filialis continetur dominio & ſeſſione Dei ad dextram, atque adeo regno; & regnum illud ſit regnum ſacerdotale, congruenter loco *Pſalm* 2. docet, Chriſtum à Deo conſtitutum, aut vocatum ad munus ſacerdotale, cum vocatus eſt ad regnum, & ad dignitatem filialem: quando ſc. adiit ſuam hæreditatem; & accepit gentes in poſſeſſionem. Non quod tunc, quoad jus, inceperit eſſe filius, hæres, rex, aut pontifex; ſed quod tunc eluctatus omnes calamitates & afflictiones, quibus ejus humiliatio continebatur; & præſertim ea pars pontificatus, qua de ſuo victimam depromere debebat, ſumma cum gloria declaratus eſt filius, Rex & pontifex: & ita Davidis antitypus exiſtens. Qui, ſi jus ejus ad regnum ſpectes, tunc illud adeptus, cum à Samuele eſt unctus, & conſecratus; ſed jus illud cum dignitate conjunctum non exercuit, quam poſtquam in Hebrone ſolemniter eſt unctus Rex, 2 *Sam.* 5. Atque hæc dicta ſufficiant pro noſtro ſcopo, & ita huic tractatui finem imponimus.

DISSERTATIO
DE
USU RATIONIS
IN
REBUS THEOLOGICIS,

Et præſertim in interpretatione S. Scripturæ.

Præfatio ad Lectorem.

PRODIIT ante ſeſqui-annum liber anonymi hoc titulo; *Philoſophia S. Scripturæ Interpres, &c.* qui varias motiones in animis, & fabulas in circulis, excitavit, cum inſcriptionis, qua inſignibur novitate tum opinionum & ſententiarum, quæ in eo traduntur, inſolentia. Hæc vero tanto acrius plerorumque omnium Lectorum animos ferierunt, quod Auctor ſtudio, & dedita opera vanæ, ut mihi quidem videtur, gloriæ cupiditate inflammatus, res per ſe ſatis à communi Doctorum ſententia abhorrentes, via & ratione eas tradendi reddiderit ab eorum ſenſu magis alienas: ut, quantum ego ſuſpicor, ſpecie novitatis magis eniteſceret ejus fama; longiuſque ab eorum ingenio videretur recedere, qui aut ſuperſtitioſè, aut minus liberè in rebus Theologicis verſantur. Horum aliis religio eſt latum unguem à doctrina, quam à teneris annis hauſerunt, ubi judicio nullus eſt locus, deflectere. Alii in rebus Divinis ita addicti ſunt receptis opinionibus, ut ad quamcunque ſunt diſciplinam tanquam tempeſtate delati, ad eam tamquam ad ſaxum adhæreſcant; & omnes egregios conatus erectorum ingeniorum, quæ veritatis ſtudio accenſa, liberius abditarum rerum perveſtigationi incumbunt; nec temerè, nec multorum inſignium Virorum auctoritate, nec longi temporis quaſi proſcriptione, ſe patiuntur abripi, tamquam occurſum inauſpicatæ avis averſentur. Animadvertit certè Auctor illius diſſertationis hanc pravam, quæ fere ubique inolevit, rationem: ſed cum eam voluit exuere, & viam affectare certiorem, licet minus tritam, nimium deflexit in contrarium, & ita ſe comparavit in tradenda ſua ſententia, ut parum memor videatur fuiſſe proverbii; *ita fugias ne præter caſam.* Modis enim omnibus teſtatum facere ſtuduit, nulli ſe ſectarum, quæ nunc Chriſtianum nomen in partes diducunt, mancipaſſe: ne quis in animum inducat, ſe illius auctoritate ac reverentia tranſverſum actum, minus perſcrutando vero navaſſe operam, & inventum prodidiſſe. Sed tam cupidè & enixè in eo vitio vitando laboravit, ut etiam laudem videatur ſectatus in eo, quod communem reformatorum ſententiam de Sacrarum literarum interpretatione voluerit videri evertiſſe. Nam quæ de auctoritate, ſufficientia, & perſpicuitate Scripturæ, ut & de Scriptura, tamquam principio, profert, ea pleraque eo ſenſu, qui ipſi probatur, aliis facile perſuadere potuiſſet, ſi tam curæ ipſi fuiſſet aliis viam pandere accuratius iſta, quam adhuc factum fuerat, examinandi, ſcrupuloſque, qui multorum animis inhærebant, eximendi; quam nimia ventitandi ingenii cupiditas, ut ſcilicet nil niſi novum & inauditum videretur protuliſſe. Quam ob cauſam etiam Socinianorum dogmata libro ſuo infarcit, quibus carere poterat in illuſtranda ſua ſententia. Poſſem Lectori de ſingulis

lis fidem facere, ſi eſſet operæ pretium: ſed quia in hac diatribe me data occaſione, ſubinde hoc præſtitiſſe puto, viderer parum revereri lectoris indignationem & tædium, ſi in præfatione ea recoquerem, quæ hinc inde pro argumenti hujus, in quo laborandum mihi duxi, ratione, executus ſum. In calce præcipue hujus libelli per compendium hujus anonymi ſenſa collegi, ut in aperto ponerem, eum in plurimis maluiſſe verbis, oſtentandæ novæ opinionis ſuæ gratia, & alieniore terminorum, aliorſumque acceptorum, quam apud Theologos fieri ſolet, uſu, ab orthodoxis recedere, quam opinionum diverſitate. Idque feci ſine fraude ac fuco, nihil gratiæ dedi, nihil odio; neque quo bene aut male de eo auctore mererer: & ejus ſententiam ita ob oculos poſui, ut nihil novi aut mirifici in ea appareat: & ſcripto huic id detraxi, quo maxime auctor videtur gloriam quæſiviſſe. Huic tam inconſultæ laudis cupiditati adſcribat, quod tam male apud Theologos & Magiſtratus audiat, & tam inclementer ab iis ſit habitus: qui nonnullorum Theologorum zelo excitati, librum ejus damnarunt & proſcripſerunt.

Quamquam Anonymus fortaſſe nonnullas conquerendi cauſas habeat de quibuſdam Theologis, qui potius novitate tituli attoniti ac perculſi, quam ejus doctrinæ perverſitate, quam ex inſcriptionis inſolentia augurabantur in illo libro contineri, acerbiſſime & tanto odio in eum ſunt invecti, ut certaſſe videantur de præmio conviciandi, quod iſte relaturus erat, qui illi peſſime malediceret. Sed nonnullorum iſtorum Theologorum odium acuit Auctoris ſtudium pro Carteſio, quod ipſe præ ſe fert, cujus ſectatores, cum illum modis omnibus ſtudeant ſubvertere, pulcherrimam ſibi oblatam putabant occaſionem Carteſianos male mulctandi; quaſi illis erroribus affines eſſent, quos auctor anonymus tuetur. Et quendam, non tam ſua ſponte, quam alterius impulſu actum, quem tamen vereor ad noſtrorum Theologorum numerum aggregare, ita præcipitem egit in Carteſium odium, ut cum deſtinarit anonymum refellere, peſſimos errores invexerit in Theologiam; Enthuſiaſmum aperte docens, & lectores ſtudioſe exhortans ad illum amplectendum, eumque ab utilitate, quam experiundo in illo falſo dogmate eſſe cognoverat, commendans. Neque tamen ideo ullam noſtrorum Theologorum indignationem meruiſſe videtur, nempe quia Carteſio maledicit. Sed & hic Enthuſiaſta & reliquorum Theologorum multi iniiſſent rationes ſe dignas, ſi non tam operam poſuiſſent in conviciis è trivio coacervandis, quæ potius aliquem è pullato circulo, quam Theologos deceant, quam in auctore docte & accurate refutando: à quo quam longe quidam defecerunt, & plurimorum doctorum judicium, & deſtructio illorum argumentorum in fine hujus libri ſuſcepta & exhibita docet.

Non ita imperitus ſum rerum humanarum, quod ignorem me hac ratione malevolis & invidis occaſionem præbere traducendi me meumque librum, jactandique in vulgus me Anonymi erroribus patrocinari; aut me olim operam in hoc

opere

opere Anonymi concinnando contuliſſe, conſiliorumque & miniſterii in eo edendo cum Scriptore ſocietatem iniiſſe; quod falſo quidam mihi impegerunt: cum non tantum nullo officio, ſed ne Sermone aut Epiſtola, aut ullo congreſſu mihi ſit cognitus: neque in pręſenti ſciam, quod nomen ejus ſit, aut quę patria ac natales, aut ater an albus ſit. Suſtentabit me contra omnes horum hominum inſultus & convitia, conſcientia recti mei propoſiti, quo remotus ab omni partium ſtudio, ab odio & amicitia vacuus, nihil antiquius & prius habui, quam ut poſſem quam leniſſime iſtorum hominum imprudentiam indicare, qui tam præcipites fuerunt in judicando, ut parum attenderint, quid ipſis in hoc auctore refutando obeſſet aut prodeſſet. Hæc me præcipuè exſtimularunt ad hoc argumentum examinandum accuratius. Quamquam non iverim inficias, & ipſam argumenti novitatem, ejuſque rationem nondum in ſcholis & libris noſtrorum Theologorum (ut equidem arbitror) ſatis explorate pro rei dignitate, & maximo ejus uſu traditam, faces mihi ſubjeciſſe, ut illi expendendo & perveſtigando, nonnihil olei & operæ impenderim. Nec me pœnitet quantum in eo illuſtrando profligaverim. Deprehendi ſane pleroſque noſtrorum Theologorum non multum adhuc certi & fixi de re tanti momenti definiſſe, neque accuratè ſatis cogitateque de ea ſcripſiſſe. Agnoſco quoque me ex Anonymi hoc ſcripto, quamvis multis erroribus & aſperis ſententiis obſito, tuliſſe hunc fructum, ut iſtam quæſtionem, in qua cæcutiebam antea, conſideratius examinare, & enodatius tractare inſtituerim. Unde natus hic, quem nunc publici juris facio libellus, in quo mentem meam ſuper hac controverſia expoſui: quæ quomodo multis lectoribus ſit placitura, nec ſcio, nec ſcire laboro, Libelli ſua fata habent pro eorum, qui eos verſant, ingenio & captu. Vaticinor hunc meum parum æquos experturum eſſe eos, qui ægre ferunt, quod nonnihil deflexerit â communi & trita via; & forte à quorundam ſententia, qui ut uſu cognovi, hujus controverſiæ fundum nunquam perſpexerunt; quique in uſu habent erroris, imo hęreſeos inſimulare, quicquid traditur, quod à locis communibus abhorret, aut in iis non continetur. Hoc illorum myrothecium eſt, quicquid ex illis non promitur, eis fœtet ac nauteam olet, quamvis ex flagrantiſſimis odoribus ſit compoſitum. Sed talium virorum laudes & vituperia eodem loco habeo, & maledicta eorum jam olim contemno: novi enim à multis annis ſpreta exoleſcere. Æquis vero lectoribus & veritatis cupidis facile ſpero me meum ſtudium, rem obſcuram & magnis tenebris involutam perveſtigandi, probaturum. In horum gratiam hunc impendi laborem. His ſi quid contuliſſe videbor ad tenebras & caliginem, in qua adhuc inſigne argumentum jacuit, & ſine quo vix explorate & recte quicquam de multis Theologiæ capitibus definiri poteſt & dijudicari, diſpellendam, ſatis magnum operæ pretium tuliſſe videbor. Horum me ſubmitto judicio, lubens amplexurus, ſi quis quid rectius viderit, tradideritque. Vale benevole lector.

DISSER-

DISSERTATIO
DE
USU RATIONIS IN THEOLOGIA.

VOX *Rationis* uſurpatur vel pro facultate & potentia utendi ratione, vel ut rectius dicam, pro natura rationali, (ne videamur à Deo rationem tollere) vel ſumitur pro rebus & adminiculis naturâ comparatis, quibus illa natura rationalis utitur, quando ſe, quatenus eſt rationalis, refert in uſum. Hę res, præſidia, ſeua dminicula ſunt non tantum notiones communes, principia prima, &c. tam Theoretica quam Practica: ſed etiam quicquid rectè ex talibus principiis educitur atque conficitur, affirmatur aut negatur, appetitur aut repudiatur. Imo etiam eo numero habendum, quicquid toto vitæ curriculo uſu & experientiâ addiſcimus, ope donorum naturalium à Deo nobis præbitorum, ad adipiſcendam cognitionem rerum. Hæc omnia nos vocamus *rationem rectam*, alii *Philoſophiam veram*. Non puto de vocibus contendendum eſſe, quando de re convenit.

Hominem facultate ratiocinandi præditum eſſe, à nemine itur inficias; ideoque nemo negat hominem *poſſe* ratione uti, cumque ſcire poſſe utrum ratione utatur nec ne. Per voces *ratione uti*, hic intelligo *recte judicare*; quod eſt de rebus id tantum affirmare, aut negare, quod naturæ rei convenit, aut ab ea alienum eſt. Argumentum autem, quo mihi fidem faciam me in judicando non erraſſe, eſt claritas & evidentia, quam in rebus percipimus; idque probatur I. quod clarè & diſtinctè percepta nobis tantum ſoleant perſuadere: neque à nobis impetrare poſſimus, ut obſcurè & confuſè cognitis, quamdiu talia nobis apparent, aſſenſum præbeamus. II. Cum clara & diſtincta cognitio ſit aliquid; cumque conſtet nos iſtius rei auctores non eſſe, illa tunc procul dubio à Deo eſt: idque eo magis ſtatuendum, quod inter claram & diſtinctam cognitionem, & inter aſſenſum, quem voluntas tali diſtinctæ & claræ cognitioni præbet, talis ſit nexus, qui neceſſariò Deum auctorem habeat: à natura enim hoc nobis inſitum, neque id conſuetudine, ſtudio, aut arte paravimus; & ideo certi ſumus nos recte judicaſſe, quando de clarè & diſtinctè perceptis tantum ferimus judicium. III. Habemus in nobis ideam veri & falſi, certi & incerti judicii: ſed accuratius examinantes, quare ſtatuamus aliquid certum & verum eſſe, quare falſum & incertum, apparet claram & diſtinctam cognitionem cauſam eſſe, quare noſtrum judicium certum & verum æſtimemus. Et qui profitetur ſe aliquid clarè & diſtincte percipere, ſimul ſibi perſuadet, ſe illam rem rectè cognoſcere. IV. Aut hęc eſt unica regula, aut nulla datur: nam qualemcunque demonſtrationem expetas aut poſtules, nunquam ea nobis poteſt eſſe ſcientiæ fundamentum, niſi quando clarè & diſtinctè percipitur. V. Quæcunque alia fingi poſſit regula, illa nunquam poterit aliquem uſum præſtare, aut fructum ex ſe reddere: quia non poſſumus non clarè & diſtinctè perceptis aſſentiri, & obſcurè intellectis talem aſſen-

ſum negare. Plura jam non addam.

Porro eſt illa claritas & evidentia propriè *lumen intellectus*; ſive *ratio* cognita & apprehenſa, ſive potius *ratio* expreſſa in intellectu: & quo plura evidenter cognoſcimus, aut quo paratiores ſumus ad plura reipſa clarè & evidenter cognoſcenda, eo intellectus lumen majus eſſe æſtimandum eſt.

Poteſt præterea Philoſophia conſiderari dupliciter; vel *objectivè*, quatenus ſunt res, de quibus ratione, tanquam *principio* & *medio* judicamus; & ad quam rationem, tanquam ad normam judicium illud exigi debet: vel *ſubjective*, quatenus reipſa talia vera judicia de rebus in hominibus reperiuntur, & quæ indies augeri poſſunt. Ita quidam Theologi non male diſtinguunt inter Theologiam *objectivè*, & *ſubjectivè* conſideratam. Theologia *objectivè* conſiderata, continet res, quæ traduntur in Scriptura; quales ſunt vocis & locorum Scripturæ veri ſenſus, & res quæ vero ſenſu continentur. *Subjectivè* conſiderata, eſt idem ille verus ſenſus à creatura rationali perceptus. Tam Philoſophia quam Theologia *objectivè* conſiderata, eſt in ſuo genere perfecta, completa, certa, & infallibilis; neque una alterâ eo ſenſu inferior eſt. Res hæc notiſſima eſt, & extra diſputationis aleam poſita. Ita etiam ambæ *ſubjectivè* conſideratæ ſunt paris dignitatis; ſunt enim ambæ veritates à Deo profectæ, certis & infallibilibus fundamentis innixæ. Sunt tamen ambæ imperfectæ, quemadmodum enim non cognoſcimus totam naturam, ita non cognoſcimus omnes omnium locorum Scripturæ ſenſus: & ſicut errori obnoxii ſumus in inveſtiganda veritate, quæ eſt in natura, ita pariter falli poſſumus in inveſtigando vero Scripturæ ſenſu. Et quemadmodum non impedit, Scripturam cenſeri à nobis perfectam, & ex ea petenda omnia fidei dogmata; quamvis illi, qui in eâ interpretanda occupati ſunt, falli poſſint, ita nihil impedit Philoſophiam perfectam æſtimari; & ex ea petendam omnium rerum, quæ facultate naturali inveſtigari poſſunt, cognitionem. Eſtque ea ratione Philoſophia prior Theologia, quatenus ſcripto conſignata eſt. Sunt enim *rerum Ideæ* & conceptus, ſive naturæ rerum perceptæ, priores ſignis, hoc eſt vocibus, quibus illæ Ideæ & conceptus aliis explicantur: neque voces nobis aliquid ſignificarent, ſi naturæ rerum, quibus denotandis adhibentur, nobis non eſſent notæ.

Negare in homine corrupto & nondum in integrum reſtituto, neque cœleſtis vitæ participe facto, eſſe tale lumen naturale & inſitum, aut principia vera cognitionis naturalis, aut illud lumen poſſe in illo augeri, eſt directè refragari Sacræ Scripturæ; quæ docet homini naturaliter inſitum eſſe judicium de veritate & falſitate, rectitudine & pravitate rei, *Rom.* 2: 14. 15. & 1:32. *Prov.* 20:27. 1 *Cor.* 11: 14. *Rom.* 12: 1. 1 *Pet.* 2:2. Præterquam quod quotidianus uſus evincat contrarium: lectione enim, meditatione, & res tractando, proficimus in rerum cognitione. At mens, quo multarum rerum ſcientiâ eſt inſtructior, eò magis illuminata eſt.

Neque putandum eſt lumen intellectus aliud eſſe: quam certam veramque rerum tam Divinarum quam humanarum cognitionem: nihil enim aliud excogitari poteſt. Agnoſco equidem, multos lumen vocare illum intellectus habitum, quo mens feliciter verſatur in cogitatione rerum ſublimium, ad Deum & pietatem pertinentium; & quo illa frequenti atque ſancta illarum rerum meditatione, pulchros progreſſus facit in doctrina de religione, & Dei cultu, ſeque ita ad pietatem flectit, ejuſque exercitationem capit.

Sed oportet diſtinguere inter mentis habitum, quo libenter verſatur in contemplatione rerum ſanctarum atque ſublimium, multumque remotarum ab iis rebus, quæ hujus vitæ uſura terminantur, & mundi vanitatibus accenſentur; & inter

eum, quo homo corruptus contra ita terreſtribus gaudet, ut cœleſtia guſtare non velit, multo minus iis affici poſſit. Quare Apoſtolus pronunciat, *Hominem animalem non intelligere ea, quæ ſunt ſpiritus Dei. Et quod illi, qui ſecundum carnem ſunt, ſapiunt ea quæ ſunt carnis*, 1 *Cor.* 2:14. *Rom.* 8:5. At ille habitus proprie non eſt lumen, ſed mentem movet, ut ad ea ſe convertat, ea meditetur, & ea ex vero æſtimare diſcat, quæ ipſam ſanctiorem reddunt.

Neque cognitio rerum terrenarum, quæ vulgò opponitur cognitioni rerum ſpiritualium, ſunt tenebræ: neque illa cognitio eſt aliud genus luminis, diſtinctum ab illo, quo res ſpirituales intelligimus. Nam quandoquidem hic ſermo eſt de *cognitione vera*, nulla ratione concipere licet, quomodo cognitio alicujus rei vera poſſit eſſe tenebræ:. cum utraque cognitio, tam ſpiritualium, quam rerum terrenarum, ſit à Deo, ſit veritas, ſit regula ad quam homines recte, & inſiſtentes veræ prudentiæ præceptis, ſuam vitam componunt, &c. Propter eaſdem rationes unum tantum luminis genus mente concipere licet. Quibus etiam hoc argumentum addere lubet. Quod, cum cognitio vera (de qua in præſentia tantum ſermo eſt, & in poſterum ſemper erit) ſit adæquatio conceptus, ſive judicii conformitas cum re, de qua conceptus formatur, aut de qua judicatur, tam ineptum & à ratione alienum eſt, docere diverſitatem & multitudinem luminum, quam diverſitatem adæquationum, aut diverſam judiciorum conformitatem cum re, de qua judicium latum eſt. Regeniti & non regeniti *cognitio vera* de rebus & myſteriis Fidei non differt luminis ratione, neque illius cognitio eſt diverſum cognitionis genus; neque ab aliis ductum argumentis, quam hujus cognitio. Et in die quo judicabit Dominus de rebus occultis hominum ex Euangelio ſuo, tunc improbos non alio lumine ſuæ impietatis convincet, quam eo, quo ſancti in vita æſtimarunt quid eſſet ſui officii, 2 *Cor.* 5:21. *Rom.* 2:15. Proprie itaque loquendo, lumen non eſt varium, licet res, quæ cognoſcuntur, ſint diverſæ, ſpirituales & terrenæ. Manet enim ſemper eadem formalis cognitionis ratio.

Pariter non ideo luminis diſcrimen eſt introducendum, quia facultas mediorum, quibus comparetur cognitio, eſt diverſa. Agnoſcimus nos alia per revelationem cognoſcere, aliorum cognitionem nos aſſequi per media naturalia, & ex ratione deprompta: ſed cuivis notum eſt, modum & facultatem acquirendæ cognitionis diverſam, non inferre luminis, ſive cognitionis diverſam rationem.

Quid refert ad luminis & cognitionis differentiam inferendam, ſive propria induſtria mihi ad alicujus rei cognitionem aditum fecerim, ſive alterius operâ, aut revelatione res mihi conſtet? Quid intereſt, ſive artificialibus, ſive inartificialibus argumentis cognitio mea nitatur? Utraque cognitio eſt lumen, quamvis diverſimode mihi affulſerit. Et veritatem hujus ſententiæ clarius intelliget lector, ſi conſideret argumenti inartificialis, ſive teſtimonii ſenſum nobis conſtare non poſſe, niſi per argumenta artificialia, & propter rationes certas, & quæ moveri non poſſunt. Quamvis res fidei nitatur teſtimonio Divino, & ita argumento inartificiali, non ideo ſenſus verborum teſtimonii Divini nititur argumento inartificiali, ſed rationibus.

Quamvis teſtamentum patris in tabella teſtamentaria expreſſum, ſit fundamentum fidei meæ, me eſſe legitimum hæredem; neque ratione ulla extra aut citra tabellam, id demonſtretur, quis tamen verborum teſtamenti *ſenſus ſit, fide non creditur; ſed ille ſenſus rationibus & argumentis confirmatur.* Et quo aliquis rerum peritior eſt, quo magis jus & æquum callet, eò aptior erit interpres verborum teſtamenti; & eò clarius intelliget, quid mihi vi teſtamenti debeatur. Neque deſinet teſtamentum eſſe *perſpicuum*, quamvis

intelligi ejus ſenſus ab aliquo non poſſit,niſi qui multarum rerum cognitione imbutus ſit. Nec deſinet teſtamentum patris mei mihi eſſe verum fundamentum, & normam ſolam & unicam juris mei, ſecundum quam hæreditatem patris adire debeam,quamvis ſenſus verborum teſtamenti me fugeret, ſi mens nuda eſſet à cognitione rerum, ſecundum quas judicatur de ſenſu verborum teſtamenti. Sed de his alias fortaſſe latius.

Neque diverſitatem luminis arguit, quod nos aliter atque aliter afficimur ex cognitione alicujus rei. Non enim ullus inficias ibit, cognitionis multas eſſe circumſtantias & appendices, quarum occaſione diverſas poſſit exerere operationes, & quarum reſpectu diverſas poteſt ſuſcipere denominationes. Una eademque cognitio in uno mentem afficit & everberat, alia in alio ad affectus non tranſit: una cognitio in ſe ſubſiſtit, ſolumque in ſe reflectitur: alia mentem ita diſponit, ut ea adhuc alias atque alias cogitationes excitet; & ita per totam vitam ſe diffundat. Lumen ſolis hieme orbem illuſtrans non differt ab eo, quod æſtate fulget; quamvis hoc nos calefacit, illud eo effectu orbetur. Cognitio Euangelica eadem eſt, ſive unus ea cognitione imbutus, idem quoad mores maneat, qui erat ante fidem, & alter eo lumine ita afficiatur, ut in imaginem Dei transformetur, 2 *Cor.* 4:18. Porro una cognitio firmiter inhæret menti, alia tantum tranſiens eam afficit. Una ita efficax eſt, mentemque ita diſponit, ut omnes alias cogitationes & judicia fuget, quæ impedire poſſent, quo minus mens rectè rem cognitam contempletur, & intime recipiat; alia tam tenuiter & exiliter in mente radios ſuos ſpargit, ut mens rem cognitam ſtatim dimittat, & continuo ſuſcitet cogitationes, ideas & judicia,quibus fit, ut ſemina in illam conjecta ad nullam bonam frugem poſſint ſoboleſcere. Cujus rei exemplum habemus in parabola ſeminatoris, *Matth.* 13. Et arbitror ad has circumſtantiarum cognitionis differentias, & quibus natura rei non continetur, commodè referri omnes illas vulgò diverſas cognitiones appellatas,quę hominem pium & ſanctum,& numinis religione vere tactum, diſtinguunt ab irregenito,& naturalibus ſuis vitiis immerſo. Quæ homini regenito propria ſunt, ſuperne quidem à Patre luminum,& Spiritu Sancto proficiſcuntur;at luminis ſive cognitionis naturam non faciunt diverſam, ſed efficiunt, quod ab illa cognitione boni manant fructus. Homo enim ſanctificatus inſito illo ſanctitatis habitu, depellit omnes cogitationes, quæ impediunt, quo minus res cognita, & ſimul pietati conveniens, rectè conſideretur, hæreatque in mente præſens; novæque tales cogitationes excitentur, quibus cognitio utilis roboretur, & mentem ita occupet, ut quaſi tota in naturam luminis illius ſancti migret.

Accuratè tamen notanda eſt diſtinctio inter lumen intellectus, quod propriè, quando de cognitione rerum agitur, lumen vocatur, & nihil aliud eſt, quam vera cognitio rerum; & inter illud lumen, quod impropriè & tropice dicitur eſſe in re, quæ eſt objectum intellectus; & cujus reſpectu, quia ab intellectu facile, aut difficulter intelligi poteſt, vocatur res *clara*, vel *obſcura* & tenebricoſa. Rem rectè putanti & conſideranti dubium eſſe non poteſt, quin lumen quod rei, quatenus intellectus eſt objectum, dicitur ineſſe, eſt terminus relativus: neque illud lumen reipſa in rebus eſt, non magis quam ſenſus caloris, aut calor eſt in igne, & frigus in glacie. Et ſi non darentur tales ſenſus, per quos caloris & frigoris ideæ excitantur, (quæ ideæ propriè ſunt calor & frigus) non eſſet calor aut frigus in natura: quemadmodum non eſſet dolor in natura, ſi non eſſet homo, qui doloris capax eſt. Nam quemadmodum dolor non dicitur eſſe in gladio aut cultro, quo vulnus inflictum eſt; ita nec calor, nec frigus eſt in igne & glacie, licet hæc duo corpora ita naturâ comparata ſint, ut calo-

rem

rem & frigus in nobis excitare apta nata ſint. Sic in re intelligibili non eſt lumen, ſed eſt apta, ut in nobis excitet, per facultatem intellectus lumen, hoc eſt, cognitionem. Nihil itaque, nec res, nec ſermo, in ſe propriè clarum aut perſpicuum dicitur, ſed quatenus refertur ad intellectum. Res quatenus cognitione naturali cognoſcitur (de Hiſtoria & de Sermone agetur in ſequentibus) eſt obſcura, quando remotior eſt à primis notionibus, aut à ſenſuum experientia; & ad cujus cognitionem nobis tantum aditum facimus aliqua argumentorum ſerie: & contra res clara & perſpicua eſſe dicitur, quando cum principiis noſtræ cognitionis naturalis magnam cognationem habet. Rationi itaque diſſentaneum eſt, dicere rem aliquam eſſe claram & perſpicuam, ſi is qui eam diſcere debet, non habeat in ſe paratam facultatem, ad excitandam in ſuo intellectu de ea re cognitionem.

Poſſet ex alia conſideratione cognitionis quæri, an detur aliquod lumen ſupernaturale, aut principium aliquod lucidum, quod eſt tanquam norma, ſecundum quam judicium formandum eſt de quodam genere rerum, quo mens cœlitus imbuitur, aut quod nobis à Deo revelatur; quodque lumini, quod in natura reperitur, ſi non repugnet, ſaltem cum illo lumine nullam cognationem habeat, & ad quod res Divinæ & revelatæ examinandæ ſunt? & ad hoc reſpiciunt Theologi, quando de uſu rationis in rebus fidei diſputatur. Quid de tali lumine ſtatuendum putamus, jam exponemus.

In præcedentibus diſtinximus inter *rationem*, quæ notat naturam rationalem; & inter eam, quæ notat res & principia cognitionis, quibus illa natura rationalis utitur, quando ſe exerit. Suntque illa principia & præſidia ideæ, quas ſpecies vocant; nos *ideæ* nomen, quia ejus vocis uſurpatio nobis eſt paratior, ſervabimus. Si mens omni idea eſſet deſtituta, quod nulla cogitatione concipi poteſt, eſſet tenebræ meræ, imo mens eſſet mortua, hoc eſt, non ſupereſſet amplius: nihil enim poſſet intelligere aut velle; quibus in rebus vita ſpiritus conſiſtit. Et qui ſtatum animæ fingunt, in quo illa nihil vult nec intelligit, illi animam è medio tollunt. Ita ut Deus tum earum Deus eſſe non poſſit, nec eaſdem rurſus ad vitam revocare; cum animæ mors animæ abolitio ſit: morte enim interit in nihilum, non in ſuas partes quas non habet, quemadmodum contra corpus iis eſt præditum. Primò, Ideæ illæ aut natæ ſunt cum mente, aut uſu acquiruntur. Numerum idearum tam inſitarum quam acquiſitarum, definire & deſcribere non poſſumus, neque, ſi poſſemus, ulli inde fructus nobis conſtarent in tractanda hac controverſia. Secundò, illæ ideæ conſiderantur, vel quatenus actu in intellectu exiſtentes, ab intellectu ſolummodo percipiuntur, vel quatenus mens de iis format aliquod judicium. Quamvis ſi accuratè loqui velimus, nunquam intellectus percipit ideam, quin voluntas de ea aliquod profert judicium: ſed hoc nihil impedit, quare ideam conſiderare non liceat, quemadmodum ſimpliciter eſt in intellectu, & quemadmodum voluntas circa eam occupetur. Tertio, quatenus mens de Ideis format judicium, habet eas pro bonis vel malis; ſermo autem hic eſt de malitia morali & ethica. Idea *vera* eſt, quando id in intellectu repræſentat, quod in re, cujus idea eſt, reipſa eſt. Ex eo pariter intelligitur, quid ſit idea *falſa*, quæ tamen nunquam eſſe poteſt, ſed vocatur *falſa*, quando prave & male utentes judicio, judicamus plus in idea eſſe quam reipſa eſt. Sed judicium verum aut falſum eſt, quando mens noſtra fert judicium, quod eſt conforme naturæ rei, de qua judicatur, aut quod ab ea alienum eſt. Idea de re moraliter bona aut mala, eſt ſimpliciter judicium de re, quatenus legi Dei conſentanea aut diſſentanea eſt: neque pariter illam diſtinctionem, quam idea vera aut falſa: quia formalis earum ratio unica illa eſt, quod

referuntur ad legem Dei. De iis judicium verum aut falſum eſt, quando res, in ordine ad legem Dei conſiderata, judicatur vere aut falſo legi Dei convenire, aut ab ea recedere.

Omnes hæ ideæ veræ, conſideratæ ut complectentes etiam mentis judicium, hoc eſt, mentis apprehenſionem, aut perceptionem, ſunt vel primæ, vel ex primis ortæ, & aliqua argumentorum ſerie comparatæ: ſuntque primæ vel *innatæ*, vel *ſenſibus* tam internis quam externis *perceptæ*. Innatæ primæ ſunt illæ ideæ, quæ non incurrunt in ſenſus, & apprehenſæ à mente ſtatim judicantur ut veræ & bonæ. Quales ſunt, *idem non poteſt eſſe & non eſſe: totum eſt majus ſua parte: non entis non ſunt accidentia*: *furari*, *mentiri*, *libidinari &c.* eſt peccatum.

Illas ſenſibus perceptas, & comparatas ideas primas voco, quæ ſenſuum tam internorum quam, externorum, nulla rationis operâ, aut tralatitia tantum ratiocinatione intercedente, cognoſcuntur: ut ſunt dolor, triſtitia, colores, magnitudo, corpus, figura, motus, &c. Voco hujuſmodi ideas primas, non quia illæ non poſſint, aut debeant, quando nobis cum ſcepticis lis eſt, ad ideas priores examinari, ſed quia jam cum vulgo præſupponimus, demonſtratum eſſe, ſenſus bene & legitime conſtitutos mentem rectè informare; & quia hoc tacitò præſupponitur, ideo omnes tam ineptum eſſe cenſent vocare in dubium, quod ſenſibus bene conſtitutis percipitur, aut quærere, quo innixi fundamento pronunciamus rem ita ſe habere, qualem eam eſſe ſenſuum opera dijudicamus; quam ineptum eſſe putatur, requirere probationem, quare totum ſit majus ſua parte, & quare furari ſit peccatum? &c.

Quando itaque mens noſtra, ſua rationali facultate, & ſenſuum tam internorum quàm externorum opera utens; & rectè inſiſtens, meditatione, uſu & experientia qualicunque auget ſuam cognitionem, tunc verum lumen in eo augetur. Quandoquidem bonæ concluſiones, quæ ex veris principiis conficiuntur, non minus veræ ſunt, quam ipſa illa principia: imo illæ concluſiones veræ ſunt, quia veritatem illorum principiorum in ſe continent. Non eſt minor certitudo in eo, quod per illationem nobis innoteſcit, quam in eo, quo tanquam medio utimur ad illam illationem conficiendam: & veritates à principiis cognitiones remotiores, ſed rectè ex iis elicitæ, non ſunt certitudine inferiores ipſis principiis: & qui habitu ſenſus habent exercitatos ad diſcretionem boni & mali, tam facile clarè & evidenter intelligunt ea, quæ vulgo obſcuriora ſunt, quam ipſa principia. Et quo intellectus naturæ rationalis eſt perfectior, eo minus meditatione opus habet: ita ut liqueat propter varietatem auxiliorum, quibus veritatem adipiſcimur, veritatis certitudini nihil accedere aut decedere. Scriptura etiam in rebus fidei fere in ſingulis verſibus, ſyllogiſmis & illationibus utitur, quæ tam ex Scriptura, quam ex ratione procedunt. Ex Scriptura, verbi gratia procedunt, *Heb.* 12:27. *Porro illud adhuc ſemel declarat inſtabilium rerum, ut puta factitiarum, amotionem. Gal.* 3:11. *Nullum autem per legem juſtificari apud Deum, manifeſtum eſt, quoniam juſtus ex fide vivet. Et verſ.* 9. *Itaque qui ex fide ſunt, benedicuntur cum fideli Abrahamo.* Dicimus illas illationes procedere ex Scriptura, quia conſequentiam tantum ex Scriptura ſcimus; & niſi Apoſtolus præiſſet, nemini in mentem venire potuiſſet, iſtis vocibus Spiritum Sanctum tales veritates complecti voluiſſe. Ex ratione procedunt verbi gratia, *Luc.* 20:37. *Sum Deus Abrahami, Iſaaci & Jacobi &c.* Ergo Abrahamus, Iſaacus & Jacobus vivunt *Heb.* 3:3. *Namque ampliore gloria præ Moſe hic dignus eſt, quanto majorem habet honorem, qui conſtruxit domum, quam domus ipſa. Et tanto præſtantior factus Angelis, quanto præ illis excellentius ſortitus eſt nomen. Et verſ.* 6. *Et*

ado-

adorent eum Angeli Dei. *Et Heb.2. verſ.13. Et Fretus illo ero. 1 Cor. 9:8.9. Num ſecundum hominem hæc dico, nonne etiam lex hæc dicit. Nam in Moſis lege ſcriptum eſt, non obligabis os bovi trituranti: num boves curæ ſunt Deo? Et Luc. 20:41.42. Dixit autem eis, quomodo dicunt Chriſtum, Filium eſſe Davidis, & ipſe David in libro Pſalmorum dixit, Dominus Domino meo dixit, ſede ad dextram meam, &c. David ergo Dominum eum vocat, & quomodo Filius ejus eſt.* Sexcenta hujusmodi citare liceret: ſed hæc pro ſpecimine ſufficient. Dicimus autem has illationes *ratione* niti. Quia *ratione* ſcio, eamque præſupponit non confert Scriptura, Abrahamo, Iſaaco & Jacobo nihil feliciter evenire poſſe, ſi Deo ſuperſtites non ſint. Pariter ex ratione ſcio, ædificatorem & dominum domus dignitate præcellere domui; & filium dignitate præſtare famulis; & qui adoratur iis, qui adorant; & eum, qui fretus eſt aliis, non poſſe eſſe Deum. Et æquitas naturalis me docet, ſi brutis laborantibus ſubminiſtrandum eſt pabulum, æquiori jure hoc hominibus, aliis in prædicatione Euangelii inſervientibus, debetur. Sic ex iiſdem principiis naturæ, intelligo in Meſſia aliquid fuiſſe, quo Davidi præſtabat. Et ideo quo quis argumentis inſtructior eſt, v. gr. ad probandum adorationem, hoc eſt, cultum Divinum Deo tantum eſſe proprium, eo felicior illius cum Socinianis congreſſus atque conflictus erit. Nec cauſa eſt, quare aliquis ſollicitus ſit, ex qua claſſe argumentorum, Divinorum an humanorum, ſua petat, ſed ea proferat, quæ ſibi videntur maxime clara. Nam in quibusdam Scriptura obſcura eſt, ubi ratio clara; in aliis ratio obſcura, in quibus Scriptura perſpicua eſt. Nec hominibus, quibus veritas cordi eſt, & tantum in utilibus occupare induſtriam volunt, magnopere laborandum eſt, quænam concluſio & argumentatio ex ratione procedat, & quæ ex Scriptura; & quid conſequenter *fide* teneatur, quid *ratione*. Nulla enim argumentatio (ſi rem recte ponderemus) de rebus fidei datur, quæ ſuo modo non innititur *ratione*: quia ſemper præſupponitur aliqua cognitio naturalis. Alioquin omnis ſermo fugeret noſtrum intellectum, & brutorum & noſtra cognitio iiſdem clauderetur finibus. Præterquam quod certitudo concluſionis & illationis æque firma ſit, ſive ex ratione procedat, ſive ex Scriptura. Nam quamvis Deus falli, aut fallere non poſſit, homo autem utrique vitio finitimus ſit: tamen quid Deus dicat aut loquatur, homo naturalibus ſuis facultatibus percipere debet, & ideo Divina veritas, conſiderata ut à nobis percepta, tantum habet certitudinis, quantum ratio jubet attribui naturalibus noſtris facultatibus. Et cum noſtri diſputant cum pontificiis de auctoritate Scripturæ in rebus fidei, non rationem tanquam *principium* in rebus fidei, ſed authoritatem omnem præter Divinam, in quam fides ſe reſolvat, rejiciunt. Et ita rectè diſputant contra authoritatem Papæ, Conciliorum, Patrum, &c. quia illorum authoritas nulli debet eſſe principium fidei.

Mentem itaque, quamvis corrupta ſit, licet non quatenus corrupta eſt, aliquid poſſe rectè & verè conficere, & ita cognitionem augere, in ſuperioribus probatum eſt: ut & eandem poſſe ſcire, quando aliquid recte percepit, quando ſecus, à nemine negari poteſt, niſi à ſceptico: atque ita illi omnes, cum quibus nobis aliquid negotii eſſe poſſit, id admittunt. Veram autem notam veræ cognitionis ſtatuimus eſſe *evidentiam*, quam mente cernimus in re, de qua ferimus judicium; non ſimplicem perſuaſionem vacuam ab omni dubitatione, quia illa longiſſime à veritate poteſt abeſſe. Poteſt autem illa evidentia conſiderari dupliciter, (loquor de illa, quæ ſe prodit in augmentis ſcientiarum, quando ratiocinando à claris & perſpicuis nobis viam munimus ad minus clara & perſpicua) vel enim evidenter ita *natura rei* cognoſcitur, ut nobis principiis innatis

con-

conſtet, rem aliter ſe habere non poſſe. Sic ſcio, id quod non eſt, non poſſe moveri; quod non eſt corpus, corporis accidentia habere non poſſe, illud non poſſe eſſe coloratum, quadratum, grati vel ingrati ſaporis. non poſſe habere ſitum inter corpora, &c. E contrario ſcio, corpus non poſſe habere proprietates ſpiritus, non cogitare, non velle, non intelligere, non definitive tantum eſſe in loco, brutum non eſſe hominem proprie dictum, hominem non eſſe Deum, aurum non eſſe argentum, aquam non eſſe ignem.

Vel res, tanquam factum & tamquam hiſtoria cognoſcitur, quæ quidem, quia evenit, jam non potuit non eveniſſe; ſed antequam eveniret iſtius erat naturæ, ut cum nulla re, vel creata vel increata, neceſſarium nexum haberet, quare debuerit evenire, ſed libere producta ſit, & in cujus præterea cognitionem aliter pervenire non poſſumus, quam *fide*, & teſtimonio alterius. Ita hiſtoria Chriſti teſtimonio innititur; ut & totus cultus inſtitutus, & diſpenſatio noſtræ ſalutis: quemadmodum & profanarum rerum geſtarum cognitio fide hominum nititur. Et cuivis in promptu eſt intelligere, res illas aliter ſe habere potuiſſe; neque eas profluxiſſe neceſſario ex natura alicujus rei, quâ naturâ datâ, illa nos ſui cognitione ducit in notitiam talium rerum geſtarum. Ita non fluit ex rei natura, neque eſt proprietas Chriſti, quod ambulaverit per ſata; quod ex navicula plebem docuerit; quod ſermones habuerit cum muliere Samaritide, &c. Sic geſta à Romanis, quæque in hiſtoriis Romanis narrantur, potuerunt, ſi earum rerum naturam ſpectes, non eveniſſe; quia nulla natura nobis nota eſt in univerſo, quæ neceſſarium nexum habet cum iis ſingularibus factis, quæ in hiſtoria Romana narrantur, quamvis proculdubio à connexione & concatenatione cauſarum ab æterno à Deo conſtitutarum naſcantur. Cognitio autem talium rerum vocatur fides, quia illa teſtimonio nititur: & quia teſtimonium eſt Divinum vel humanum. ideo etiam fides eſt vel Divina vel humana. Notandum tamen in omnibus rebus geſtis, duo conſideranda eſſe; unum, quod rem factam eſſe, narratione alterius tantum ſcire poſſumus: alterum, quod de ſingulis rebus geſtis, ut & de toto hiſtoriæ contextu, judicare licet ex principiis ſcientiarum, & ex ipſis veris ſcientiis, utrum res geſtæ non implicent contradictionem. Quamvis enim ex narratione, & conſequenter per fidem tantum cognoſcam rem illam factam & geſtam eſſe: tamen *ratio recta* ſive Philoſophia vera, ſub qua comprehendo omnem, & qualemcunque veram ſcientiam, artem & cognitionem naturalem, judicat narrationem, aut falſam eſſe, aut juxta primam vocum, quibus hiſtoria narratur, ſignificationem non eſſe intelligendam. Ex fide habeo, Chriſtum *Luc.* 8. ventos & maris procellam ſedaſſe: ſed quod vox *objurgavit* ventum & aquas, illic proprie ſumenda non ſit, ex cognitione propriæ ſignificationis vocis *objurgavit*, & maris & ventorum naturæ, quarum rerum cognitionem hic Scriptura præſupponit, cognoſco. Sic ex *Matth.* 9:24. & ſequentibus, & ex *Job.* 11:11. diſco ex hiſtoria, Chriſtum mortuos excitaſſe, ſed ex *ratione* habeo vocem *dormire* illic improprie ſumendam eſſe. Sed de his fuſius in ſequentibus: quando agemus de vocibus & ſignis, quibus ſenſa ſua rationalis natura declarat. Quando mens noſtra exerens facultatem ſuam naturalem, principiis ſcientiarum & artium, aut ipſis ſcientiis & artibus ex illis principiis ortis & ductis, utitur, ut per ea & juxta ea judicet de veritate aut falſitate, bonitate aut malitia alicujus rei, *tunc ratio recta*, ſive Philoſophia vera præbet vicem *principii & argumenti*: & facultas rationalis, qua mens utitur ad formandum judicium, intervenientibus ſupra dictis argumentis & principiis, ut mediis concluſionum, eſt loco *inſtrumenti*: quia facultas rationalis eſt inſtrumentum animæ, quo

illa

illa principiis ſcientiarum & argumentis ex Scriptura depromptis, utitur. Eſt autem hæc nota infallibilis in judicando & diſcernendo, quando cognitio aliqua naturalis *principii*, *medii*, aut *argumenti* rationem habeat, quod tunc noſtra cognitio ultimo reſolvitur in id, quod eſt rationis & cognitionis humanæ, quæ paratur ope naturæ, non Divina revelatione.

Quando res, de qua judicatur, eſt res facti, & quę ideo ad hiſtoriam & fidem pertinet; & propter contradictionem judicatur, aut falſam eſſe, aut verba impropriè intelligenda; & ideo Auctorem, & Scriptorem hoc noluiſſe narrare, quod verba in prima ſua ſignificatione uſurpata, ſignificare ſolent: modo ne definiat quid proprie auctor intelligat, & quomodo verba intelligenda ſint; ſed in hoc ſubſiſtat, ut ſimpliciter dicat, hunc aut illum ſenſum verum eſſe non poſſe, quia contradictionem implicat, nihil tamen de vero ſenſu definiat, tunc ratio recta tam in interpretatione, quam in judicando de re, quæ narratur, *argumenti* rationem habet. Cum enim nego aliquem verborum ſenſum eſſe probum & rectum, aut aliquam rem narratam eſſe veram, propter contradictionem, quam ratione recta in re, quæ narratur, eſſę intelligo, tunc rationem rectam *argumenti*, non *inſtrumenti* vicem præbere, quivis intelligit. Nam teſtor & declaro verba Auctoris proprie non eſſe intelligenda: aut autorem ſcripti aut libri non vera docere, quia docet impoſſibilia: cujus impoſſibilitatis cognitionem pono mihi paraſſe ex principiis cognitionis naturalis. Quando res, de qua judicatur, eſt res facti; & pertinens ad ea, quæ neque lumine innato, neque ſenſibus percipiuntur, ſed quæ aliorum relatu nobis conſtant, in iis Philoſophia aut recta ratio nullum præſtat uſum *medii*, *principii*, aut *argumenti*, ſed naturalis facultas *inſtrumenti* hic tantum locum habet; & quidem *inſtrumenti* tantum: quia res, quæ fide & probitate alterius nititur, non poteſt examinari aut ponderari ad rationis aut ſenſuum trutinam: fides enim narrantis, ejusque candor & probitas, nullum neceſſarium nexum habet cum ullis principiis theoreticis aut practicis, aut cum ulla cognitione, ſenſuum operâ comparata. Dicimus in cognitione hiſtorica, qua tali, rationem rectam, ſive Philoſophiam veram præſtare tantum vicem *inſtrumenti*. Sed quare alicui hiſtoriæ litterarum monumentis conſignatæ, fidem habeam, aut alicui hiſtoriam narranti credam, id à ratione & experientia petendum, ad quas expendendum, quam fidem hiſtoriam narrans, mereatur. Fide Divina cognoſco Meſſiam jam dudum natum eſſe, quia nullum à natura comparatum habeo *principium*, quo in illius rei cognitionem potuerim venire: non enim aliqua notio communis me hoc docet; neque unquam Chriſtus ſe meis ſenſibus cognoſcendum exhibuit, & ideo per fidem rem illam cognoſco. Et quia is, qui narrat illam hiſtoriam, eſt θεόπνευστος, ideo hæc fides vocatur *Divina*: & quia hiſtoria de Meſſia nullam connexionem habet cum aliquibus principiis naturalibus, ideo ratio hic *argumenti* aut *principii* uſum non præſtat. At quod credam, verbi gratia, Mattheum eſſe θεόπνευστον, & doctrinam in illius Matthei Euangelica narratione contentam, eſſe *ſanctam & cœleſtem*, id fit, non tantum propter & per rationem, ut *facultatem* & *inſtrumentum* conſideratam, ſed etiam per & propter rationes & argumenta, quæ ex principiis naturalibus depromo: ita ut ratio hic *argumenti*, *principii* & *medii* uſum præſtet. Quo pacto enim poſſum judicare aliquem fide dignum eſſe, niſi propter argumenta, quæ ratio naturalis & Philoſophia dictat; & quibus perſuadeor aliquem fide dignum, & à Deo miſſum eſſe? Et quo pacto de ſanctitate alicujus doctrinæ judicare poſſum, ſi antea in me non habeam *normam*, ad quam vera ſanctitas examinari poſſit? Aut ſi ante illam doctrinam revelatam non

ſciam, quid ſit ſanctitas. Quomodo ſtatuam hunc auctorem eſſe fide dignum, alii autem derogabo fidem, ſi antequam unum ducam fide dignum, alteri eandem fidem eripiam, mihi ſigna & argumenta non conſtent, per quæ judicem unum rejiciendum eſſe, alium eſſe probæ notæ.

Habui itaque cognitionem de ſanctitate, antequam potuerim judicare de ſanctitate alicujus doctrinæ in hiſtoria traditæ. Et illa ratio in judicando de ſanctitate doctrinæ *argumentum* & *medium* eſt, quo conficio doctrinam illam eſſe ſanctam. Sic pariter oportet me antea ex ratione ſciviſſe, quæ illa ſint, propter quæ teſtis ſit habendus fide dignus, antequam judicare poſſim hunc aut illum eſſe fide dignum: aut in eo reperiri argumenta, quibus hiſtorici fides probari ſoleat. Iſtæc enim ſigna me ipſe hiſtoricus docere non poteſt: committeretur enim circulus.

Agnoſco equidem lubens, authorem ſanctum & Θεόπνευστον me multa de ſanctitate docere, multaque mihi de ſanctitate pręcepta ſuggerere, de quibus nunquam cogitaſſem; quæque nunquam mihi veniſſent in mentem, ſi ſancti iſtius hiſtorici ſcriptis carendum fuiſſet: ſed ante lectum illum ſcriptorem, formalis rationis ſanctitatis cognitione imbutus eſſe debui, ut ita per eam, tanquam per *medium* & *argumentum* judicare poſſim de ſanctitatis præceptis, quæ in illo libro traduntur. Imo debeo doctrinam iſtius libri ad id lumen rationis examinare, tamquam ad normam. Poteſt Scriptura me docere multa eſſe peccata, quæ per corruptionem, quæ in me eſt, in numero peccatorum non habuiſſem; ſed non poſſum profiteri, me illa pro peccatis agnoſcere, ſi formalis peccati ratio in iis mihi non compareat, cujus formalis rationis peccati cognitionem Scriptura mihi non impertit, ſed in me pręſupponit. Nec ideo Dei autoritas & fides pendet à mea ratione: ſed utrum Deus ſit locutus, an aliquis ſeductor, hoc à mea ratione pendet. Hæc jam per compendium in anteceſſum damus, in ſequentibus enucleatius rem explicaturi, & cautiones quaſdam addituri, quibus hoc dogma in tuto collocabitur, & à ſuſpicionibus heterodoxiæ liberabitur.

Concurret præterea ratio tamquam *inſtrumentum*, & non tamquam *argumentum*, quando ſolum propter autoritatem dicentis homo cuidam rei fidem adhibet, de cujus natura per Philoſophiam, rationem aut uſum judicare non poteſt, nec ſcire, utrum ea, quę nobis revelantur de aliqua re, pugnantia an convenientia contineant. ita ut res revelata ſit ſupra rationem; ejuſque fines excedat, non autem ei repugnet aut adverſa ſit, quod tamen non ſcimus ratione, ſed tantum auctoritate revelantis. Et quia talem doctrinam non poſſum, nec debeo examinare ad aliquod principium Philoſophiæ, ideo ratio nullum alium uſum hic præſtat, quam eum, quem in rebus, quæ fide creduntur, & hiſtoriam continent, præbet. Dixi ſupra, hiſtorias & res facti hujuſmodi eſſe, ut, ſi earum naturam ſpectes, potuerint eveniſſe & non eveniſſe, quod evenerint, id ex relatione hiſtorici habemus: & quatenus talem hiſtoriam *fide* tenemus, eatenus ratio talis cognitionis reſpectu, *inſtrumenti* non *principii* vice fungitur. Sunt quidem naturæ rerum nunquam tales, ut utrum libet eſſe poſſint. Animæ natura non permittit, ut poſſit eſſe aut ſpiritus, aut corpus. Sed poteſt res aliquando ita eſſe abſcondita, aut ita compoſita, ut omne, quod de illa re cognoſci poſſit, intellectu aſſequi non poſſim, tum propter tenuitatem intellectus, cum etiam quia Deus nulla cognitionis principia in natura poſuit, quibus mihi, aut ad illius rei cognitionem aditum parem; aut quibus, poſtquam revelata eſt, examinem, utrum id, quod de re revelatur, in ejus natura contineatur aut non contineatur; quæ conjunctio quæ disjunctio vera ſit; ita ut nulla principia mihi ſuppetant, quibus æſtimem utrum res revelata cum alia convenire poſſit, aut non convenire; eſſe in eodem cum

illa

illa genere, an in alieno, aut in contrario: ſed totum id *fide* proprie dicta, credo.

Certe, quamvis nihil mihi revelet Deus, quod verum non ſit, ſeque evertat; quamvis nihil mihi ad intelligendum aut credendum proponere velit, cujus, antequam me docere incipiat, non debeam habere notiones ſimplices ſive ſimplices ideas, poteſt tamen Deus mihi quędam revelare de aliqua re, ad cujus cognitionem nulla res, in mundo exiſtens, mihi viam aperire potuiſſet; & cujus rei natura mihi tantum ita ex parte, ſive revelatione ſive ratiône nota eſt, ut quod inſuper mihi revelatur de ea, à me dijudicari non poſſit, utrum illud, in cujus cognitionem illa revelatione venio, conveniat cum natura illius rei, an eidem repugnet. Et tales res dicimus eſſe *ſupra rationem*, non contra rationem: non etiam rationi convenientes; quia quod contra rationem aſſeritur, id ſe ſubvertit, nec verum eſſe poteſt. Quod rationi conſentaneum eſſe judicamus, id hujusmodi eſt, ut ex ratione æſtimari poſſit, quid de ea ſtatuendum ſit. Dicimus itaque illud eſſe *ſupra rationem*; & rationem hic *principii* aut *argumenti* uſum non habere, ſed planè eandem operam præbere, quam confert in cognitione hiſtorica, nempe operam *inſtrumenti*.

Totam hanc rem, quia magni eſt momenti, exemplo uno aut altero illuſtrabo. Pone apertis Scripturæ locis me doceri, mundum eſſe creatum, & ex nihilo productum in principio, ſed me, & ante revelationem, & poſt revelationem fugere, utrum ex natura Dei, mundi, creationis, &c. ſequatur, aut non ſequatur, mundum eſſe creatum, & debuiſſe creari, ſi quidem jam conſtat eum extare: tunc *fide* propriè dictâ credo mundi creationem; & ratio hic nullum uſum *principii* habet, & res diceretur eſſe *ſupra rationem*, ſi ex Philoſophia aut ratione probari non poſſit, creationem mundi pugnantia aut non pugnantia ponere; & nos ex principiis è natura depromptis, aſſequi non poſſe, mundum per ſe, & vi perfectionis ſuæ naturæ ſemper extitiſſe. Sed quia ſcio hoc ex ratione probari poſſe, ideo non dicam creationem mundi eſſe ſupra rationem. Nec in hoc exemplo finem faciam, ſed aliud in medium adferam. Ego mihi perſuadeo Trinitatem apertè in Scriptura doceri: nec tamen per rationes, depromptas ex ea cognitionis menſura, quam mihi Deus de hoc myſterio revelavit, mihi conſtare poſſe, quare Sacroſancta Trinitas pugnet aut non pugnet; & ideo illud myſterium ſupra rationem eſſe puto. Nec recte contra urgetur, nempe nulla loca Scripturæ dici poſſe clara & aperta, quamdiu dubitatur, num res, quam iis doceri teſtamur, pugnantia ponat aut non ponat: cum nunquam is verus ſenſus eſſe poſſit, qui repugnantiam includit: nec ullus poſſit plane perſuaſus eſſe de ſenſu Scripturæ, de quo certus non eſt, utrum repugnantiam importet nec ne; & conſequenter utrum verba & voces, quibus res in Scriptura lectori proponitur, ſint intelligenda ſenſu proprio, an metaphorico. Reſpondemus enim, loca Scripturæ ita aperta eſſe poſſe, ut, niſi ille, quem inculcamus ſenſum, admittatur, multæ & quidem apertæ repugnantiæ petitæ à natura auctoris narrantis, à proprietate ſermonis, à textus circumſtantiis, &c. ſe prodant; & ita illa aperta loca depellant ex animo omnem dubitationem de repugnantia, quæ menti præſens eſſe poſſit, quando ad *rem revelatam* ſe convertit. Et in hoc multi animo falſi ſunt, quod putent contradictionem tantum petendam à rei natura, quæ revelatur, & non ab auctore revelante; cum cujus fide, & ſanctitate, atque veritate pugnare poteſt, ſi verba in quibusdam circumſtantiis poſita, proprio ſuo ſenſu intelligantur. Sed de his in ſequentibus.

At animadvertere oportet, unam eandemque rem, in ſe ſpectatam, non poſſe reſpectu unius hominis rem fidei, reſpectu alterius rem cognitionis ſcientificæ vocari; quia non opinione hominum, neque

earum majore aut minore cognitione æſtimatur, utrum res principiis & mediis naturalibus cognoſci poſſit, nec ne; ſed id ex rei, & principiorum ac argumentorum naturalium genio & indole judicatur. Utrum autem unius ejuſdemque rei cognitio, prout eſt in diverſis ſubjectis, poſſit in uno eſſe *fides*, in altero *ſcientia*, id in ſequentibus, ubi de interpretatione ſignorum, quibus natura rationalis ſenſum ſuum declarat, loquemur, ad quam examinandam nunc progredimur.

Inter res cognoſcibiles ſunt *ſigna*, quibus natura rationalis ſua cogitata alteri declarat. Signa illa ſunt diverſa; ſed de iis tantum agemus, quibus hominibus cogitata naturæ rationalis manifeſtantur. Quæ rurſus à Deo proficiſcuntur, vel ab Angelis, vel ab hominibus. Deus multis modis ſuam voluntatem aperuit hominibus: hoc eſt, ut cum Scriptura loquar, multis modis locutus eſt hominibus. Sed ſunt duo modi principes, quique ad rem, quam præ manibus habemus, pertinent; & de quibus pro argumenti hujus ratione, pauca dicam: unus eſt quo αὐτὸς & per ſe, mentem hominis de voluntate ſua inſtruit. Alius, quo per homines idem efficit. Per ſe ipſe Deus homini ſuam voluntatem declarat, vel loquelâ, & ſignis, quæ ipſe per ſe format, quæque homini intelligibilia ſunt, vel ipſe in mentem hominis illabitur, cum per ſe in ea cognitionem excitat. Deum per loquelam, quam ipſe per ſe formabat, locutum eſſe hominibus, eſt ex Sacra Scriptura res notiſſima, *Gen.* 3:9. 22:11. *Exod.* 20. *Act.* 9: 4. Ita pariter conſtat, Deum etiam per alia ſigna voluntatem ſuam hominibus prodidiſſe, *Num.* 12:6. 8. Quæ hic recenſere ſupervacaneum eſſet.

Deus per ſe excitavit cognitionem ſuæ voluntatis in hominis intellectu, quando, v. gr. Paulum docuit myſteria fidei: qui de ſe teſtatur, quod Euangelii cognitionem non ſit adeptus per homines, nec ab hominibus; ſed per Deum, per ſe Euangelium in ipſo revelantem, *Gal.* 1:11. 12.

Poteſt autem concipi id triplici modo fieri à Deo. *Unus* eſt, cum ita hominem novas res docet, ut antea ne earum quidem ſimplices ideas habuerit. *Secundus* eſt, quo eas res docet, quarum quidem ſimplices habemus ideas, ſed quas Divina inſpiratione conjungimus, aut ſeparamus; deque iis conjunctis & compoſitis ferimus judicium. *Tertius* eſt, quando Deus ductu ſui Spiritus ita dirigit hominis intellectum, & ejus ratiocinationem, ut per ſe illi non dictet, quid de re ſentiendum ſit, ſed facit ut defigat animum, & intendat ad ea, ex quibus illi manifeſtum fieri poteſt, quid de re ſentiendum ſit: quia in iis ſunt ſita vera & infallibilia argumenta, quibus certa nititur veritas. De ſingulis, quia ad inſtitutum pertinent, pauca dicam.

Mihi nullum dubium eſt, quin Deus poſſet ita operari in hominis intellectu, ut in illo excitet novas ideas ſimplices, & talia hominem faciat intelligere, quorum antea nullum non tantum nexum ſubjecti cum prædicato habuit, ſed quorum ante nec ſubjecti, nec prædicati ullam habuit cognitionem, conceptum, aut ideam, nec earum ullam ſimilitudinem aut imaginem. Quemadmodum Deo infinita ſunt poſſibilia, de quibus nos quidem nullum poſſimus formare conceptum, quia ſunt aliæ res, & naturæ, quam quarum nobis ideam inſculpſit. Ita poſſet Deus noſtrum intellectum imbuere cognitione idearum quarumdam poſſibilium. Eſt enim exploratum, Deum poſſe alias naturas, quæ cum his, quæ jam univerſum conſtituunt, nullam cognationem habent, condere: nemini dubium eſſe poteſt, Deum etiam earum ideis mentem informare poſſe, quemadmodum earum ideis, quibus jam univerſum conſtat, mentes noſtras inſtruit. Ulterius hanc rem argumentis non confirmabo, cum apud omnes, qui eam recte penſitant, hæc facile fidem ſit inven-

ventura. Ratio in illa cognitione, quæ ex omnibus ſuis partibus nova eſt, præberet tantum uſum *facultatis* & *inſtrumenti*. Sed homo, cui illa ſors à Deo obtigiſſet, non poſſet alios homines novæ ſuæ cognitionis participes facere: quandoquidem enim tantum per ſigna cognitionem ſuam aliis communicare poteſt; eaque ſit ſigni natura, ut relati rationem habeat, non poteſt homini res aliqua eſſe *ſignum*, ſi rei, cujus eſt ſignum, ideam non habeat: ſunt enim relata ſimul natura, & ſimul cognoſcuntur. Si non habeam ideam vini, ſuſpenſa hedera nunquam vini ideam, aut ejus cognitionem in me excitabit.

Sed poteſt Deus voluntatem ſuam hominibus manifeſtare alio modo, qui pervulgatior eſt, & ſæpius à Deo uſurpatus, quando homines edocet de rebus, quarum cognitio præſupponit, & prærequirit multas ideas, & notiones ſimplices, aut ut ſignificanter loquar, cognitionem multarum rerum ſimplicium, ex quibus homo, cui inſpiratio contingit, ductu Spiritus Sancti format cognitionem compoſitam: quæ cognitio compoſita, quando ſermone explicatur, terminis complexis, ut Logici loquuntur, exprimitur. Rem exemplo manifeſtam faciam. Cum Deus Apoſtolo Paulo aperuit myſterium redemptionis, quod Paulus poſtea ore & ſcripto docuit, Deus Paulo locutus eſt ut homini, qui jam plurimas res cognoſcebat; & cujus mentem variarum rerum cognitione imbutam, Deus direxit, ut ex iis diverſimode, per operationem Spiritus Sancti, conjunctis & ſeparatis, formaret de myſterio ſalutis judicia. Scivit Sanctus Paulus, antequam cœleſte lumen ipſi affulgeret, quid, v. gr. eſſet, *eſſe & non eſſe*; quid *juſtum*, quid *ſanctum*; quid *decorum*, quid *indecorum*; quid *intelligere*, quid eſſet *ſcire* & *non ſcire*. Habebat ideam *Dei*, *peccati*, *juſtitiæ*, *&c.* Plura non addam, ne in ſingularibus enumerandis aberrem. Pauli ſaltem intellectus inſtructus erat notionibus communibus, & principiis cognitionis perfectioris, & latius ſe diffundentis, quam iſtæc principia; quæque cognitio iſtis notionibus communibus & principiis tamquam fundamentis innixa eſt. Ponimus præterea Deum, cum Paulum doceret myſteria fidei Chriſtianæ, *in multis Pauli mentem* non illuſtraſſe per loca Scripturæ, ut Paulus ad ea attendens, & eorum vim, ductu Spiritus ponderans, ex iis eliceret atque formaret aliquod dogma fidei; (qui eſt tertius revelationis modus) ſed Deum per ſe Paulo ſuggeſſiſſe & dictaſſe, quid de quibusdam fidei articulis ſtatuendum eſſet. Et hæc eſt ſecunda manifeſtandæ veritatis via atque ratio à Deo proficiſcens: de hac manifeſtatione utiliter quæritur, quid in ea præſtet ratio. Exiſtimo tuto ſtatui poſſe, Deum in ſingulis viris θεοπνεύστοις non eadem prærequirere, aut eadem prærequiſita invenire: nam quo aliquis vera cognitione plurium rerum magis imbutus eſt, eo minora Deus illi revelat. Quomodo enim res nota revelaretur? Aut quid neceſſe eſt hominis intellectum operatione ſingulariter Divina, duci in rerum cognitionem, quarum jam homo cognitionem ſuis numeris perfectam, habet? Nam illa cognitio vera ortum ſuum habet ex notionibus communibus & principiis à Deo menti conceſſis: poteſtque eadem illa cognitio recte *Divina* vocari, & de ea doceri, quod *proficiſcitur à Patre luminum*: & tam tuto illi fidimus, quam cognitioni, quam revelatio in nobis peperit. Deus certè ad homines perſuadendos de Evangelii veritate, videtur prætuliſſe teſtimonium petitum à cognitione naturali, illi, quod petitur à revelatione: elegit enim Apoſtolos (uno Paulo excepto) qui factorum Chriſti teſtes oculati fuerant, *Act.* 1:21. *Oportet igitur ex iis viris, qui nobiſcum convenerunt toto tempore, quo Dominus Jeſus verſatus eſt inter nos, &c. unum fieri nobiſcum teſtem reſurrectionis.* Et Apoſtoli libenter teſtimonia adducunt ab iis rebus, quas ſenſibus hauſerant, vide 1 *Cor.* 15:5.6.

1 *Johan.* 1. *Act.* 4: 20. 2 *Pet.* 1: 16. 18. Et eſt ſimilis argumentandi ratio, quando Chriſtus, aut Apoſtoli ad probandum, vel potius perſuadendum ſuam doctrinam, teſtantur auditorum conſcientiam; & ad eorum cognitionem appellant, 1 *Cor.* 11: 13. *Apud vos ipſos judicate, num decorum eſt mulierem non opertam Deum orare.* Et 10: 15. *Intelligentibus loquor, judicate vos, quod ajo.* Eodem referendum, quod Deus ad ſtabiliendam doctrinæ ſuæ veritatem, & ad homines, etiam deſperatos, & pertinaciter alia argumenta reſpuentes, convertendum, doctrinam cœleſtem, quæ per ſe ſatis magno lumine circumfuſa eſt, & vim conſenſus impetrandi in ſe habet, voluerit miraculis corroborare: quæ tamen viſu & ſenſibus tantum capiuntur, nec majorem certitudinem generare in hominum intellectu poſſunt, quam ipſa eſt ſenſuum certitudo. Conſulat lector loca ſequentia, *Johan.* 5: 36. 10: 37. 15: 24. *Hebr.* 24. 1 *Cor.* 5. *&c.* Non quod ſtatuam veritates & argumenta, quæ Apoſtoli, aut alii homines, beneficio luminis naturalis compararunt, firmiora eſſe iis, quibus Deus per revelationem mentem informat; ſed quia proniores ſumus ad ea amplectenda, quæ lumine naturali, & ſenſuum opera cognoſcuntur: & ideo in talibus cognitionibus minus fidei locus eſt. *Spes ſi cernatur non eſt ſpes: quod enim quis cernit, quid ſperet, Rom.* 8 24. Sed de diverticulo in viam. In iis igitur rebus, quas Deus homini per ſe manifeſtat, illabens in hominis intellectum, ratio tantum eſt *inſtrumentum.* Homo enim non lumine naturali, aut cognitione, quam lumine naturali ſibi paravit, format judicia de rebus proprie revelatis: quamvis illud lumen naturale prærequiratur ad intelligendam & percipiendam revelationem talem, & de qua jam ſermo habitus eſt.

Ad hanc manifeſtationem veritatis referendum eſt, quando aliquis, Spiritu Dei edoctus, locum Scripturæ citat; eique ſenſum adaptat, qui ex nullis interpretationis legibus homini ſpiritu ſingulari deſtituto, probatur; ſed qui ex Dei inſtinctu illi loco conciliatur. Rem exemplis illuſtrabo. *Gal.* 4:21. *Dicite mihi qui ſub lege eſſe vultis, legem non auditis? Scriptum eſt enim Abrahamum duos habuiſſe filios, unum ex ancilla, alterum ex libera: per quæ aliud figuratur. Nam hæc ſunt duo illa pacta, unum quidem quod eſt Agar, ex Sinai generans prolem ad ſervitutem &c. Matth.* 2:15. *Ut impleretur quod ait Dominus per Prophetam, ex Ægypto vocavi filium meum.* Et *verſ.* 17. *Tunc impletum fuit, quod ait Dominus per Prophetam Jeremiam dicentem, vox in Rama audita eſt, lamentatio, & fletus, & ejulatus multus.* Hæc pauca ex multis ſufficient. Statuo nec ex ipſis verbis, nec ex ullis textus circumſtantiis, non tantum ulli potuiſſe venire in mentem, Deum iſtis textibus id hominibus voluiſſe manifeſtatum, quod nos Apoſtoli per illos textus docent. Sed ne nunc quidem, poſtquam Apoſtoli talem ſignificationem textibus conciliarunt, liquere nec illis, nec nobis ex ullis verbis textus, aut ex ejus circumſtantiis, & appendicibus, iſtis verbis tale quippiam notari: ſed totam illam verborum ſignificationem niti authoritate Dei, in Apoſtolis, aut prophetis, qui antea ductu Spiritus illis textibus ſenſum adaptarunt, nobis loquentis. Eſtque ſermo Apoſtolorum & Prophetarum ſuper iis textibus, non tam textus interpretatio, quam vocibus indita ſignificatio, quæ omnes, qui Spiritu prophetico præditi non erant, neceſſario fugiebant, quia nulla in ſe habebant principia, quæ eos ducerent in cognitionem iſtius ſignificationis. In tali itaque falſò nominata interpretatione *ratio* tantum eſt *inſtrumentum.*

Tertius autem modus, quo Deus *ἀμέσως*, ſe homini manifeſtat, eſt, quando Deus ejus intellectum & voluntatem ita ducit in agnoſcenda veritate, ut vim argumenti, quæ in rebus & ſcriptis eſt, perſpicuè videat & intelligat; non autem ex Spiritus inſtinctu in rebus & ſcriptis

novam

novam naturam, aut ſignificationem ponat. Ad hanc manifeſtationem refero omnia dogmata, quæ Chriſtus, Prophetæ & Apoſtoli ex ratione & Scriptura probant: v. gr. *Deus eſt Spiritus, ergo vult adorari in Spiritu & veritate, Joh.* 4: 24. *Contrectate me & videte, nam Spiritus carnem & oſſa non habet, Luc.* 24: 39. *Nam vanitati mundus hic conditus ſubjectus eſt, non ſua ſponte, Rom.* 8: 20. *&c.* Vidit Apoſtolus & intellexit *ex natura*, ſed ductus Dei Spiritu, illa in mundo errata non à Deo, neque à brutis & inanimis, ſed à peccato manaſſe. *Si ſecundum hominem adverſus beſtias pugnavi Epheſi, quæ mihi utilitas, ſi mortui non ſuſcitantur; edamus enim & bibamus, cras moriemur*, 1 *Cor.* 15: 31. Intellexit Apoſtolus ex ratione, nullam eſſe cauſam, quare tam multas ſubeat calamitates, ſi probos & improbos par maneat exitus. Et hæc exempla quidem ducta ſunt à rebus, in quibus viri Θεόπνευστοι, ductu Spiritus Sancti viderunt veritatem & vim argumentorum, quæ ipſis erat inſita.

Nunc ſequuntur ea, quæ à ſenſu textuum Scripturæ petita ſunt, in quibus, ductu ejuſdem Spiritus, ſenſus eos viderunt, & argumentis ex iis elicitis tam ſuam, quam aliorum fidem auxerunt & firmarunt. Suntque innumera, eaque omnia huc referenda, quando Apoſtoli locis Scripturæ fidem adſtruunt; & argumentum iis inſitum ita proferunt in apertum, ut vis illius argumenti ſit intelligibilis, & in aperto poſita. Sic ex 1 *Cor.* 15: 27. conficit Apoſtolus, Chriſtum aliquando regnum ſuum œconomicum depoſiturum, quia Pater ſemper Filio ſuperior extitit. *Nam omnia ſubjecit ſub pedes ejus; cum autem dicit omnia ei eſſe ſubjecta, palam eſt hoc dici excepto eo, qui ſubjecit ei omnia.* & ex verbis *verſ.* 45. *Scriptum eſt, factus eſt primus Adam animal vivens*, conficit Apoſtolus Adami corpus in ſtatu primævo non eſſe nactum eam perfectionem, quæ cœleſti vitæ congruat; & corpus quod cibo & potu indigeat, & quod Apoſtolus animale vocat, non poſſe regni Dei hæreditatem conſequi. Ex *Galat.* 3: 8. & ſeq: verbis, *Benedicentur in te omnes gentes*, conficit Apoſtolus, Deum gentes ex fide juſtificaturum. Et ex verbis *verſ.* 11. *Juſtus ex fide vivet: &* 22. *Quiſquis fecerit ea vivet per ea*, concludit neminem ex legis operibus vitam conſequi.

Quid in hujuſmodi manifeſtatione rationi tribuendum ſit, nunc videbimus. I. A Dei Spiritu proficiſcitur, quod Apoſtolus à Deo afflatus, & doctus ſingulari modo attendit ad ea argumenta, quæ iis locis continentur. II. Quod idem Spiritus diſcutiat tenebras & præjudicia, propter quæ lumen, quod in argumentis erat, mentem illuſtrare non poterat. His quidem Spiritus Sancti operationibus mens Apoſtolorum ducebatur in omnem veritatem: ſed hæ operationes Spiritus propriè non ſunt *veritas* aut *lumen*; quamvis earum virtute fiat, quod lumen ad mentem efficacius penetret; quodque diſtinctè & clarè veritatem & ſenſum in rebus, & Scripturæ locis contentum, Apoſtoli intuerentur, & efficaciſſimè afficerentur. *Eſt autem lumen intellectus ipſa rei cognoſcibilis comprehenſio & perceptio.* Ad has itaque operationes Spiritus, non eſt convertenda noſtra cogitatio, quando inveſtigamus, quem uſum hiſce in rebus præbeat *ratio*: nam tum lis eſt de cognitionis fundamento. Et quandoquidem præſupponimus argumentum, quo nititur concluſio, rebus & Scripturæ locis inſitum eſſe, liquet ſtatuendum eſſe, *rationem* in rebus fidei, quas probarunt Apoſtoli argumentis à natura hauſtis, eſſe *principium* & fundamentum fidei: in rebus ex Scriptura hauſtis, eſſe tantum *inſtrumentum*. *Nota* autem veritatis in iis fuit *evidentia*. Quia autem Apoſtoli & Prophetæ ita Spiritum Sanctum in omnibus, cum populum, juſſu Dei, quædam docerent, præſentem habuerint, ut in judicando male inſiſtere non potuerint; nihilque iis humanitus accidere, ideo eorum dicta & Scripta ſunt veritatis infallibilis,

bilis, etiam ad nos quod attinet. Et inter Chriſtianos id præſupponitur. Sed etiam hoc non malè animadvertitur à quibusdam, iſto præſuppoſito non multum proſici ad finiendas & minuendas controverſias, ſi inſuper nobis non conſtet *ratio*, *norma*, & *nota*, quibus nobis conſtituere liceat, quid ſit, quod Prophetæ infallibiles in ſuis ſcriptis docuerunt? Qua re continetur Scripturæ interpretatio; & de qua agemus in proxime ſequentibus: & ad quæ ſtatim pergemus, ubi primum quorundam errorem hic detexerimus, quia non arbitror in ſequentibus opportunitatem nobis oblatum iri.

Quemadmodum in tali manifeſtatione veritatis homini factæ, *fundamentum* & *principium* eſt argumentum in Scriptura aut Philoſophia ſitum; & nota atque norma iſtius veritatis *evidentia & perſpicuitas*: fundamentum autem *infallibilitatis*, *præſentia Spiritus Sancti*. Neque in hujusmodi manifeſtatione Apoſtolis facta, alia principia & fundamenta cognitionis ſunt quærenda; ita ſequitur, omnem cognitionem fidei in reliquis fidelibus iiſdem principiis & fundamentis niti: tantum detracto *fundamento* infallibilitatis per præſentiam ſingularem Spiritus Sancti, quo ſingulari, ſoliſque Apoſtolis proprio, ducebatur Apoſtolorum mens in cognitionem veritatis; & talis ipſis inſerebatur ſanctitas & prudentia ſpiritualis, ut non niſi perſpicuis potuerint aſſenſum præbere. In omnibus itaque fidelibus fundamentum & principium fidei, eſt ſolum argumentum in *natura*, aut *Scriptura* ſitum, *evidenter & diſtincte* perceptum. In Theologia itaque etiam non niſi clarè & diſtinctè percepto argumento acquieſcendum: quemadmodum in reliquis diſciplinis id uſum ſuum habet. Errant itaque, qui adhuc aliud *fundamentum* interpretationis ſuæ quærunt; & inſuper introducunt aliquam Spiritus Sancti in mente hominis operationem, quam ſc: cum homines intimo tactu ſentiunt, tum demum etiam verum fundamentum ſuæ fidei habent. Quæ doctrina neceſſariò in Enthuſiaſmum deſinere debet. Non enim loquuntur de affectionibus mentis noſtræ, quibus movetur & agitur, quando per gratiam Dei cognitione ſalutaris fidei imbuitur; & quæ affectiones ad veram, hoc eſt, claram & evidentem cognitionem, probari & exigi debent; & quas nos libenter illis damus: ſed loquuntur de ipſo cognitionis ſalutaris *fundamento*, quod, præter argumentum in natura aut Scriptura ſitum, & clarè & diſtinctè perceptum, ſtatuunt eſſe aliquam Spiritus operationem. Ego tales intrepidè Enthuſiaſmi reos ago, eoque magis eos abominor, quod errorem vitio ſimulationis cumulantes, adverſarios, qui Philoſophiæ in interpretatione Scripturæ plus juſto tribuunt, in invidiam rapiunt, & ea per ſpeciem de operatione Spiritus Sancti, in interpretatione Scripturæ tradunt, quaſi ipſis cum orthodoxis communis eſſet doctrina de neceſſitate auxilii Spiritus in explicatione Scripturæ; cum tamen merum introducant *Enthuſiaſmum*, & illum *Spiritum* pro *principio* fidei diſerte ponant, quod orthodoxi omni cura & cautione cavent. Hoc enim ſemel admiſſo, nullus eſt errandi finis, nulloque repagulo lubricus hominis intellectus reprimi aut coërceri poterit. Errant itaque illi multò gravius erratum, quam adverſarii, quos tam pugnaciter aggrediuntur.

Etiam illi in vicinitate Enthuſiaſmi verſantur, quamvis nomen admodum fugiant, quibus pro concione frequens in ore eſt, ſe quidem certa & explorata docere; ſibi conſtare rationem interpretationis alicujus loci Scripturæ; ſe percipere hoc vel illud argumentum loco aliquo Scripturæ contineri: ſed ſibi & regenitis ea tantum eſſe perſpicua, aliis autem imperceptibilia; &, quia ſpiritu deſtituti ſunt, eos ad illa argumenta & rationes cœcutire.

Ideo ſæpius ſolent præfari ſe ea in medium prolaturos, quæ multi ex auditorum numero non poſſunt intelligere, teſtanturque

turque ſe illorum cauſa iſtum ſermonem non habere, ſed ſpiritualium & regenitorum gratia. Statuo tales non longe abire ab Enthuſiaſmo. Nam quamvis veriſſimum ſit, per peccatum cor hominis eſſe obcœcatum, hominemque peccandi libidine ſe ita ſeducere, ut ad ſpiritualia intelligenda & percipienda mentem non intendat; quodque ita ſemper ſit verſaturus in tenebris, niſi ope Spiritus Sancti ad altiora mentem extollere diſcat; quodque ita Deus cor hominis ad intelligendum aperiat: falſo tamen docent & præ ſe ferunt, doctrinam, rationes, & argumenta, quæ in medium adducunt, quibuſdam hominibus non eſſe *intelligibilia*; ſe autem videre & percipere ea, quæ alius cernere non poteſt. Nam primò, Scripturæ diſſentaneum eſt, ponere aliud *impoſſibilitatis* genus in addiſcenda & cognoſcenda fidei veritate, quam quod in virtutis & pietatis ſtudio ſe manifeſtat. Et Scriptura docet impios tam volentes in ignorantia & errore exitiali verſari, quam volentes, & ſua ſponte impietatem ſectantur, 1 *Pet.* 3:15. *Illud enim volentes ipſos fugit, cœlos jam olim extitiſſe per Dei ſermonem, &c.* *Matth.* 11:14. *Si vultis recipere ipſe eſt Elias qui venturus eſt.* & 2 *Theſſ.* 1:10. *Joh.* 5:10. *Non vultis venire ad me* Vide etiam *Joh.* 10:38. *Apoc.* 22:17. *Matth.* 23:37. *Johan.* 20:27. *Noli eſſe incredulus. Galat.* 6:7. *Rom.* 11:20. *Jacob.* 1:16.

Etiam illi ipſo uſu hoc probant; nam de ſua ſententia & fide, quam ſe ex aliquo textu hauſiſſe profitentur, alios erudire nituntur iis argumentis & rationibus, quæ etiam valent in interpretatione ſcriptoris profani. In docendo, & in explicandis rationibus & argumentis ſuæ fidei, inſiſtunt via, à notiſſimis (ad quæ notiſſima intelligenda, tam ſingularem Spiritus operationem, tamquam novum lumen, non requiri, ipſi docent) ad obſcuriora progrediendo. Hac ipſa opera oſtendentes ſe agnoſcere ſuas opiniones, ſuaque dogmata, quæ profitentur, iis notionibus niti, & ab iis manare, quas ſinguli poſſent percipere ſine novo & non omnibus communi lumine; adeoque formalem rationem veritatis, quam per illa ſigna alteri perſuadere conantur, contineri iis notionibus. Quomodo etiam poſſent aliorum malam ratiocinationem in oppugnanda veritate culpare, ſi ab argumentis omnibus intelligibilibus non penderet illius veritatis cognitio? Præcedentia confirmat, quod illi *ſpirituales* eo intelligentiores, aut minus intelligentes ſunt in Theologia, quo inſtructiores ſunt earum rerum ſcientiis, quas abſque illa ſingulari Spiritus opera comparari poſſe confitentur. Præterquam quod in examinanda aliqua doctrina & Spiritu, tam illi *ſpirituales*, quam reliqui omnes Chriſtiani adhibere ſolent normam, & notam omnibus ratione utentibus, communem. Deberet etiam id ex adverſariorum ſententia obſcurum in Theologia vocari, non quod à principiis & notioribus remotius eſt, ſed quod deſiderat illud ſingulare Spiritus auxilium & lumen regenitis tantum proprium. Neque illi deberent diſcere ſuam Theologiam via vulgari, progrediendo à facilibus intellectu ad minus facilia: ſed confuſè, non conſectantes nexum rerum, ſed nunc de hoc, nunc de illo doctrinæ capite ſentientes, prout Spiritus iis ſenſum adſpirat. Cum etiam homo hæreticus conſcius ſit ſuæ pravitatis, per quam volens veritatem oppugnat, & affectibus obſequitur, quibus ſe tranſverſum agi patitur, agnoſcendum eſt, res fidei etiam reprobis manifeſtas eſſe poſſe; quomodo alioquin hæreticus poſſet eſſe convictus in ſua conſcientia? Quid, quandoquidem argumenta in Scriptura quidem contenta, ſed quæ à natura rectè mutuata & ducta, parem fidem mereantur iis, quæ non ſolum ex Scriptura proferuntur, ſed etiam teſtimonio Scripturæ tantum nituntur: an etiam ad ea, quæ à natura deprompta ſunt, mente complectenda, illa ſingularis opera Spiritus Sancti deſideretur? Neque

in iis valet tritum illud argumentum: *Scriptura eodem Spiritu tantum intelligitur, quo ſcripta eſt.* Præterquam quod admodum ambigua ſint iſtæc verba. Non enim hæc, ut opinor, de Spiritu infallibilitatis intelligunt? Nec de illa Spiritus opera, qua myſteriorum fidei cognitio Apoſtolis infundebatur. Ergo tantum manet reliqua evidens & clara cognitio argumenti, quo Scripturæ ſenſus nititur: quam fateor nobis cum Apoſtolis communem eſſe; neque ſine illo ſpiritu poteſt aliquid de ſenſu Scripturæ ſtatui. Quid, cum aliqui dicantur fuiſſe potentes in Scriptura, quoſdam arte docendi præditos, quoſdam ita docere ut auditores crederent, *Act.* 28: 28. *Rom.* 12: 7. quomodo talibus textibus fides ſua conſtare poteſt, ſi ratio interpretandi, aut intelligendi Scripturam aliter procedat, quam nos urgemus? Non enim ad alios informandos opus eſſet arte aut induſtria aliqua doctoris, accommodantis præcepta diſciplinæ ad captum diſcipulorum; ſed periret totum illud docendi munus. Quomodo Scriptura poſſet dici perſpicua in rebus ad ſalutem neceſſariis, ſi non ſit *intelligibilis* Spiritu illo deſtitutis? Quomodo tota Scriptura poſſet dici divinitus inſpirata, & utilis ad doctrinam, &c. ſi non ſit intelligibilis.

Neque habet aliquod momentum, quod dicunt Scripturam docere, *hominem ſpiritu deſtitutum, non poſſe percipere ea quæ ſunt Spiritus Dei*, 1 *Cor.* 2: 14. Et communem noſtrorum doctrinam eſſe, hominem ſine Dei gratia non poſſe myſteria Dei capere. Nam loca Scripturæ, & rationes ſupra allatæ nos ſatis docent, illam impotentiam tantum intelligendam eſſe de *impotentia morali*, nempe quod homines non poſſunt myſteria fidei cognoſcere, quia nolunt, & quia nunquam ſine gratia Dei volent: non quod in ſe non habeant *ea cognitionis principia*, eamque cognoſcendi facultatem, quâ ea, quæ in Scriptura traduntur, tantum capiuntur & intelliguntur, ita ut novis principiis aut nova facultate indigeant: ſed quia homo animalis ita carnis affectibus ducitur, ut nunquam ſuam cognoſcendi facultatem ſit deducturus in uſum. Et ideo Scriptura hominum incredulitatem & ignorantiam ad ipſorum malitiam refert, *Tenebris obſcuratam mentem habentes, & alienati à vita Dei propter ignorantiam, quæ in ipſis eſt, per obdurationem cordis ipſorum*. *Epheſ.* 4: 18. 1 *Theſſ.* 4: 5. Et nunquam Chriſtus de Judæis docet, quod non habuerint facultatem cognoſcendi Euangelium, ſed quod per contumaciam & duritiem cordis noluerint credere.

Eſt præterea diſtinguendum inter res vulgares, quæ in Scriptura traduntur, & inter eas, quæ non ita apertæ & obviæ ſunt. Non exiſtimo nos ad cognitionem aut perceptionem rei vulgaris, Spiritus Sancti opera indigere, verbi gratia ad intelligentiam horum verborum, *Illo verò die egreſſus Jeſus domo, ſedit apud mare*, qualia ſexcenta proferre liceret. Eſt etiam diſtinguendum inter cognitionem paucarum & non magnopere ſublimium rerum, & inter cognitionem rerum, quæ & numero multæ ſunt, & ſimul altioris indaginis. Ad paucarum rerum vulgarium cognitionem non æſtimatur Deus aliter præbere ſuam operam, quam providentia ſua generali, quâ omnia ſuo numine regit & moderatur: ad earum autem, quæ & multæ ſunt, & plus quam vulgare ſtudium & attentionem, præjudiciorumque abdicationem requirunt, putatur Deus clementiori & benigniori providentia, quam non malè gratiam vocaveris, concurrere. Et eſt loquendum de noſtra cognitione, & ſingulis ejus partibus, quemadmodum de vitæ noſtræ curriculo, ejusque diſtinctis intervallis & actibus, in quibus eo major Dei gratia erga hominem ſe aperit, quo diutius feliciter ætatem egerit, & quo plures & ancipites caſus effugerit.

Denique diſtinguendum inter cognitionem ſalutarem, quæ inſtar fermenti ſe dif-

diffundit per omnes animæ facultates vitæque partes, & homines immutat: & inter eam, quæ hominis mentem tantum leviter attingens & afficiens, eam, quantum ad pietatis ſtudium, ita relinquit, ſicut invenerat. In utriuſque cognitione idem eſt fundamentum; ut & nota, & judicandi norma eadem. Sed ſalutaris cognitio conjuncta eſt cum illa gratiæ Dei opera, qua hominis mens ita pulſatur & afficitur, ut non ſinat intervenire mentis operationes & cogitationes, quæ illam cognitionem ita turbent, aut confundant, ut vivida illius cognitionis in mente impreſſio diſcutiatur, ſed contra omnium malorum affectuum, & alienarum cogitationum atque præjudiciorum diſcutiens tenebras, efficit, ut perceptio veritatis ſalutaris totam mentem occupet, rapiat, & in ejus amplexum ita ruere faciat, ut nihil carius & antiquius ducat, quam eam ſemper præſentem habere: unde fit, ut illa evidentia perceptionis, nullis aliis cogitationibus turbata, & ita perpetuò in mentem radians, tantam in nobis pariat & perſuaſionem de veritate, & amorem erga cœleſtem doctrinam, & erga bona, quæ in ea nobis proponuntur, ut nulla ratione ab iis nos dimoveri ſinamus. Sed iis erigimur, elatiores ſimus, humana deſpicimus, cogitamuſque ſupera atque cœleſtia, & hæc terreſtria ut exigua & minima contemnimus.

Eſt etiam jam manifeſtum, quid ſit intelligendum per Scripturæ perſpicuitatem in rebus ad ſalutem neceſſariis, quam nos rectè urgemus contra pontificios ad amoliendam Papæ, Conciliorum atque Patrum eam autoritatem, qua fidelium judicium in legenda & interpretanda Scriptura niteretur non ſuo ipſorum, ſed Papæ, Conciliorum, &c. intelligentia, atque cognitione; ſtatuimus enim myſteria fidei ad ſalutem neceſſaria, ita tradi in Scriptura, & talis eſſe naturæ, ut ab omnibus intelligi poſſint: & homines omnes, quibus illa proponuntur, iis principiis & facultatibus inſtructos eſſe, ut quivis ea percipere poſſit, modo debitam curam, attentionem, atque meditationem adferat; quâ & Dei gratia obtinetur, & progreſſus in cognitione ſalutari fiunt: ſine qua gratia nullus cum fructu verſatur in Theologia. Sed illa gratia, ut ſupra diximus, non eſt *lumen*, neque nobis, neque Scripturæ novum lumen inſerit; ſed ducit nos, ut in lumine Scripturæ & intellectus noſtri ambulare velimus.

Diutius in his ſermo occupatus fuit, puto tamen me aliquid operæ pretium feciſſe; quia error, quem oppugnamus, admodum noxius eſt. Si enim hac in re latum unguem à vera doctrina diſcedas, aliudque *fundamentum* fidei ponas quam Scripturam & rectam rationem, omnia confundas neceſſe eſt, & collabitur tota illa ſancta diſciplina; & tot exiſtent opiniones & ſententiæ, quot capita. Et quo quiſque pulchrius de ſuo ſpiritu ſentit, eique plus largitur & arrogat, eo ſe intelligentiorem in myſteriis fidei jactitabit. Et ideo error ille præcipue apud eos obtinet, qui animi ſui motionibus nimio plus fidunt; ſibique imponentes, omnia vera eſſe urgent & credunt, ad quæ eos credenda, aut præceptorum authoritas, aut corporis & ſpirituum temperatio proclives reddit: habentes fidem, non quæ *evidens cognitio*, ſed animi diſpoſitio in iis peperit. Et quo quis forti imaginatione plus valebit, quâ ſpeciatim hypochondriaci præcellunt, aut quo quis de Spiritu Dei in ſe agente, magnificentius ſentiet, eo ſuis opinionibus erit addictior. Sic videas meticuloſos, qui mentis naturali habitu ad ſuperſtitionem proclives ſunt, & argumentis quæ eo ducunt, facile fidem habent: alios invenias, qui audaculi ſunt, & timore minus tanguntur, ideo proni ſunt ad ea amplectenda, quibus atheiſmi patrocinium conciliatur. Rurſus alios offendas, quorum mens fixè inhæret ſuis cogitatis; & qui ideo tantopere à ſuis imaginationibus afficiuntur, ut facile ſibi perſuadeant, falſa eſſe non poſſe,

 quæ

quæ ita ſeſe menti inſinuarunt. Qui ſi ſimul aliquem applauſum plebeculæ habeant, quæ ſolet lubenter ſuam voluntatem in illos conferre, qui erga ſe doctoris partes ſuſcipiunt; & qui, dum illis nullus obloquitur, & in docendi munere ætatem agunt, inde ſibi tantum aſſumunt animi, ut nullis non, etiam doctiſſimis, faſtum faciant: & citius clavam Herculi extorqueas, quam ex eorum pectore errorem evellas. Et quia nunquam in addiſcenda veritate ita incumbunt, *ut claram & evidentem cognitionem conſequantur*; & qui ideo plus conjectura quam ſcientia utuntur; & à Theologia apodictica argumenta aliena eſſe arbitrantur, ideo etiam fruſtra evidentiâ argumentorum cum iis pugnes. Et cum judicio ſunt deſtituti, & operam detrectant & fugiunt, quæ in acri ſeveraque meditatione requiritur, ſine qua ſolida de rebus à principiis pauló remotioribus, & quas ſcire omnes doctores decet, ſcientia non acquiritur, velintque tamen digito eſſe notabiles: ideo placuit iis hæc erronea in ſtudiis Theologicis verſandi ratio, qua per compendium omnia myſteria didiciſſe putarentur; & qua omnium adverſariorum argumentorum una eſt depulſio: nempe, eos Spiritu eſſe deſtitutos. Et ineunt rationem non Theologis, ſed ſcriptoribus tragœdiarum dignam, qui quando rei argumentum explicare non poſſunt, confugiunt ad Deum.

Hactenus verſatus eſt ſermo in iis modis, quibus Deus per ſe, nullius creaturæ opera interveniente, voluntatem ſuam creaturæ rationali manifeſtat: nunc loquemur de iis ſignis, quibus homines mentis ſuæ ſenſa & cogitata aliis aperiunt. Signa autem illa præcipuè continentur hominum ſermone, de quo nos ideo tantum agemus, quia de reliquis dicere nihil hic attinet. Sermo vel ore pronunciatur, vel ſcripto conſignatur: eſtque vel hominum *divinitus* inſpiratorum, vel aliorum vulgarium, qui illo privilegio carent. Sermo utrolibet modo ſumptus, eſt ſignum, & quidem ſignum inſtitutum; cujus ſigni ea proprietas eſt, ut nullam connexionem naturalem habeat cum re ſignificata: habet autem hanc cum reliquis ſignis naturam communem, quod ſimul cum re ſignata cognoſcantur. Voces *homo*, *bos*, ore prolatæ, aut ſcripto exaratæ, nullam ſimilitudinis cognationem habent cum idea, quam ex auditu & viſu iſtarum vocum mens in ſe ſuſcitat. Et ſi neſciam quid ſit *homo* aut *bos*, millies quamvis his vocibus aurem obtundas, aut eas ſcripto comprehenſas, oculis obvertas, nunquam earum perceptione in me producetur *idea* hominis aut bovis. Sermo itaque intelligibilis, qui etiam proprie tantum ſermo eſt, hæc duo requirit; nempe ut ſignum & res ſignata mihi ſint nota. Si linguam Græcam non calleam, fruſtra me aliquis græcè alloquatur. Et ſi non intelligam quid ſit *mors* & *vita*, *vir* & *fœmina*, fruſtra mihi iſtæc nomina inculcantur; & incaſſum laborat, qui me multa de *vita* & *morte* vult docere.

Cum autem dico in ſermone intelligibili inter alia requiri, ut res, quæ ſermone notatur, mihi nota ſit; non id ſtatuo, nos ſermone nihil novi diſcere poſſe: abſit, ſed ſtatuo fruſtra mihi verba & voces fundi, ſi ſubjectum & prædicatum eorum, quæ verbis denotantur mihi nota non ſunt. At ſermonis opera ita ordine in me ideæ & cogitationes poſſunt excitari, ut, quæ antea à me non intelligebantur, auditu & lectione vocum quarundam mihi notiſſima fiant: lectionis & præceptorum uſus, quibus operam damus, hoc nos quotidie docet. Quamvis nullus cum fructu de morte & immortalitate ad me ſermones habere poteſt, ſi non intelligam quid per vocabula *mors* & *immortalitas* intelligat is, qui me docere inſtituit: poſtquam autem horum verborum ſignificatione mens mea informata eſt, poteſt ſcriptor aut præceptor vocabulorum beneficio, ordine tot & tales in me excitare cogitationes, ut illius opera & methodo perveniam in cognitionem immortalitatis animæ.

mæ, & corporum atque brutorum mortalitatis. Hæc ſollicite inculco, propter ſententiam auctoris anonymi: qui ut probet, Philoſophiam eſſe Scripturæ interpretem, inter alia argumenta hoc adhibet, nempe nos ante ſenſus Scripturæ inveſtigationem cognoſcere debere id, quod vocibus Scripturæ ſignificatur; atque ita nos non ex Scriptura diſcere res, ſed per occaſionem vocum Scripturæ, in nobis excitari res antea cognitas. Sic puto, dicto fundamento niti ejusdem auctoris ſententiam, quâ tuetur ad obſcuriorum locorum interpretationem nihil conferre conſiderationem circumſtantiarum antecedentium & conſequentium; collationem aliorum locorum ſimilium aut diſſimilium, &c. Si enim auctor prædictis ſententiis hoc urget & vult, Scripturæ ſermonem, & locorum circumſtantias nos nihil docere, ſed tantum ſigna eſſe, quibus in nobis excitamus memoriam rerum antea cognitarum, ea tueri vult auctor, quæ in ſenſum communem non cadunt, & pervulgato uſu & experientia refelluntur. Si autem auctor contendat nos vocibus Scripturæ, & locorum Scripturæ circumſtantiis, quæ vocibus Scripturæ narrantur, nihil doceri, quam cujus naturas ſimplices antea cognovimus, *& ita ex illa prævia cognitione judicari de ſenſu vocum, quæ res illas exprimunt*, nihil docet, quod omnes non admittunt, qui ſtatuunt *contradictionem*, ratione aut Philoſophia *cognitam*, etiam eſſe normam interpretandæ Scripturæ.

Prærequirit itaque ſermo multarum rerum cognitionem: & quia inventus eſt ad mentis ſenſa exprimenda, quo natio in cognitione rerum magis profecit, eo magis vocabulorum & vocum apud eam augetur numerus, quibus earum rerum periti utuntur ad ſcientiam & cognitionem ſuam aliis communicandam. Et quo quis cognitione rerum copioſior & doctior eſt, eo ſermo illi, qui inter eas gentes verſatur, intelligibilior eſt, majorique cum utilitate in lectione ſcriptorum iſtius gentis ejus induſtria occupatur. Quo quis artis navigandi peritior eſt, eo facilius capit nautarum ſermones de illa arte: & quo majoribus auctibus ars navigandi apud aliquam gentem crevit; & quo plura nova uſu didicit, eo novorum ſignorum excogitandorum major iis fuit impoſita neceſſitas. Tempore Pauli nautæ incolentes maritima, apud quæ Paulus naufragium fecit, facilius capit *Actor.* 27. intelligebant, quam multi fidelium, qui artis navigandi imperiti erant. Ita ut doctiſſimi ſæpe opus habeant à pullata plebe, & ſellulariis addictis artibus hominibus, verborum quorundam intelligentiam requirere. Et chymici & aurifabri uſu inſtructiores & aptiores ſunt ad judicandum, quomodo voces *Jacob.* 5: 5. *Aurum & argentum veſtrum ærugine vitiatum eſt*, ſint ſumendæ proprie an improprie? Et quo magis ſermo eſt de rebus vulgaribus & obviis, atque de iis artibus, quarum quæſtu vulgus vitam tenet, eo iſtius ſermonis inventio vulgo rectius attribuitur.

Et quandoquidem ſermo inventus eſt ad exprimenda noſtra cogitata, ſenſa, & judicia de rebus, quibus nomen imponimus; & à multitudine, hoc eſt, à plebe rebus vocabula ſint impoſita, quibus judicia ſua de rebus aliis hominibus indicabat, ſequitur ex vocabulis & eorum ſignificatione, hoc eſt, ex vulgari ſermone, cujus plebs auctor eſt, non poſſe aliud argumentum formari, quam quale iis conciliat judicium plebis de rebus ipſis: quod cum pluſculum præceps & parum circumſpectum ſit, ideo etiam non eſt prudentis petere à vulgo teſtimonium veritatis de iis, in quibus judicandis aliqua cautio & attentio requiritur. Quid mirandum, plebem brutis attribuiſſe ſenſum, cum tot externa ſigna ſe proderent in brutis, quæ omnia plebs ſibi evenire experiebatur, quando dolore cruciaretur. Et cum vulgus ut plurimum ex iis, quæ ſenſibus ſubjecta ſunt, judicare ſoleat, etiam ex

ex externis corporis actionibus temerè judicat de cauſa earum interna, quam ſenſus non attingunt: & cum unam tantum rem clare & diſtinctè intelligit, ſcilicet effectum, malè de cauſa judicat, cujus claram & diſtinctam cognitionem non habet; & utrique rei nomina imponit, quæ non conveniunt; vel una voce cauſam & effectum ſimul exprimit: quod manifeſte contingit in voce *ſuctionis*, qua Scriptura etiam frequenter utitur; qua plebs denotat & motum verum, & cauſam ejuſdem motus, ſed falſam; & quæ in natura non reperitur. Cum autem uſus, & loquendi norma pendeat à vulgo, coguntur etiam eruditi, ut plurimum, ſi à plebe intelligi velint, & ab ineptiis ſe temperare, uti iiſdem vocabulis, & vocibus, quibus vulgò utitur; quamvis nec omnia, nec eadem iis velit ſignificare, quæ vulgò eis notata vult; & quæ vis vocis, ſecundum inſtitutum & uſum plebis ſpectata, infert. E.Gr. quamvis credam terram moveri & ſolem ſtare, cum tamen aliquid narrare volo, quod matutino tempore contigit, dicam id eveniſſe cum ſol oriretur; & doctis atque indoctis riſum facerem, ſi aliter loquerer: quia ſermo in iis circumſtantiis prolatus, non eſt ſignum externum mei judicii, *de cauſa luminis tempore matutino orientis*, ſed ſignificat tantum certam diei partem, & ideo neque contra animi ſenſa, neque falſa loquor, neque proximum fallo, aut eum in errorem induco. Omnibus vitiis laboraret ſermo, ſi talia fari inſtitiſſem, quando præ me fero, me velle docere quæ ſit cauſa luminis, quod mane terram ſtringit. Sacram Scripturam autem hujuſmodi loquendi modis, atque formulis uti, alibi multis atque apertis exemplis probavi. In indagando itaque verborum ſenſu, etiam attendendum eſt ad eas circumſtantias, à quibus judicia & argumenta ſumimus, quibus intelligatur, quid ſcriptor docere atque narrare ſuſceperit: quæ judicia cum tam profanis, quam ſanctis Scriptoribus communia ſint; & in Scriptura non *doceantur*, ſed à Spiritu Sancto *prærequirantur* in idoneo lectore Scripturæ, etiam eò uſque pariter *à ratione* pendet judicium, quo ſtatuitur atque docetur Spiritum Sanctum inſtituiſſe aliquid docere, aut non docere.

Porro, ſermo eſt vel clarus & perſpicuus, vel obſcurus & intellectu difficilis. Sermo eſt obſcurus vel propter voces ipſas, vel propter rerum, ad quas ſignificandas adhibentur, obſcuritatem. Quam ultimam obſcuritatem non malè quidam vocant obſcuritatem *veri ſenſus*; & priorem, *obſcuritatem literalem*. Simul jam intelligimus quid ſit ſenſus *literalis clarus*, quid *ſenſus verus*? Exempli gratia, Apocalypſis Johannis, ſi ad *ſenſum literalem* attendas, magnam partem eſt clara & perſpicua, ſed quoad *ſenſum verum*, eſt tecta & obſcura. Sic pariter Prophetiæ, ſi *literam* ſpectes, ſunt claræ, ſi ad *ſenſum* mentem convertas, obſcuræ ſunt. Sic verba Petri, 1 *Pet.* 3:19. *Per quem Spiritum Chriſtus profectus, prædicavit Spiritibus, qui ſunt in carcere, qui olim non obedierunt, &c.* ſunt obſcura, ſi ad *verum ſenſum* animum attendas; at perſpicua, ſi in *literalem ſenſum* contemplationem conjicias. Sic verba & voces, *Matth.* 5:38. 39. *Audiſtis dictum fuiſſe oculum pro oculo, & dentem pro dente, at vero dico vobis, ne obſiſtite improbo, ſed qui cædet te in dextram tuam maxillam, obverte ei & alteram*, ſi *ſenſum literalem* ſpectes, ſunt clara & perſpicua: ſed *ſenſus verus* verborum illorum, illo loco prolatorum, eſt obſcuriſſimus. At etiam *ſenſus literalis* verborum *verſ.* 22. ejuſdem capitis eſt obſcurus; *Ego vero dico vobis, quicunque iraſcitur fratri ſuo temère, tenebitur judicio; quicunque vero dixerit fratri ſuo raca, tenebitur conſeſſu; quiquis autem dixerit fatue, tenebitur gehenna ignis.* Et quia *ſenſus literalis* eſt obſcurus, ideo *ſenſus verus* non poteſt eſſe clarus, ſed ſimiliter obſcurus eſt: quo enim pacto fieri poſſet, ut clarè aliquid intelligam, cum voces, quarum ope in cognitionem rerum

rum

rum venio, mihi ſunt obſcuræ?

Obſcuritas *ſenſus literalis* multis de cauſis in prophani autoris ſermone reperitur, de quarum magno numero paucas dabo. Reperitur autem illa obſcuritas, vel quia ſcriptor ipſe clarè rem, quam tradit, non percipit: quam obſcuritatem *conceptus* neceſſariò ſequitur obſcuritas *literalis*; vel ipſe linguam, qua loquitur, non callet; vel deſtinatò obſcura & perplexa loquitur; vel præter ſcopum, obſcuritas & ambiguitas ſermonem occupat; vel loquitur de rebus ſuo tempore notiſſimis, ſed quarum cognitio longo temporis decurſu oblitterata eſt: ſic vocis, imo totius linguæ cognitio perire poteſt: ita urbium, locorum, animalium nomina veniunt in oblivionem. Similiter artes, cum intereunt, etiam nominum, quibus inſtrumenta artis denotantur, ſignificatio perit. Evenit etiam nonnunquam auctorem tantum ſemel aliqua voce uti, cujus ſignificatio ex aliis ſcripti partibus erui non poteſt. Poſſunt etiam ſcripta corrumpi per eos, qui illa imprimunt aut deſcribunt, &c. unde ſæpe magna in contextu ſermonis oritur obſcuritas. Sic multas alias obſcuritatis cauſas recenſere poſſem, ſi ad rem pertineret: nunc tantum videndum ſupereſt, quænam obſcuritatis cauſæ in ſacro textu obtinere poſſunt; ut inde appareat, qualem uſum *ratio recta* habeat in locis obſcuris explicandis. Dubium mihi non eſt, quin ſæpe ipſi Prophetæ clarè non perceperint ea, de quibus vaticinabantur; & inde magna ex parte obſcuritatem Prophetarum natam eſſe, non eſt veritati diſſentaneum. Neque dubito quin Deus ipſe voluerit, ut quædam obſcurius in ſacro codice conſignarentur; quo quorundam zelus & ſtudium excitaretur. Sic ex Bibliorum ſacrorum lectione ſatis conſtat, multa in iis obſcura reperiri, quia nominum ſignificatio periit, aut quia ſemel tantum vox occurrit: quod ſæpiuſculè evenit in nominibus animalium, arborum, fructuum, veſtimentorum, &c. Idem dico de artium inſtrumentorum nominibus. Potuiſſe etiam quædam Bibliorum exemplaria corrumpi, tot diverſæ lectiones documento atque argumento ſunt. Cum his obſcuritatis cauſis ſacer codex cum profanis auctoribus participat. Quod autem viri Spiritu Dei afflati, vel deſtinatò ambiguè loquuti, vel temerè vocibus & vocabulis uſi fuiſſent, quarum vim & ſignificationem ignorabant, id ſine detractione & imminutione ſanctitatis, auctoritatis, & fidei, quam omnes Chriſtiani illis attribuunt, dici de illis non poteſt. Quod autem Sacri Scriptores propriis quibuſdam vocibus utuntur, aut communibus vocibus ſingulares & proprias imponunt ſignificationes; quarum ſignificationum in nullis profanis auctoribus reperias exemplum, id etiam profanis auctoribus uſu venit.

Sed priuſquam ingrediar ſermonem de proprietatibus Scripturæ, quarum ratio habenda eſt in ipſius interpretatione, dicam quem uſum habeat Philoſophia vera, ſive recta ratio in jam proximè recenſitis Scripturæ proprietatibus; & quas communes habet cum profanis Scriptis. In vaticiniis, ſi eventu eorum ſenſus non manifeſtetur, ratio nullum *principii* uſum habet, ſed tantum *inſtrumenti*: quia vocabula, quibus vaticinia hominibus manifeſtata ſunt, alio ſpiritu intelligi non poſſunt, quam quo ſcripta ſunt: ſaltem modi loquendi, quibus vaticinia proponuntur, ita ſæpe Scripturæ proprii & ſingulares ſunt, ut eorum ſenſus non niſi ex Scriptura erui poſſit; atque ita Scriptura in eorum explicatione eatenus *principii* locum habet. Quamvis ex generali vocabulorum, quibus ſermo efficitur, natura conſtat, nos non poſſe pervenire ad intelligentiam propriorum & ſcriptori ſingularium loquendi modorum, niſi per cognitionem quarundam rerum & vocum ſignificationis, quam Scriptura præſupponit, & quam per rationem ſcimus.

Porro cum res poſſint obſcurè tradi in Scriptura, vel quia ſuccinctè, contractè, & qua-

quaſi tralatitiè uno in loco traduntur, & ſparſim in multis aliis; vel quia etiam rei natura ex parte tantum explicatur, & quia Spiritus Sanctus vult, ut reliqua inveſtigentur principiis naturalibus, quæ Deus homini inſevit ad vitam moderandam, inde ſequitur ex diverſitate obſcuritatis cauſarum naſci varietatem rationis uſus; & in poſteriori obſcuritatis genere, rationem jure ſibi plus vindicare, quam in priore. Cum Scriptura dicit non *furaberis*, totum judicium de furti natura *rationi* committit. At in expoſitione loci, 1 *Cor.* 12:8. 9. &c. *Nam huic quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ, alii vero ſermo cognitionis per eundem, alteri vero fides per eundem Spiritum*, ratio ferme talem nullum uſum habet, qui *principii* dignitatem ſuſtineat: loquor de *principio* & *fundamento* interpretationis *proximo*, quo ſemper ſermo noſter collimat, quando de interpretatione Scripturæ loquimur. Nam ſi de interpretationis *principiis* & *fundamentis remotis* ſermo ſit, non eſt dubitandum, quin rationi tunc meritò principes partes aſſignentur. Scriptura enim cum ſit *ſermo*, prærequirit multarum rerum cognitionem naturali lumine acquiſitam; & ſine quarum cognitione fruſtra ad hominem ſermo adhiberetur. Nam quamvis non poſſum ullum præſidium mihi comparare ex ratione, ad explicandum quid in textu jam citato ſit intelligendum *per Spiritum*, quid per *ſermonem ſapientiæ*, quid per *ſermonem cognitionis*, non poſſum tamen loca Scripturæ conferre, & ex analogia fidei argumentari, atque ita propriam, aut impropriam vocis ſignificationem cognoſcere, niſi ad illud opus concurrat ratio *ut principium*. Cum quia Scriptura multa præſupponit, quorum cognitio à ratione petenda eſt; tum quia *ratio* judicat de circumſtantiis textus, utrum cum ſcopo Spiritus Sancti quadret certa quædam expoſitio, nec ne. Nam per rationem, non ex Scriptura, novimus quid ſit *cohærentia*, & non abſurda *loqui*; etiamſi concedam ex circumſtantiis textus eliciendum eſſe, quis ſenſus verborum eſſe debeat, ſi Spiritus cohærentia & non abſurda loquatur. Neque tamen ideo Spiritus ſubjicitur *ſapientiæ hominis*, ſed hiſce tantum docetur opus eſſe, ut is, qui judicaturus eſt de congruentia & convenientia eorum, quæ in ſermone narrantur aut docentur, inſtructus ſit cognitione illius, quod vocamus *cohærentia loqui*. Atque ita ſtatuitur, Deum velle, ut homines, quando ſunt judicaturi de ſenſu verborum Scripturæ, ingenio & arte utantur, quas natura compararunt, ut ſenſus verus eliciatur: quod ingenium & ars tamquam *medium*, *argumentum* & *principium* ſunt, quo nititur, ſed remotè, Scripturæ interpretatio. Sic (ut pergam ad ea quæ hic habemus præ manibus) quando aliqua obſcuritas in textu ſe prodit, illiusque obſcuritatis cauſam ſuſtineant typographi & ſcriptores, qui Biblia imprimunt aut vitioſè deſcribunt: & ſi lector per commatis aut voculæ ablationem, aut additionem (quod uſu venit omnibus, qui correctioni Bibliorum præſunt, quando imprimuntur) judicet Scripturæ ſenſum planum & perſpicuum conciliari, tunc *ratio* etiam *principii* uſum præſtat. Et eo eſt referenda tota critica ſacra: & quo quis in ſtudio critico plus judicio valet, & plus eruditione præſtat, eo felicius verſatur in expoſitione locorum, quibus à tali criſi lux conciliari poteſt; & ſi omnis criſeos tam ſacræ, quam profanæ natura *ratione* contineatur, ut vult auctor anonymus, tunc omnis expoſitio locorum Scripturæ, quæ per criſin eſt eruta, *ratione* tamquam *principio* niteretur. Neque arbitror hoc noſtros eo ſenſu negaturos, cum ſatis ſciant, litteras & voces, earumque ſignificatà per ſe ſuum uſum in aliquo ſermone non prodere: eſt enim nulla vox, quæ varias ſignificationes non ſuſtineat, ſed vocis uſus & ſignificatio ex circumſtantiis, conſentaneis & diſſentaneis, &c. inveſtigatur atque elicitur. Et cum quid ſit *diſſentaneum aut conſentaneum ratione judicetur*, facile noſtri

ſtri Theologi concedent eo ſenſu interpretationem Scripturæ ratione niti. Sed Theologi ad talem regulam & normam remotam non attendunt, cum de interpretatione Scripturæ diſputant.

Sed ad rem: ſic etiam ratio proxime *principii* & *argumenti* vicem præbet, quando ſignificationes quarundam vocum, quibus urbes, fluvii, animalia, &c. denotantur, ex auctoribus profanis peti debent. Pariter, quando ſemel vox tantum occurrit, neque ex circumſtantiis textus ejus ſignificatio poteſt elici, ſed conſulendi ſunt profani auctores ſuper ea re, tunc *principium & fundamentum* iſtius cognitionis eſt ratio, ſive diſciplina humana. Plura hiſce, quia levia ſunt, non addam. Nunc ad difficiliora progredimur, quæ ſe aperient, quando de quibusdam proprietatibus Scripturæ, quibus ab omnibus profanis ſcriptis diſtinguitur, loquemur.

Sed priuſquam eo deveniam, pauca dicenda reſtant de obſcuritate illa Scripturæ, quæ oritur ex rerum, quæ in eâ traduntur, *natura*. Res obſcuræ ſunt, quæ remotiores ſunt à principiis, ſive naturæ inſitis, ſive uſu & experientia comparatis, ſive revelatione ſuggeſtis, quæ ideo iis tantum intelligibiles ſunt, qui propter habitum ſenſus habent exercitatos ad diſcretionem boni & mali, *Heb.* 5:14. V. Gr. facilius judicatu eſt, utrum licitum ſit vim privatam, aut publicam publica vi repellere; quam utrum principi vim inferre, & bello aggredi liceat principem vicinum, quia militum conſcriptione, & munimentorum in locis limitaneis extructione, perpetuò nobis incutit timorem. Pariter cernas facilius, licere pro præſtita opera mercedem exigere, quam intelligas contra fas non eſſe, pro pecunia mutuo data aliquid ſupra ſortem exigere. Et quemadmodum in diſciplinis humanis ſemper *principia* ſunt cognitu facilia, & quæ ex principiis, argumentorum ſerie deducta ſunt, intellectu difficiliora, ita Theologia ſua habet effata, quæ principiorum numero habenda, & intellectu ſunt facilia: ſed tradit etiam Scriptura dogmata, quæ à principiis remotiora ſunt, & ita ſunt reconditioris ſcientiæ: vide *Johan.* 16:12. 1 *Cor.* 3:1. *Heb.* 11:5. 2 *Pet.* 3:16. *Heb.* 6:1. Sic facilius comprehendas in Theologia, Deum neceſſariò peccatum odiſſe, ſive peccato delectari non poſſe, quam intelligas Deum neceſſariò peccatum punire. Ita ex locis Scripturæ facilius oſtenderis fore judicii diem, quam probes ſatisfactionem pœnalem, & pœnam proprie dictam intercesſiſſe in concilianda pace, & in ſalute generis humani procuranda. Ita ex Scriptura facilius probaveris, impios puniendos, aut mentem poſt corporis interitum manere ſuperſtitem, quam hominem fide juſtificari. Ex exemplis hic adductis liquet, duplicem rerum obſcuritatem in Scriptura eſſe poſſe, unam, quæ eſt rerum à *naturæ* principiis remotiorum, alteram, à principiis *Scripturæ* (ut ita loquar) remotiorum: per *principia Scripturæ* intelligo res, quæ & faciles intellectu ſunt, & ita apertè traduntur in Scriptura, ut nulla ferme collatione locorum, aut intenta meditatione indigeant.

Sed eſt præterea alia quædam in rebus Theologicis obſcuritas, quæ non tam ab obſcuritate rei, quam à corruptione noſtræ voluntatis oritur, qua fit, ut difficulter quaſdam veritates Theologicas amplectamur, non quia remotæ ſunt à cognitionis noſtræ principiis, tam naturalibus, quam ab iis, quæ principia Scripturæ vocantur; ſed quia remotæ ſunt ab agendi rationibus, quas aut nos in uſu habemus, aut quas Deus communiter uſurpat. Et talibus in rebus *fides* præcipuè occupata eſt: quemadmodum etiam in iis credendis aut non credendis, potiſſimum laus hominis Chriſtiani verſatur. Et in inculcanda illarum rerum fide, non tam laboratur in expugnando errore, quam in flectenda voluntate. Et veritatum in Theologia propoſitarum rejectio eo magis culpanda,

quo magis ab hujuſmodi infidelitatis vitio proficiſcitur; & quo minus hoc vitio infecta eſt, eo excuſatius peccant, qui aliquo errore tenentur. Pauca exempla in medium adferam, quo res illuſtrior fiat, alibi eam rem enucleatius tradidimus. Non eſt difficile demonſtratu, Deum potuiſſe effœto corpori Saræ & Abrahami vim generandi largiri, ſed difficile creditu erat Abrahamo, Deum id præſtiturum: quia cauſę, quibus communiter res illa confici ſolet, non erant præſentes: & in ſolam Dei omnipotentiam incumbere fide, id omni homini, & Abrahamo inſolens eſt; ideo eſt heroicæ virtutis, illis fidem habere, & contra ſpem ſub ſpe credere. At in fide circa Sacroſanctam Trinitatem non ſe prodit ea difficultas credendi, quæ, ut ita loquar, *à voluntate* proficiſcitur, ſed quæ à demonſtrationis obſcurioris ratione, & intelligendi difficultate ortum ſuum habet. Sic Judæis, & præſertim iis, qui Chriſto fuerunt coætanii, non erat difficile demonſtrare Chriſtum eſſe verum Meſſiam: ſed difficulter ei fidem habebant propter odium & invidiam, quibus Chriſtum perſequebantur, & propter præjudicia, quibus laborabant. Ex adverſo, difficilius demonſtratu eſt bella eſſe licita: neque ſe prodit ea malitia in iis, qui negant fas eſſe bellum gerere. Et utinam hæc bene æſtimarentur ab iis, qui propter opinionum diſcrepantiam ſæpe adeo inconſideratè in quosdam invehuntur; in quibus tamen ſe aperit magnum veritatis inveſtigandæ ſtudium, nec magna ſubeſt ſuſpicandi cauſa, eos odio aut invidia tranſverſos agi. Sed hoc vitium adeo inveteravit, talesque reperit applauſus, ut etiam virtutis opinione ſe ſuſtineat, & incaſſum laborare videatur, qui iſti vitio minuendo operam dat; & qui hoc agere inſtituit, etiam ſe paret ad ferme omnium Theologorum invidiam & calumnias exhauriendum.

Porro rerum obſcuritas, ut eſt objectivè in rebus, & tamen ad intellectum refertur, & rationi ſubjacet, (nam de ea, quæ eſt in rebus, quæ in Scriptura docentur, ſupra quædam diximus, & alia in ſequentibus opportunius dicentur) multis ex cauſis oritur: eas recenſebimus, quæ ad rem pertinent. Prima eſt, quod ferme res omnes naturam quandam habeant compoſitam, nec ita ſint ſimplices, ut una proprietate ejus cognita, reliquæ ex cognitione illius proprietatis nobis innoteſcant; & ita paucarum rerum natura nobis comperta eſt. Eſtque veriſſimum, quod Scriptura teſtatur, *Nos ex parte tantum ſcire, & ex parte tantum prophetare*, 1 *Cor.* 13. quia multæ rerum proprietates manent in abdito nobis abſconditæ, & tenebris circumfuſæ. Res manifeſta eſt: quamvis enim ſciam quid ſit aqua aut ignis, non tamen ideo ſcio omnes ignis proprietates; & poteſt Deus multas proprietates in igne & aqua poſuiſſe, quæ me fugiunt, & æternum me forte fugient. Eſt equidem verum, omnem veram rei cognitionem, ſive illa exæquet totam rei naturam, omnesque ejus proprietates; ſive ejus partem tantum, ſemper quidem eſſe alicujus naturæ, hoc eſt, rei cognitionem: omnis enim res ſuam naturam habet, & proprietates ejus naturam conſtituentes. Ita, quemadmodum corpori ſua cõnſtat natura, ita figura quadrata ſuam habet naturam: neque poteſt aliquid eſſe ſimul in ſuo & alieno genere; neque conceptus unius rei ad aliam tranſferri. Itaque ſi extenſio eſt attributum corporis, non poteſt non omne eſſe corpus, quod eſt extenſum. Et ſi clarum & diſtinctum conceptum corporis habeam, quæcunque vel contenta inveſtigatione, ope rationis, vel *Scripturæ* revelatione, mihi de novo de corpore in genere conſiderato, innoteſcunt, ea nunquam poſſunt pugnare cum illa evidenti idea, quam de corpore habeo. Imo omnes proprietates eſſentiales unius ejusdemque naturæ, talem cognationem inter ſe habent, ut quamvis indies plures illius rei proprietates detegamus, ſive proprio marte, ſive aliorum inſtituto,

ſive revelatione, intelligimus tamen unam earum alteram ſua natura includere. Sic extenſio, quæ eſt corporis attributum, includit impenetrabilitatem, & diviſionem, & localitatem, ut ita loquar. Similiter, figura triangularis includit in ſe omnes proprietates, quas Mathematici in ea ex natura, ſive idea trianguli eſſe demonſtrant; & nihil de ea figura, qua tali docere, & demonſtrare poſſunt, quod in conceptu trianguli non contineatur, quodque ex illo non educatur: & quod propterea non tantum illi conceptui non poteſt eſſe diſſentaneum, ſed quod virtute illo conceptu non contineatur. Quamvis inquam, hæc veriſſima ſint; nihil tamen obſtat, *Primò*, quin multæ proprietates unius ejuſdemque naturæ ſimplicis mihi latere poſſunt, quamvis mea idea, modò vera ſit, virtute omnes illas proprietates complectatur. Quamvis in idea *entis perfectiſſimi*, omnia Dei attributa comprehendantur, non tamen ideo actu omnia illa cognoſco: quamvis in idea rei cogitantis contineantur omnes mentis eſſentiales proprietates, non ideo illas ilico cognoſco, ſimulac intelligo, quid ſit res cogitans. Ex hac itaque cauſa etiam obſcuritas eſt in rebus; & qui ingenio & induſtria non ſunt præditi, illi difficilius veniunt in cognitionem talium attributorum: & hæc eſt rei obſcuritas, quæ rebus adeſt; quia mentis humanæ reſpectu, à principiis, per quæ illa mens aditum ſibi facit ad reconditarum rerum ſcientiam, longius diſtant: de qua obſcuritate ſuperius egimus.

Sed ad inſtitutum: ſunt itaque multa obſcura in rebus vel quia ſunt res compoſitæ, vel quia contingenter iis inſunt, quæque ideo formali conceptu, quem de, rebus habemus non includuntur: vel etiam, quia natura rei eſt *infinita*, quam intellectu comprehendere non poſſumus. vel denique ea eſt rei natura, ut Deus nulla aut in nobis, aut in natura conſtituerit principia, quibus illa natura cognoſcatur. Hæc ſingula exemplis illuſtrabo. De rebus compoſitis, ut de aqua, igne, terra, &c. loquuti ſumus. Quæ rei contingenter ineſſe dicuntur, ſunt duplicis generis: vel poſtquam uſu, ratione, vel revelatione cognoſcimus aliqua rei adeſſe, ſimul intelligimus ea nulli quidem alii rei adeſſe poſſe, ſed non intelligimus neceſſarium eſſe, ut ea rei illi adſint: vel poſtquam cognovimus aliquid rei adeſſe, tunc nequidem adhuc exploratum habemus, utrum ſolummodo illi rei, in qua illud eſſe comperimus, adeſſe & ineſſe poſſit. Non includitur in conceptu formali *rei cogitantis*, ſive ſpiritus, illam imaginari vel ſentire, ſed poſtquam mihi conſtat exiſtere rem cogitantem, quæ propter ipſius conjunctionem cum corpore, imaginatur & ſentit, ſimul per ideam rei cogitantis ſcio imaginationem & ſenſationem non poſſe reperiri, niſi in re cogitante: ita quidem, ut non quicquid cogitet, imaginetur & ſentiat, ſed ut, quod quicquid imaginetur & ſentiat, ſit res cogitans. At cum revelatione aut uſu cognoſco ſpiritum, ſive rem cogitantem movere corpus, nullum nexum invenio, neque etiam repugnantiam, quare id quod cogitat, debeat eſſe prædium facultate movendi corpus: neque enim ſequitur, hæc res movet corpus, ergo eſt ſpiritus; vel ſi res eſt ſpiritus, ergo poteſt movere corpus: clare tamen & diſtinctè intelligo, neque ex parte rei cogitantis, neque ex parte corporis pugnare, quod una eademque res ſit res cogitans, & prædita facultate movendi corpus.

Propter rei *infinitatem* mihi hæ res obſcuræ ſunt, quomodo v. gr. decreta Dei ſint libera, & tamen æterna, nec in Deo aliquam mutationem ponant. Quomodo Dei potentia ſeſe exerat in creaturis ſine aliqua Dei mutatione. Quomodo Deus velit & intelligat, quomodo omnia ſimul intelligat. Quomodo omnia à Dei decretis æternis pendeant; & quod tamen creaturis liberis ſua conſtet libertas. Cognoſcimus hæc in Deo eſſe, ſed quo-

modo in Deo ſunt, ignoramus. Neque tamen ex parte, v. gr. æternitatis decretorum Dei, neque ex parte *libertatis* decretorum Dei, ullam pugnam inter hæc animadvertimus: quod quivis meditando, & rem attente conſiderando poteſt experiri: ſed tantum intelligimus nos hæc comprehendere non poſſe, noſtrumque intellectum obrui infinitate Divinæ naturæ. Neque difficultas intelligendi oritur ex natura rei, (quod notari velim) de cujus cognitione & conceptu laboramus: quemadmodum id uſu venit in eo, verbi gratia, quod non poſſumus concipere aliquod corpus eſſe non extenſum, unum idemque corpus hic, & alibi, imo ubique eſſe; accidens nulli rei ineſſe: in hiſce enim natura rerum modo enumeratarum, ſive potius illarum naturarum repugnantia inter ſe, obſtat, quare iſtas concipere non poſſumus: nempe quia tales conceptus naturæ illarum rerum non quadrant. At in ſuperioribus, quæ Deum ſpectant, oritur illa difficultas ex mentis noſtræ finitudine, quæ non permittit, ut omnium, quæ etiam evidentiſſime novimus enti perfectiſſimo convenire, poſſimus comprehendere modum, quo illa in Deo ſunt. Diſtincte & clarè intelligo, Deum omnia ſimul intelligere; & plures diſtinctos cognitionis actus non poſſe conſiſtere cum Dei perfectione: quomodo autem Deus hæc omnia intelligat, non capio: rem tamen ita ſe habere debere, ex natura Dei mihi certum & exploratum eſt. Non igitur difficultas cognoſcendi modum, quo Deus omnia ſimul & uno actu cognoſcit, oritur ex natura contradictionis, aut ex rei falſitate, ſed ex intellectus mei finitudine: non enim poteſt verum eſſe contrarium vero. At clarè & diſtincte intelligo, Deo enti ſumme perfecto convenire, quod omnia ſimul intelligat; ergo difficultas cognoſcendi modum, quomodo hæc in Deo ſe habeant, non oritur niſi ex finitudine mei intellectus, & non ex falſa idea. At neque ex natura corporis, neque ex Dei omnipotentia ſequitur, corpus poſſe eſſe ubique: imo ex corporis natura clarè & diſtinctè percepta, contrarium evincitur; & clarè & diſtinctè percipio non pertinere ad Dei potentiam infinitam, ut mutet rei naturam, & quod tamen res maneat eadem: tollere ſpatium & extenſionem à corpore, & docere ac tueri tamen, quod eadem illa res maneat corpus.

Neque ullam contradictionem ſuſpicari licet in eo, quod Deus omnia ſimul intelligit. Nam quamvis id in meo intellectu eſſe non poſſit, non ideo in intellectu infinito eadem valet ratio: non enim repugnat intellectui, ut intellectui, omnia ſimul & uno ſimplici actu intelligere. Et ideo conceptus, ſive idea intellectus infiniti omnia ſimul intelligentis, non eſt idea falſa. At rei falſæ & ſe ipſam ſubvertentis, ne generalem quidem conceptum formare licet. Quis generalis conceptus corporis manet, cum ab eo tollas conceptum *extenſionis?* Etenim, cum extenſionem à corpore tollis, non *modum* aut *rationem aliquam* à corpore tollis, ſed *totum* tollis corpus. Et ratio exiſtentiæ ſpiritus non differet à ratione exiſtentiæ corporis ſine extenſione. Eſt etiam intellectus Divini alia ratio, quia *intelligere* de Deo, hominibus, & ſpiritibus non univoce, ſed æquivoce prædicatur: ita ut, ſit de natura omnium Dei attributorum communicabilium, ut quidem, ſi ſpectes conceptum generalem, in Deo & creaturis reperiantur; non autem quantum ad ſingulares modos. Itaque quamvis Deus revera vult & intelligit; quia unum ſignificat *libertatem agendi*, alterum *cognitionem rerum*, ratio tamen volendi & intelligendi in Deo diverſa eſt à ratione intelligendi & volendi creaturarum; & iſtius rationis nullum conceptum aut ideam habemus: & Deus ideo dicitur habitare in lumine inacceſſibili. Et ita puto me oſtendiſſe, quantum interſit, nos rem non intelligere propter intellectus noſtri finitudinem & Dei infinitudinem; & nos rem capere non poſſe,

quia

quia implicat contradictionem. Præterea oſtendi, nobis conſtare poſſe, utrum rem comprehendere non poſſumus, quia pugnantia ponit, an quia eſt res infinita.

Oritur etiam obſcuritas in cognitione, aut potius in rebus, quæ cognoſcuntur, quando illæ res ſunt *ſupra rationem*: nempe quando ſe nullus prodit nexus ſubjecti cum prædicato, qui principiis naturalis cognitionis cognoſci poſſit. Ita ut eam rem non tantum non cognoſcimus principiis cognitionis naturalis, quales ſunt res omnes, quæ pendent à libero Dei decreto, & quę per vaticinia, & Sacram Scripturam nota ſunt. ſed illam etiam, poſtquam revelata eſt, non ita cognoſcimus *principiis cognitionis naturalis*, ut nobis conſtet, quis aut qualis ſit conjunctio & cohærentia inter ſubjectum & prædicatum. Rem exemplis manifeſtam reddam. Quod ſpiritus movet corpus, hoc ſcio principiis cognitionis naturalis: at quare illud ſpiritui conveniat, non intelligo; ſicut ſupra explicatum eſt. Sed dari tres perſonas in natura Divina, id tantum revelatione mihi conſtat, & poſtquam illud myſterium mihi revelatum eſt, nulla tamen mihi conſtat ratio, quare & quomodo in natura Divina tres ſunt perſonæ: neque principiis cognitionis naturalis cognoſco, quis ſit nexus inter naturam Divinam & tres perſonas. Quæ autem ejuſmodi nobis in Sacra Scriptura revelantur, voco res ſupra rationem: qualis mihi eſt myſterium Trinitatis. At non vocarem myſterium incarnationis rem, eo ſcilicet modo, ſupra rationem: non dico ſupra naturam, quod certiſſimum, quia Chriſti conceptio & generatio excedit naturæ vires; ſed dico illam non eſſe ſupra rationem, quia principiis cognitionis naturalis intelligo, naturam humanam non ullumò completam; & cujus natura ex voluntate Dei comparata eſt, ut ad aliam perſonam referatur, non eſſe perſonam: quemadmodum mens noſtra, quæ naturaliter ita comparata eſt, ut corpori unita, perſonam conſtituat, ſeorſim exiſtens, perſona non eſt. Ideo poſtquam ex Scriptura mihi conſtat, naturam Chriſti humanam ita factam eſſe, ut cum ſecunda perſona Sanctæ Trinitatis unam conſtituat perſonam, intelligo rem in Chriſto ita ſe debere habere, ut quidem duæ in Chriſto ſint naturæ, ſed una tantum perſona.

Hiſce ita pro ratione ſcopi expoſitis, ſupereſt ut paucis tradamus, qualem uſum *ratio* in hiſce omnibus præſtet; idque facile factu erit, quia ſuperiora huic rei facem allucent. Quæcunque hujuſmodi ſunt, ut *uſu* vel *ratione* cognoſcam ea rebus ineſſe, quamvis neceſſarium nexum cum rei natura non habeant, in iis tamen ratio *principii* vicem ſubit. Quæcunque revelatione cognoſco, ſed poſtquam revelata ſunt, intelligo tamen per rationem naturalem illa naturæ rei competere; ita ut ratione demonſtrare poſſim rem ita ſe habere, illa ſunt naturæ mixtæ, quia *fide* & *ratione* cognoſcuntur. Ad hujuſmodi referrem ſatisfactionem, unitatem Perſonæ Chriſti in pluralitate perſonarum, mundi creationem, corporis reſurrectionem, &c. hæc enim Scriptura & ratione cognoſci puto: ſaltem poſtquam revelata ſunt, ratione cognoſcimus rem ita ſe habere. Ita principiis cognitionis naturalis cognoſco, illud corpus fore unum idemque numero corpus, quod diſſolutum in ſuas partes, atque ita deſtructum, rurſus conjunctione earundem partium; & quidem eundem ſitum, quem antea habuerant, obtinentium, exoritur. At quæ ſunt talia, ut non niſi per revelationem in eorum cognitionem pervenire poſſimus; & poſtquam ita cognita ſunt, nullis tamen principiis cognitionis naturalis probari aut confirmari poſſunt, illa ſunt ex omni parte res *fidei*; & in iis ratio ſuſtinet tantum *inſtrumenti* munus. Et talis mihi res eſt Trinitatis myſterium. Quod quomodo intelligam, breviter exponere lubet, ut major hujus ſcripti fructus exſtet. Quid

ſit *unum*, quid *plura*, quid *ſimplex*, quid *compoſitum*; quid ſit *res*, quid *modus*, quid *attributum*, quid *accidens*, quid *relatio*, ratione cognoſco. Pariter quid ſit *generare*, quid *genitum* eſſe, quid *perſona* ſit; quod id quod genitum eſt, & gignit, debeant eſſe *diſtincta*, ratione cognoſco. Et Scriptura horum omnium cognitionem, quando de Trinitate ſermo eſt, præſupponit: & ideo *ratione* dijudicatur, quid ſit proprie *generare*; & quid requiratur, ut proprie aliquis alicujus filius dicatur: atque adeo *ratione* conſtat, eum non eſſe filium proprie dictum, qui ex ejus ſubſtantia, cujus filius vocatur, non eſt genitus: & ideo omnes *ratione* cognoſcimus, Adamum non vocari Dei filium proprie dictum, quando Scriptura Adamum Dei filium vocat. Neque Chriſtus proprius Dei filius eſt, quia ſine ope viri, ex Maria virgine, Spiritus Sancti opera, conceptus eſt: neque quia ex mortuis eſt reſuſcitatus, neque quia evectus eſt in cœlum, & gloria, potentiâ & imperio in omnes creaturas donatus: ſed ſi eſt filius Dei proprie dictus, ex Patris ſubſtantia debet eſſe genitus: an autem voces *proprius Filius*, quæ in Scriptura Chriſto attribuuntur, proprie ſint ſumendæ, nunc in hoc non diſputo. Præterea, quandoquidem ad generationem proprie dictam requiritur, ut id quod gignit, gignat ex propria ſua ſubſtantia, conſtat nulli rei tam proprie attribui poſſe generationem, quando liquet eam generaſſe, quam Spiritui; ex partibus enim non conſtat: quando itaque ex ſua ſubſtantia producit rem ſibi ſimilem, illa res propriiſſime generari dicitur, quæ ita ex generantis ſubſtantia producitur Et cum ratione cognoſcimus accidens, aut modum proprie non generari; inde recte conficitur, qui proprius filius Dei eſt, Dei accidens aut modus non eſt. Et cum generans à generato debeat eſſe diſtinctus, & tamen in Deo nihil à Deo diſtinctum aut alienum eſſe poſſit: & quod, quicquid in Deo eſt, ſit Deus, neque plures Dii eſſe poſſint, ideo exiſtimo hoc myſterium optime explicari per relationes internas: ita ut eſſentia Divina communis ſit tribus relationibus; quæ hujusmodi ſunt, ut tres perſonas Patrem, Filium & Spiritum Sanctum conſtituant. At quomodo hoc fiat; & quid illæ relationes propriè ſint, & quomodo perſonam conſtituant, me fugit; ſed id credo, quia Scriptura hoc mihi revelavit. Mihi equidem ſufficit me in mea fide de Sacro-ſancta Trinitate nullam reperire contradictionem; Sacram Scripturam illud myſterium mihi clare revelare; & me aliquem, licet imperfectum conceptum de hoc myſterio formare: ne exiſtimar verba quædam, & vacuum de rebus ſonum fundere, quo nullus ſenſus, aut notio continetur.

Nam nihil me movet, quod poſſet obiici, primò, pugnare cum naturali conceptu perſonæ, illic plures perſonas eſſe, ubi tantum una eſt natura & eſſentia. Deinde eandem eſſentiam, ſubſiſtendi rationibus tantum diſtinctam, perſonam conſtituere. Tertiò, generationi proprie dictæ locum non eſſe, ubi generatum à generante hujusmodi relatione tantum diſtinguitur; & ubi generans non producit ex ſua ſubſtantia & eſſentia, aliam eſſentiam ſibi ſimilem, &c. & quæ ſunt hujusmodi, quæ ab adverſariis contra hoc myſterium in medium proferri ſolent, ut probent S. Trinitatem repugnantiam includere; aut ſaltem voces *generationis*, *Patris*, *Filii*, *Spiritus Sancti*, *perſonarum*, *trium*, *&c.* improprie in Scriptura ſumi, neque formali conceptu congruere cum aliis rebus, quæ communiter iis vocibus ſignificantur. Nam nullus negaverit illic eſſe perſonam, ubi eſt *ſuppoſitum intelligens*: hoc eſt, ubi eſt natura aut eſſentia intelligens ita per ſe ſubſiſtens, ut non referatur ad aliud, tamquam pars, ubi eſt perſona: nam ideo Angelus eſt perſona, mens autem humana non eſt perſona. Ideo arbor eſt ſuppoſitum, ramus arboris non eſt ſuppoſitum. Si itaque Deus Pater, Deus Filius, Deus Spi-

Spiritus Sanctus ſunt eſſentia Divina, ita ſubſiſtendi ratione conſtituta, ut non poſſit ad aliud referri tanquam pars, quæ cum alia re *unum per ſe* conſtituit, rectè illi tres *Perſonæ* vocantur. Quamvis nos fugiat, quomodo hoc fiat: ſufficit nos Scripturâ doceri, tres in una eſſentia Divina perſonas eſſe, & nos mente concipere, hoc in eſſentia Divina eſſe poſſe. Et tam certo ex Scriptura ſcio tres eſſe perſonas, quam certo mihi ratione compertum eſt, Deum intelligere & velle, quamvis modum intellectionis & voluntatis Divinæ non intelligam; quemadmodum non intelligo id, per quod eſſentia Divina tali per ſe exiſtendi ratione, unde perſona conſtituitur, ſit affecta. Idem dico de vocibus & conceptibus *generationis*, *generantis* & *generati*, *Patris* & *Filii*, &c. Nam eſſentia Divina, cujus ultima determinatio, per quam per ſe ita ſubſiſtit, ut inde perſona conſtituatur, eſt eą ſubſiſtendi ratio, quæ per generationem eſt ab alio, eſt *Filius*, & *generatus*: & quæ eam generavit, eſt *Pater* & *generans*. Hæc autem eo modo ſe in Deo habere, ex vocibus *Patris*, *Filii*, *generantis*, & *generati*, &c. cognoſco, quas in ſenſu proprio Scripturam uſurpare nunc præſuppono. Quemadmodum ſtatuo me tales conceptus de Trinitate formaſſe, & me illud myſterium eo uſque intelligere, ut mihi generalis & eſſentialis conceptus *Patris* & *Filii*, *generantis* & *generati*, ut & *generationis* in ſenſu proprio conſtet: quamvis, quantum ad reliqua, ignorem, quid illæ relationes ſint. Dari itaque Trinitatem ex Scriptura diſcimus: ſed quid requiratur ad conceptum generationis, ut & ad conceptum Patris & Filii, id ex ratione habeo. Utrum autem vox *Filii* & *Patris*, ut & vox *generationis* propriè, an impropriè ſumi debeat in locis Scripturę, quę de Deo Patre, & de Deo Filio loquuntur, id ex Scriptura habeo: quia ex ratione aut Philoſophia, mihi Dei natura eo uſque non eſt cognita, ut ex cognitione illius naturæ mihi concludere, atque conficere liceat, in Dei una & ſimplici eſſentia tres debere eſſe perſonas, aut in ea non debere eſſe. Neque etiam modum, quo illæ perſonæ in Deo ſunt, cognoſco; & ideo ad rationem aut Philoſophiam illum exigere non licet. Quæ duo ſunt cauſæ, quare vocum ſignificata, quibus myſterium illud in Sacra Scriptura revelatur, per rationem non eruuntur; & ita ex ratione deſumi non debet, utrum propriè an impropriè voces illæ ſint ſumendæ, aut quam denique ſignificationem habere debeant. Sed ex textus circumſtantiis, quæ propriè illud myſterium docent, diſcimus vocum, quibus myſterium propriè docetur, ſignificationes. Non itaque, quemadmodum ex ratione cognoſcens, ens ſummè perfectum debere eſſe intelligens, ideo rectè conficio, vocis *intelligere*, quando in Scriptura Deo attribuitur, ſignificatum Deo propriè convenire. Ita etiam *ratione* cognoſcens, Deum habere Filium propriè dictum, cognoſco Filii ſignificatum Chriſto propriè convenire. Sed ex locorum circumſtantiis, in quibus Chriſtus Dei Filius vocatur, cognoſcens Filii ſignificatum illic propriè ſumendum eſſe, concludo, Deum habere Filium propriè dictum. Et ita conſtat, quomodo *ratio* aut *Philoſophia* hic nullo modo ſit *principium*, quemadmodum eſt *principium* & *fundamentum* interpretationis locorum Scripturæ, in quibus Deo intellectus attribuitur. Neque quicquam efficeretur, ſi quis urgeret *verborum*, quibus circumſtantiæ loci, in quo Chriſtus Dei Filius vocatur, continentur, ſignificata ratione erui; atque ita ipſius vocis *filii* ſignificatum, ratione niti. Nam primò, quando diſputatur, utrum ratio aut Philoſophia ſit Scripturæ interpres, non diſputatur de ratione, tamquam *principio* & *fundamento* interpretationis *remotiſſimo*, ſed de *proximo*. Deinde rectè aſſeritur interpretationem vocis Filii non pendere à ratione, ſed à Scriptura, quia ſolum ex Scriptura diſcimus, vocem Filii propriè ſumendam; neque illius ſignifica-

tio-

tionem ad rationem exigimus, ſed ad textus circumſtantias.

Ita ex Scriptura ſcio, Spiritum Sanctum eſſe perſonam: ſed cum de ratione, in qua conſiſtit Spiritus Sancti perſonalitas, Scriptura tam pauca loquatur, & ad illam exprimendam vocibus utatur, quæ certam & determinatam rem, in natura notam, qualis eſſe vox *procedere*, non exprimat, credimus quidem Spiritum eſſe perſonam; eamque non eſſe per generationem; eam originem ſuam habere à Patre & Filio: ſed Scriptura nobis cogitandi locum non dat, ad quam rem naturalem ille modus originis referri debeat: & ideo ratio hic minorem præſtat uſum. Sed de his dicta ſufficiant.

Huc uſque locuti ſumus de iis, quæ ſpectant univerſim naturam loquelæ; quæque ſermoni tam à Prophetis prolato, quam qui illi, quem vulgo uſurpat, competunt. Et per occaſionem etiam loquuti ſumus de obſcuritate rerum, quæ intelliguntur, & *ſermone exponuntur*. Nunc ſingulatim (ut totum hoc ſtadium de uſu rationis rectæ in rebus fidei decurram) quædam notabimus, quæ ſermoni ſacro, hoc eſt, Sacræ Scripturæ competunt: ſed tamen ea tantum, quæ hic dicere attinet, compendio & brevitati quantum poſſumus ſtudentes. Et ita confido me nihil reliqui facturum eorum, quæ ad completam tractationem hujus controverſiæ pertinent.

Primò, ſermoni Divino proprium eſt, quod eo nihil falſi proferri poſſit: eſt enim totus divinitus inſpiratus, 2 *Tim.* 3: 16. Ideo nihil docetur in eo, quod repugnantiam includat: quia plura vera diſcrepantia eſſe non poſſunt; nec poteſt res eſſe duplicis naturæ.

Secundò: ille ſermo, qui à Deo proficiſcitur, poteſt nos quædam de alicujus rei natura docere, quæ ratione naturali non continentur, & quæ *ſupra rationem eſſe* in præcedentibus indicavimus: deque iis ſatis amplus fuit habitus ſermo; & ideo ſuperſedebimus iis aliquid addere.

Tertia proprietas Sacræ Scripturæ eſt, quod omnis verus ejus ſenſus, eſt etiam veritas. Quid hiſce intelligam paucis exponam. In prioribus diſtinximus inter ſenſum *litteralem* & *ſenſum verum*: hujus *ſenſus veri*, quando nos eum in Scriptura aſſecutos eſſe præſupponimus, illa eſt proprietas, ut ſemper veritatem contineat. In ſermone profani auctoris primò quæritur, quid verba aut voces ſignificent, deinde quis ſenſus fuerit auctoris. Hiſce duobus compertis & inventis, nondum ideo conſtat de veritate illarum rerum, quas profanus auctor narrat, aut docet ſermone ſuo. At cum Scripturæ verum ſenſum cognoſco, tunc ſimul ſcio rem veram eſſe, quam narrat & docet. Ratio manifeſta eſt: Spiritus Sanctus enim, qui fallere aut falli non poteſt, duxit Scripturæ auctorem in omnem veritatem: & ideo Scriptura nihil præterquam veritatem docet.

Ex adverſo: omnis veritas in Sacra Scriptura eſt verus ſenſus; eſtque etiam illud proprietas Scripturæ Sacræ: ſed quomodo illud ſit intelligendum, accuratè exponendum eſt. Omnis veritas eſt verus Scripturæ ſenſus: primo, quatenus nunquam verus Scripturæ ſenſus eſſe poteſt, qui veritatem non complectitur: ita ut cognita veritas, inter alia argumenta, nos doceat, verba quædam textus non eſſe ſumenda ſecundum litteram; aut hunc aut illum ſenſum Scripturæ non eſſe admittendum, quia repugnat veritati jam cognitæ, ſive per naturam, ſive opera Scripturæ. Eſt enim apud omnes extra controverſiam, Scripturam non poſſe docere pugnantia. Eadem tamen ejuſdem veritatis cognitio non docet, quomodo verba ſumenda ſint; & quis ſit verus ſenſus. Vera cognitio, quâ ſcio nec corpus ſine extenſione, nec in pluribus locis, nec accidens eſſe poſſe ſine ſubjecto, me quidem, præter alia, ex Scriptura deprompta, informant, verba illa, *hoc eſt corpus meum*, non debere

debere ſumi ſecundum litteram: ſed ideo me non docent, quis ſit verus verborum illorum ſenſus. Certa & experimentalis cognitio, quam habeo, quod ſemen in terram ab agricola ſparſum, ſi fructum ferat, non moritur, me informat vocem *mortuum*, 1 Cor. 15: 36. *Deſipiens, quod tu ſeris, non reviviſcit, niſi mortuum fuerit*, non eſſe proprie intelligendam: ſed eadem illa cognitio me non inſtruit, quid illo loco per vocabulum illud *mortuum* ſit intelligendum. Hæc inculco, ut lector intelligat, in eo etiam falli anonymum, qui docet in hiſce etiam Philoſophiam eſſe Scripturæ interpretem: nam quamvis in multis *ratio* nos *doceat*, verba proprie non eſſe ſumenda, non ideo nos ſimul docet, quis illorum verborum ſit ſenſus. Et tali in caſu non probabit auctor anonymus Philoſophiam eſſe normam interpretandæ Scripturæ. Quemadmodum nec in illo caſu, (qui etiam ſuperiori ſimilis eſt) quando diverſis locis eadem narratur Hiſtoria, cujus circumſtantiæ pugnare videntur: pugna quidem ratione, tanquam *principio* judicatur, at ex utro locorum eandem Hiſtoriam narrantium, mutuandum ſit lumen ad alterum explicandum, id non ex ratione, aut Philoſophia, ſed ex Scriptura petendum. Ex. Gr. Mattheus & Marcus narrant ambos latrones de cruce pendentes Chriſto maledixiſſe; Lucas alterum eorum: utrumque verum eſſe non poteſt; idque *ratione* ſcio. At ex circumſtantiis textus *Lucæ* 23. conſtat, verba Matthei & Marci non eſſe abſolute intelligenda, ſine diſtinctione & exceptione: nec ſuſtinendum aut ſuſpendendum judicium, utrum verba & circumſtantiæ textus *Lucæ* 23. admittant aliquam exceptionem, ut etiam alter latro Chriſto à principio ad finem paſſionis, maledixiſſe putandus ſit: non inquam judicium ſuſpendendum in re, de qua jam eſt habitus ſermo, quia circumſtantiæ textus *Lucæ* 23. tales ſunt, ut dubitationi locum non ſupereſſe ſinant. Totum hoc judicium, totaque iſtorum locorum interpretatio non niſi Scriptura tamquam *principio* nititur. Eſt etiam ex hoc allato exemplo manifeſtum, quantopere erret auctor anonymus, quando negat Scripturam ſui eſſe interpretem, hoc eſt, *unum locum ab alio lumen mutuari*. Nam auctorem ſacrum in auctorem ſacrum jus habere, aut unum locum eſſe altero auctoritate potiorem, nemini orthodoxorum unquam in mentem venit; & ideo hoc facile auctori anonymo concedimus: ſed ad rem. Hæc itaque proprietas non convenit profanis auctoribus, quia ſenſus verus verborum auctorum iſtorum ſæpe aliquod falſum continet, & ideo in interpretatione profanorum auctorum non licet hac via inſiſtere: hic verborum illorum ſenſus continet rem falſam, ergo ille ſenſus auctoris non eſt verus ſenſus.

Eſt etiam omnis veritas verus Scripturæ ſenſus, quia omnis & quilibet ſenſus verus, qui ex verbis Scripturæ legitimè elicitur, eſt verus ſenſus auctoris; ita ut liceat ſic argumentari contra adverſarium: ſi mihi concedas hunc ſenſum ex Scriptura legitimè & recte elici, tunc etiam ille ſenſus eſt verus auctoris ſenſus. Hanc doctrinam alii ita exprimunt: *verba Scripturæ actu ſignificant, quantum poſſunt ſignificare.* Hoc eſt, quicquid recte atque legitimè, obſervatis omnibus cautionibus & regulis, quas obſervare oportet in interpretatione Scripturæ, ex verbis Scripturæ elicitur, id eſt *verum*, & ſimul *verus auctoris ſenſus*. Reperiuntur multi, etiam inter doctos, viri eruditi, qui hanc Sacræ Scripturæ proprietatem non admittunt: ſed forte terminorum novitas illos percellit: videtur enim inter orthodoxos rei controverſiam eſſe non poſſe, ſed verborum tantum. Si enim concedatur ſenſum aliquem rectè ex verbis ſacri textus aut libri, elicitum eſſe, quo pacto neget quis, illum ſenſum non eſſe verum auctoris ſacri ſenſum? Quod documentum ſupereſt, quo evincat aliquis, ſe verum auctoris ſenſum aſſecutum eſſe, ſi non ſufficiat alteri

probaſſe, ſenſum quem urget, in textu reperiri? Eſtne præterea aliud aliquod κριτήριον, & regula, ad quam vera Scripturæ interpretatio ſit exigenda? Non arbitror. Et quibus argumentis probabit adverſarius unum tantum ſenſum, & quidem illum pro quo laborat, admittendum eſſe; ſi aſſentiatur etiam alium ſenſum eorundem verborum eſſe poſſe. Nam ſi eſſe poteſt, & ſi verba textus adhuc plura *ſignificare poſſunt reipſa, propter eandem rationem etiam plura ſignificant*, pluresque continent ſenſus, quam unum ſenſum: in hoc enim caſu poſſe ſignificare, & reipſa ſignificare unum & idem eſt. Neque ulla poterit produci ratio, quare unus ſenſus alteri ſit præferendus: & ſi unus ſenſus alteri præferri non poteſt, & unus, ex adverſariorum conceſſione, eſt ſenſus verus & bonus, tunc pari jure etiam alter ſenſus verus & bonus æſtimandus eſt. Et verba Scripturæ utrumque illum ſenſum, aut nullum ſenſum continent: quia nihil certi ſignificabunt. Hærebimus enim ſemper, utrum ſenſum verbis Scripturæ Spiritus Sanctus exprimere intenderit. Non potuit etiam Spiritum Sanctum fugere, verba & voces certo loco & modo poſitas, duplicem exprimere ſenſum: aut ergo intendit duplicem illum ſenſum illis verbis & vocibus ſuggerere atque inſinuare; aut dicendum, quod abſit, Spiritum Sanctum nos verbis & vocibus illis, voluiſſe inducere in errorem inevitabilem, & ſimul non egiſſe candidè cum hominibus, cum præ ſe ferat aliquid certi homines vocabulis Scripturæ docere velle, & interea ludere in ambiguo. Rem exemplo uno aut altero illuſtrabo: 2 *Cor.* 5:14. dicit Apoſtolus *Charitas Chriſti nos conſtringit, ut qui hoc ſtatuerimus, ſi unus pro omnibus mortuus ſit, nempe illos omnes fuiſſe mortuos, &c.* Textus circumſtantiæ, & fidei analogia permittit, ut per *charitatem Chriſti* tam intelligamus charitatem Chriſti, qua Chriſtus nos diligit, quam qua nos Chriſtum diligimus; quidni igitur conficere licet; voluit itaque Spiritus Sanctus utrumque docere. *Joh.* 1:9. *Hic erat lux illa vera illuminans omnem hominem, qui venit in mundum:* græca ſi legas, tam verba quam fidei analogia permittunt utrumque hunc ſenſum; lux vera veniens in mundum, illuminat omnem hominem, & lux vera illuminat omnem hominem venientem in mundum. Sic verba *juſtus ex fide vivet*, *Habac.* 2. *Rom.* 1. *Gal.* 3. ſenſum hunc admittunt: juſtus ex fide vivet, vel juſtus vivet ex fide, ergo utrumque ſignificant: plura non addam. Intelligit autem quilibet, hæc, quæ modo in medium protulimus, eſſe Sacræ Scripturæ prærogativam atque eminentiam. Idem enim non obtinet in interpretatione profani auctoris. Poteſt enim profanus auctor in eo falli, quod cum putet ſe ſermone uti, qui unum tantum ſenſum exprimat, duos aut plures tamen contineant: ita ut non recte procedat ratio; hæc verba duplicem continent ſenſum, ergo uterque ſenſus eſt auctoris ſenſus.

Eſt præterea ſingularis Sacræ Scripturæ proprietas, quod pugnantia docere non poteſt: doceret enim falſum, ſi talia doceret; eorum enim ſemper unum verum eſt, alterum falſum. Duplici autem via, hominum reſpectu, pugnantia docentur: quia res, quæ nobis ſermone narrantur, aut manifeſtantur, ſunt duorum generum: ſunt enim vel res, quæ rationem tranſcendunt, & ſupra eam ſunt; vel tales, quarum judicium eſt ex principiis naturæ. Quid hîce intelligimus, ſupra expoſuimus. Cum ea narrantur, quæ ſupra rationem ſunt, quæque talia eſſe agnoſcimus, tunc naturalis noſtra de re cognitio non eſt norma, ad quam ſermo ſit examinandus: præſupponimus enim rem, quæ docetur, eſſe ſupra rationem; & ideo in expoſitione talis ſermonis, ratio, quia ſignificat aliquam cognitionem naturalem, non habet hic locum *argumenti* aut *medii*, quo ſenſus ſermonis, de rebus ſupra rationem eruitur, aut probetur: ſed contradictio tantum cognoſcitur ex repugnantia rerum, qua-

rum cognitionem tantum revelatione adepti ſumus. At cum narrantur aut docentur, quæ rationem non tranſcendunt, tunc contradictio cognoſci poteſt ex principiis naturalis cognitionis: & ex iiſdem principiis cognoſcimus, utrum contradictoriorum aut repugnantium ſit verum, & utrum naturæ rei conveniat. Et tunc in interpretatione verborum, quibus tales res docentur, ratio ſuum præſtat uſum. Quamvis reipſa duo contradictoria propter *eandem* rationem, tam in rebus, quæ rationem tranſcendunt, quam quæ naturæ ambitu continentur, ſimul eidem rei convenire non poſſint; & ideo ex ratione naturali ſtatuimus, duo pugnantia non poſſe ſimul eſſe vera: ſed utrum aliquid in rebus ſupra rationem, cum natura earum rerum pugnet, id ex Scriptura petendum. At in rebus, quæ rationem non tranſcendunt, id ex principiis cognitionis naturalis petitur. Scriptori autem profano per ignorantiam, ſupinitatem, malitiam, &c. accidere poteſt, quod in ſermone & in re, ſe in contradictionem induat; quorum neutrum in Divinum Scriptorem poteſt cadere.

Eſt etiam hæc Sacræ Scripturæ ſpecialis prærogativa, quod illius auctor ſemper finem, quem intendit ſcribendo, aſſequatur. De omni fine, quem Spiritus Sanctus potuit per Scripturam intendiſſe, jam non loquar; quia id in præſenti fruſtra eſſet, nihilque ad rem pertineret: ſed dicimus, ſi Spiritus Sanctus ſibi propoſuerit per Scripturam homines erudire ad ſalutem; volueritque ut ſeculis illis, in quibus defecerunt viri Θεόπνευστοι, illa Scriptura eſſet unica regula credendorum, tunc procul dubio omnia creditu neceſſaria ad ſalutem, Scripturâ continentur. Ratio manifeſta eſt: quia cum Spiritus Sanctus falli non potuerit; & ſimul ſciverit, quæ illa ſint, quæ creditu neceſſaria ſunt, ſequitur evidenter etiam omnia in Scriptura eſſe tradita, quæ ad ſalutem creditu neceſſaria ſunt. Propter eandem rationem ſtatuendum, Scripturam eſſe perſpicuam per ſe; ita ut omnes, qui ſerio ejus lectioni incumbunt, per eam poſſint fieri ſapientes ad ſalutem; neque opus habeant niti alia authoritate in eruendo Scripturæ ſenſu, quam eâ, quam ipſi in Scriptura vident atque reperiunt, quæ eſt ſenſus textuum Scripturæ perſpicuitas. Et eſt omnino alienum, quod docet anonymus, Scripturam ideo per ſe nec perſpicuam, nec ſui interpretem eſſe, quia Scriptura, ut intelligatur, multa in homine prærequirit, à quorum intelligentia pendet ſenſus & interpretatio Scripturæ. Nullus enim Theologorum reformatorum hoc eſt negaturus: ſed noſtri urgent contra Pontificios, omnes & ſingulos homines, ſatis præſidii in Scriptura reperire, modo piè in ejus lectione & meditatione verſentur, quo ſibi comparent eam myſteriorum fidei cognitionem, qua ſalvi fiant. Eſt itaque etiam Scriptura *unica regula* credendorum, debetque ex Scriptura peti quid credendum ſit; & ideo ſequitur omnem doctrinam de fide debere ex ea probari, & oſtendi illum in Scriptura doceri: ita ut nullum aliud *principium* fidei extra Scripturam aſſumendum ſit, non Papa, Synodus aut Patres: non nova revelatio, aut Spiritus communicatio. Eſtque in rebus fidei Scriptura ſui interpres. Nam ſi nullum datur principium, aut norma, ad quam res credenda exigi debeat, quam ad Scripturam, non poteſt aliunde peti teſtimonium de aliqua doctrina fidei, quæ in Scriptura contineri traditur, quam ex Scriptura. Et in illo ſenſu veriſſima eſt Doctrina Theologorum noſtrorum, Scripturam eſſe *ſui interpretem*. Et tenentur illam doctrinam tueri contra Pontificios & Euthuſiaſtas. Longè autem hæc differunt: Scripturam ſui interpretem eſſe, quia ſcilicet, doctrina fidei, quæ Scriptura contineri præſupponitur, debet ad Scripturam examinari; ita ut ipſa Scriptura, ſi de ea doctrina controverſia moveatur, debeat eſſe interpres illius doctrinæ: hæc enim ſententia ex ſe manifeſta eſt. Nam ſi res fidei, proprie ſic

ſic dicta, tantum per revelationem nobis manifeſta ſit, neque detur ulla alia revelatio, quam quæ Scriptura continetur, ſequitur doctrinam fidei, quæ ex Sacra Scriptura hauſta eſſe præſupponitur, ſi examinari debeat utrum vera ſit, nec ne, ad doctrinam revelatione manifeſtatam examinari deberi. Et ita veriſſimum eſt Scripturam eſſe ſui interpretem.

Sed ut diximus, hæc ſententia longè differt ab ea, qua docetur, verba & voces Scripturę interpretanda eſſe ex vocibus & per voces Scripturæ. Nam quamvis hoc in multis uſu veniat, in plurimis tamen non obtinet. Quando autem, ubi, & quibus in locis vox Scripturæ per Scripturæ voces interpretanda ſit, quando ſecus, de his nulla certa regula tradi poteſt, ſed ex lectione & meditatione Scripturæ id manifeſtum fit. Quid *fides*, quid *electio*, quid *juſtificatio per fidem*, quid *juſtificatio per opera*, quid *mereri*, *&c.* in Sacra Scriptura ſignificet, id ex Sacra Scriptura diſcimus, conferentes loca cum locis, voces cum vocibus, ut ita conſequamur cognitionem ſenſus Spiritus Sancti, quem lectoribus vocibus illis inſinuare voluit, atque docere. Et fit hoc, quoties legendo addiſcimus Spiritum Sanctum in uſurpandis illis vocibus à communi illarum vocum uſu deflectere. Et quoniam Spiritus nullibi declarat quando,& quibus in caſibus generatim hoc facere velit, nulla etiam generalis regula tradi poteſt, quando & quibus in rebus id faciat; ſed ipſa lectione id addiſcimus.

Neque vocis propria aut impropria uſurpatio, aut ſignificatio ſemper, aut ex linguæ natura, aut ex rei, de qua ſermo eſt, proprietate, quæ nobis naturaliter cognita eſt, dignoſcitur, ſed ſæpè tantum ex ipſius autoris loquendi modo conſtat, quid vox in ſuo ſcripto ſignificat: ſolent enim omnis generis ſcriptores ſuis propriis in tradendis diſciplinis vocabulis uti. Ita *genus*, *ſpecies*, *accidens*, *ſubſtantia*, *perſona*, *&c.* aliud quid ſignificant apud logicos, quam apud oratores. Ita Spiritus Sanctus non deſcivit ab hac doctorum conſuetudine; multiſque utitur vocabulis ſignificatione ſingulari, & Spiritu Sancto auctore introducta, cujus rei documentum dedimus in vocibus ſupra citatis. Eſtque illud in Scriptura eo frequentius, quo res ſublimiores à vulgi cogitatis remotiores tradit. Cum enim res novæ traduntur, tunc aut nova excogitanda ſunt vocabula, aut antiquis vocabulis novæ ſignificationes imponendæ. Sed è diverticulo in viam. Sic ex natura rei, ut & ex Scripturæ, & omnium ferme gentium loquendi modo, intelligo has voces, *hoc eſt corpus meum* non eſſe proprie ſumendas. At in expoſitione verborum, *Joh.* 12:24. *Amen Amen dico vobis, niſi granum frumenti ceciderit in terram, & mortuum fuerit, ipſum ſolum manet, ſi vero mortuum fuerit, multum fructum adfert*, tantum valet argumentum à natura rei deſumptum, ut nullæ circumſtantiæ hujus textus, neque collatio aliorum locorum Scripturæ illam uſurpationem doceant; ſed omnes alii textus cum omnibus ſuis circumſtantiis videntur docere granum propriè mori. Et hæc unica Scripturæ circumſtantia, quod ſcilicet rationi, uſu comparatæ, repugnet, granum, ſi fructum ferat, proprie mori, nos docet verba loco citato proprie ſumenda non eſſe. Sed de hac re alibi.

Sed contra, non ex natura rei, non ex vocis propria ſignificatione, & quam ex primo inſtituto habet, ſed ex uſu Sacræ Scripturæ ſingulari, quique tantum ex Sacra Scriptura, ejusque ſtylo & charactere cognoſcitur, ſcimus vocis fidei, v. gr. eam ſignificationem eſſe, quam orthodoxi urgent. Ita ut etiam ex ſupra traditis liqueat, veriſſimum eſſe in multis ſaltem textibus, Scripturam ſcilicet per Scripturam interpretandam eſſe. Quando nempè vocum ſignificatio ex ipſis Bibliis, non aliunde petenda eſt. Et ita ſe prodit abſurditas ſententiæ auctoris anonymi, qui negat abſolutè Scripturam eſſe ſui interpre-

pretem, cum luce clarius ſit Scripturam in hujuſmodi vocum expoſitione, ſui eſſe interpretem.

Sed quemadmodum id verum eſt in multis, non tamen id obtinet ſemper, & ferme nunquam, quando Sacra Scriptura agit de rebus, quas vulgo notas eſſe præſupponit; quæque obviæ & in promptu ſunt. Sic non ex Bibliis diſco, quid in genere ſignificent voces *mentiri*, *peccare*, *indecore agere*, *ſcortari*, *vivere*, *ambulare*; *ſtare*, *ſedere*, quid *ſit decenter*, *& ordine aliquid fieri*, quid *blaſphemari*, quid *furari*, quid *punire*, quid *culpam condonare*, quid *promiſſa præſtare*, quid *bellum*, quid *pax*, quid *idololatria*, quid *æquum*, quid *juſtum*, quid *honeſtum*, quid *inhoneſtum*, *&c.* ſexcenta hujuſmodi proferre liceret, quæ non tantum res naturales, & cultum *naturalem* ſpectant; ſed quæ etiam ad cultum *inſtitutum* pertinent: iſtarum enim vocum ſignificationes Scriptura præſupponit; ſicut & cognitionem iſtarum rerum, quæ vocibus illis ſignificantur. Et quemadmodum vocum iſtarum, ſicut & rerum, quæ iis vocibus ſignificantur, cognitionem præſupponit Scriptura: ita quoties de iis rebus Scriptura loquitur, toties de illis judicandum eſt ſecundum cognitionem illam, quam Scriptura præſupponit eſſe in hominibus, quos alloquitur.

Rem exemplo uno aut altero in aperto ponam. Scriptura dicit non *furaberis*; dicimus iſtius vocis *furaberis* ſignificationem non eſſe petendam ex Scriptura, & ita ſtatuimus in talibus Scripturam per Scripturam non eſſe interpretandam: ſed Scripturam illius vocis ſignificationem præſupponere, ſicut præſupponit cognitionem rei per illam vocem ſignificatæ; & illam rem propterea ratione, hoc eſt, Philoſophiâ cognitam habemus, aut ſaltem ex ea petenda eſt ejus rei cognitio. Et quicquid præterea de *furto* docetur in Scriptura, id exigendum ad illam cognitionem naturalem, ſive Philoſophicam: & id omne furtum eſt, quod cum formali conceptu furti, *ratione* cogniti, quadret; illud impropriè furtum vocatur, quicquid ab eo conceptu diſſentaneum eſt. Ita Scriptura præſupponit, quid vox *peccare* ſignificet: quicquid porro cum hoc conceptu peccati, quem Scriptura præſupponit, non convenit, illud non eſt propriè *peccatum* dicendum: & ſi vox *peccare* & *peccatum* à Spiritu Sancto uſurpetur, ejus ſignificatio, (ponimus jam ejus vocis uſum & ſignificationem Scripturæ non eſſe peculiarem, quemadmodum, ex gr. eſt vox *fidei*) non ex Scriptura hauritur, ſed ex ratione. Cum itaque dicitur, *nos omnes in Adamo peccaſſe*; *concupiſcentiam eſſe peccatum*: tunc nobis non conſtat ex Scriptura, an aliquis, qui nondum eſt, aut non exiſtit, peccare propriè poſſit, ſed id judicandum ex naturali cognitione peccati, & videndum utrum ratio, & conceptus peccati cadat in eum, qui nondum exiſtit; & ex illo conceptu judicandum, an vox *peccare* in exemplo producto propriè, an impropriè uſurpetur.

Neque procedit argumentatio: Scriptura dicit, *poſteros Adami peccaſſe in Adamo*, & *concupiſcentiam eſſe peccatum*: vel in illis Scripturæ locis occurrit vox *peccare* & *peccatum*, ergo poſteri Adami propriè in Adamo peccarunt, & concupiſcentia eſt peccatum. Sed examinandum an rei, de qua prædicatur vox *peccare* & *peccatum*, peccatum propriè dictum quadrare poſſit. Ita ut Theologi admodum fallantur, & nimium ſibi aſſumant, cum hujuſmodi controverſias ad ſuum forum pertinere putent. Quicquid enim Scriptura præſupponit, ſive id ſpectet vocis ſignificationem, ſive naturæ rei cognitionem, id pertinet ad Philoſophos: hoc eſt, ad eos, qui *ratione* utuntur tamquam *principio*; eſtque in iis ratio *norma interpretationis Scripturæ*. Et reſpectu talium rerum, quarum naturæ & vocabulorum, quibus denotantur, cognitionem Scriptura præſupponit, Philoſophia tantum, talemque uſum præſtat ad aſſequendum,

quid Spiritus Sanctus loquatur, & doceat in Scriptura, ut quo quis magis artibus & diſciplinis, ratione & uſu repertis, inſtructior accedat ad Scripturæ lectionem, eo paratior eſt ad capiendos maximos fructus ex illius lectione: & fruſtra ſe fatigabit, multuſque ſine fructu erit in legendo ſacrorum Bibliorum textu, ſi intento ſtudio & meditatione non laboret acquirere cognitionem earum, quas Scriptura præſupponit. Multoque is felicior erit in Scripturæ interpretatione, compendioſioremque inibit rationem difficiles textus interpretandi, quam is, qui deſtitutus talium artium & diſciplinarum idonea cognitione, omnia ex Scripturæ revelatione eruere nititur: cum tamen Scriptura eorum cognitionem, aut omninò non tradit, ſed eam præſupponit, aut tantum per occaſionem & obſcure tradit, & quidem ſæpe eorum tantum partem, præſupponens alia homini nota eſſe debere.

Ita Scriptura non eſt magnopere occupata in explicando quid ſit *furtum*, quid *odium*, quid *vindicta publica*, & *privata*. Qui itaque intelligit, quid ſit *furtum*, facile cognoſcet verba Apoſtoli, 2 *Cor.* 11:8. *Alias Eccleſias ſpoliavi accepto ab iis ſtipendio*, &c. non in ſenſu proprio eſſe ſumenda. Et qui recte intelligit Sanctitatem & juſtitiam Dei, felicius verſabitur in interpretatione locorum Scripturæ, quæ Deo adſcribunt operationes circa peccata hominum, quibus videtur, ſi verbis inhærendum ſit, aliquo modo pro auctore peccati habendus. Qui naturam *odii* & *vindictæ* recte intelligit, multo paratior accedet ad interpretationem verborum *Matthei.* 5. *Ego vero dico vobis, ne reſiſtite improbo, ſed qui cædet te in dextram tuam maxillam, obverte ei & alteram*, faciliuſque expediet nodum, quomodo illæc non pugnent cum verbis *Rom.* 13:4. *Magiſtratus Dei miniſter eſt, vindex ad iram ei, qui quod malum eſt fecerit.* Poſſem hujuſmodi exempla & loca plurima proferre: imo talia, quæ tractant res momentoſas, & forte neceſſarias ad ſalutem, & tamen obſcuriſſimæ ſunt in Scriptura, & ex Scriptura lumen accipere non poſſunt, quia ad eorum intelligentiam prius deſideratur *cognitio naturalis*, quamque Scriptura præſupponit: quorum intelligentiam itaque fruſtra ex Scriptura requiras. Et cum veriſſima ſit illa doctrina, quæ tuetur ea, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, clarè tradi in Scriptura, non tamen ideo negat probum & idoneum Scripturæ lectorem non debere eſſe imbutum multarum rerum cognitione, quam Scriptura prius requirit; & cujus cognitionis vacuitas ei plurima Scripturæ loca intellectu difficilia & obſcura reddit.

Quod autem Scriptura innuit homines rerum intelligentes, & multarum rerum ſcientia imbutos, minus ad capiendam cœleſtem doctrinam aptos eſſe, 1 *Cor.* 1: 19. *Scriptum eſt enim, abolebo ſapientiam ſapientum, & intelligentiam intelligentium tollam è medio*: & *verſ.* 26. *Cernitis enim vocationem veſtram fratres, vos videlicet non eſſe multos ſapientes ſecundum carnem*, &c. Id tantum intelligendum de præjudiciis, non de vera cognitione. Scientia inflat, & niſi Spiritu Dei ſanctificetur in hominibus, hominem devium agit, multumque ſui amantem, & perſuaſione vanæ ſcientiæ tumidum, qui etiam ex ſapientia humana, ſed falſo ita nominata, non tantum conjecturam facere volunt, ſed etiam ſtatuunt, quid Deo conveniat agere in gubernatione mundi, & diſpenſatione noſtræ ſalutis: idque in rebus, quæ à Dei beneplacito pendent. Et ita multa pro ſua ſapientia præoccupant definire, quam rationem deceat Deum inire in gubernatione mundi, & ſalutis diſpenſatione. Præterquam quod non tantum homines profanâ ſapientiâ imbuti, proni ſint ad indulgendum ſuis præjudiciis, multumque tribuere ſoleant ſuæ induſtriæ; ſed illud vitium commune eſt omni hominum generi, & omni ſectæ. Et ejus rei nobis

nobis luculentum exemplum præbet ſententiarum diſcrepantia ſuper capitibus religionis. Mordicus ſinguli ſuam tueatur ſententiam; & non tantum ſtudioſe, ſed & pugnaciter pro ea contendunt; nec niſi rariſſime ſeſe ab ea depelli ſinunt. Et hiſtoria Sacra nos docet, quantopere Judæi indulſerint ſuis præjudiciis, quapropter religionem Chriſtianam pauciſſimi ſunt amplexi. Neque illi Judæi iſtæc præjudicia hauſerant ex Philoſophia, & ſapientia humana, ſed ex ſua religione male relata in uſum, quaque abutebantur, nimis cum eſſent inflati opinione ſanctitatis & ſplendoris gentis ſuæ. Et nihil illis obfuit magis, quam quod detorquentes in pravum facultatem cognoſcendi per Scripturam verum Deum, & illius legitimum cultum, in ea exſultarunt nimis, & per præjudicia, quibus detinebantur per ſuperbiam, Scripturam male ſunt interpretati; ſuamque interpretationem adhuc pejus defenderunt. Nec ullum genus hominum iſti vitio propius eſſe, magiſque obnoxium puto iis, qui in ſublimioribus ſcientiis verſantur, & in iis, docendi munus ſibi ſpeciali prærogativa demandatum eſſe ſe jactitant. Quamvis nec vitæ ſanctitate præcellant aliis, nec multum temporis, aut induſtriæ poſuerint in illis myſteriis addiſcendis, neque ingenio aliis feliciores ſint. Et præſertim tunc iis præjudiciorum cumulus accedit, & quem nunquam poſſunt abjicere, quando ponunt multa credenda, quorum ſe nullam rationem, aliis intelligibilem, dare poſſe profitentur, & ſe teneri ad eam proferendam, negant: quia ratio, quæ illos in illam fidem adduxit, à nullo capi poteſt, niſi ab eo, qui eundem ſecum ſpiritum habet; & qui pauciſſimis communicatur. In hujuſmodi hominibus tota fides, & ſcientia Theologica eſt tantum merum præjudicium. Sed de his pluſquam ſatis.

Neque etiam arbitror ſequentium argumentorum, quæ vulgo proferuntur contra ſententiam eorum, qui ſtatuunt rationem rectam in multis rebus fidei, *principii* vicem præſtare, ullum eſſe momentum. Summa argumentorum doctorum illorum huc redit. *Eſt rationis, nulla reddita ratione, Deo credere. Sufficit nobis Deum mentiri non poſſe, quando dicit & docet aliquid. Si rationis pondus æſtimandum in rebus, quæ per revelationem cognoſcuntur, abrogatur Deo authoritas & magiſterium, nec obtinet illud, ſic dixit Dominus. Scriptura teſtatur Deum ſua myſteria abſcondidiſſe à ſapientibus, Matth. 11. Nos credere non poſſe, niſi ſimiles ſimus facti infantibus, Matth. 18. Non poſſumus à tenebris liberari, niſi is nos illuminet, qui illuminat omnem hominem venientem in mundum. Quomodo tenebræ judicabunt de luce? Quomodo ſapientiam Dei juſtificabit homo? Quæ Deus verbo ſuo revelat, ſunt quæ oculus non vidit, 2 Cor. 2. Eccleſia ratione utens, non poteſt eſſe columna veritatis: quia ratio humana tenebricoſa eſt, & erroris infirmitati obnoxia. Debemus renovari mente per Spiritum Sanctum, Rom. 12:2. Quo pacto itaque ratio naturalis judicabit de rebus fidei? Cogitationes Dei non ſunt noſtræ cogitationes. Euangelium Græcis ſtultitia, Judæis ſcandalum.*

Exiſtimamus, inquam, his argumentis non recte oppugnari ſententiam eorum, qui docent, non quamlibet rationem, qualis illa, quæ ſpecie & ſimulatione veræ rationis fallit, ſed rationem *rectam*, eſſe *principium* fidei in multis rebus, quæ creduntur: ut & fundamentum ac normam *multarum interpretationum locorum Scripturæ; non autem dico normam* veritatis Divinæ, quod illi, contra quos quorundam Theologorum ſtudium tantopere exarſit, nuſquam docent, ſed regulam interpretationis verborum, quorum ſenſus, recte comprehenſus, eſt *veritas Divina*: cui omnis hominis ratiocinatio cedere debet. Illa recta ratio non ſunt tenebræ, & præjudiciis nullum locum reliquum facit; redditque nos infantibus ſimiles, quatenus omnem ſuperbiam, omniaque præjudicia delet, hominiſque pectus imbuit reverentia

Divi-

Divini Numinis in Scriptura loquentis. Neque Eccleſia eſt columna veritatis, niſi quatenus verum verborum Scripturæ ſenſum in rebus ad ſalutem neceſſariis, eſt aſſecuta; at in ſuperioribus ſatis probatum puto, rationem in eruendo vero Scripturæ ſenſu, ſæpe *principii* dignitatem ſuſtinere. Plura non addam, quia ab iis, quæ ſupra tradita ſunt, ſolutio argumentorum facile peti poteſt.

Sed contra ea, quæ docuimus de illis, quæ Scriptura præſupponit, & quæ ideo ratione judicantur, objectio, vel potius difficultas moveri poſſet, quæ propter ſuum pondus tacita prætereunda non eſt. Nempe, unde mihi conſtabit, quod Scriptura aliquid præſupponat, & quibus in rebus id locum habet, & quouſque id extendendum? Habetque hæc quæſtio ſummam cognationem cum ea, quâ quæritur, quouſque ſtandum ſit judicio & cognitione, quam per Philoſophiam, ſive per rationem, & experientiam de rebus habemus: ſuntque duæ illæ quæſtiones adeò conjunctæ, ut ſeorſim ventilari non poſſint. Exempli gratia, ſi quæratur utrum Spiritus Sanctus, cum de filio loquitur, præſupponat cognitionem ejus, in quo formalis ratio filii conſiſtit. Et utrum ex Scriptura non debeamus, & poſſimus aliquid diſcere de filii ratione formali, & de ejus natura, quam ex natura habere non potuimus? Quivis intelligit illam quæſtionem etiam complecti hanc, nempe, quouſque ſeſe extendat authoritas rationis in Scripturæ interpretatione, & in examinanda doctrina aliqua, quæ in Scriptura doceri ab aliis traditur?

Et ut ſtatus controverſiæ de hoc uſu rationis tamquam *principii* in rebus fidei, rectius intelligatur, diſtinguendum inter eos, qui jam profitentur & credunt hoc vel illud in Scripturâ doceri, nec amplius de interpretatione loci, quo illud continetur, laborant: ſed de vera interpretatione perſuaſi, ſtatuunt conſequenter eam interpretationem eſſe divinam; quo præſuppoſito, omnes, ſi Anonymum exceperis, ſtatuunt unanimi conſenſu, rationem illi doctrinæ non eſſe opponendam: quia tunc authoritas humana opponeretur divinæ, vel una authoritas divina alteri. Vera enim ratio tam eſt divina, quam verus Scripturæ ſenſus divinus eſt. Non recte itaque ſtatuit Anonymus *cap.* 11. *pag.* 76. ſui libri: ſi Scriptura *clare & perſpicue aliquid exprimeret*, idque rationi adverſaretur, tunc adhuc illud, quod clare & perſpicue doceri præſupponitur, rationis examini ſubjiciendum eſſe. Quod ſi auctor per verba *clarè & perſpicue exprimi*, intelligat tantum clarum & perſpicuum *litteralem* ſenſum, non autem ſenſum *verum*, ſed præſupponit de illo vero ſenſu adhuc laborari, tunc congruentia loquitur. Sed dubito an verba citato loco talem ſenſum poſſint admittere, quia eſt illi ſermo de tali perſpicua & clara loquutione Scripturæ, qua *dogmatizat*, hoc eſt, qua Spiritus Sanctus per ſigna inter homines uſitata, profitetur ſe naturam rei docere, non per occaſionem tantum de ea loqui. At Scriptura ſenſu litterali, ut à vero diſtinguitur, nunquam *dogmatizat*. Sed ad rem.

Qui autem inquirunt, an hæc aut illa doctrina tradatur in Scriptura; & in inveſtiganda vera interpretatione adhuc ſunt occupati, eorum reſpectu rectè quæritur, quouſque naturalis cognitio, quam de aliqua re ſibi perſuadent habere, ſe extendat in interpretatione verborum textus alicujus: quandoquidem contradictio, quæ ex ratione cognoſcitur, eſt una ex circumſtantiis ſive regulis, ad quas attendendum eſt in interpretatione Scripturæ: eſtque illa contradictio ratione inveſtigata, præcipua regula & circumſtantia, ad quam in interpretatione Scripturæ, & in inveſtigando vero illius ſenſu attendendum eſt. Ut ſi verba Scripturæ in aliquo ſenſu ſumpta, pugnantia cum vera ratione doceant, ille ſenſus verus eſſe non poſſit; & ſi dubitetur, utrum ille ſenſus contradictionem,

à recta ratione petitam, implicet, tunc ſuſpendendum ſit judicium. Quia ſi contradictio ſola prohibet illum ſenſum verbis Scripturæ tribuere, in quo contradictio ſe prodit, pariter *dubitatio* utrum implicet, jubet de illo ſenſu Scripturæ dubitare. Sed rem ipſam aggrediamur.

Quæritur, v. gr. cum Scriptura loquitur variis in locis, variiſque in circumſtantiis de *filio*, & conſtat vocem *filii*, non uſurpari in ſignificatione nova, & Theologicæ diſciplinæ propria; & ſimul præſupponitur, Scripturam nos non docere, quid ſit *filius*, aut quid voce *filii* intelligi velit, ſed quod & vocis, & rei cognitionem in lectore Scripturæ præſupponat, quæritur inquam, quouſque illa naturalis cognitio extendenda ſit in Scripturæ interpretatione. Reſpondemus primo, tunc à Spiritu Sancto præſupponi vocis & rei cognitionem, quando ex ipſa lectione Bibliorum ſacrorum conſtat, voci non novam & propriam ſignificationem ſubjici ab autore ſcripti Divini. Secundo, reſpondemus, diſtinguendum eſſe inter res, quarum ſimplex eſt natura, & inter eas, quarum natura compoſita eſt: quid hiſce intelligam ſupra expoſitum eſt. Tertio, diſtinguendum inter res, quæ mutuantur ſuam naturam à rebus omni modo immutabilibus, & inter eas, quarum natura pendet à circumſtantiis, quas quidem nullus homo, aut nulla creatura poteſt tollere, ſed quæ à Deo aliqua circumſtantia nudari poſſunt, qua ſublata, rei natura mutatur. Ut verbis & orationi parcam, exemplis rem in aperto ponam. *Generare*, *generari*, eſſe *filium*, eſſe *patrem*, eſſe *ſubſtantiam*, eſſe *accidens*, eſſe *ſuppoſitum*, eſſe *perſonam unam*, aut *duas*, *&c.* id pendet à circumſtantiis immutabilibus: quia unum non poteſt eſſe duo, nec duo unum, nec accidens poteſt eſſe ſubſtantia, nec ſubſtantia accidens; neque una eademque res poteſt propter varias circumſtantias nunc ſubſtantia eſſe, nunc accidens. Nec poteſt una eademque actio nunc eſſe generatio, nunc non, &c. Sic etiam *furari*, *adulterari*, *mentiri*, *ſcortari*, *indecore*, *impudice agere* ſemper malum eſt, eſtque earum natura omnino immutabilis. At fratris defuncti uxorem ducere non eſt ſemper agere contra *pudicitiam*. Sic eum lædere, quem hoſpitio exceperis, & quocum jura amicitiæ inieris, non eſt ſemper mentiri, fallere, aut aliquod nefas committere. Ita alicui male precari, non eſt ſemper peccatum contra charitatem. Pariter ad primam uxorem alteram, etiam tertiam adjungere, non eſt ſemper adulterari. Conſueſcere cum muliere, quam non duxeris in uxorem, non ſemper eſt ſcortatio: quia ſtatuo Deum ab illis actionibus formalem rationem tollere poſſe, quam tollendi nullus quidem hominum aut creaturarum poteſtatem habet.

Sub V. T. ſine impudicitiæ & inceſtus nota, virum duxiſſe defuncti fratris viduam, probatur manifeſtis textibus, de quibus nullus dubitet, utrum verba legis Divinæ impropriè intelligenda ſint. Imo ex nullis textibus liquet fratrem uxoratum iis legibus non fuiſſe adſtrictum, & ita non fuit adulterium legi jam citatæ parere: quia circumſtantiam, quæ adeſſe debet, quando inceſtus aut adulterium committitur, Deus ſuſtulit, ſolvens homines lege verecundiæ, quâ tenebantur; & quam verecundiam iis, qui nobis tam arcta neceſſitudine juncti ſunt, debemus: & tollens à muliere illam circumſtantiam, quam in creatione & inſtitutione matrimonii illi contulit, propter quam circumſtantiam perſonæ mulieris vir tenetur integram ſuam benevolentiam, eamque in certo amoris genere ſummam, & non diſtractam & partitam, & quam vir promittit duraturam ſemper, uxori præſtare. Quamvis ideo non hoc velim, Patres ſanctos, cum plures habuerint uxores, non peccaſſe; quia qui hoc tueri ſuſtinent, iis incumbit proferre verba expreſſa Scripturæ, quibus probetur Deum talia matrimonia probaſſe, & ab adulterio abſolviſſe. Aut id ſaltem

probare tenetur conſequentiis manifeſtis, quemadmodum nos ita probamus matrimonia inter fratrem & ſororem in mundi primis exordiis contracta, fuiſſe à peccato inceſtus libera. Sed nos ſupradictis tantum probare contendimus, Deum talem circumſtantiam ab hujuſmodi actibus poſſe tollere: & ideo ex hujuſmodi factis & exemplis male confici, Deum *inceſtus* & *adulteria* juſſiſſe aut probaſſe. Sic forte idem de ſcortatione per analogiam doceri poſſet, quamvis ejus nullum habeamus exemplum. Si enim formalis ratio peccati ſcortationis in hoc ſit poſita, quod ſolummodo ad libidinem explendam uti proximo non deceat, ſitque id contra dignitatem mulieris, ut mihi quidem in præſenti videtur. poſſet Deus pariter illam dignitatem à muliere tollere, & ita, ſublata illa circumſtantia, illum actum à peccato immunem reddere. Quod tamen utrum fieri poſſit, jam non urgeo, aut defendo, ſed ad illuſtrandam hanc rem tantum adduco. Ita non video repugnantiam, quare Deus non potuerit eouſque mulierem viro ſubjicere, & ab ea tollere illam dignitatem, ut nec illa contra ſuam, nec vir contra mulieris dignitatem peccet, ſi tale matrimonium ineat, quod extra caſum adulterii, propter rem leviorem, diſſolvi poſſit. Statuunt enim Theologi, in N. T. nos doceri, etiam propter malitioſam deſertionem matrimonium diſſolvi poſſe. Et ſi argumentatio ab analogia (quæ à Spiritu Sancto in Scriptura probatur, *Gal.* 5; 21. *Porro manifeſta ſunt opera carnis, &c. invidiæ, cædes, ebrietates, commeſſationes, & his ſimilia: &* 1 *Cor.* 9:8. 11:6.) procedat, multæ aliæ cauſæ erunt, propter quas matrimonium diſſolvi poſſit: & quæ putandæ ſunt tales eſſe, ut per eas mulier orbetur ſua dignitate, excidatque illo privilegio, quo extra tales cauſas contra ejus dignitatem peccaretur, ſi illi repudium mitteretur. Hoc ſaltem ex libello repudii, marito, non uxori conceſſo, conſtat, Deum in politia Moſaica virum & uxorem pari jure non habuiſſe, ſed maritum æquiori jure fuiſſe: cum ex prima matrimonii inſtitutione, uxor marito fuerit æqualis, quantum ad res, quæ propriè ad conjugium pertinent.

Quæ hic à nobis traduntur, rurſus tantum in medium allata ſunt ad rem, quam tractamus, illuſtrandam, non quod contendam exempla ſingulatim adducta non eſſe controverſi juris. Non enim hic, verbi gratia, decido quæſtionem, utrum *deſertio malitioſa* ob quamcunque cauſam, & quovis tempore, juſta & ſufficiens cauſa fuerit diſſolvendi vinculum matrimonii? Et an id non obtinuerit tantum primis Eccleſiæ Chriſtianæ temporibus; idque inter conjuges, qui matrimonium contraxerant, cum adhuc eſſent in paganiſmo; & pars infidelis non arctioribus matrimonii vinculis conſtricta eſſet, quam natura & leges matrimonii in gentibus ferebant. Qua utens jure, ut ita dicam, gentium, quia ubique inter gentes divortia erant licita, jubebat uxorem Chriſtianam res ſuas habere propter ſacrorum diverſitatem. Quo caſu Apoſtolus aliter ſtatuere non poterat, quam ſororem aut fratrem fidelem non amplius ſervituti ſubjectum eſſe: tum quia pars infidelis non tenebatur legibus matrimonii, quas nova religio, quam nunquam ſuſceperat, conſtituerat; cum etiam, quia illis temporibus res maximo impedimento propagationi fidei Chriſtianæ futura erat, ſi pars fidelis à conjuge deſerta, aut peſſime excepta, ita ut ætatem agere cum eo non poſſet, qui etiam aliud matrimonium poterat contraxiſſe, obſtricta teneretur vinculis matrimonii prius contracti. Et ideo Chriſtus, alloquens Judæos, inculcat diſſentanea iis, quæ Apoſtolus docet, quando ſibi res eſt cum gentibus. Sed pergimus ad ea, quæ ſupra adduximus, ut reliqua exempla expediantur.

Sic Deus ſuſtulit ab Egyptiis jus dominii in ſua bona, idque aſſignavit & attribuit Iſraëlitis, & ideo furtum ab iis commiſſum

miſſum non eſt, quando exeuntes ex Egypto, Egyptiorum bona abſtulerunt. Nec intelligo quo pacto Jahelis factum, quæ Siſeram hoſpitio exceptum, obtruncavit, & quod factum à Debora laudatur, *Judic.* 5: 25. 26. à perfidia ſumma liberari poſſit, niſi dicamus Deum voluiſſe, ut pacis & hoſpitii jura ceſſarent inter Jahelem & Siſeram, quodque Jahele Deus uti voluerit tanquam vindice injuriarum, populo Dei à Siſera illatarum. Pariter non video, quomodo factum Davidis hoſtibus ſuis maledicentis, *Pſalm.* 69:25. 26. 27. 28. excuſari poſſit, aut à peccato alia interpretatione vindicari, quam ſi dicamus, Davidem propriis affectibus non indulſiſſe, neque hoſtibus, ut hoſtibus & inimicis maledixiſſe; neque etiam proximo: ſed Dei perſonam egiſſe, qui Davidis ore uſus eſt ad denunciandam illis hominibus ultimam calamitatem & excidium.

Hæc quæ jam adduximus, & hiſce ſimilia, vocamus res, quarum natura pendet à circumſtantiis, quas Deus mutare ſolus poteſt. Nunc porro explicandus eſt harum trium diſtinctionum uſus: quem paucis ſic expedio. Cognitio ſignificationis vocum naturam ſimplicem ſignificantium, & cognitio iſtarum ſimplicium naturarum per illas voces ſignificatarum, (quæ duæ cognitiones ſimul ſunt, ſicut ex præcedentibus liquet) quando eam Scriptura præſupponit, tunc eouſque ſeſe extendit, ut ſit præcipua circumſtantia, ex qua ita erui ſenſus Scripturæ debeat, ut, quicquid huic cognitioni repugnet, in Scriptura doceri non poſſit; & conſequenter is verus Scripturæ ſenſus eſſe non poſſit, qui aliquid ab hac cognitione alienum docere aut inſinuare videatur: & ideo illa cognitio eſt regula & norma, ſecundum quam verba & voces Scripturæ debent interpretari; & poteſt, propter illam cognitionem, ſtatui vocem aliquam Scripturæ propriè non eſſe intelligendam. Idem dico de cognitione rerum, quarum natura eſt omnimodò immutabilis & ſimplex: eſtque ambarum eadem ratio, ea nempe, quod veritas veritati contraria eſſe non poſſit. Et quod de ſimplici natura in Scriptura nihil manifeſtari poſſit, quod ſit *ſupra rationem*, & de quo aliquis dubitet, utrum id, quod docetur, repugnet nec ne.

Ex. Gr. Scriptura præſupponit vocis Dei, & illius, quod per eam ſignificatur, cognitionem. Formalis Dei conceptus eſt, *quod ſit ens ſummè perfectum.* Hæc idea Dei, ſive conceptus Dei, objective conſideratus, non poteſt mutari, neque eſt hujuſmodi, ut de illo conceptu objective conſiderato, mihi aliquid manifeſtari poſſit, quod in illo conceptu non contineatur; & de quo dubitare poſſim, utrum id, quod manifeſtatur, conveniat cum illo conceptu: & ideo illa præſuppoſita cognitio Dei, eſt mihi norma & regula, ad quam exigo omnem vocem *Deus*; quibuſcunque in circumſtantiis Spiritus Sanctus eam uſurpet. Idem dico de formali conceptu *Filii*, *Patris*, *generationis*. Quod ſi itaque ex lectione Scripturæ mihi conſtet, vocem *Dei*, *Filii*, *Patris*, *generationis*, &c. ita uſurpari à Spiritu Sancto, ut figuræ & tropo locus non ſit, tunc ex præſuppoſita cognitione rectè concludo, formalem talem conceptum rebus, de quibus voces illæ prædicantur, convenire. Exempli cauſa, vox *filii & unigeniti*, (etiam ex adverſariorum ſententia,) ita in locis ſequentibus prædicatur de Chriſto, ut in iis non relinquatur locus excipiendi, vocem Filii impropriè ſumi, *Joh.* 1:24. *Spectavimus gloriam ejus, ut unigeniti à Patre: & verſ.* 28. *Unigenitus ille, qui eſt in ſinu Patris, ille nobis expoſuit. & Cap.* 3:16 *Ita enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum illum unigenitum dederit, ut quiſquis credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam. Rom.* 8:32. *Qui proprio Filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum.* Infinita hujuſmodi loca poſſem citare, quæ inter ſe, & cum aliis circumſtantiis collata, evincunt vocem *Filii Dei* in talibus locis uſurpatam, Chriſto propriè attribui: ideo ex cogniti-

one vocis, & rei per vocem ſignificatæ, quam Scriptura præſupponit, rectè conficio Chriſtum à Deo Patre eſſe genitum, quia formalis conceptus filii non invenitur in conceptu vocis filii Dei, qui talis, ex adverſariorum ſententia, vocatur, quia ex virgine, operatione Spiritus Sancti ſine opera viri eſt generatus: neque quia Deus eum reſuſcitavit ex mortuis: neque quia Deus ſingulariter Chriſtum amore complectitur: nam ad formalem conceptum filii requiritur, ut ex illius ſubſtantia, cujus filius eſſe dicitur, genitus ſit. Similiter Scriptura præſupponens cognitionem Dei, præſupponit pariter cognitionem multorum attributorum Deo propriorum, & eſſentialium, quæ ideo non magis creaturæ communicari poſſunt, quam ipſa Divina natura. Ex lectione Scripturæ intelligo Chriſto non tantum nomen Dei attribui, ſed multa ei adſcribi, quæ Deo propria ſunt. Et agnoſcunt adverſarii voces, quibus tribuuntur Chriſto divinæ proprietates, in locis citatis *propriè* ſumendas eſſe. Recte itaque & irrefragabiliter inde conficio, Chriſtum eſſe verum Deum.

At intelligit lector, non ſimiliter procedere; quod voces, quæ in textibus Scripturæ occurrunt, quibus docetur, quod ex juſſu Dei vir tenebatur defuncti fratris uxorem ducere: quod Iſraelitæ Egyptiis bona eripuerint: quod Jahel Siſeram occiderit, ſunt proprie intelligendæ. Ergo rectè conficio, Judæi & Chriſtiani Deum adorant, qui inceſtus imperat, qui furta, & violationem hoſpitalitatis, atque perfidiam probat, extollit, & laudibus proſequitur, &c. Quia poſteriores res ſunt hujuſmodi, quæ pendent à circumſtantiis, quæ à Deo mutari poſſunt. Nec valeret exceptio & argumentatio: voces legis *Deut.* 25: 5. debent tropice intelligi, quia pugnat cum Dei ſanctitate, imperare inceſtus. Cum enim ex circumſtantiis iſtius legis pateat, verba propriè ſumenda eſſe, duplici via atque ratione objectio, quæ peritur ex vocibus Scripturæ, quibus Deo aliquod vitium morale adſcribi videtur, ſolvi poteſt. Primo, ſi reſpondeatur, verba textus propriè intelligenda eſſe, idque ex omnibus circumſtantiis locorum, quæ de ducenda in uxorem fratris defuncti vidua agunt, patere. Secundo, non ſequi hoc abſurdum, ſi verba legis proprie ſumantur, ergo Deus impudicitiam imperat, atque id quod eſt contra pudorem: quia loca citata agunt de rebus, quæ pendent à circumſtantiis, quas Deus mutare poteſt. At iis, qui rudiores ſint, neque nodum ita ſolvere norunt, atque ex illa parte neſciunt, quid reſponſuri ſunt ad inſtantiam, & objectionem modo allatam, ſupereſt ſemper prima reſponſio: omnes nempe circumſtantias docere verba textus *Deut.* 25. propriè intelligenda eſſe; ſingula alioquin textus verba abſurditatem & contradictionem implicitura. Et ideo, quandoquidem Spiritus Sanctus mentiri non poſſit, nec falſa, aut contradictoria docere, nec Deo aliquid attribuere, quod ſummæ ejus Sanctitati non ſit conſentaneum, recte infero, inſtantiam non procedere; quamvis non poſſim expedire nodum, quomodo hæc ſimul conſiſtant, Deum imperare talia matrimonia, & ſimul ſumme Sanctum eſſe. Homines minus eruditi, rerumque naturalium minus periti, multo facilius colligunt ex multis variiſque textus circumſtantiis totum textum ſecundum litteram intelligendum eſſe, nec tropum aut figuram eſſe in verbis textus, quam expedire norunt, quomodo aliquid non implicet contradictionem; aut quomodo adverſariorum ſubtiles objectiones ſolvere oporteat. Hæc quæ proxime recenſui, notari à lectore velim, quia hac re, tamquam cardine, vertitur tota controverſia, quam cum Socinianis habemus de interpretatione Scripturæ, ſi modo aliqua intercedat.

Et hic ſe prodit magna Scripturæ authoritas, & quæ mordicus tenenda eſt contra adverſarios, & præſertim contra anonymum, qui negat Scripturam eſſe ſui inter-

erpretem. Nempe, quamvis nulla interpretatio Scripturæ bona eſſe poſſit, quæ contradictionem involvat: quamvis nihil de ſenſu verborum nobis pronunciare liceat, quando *dubitamus utrum hic vel ille verborum ſenſus ea doceat, quæ ipſa à ſe diſſentiant, ſeque invicem ſubvertant:* poſſunt tamen textus in Scriptura tales occurrere, qui omnem dubitationem, & opinionem de contradictione expugnare debeant: quia niſi ille, quem urgemus ſenſum, iis aptetur, infinita abſurda & pugnantia ex circumſtantiis textus petita; & quæ loquuntur de rebus obviis, vulgo notis; & quarum natura, veritas, & falſitas &c. iis oppoſita, facile ſine longa argumentorum ſerie cognoſcuntur. Cum contradictio, quæ ſuſpicatur, aut quæ objicitur ab adverſario reconditioris ſit cognitionis, & ſerie argumentorum demonſtranda ſuſcipiatur. Nam quemadmodum hæc unica recte ratiocinandi ratio eſt, à notis ad ignotiora, à claris ad obſcura, ab apertis ad abſcondita, à primis diſciplinarum principiis pergere ad illa, quæ à principiis illis remotiora ſunt, & ad quæ illa principia exigi & examinari debeant, ad uſque lumen ſuum mutuari, ita in interpretatione Scripturæ, & in ſancta diſciplina religionis Chriſtianæ, à facile intelligibilibus ad minus intelligibilia, ab iis quæ per ſe nota ſunt, ad ea, quorum cognitio ab illis pendet, progredimur. Et aliquid quod eſt principium, aut proxime ei adjacens, non debet vocari in dubium, licet adverſarius perſequens iſtorum principiorum veſtigia longa conſequentiarum ſerie abſurdum aliquid inde ſequi monet: quod ego, qui iſtis principiis inſiſto, removere aut tollere non poſſum. Ita textibus claris & perſpicuis non poteſt eripi ſua vis & teſtimonii fides, per textus obſcuros; neque principiis cognitionis Theologicæ per argumenta à primis principiis longo intervallo diſtantia: multò minus decet nos captionibus tanquam præſtigiis à veritate depelli. Et is rectæ methodo inveſtigandæ veritatis omni ſæculo, & omnes apud gentes obſervatæ adverſatur, qui principiis cognitionis, & rebus claris, manifeſtis & principiis proximis, fidem abrogat propter abſurda, quæ longa argumentorum ſerie ſequi putantur.

Nulla quidem interpretatio verà eſt, quæ pugnantia docet, ſed omnis contradictio non æque facile ſe prodit: & eſt officium hominis cujuſvis veritatis ſtudioſi, potius ſequi interpretationem eam, quæ ſi non admittatur, contradictiones plures & manifeſtas involvit, quam eam, quæ ſi repudiatur, contradictiones pauciores, & judicatu difficiliores, & in quibus dijudicandis homo facile labi poſſit, ſecum trahere videtur. Quamvis, ſi res recte putetur, non debeat hærere in nobis dubium de contradictione, quando circumſtantiæ textus *rem* docent; & quando multæ contradictiones cognitu faciles ſunt admittendæ, ſi verba textus aliter ſumantur; quamvis à parte *rei*, quæ docetur, aliquid occurrat, quod expedire non poſſumus: quia cum Scriptura pugnantia docere non poſſit, veritates clare cognitæ debent expectorare omnem dubitationem.

Et ſi me mea non fallat opinio, exiſtimo inde natam orthodoxorum ſententiam, qua Socinianos eos ragunt, eos plus in rebus fidei rationi tribuere, quam nos; eoſque rationem ſuam opponere auctoritati Scripturæ: quia orthodoxi ſibi perſuaſerunt Socinianos negare ſenſum quorundam locorum Scripturæ clarum, & perſpicuum, & quem ſenſum noſtri propter facilem intelligentiam iſtorum locorum, abſque ratiocinatione, aut argumentis ex Philoſophia depromptis, ſe acquiſiviſſe ſtatuebant, & quem Sociniani non admittebant; opponentes contra noſtram interpretationem argumenta ab abſurdo, & ex ratione, & à rebus obſcurioribus petita, ratiocinatione & induſtria humana, ut noſtri loquuntur, inventa; & ita putantes interpretationem obſcuram, aut à ratione profectam à Socinianis opponi interpretationi claræ & ex Scriptura hauſtæ: quam

noſtri vocabant interpretationem ſola Scripturæ autoritate ſuffultam; quia rationem extra textum poſitam non vocabant in ſubſidium: quamvis revera ratione tamquam *principio*, in rebus fidei utebantur; & adverſarios arguebant, quod nimium tribuerent rationi, eamque Sacræ Scripturæ opponerent, quia formabant exceptiones contra noſtrorum interpretationem, quibus occaſionem & cauſam præbebat ratio longe petita; & in quibus mens facile poſſet errare: cum noſtrorum interpretatio procederet ex argumentis textui inſitis, quamquam non omnino ſine ratione, tamquam *principio*, (quod vix unquam aliter contingere ex ſupra traditis intelligi poteſt) formatis. Sic noſtri præ ſe ferunt ſe probare ſatisfactionem ex Scriptura: Socinianos autem eam negare, & Scripturæ vim frangere & labefactare, quia argumentis ex ratione, ut ipſis quidem videtur, petitis, & in quibus errare facile eſt, nimium tribuunt. Ideo noſtri Socinianis exprobrant, eos omnes ingenii nervos intendere, ut exceptionibus & argutiis vim textus eliderent. Et revera noſtri hac in re tota non aberrarunt via: & Socinianorum doctrina mihi nata videtur, cum ex mala ratiocinatione, & ignorantia Philoſophiæ veræ, qua partim in multis fidei noſtræ dogmatibus repugnantiam ſibi finxerunt, quæ nulla aderat; & in aliis repugnantiam negarunt, quam oſtendere in proclivi erat. Tum etiam, quia illa ſecta neglexit regulam in Scripturæ interpretatione ſemper ante oculos habendam, ne ſcilicet clara & perſpicua, & quæ ſi negentur, multifariam & apertam contradictionem involvunt, rejiciantur, propter obſcuriora & cognitu difficiliora; & in quibus homo facile ceſpitet. Sic male inſiſtunt, cum negant Sanctam Trinitatem, quia ratio ex conſideratione hujus myſterii fingit ſibi contradictiones, ſed petitas ex rebus obſcurioribus, & in quibus homo non debet tantum fidere ſuæ ratiocinationi. Cum ex adverſo Sacra Scriptura textibus tam multis & claris Chriſto, & Spiritui Sancto attribuat operationes, & proprietates perſonæ Divinæ proprias: & ratio manifeſta, obvia, & nobis inſita doceat, nihil in Deo eſſe poſſe, quod non ſit Deus; & nullam rem, à natura Dei diſtinctam, poſſe eſſe Deum.

Et ſi mihi congrediendum eſſet cum talibus adverſariis, & recepiſſem alicujus dogmatis probationem; primum expenderem an res, de qua diſputatio habenda eſt, ſit talis, ut ex principiis naturæ profluat, iiſque contineatur: aut examinarem, quid hujuſmodi in tali re reperiatur? An vero res talis ſit, quæ revelatione tantum poteſt cognoſci; quæque ideo longe à conſuetis noſtris rationibus diſcedat? Quamquam rationi non tantum non adverſa, ſed ne quidem ſupra eam ſit. Deinde conferrem loca Scripturæ, examinando quam clara & perſpicua, & quam propinqua illa, quæ in iis docentur, ſint principiis cognitionis, & conſuetis noſtris rationibus: & ex adverſo examinarem quouſque, & quibus viis ratio & argumenta, quæ ex locis Scripturæ, quæ de propoſita controverſia agere videntur, non depromuntur; ſed aliunde à principiis cognitionis naturalis mutuantur, me ducerent in cognitionem naturæ rei, de qua diſputatio inſtituta eſt. Et ita diſputatio progrederetur à magis perſpicuis, magis intelligibilibus, & perſuaſu minus difficilibus: quando verò textus, qui ſpeciatim de illa controverſia agunt, mihi viderentur obſcuri, & argumenta aliunde petita, quibus illa controverſia illuſtrari poſſit, magis perſpicua, magiſque ſtringentia, caperem initium diſputationis à ratione, (appello argumenta à ratione, quæ non profluunt & eliciuntur ex illis Scripturæ locis, quæ ſpeciatim de illa controverſia agunt; quamvis etiam à Scriptura potuerint deducta eſſe atque manaſſe; & quamvis argumenta ex talibus locis Scripturæ formata, quæ ſpeciatim de re controverſa agunt, non minus etiam vim ſuam mutuentur à rati-

ratione, quam illa, quæ hic oppono argumentis à ratione) caperem inquam initium diſputationis à ratione, & poſtea procederem ad adſtruenda argumenta, quæ proxime ex textibus Scripturæ, qui ſpeciatim de illa controverſia agunt, adduci ſolent; & ad refutanda argumenta, quæ pariter ex textibus Scripturæ proferuntur.

Ex adverſo, ſi controverſia eſſet de rebus, quæ putantur à ratione remotiores; & quas plerumque myſteria vocare ſolent Theologi, ordirer diſputationem à textibus Scripturæ, qui ſpeciatim de iis rebus tractant, & qui ſua argumenta in ſe ſita habent. Et perſuadeo mihi diſputationes Theologorum hac ratione minus laborioſas, magis fidem facientes, eventuque feliciores fore. Si mihi lis eſſet cum Anabaptiſta, & probandum incumberet, bella & pœnarum inflictionem eſſe licita ſub N. T. priuſquam ad loca Scripturæ, quæ ſpeciatim de illa controverſia agunt, pergerem, conarer argumentis confirmare, bella optime poſſe conſiſtere cum charitate, quam proximo debemus, eamque iis non violari, non magis quam ea violatur factis, quibus contra proximi voluntatem, illi à nobis aliqua moleſtia creatur. Hoc probato, tunc argumenta, quæ ex locis Scripturæ, quæ de illa controverſia ſpeciatim agunt, & quæ quidem ex ſe efficacia, ſed paulo obſcuriora ſunt, facilius fidem invenirent, atque ab adverſariis aſſenſum impetrarent.

Sed ſi mihi diſputandum eſſet de Sacroſancta Trinitate, non in hoc mihi primus occupatus eſſet labor, ut oſtenderem doctrinam de Trinitate non implicare pugnantia, ſed ante omnia adducerem argumenta ex illis Scripturæ locis, quæ ſpeciatim de Trinitate agunt, & ponerem omnem meam operam in probando, Scripturam locis huic controverſiæ convenientibus, Chriſto & Spiritui attribuere operationes & proprietates Divinas; & Sacram Scripturam de ambobus loqui tamquam de perſona: & præterea probarem unum tantum eſſe Deum; neque naturam ejus multiplicem eſſe poſſe, &c. Tunc demum progrederer ad amoliendas objectiones, quæ adferuntur ab adverſariis ad probandum Sacro ſanctam Trinitatem contradictionem importare. Certe ſi loca Scripturæ doceant fidem Trinitatis, objectiones Socinianorum ſponte ſua cadunt. Et ſi ex locis Scripturæ, aliiſque argumentis manifeſtis probetur myſterium Trinitatis, argumenta adverſariorum à rebus obſcurioribus, & quæ minus ſunt illuſtria, cedere debent manifeſtioribus; etiamſi nodum,& adverſariorum captiones non poſſimus expedire: nam ea ratio, quæ in omnibus diſciplinis valet, etiam in Theologia pondus ſuum præcipue habere debet: ſcilicet rem obſcuram non poſſe derogare fidem rebus perſpicuis. Non ulterius ingrediar hunc ſermonem, & ita de hac re dicendi finem faciam; ubi prius admonuerim lectorem, ut animadvertat per occaſionem eorum, quæ proxime à nobis in medium prolata ſunt, quantopere quidam Theologi fallantur, qui cum rationi, ut *principio*, parum aut nihil in myſteriis fidei tribuant, & Scripturæ omnia aſſignent, non ſatis ipſi intelligunt, quid dicant aut doceant: nam cum ſe ex Scriptura argumentari jactitent, ſeque ex ea ſapere, & reliquas diſciplinas à Theologia longe arceant, tamen neſcii ſunt, neque attendunt, quod ſingulis ferme momentis ratione tamquam *principio* utantur: & quod ſæpe pugnent argumentis à principiis naturalibus ſatis remotis, nec tamen ſe id facere percipiunt, quia illorum ratio & induſtria tunc occupatur in explicando Scripturæ loco, quem tamen nec intelligere, nec aliis explicare ſine ratione,tamquam *principio*,poſſunt. Deinde velim lector animadvertat, quantopere quidam fruſtra ſe fatigent ad invenienda argumenta ex Scriptura deprompta, quibus probent, dogma aliquod, quod ad religionem

nem & pietatem pertinet, cum tamen illud non tam in Scriptura traditur, quam præſupponitur, & quod ratione manifeſtum eſt: & iſtis Theologis religio eſt, ullam rem religionem ſpectantem non ex Scriptura probare. Unde etiam contingit, teſtimonium ex Scriptura adductum, aut obſcurum eſſe, aut planè à vero ſenſu disjunctum; & conceptus iſtorum Theologorum adeo operoſe ex Scriptura erutos eſſe, ut ex argumentandi modo ſatis conſtet, eos tales ſubtilitates conſectari, quæ Spiritu Sancto in Scriptura loquente, & vulgus ad pietatem erudire volente, parum ſint dignæ. Et arbitrantur tunc demum ſe dignè Theologi perſonam geſſiſſe, quando aliquem locum Scripturæ in teſtimonium citant, parum penſi habentes, utrum ille locus alienus, an rei probandæ accommodatus ſit; & num res illa non poſſit probari facilius & clarius, argumento à ratione ducto, aut num illa res ſuâ ſponte judicetur, & per ſe ſit nota.

Præterquam quod etiam illo errore agantur, quod exiſtiment rem fide digniorem eſſe, quæ loco Scripturæ, quamvis ſæpe obſcuro, probatur, quàm cujus fides *ratione* firmatur. Ideo nihil non ex Scriptura probare conantur, nihil non in ea tradi & doceri jactitant; ut ideo in omnes diſciplinas dictaturam exercere, & omnibus modum ponere velint, quomodo loquendum & ſentiendum ſit. Se ſolos quid verum, æquum & juſtum ſit, ſcire præ ſe ferunt: ſe ſolos nodos & caſus conſcientiæ ſolvere poſſe: ſe ſolos quid Magiſtratus & ſubditorum, quid mariti & uxoris atque liberorum, &c. officium & munus ſit, intelligere: quo cujuſvis ordinis hominum conſcientias ex arbitrio moderentur; & animos ſuperſtitione captos, ex libitu circumagant. Et dum alios homines veluti in aliquod piſtrinum detrudere & depellere conantur, ipſi ſibi authoritatem & poteſtatem in Republica tribuunt & vindicant, quæ omnibus ordinibus gravis, & ſummis Magiſtratibus fornidoloſa eſt. Cum tamen ipſi vix decem verba in medium proferre, aut (ut ita dicam) digitum promovere in diſciplinæ ſuæ contextu poſſint, quin principiis & argumentis à ratione depromptis, & quæ Philoſophis, hoc eſt iis, qui rationem excolunt, propria ſunt, utantur; atque ita tam libere in eo jure ſibi indulgent, quo aliis interdicunt ac prohibent: nempe tranſire ad aliud genus. Atque ita primæ huic parti, in qua quid mea fert opinio, tradidi, finem impono.

Nunc lubet ſtrictim & per compendium, quantum ego quidem ingenio potero aſſequi, exponere ſententiam auctoris tractatus, cui titulus *Philoſophia Interpres Scripturæ:* idque omni candore ſine fuco faciam; & pro facultate mea, quam exilem eſſe agnoſco, oſtendere conabor, totius nominati tractatus nexum, & argumentorum vim, quæ eo continentur; ut cuivis manifeſtum fiat, quo loco & ordine ille tractatus ſit habendus; & quam diverſus ſit à mea ſententia, cum quo tamen me quidam opinionum ſimilitudine conjungere voluerunt. Et exiſtimo eo me aliquid operæ pretium facturum, quia uſu didici paucillimos eorum, qui refutationem iſtius tractatus aggreſſi ſunt, authoris mentem, multo minus argumentorum vim aſſecutos eſſe; & ideo exiguo cum fructu, quod pace eorum dixerim, in illo authore refellendo laborarunt: cujus rei in ſequentibus ſpecimen dabimus.

TRADITUR SENTENTIA AUCTORIS ANONYMI.

SCopus authoris eſt probare Philoſophiam veram, ſive *rationem rectam*, quatenus ſubjective eſt in homine, vel potius, quatenus ab homine illa vera Philoſophia lumi-

lumine naturali, ope Spiritus Sancti, comparari poteſt, eſſe regulam, ſecundum quam interpretatio Scripturæ Sacræ ſit inſtituenda. Intelligit enim per Philoſophiam, Philoſophiam veram, ac indubitatè certam notitiam, quam ratio, ab omni præjudiciorum involucro libera, naturalique intellectus lumine & acumine fuffulta, ac ſtudio, ſedulitate, exercitatione, experimentis, rerumque uſu exculta atque adjuta, ex immotis ac per ſe cognitis principiis, per legitimas conſequentias, apodicticaſque demonſtrationes, ope Spiritus Sancti, & gratiæ Dei clare ac diſtincte perceptas eruit, ac in certiſſima veritatis luce collocat. Videat lector *cap.* 5. & *cap.* 14. tractatus authoris anonymi. Exiſtimat itaque hanc rationem rectam judicare de rebus omnibus. I. Quia illa non poteſt errare, idque putat liquidò conſtare. II. Quia ab illa non poteſt provocari. III. Quia partium ſtudio non abripitur, nec magis ad unam quam ad alteram partem propendet. IV. Quia poteſt hominem cogere ad aſſenſionem; vel quia poteſt homines certa cognitione imbuere: quæ omnia Philoſophiæ competunt, quia eſt à Deo, & nititur lumine naturali, quod à Deo eſt; & propterea à Deo eſt, quicquid legitime ex illo lumine naturali conficitur atque elicitur. Statuit autem hominem *poſſe* legitime Philoſophari, vel recte ratione ſua uti. Et arbitratur methodum, quam tradidit & ſequutus eſt Carteſius, illam eſſe, quâ vera Philoſophia comparatur, & qua ratio in inveſtiganda veritate recte inſiſtit: quia eâ methodo mens humana intelligendi impedimentis, atque obſtaculis liberata, & propriis viribus facultatibuſque inſtructa, ſi nihil niſi clare diſtincteque perceptum aſſumat, ac gradatim à ſimpliciſſimis ac notioribus ad compoſita & ignotiora progrediatur, non eſt aberratura. Quæ clara & diſtincta perceptiò, præter veritatem, conjunctam etiam habet certitudinem. Gignit etiam in nobis intimam conſcientiam, quæ nobis dictat rem eſſe veram (quam putat non immerito *Spiritus Sancti perſuaſionem*, *inſpirationem*, *&c.* appellari poſſe) tam *in iis*, quarum cognitionem duce naturæ lumine comparamus, quam in iis, quæ nobis revelantur in Scriptura. Quamvis enim multa in Scripturis nobis manifeſtentur, in quorum cognitionem lumine rationis non potuiſſemus pervenire; exiſtimat tamen verborum Sacræ Scripturæ ſenſus ad *rationem* tamquam ad *regulam* & *principium*, examinari deberi; atque ita ſola Philoſophiâ, tamquam *principio*, ſenſum verborum Scripturæ inveſtigari. Ita *ratione* tamquam *principio* dijudicatur, quo ſenſu verba, quibus docetur Deum Spiritum eſſe, & quibus eidem v. gr. manus & oculos, attribuuntur, ſumi debeant. Et quamvis ex revelatione nobis tantum conſtare poſſit, Deum *Sacram Cœnam inſtituiſſe*, & *hominem fide juſtificari*, *&c.* tamen per rationem, tamquam *principium*, putat nos tantum cognoſcere ſenſum verborum, quibus verbis jam præſupponimus Sacræ Cœnæ inſtitutionem, & doctrinam de juſtificatione per fidem, doceri.

Non itaque teſtimonium Dei loquentis in Sacra Scriptura ſubjicit rationi aut Philoſophiæ; ſed verba & voces, quibus viri divini voluntatem Dei expoſuerunt, Philoſophiæ ſubſternit: quatenus tuetur, tantum principiis rationis cognoſci poſſe, quid voces Scripturæ ſignificent.

Admittit ideo cum omnibus reformatis, libros V. & N. Teſtamenti eſſe infallibile Dei verbum; & omnia dogmata tam circa fidem, quam circa mores ex Scriptura peti debere: ſed per Scripturam non intelligit *litteram*, ſed *ſenſum Scripturæ legitimum*; quem apertis verbis agnoſcit unicam eſſe normam & regulam judicandarum controverſiarum de rebus fidei.

Ideo etiam agnoſcit Scripturam eſſe *perfectiſſimam*, omniaque in ea doceri, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria: ſed diſceptationem de ſenſu Scripturæ negat eſſe *contro-*

verſiam de fide: quia fides jam præſupponit ſenſum rectum & legitimum Scripturæ, quo ſolum fides nititur. Atque ita hæc duo poſſunt conſiſtere, Scripturam eſſe perfectiſſimam; articulos fidei ex ea tantum probari debere. Regulam tamen interpretandi Scripturam Scripturâ non contineri: quemadmodum in aliquo libro perfectiſſimè tradi poſſunt ars & præcepta artis militaris, quamvis ea non tradat, quibus ſenſus verborum libro illo contentorum, legitimus erui poſſit: & ſit tantum iis intelligibilis, qui vocabula diſciplinæ militaris, & bellandi artem intelligunt: nec exiſtimat ea in re, (ſenſu jam tradito) Sanctam Scripturam ſcriptis humanis præcellere. Ita Sacra Scriptura poteſt clare & manifeſte de rebus Divinis agere; quamvis nulli claritas illa apparere poſſit, quam iis, qui Philoſophiæ cognitione informati ſint, & ingenium exercitatum habeant ad judicandum de rebus, quæ ratione cognoſcuntur: quatenus verborum Scripturæ ſenſus non niſi ratione inveſtigari & capi poſſit. Ita Scriptura optime & clariſſime exponere poteſt doctrinam, v. gr. de prædeſtinatione & providentia, & tamen vero conſentaneum eſſe poteſt, verborum, quibus Spiritus Sanctus utitur in tradenda illa doctrina, expoſitionem & ſignificationem ratione tantum inveſtigari; illamque ad eam rationem tamquam ad normam exigendam eſſe.

Imo putat rationi plus loci eſſe in interpretatione Scripturæ, quam in interpretatione aliorum librorum. *Primo:* quia ubi quæſtio eſt de ſenſu verborum Scripturæ, id Scripturæ proprium & peculiare eſt, quod omnis veritas ſit etiam verus Scripturæ ſenſus; ex. gr. Scriptura ſæpius corpus hominis vocat ejus tabernaculum, 2 *Cor.* 5:4. 2 *Pet.* 1:13. quia ex Philoſophia nobis conſtat corpus hominis non eſſe propriè tabernaculum, ſed partem hominis eſſentialem, ideo ex illa veritate recte concludo, Spiritum Sanctum corpus noſtrum ideo vocare *mentis tabernaculum*, quia ita in eo habitat, ut id aliquando ſit depoſitura, neque ita ei juncta ſit, ut partem animæ conſtituat. At ſi auctor profanus ita fuiſſet loquutus, non liceret ex veritate cognita, arguere etiam ſenſum auctoris talem fuiſſe: quia potuiſſet auctor verſari in eo errore, quod putaverit corpus hominis eſſe verum mentis tabernaculum. *Secundo:* quia auctor tueri vult, nullum locum Sacræ Scripturæ per ſe eſſe clarum & notum, ſed tum prærequirere notitiam plurium rerum, quandoquidem verba & voces, ex quibus loca Scripturæ conſtant, ſunt notæ ex arbitrio hominum inſtitutæ; & quæ nullum nexum habent cum rebus, quas ſignificant: & ideo res quarum ſunt notæ, nobis cognitæ eſſe debent, priuſquam ſcire poſſimus, quid illæ notæ nobis ſignificent: cum etiam, quia Scriptura *ſui interpres* non eſt; neque ex collatione locorum Scripturæ elici poteſt aliquod lumen, judicium aut argumentum, quo probetur vocem aliquam, tali loco, aut apud talem Scriptorem Sacrum hoc vel illo modo ſumptam, etiam hoc loco, & apud hunc & illum auctorem Sacrum, eundem uſum & eandem ſignificationem habere. Verbi gratia *Pſalm.* 82: 6. homines, nempe Magiſtratus, vocantur *dii*, ergo 1 *Cor.* 8:5. *Quemadmodum multi ſunt dii, & multi ſunt Domini*, vox *dii* eandem ſignificationem habet. Nam quamvis veriſſimum ſit, vocem *dii* utrobique eandem habere ſignificationem: & ex illis locis, Philoſophiæ ope, tamquam interpretis, expoſitis, recte probari, Spiritum Sanctum aliquando vocem *τὸ Deus* creaturæ tribuere, non putat tamen interpretationem locorum jam citatorum ex Scriptura hauſtam eſſe: neque ea ratione unum locum eſſe alterius interpretem, ut ita Scriptura ſit dicenda ſui Interpres: ſed *rationem nos docere* vocem *Deum* creaturæ attribui, & impropriè ſumi locis ſupra citatis: quia *ratione* ſcimus Deum non poſſe mori, nec plures poſſe dari Deos.

Sed

Sed quod caput rei eſt, exiſtimat non poſſe loca Scripturæ cum aliquo fructu inter ſe contendi aut conferri, ita ut uni loco aliquod lumen ab alio importetur, niſi id fiat ratione tamquam *principio*: quia ſi unus locus per alium explicetur, erit proculdubio, quod locus clarior inſerviat interpretationi loci obſcurioris; nam ſi duo loca æque ſunt obſcura, in neutro aliquid eſt præſidii ad eruendum amborum aut alterutrius ſenſum. Erit ergo quia unus textus altero clarior eſt: at ſi rem æqua lance ponderes, ille locus clarior & magis perſpicuus erit, qui ea docet, quæ ratione aut ſenſibus facilius æſtimantur; quæque principiis cognitionis naturalis ſunt propiora: ſed quia in hac re vertitur tota controverſia, rem pauló enucleatius exponam.

Primò, ſtatuit auctor unum textum alio clariorem eſſe, propter duas rationes tantum: prima eſt, vel quod in uno loco res fuſius tractatur & traditur, quam in alio, ita ut plura de ea narrentur in uno loco, quam in alio: vel quia voces, quibus una eademque res, diverſis in locis declaratur, ſunt minus ambiguæ, & ſignificationis apertioris in uno, quam in alio loco. Locus apertioris & clarioris ſignificationis per ſe nullus eſt: ſed omnis locus eſt ambiguæ ſignificationis, ſi ad ſermonem, hoc eſt, ſi ad voces & verba attendas: quia omnis vox eſt vel propriæ, vel impropriæ ſignificationis; ita ut nulla vox in Scriptura extet, quæ diverſimodè non uſurpetur, & nunc hoc nunc illud ſignificet: quamvis agnoſcat auctor, ut plurimum quandam analogiam eſſe inter ſignificationes vocum Sacræ Scripturæ: attamen quid vox in aliquo textu Sacræ Scripturæ ſignificet, id per ſe ex voce non putat cognoſci poſſe. Præterquam, quod etiam omnis ſermonis auctor ſit vulgus, qui rebus voces impoſuit ſecundum judicia, quæ de rebus format; ergo ad Philoſophiam ſermo examinandus eſt. Et locus clarus & apertus is erit, qui ea tradit, quæ ex principiis Philoſophiæ facile cognoſcuntur eſſe vera. Et ideo, quo quis in Philoſophia majores fecerit progreſſus, pluresque cognoverit veritates, eo loca Scripturæ ipſi apertiora & clariora erunt.

Cum itaque auctor Divinus in alium auctorem Divinum jus & auctoritatem non habeat, Scriptura ſui interpres ea ratione non erit; quaſi unus locus alteri cederet authoritate & divinitate. Et ſi uno loco plura, & fuſius de aliqua re tradantur & narrentur, quam in alio, tunc ille locus, qui fuſius quædam tradit, non eſt interpres vocum, & verborum loci illius, in quo pauciora traduntur. Ex. gr. quamvis in plurimis Scripturæ locis ſimul ſumptis, plura traduntur de natura Dei, de juſtificatione, de Trinitate, de Prædeſtinatione, &c. quam in uno aliquo loco ſingulari, non ideo multa illa loca ſimul ſumpta, & inter ſe collata, ſunt interpres unius illius loci: nam unius illius loci voces & vocabula non mutuantur ſuam interpretationem ab aliis locis, ſed à circumſtantiis ſolius iſtius loci: quamvis alia Scripturæ loca, quæ de ſimili re loquuntur, me multa doceant, quæ uno illo loco non comprehenduntur. Sed longe diſtant; in multis locis, plura de aliquo myſterio doceri quam in uno: & multa loca eſſe interpretem unius illius loci. Ergò hiſce duobus modis Scriptura non eſt ſui Interpres.

Neque Scriptura eſt ſui interpres, cum vocis alicujus ſæpius in Scriptura uſurpatæ, ſignificatio per alium locum, ubi eadem illa vox occurrit, elicitur. Nam primo, ſi vocis ſignificatio in utroque loco æque eſt obſcura, tunc neutri loco ex collatione alterius aliquid lucis affulgere poteſt. Si unius vocis ſignificatio manifeſtior eſt, tunc adhuc propter duplicem rationem non procedit, Scripturam eſſe ſui interpretem. Prima eſt, quia non ſequitur, ſi hoc loco hæc vox hanc habet ſignificationem, ergo etiam illo loco eandem ſignificationem obtinere debet. Nulla Sacræ

Scripturæ vox in ſe conſiderata, certam limitatamque ſignificationem habet, ſed certam ſuam ſignificationem ex circumſtantiis mutuatur: ergo ſi vox utrobique eandem habet ſignificationem, id ex circumſtantiis deſumendum eſt; ergo non ex circumſtantiis loci, ſed ex circumſtantiis utriuſque textus. Si itaque circumſtantiæ ſint eædem, tum ſenſus utriuſque loci ex propriis ſuis circumſtantiis dijudicatur. Si ſunt circumſtantiæ diverſæ, jam peſſima foret interpretandi ratio: vox in hoc loco occurrens hanc ſignificationem habet, ergo ubicunque illa vox in Sacris Bibliis reperitur, eandem ubique ſignificationem obtinet, etiamſi circumſtantię diverſę ſint.

Secunda ratio eſt, cum is locus clarus eſt, cujus vocis ſignificatio vera, clara, ſive cujus ſenſus verus & clarus eſt. Nullus autem verus ſenſus eſt clarus ex vocum, quæ in textu occurrunt, ſimplici ſignificatione; quia nulla eſt vox, quæ non ſumitur diverſimode, ſequitur illum textum eſſe perſpicuum & facilem intellectu, qui ea tradit, quæ ſunt rationi notiora: ergo locus clarior, qui alteri loco explicando inſervire poſſet, non eſt ex vocibus clarior, ſed ex rebus, quæ iis vocibus traduntur: & ita Scriptura non eſt ſui interpres, non magis, quam per ſe eſt perſpicua. Sed Philoſophia ſicut eſt interpres vocum loci clari; ita eſt interpres loci obſcurioris, quia ratio formalis perſpicuitatis utrobique eſt cognitio naturalis & lumen naturale.

Quibus addendum, quod auctor tradit in epilogo: voces ſive ſigna nihil nobis ſignificare, niſi res ſignata nobis nota ſit; ſunt enim ſigna ex inſtituto, & ideo fruſtra auribus noſtris ingeruntur voces *bovis* & *hominis*, ad excitandam in nobis ideam *hominis* & *bovis*, ſi antea illa idea in nobis non fuerit. multo magis putat fruſtra verba & voces fundi, ad nos docendam hominis naturam, cujus naturæ vera hominis idea repræſentamen eſt. Ex his auctor irrefragabiliter vult conficere, Philoſophiam eſſe Scripturæ interpretem: quia nulla vox mihi poteſt eſſe intelligibilis, ſi antea non intelligam naturas rerum, quarum voces ſigna ſunt. Antecedit itaque rerum cognitio ipſas Scripturæ voces. Et quamvis Scriptura me multa nova doceat, quæ per Philoſophiam non potuiſſem inveſtigare: quamvis arte docendi me ducat in veritatem multarum rerum, quæ quidem Philoſophia cognoſci poſſunt, ſed ad quas nunquam attendiſſem, aut ad quas ratio nunquam ſe extuliſſet: quamvis Scriptura componendo & dividendo me multas ſimplices naturas, multa nova myſteria doceat, attamen non tantum nihil me docere poteſt, ſi naturas illas ſimplices antea non cognoverim: (quid enim hæ voces, v. gr. me docebunt, *Chriſtus Deus & homo eſt una tantum perſona*, ſi antea non ſciam quid ſit *homo* & *Deus*; & quid ſit *perſona*) ſed etiam vocum illarum ſignificatio, quibus illa myſteria me docentur, ex Philoſophia & cognitione ſimplicium illarum naturarum petenda eſt: atque ita earum interpretatio à Philoſophia ducitur. Nam ſi judicium de conjunctione aut disjunctione naturarum ſimplicium, quas voces Scripturæ docere videntur, pendeat à naturali cognitione naturarum illarum ſimplicium, tum etiam ſenſus vocum Scripturæ, quibus illa conjunctio aut disjunctio naturarum doceri videtur, per rationem & Philoſophiam inveſtigatur: ab ea enim dependet judicium, utrum voces Scripturæ propriè an impropriè ſint ſumendæ.

Nec vult auctor excipi ullum myſterium: quia, quamvis Scriptura multa nobis revelet myſteria, totum tamen myſterium debet ex multis ſimplicibus naturis conſtitui, quas in myſteriis mirifice conjunctas & disjunctas eſſe cognoſcimus per Scripturam: ſed utrum conjunctio & disjunctio vera ſit & poſſibilis, ex ratione judicatur; & verborum Scripturæ ſenſus, quibus illa myſteria doceri videntur, rationi ſubjacet: quatenus illæ voces propriè vel impropriè ſumi debeant.

Di-

Diutius hiſce immoratus ſum, quia illo capite, quo agitur de Scripturæ interpretatione, & utrum Scriptura ſit ſui interpres, & ſimul epilogo libri, tota auctoris ſententia continetur. Ubi autem auctor ſibi perſuaſit ea ratione Philoſophiam eſſe Scripturæ interpretem, putat ultro ſequi, nec Papam, nec Concilium, nec Scripturam eſſe ſui ipſius interpretem; nec eam ita eſſe per ſe perſpicuam, ut ejus perſpicuitas non pendeat à præcedente ratione.

Iiſdem fundamentis innixus, putat ſe facile refellere poſſe ſententiam eorum, qui docent Spiritum Sanctum in Scriptura loquentem, eſſe Scripturæ interpretem; quia ſtatuit ſenſum Scripturæ verum, debere eſſe fidei noſtræ fundamentum, non autem aliquod Spiritus dictamen aut afflatum, à ſenſu Scripturæ inſito, diſtinctum. Et eo ſenſu rejicit omne lumen à lumine naturali diſtinctum, omnem internam revelationem, omnemque Spiritus inſtinctum: putat enim omnes hujuſmodi opiniones enthuſiaſmo affines. Rejicit etiam illam Spiritus Sancti operationem, quâ res fidei fidelium cordibus obſignantur: ſi illa obſignatio diſtinguatur *ab illa efficaciſſima perſuaſione, certiſſima fide, intima perceptionis conſcientia concepta; & quæ ſequi ſolet claram & diſtinctam perceptionem, per naturale intellectus lumen à S. Sancto productam* (ſunt auctoris verba) *in mentibus fidelium.* Non itaque vult videri Spiritus Sancti opem rejeciſſe in interpretanda Scriptura, ſed docet non eſſe majorem uſum doni Spiritus Sancti, quam quod dirigat mentem, ut rectè inſiſtat in utenda ratione; non autem quod homini nova ſuggerat principia.

Si itaque bene ſim aſſecutus mentem anonymi, exiſtimo maximam argumentorum partem, quæ in illius anonymi adverſariorum ſcriptis comparent, non oppugnare, multo minus expugnare anonymi paradoxam ſententiam. Cujus rei aliquod ſpecimen dare lubet, non quo anonymi ſententiam admodum erroneam muniam, aut ab abſurdo vindicem; (nihil enim poſſumus contra veritatem) ſed quo felicior noſtrorum in poſterum cum illo congreſſus ſit futurus; & ut cautius pugnam adornent & aciem inſtruant.

Omittam ea argumenta, quæ ducuntur à Philoſophorum vitiis; quod ſunt animalia glorioſa: quod nimis ſuis conceptibus applaudunt: quod difficulter à ſuis ſuſceptis opinionibus depelli poſſunt: quod temere inflati opinione ſcientiæ, veſtigium ponunt in alienam poſſeſſionem, & terminos ſuæ provinciæ transgrediuntur, & quæ ſunt hujuſmodi. Nam eorum argumentorum, utpote à præjudiciis & iniqua animi conſtitutione ortorum, tam facilis eſt depulſio, quam facilis fuit adverſariorum Anonymi hujuſmodi argumentorum adornatio. Præterquam quod verus Philoſophus, iſque Chriſtianus, hujuſmodi vitiis affinis eſſe non poteſt: nec poteſt recta ratio, quâ vera Philoſophia continetur, & de qua hic ſermo eſt, hujuſmodi vitiis hominis mentem inficere.

Quod addunt, Philoſophos ſemper primis Chriſtianis multum negotii feciſſe; & quoſdam tunc demum ſe amplectendæ religioni Chriſtianæ aptos comperiſſe, quando Philoſophiæ repudium miſerant, &c. auctor dicet id ejuſdem eſſe momenti, cujus ſunt priora: cum iſtæc *veræ Philoſophiæ* convenire non poſſint. Præterquam quod illi, quos prioribus ſæculis Philoſophos vocabant, erant Theologi inter Ethnicos. Et fuere Philoſophi, qui multa cum laude & fructu religionem Chriſtianam defenderunt contra gentiles. Et cum verè Philoſophari ſit rectè ratione uti, vereor ne cum aliquo probro religionis Chriſtianæ dicatur, rectam rationem illi adverſari; quaſi is eſſet optimus Chriſtianus, qui minimum rationi tribuit.

Propius ad rem videntur accedere, qui dicunt, Philoſophiam tantum tractare res naturales, Theologiam autem præcipuè occupatam eſſe in rebus, quæ revelatione cognoſcuntur. Sed non ſunt aſſecuti ſenſum auctoris; non enim negat auctor plu-

rima in Sacris Bibliis revelari, quæ ratione & principiis naturæ inſitis, nemo potuiſſet cognoſcere; ſed contendit nihil verbis Scripturæ revelari, quorum verborum ſenſus Philoſophiâ, ſive recta ratione, tamquam principio, non inveſtigatur; & ad quam, tamquam normam, vocis interpretatio non debeat exigi. Sunt itaque noſtrorum Theologorum partes probare, talia in Scriptura tradi, de quibus ratio judicare non poteſt, utrum res, quæ revelatur, ita eſſe aut non eſſe poſſit; ut ita æſtimetur & judicetur, utrum voces proprie an improprie ſumendæ ſint: debent itaque noſtri Theologi oſtendere, hujuſmodi quædam in Scriptura tradi, quæ ad principia cognitionis naturalis exigi non poſſunt; ita ut ad Philoſophiam non pertineat de illis textibus judicare, & æſtimare, quomodo voces in illis interpretandæ ſint: quod noſtri Theologi quidem facile præſtare poſſunt, ſed meo judicio non ſatis operæ in ea re demonſtranda poſuerunt.

Nec valet argumentum, *Poſſibilia tantum credere, non eſt fidei, ſed Philoſophiæ:* & quod multa ſunt in Theologia, quæ nec ratione probari, nec ſenſu confirmari poſſunt. Aliud enim eſt probare ratione *myſteria fidei*, aliud probare per rationem *ſenſum verborum*, quibus myſteria fidei, quæ nullus ratione inveſtigare potuiſſet, nobis revelantur, verum & genuinum, talem eſſe debere, nec alium eſſe poſſe. Quo etiam refero illud argumentum: *quod res, quæ creditur, demonſtrationibus Mathematicis non nititur: quod in rebus fidei non ſit quærenda evidentia, quodque ea in rebus fidei non poſſit eſſe norma judicandi, utrum veritatem aſſecuti ſimus nec ne.* Reſpondeo enim, quamvis myſteria creduntur, quia nituntur *teſtimonio revelantis Dei*, *non ideo ſenſus verborum teſtimonii creditur, ſed demonſtratur.* Et metuo ne illi, qui negant ſenſum verborum Scripturæ eſſe demonſtrabilem, quia pertinet ad fidem, omnem Theologiam transforment in Scepticiſmum aut Enthuſiaſmum. Sed probè mihi conſtat illos auctores, qui hujuſmodi argumenta in medium proferunt, alienos eſſe ab hujuſmodi erroribus.

Et quia iidem auctores non ſatis diſtinguunt inter *teſtimonium Divinum*, quod eſt Sacra Scriptura, & inter *media*, quibus *ſenſus* teſtimonii Divini eruitur, ideo mihi videntur hæc ſequentia argumenta contra anonymum non ſatis ſtringere. Dicunt, *fidei Divinæ falſum ſubeſſe non poſſe, rationem autem errare poſſe: ratione neminem ſibi parare poſſe talem perſuaſionem, qualem fides requirit: ſed ad hoc requiri* lumen fidei: *& quod ideo nullus unquam pro aſſerenda veritate Philoſophica martyrium ſubiverit, at multos pro firmandis iis, quæ fide credebant, omnia acerba paſſos eſſe.* Reſpondeo, quamvis enim veriſſimum ſit, teſtimonio Divino nihil falſi ſubeſſe poſſe; omnia eſſe veriſſima, quæ in Scriptura traduntur: non ideo expoſitiones noſtræ ſuper textibus S. Scripturæ ſunt Divinæ & infallibiles: & interpretes, qui Sacra Biblia, tam ſibi, quam aliis exponunt, errare poſſunt. Nec ſequitur ideo fidem noſtram, aut omnino incertam, aut minus certam eſſe: ſufficit enim ad fidei certitudinem; nos certas, habere notas, quibus ſcire poſſumus, utrum erremus nec ne. Neque hic ad lumen fidei confugiendum, quod diſtinctum ſit à rationibus & argumentis, quibus nobis perſuademus nos verum Scripturæ ſenſum aſſecutos eſſe. *Lumen* enim *fidei* ab his rationibus & argumentis diſtinctum nullum fingere licet, quin ilico Enthuſiaſmo patrocinemur. Si autem illi Theologi per lumen fidei intelligant operationem Spiritus, per quam veritas ſenſus Scripturæ, ratione, per Dei gratiam elicita, efficaciſſime & intime ſeſe inſinuat menti noſtræ; eamque ita potenter afficit, ut de veritate illa homo dubitare non poſſit, non pugnabunt cum anonymo. Nam tum lumen fidei nihil aliud, ex illius ſententia erit, quam

quam illa *evidentia*. Liquet jam porro, quamvis perfecta ratio & vera Philoſophia ſubjective in nullo nunc homine reperiatur completa, nihilominus veram Philoſophiam poſſe eſſe Scripturæ Interpretem. Nam qui dicunt Scripturam eſſe ſui ipſius interpretem, etiam concedere debent, nullum jam extare interpretem, qui omnes veras interpretationes, & verum ſenſum omnium & ſingulorum Sacræ Scripturæ locorum eſt aſſecutus: & tamen ſe vera docere putant; idque (ut exiſtimo) recte, nempe Scripturam in ſe complecti omnes veras interpretandi rationes: quemadmodum auctor Anonymus dicit Philoſophiam veram etiam omnes veras interpretandi rationes in ſe continere. Fruſtra itaque quæritur, quouſque aliquis debeat eſſe Philoſophus, antequam idoneus Scripturæ interpres eſſe poſſit? Reſponſurus enim eſt, quo aliquis eſt rerum intelligentior, eo felicior erit Scripturæ interpres: ſi inſtes, at expectamus ab auctore Anonymo interpretem perfectum, & infallibilem. Reſpondebit auctor ſe officio ſuo functum, & præſtitiſſe quod promiſerat, quatenus lectori oſtendit rem, in qua omnes veræ & infallibiles interpretandi rationes continentur: & ſimul quatenus oſtendit methodum, qua illius rei copiam nobis parare poſſumus; nihil enim plus præſtant noſtri Theologi contra pontificios, quando pro perfectione Scripturæ argumentantur; & cum docent Scripturam eſſe ſui interpretem. Agnoſco equidem tunc recte à noſtris urgeri, Anonymum nihil præſtitiſſe, quo facilius controverſiæ religionis terminentur, quia non minores in Philoſophia ſunt quæſtiones, quam in Theologia; & quo diſputationes ſunt in Philoſophiâ frequentiores, eo Scripturæ interpretationum major erit diverſitas.

Et cum noſtri Theologi docent, certas regulas proponi poſſe, per quas conſcientiæ ſuæ tranquillitati conſulere poſſunt fideles; & per quas ſibi perſuadere poſſunt, fidem ſuam de myſteriis & articulis fidei bene fundatam eſſe, proxime accedunt ſententiæ Anonymi. Nam tunc ponunt iſtas rationes eſſe fundamentum fidei. At iſtæ rationes apud Chriſtianos, qui authoritatem Scripturæ præſupponunt, nihil aliud eſſe poſſunt, quam illæ, quibus ſenſum Scripturæ tuemur eſſe verum: aut ipſorum myſteriorum, & doctrinæ ſalutis natura, qua ſua veritate, ſanctitate, ſublimitate per ſe conſcientiis fidelium ſeſe manifeſtat: at has rationes omnes auctor vult ad Philoſophiam revocari. De rationibus, quibus veritas ſenſus nititur, ſupra ſatis dictum eſt. De natura doctrinæ ſe ipſum manifeſtantis, lis eſſe non poteſt, ſi conſideremus neminem, v. gr. de ſanctitate doctrinæ Chriſtianæ judicare poſſe, qui prius conceptus & ideas ſanctitatis non habuerit. Et cum ſæpius ſimplex fidelis ſine magno ſtudio firmiter perſuadetur de fundamentalibus Chriſtianæ religionis capitibus; non fit id infuſione novi luminis, ſi rectè & verè loqui velimus, ſed excelſæ illæ doctrinæ Chriſtianæ proprietates ope Spiritus, ita feriunt fidelis mentem principiis cognitionis, ſanctitatis, bonitatis, clementiæ, juſtitiæ &c. Divinæ imbutam, & ſuæ miſeræ ſortis conſciam, ut ex natura doctrinæ veritatem ejus agnoſcat, & firma fide in eam incumbat. Hæc ita, aut ſimili modo fieri, ſtatuendum eſt, aut enthuſiaſmum vitare non poſſumus. Ex hiſce jam pariter manifeſtum eſt, quomodo ſimplex fidelis atque idiota firmiſſimè de aliquot dogmatibus fidei Chriſtianæ perſuaſus eſſe poteſt, qui tamen firmitatem fidei ſuæ aliis perſuadere non poteſt: neque rationes ſuæ fidei ita explicare, ut in iis demonſtrationes appareant: nec tamen ad aliquod novum lumen, tamquam principium fidei, confugiendum; neque etiam propterea negandum talis idiotæ fidem demonſtrari poſſe. Manifeſtat ſeſe doctrina fidei ad conſcientiam fidelis idiotæ per lumen ſuum, hoc eſt, per proprietates illas, quarum ſupra partem recenſui. Et is eo modo perſuaſus

eſt

eſt de veritate fidei, quemadmodum ſua ſponte judicat de multis vitiis & virtutibus, ope notionum communium.

Non exiſtimo etiam impugnari doctrinam Anonymi eo, quod ejus adverſarii dicunt, ex ejus doctrina nullum redundare fructum, quo citius lites de religione terminentur: non puto enim eam auctoris mentem eſſe, ut arbitretur ilico ceſſaturas omnes de religione controverſias, ſimulac ſua ſententia admittatur; ſed exiſtimat eventurum, ſi homines eam viam & rationem interpretandi inirent, litium finem futurum, quia tunc ſolummodo argumentis apodicticis pugnaretur. Sed multum intereſt, tradere normam interpretandi Scripturam certam & infallibilem, & illam normam reipſa deducere in uſum ſine prolapſione & vitio. Quemadmodum longe diſtant tradere, Scripturam eſſe infallibilem ſui interpretem, & tradere ex Scriptura omnes veras interpretationes reipſa erui. Quemadmodum etiam multum diverſa ſunt, habere rationes exploratas, compertas & apodicticas, quibus mea ſcientia de ſenſu Scripturæ innititur; & earumdem rationum certitudine mentem aliorum informare, & omnes contradicentes convincere. Nam Scriptura potens dicitur ad erudiendos omnes & ſingulos homines ad ſalutem, 2 *Tim.* 3. quamvis illa potentia Scripturæ vitio hominum ſæpius cadat in irritum. Sufficit (inquiet Anonymus) meam ſententiam de ſenſu aliquo Scripturæ vim demonſtrationis habere, ita nempe, ut non ſit neceſſe receptum ſuum habere ad aliquod lumen, tamquam ad principium diſtinctum ab argumentis, quæ ex Scriptura petuntur: & quod lumen Anonymi adverſarii, hujuſmodi eſſe dicunt, quod omnibus & ſingulis præſens eſſe non poſſit, ſed extrinſecus homini accedat; vel potius, non tam homini, quam Scripturæ luminis incrementum communicetur: quia lumen antea homini abſconditum, majora homini ſua dat indicia, non autem homini novum aliquod lumen accedit: nam tum lumen non eſſet in Scriptura, ſed in homine; ita ut, ſi res recte putetur, eo lumine, Scripturæ affulgeat claritas & perſpicuitas, non autem hominis intellectus ex Scriptura illuſtretur. Quamvis concedendum ſit, neminem ſine Dei gratia, ita mentem converſurum ad vim argumentorum, ut iis ſalutariter commoveatur.

Ex præcedentibus itaque etiam liquet, methodum Carteſianam, quam Anonymus tradere præ ſe fert, in perveſtiganda veritate ſenſus Scripturæ ideo rejiciendam non eſſe, quia eâ proceditur demonſtrationibus, laboraturque ad comparandam *evidentiam*, quæ omnia in rebus fidei non habere locum falſo putatur. Quemadmodum nec ideo improbanda illa methodus, quia jubet *dubitare*, hoc eſt, *ſuſpendere judicium*, & ſuſtinere aſſenſum ſuper ſenſu Scripturæ, cujus ſenſus ratio nobis non conſtat. *Nam quamvis nunquam in dubium vocanda ſint, quæ fidei ſunt, licet tamen omnes interpretationes in dubium vocare, quarum nos fugit ratio; idque eo uſque, donec validas rationes inveneri mus, quibus ſingulæ interpretationes demonſtrentur.*

Objicitur etiam, auctorem anonymum ſecum diſcordare, & parum conſentanea dicere, cum ſtatuit ex Scriptura peti debere omnia dogmata fidei, & morum regulas, &c. & tamen extra Scripturam quærere regulam & normam Scripturæ: dicunt enim tunc Scripturam non eſſe credendorum & agendorum normam & regulam, ſed id, quod extra Scripturam, tamquam norma Scripturæ, aſſumitur. Addunt præterea, quod ſi Scriptura eſt regula credendorum, debet eſſe per ſe perſpicua: quemadmodum omnes normæ ſua ſponte cognoſcuntur; Anonymus inquiunt, hoc negat & abnuit; vocat enim Philoſophiam in ſubſidium. Addunt inſuper, Scripturam non eſſe normam fidei & morum, niſi quatenus intelligitur: ergo non inquirendum in aliam normam,

per

per quam fungitur officio. Dicunt etiam auctorem fruſtra diſtinguere inter ſenſum infallibilem Scripturæ, & inter ipſam Scripturam; quæ ſui interpretationem & ſenſum infallibilem eo ipſo continet, quod ſit infallibile Dei verbum.

Sed non poſſum percipere iſtas objectiones magnopere gravare ſententiam anonymi. Poteſt enim Scriptura eſſe norma & regula credendorum, etiamſi extrinſecus illius interpretandæ in ſubſidium vocentur regulæ; quia illæ regulæ non important, aut inferunt ſenſum novum Scripturæ, ſed earum ope verus ſenſus, qui in Scripturis eſt, elicitur. An teſtamentum patris mihi non eſt regula, ſecundum quam debeo adire hæreditatem, quamvis verborum teſtamenti ſenſus mihi non conſtet, niſi per cognitionem rerum, quæ in ipſo teſtamento non traduntur, & aliunde foris petuntur? Sufficit per iſtas res non cudi novum teſtamentum. Nec ideo illæ res, per quas ſenſus verborum teſtamenti eruitur, non ſunt majoris authoritatis quam ipſum teſtamentum: non magis quam argumenta, quibus probo aliquid eſſe diploma principis; aut quibus demonſtro verborum diplomatis principis ſenſum hunc & non alium eſſe, ſunt authoritate potiora ipſo principis diplomate. Atque ita pariter liquet, quomodo auctor anonymus non deroget Scripturæ auctoritatem *judiciariam*. Verus enim Scripturæ ſenſus ipſi inſitus manet judex controverſiarum; quamvis Philoſophia (ex ſententia Anonymi) ſit norma & regula, ſecundum quam verus ille ſenſus debeat elici. Quæ vera Philoſophia *mente comprehenſa*, non male *interpres* Scripturæ vocatur, quemadmodum ſenſus Scripturæ mente comprehenſus, *lex* vocatur, quæ conſiderata, ut jacens in Scriptura, nobis eſt *norma* & *regula*.

Concedit etiam auctor, normam debere eſſe perſpicuam: ſed *norma fidei* non ſunt voces & verba Scripturæ, ſed *verborum & vocum ſenſus*; qui cuique tunc demum norma eſt, quando eſt *perceptus*, atque adeo, quando eſt clarus & perſpicuus. Sic facile concedet auctor, Scripturam non eſſe normam fidei & morum, niſi quatenus intelligitur; & ita auctor anonymus non inquirit in aliam normam, per quam Sacra Scriptura fungitur ſuo officio. Neque negabit auctor anonymus Scripturam ideo eſſe Dei verbum, quia ſenſum infallibilem in ſe continet; & tamen ſubſiſtet utilitas diſtinctionis inter ſenſum infallibilem Scripturæ, & inter verba & voces Scripturæ, quæ propriè verbum Dei non ſunt, niſi quatenus earum verus ſenſus mente ſit perceptus. Non ſatis aſſequor quid virium ultra in hoc argumento lateat.

Quod præterea objicitur, auctorem parum æquum eſſe in Scripturam, cum ab ea tollat facultatem ſe interpretandi, cum tamen Philoſophiæ attribuat quod ſit ſui interpres, id inde natum, quod non intelligunt auctorem anonymum per Philoſophiam non intelligere ſcripturam aut librum, quo dogmata Philoſophica traduntur, quæ ſui interpretes etiam non ſunt; ſed ipſas veritates Philoſophicas; quæ cum cognoſcuntur, interprete non indigent, non magis quam verus Scripturæ ſenſus perceptus, interpretatione eget. Conſtat etiam nunc, quare auctor anonymus lexicon, grammaticam & rethoricen, quæ circa voces occupatæ ſunt, non ſtatuerit Scripturæ interpretem. Exiſtimat enim nullius vocis ſignificationem in ſermonibus poſitæ, unam & ſimplicem eſſe, ſed variam, & de qua ratio judicat. Eſt itaque quidem, ex anonymi ſententia, cognitio linguarum magnum adjumentum atque ſubſidium in interpretanda Scriptura; ſed interpretis dignitatem ſuſtinere non poteſt, quia vocabulorum ſignificatio ex circumſtantiis textus, & natura rei, de qua ſermo habetur, æſtimanda eſt: at, ex Anonymi ſententia, id Philoſophia in omnibus præſtat.

Quod addunt Sacram Scripturam nul-

libi Philoſophiæ attribuere illam dignitatem, quam auctor anonymus illi vindicat; & quod Spiritus Sanctus quidem inculcat *ſcrutamini* Scripturam, non autem ſcrutamini Philoſophiam, &c. tum quod ex auctoris anonymi ſententia videatur ſequi, non opus eſſe ut Chriſtiani in lectione & meditatione Scripturæ occupentur. Ad iſtæc reſpondebit auctor, toties Scripturam homines ad Philoſophiam ablegare, quoties ad legem menti hominis inſitam, quoties ad hominis conſcientiam, quoties ad rationem provocat. Et proferet auctor anonymus tot exempla, quot occurrunt ratiocinationes & demonſtrationes in Scriptura, quæ cognitione naturali nituntur. Præterquam quod auctor anonymus negaturus ſit ex ſua ſententia ſequi, homines lectione & meditatione Scripturæ ſuperſedere poſſe: cum Scriptura ſola ſuggerat res ad fidem & mores pertinentes, quamvis verborum, quibus res illæ traduntur, ſenſus non conſtet, ſi ratione ſive Philoſophia non eruatur, & probetur.

Quod porro objicitur auctori, eum patrocinari Pontificiorum peſſimis & perniciosiſſimis erroribus *de obſcuritate & imperfectione Scripturarum, de judice controverſiarum, Papa, aut Concilio*, in eo auctori nullam imponunt injuriam. Nam quamvis revera non ea ratione neget Scripturam ſui eſſe interpretem, & per ſe eſſe perſpicuam, qua Pontificii; neque ullo modo ex ipſius doctrina ſequatur, Scripturam non eſſe perfectam normam & regulam fidei, tamen ſuis loquendi modis, partitione capitum, inſcriptione tituli libri, & argumentandi ratione, non injuſtam ſuſpicandi cauſam præbuit omnibus Reformatis, eum voluiſſe labefactare præcipua noſtræ doctrinæ capita contra Pontificios. Quemadmodum propter eaſdem rationes, vult videri recedere ab omnibus aliis ſectis, quæ ſegreges ſuos conventus habent ab Eccleſia Romana: & nihil magis affectare videtur, quam æſtimationem & laudem hominis liberi, & elati animi; qui nec ullius magiſtri verbis addictus eſt, nec quem pudet ſenſa ſua de religione, quantopere poſſent eſſe inviſa, intrepide proferre: eo libentius illa publico aperiens, quo longius à reformata Eccleſia appareant remota: ut ferme videatur, quemadmodum præſtigiatores, velle videri mirificus in religione. Saltem illam culpam vitare non potuit, ut non videatur ambitioſius res religionis tractaſſe; quodque ſuis opinionibus partim in ſpeciem admodum invidioſis, partim revera odio dignis, admiſcuerit Carteſium: unde ejus ſectatoribus magnum conflavit odium apud rerum imperitos; & inimicis Carteſii anſam præbuit, qua novos tumultus in Carteſianos concitarent, atque ita peſſimam à Magiſtro ſuo Carteſio, Viro Clariſſimo, iniit gratiam; cui nihil magis cautum atque proviſum ſemper fuit, quam ne res fidei ad ſuam Philoſophiam adſciſceret. Sed quemadmodum anonymus liberari non poteſt ab hiſce vitiis, ita etiam ejus adverſarii ſe turpiter dederunt; qui cum in theſibus ſuis Auctoris ſententiam oppugnare præ ſe ferunt, planè ab Adverſarii ſui ſententia aberrarunt: idque factum, quia nullâ ſolidâ & benè extructa doctrinâ habentes excultum & ſubactum ingenium; quicquid ab Auctoribus proditur, quod in locis communibus non reperitur, ad hoc ſtatim exhorreſcunt, atque obſtupeſcunt: & porro odio & invidia tranſverſi acti, metuentes ne novi ſcriptores ipſis gloriam, quam ſibi & præſertim in Theologiâ propriam vindicarunt, præripiat: & quia illis ſemper tantum cum pueris res fuit, qui quicquid à Magiſtro temere effunditur, exoſculantur, inde vani illi magiſtri tantum ſumunt animi & fiduciæ, ut in omnes doctos tollant ſupercilium; & cenſoriâ auctoritate omnibus velint modum præſcribere. Quanto illi prudentius inirent rationes ſuas, ſi miſſâ facta illa ventoſa ſcientia, ſedulo incumberent in veritatis inveſtigationem: tunc

minori

minori diſpendio orthodoxiæ verſarentur in ſtudio Theologico, & melius inani ſuæ gloriæ, cui fermè hi viri omnia dant, conſulerent: poſſent tunc enim ſcripta eorum ætatem ferre, quæ nunc, quia non ſubeſt vera vis, nec penitus immiſſis radicibus nituntur, ſunt inſtar ſeminum ſummo ſolo ſparſorum, quæ celerius quidem ſeſe effunduut, ſed inanibus ariſtis ante meſſem exareſcunt.

Sed ne nimium aberremus à propoſito, reſpondemus, revera Pontificiis ex doctoris anonymi ſententia, nihil paratum præſidii, quia non ita urget Scripturæ obſcuritatem, quaſi homines, etiam maxime idiotæ, non poſſent ex ea diſcere, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt; & quaſi iis principiis non eſſent inſtructi, aut ea eſſet in Scriptura obſcuritas, ut Concilio aut Papa indigeant, qui iis dictet verum Scripturæ ſenſum; quaſi alioquin nihil in ſe facultatis habeant fideles, qua ipſis ita conſtare poſſit verus Scripturæ ſenſus, ut ſecuri eſſe poſſint in conſcientia, ſe veritatem eſſe aſſecutos: ſed quaſi omnes veri ſenſus Scripturæ manerent ſingulis dubii & obſcuri, donec ſententia Papæ aut Concilii interceſſerit. Sed ſtatuit verba & voces in ſe conſiderata, ambiguæ eſſe ſignificationis, ſi ratione verus eorum ſenſus non dijudicetur. Quæ ratio ſufficienter omnibus præſens eſt, qui veritatis ſalutaris amore & ſtudio ducuntur. Illud omne noſtri Theologi concedunt, cum docent Scripturam notiones communes in lectoribus præſupponere, atque requirere: quod hic fuſius exponere operæ pretium non eſt, quia in præcedentibus de iis habitus eſt ſermo. Atque ita finem huic tractatui imponimus: ad quem concinnandum amor & ſtudium veritatis me impulit; & polliceor mihi omnem erga me æquitatem in lectore, ſi eo animo meus hic tractatus legatur, quo à me eſt conſcriptus.

TRACTATUS
MORALIS
DE
NATURALI PUDORE
ET
DIGNITATE HOMINIS:

In quo agitur de Inceſtu, Scortatione, Voto Cælibatus, Conjugio, Adulterio, Polygamia & Divortiis, &c.

PRÆFATIO ad LECTOREM.

CUm controverſia de pudore & dignitate naturali hominis, mihi ſemper viſa ſit obſcura & difficilis; parumque induſtriam doctorum virorum in ea verſatam, operæ pretium me facturum putavi, ſi incumberem (hiſce tenebris prælucendo facem) rem hanc magis in aperto ponere. Cum jam ibi eſſem; & ut res mihi felicius cederet, auctores, pro mea conſuetudine, conſulerem, ut eorum lucubrationibus mihi aliquot pararem præſidia, admiratio me tenuit, quod in re, tam digna illorum facultate, tam parum laboris poſuerint; illamque ferme totam deſertam reliquerint. Juriſconſulti præter pœnas, quibus flagitia, contra pudorem & dignitatem naturalem hominis commiſſa, vindicanda arbitrantur, reliqua; idque ſuo jure, cùm eorum ſtudium aliis circumſcribatur finibus, taciti prætereunt. Theologi, qui id omne ſuæ diſciplinæ ſubjectum putant, quo conſcientia informari debeat, tam tenuiter & perfunctoriè eam tractant, ut (*Beza* excepto, qui de *Polygamia* & *Divortiis* diſſertationem ſcripſit; ſed modo, qui appoſitus ad ætatem & ingenium illorum hominum, qui tunc ſtudia colebant, multum adhuc loci reliquerit induſtriæ aliorum) in eorum ſcriptis nihil ferme compareat, propter quod magnopere eo nomine commendanda ſint. A Philoſophis parum, aut nihil hic præſtitum: cujus ego cauſam eſſe ſuſpicor; quod arbitrati ſint hanc rem, non ad veritatem, ſed opinione tantum hominibus perſuaderi poſſe; ideoque maluerunt nullam ejus partem attingere, quam conjecturis, Philoſopho indignis, certare. At mihi, poſt hanc rem multum à me agitatam, alia nata eſt ſententia, qua mihi perſuadeo, omnia officia vitæ, quæ continentur præcepto ſeptimo Decalogi; & quæ puto duci oportere à pudore, & dignitate naturali hominis, probari & confirmari poſſe ex principiis, & fundamentis tam bene fundatis, ut ea moveri aut convelli non poſſint: utrum temerè an verè hæc à me dicantur, veſtrum lector, judicium, veſtra æſtimatio valebit. Aggreſſus autem ſum hanc controverſiam illuſtrare, non oblectandi otii, & experiundi cauſa, quid in hac obſcura re poſſem: ſed ut magis me munirem adverſus capitales quoſdam errores, qui hac tempeſtate ſe ſatis latè diſſeminant, fidemque apud multos inveniunt; & quibus omnis moralitas ab hominum actionibus tollitur. Horum errorum expugnationem varii vario modo inſtituunt: ſed exiſtimo illam tutiſſimam eſſe, quâ laboratur in adſtruenda Scripturæ Sacræ auctori-

tate

tate atque divinitate; quâ ſtabilitâ, cadunt præcipua eorum argumenta, quibus conantur adſtruere omnes res humanas fatali neceſſitate ferri. At inter multa argumenta, quibus Scripturæ auctoritas, & Chriſtianæ religionis veritas probatur, mihi facile illud princeps videtur, quod ſumitur à ſacro-ſanctis conjugii legibus, quas Chriſtus & Apoſtoli tradiderunt; & ad quarum præſcriptum illud inter Chriſtianos celebratur. Videt hoc Clariſſimus *Grotius*; & in ſuo de *Veritate Chriſtianæ religionis* libro, illud profert in medium, & illuſtrat: & agnoſco me magnopere confirmari in religione, quam profiteor, cum video viros noſtrorum ſacrorum auctores & duces, nullis diſciplinis imbutos; & viventes in medio hominum, quorum vitæ inſtitutum longiſſime aberat ab illis ſacris legibus, quas Chriſtiana religio ſanxit, tradidiſſe tam caſta & pudica præcepta conjugii: quæ nulla Philoſophorum diſciplina comprehenſa; nullis, vel politiſſimarum gentium moribus expreſſa, tamen principiis, ex quibus excitatur doctrina de pudore & dignitate naturali, tam egregiè congruunt: ut eo nomine fidem faciant, & ſe probos eſſe, & à Deo (omnium hominum conſenſu ſancto) doctrinam ſuam hauſiſſe; ſimulque gentes convicerint, eas religiones, indignas hominibus, utpote quibus ratio imperare debeat, coluiſſe; cum non tantum illæ non potuerint adferre interitum fœdis illis vitiis, quæ contra pudicitiam committuntur, ſed ne juſſerint quidem leges contra illa ferri; imo potius illis jus & ſanctitatem conciliarint: adſciſcentes ſcortationem in partem ſui cultus; & meretricios quæſtus Deo addicentes. Non itaque arbitror me inanem laborem ſuſcepiſſe, ſi oſtenderim, illas conjugii pudicas leges non hominum opinione & arbitrio ſuſceptas, aut temere natas, ſed à ſanctiſſimis naturæ principiis profectas: eademque opera probarim, Moſem Vatem divinum fuiſſe, qui conjugii leges enarrans, illarum meminit, quæ non ſolum rectæ rationi conformes comperiuntur; quando homines ad eas attendunt, ſeque colligunt, & ad ſe revocant: ſed quarum vi ita imbuta & informata eſt natura, ut à principio conditi mundi uſque ad extremum, quaſi in ſeminibus ſuis integræ conſervatæ ſint; ſemperque inter gentes barbaras quædam leges viguerint, quibus illæ paruerunt: forte potius naturæ inſtinctu, quam quod ratio illa officia moderata ſit. Et videre licet, quanta vis atque ſententia verborum ſit, quibus Moſes narrat Adamum uſum ad conſpectum Evæ. *Hac demum vice adeſt os ex oſſibus meis, & caro ex carne mea, hac vocabitur vira, eo quod hac ex viro deſumpta eſt: idcirco derelicturus eſt vir patrem ſuum & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ; eruntque in carnem unam.* Quibus Theologi rectè docent, leges conjugales comprehendi; & quibus gentes etiam obtemperarent ſua ſponte, ſi libidine rationem, & rectas naturæ permotiones non corrupiſſent: quæ excitatæ & integritati ſuæ reſtitutæ per Sacram Scripturam, docent in illis legibus ſanctitatem & pudicitiam eſſe. Si hujus do-

ctrinæ de pudore & pudicitia, à nobis nonnihil illuſtratæ, is inter alios uſus ſit, ut Scripturæ auctoritas, & Chriſtianæ religionis veritas ea muniatur, arbitror me per hunc tractatum honeſto & utili labore defunctum: quem quandoquidem mihi præcipuè propoſuerim, ſpero me nemini offenſum inviſumque fore, ſi fortè quædam occurrant, quibus non congruant aliorum ſenſus & doctrinæ: aut quæ etiam quibuſdam à veritate aliena videbuntur: cum culpa, quæ à veritatis ſtudio manat, potius ad laudem ſit convertenda, quam vitio danda; & magnopere ſit damnanda eorum perverſitas, qui maledictis inſectantur eos, à quibus de veritate diſſentiunt. Non hæc à me dicuntur, quaſi mihi conſcius alicujus dogmatis minus probati, aliquid vitii portaret hæc purgatio: ſed ſeculi perverſitas hanc ſollicitudinem nobis impoſuit; qua videmus imperitiores, & ingenio aut eruditione minus valentes, Cenſorum auctoritatem temere ſibi tribuere; quo quidem ſicut nihil eſt proclivius; facilis enim cuivis eſt rigidi cenſura cachinni, ita etiam nihil iniquius, eos, qui cum reliquis paris juris ſunt; & ſæpe eruditione inferiores, in proximum id juris uſurpare, ut eos velint jubere ſapere ex ſuo jecore: aut maledictis atque calumniis deterrendo, illos retrahere à ſtudio, & transdere in otium: quique aliter vix haberent quod dicerent, niſi maledicerent. Utcunque ceciderit caſus, nitar conſcientia recta, quâ mihi probè conſtat, me tantum hoc opuſculo ſtuduiſſe publico ſervire, & partem diſciplinæ moralis neglectam, incultam, & frondibus atque virgultis intercluſam, excolere.

TRACTA-

TRACTATUS MORALIS
DE
PUDORE
ET
DIGNITATE
Naturali Hominis.

AFfectus pudoris tam late manat, ſeſeque diffundit, ut nulli homines reperiantur, ad quos ille non pertineat; quique eum in ſe aliquando non experiantur. Et quamvis fortaſſe nonnulli reperiantur, qui ita ſunt exhauſti pudoris, ut nulla tangantur verecundia; non tamen ſeſe confirmavit in iis iſtæc impudentia, niſi poſtquam ſæpius repreſſerint honeſtam pudoris commotionem: & ita quidem non ſemper expertes fuere pudoris ſenſus. In infantibus multi quidem affectus ſeſe produnt, antequam pudor in iis ſeſe manifeſtet: prodeuntibus tamen annis, etiam ille affectus in iis conſpicitur. Et ſi recte rem expendamus, reperiemus in iis pudorem non prius ſeſe exerere, quam poſtquam mens eorum informata eſt aliquo ſimulachro cognitionis ſuæ dignitatis, & ordinis, quem inter creaturas obtinent: & ideo ille pudoris affectus tardius ſui dat indicia; & neceſſe eſt in iis exſpectare progreſſum aliquem annorum; donec per incrementa ætatis enata ſit feminibus ratio. Et quia brutis nulla eſt inſita cognitio dignitatis ſuæ, quam nullam habent; quemadmodum nec cognitionem pulchritudinis, nec proportionum, nec etiam harmoniam ex intervallis ſonorum cognoſcere poſſunt, ideo nullus brutis pudorem attribuit. Pudor itaque tantum in iis ſe manifeſtat, qui conſcii ſuæ dignitatis & æſtimationis, quam tueri debent, cenſent, aut ſuſpicantur in ſe aliquid hærere imperfectionis, vitii, aut culpæ; propter quæ tacitas hominum cogitationes extimeſcunt, & quibus viliores contemptioreſque habeantur; & dignitatis ſuæ aliquid detrahatur. Nec exiſtimo alicujus animum pudore tactum iri, qui verſans in ignoratione Dei, angelorum, & hominum, ſe ſolum & unigenum eſſe arbitretur. At ubi hominis anima cognitione Dei, & aliarum creaturarum ratione præditarum, informatur, judicat illarum rationalium naturarum de ſe poſſe eſſe judicium, & ſe pluris vel minoris poſſe ab illis æſtimari: & ſimulac intelligit magni ſua intereſſe, qua cenſatione ipſum dignentur, tunc pudori locus eſt. Et quia homini à natura inſitum eſt, tam contemptum à ſe amoliri, quam damnum & noxam, quibus corpus læditur: ideo ubi metus eſt contemptus & vituperationis, ibi pudor in ſubſidium adeſt; qui à natura homini tuendæ ac conſervandæ dignitatis & exiſtimationis ſuæ, cuſtos datus eſt: quemadmodum Deus homini alias paſſiones largitus eſt ad tutelam: metus enim infamiæ reprimit animum, ne procaciter, inordinatè, aut turpiter quidper agat. Et quo aliquis timidior eſt ad obtrectationes & convitia, quibus parum æqui rerum arbitri

bitri æſtimationem ſuam quam maximè imminui exiſtimant, in iis eo magis affectus pudoris temerè etiam dominatur. At enimvero ſtudium conſervandæ dignitatis, maximè verſatur in ſtudio conſervandi decori naturalis: (quod pudor præcipuè complectitur eſt enim illud nihil aliud, quam id, quod eſt conſentaneum hominis excellentiæ in eo, in quo ejus natura à reliquis animantibus differt. Sunt itaque pudoris magni uſus, & utilitates in vita humana: Eſt omnis honeſtatis fundamentum: abſque illo nullus modeſtiæ, decoro, & pudicitiæ locus eſſet; ita ut ubi ille exulat, omnia vitia, numeratis virtutibus oppoſita, catervatim hominis ſocietatem invadant: ubi pudor bene excolitur, illinc omnis barbaries faceſſit. In pudore manifeſtatur metus ille, quo veremur aliquid committere, quod noſtrum ſtatum imminuat: facit ut ſollicitè incumbamus in ea omnia, quibus contemptus, qui merito nobis oriri poſſet ex ſtatu corporis noſtri animalis, (quid per hoc intelligam in ſequentibus exponetur) amovetur: & ideo omnes functiones vitæ noſtræ animalis, quæ humiles & abjectæ ſunt, modis omnibus aut decorè tegere, aut illis aliquod decus addere laboramus. Tollit ſuperbiam & audaciam, qua homines, qui pudoris fibula non coërcentur, ſe omni vitio corrumpendos tradunt: facit nos modicè ſentire de nobis ipſis; Deum & homines vereri; virtutes ſectari, quibus non ſolùm tutamur noſtram dignitatem, ſed quibus illam extollimus & augemus. At ex adverſo, impudentia, præterquam quod ſemper erroris & arrogantiæ ſocia & comes ſit, tollit reverentiam, quam Deo atque hominibus debemus; utilem illam, imo perneceſſariam ſui cognitionem, obnubilat; ſanctitatis ſtudium extinguit; & facit, ne ſatis æſtimemus Dei ſanctitatem & juſtitiam; nec aliorum hominum dignitatem & gravitatem: veræ laudis æmulationem ex hominum animis ejicit, &c.

Et hæc quidem de pudore generatim dicenda habui. Nunc, ut mihi aditum faciam ad illum pudorem, qui ex factis turpibus, inhoneſtis, & probroſis oritur; & in quibus ſpeciatim hic labor occupabitur, notandum eſt, affectum pudoris oriri quidem ſemper ex facto aliquo, quo putamus nos aliquem nobis contemptum poſſe accerſere: poteſt tamen rectè pudoris partitio inſtitui à diverſitate cauſarum proximarum, quæ pudorem efficiunt. Alia eſt cauſa pudendi, quando aliquid committitur, quod ſua natura peccatum eſt; & vitium ſuum mutuatur, non inde, quod proprie aliquid perpetratum ſit contra pudorem: ſed quia peccatum commiſſum eſt contra leges juſtitiæ & charitatis: quod peccatum tum pudor ſequitur; atque ita tunc peccatum non eſt perpetratum contra pudorem. Alia eſt cauſa pudendi, quando quidem non aliquid committitur, quod in ſe malum eſt; ſed quia aliquid fit, in quo non parcitur noſtro, nec proximi pudori: & in eo neglectu formalis ratio iſtius peccati conſiſtit; ita ut extra illum neglectum, aliud vitium in illo actu aſſignari non poſſit. Et ideo hujuſmodi facta ſingulari ratione dicuntur commiſſa contra pudorem: & cum officium pudendi à talibus factis abeſt, tunc ceſſant eſſe peccata: cum aliorum peccatorum ratio ex alio principio ducatur. Tertia cauſa pudendi, & quæ à priori non longe recedit, eſt, quando peccamus contra noſtram dignitatem, ſive naturalem, ſive acquiſitam: quæ cauſa quidem arctè cum priori connexa eſt; obſervata tamen ejus diſtinctio, uſus ſuos præbebit in progreſſu hujus Tractatus. Ita inceſtus, & pudendorum revelationem dicerem eſſe pudori adverſa: ſcortationem autem, polygamiam, & repudia vocarem facta, quibus homines deſciſcunt à ſua dignitate naturali; ita ut formalis iſtorum actuum ratio non conſiſtat in neglectu pudoris, ſed in declinatione à ſtatu dignitatis noſtræ naturalis. Primam cauſam pudoris hic tacitam prætermittemus: quia illa nihil pertinet ad ea,

quæ

quæ in hoc opuſculo explanare conſtituimus. In excutiendis reliquis duabus verſabitur opera noſtra.

Quemadmodum omnibus omnium paſſionum commotionibus præſidere debet ratio, ita illa etiam pudori modum ponere debet; & eſſe illius moderator & arbiter. Affectum illum homini conciliavit Deus ad cuſtodiam ſuæ dignitatis: ſed rationis eſt præſcribere, de quibus rebus erubeſcendum ſit. Pudore ſuffundi de re bona & honeſta; & quæ nullum vitium, aut argumentum infirmitatis continet, tam rationi diſſentaneum eſt, quam expaveſcere & terrefieri propter rem, quæ lædere nos non poteſt. Talem pudorem vulgus pudorem ruſticum appellat; qui præcipue ſe prodit in illis hominibus, qui uſu rerum deſtituti, res & pericula, à quibus læſionem æſtimationis ſuæ proficiſci poſſe exiſtimant, non norunt ſatis expendere; atque ita præter cauſam perpetuo pudore inquietantur: quemadmodum meticuloſus, & ad pericula inexpertus miles ubique in bello mortis caſus eſſe putat. Non ibimus per ſingula, quibus juſta pudendi cauſa ſubeſt; tam late enim illa res ſeſe diffundit, ut bonam partem diſciplinæ moralis complectatur: ſed, ut diximus, ea tantum ad examen vocabimus, in quibus pudor & pudicitia proprie occupata ſunt. Hæc de pudore ruſtico & vitioſo dicta ſufficiant, ad inſinuandum à ſimplici pudoris affectu argumenta peti non poſſe, quid homini conveniat, aut ab eo alienum ſit; ſed hujuſmodi averſiones à pudore & verecundia natas, quamvis à natura ortum habere videantur, ad rationis trutinam eſſe appendendas: & affectum pudoris ſua ſponte non judicari, utrum legitimus an culpandus ſit.

Et quandoquidem non conſtitui in præſentia ortum juris & moralitatis à fonte, aut ſtirpe repetere, neque contexere diſciplinam moralem; ideo poſtulo quædam mihi dari & concedi, quæ quia per ſe nota non ſunt, aliis ad fidem perſuadere non poſſum; niſi à primis primordiis res inchoetur: quod jam ab inſtituto noſtro alienum eſt.

Ponam itaque hominem marem & fœminam à Deo in principio creatum, integrum quidem, & à peccati labe purum, & egregiis dotibus inſtructum & ornatum; non tamen tam excellentibus, ut ad majora adſpirare non potuerit. Apoſtolus Paulus, 1 *Cor.* 15. tradit eundem hominem corporis animalis & ſpiritualis, terreſtris & cœleſtis poſſe ſucceſſivè eſſe participem: Adamum primum corpus animale habuiſſe: ſanctos in cœlum tranſlatos, ſpirituali & cœleſti corpore induendos. Addit que *eodem capite*, gloriam cœleſtem tam illuſtrem fore, ut corpus animale non ſit aptum & habile fruendæ iſti voluptati; & ideo carnem & ſanguinem hæreditatis cœleſtis non poſſe eſſe conſortes. Fuit itaque aliquid in Adami corpore vile, & quod minus erat honeſtum: voco minus honeſtum eo ſenſu, quo Apoſtolus Paulus quædam membra corporis minus honeſta appellat, 1 *Cor.* 12:23. Itaque per vile, & minus honeſtum, non intelligimus aliquid vitioſum & probroſum, in quo Adamo erat erubeſcendum; nullo modo: cum, quia illud minus honeſtum ſtatui, in quo erat conſtitutus à Deo, erat conveniens; & neceſſario cum corpore terreſtri & animali conjunctum; & cujus Deus ipſe erat auctor: tum etiam, quia videbat, & intelligebat ſe ideo non minoris fieri à proximo: ſed quia illa humilitas, quæ primis parentibus aderat, propter illud terreſtre & animale, ita abſorbebatur à juſtitia illa originali, & inſignibus animæ dotibus, ut illud humile diſpareret: atque ita Adamus oculorum & mentis acie ſeſe intuens, animus ejus non everberabatur ullo pudore; neque verebatur, ne propterea veniret in hominum vituperationem; ſi illa humilia & minus honeſta corporis ſui animalis exponerentur hominum oculis & judicio. Eadem plane ratione, qua multæ actiones viles, & minus honeſtæ, quæ ſequuntur

hominis ſtatum, à viris ſine vitio impudentiæ exercentur in propatulo, aut minus clam; quæ, ſi à fœminis ederentur, aut ſi illæ in hiſce ad virorum exemplum ſeſe componerent, inſigniter contra honeſti leges peccarent, & à decoro deficerent. Nonne viri, etiam urbanioris notæ, in multis ſibi rectè indulgent, quæ malè à fœminis uſurparentur? Et quam longè divergunt in viro leges modeſtiæ, pudoris, atque pudicitiæ in victus conſuetudine, in edendo, bibendo, in explendis naturæ neceſſariis; & præſertim in iis, quæ Venerem & copulam ſpectant, ab iis legibus, quibus honeſta virgo informatur? Quæ cujuſmodi ſint, nunc ſingulatim non recenſebo; cum lector hæc facile mente complecti poſſit. Excellentes itaque dotes, quibus Adamus erat ornatus in ſtatu integritatis, ita illum extollebant, ut illæ res, & operationes, quibus perfungi debebat Adamus, quamdiu compagibus iſtius animalis & naturalis corporis tenebatur, vacarent contemptu; neque deformem aut turpem haberent aſpectum: viles autem illæ res, & actiones corporis animalis, quamquam non pares gradu, ſunt appetitus edendi, bibendi, coëundi, & organa iis functionibus deſtinata: quæ, quam vilia ſunt, liquet, quod multa eorum, ne nominare quidem ſuſtinemus; & ſi uſus poſtulat, honor præfandus eſt; & ambitu verborum uti malumus; iiſque vocibus, quæ quam minime inſinuant menti vilitatem eorum, quam illa ſuis vocare nominibus. Multa etiam eorum clam & ſine teſte facimus; aliis, quia omni dignitate carent, addere dignitatem ſtudemus honeſtis & decoris moribus, & ita eorum vilitatem minuere. Suntque adhuc inter homines, jam peccati labe infectos, adeo humilia & abjecta putata, ut nemo honeſtus iis aliter defungi velit, quam quatenus naturæ legibus, & neceſſitati in iis parere neceſſe habeat. Et cum votis expetere liceat acre ingenium, firmam memoriam, robur & agilitatem corporis, ſermonem venuſtum, inceſſum gravem & compoſitum; turpe & probroſum habetur, votis complecti facultatem multum edendi & bibendi, & ſtrenue exercendæ Veneris: & nullus in potiundis illis rebus gloria aut prædicatione ſeſe efferat, niſi qui pudorem ejuraverit; & probra in ſuam laudem velit vertere.

His itaque docemur, functiones, quæ à corporis ſtatu animali & terreſtri emanant, reapſe eſſe viles: ſed de quibus Adam non erubeſcebat; quia meritò in iis nihil eſſe ſuſpicabatur, quo alicujus probri notam ſubiret. Et quia ſimul Deus, & omnes creaturæ illi erant amicæ, nullo metu noxæ aut damni, aut faciendi aliquid contra pudorem tenebatur; atque ita non erat, quod ſelectum inter bonum & malum faceret; cum notio mali illum planè fugeret: & eo ſenſu rectè de primis noſtris parentibus, cum adhuc eſſent illibati & integri à peccato, prædicatur, eos bonum & malum non ſciviſſe. Nam hujuſmodi bonum, de quo nunc ſermo eſt, non cognoſcitur, niſi per ſuum oppoſitum. Cum me fugit, quid ſit impudentia, aut illud malum, quo æſtimatio mea imminui poſſit, nullam poſſum habere ideam pudoris & decori, ſub notione pudoris & decori: & cum ignoro, quid me lædere poſſit, non poſſum habere ideam boni, ut oppoſitum malo. Et quandoquidem hujuſmodi rerum cognitione ſub idea boni & mali (modo jam dicto) Adami mens non erat imbuta, nullus etiam locus ſupererat legibus, quę Adami actiones regerent, ut bonum operaretur, & malum fugeret. Adamus non ſub notione boni, æqui, & honeſti; & ut hæc malo, iniquo & inhoneſto oppoſita ſunt, cognoſcebat, & ſectabatur virtutem: ſed ſequens ſanctæ naturæ ſuæ inſtitutum, & eo pergens, quo illa ſancta natura eum ducebat, virtutem colebat. Cenſentne Doctores, Adamo integro opus fuiſſe prudentiâ, cautione, & circumſpectione, ne furaretur, mentiretur, libidinaretur,

& ne

& ne falſos vereretur Deos ? Illene de iis ſollicitus eſſet, qui ne quidem ullam ideam vitii habebat, præter eam, de non edendo de arbore prohibita ? Illene ſub caſtitatis & honeſtatis ſpecie & idea, & ut oppoſita impudicitiæ, ſectabatur pudicitiam in perfruenda legitimè uxore, & fugiebat illius uſum non legitimum, cum nunquam in ſtatu integro, ne cognitione quidem, Adamo innotuerit uſus mulieris vitioſus ? Non magis quam homini ſimplici & antiquæ fidei, cognitæ ſunt fruſtrationes, & veteratoriæ artes malorum patronorum cauſarum, quibus longo litis ſufflamine negotium protelent. Qui cum candore jus ſuum perſequitur, quia ita eſt formatus à natura & virtute, animum non ſolum ab hujuſmodi vitiis intactum habet, ſed & mentem earum cognitione vacuam: & virtute duce rectâ viâ incedit, & non quod ſelectum inter bonum & malum fecerit; nec bonum ſequitur, ut vitet malum, ſed quia virtus eò aurigatur. Nec puto quemquam iſtum virum ideo minoris æſtimaturum, quia ſine lucta cum vitio oppoſito (quod ignorat nec fugere cogitat) ſequens vim virtutis, quam Sacra Scriptura appoſite legem vocat, virtuti paret. Dominus Jeſus Chriſtus ad hanc Adami ſimplicitatem digitum intendere videtur, cum docet eos tantum regno cœlorum idoneos eſſe, qui pueris, moribus, & animi habitu ſimiles ſunt; qui præſentibus ſuis bonis gaudentes, & lætantes, & deſideria ſua parvo ambitu finientes, neſciunt quid ſit avaritia, libido, ſuperbia, æmulatio, invidentia, &c. ſed naturam ducem ſequentes, quæ in ea ætate pauca requirit, non tantum ſupra memoratis vitiis carent, ſed ne ullo quidem earum ſenſu tanguntur, quia illas ignorant: ut etiam virtutes iis vitiis oppoſitas, ut tales, & ſub ea forma atque ratione; quia eorum vita in illo infantili ſtatu hujuſmodi virtutum præſidiis non indiget.

Poſtquam autem peccatum Adamum infecit vitio, eumque privavit ſua gloria & decore, *Rom.* 3. oculi mentis fuere recluſi, & ilico aliam ſenſit legem oppoſitam legi mentis ſuæ; & ita ſuo damno ſcientiam boni & mali acquiſivit. Nam lex peccati, per primam transgreſſionem mentem hominis occupans, eum transverſum egit, & illi totam naturam, quam prius obſequentem habebat, vertit in occaſionem peccandi. Sed de eo plura dicere ſuperſedebo, ea excutiens, quæ proprius ad inſtitutum faciunt. Adamus itaque per peccatum gloria Dei & excellentibus donis privatus, erubuit in ſua nuditate: quia illa organorum generationi dedicatorum abjecta natura, non amplius tecta & obumbrata gloriâ juſtitiæ originalis, ſe ſtatim ita prodebat, ut meritò pudore ſuffunderetur: intelligens ſe non amplius vindicari à vituperatione per excellentes, quas in ſtatu integritatis poſſedebat dotes; ſed meritò ſe pati in animis hominum æſtimationis ſuæ imminutionem, quando oculis exponit nuditatem ſuam; & ita hominis mentem percellit turpi illo aſpectu. Et non potuit Adam non ſe pudere ſuæ nuditatis; judicabat enim Evam rationis potentem, & aptam ad judicandum de turpitudine ſua. Nam quemadmodum non peccatur contra pudorem, ſi quis ſecretò, & loco ſeducto, aut obductâ nocte ſe nudet; ita etiam illum ab eo vitio abeſſe puto, qui coram infante rationis experte, aperta, & detecta gerat genitalia: quia in infante tenello non poteſt conſpectione illarum partium naſci cogitatio de abjecto noſtro ſtatu. Errant itaque, qui putant Adamum & Evam inſtar infantium fuiſſe, ad cognitionem & ſcientiam quod attinet: nam ſi ſe invicem Adam & Eva pro infantibus cenſuiſſent, non erat cauſa quare tam anxiè ſe tegerent.

Alii cauſam hujus pudoris aliò referunt: nempe, quod Adamo intuenti partes genitales, obrepſerit cogitatio actuum venereorum, tam parum rationi parentium; & qui totum hominem ita rapiunt ad ſer-

ſum & perceptionem iſtius voluptatis, ut videatur exuiſſe quicquid eſt hominis, & ſeſe immerſiſſe in id, quod non ſolum nobis cum brutis eſt commune, ſed quod ratione regi aut gubernari non poſſit. Ego equidem non abnuo in coitu ea ſe prodere, quæ inter functiones corporis terreſtris, & animalis ſunt abjectiſſima; & quæ maximè complectuntur argumenta humilis noſtræ conditionis: & in quibus vilitas & turpitudo actionis bonis & ſeveris moribus tegi & imminui poteſt. Cum ex adverſo, actiones in edendo & bibendo, &c. hominem non ita totos occupent, quin illas actiones ratione regere poſſit, & in iis oſtendere ſe ſuæ dignitatis rationem habere, atque in iis verſari cum (ut ita dicam) gravitate; impartiens illis actionibus aliquid honeſti & decori, quod à rationali natura mutuatur; & ita externis geſtibus probos & reconditos animi mores effingens: circa quos geſtus occupata eſt illa diſciplina: quæ præcepta cultiorum morum tradit. Nec à ſenſu Scripturæ aliena dixerim, ſi contendam hujusmodi actionibus, & partibus iis dicatis, aliquod decus cultis illis moribus conciliari. Dicit enim Apoſtolus nos membris corporis minus honeſtis per veſtimentorum ornatum honorem apponere. Quamquam itaque hæc veriſſima ſint, & procul dubio curam tegendæ nuditatis augeant, proximam tamen & veram cauſam eſſe non arbitror: tum quia non eſſet in promptu iis, qui illam ſententiam tuentur, probare, proprietates illas actionis venereæ, quas ita omnem modum excedere putant; quas ſupra indicavi, & quas illam vilem & abjectam reddere agnoſco, non adfuturas fuiſſe in ſtatu integritatis: videntur enim ſequi naturam iſtius corporis naturalis & animalis. Nam quamvis illæ actiones ſint admodum terreſtres, & corpori immerſę, longeque remotę ab iis functionibus, quæ hominis dignitatem commendant, non ideo eviceris illas eſſe vitioſas. Nam cum & ante lapſum, & in ſtatu corrupto iſtæ actiones uſurpantur in matrimonio legitimo ſine peccato ullo; cum illæ homini conceſſæ ſint in remedium ſcortationis. Quomodo probaverit aliquis Adamum ideo erubuiſſe nuditate pudendorum, quia iis in poſterum uſurus non erat ſine peccato? Deinde cum multæ aliæ actiones & functiones corporis animalis, atque naturalis, & organa functionibus illis dicata, in quibus ſuſpicari non licet illam vitioſitatem, ſtudioſè à moratioribus gentibus occultentur; aut politis moribus ita veſtiantur, ut minus deſpectui ſint oppoſiti; atque ita vitetur cogitatio & judicium vilitatis iſtarum actionum & organorum: manifeſtum, inde fit, Adamum non feſtinaſſe ad velanda pudenda, quia putabat in coitu ſemper futurum eſſe vitium, & quia ipſum pudebat membrorum, quæ judicabat poſt lapſum debere eſſe neceſſariò inſtrumenta peccati; ſed quia inops & nudus ab ornamentis juſtitiæ & ſanctitatis, quas ante lapſum poſſederat, intelligebat actiones venereas propter ſuam vilitatem eum præcipuè poſſe rapere in contemptum & vituperationem, quæ quidem turpitudo in aliis corporis partibus non ita reperitur.

Cum itaque Adamus tam juſtam habuerit cauſam tegendi pudenda, non potuit ſine impudentiæ vitio illa aperta oculis Evæ ſubjicere; & ita ſuæ dignitatis, quæ poſt peccatum illi ſupererat, & quam tueri hominis tantum intereſt, quanti ejus refert ſe à proximo æſtimari, nullam rationem habere: nam negligere quid quisque de ſe ſentiat, non ſolum arrogantis, ſed etiam diſſoluti eſt. Neque ille pudor fuit in Adamo ruſticus pudor, natus ex metu contemptus temerè ſuſcepto, aut ex teneritudine frontis, quæ adeſſe ſolet iis, qui rerum uſu carent. Sed ille pudor tam dignus erat ſtatu & uſu Adami jam lapſi; quam illi conveniens erat ſibi cavere à damno & periculis. Et falluntur, qui docent hominem tantum erubeſcere debere in peccatis, & propterea præter peccata

cata nihil eſſe obſcœnum, aut turpe dictu, aut viſu; ideoque putant ſuo quamque nomine rem appellari deberi; nullum inhoneſtum deculpatumque verbum eſſe; imò crepitus ventris æquè liberos atque ructus eſſe volunt. Sic enim diſſerunt, nihil eſt obſcœnum, nihil turpe dictu: nam ſi quid ſit in obſcœnitate flagitium, aut in re eſt, aut in verbis: non in re, quia membra corporis humani à naturæ inſtituto ſunt; non in verbis, quia ſi res ipſa obſcœna non eſt, quomodo verbum, quo illa res appellatur, obſcœna eſſe poteſt? Falluntur inquam hi, qui exiſtimant hominem tantum erubeſcendum in peccatis, cum non tam propter peccatum hominem pudet, quam quod peccatum nos apud veros rerum æſtimatores in contemptum adducat: & ideo homines, qui pluſculum ſuas actiones malunt exigere ad hominum, quam ad Dei judicium, plus erubeſcunt in peccatis, quæ humilem & abjectum animum arguunt, qualia ſunt, v. gr. mendacium & furtum, quamvis peccata minus gravia ſunt, quam in iis, quæ licet criminoſa, & flagitioſa admodum, tamen corruptorum hominum judicio erectæ indoli, & generoſo animo minus adverſa ſunt, qualia ſunt, ſcortatio, adulterium, privata vindicta, &c. Et cum hominibus inſitum ſit, id extollere & laudibus ferre, cui præcipue navant operam, & in quo decus & gloriam ſectantur; & ex adverſo illam rem vilem ducere, quam non putant conducere ad ſuas rationes: ideo in aulis & inter magnates adulterium & ſcortatio pro ludo habetur, & caſtum dici non multum laudis in iis habet. Vindicta & monomachia in laude ponitur; quia fortitudo præcipuè apud eos in dignitate eſt, & ita ſe comparant, quaſi iſtius virtutis colendæ gratia ſe tantum natos arbitrarentur: & ideo furtum & mendacium, aliaque vitia, in quibus metus & ignavia inſigniter proditur, maximè à ſe aliena eſſe volunt. Et quia in omni pudore eſt metus contemptus & vituperationis: inde etiam fit, quod aulici, & alii, qui fortitudinis famam præcipuè ſectantur, etiam in pudoris officiis ſibi magnoperè indulgeant; in iiſque audaces & licentes ſint, ut quam longiſſimè à metu (qui reſtringit animum, & abjicit) abeſſe videantur. Sed ut ad partem ſermonis, à qua diverteram, revertar, erubeſcimus, non tam propter vitium, quod eſt in peccato, quam quia vitium comparatum eſt ad nobis conciliandum contemptum. Et ut Stoicis & quibusdam Cynicis reſpondeam, corpus hominis ex talibus membris & organis compoſitum eſt, inter quæ ea reperiuntur, ut propter humilem, & abjectum uſum, cui deſtinata ſunt, homo poſſet venire in vituperationem, ſi temerè ſubjicerentur hominum oculis, aut ſi aliquo decore non cohoneſtarentur. Qui annuit dari perfectionum gradus, & diverſas eſſe honeſti rationes, ita ut quod uni conveniat, alteri, in celſiori loco conſtituto, non conveniat, is negare non poteſt, etiam in rebus ex ſe non vitioſis, pudoris cauſam reſidere poſſe. Homo per partem ſui rationalem in ea dignitate verſatur, ut corporis animalis functiones ejus dignitatem in animis hominum imminuere debeant, ſi conſideratioribus geſtibus in iis exercendis non utamur; & quo animus ab hujusmodi corporis animalis obſequio & indulgentia magis receſſerit, eo homo dignitatem ſuam magis tuetur. Et quemadmodum quædam corporis noſtri membra vilia & abjecta ſunt, ita illæ voces turpes, inhoneſtæ, & obſcœnæ ſunt, quæ illas partes corporis viles & abjectas, earumque functiones, menti nudè ſubjiciunt: ſed cuivis rem penitius inſpicienti, hoc manifeſtum erit; plura non addam.

Quemadmodum itaque Adamus habuit juſtam pudendi cauſam poſt peccatum perpetratum, & poſt juſtitiæ ac ſanctitatis privationem; ita toti poſteritati, quæ ad ſeculorum finem peccati labe infecta manebit, incumbit eadem neceſſitas pudenda

da

da tegendi: quia eorum ſtatus declinato Adami ſtatui par eſt. Et quamvis Chriſtus vitio caruerit, & ipſis naturæ ſuæ initiis, & totius perfectione vitæ longè abfuerit à cauſa pudendi, iiſdem tamen verecundiæ legibus ſeſe ſubjecit, debuitque etiam tacitas hominum cogitationes extimeſcere; quia homines, in quorum medio degebat, conſcii humilis ſui ſtatus, naturæ ſenſu abhorrebant à conſpectu talium membrorum. Neque licebit unquam homines revocare in primam & priſtinam illam conſuetudinem Adami integri, quamdiu genus humanum primævæ ſuæ dignitati & juſtitiæ non erit reſtitutum: qui ſtatus fideles manet poſt hanc vitam, quando hoc corpus animale, infirmum, debile, & ignominioſum per reſurrectionem exuet omnes infirmitates corporis animalis & terreſtris, & migrabit in naturam corporis cœleſtis, 1 *Cor.* 15. Et quia in cœlo juſti erimus, ideo tunc in partibus corporis nullus amplius hærebit pudor.

Pergamus porro & reliqua perſequamur. Adamus quidem ad conſpectum ſuæ nuditatis ilico velamen quæſivit, quo eam tegeret; quia illæ partes tunc turpem habebant aſpectum: ſed Deus primis parentibus togas induit, quæ non tantum pudenda obvelabant, ſed maximam partem corporis ſubducebant oculis inſpectantium. Apud me res nullam dubitationem habet, quin Deus hoc fecerit convenienter exactiſſimis regulis moralitatis & modeſtiæ: quæ regulæ ad hoc comparatæ ſunt, ut homines ad caſtos, modeſtos, & graves atque ſeveros mores efforment, & omnia illa imperent, quibus hominis dignitas extollatur; & omnia amoliantur, quibus æſtimatio ejus poſſit imminui. Multæ autem rationes ſunt, quæ imperant & jam multas alias corporis partes tegere, quas omnes recenſere hic non attinet: duæ tamen principes ſunt, & quę cum iis, quę præ manibus habemus, cognatam habent naturam. Prima eſt, quod corporis conſpectus, & præſertim illarum partium corporis, quæ propter relationem ad generationis membra, habent propiorem cum iis cognationem, etiam ideo inſerunt animo libidinis fomenta: ſed de eo differendi locus erit, quando controverſia de ſcortatione diſcutietur. Secunda eſt, quod undique in corpore ſe prodant corporis animalis atque terreſtris dehoneſtamenta, quæ oculis inſpectantium ſubducere debemus veſte, & geſtibus moratioribus; tum ut parcamus oculis & pudori aliorum, cum etiam ut veſtimentorum & morum honeſtate abducamus hominum cogitationes ab humilitate, & vilitate iſtarum partium, earumque functionum; & ut ex adverſo aliquod decus iis conciliemus. Coitus inter omnes actiones corporis animalis & terreſtris, eſt abjectiſſimus, ſicut ſupra id fuit indicatum; ideo inter gentes moratiores, ille clam, & remotis arbitris exerceri ſolet; ita eædem gentes præcipue curæ habent, ne partes iſtum actum juvantes, conſpectui pateant. Porro actiones, quæ vilitate illum coitum proxime ſequuntur, quamvis longo intervallo proxime, ſunt illæ, quæ inſerviunt excernendis excrementis; & ideo in illis omnibus hominum cura verſatur, ut quam maxime fieri poteſt, clam & ſecreti licentiam nacti iſtis abjectis actionibus defungantur. Ita etiam edendi & bibendi actiones aliquo decore cohoneſtare ſtudemus, & eas ita uſurpare, ne gulæ ſtudioſi, aut ventri dediti videamur; aut eas voluptates, quas ex uſu cibi & potus natura præbet, cupidius appetere. Nam cum hujuſmodi functiones corporis animalis natura requirat, & tamen illud corpus viliſſima noſtri pars ſit; etiam contra decorum eſt, illud corpus ita complecti, quaſi animâ careremus: aut in humilibus ejus functionibus ſeſe jactare, aut oſtentare; ejuſque deſideriis parere, quæ ſunt infra hominis dignitatem, & ex quibus nullæ ſunt ingênuæ oblectationes, & quibus ſemper quaſi inuſta eſt nota vilitatis corporis naturalis. Et ideò illi, qui graviter, ſevere,

vere, & priſce vitam inſtituunt, perfunctorie iſtis operationibus vacant; & juxta præceptum Apoſtoli, utuntur iis parcè & reſtrictè, ne abutantur: & tantum abeſt, ut in potiundis his bonis glorientur, ut potius ingemiſcant, quod, donec ſunt in his corporis compagibus, iis muneribus perfungi debeant. Et hæc quidem ad rei neceſſitudinem dicta ſufficiant.

Priuſquam tamen ad reliqua pergamus, ex uſu erit inquirere, quando peccatur contra pudorem in non ſollicitè iis tegendis, quæ moratiores gentes, inſtinctu quidem (ut videtur) naturæ, ſed tamen ratione duce, tegenda arbitrantur? Quouſque gentes Barbaræ iis legibus teneantur? Et quale quantumque in iis ſit peccatum, præſertim in gentibus illis feris, quæ omni diſciplina deſtitutæ, non videntur ſeſe poſſe erigere, & extollere ad componendam vitam juxta moralitatis regulas, quarum ne ullam quidem memoriam acceperunt? Ut autem recte ordineque procedat ſermo, de hoc primum advertendus lector, nos nunc tantum orationem habituros de moribus, & inſtitutis gentium, quæ ſpectant res, in quibus proprie & ſpeciatim, primò & per ſe, verſatur pudor, & in quibus formalis peccati ratio eſt neglectus pudoris: non autem de iis ſermonem fore, in quibus peccatur contra hominis dignitatem; & quæ quidem ita propè cum præcedentibus connexa ſunt, ut parum attendentibus eorum ſigna diſtinctionis videantur eſſe confuſa, nihilque intereſſe; ſunt tamen revera diſtincta, cum in his alia ſit peccati ratio, quam in aliis: quod quidem in uno eodemque actu obſervare licet. Si coitus in hominum frequentia, & clara luce fiat, peccatur contra pudorem: ſi clam, decore, pudenter cum non nupta inſtituatur, non peccatur contra pudorem, ſed contra dignitatem hominis, & præſertim mulieris. Sic inceſtus eſt contra pudorem; in polygamia, & in libello repudii contra dignitatem peccatur: quæ ex.gr. hic tantum protuli in medium, in ſequentibus hęc fuſius exponentur.

Porrò, quandoquidem peccatorum, quorum formalis ratio, ut ſupra diximus, eſt pudoris neglectus, ea eſt natura, ut omne vitium in iis ceſſet, quando pudendi cauſa abeſt: & quod cæterum, pudoris hæc ſit natura, ut oriatur ex conſideratione contemptus & vituperationis, quam incurrere veremur ex judicio, quod alius de nobis eſt formaturus propter aliquid vile & abjectum, quod in nobis eſt; ſatis intelligimus nos ium proprie peccatum impudentiæ committere, cum conſcii vilitatis noſtræ, & ſimul æſtimationis illius, quam proximus de illa vilitate habet, non habemus rationem noſtri, illiuſque pudoris. Et inde ſequitur, quando jure non metuimus proximi judicium, tunc ceſſare in illis rebus, quando illis utimur, peccati cauſam & formam; & pudori nullum locum futurum fuiſſe, ſi hominis natura ita fuiſſet inſtituta, ut ſolus vitam degeret, & creaturarum rationalium cognitionis omnino fuiſſet expers. Et hæc eſt cauſa, quare recte multa non veremur facere in ſolitudine, aut coram brutis, & tenellis infantibus; aut etiam coram ſtultis, & qui mentis deſipiunt, quæ in corona hominum, & coram adultis non ſine flagitio committeremus. Tota itaque diſputatio in hoc jam recumbit, ut inveſtigemus, quando impudentiæ peccatum in multis alioquin pudendis, ceſſet. Ex ſupra traditis manifeſtum eſt; primò ceſſare in omnibus, qui judicio & ratione deſtituti ſunt: ideo infantes & ſtulti impudentiæ vitio vacant, ſi quædam perpetrent, quæ adultis verterentur probro. Secundò ab impudentiæ vitio liberi ſunt, qui occupati in defenſione & uſu ſui juris, quædam perpetrant, aut patiuntur, quæ moraliter per accidens ſequuntur legitimum juris ſui uſum: quem quidem caſum alii caſum neceſſitatis vocare ſolent, ſed dubito an ſatis accuratè. Virgo excuſatur a peccato impudentiæ, ſi vitæ conſervandæ cauſa, vulnus, quod in partibus obſcœnis hæret, chirurgo conſpici-

ſpici-

ſpiciendum & tractandum præbet: at ab eodem vitio non putaretur immunis, ſi ſalutem a milite pacta fuiſſet ſub conditione turpi. Quæ autem eſt hujus differentiæ cauſa, cum tamen utrobique ſit eadem neceſſitas? Non alia, quam quod in uno caſu eadem virgo occupata eſt in uſu ſui juris; & ad quem uſum ſequitur per accidens moraliter genitalium denudatio: in altero caſu illa denudatio non per accidens ſequitur, ſed directè & verâ cauſâ morali, nempe pacto. In priori itaque caſu ceſſat impudentia. Tertiò illi impudentiæ vitio vacant, qui verſantur in ignorantia ineluctabili; & illam nec ſenſu, nec ratione cognitam habent: quia carent illis occaſionibus, quibus pudor quarundam rerum in noſtris animis excitatur; & deſtituti ſunt exemplis, & diſciplinis, quibus hominum mentes informantur ad moralitatem. Ita quidem puto illum hominem nihil peccaturum in pudorem, qui natus & educatus inter gentes; quæ minus à civili more probatæ ſunt, quædam agat, quæ nullus inter moratiores gentes degens, ſine impudentia committeret. Loquor de moribus, qui à naturæ inſtituto ortum ſuum habent; & quos ars tantum conſummavit: non de iis, qui aut ſingulis gentibus tantum proprii ſunt; aut quos homines ex arbitrio ſuo introduxerunt; & quibus gentes à gentibus diſcernuntur; quæ pro ingenii diverſitate etiam ſingulæ diverſos ſectantur. Neque de iis nunc ſermo eſt, qui ad peculiares hominum ſtatus, & vitæ conditiones reſpectum habent, in eoque fundati ſunt: quos tamen nemo temere neglexerit ſine aliquo piaculo, ſi ſcilicet illi mores ex principiis, & bene ingeniatis naturæ primordiis efflореſcant. Sed de iis membratim diſſerere nunc non eſt locus, quia res abiret in infinitum. Dico itaque illos homines, totamque gentem formaliter non peccare contra pudorem, ſi ſua membra, ſuaſque actiones non conveſtiant aliquo decore, quod moratiores gentes ſibi comparant ad amoliendum contemptum; & cujus illæ gentes non debent habere rationem, ſi ſuo pudori non velint deeſſe. Ratio autem iſtius ſententiæ in promptu eſt: nempe agreſtium illarum gentium ignorantia, ad quam expugnandam carent ſubſidiis & donis neceſſariis, in illis eſt ineluctabilis; & in ſua ignorantia verſantur, quemadmodum multi rerum Divinarum ſcientia carent, ſine ſocordiæ, pertinaciæ & hæreſeos vitio: quorum vitiorum neminem reum duxeris, qui opportunitates nunquam nactus eſt ad eas veritates diſcendas aut acquirendas. An homini agreſti, & inter agreſtes degenti, criminoſum eſt, ſi in explendis corporis animalis & naturalis muneribus, non obſervet illud honeſtum & decorum, quod nemo, qui in proſcænio moratiorum hominum comparet, neglexerit ſine impudentia, aut pudoris læſione: quia honeſti & decori præceptis bene imbuti & inſtituti, læderentur illis corporis animalis vilibus functionibus ante os & oculos ſuos præſtitis, & nullo decore veſtitis. Tales agreſtes non magis contra pudorem peccare arbitror, quam idiotas ſocordiæ, pertinaciæ, hæreſeos inſimulandos puto, quod quarundam veritatum Theologicarum ignari ſunt: quia ille agreſtis non minus innoxiè ignorat illud honeſtum, quo illæ actiones veſtiri debent; quam idiota aliquem articulum fidei, cujus cognitionis acquirendæ opportunitates non habuit; & quem ideo nec pertinaciter rejicere potuit: ignorans enim illum errorem, quomodo eum propugnet aut oppugnet? Neque inertiâ aut ſocordiâ cognitionis iſtius honeſti expers eſt; non magis certe, quam idiota illius articuli fidei, de quo nunquam fando audivit. Neque difficile intellectu eſt, quomodo gentes moratiores potuerint deſciſcere ab emendatis ſuis moribus. Primum, videmus illas gentes pudenda non tegere, quæ nullum bonarum artium cultum habent; & apud quas nullæ artes vigent; ſed quæ iis tantum mundi rebus utuntur, quæ paratæ

ratæ & in promptu ſunt: & ideo veriſimile eſt, parentes & fundatores talium gentium delatos in eas terras, quæ nunc à poſteris habitantur, inopes fuiſſe ab iis rebus & artibus, quibus ornamenta vitæ acquiruntur: aut ſaltem eas artes interiiſſe, & ad poſteritatem non fuiſſe propagatas; & ita ex neceſſitate oculis patuiſſe illas partes corporis, quas alioquin pudor tectas eſſe jubet; atque ita tandem notam pudoris deletam ex animis talium gentium. Secundò, uſus nos docet, quoſdam homines adeò eſſe profligati pudoris, ut nitantur efficere nihil dehoneſtum probroſumque videri iis, in quorum medio vivunt; & propter quod ipſi in probro ſunt. Et multi, præſertim illi, qui ſunt magnis nati generibus, ruentes in omne nefas, & tamen laborantes à ſe amoliri contemptum & odium, ſtudent efficere, & pluſculum illud aſſequuntur, ut aliquid non amplius turpe & culpandum videatur, quod antea turpitudinis nota laborabat: quos magnatum mores illi, qui ſunt de plebe, imitantes, & trahentes ad decus iis vitæ inſtituto ſimiles eſſe, evenit gentem totam degenerare à priſtina morum ſanctitate & ſimplicitate.

Sed ut ſemel rem totam de principiis innatis pudoris expediam, ſtatuimus omnium cultiorum morum ſemina, à quibus moratiores gentes commendantur, quęque honeſtatis, decoris, modeſtiæ, &c. nomine veniunt, in ipſo homine reperiri: neque illa tam arte, induſtria, & ratiocinatione longe petita primum germinare incipere, quam quidem exemplis ad aliquam frugem excreſcere. Poſtquam autem ſoboleſcere cœperunt, rationem tunc illa excolere & perficere: ita quidem ut, niſi exemplis excitarentur, nullos communiter fructus proferrent, ſed ut mortua ſemina, & inertia in hominum corde obtorpeſcerent. Quis non intelligit in hominum animis jacta eſſe ſemina muſices, architecturæ, eloquentiæ, &c? Si aliter ſeſe res haberet, illæ artes non ad regulas excolerentur, ſed ut in temere, & opinione tantum ſuſceptis rebus, iis opera navaretur: quod evenit in illis veſtium novis formis, quæ nulla per ſe modeſtiæ aut decoris argumenta in ſe continentes, ideo indies mutantur: nunc autem illæ artes, quæ à natura proficiſcuntur, ad aliqua naturæ præcepta quotidie ad majorem perfectionem provehuntur; neque ex ingenio cujuſque tractantur, ſine ullis certis præſcriptis. Nam quamvis iſtarum artium periti in quibusdam diſſentiant, omnes tamen in ſumma re conveniunt: & cum artem excolunt, non temere, & ad nullum ſcopum collineantes, in arte perficienda incumbunt; ſed illam expoliunt ad illa principia, quibus animus hominis à natura imbutus eſt. Quamvis in eloquentiæ præceptis tradendis omnes non conveniant, æquus tamen rerum æſtimator non putat eam in opinione tantum conſiſtere: aut illam veram perfectionem, naturam reipſa exornantem, non continere; aut natam temere, & laſcivientis ingenii fructum eſſe. At quis gentes barbaras, quæ omnium iſtarum artium ignaræ ſunt, (quamvis earum ſemina in ſe habeant) inſimulet ſtupiditatis: & eas reas agat tamquam iſtarum artium contemptores, quarum nullum habuerunt uſum. At poſtquam illæ artes migrarunt in iſtarum gentium regiones; & illæ eas flocci pendunt, aut ad eas capiendas indociles ſe præbent, recte eas ſtupiditatis inſimules; eaſque notes, ut elegantiarum artium contemptores. Ita etiam in quibus periit pudor, in iis ille non ita ultro excitatur, non magis quam muſicæ, architectonicæ aut eloquentiæ ars in barbararum gentium ingeniis ultro emergit; neque ulla illis cogitatio naſcitur, aut ſtudium ad pudorem & decus, quod apud moratiores gentes obtinet, ſectandum: non magis, quam in barbaris gentibus oritur ſtudium eloquentiæ, aut pingendi artis. At ſi conſpiciant exempla pudoris, quæ apud moratiores gentes vigent, ilico illorum pulchritudine

ne capiuntur; vident & intelligunt illa exempla imitanda ſibi eſſe; & ſi ea negligunt, ſentiunt ſe reluctari iſti, ut ita dicam, inſtinctui, & tunc reipſa ſe reas conſtituunt impudicitiæ. Non tamen exiſtimo gentes barbaras, in quibus pudor extinctus eſt, nullo modo poſſe ex ſe, & ſine exemplorum opera cognoſcere pudoris officia, nihil minus: non enim arbitror gentes exiſtere, in quibus pudoris paſſio ſeſe non exerit; quamvis forte illis ille pudor ſingularis periit, quo debebant erubeſcere de ſua nuditate: nam proculdubio ipſos pudet, ſi in furto deprehendantur, ſi in bello ſe minus fortes præbuere, &c. Ex quibus pudoris ſenſibus poſſunt aliquo modo ſibi viam affectare ad cognoſcendos, & ſectandos pudicos mores: ſed euſque progredi non poſſunt ſine ſtudio & induſtria plus quam vulgari: non enim experiuntur judicia ſuæ gentis in rebus, quæ pudicos mores ſpectant; & quas moratiores gentes probant aut improbant, laudi aut vitio dant: qualia judicia illæ barbaræ gentes experiuntur in rebus, quas illæ virtutum aut vitiorum numero cenſent. Et hæc etiam cauſa eſt, quare juſtitiæ & injuſtitiæ, imò reliquarum omnium virtutum (pudore de rebus venereis, & reliquis, quæ ad moratos mores pertinent, exceptis) apud omnes gentes, etiam ad extremum barbaras, reperias: omnium enim aliarum virtutum uſus & neceſſitas ſe prodit in quotidiano victu, & in omnibus ferme vitæ partibus; & exindè ſemina illarum virtutum ſeſe exerunt in omnibus gentibus: at pudicitiæ uſus non eſt ita manifeſtus; & ideo in barbaris gentibus omni diſciplina, & moratiorum morum exemplis deſtitutæ, ſerius officia, quæ à pudicitia dimanant, agnoſcuntur: ſed ubi cognita ſunt, in proclivi eſt cognoſcere illa à natura recta ortum ſuum habere. Nihil interea ſingulatim determino de hominibus, aut de gentibus, de quibus quæſtio moveri poſſit, an non experiantur in ſe aliquem pudorem in corruptis ſuis moribus; & an illum per impudentiam non retundant & obruant: aut an non in memoria habeant illum pudorem ſe detriviſſe, ſæpius illi obluctando: quemadmodum evenit homines quoſdam longo cædum, latrociniorum, & omnis generis crudelitatis uſu, ita omnem humanitatem exuiſſe, ut amplius nullo illius ſenſu tangantur. Sed noſter ſermo eſt de illis hominibus, & de illo caſu, ubi hujuſmodi indicia non comparent. Nam illi homines & gentes, de quibus illud ſuſpicari licet, eo gravius peccant, quod ad hoc laborarunt, ut ſine ullo conſcientiæ aculeo, quo retardentur, poſſent ſeſe ad omne nefas proripere. Non itaque hic definio, an illæ gentes, quæ denudatæ à genitalibus incedunt, quorum ſtatus proculdubio propudioſus eſt, in pudorem peccent; quia id judicium pendet à momentis extrinſecis, & appendicibus rerum, quæ mihi incompertæ ſunt. Si in caſibus ſupra traditis ſemina, ſigna, & ſimulachra pudoris ſeſe prodant, genteſque ea per culpandam negligentiam non excolant, aut conterant, & obruant per libidinem, tunc rectè impudentiæ reæ aguntur. Si autem aliter ſeſe res habeat, & ſi nulla pudoris indicia ſeſe in illis prodant, tunc non rectè illis hoc probrum objectatur.

DE

DE INCESTU.

Hiſcè ita illuſtratis, quorum ratio ſeſe per totum, quem præ manibus habemus tractatum, diffundit, viam nobis fecimus ad judicium ferendum de Inceſtu: de quo quæritur, an contra naturalem pudorem committatur? Dico in inceſtu quæri, an in eo contra pudorem naturalem peccetur; non autem an contra dignitatem naturalem: quia in eo mihi non ita comparet dignitatis viri aut mulieris imminutio, quandoquidem inceſtuoſa conjugia, ut talia, definiuntur inter conjuges paribus officiis & voluntatibus, quibus legitima conjugia, & vitio inceſtus carentia, continentur. Et utcunque ad reliqua caſtè, pudicè, & reverenter in conjugio inceſtuoſo vivatur, naturalis ille pudor manet violatus. Quemadmodum ex adverſo v. gr. in ſcortatione non deſinit imminui dignitas naturalis mulieris; quamvis cæterum omnes pudoris leges in uſu ſcorti obſerventur; pudenterque vir eam habeat, ac tractet.

Ut autem de hac difficili quæſtione rectius judicium ferri poſſit, ortum, originem, atque naturam legis naturalis paulo altius repetam; ut occurram quorundam errori, aut potius improprio loquendi modo, qui illis in uſu eſt, quando loquuntur de rebus, quæ jure naturæ dicuntur prohibitæ. Quandoquidem omne jus naturale fluit ex recta ratione, eſtque ejus dictamen; ſequitur omne id, quod contra jus naturale eſt, eſſe contra rationem: unde porro efficitur, omne jus naturale eſſe immutabile; idque nullam exceptionem pati. Nunquam enim ratio abire poteſt in naturam non rationis: quod tamen eveniret, ſi à jure naturali eſſet quædam remiſſio, aut exceptio. Injuriam facere, odiſſe proximum, furari, proximi bonis cupidè imminere & concupiſcere, contra pudorem aliquid committere, ſunt jure naturali prohibita; nec unquam iſtorum præceptorum relaxatio aut remiſſio facta fuit. Quod autem quidam exiſtimarunt, in hujuſmodi præceptis aliquam exceptionem aut relaxationem fuiſſe factam, inde natum, quod non ſatis introſpexerint naturam legis naturalis. Innocentem occidere: ex conceſſu Dei bona, quæ proximi erant jure civili, occupare: hoſtem internecione delere; neque ulla pacis fœdera cum eo velle contrahere: filium occidere: cum ſorore, & cum iis mulieribus, quæ conſanguinitatis gradu ad me proxime accedunt, matrimonium contrahere, non eſt contra legem naturalem; neque ſi aliquando iſtæc impune uſurpare licuit, ideò exceptio à lege naturali, aut ejus relaxatio facta fuit; quia ſupra recenſita legis naturalis præcepta non ſunt. Sed hæc ſunt, quæ jure naturali prohibentur: odiſſe proximum: occidere illum, in quem nullum occidendi jus habes: rapere alterius bona: ſævire in filium & proprium ſanguinem: impudice agere. Neque comperies Deum unquam ad hæc indulſiſſe; aut in iis conniviſſe: aut eorum impunitatem conceſſiſſe. Ad ſpeciem talia quidem aliquando conceſſa videntur, ſed propius rem conſideranti apparet, illa mutatione circumſtantiarum induiſſe aliam naturam: & Deum, aut neceſſitatem ſuſtuliſſe ex illis rebus illud formale, quo naturali legi ſubjici videbantur. Ille non ſævit in filium, qui ex mandato Dei illum mactare deſtinat; & qui ita in illum acqui-

rebat jus vitæ & necis; quique porro conſervans in filium paternum amorem, Dei mandatum prævertit naturali affectui. Is non peccat contra pudorem in inceſtuoſis nuptiis, (voco tales ex conſuetudine communis vitæ ſermoniſque) qui mandato Dei, *creſcite & multiplicamini*, obſequens, cum ſorore conſueſcit, colens interea in animo reverentiam illam ſanguinis, quam ſorori debet: neque pudori ſuo deeſt virgo, quæ ægra ex ea parte corporis, quæ ſemper latuit decorè, neceſſitate cogitur eam deligandam chirurgi oculis ſubjicere.

Sed ex iis, quæ jam quidem ex meo ſenſu deprompſi, fortaſſe aliquis conficere atque concludere vellet, præcepta illa naturalia, ſi eorum uſum ſpectemus, reipſa tantum eſſe juris poſitivi. Sic enim aliquis argumentationem ſuam poſſet inſtituere. Si jure naturali tantum prohibetur v. gr. odiſſe proximum: amorem, quem filio debemus, exuere: pudorem neglectui habere, ergo præcepta juris naturalis ſunt tantum præcepta poſitiva; quia iſtæc præcepta non impediunt, quare Deus omnia, ad actum externum quod attinet, non poſſit permittere, quæ legibus jam enumeratis prohibentur: ita ut Deus ex ſuo arbitrio totum genus humanum eximere poſſit ab externa obſervatione iſtius legis; & promiſcue cædes, latrocinia, omniaque probra generi humano permittere: ut ita omnia infida, atque infeſta inter homines ſint; nullaque hora ſit vacua aut libera à furto, ſcelere & impudicitia. Sed reſpondemus hoc abſurdum non magis ſequi ex mea ſententia, quam eorum, qui utuntur vocibus exceptionis & diſpenſationis à lege. Nam quos caſus nos dicimus lege non contineri, eos illi, quibus vocabula exceptionis & diſpenſationis placent, dicent excipi à lege; aut in iis factam diſpenſationem. Et quia hoc cuique manifeſtum eſt, non perſequemur id ulterius oſtendere. Neque mirum hic parem rationem eſſe; quia, ſicut etiam ſupra indicavimus, non tam rei quam nominis controverſia eſt: ita ut duæ illæ ſententiæ facile in conſenſum & concordiam redigi poſſint; neque ponam in magno diſcrimine utcunque hæc æſtimentur. Inſiſto tamen potius mea viâ, quia illa mihi planior minuſque confragoſa videtur; & voces exceptionis & diſpenſationis primum rem intuenti videntur inſinuare, quaſi Deus jus daret ſceleri, & quaſi illis, qui à lege eximuntur, liceret eſſe improbis: cum mea ſententia manifeſtius doceat, in exemplis ſupra allatis non recedi à lege naturali; neque quemquam ab ea eximi: ſed actus illos nullam labem crudelitatis aut turpitudinis ſuſtinere, quia circumſtantiarum facta eſt mutatio, non quia à lege eximuntur. Sed ut ad objectionem ipſam reſpondeam; negamus ſequi, Deum totum genus humanum in illo ſtatu conſtituere poſſe, ut lege naturali non conſtringatur, quantum ad externos actus; quia illum ſtatum ſequeretur deſtructio generis humani, ad cujus conſervationem omnes leges humanæ comparatæ ſunt. Sed exemplo rem illuſtriorem reddam: finge Monarcham in illo faſtigio collocatum, ut de bonis & fortunis ſubditorum poſſit diſponere ex ſuo arbitrio: ſummæ hujus monarchæ poteſtatis hæc erit ratio, ut à furto & rapina præſtitura ſit immunem actionem civis; quâ ex principis poteſtate ſibi adjungit bona quædam, quæ ante voluntatem principis alterius erant: non tamen efficit illa ſumma principis poteſtas, ut ideo minus furta & rapinas oderit; ea legibus prohibeat, ſevereque vindicet: neque deſinit naturæ legem eſſe, non eſſe furandum, quamvis in illius poteſtate ſit, actionem aliquam liberare à furti crimine. Et ſi ſalus Reipublicæ aliquando poſtulat, ut Rex innocentem bonis exuat, non ideo ſequitur, ſalutem Reipublicæ unquam permittere, civium fortunas ſemper ita fluxas atque inſtabiles eſſe, ut ſingulis momentis ex Regis libidine direptioni exponantur.

Nunc

Nunc pergimus ad enodationem ipſius quæſtionis; an ſcilicet inceſtus lege naturali prohibeantur: hoc ſimplici reſponſione defungi non poſſumus, ſed diſtinctionibus opus; quibus confido omnes hujus quæſtionis difficultates exhauriri poſſe. Dicimus itaque, (ſi per pudorem naturalem, de quo quæritur an inceſtu violetur, intelligatur is pudor, qui præſupponitur vigere & ſupereſſe in omnibus, etiam maximè barbaris; & quo putantur omnes homines erubeſcere; & eidem vim inferre, quando inceſtuoſa ineunt conjugia: ita ut per pudorem naturalem intelligant, ſenſum pudoris ita à natura omnibus hominibus inſitum, ut nunquam in homine obliteretur, aut deleatur) nos non audere hoc certò determinare; cum nos fugiat, an ille ſenſus pudoris non ita perierit in quibuſdam barbaris gentibus, ut illius nullum in ſe experiantur judicium. Et tota hæc res decidi debet ex hiſtoria, & ex eorum teſtimonio, qui barbaras gentes inviſêre; & bene ad eorum mores attendêre, nec ſimpliciter viſu eas uſurparunt; quia mutuâ impudicitiâ ſibi multa poſſint indulgere. Quemadmodum etiam non facile expediri poteſt difficultas, an dentur gentes, in quibus numinis notitia planè ſit extincta. Ego quidem inclino in illam ſententiam, in nullis gentibus utcunque barbaris, extinctum ſenſum pudoris in omnibus illis gradibus, qui in linea recta ſibi ſubordinantur; in aliis gradibus nihil certi habeo quod ſtatuam. Sed hæc res non eſt magni momenti ad expediendas controverſias, quæ in hoc difficili caſu principes putantur. Quemadmodum non magnopere refert ad elucidationem controverſiæ, an detur idea, aut naturalis Dei cognitio in nobis: ſive dicas illam cognitionem ita extinctam in nonnullis, ut illius nullus ſuperſit ſenſus; ſive doceatur nullam gentem adeò immanitate efferatam, ut nulla apud eam ſit Dei ſuſpicio.

Secundò, ſi per peccatum in pudorem naturalem, intelligitur actus aut perpetratio alicujus rei, quæ non congruit cum principiis illis naturæ inſitis, à quibus ducuntur officia pudoris; ita ſcilicet, ut probari poſſit ex illis naturalibus principiis, naturæ & rectæ rationis dictamen eſſe, poſitis ponendis, erubeſcendum eſſe de inceſtuoſis conjugiis; neque eſſe illum pudorem ruſticum, temere ſuſceptum, aut uſu & conſuetudine hominum tantum introductum, ſtatuimus pudorem, qui hominibus oritur ex inceſtuoſis conjugiis, ex naturalibus quidem, hominique à Deo inditis, ſed tamen tantum poſt ingreſſionem peccati in mundum, principiis, ortum ſuum habere. Operæ pretium autem me facturum arbitror, ſi hac occaſione exponam, quid intelligam per id, quod à natura nobis inſitum puto. Non enim in hoc caſu reſpicio ad aliquas notiones, aut ideas à natura, aut à Deo nobis immediatè inditas: neque etiam ad aliquos inſtinctus, inclinationes, aut averſiones, quæ ita in nobis (ut plurimi exiſtimant) à natura exiſtunt, ut cum nobis natæ videantur; ſintque habendæ pro primis principiis, quorum nulla ſit exigenda ratio: ſed quæ ſua motione, quam homines in ſe experiuntur, & quam à natura ſibi inditam dicunt, ultro, ſine labore, ſtudio, aut induſtria judicantur. Non inquam reſpicio ad hujuſmodi notiones & principia, cum meritò dubitari poſſit, an ulla hujuſmodi principia naturalia, aut inſtinctus naturales in nobis dentur; & an non potius ita hominis natura comparata ſit, ut propter circumſtantias, in quibus homo conſtituitur, ſponte quidem, & ſine ſtudio, aut applicatione mentis, certa à nobis formentur judicia, excitentur affectus, & ſe concitent quidam motus, & inſtinctus; ſed qui tamen juxta aliquam legem primam, & fundamentalem, quæ eſt conſervatio ſui ipſius; & quæ lex pro ſuo fundamento habet naturalem & phyſicam hominis conſtitutionem, qua dolorem fugit, & gaudium proſequitur, reguntur, atque moderan-

deran-

derantur. Et ita recurreret eadem difficultas: an ſcilicet ex hujuſmodi naturalibus commotionibus petendum ſit principium aut fundamentum moralitatis? Cum multæ paſſiones, etiam in brutis, obſerventur: & quamvis pudoris affectus in iis ſe non prodant, non inde ſequitur illos affectus in hominibus aliter oriri, quam cæteras paſſiones in brutis, quas homo cum iis habet communes. Per principium itaque naturale, à quo officia pudoris ducuntur, intelligo facultatem hominis, qua idoneus eſt judex rei excellentis, aut vilis, atque abjectæ. Excellentia, dignitas, atque perfectio rei ſumitur ex uſu, commoditate, atque utilitate, quam præſtat ad homini conciliandam beatitudinem, & immunitatem à dolore: ſicut ex adverſo, rei vilitas petitur ex exigua utilitate, quam confert ad parandam felicitatem homini. Hinc ratio, & quæ ex ratione proficiſcuntur, prudentia, & illæ artes, quibus ratio præcipuè colitur, meritò ab hominibus in maximo habentur pretio; quia illis præcipuè utitur homo ad acquirendum gaudium conſtans, firmum, & minimè mutationi obnoxium. Propter eandem rationem virtus cæteris omnibus rebus dignitate præcellit, quia illâ ſolummodo gaudium illud acquiritur, quod fixum & ſtabile eſt: quia virtute diſcimus minime noſtras rationes à rebus externis ſuſpenſas habere, & iis delectari, quæ in noſtra ſunt poteſtate. Sunt autem ea, quæ à nobis pendent, nobis maxime propria, & ideo nos plurimum afficiunt, quia ejuſmodi à voluntate proficiſcuntur: facere autem quod lubet, & nihil nobis evenire, quod animo ingratum, & voluntati adverſum ſit, omnes beatitudinis complectitur partes; eſtque id in ſuo genere completum & cumulatum: ex adverſo voluptates corporis, & ea, quæ illi acquirendæ inſerviunt, inter res viles ducenda ſunt, quia pariunt voluptates fluxas, atque inſtabiles; & quæ ut plurimum ipſo uſu corrumpunt illas facultates hominis, quibus conſtans gaudium paratur: & ideo nullus, qui recte rationes ſuas inſtituit, & quam minimè dolori obnoxius eſſe vult, iis indulgebit; niſi neceſſitatis cauſa, & ut remiſſione animi, quæ exiguo & moderato illarum voluptatum uſu paratur, facultates animæ recreentur. Inter voluptates corporis autem nullæ longius abſunt ab uſu facultatum earum, quibus verum gaudium acquiritur, quam voluptas venerea; non quia nobis cum beſtiis communis eſt: nam & cura prolis educandæ, & ſtudium conſervationis noſtri, &c. etiam in beſtiis reperiuntur, quæ tamen à bonitate ſua commendantur; ſed quia nec ratione, nec arte, neque prudentia regitur, quæ ſunt facultates & habitus, quibus ad veram beatitudinem nobis viam facimus. Et quo vilitas iſtius voluptatis efficacius mentem noſtram everberat, eo magis pudore ſuffundimur: & quo magis auctores, & in cauſa ſumus, quod illa voluptatis vilitas apertius cogitationi noſtræ objiciatur atque obverſetur, eo magis peccamus contra pudorem: in inceſtu autem hoc accidit, quia in eo duplici de cauſa vilitas illius voluptatis mentibus eorum, inter quos inceſtus committitur, inſinuatur. Quod in ſequentibus docebitur.

Cæterum cum ſtatuimus moralitatem non eſſe petendam à notionibus, inſtinctu, inclinatione, averſione, &c. naturaliter homini inſitis; non id docemus, quaſi per unionem mentis cum corpore non exiſterent in homine quædam, per quæ, nulla ratione præeunte, aut paſſionem & affectum moderante, homo ad aliquid amplectendum aut fugiendum, amandum aut odio habendum, &c. ducitur; & quorum poſtea in cultu virtutis magnus uſus eſt: nam dolor & gaudium, à quibus duobus omnes animi affectus oriuntur, nobis à natura ſunt indita. Ita ab eadem naturali unione animæ cum corpore manat, quod homines concentu vocum & fidium capiantur: quamvis enim illæ artes ratione & ſtudio excolantur, principium tamen atque fundamentum earum phyſicum

&

& naturale eſt; & quidem ita phyſicum & naturale, ut, etiamſi nulla ars accederet, illud principium tamen perficeretur, ſi natura hominis illum in illis circumſtantiis poneret, quibus ſæpius audiendo muſicam, & ad eam attendere coactus, illud principium latius ſeſe diffunderet: quemadmodum ſine arte; & tantum ex oblatione circumſtantiarum, & bruta, & infantes habitus corporeos acquirunt, quibus ſalutaria & grata ſibi parent, & ingrata vitent. Imo ſingula certas prudentiæ ſibi comparant regulas pro copia & varietate circumſtantiarum, in quibus, propter proprietatem naturæ conſtituuntur; aut propter ætatis incrementa, aut accidentales appendices temporum aut perſonarum eas in uſum referre neceſſe habent: quatenus earum ſalus & conſervatio à pluribus, atque majoribus dependet adminiculis; ſed quæ prudentiæ regulæ eodem tamen modo in utriſque generantur, & ab iiſdem corporis procedunt principiis: quæ tamen creatoris non minus commendant ſapientiam, quam ſi ab anima aut mente proficiſcerentur. Ita agnoſco nos experiri in nobis naturalem averſionem à rebus turpibus: quales ſunt inter alia coitus in oculis hominum exercitus, inceſtus & peccata muta, &c. quas averſiones in nobis exiſtere arbitror, quemadmodum averſio à diſproportione in muſica, & in lineis: ſed non arbitror illa ponenda pro principiis, quibus diſciplina moralis fundetur, aut exſtrui poſſit; quia illis hominibus, qui non niſi demonſtrationibus cedere conſueverunt, difficulter probatur, omnes illas inclinationes, propenſiones, averſiones, &c. aliud quid eſſe, quam motus corporeos, nec à ratione, aut à voluntate hominis profectos, ſed quorum homo propter mentem, qua præditus eſt, conſcius eſt; & quos libere ſe exerere putat, cum tamen in iis revera non plus libertatis ſit, quam in actionibus brutorum, quibus ſe conſervant, & pullos nutriunt: aut quam in actionibus ſtultorum, qui tales ſuæ libertatis ſenſus in ſe experiuntur, quales ſapientes: neque probaveris, inquiunt, eos ſine voluntate agere, quam quia non cohærentia perpetrant. Diximus autem ſupra magnum earum inclinationum, propenſionum & averſionum uſum eſſe in vita hominis, quamvis aſſumi non poſſint pro principiis, quibus fundetur aut exſtruatur diſciplina moralis; imo talis tantusque earum uſus eſt in vita humana, ut ferme maxima pars hominum hiſce & ſimilibus tacitis & ſpontaneis motionibus in vita dirigenda ducatur, illæque in moralitate proram & puppim faciant: & idiotæ hiſce motionibus acti, ſponte ea agant, ſenſusque & judicia forment, ut non raro doctiſſimis & judicioſiſſimis Philoſophis aqua hæreat in expedienda ratione morali, quare unum ut malum morale fugiendum, alterum ut bonum morale proſequendum ſit. Neque valet tantum earum motionum uſus in rebus turpibus, & honeſtis, in quibus averſionum & propenſionum naturalium major videtur eſſe vis, ſed etiam in rebus, in quibus jus & æquum ſtricte & proprie dictum verſatur, quorum etiam ratio doctis aliquando ita eſt recondita, ut confiteri neceſſe habeant, ſe hactenus fruſtra laboraſſe in promenda, & in aperto ponenda cauſa juſtitiæ aut injuſtitiæ alicujus facti, a quo ipſi cum idiotis abhorrent, aut quod probant & laudant: quæ quoties propius conſidero, admiratione me detinent, & vim naturæ, vel potius auctoris & fabricatoris naturæ, me prædicare cogunt; & profiteri omnia referta & completa eſſe æterno ſenſu & mente divina. Nam quam hoc mirificum, quod Deus ex hujuſmodi principiis hominem compoſuerit, quæ etiam in moribus tam late ſeſe diffundunt, ut niſi homo capax eſſet, ipſique ſupra bruta animalia proprium, reflectere ſuper ſuas actiones; & per voluntatem obſequi, aut reluctari iſtis naturalibus motionibus, dixeris cum aliqua veriſimilitudine, in pluribus actionibus, quibus moralitatem attribue-

tribuere conſuevimus, hominem machinæ vicem præſtare: & eas tantum eſſe effectus, non rationis humanæ, ſed naturalis impetus?

Et ideo eſt res digna facultate, & induſtria doctorum virorum, inquirere quo loco habendæ ſint hujuſmodi actiones & judicia, quæ homines ſua ſponte, naturæ ut vulgo putant, inſtinctu, exerunt? V. gr. Omnes & ſinguli docti & indocti judicant fas non eſſe redimere vitam ſuam morte innocentis; paciſci cum latrone & ſicario de ſalute ſua, ea lege, ut in gratiam latronis aliquem innocentem, quem latro interemptum cupit, vitâ interficias. Non puto quemquam mortalium reperiri, qui ullam moralitatem in actionibus humanis agnoſcit, qui non pleno aſſenſu tale factum improbet: & fortaſſe pauciſſimi reperientur, qui propriam rationem malitiæ moralis in eo facto aſſignare poterunt. Quæritur itaque primò, an tale ſpontaneum judicium ponendum ſit inter operationes hominis morales; & an non ſit habendum eo loco, quo ponitur actio infantis, qui loco accedens, eum ſitum, & poſituram ſponte dare novit corporis partibus, ut eæ paribus libratæ ponderibus prohibeant, ne pronus aut ſupinus labatur: quem ſitum ne periciſſimus quidem artifex ſtatuæ rectè conciliaverit; & quam infantis ſolertiam nemo laudaverit, niſi in auctore naturæ, Deo nempe; cum totum hoc naturæ infantis, non ejus voluntatis opus ſit? Et ita quidem judicium de iniquitate pacti initi cum latrone de nece innocentis, non ponetur in numero actionum moralium; nam non magis voluntati ullæ in eo ſunt partes, à quibus moralitatem mutuari poſſit, quam ea illas ſibi vindicat in infante formante ſtatum corporis, quo à prolapſione ſe tueatur. Secundò, de ipſis inclinationibus, & averſionibus, quæ ea judicia ſequuntur, quæritur, an ad actiones liberas, & à voluntate profectas referri debeant? An potius ad actiones automaticas, brutorum operationibus ſimiles: ſed majorem induſtriam indicantes? Quia homines in aliis circumſtantiis naturâ conſtituti, magis cauti providique eſſe debent, ſi ſe conſervare velint, quam quidem bruta; inter quæ tamen etiam gradus induſtriæ dantur: & illa animalia, quæ domeſtica vocamus, plura documenta induſtriæ ſuæ produnt, quam fera & ſilveſtria? Denique quæri ea occaſione poſſet, in quo conſiſtat formalis ratio moralitatis in actionibus; & quæ ſint propriè actiones morales; & quibus ſignis diſtinguendæ ab aliis, quas non morales,& non voluntarias, hoc eſt, non à voluntate profectas vocare ſolemus? Ego quidem in hiſce multum difficultatis offendo, & quas dignas arbitror facultate & doctrina doctorum virorum,qui operam ſuam in hiſce elucidandis collocent; præſertim hoc ſeculo, in quo adlaboratur, ut moralitas, & conſequenter omnis religio è medio tollatur. Amor atque ſtudium veritatis, & quod libenter alios exhortando velim mederi errori illi pernicioſiſſimo, me nonnihil abſtraxit ab inſtituto, ad quod jam revertor. Statuimus itaque pudorem naturalem in inceſtuoſis conjugiis violari; eumque pudorem ex principiis homini à natura inditis, ortum ſuum habere. Per principia autem non ſimpliciter intelligenda inclinationes aut averſiones, quæ ſponte & naturaliter ſine attentione mentis in nobis oriuntur, aut quæ cum prima noſtra origine nobis adſunt; quamvis non negamus illis in hac controverſia aliquid eſſe tribuendum: ſed per principia intelligimus principia rationis, per quam oſtenditur nos pudore debere ſuffundi de inceſtuoſis conjugiis; & eos contra pudorem ratione imperatum agere, qui cum proximè conſanguineis conſueſcunt.

Tertiò, ſi per pudorem naturalem intelligitur res, per rationem naturalem imperata, quemadmodum primæva recta, & naturalis ratio imperat ſuum cuique tribuere, non furari, &c. tunc imperitè quæritur, an inceſtuoſa conjugia ſint lege natu-

naturali, & recta ratione prohibita; quia ea, quorum formalis peccati ratio conſiſtit in ipſa violatione, & neglectu pudoris, qualia ſunt omnia illa peccata, quæ proprie contra pudorem committi dicuntur, illâ ratione rectâ, quæ ducitur ab hominis natura integra, prohiberi non poſſunt; quia illa recta ratio conſtituit primam hominis naturam. At ratio recta, quæ violationem pudoris prohibet, fundamentum ſuum habet in ſecundæva hominis natura, quam propter peccati perpetrationem nactus eſt. Pudor enim eſt perfectio, non incluſa in hominis natura, ſed adſcititia & ſecundaria, cui peccatum hominis locum fecit; quando homini perfectione & juſtitia originali deſtituto, pudenda cœpere eſſe verenda. Et ideo fruſtra laborant, qui per rectam rationem, quæ primam hominis naturam conſtituit; & qua illæ virtutes & vitia moralia demonſtrantur, quæ à prima hominis conſtitutione dimanant, pudendorum velationem, & inceſtuoſorum conjugiorum flagitium probare nituntur: ideoque intrepidè dicimus, & alibi hoc docuimus, tales res lege naturæ primævæ non prohiberi. De quo naſutiores ſatis edocti, confugerunt ad probandam vitioſitatem in inceſtu, ad inſtinctum naturalem; & cujus ulterior ratio quærenda non erat. Quorum ſtudium ut laudandum, ita tamen facile debilis & fractus ille argumentandi modus agnoſcitur: ſemper enim illis difficultas ſupererit, quando pudor bonus à malo, & ille cui parendum eſt, ab eo, cui non parendum eſt, erit diſtinguendus.

Et quia inceſtus non prohibentur recta ratione, manante à natura integra, ſive à jure naturali primævo, quod ducitur ab hominis prima natura; ſed jure naturali ſecundario, quod derivatur à natura hominis jam per peccatum collapſi, & cognoſcentis bonum & malum: ideo coitus cum proximè conſanguineis in ſtatu hominis integro malus non eſt; nec jure naturali primævo prohibitus: ſed fit malus, quando illo coitu neglectus & violatio pudoris continetur; qui non violatur, quando in illo coitu nihil eſt pudendum; & quando illud, quod in illo cognoſcitur pudendum, lege Dei removetur: quod fuit factum primò, per præceptum, *creſcite & multiplicamini*; quando unum tantum hominum par erat in univerſo. Secundò, per legem Dei de Leviratu, quæ apud Iſraëlitas obtinuit. Deus autem hoc potuit, quia inceſtus per ſe mali non ſunt; quemadmodum omnia illa per ſe mala ſunt, quæ ratione rectâ in primo hominis ſtatu comprehenſa, mala putantur; & quorum ratio ideo nunquam mutari poteſt.

Nec puto ullam neceſſitatem evenire poſſe, qua inceſtus nunc à peccato liberentur; quia illorum ea eſt natura, ut per accidens ſequi non poſſint ad defenſionem noſtri juris; quod cuivis attentius conſideranti diſtinctionem illam, quam ſupra tradidimus, & exemplis illuſtravimus, manifeſtum erit. Multo minus exiſtimo homini, aut collegio in terris conceſſam eſſe poteſtatem, quæ illud vitium, illudque pudendum & probrum ab inceſtuoſis conjugiis tollere poteſt. Et docti inter Pontificios jus & praxin Pontificis in diſpenſatione graduum, *Levit.* 18. prohibitorum, tuentur, quod ea occupata non ſit in gradibus naturâ prohibitis: ſed in iis, qui jure poſitivo tantum Iſraëlitis interdicuntur; & quos gradus Deus tamen valere voluit apud Judæos & Chriſtianos, quo illis pudor commendatior, majorique curæ eſſet. Et in iis gradibus exiſtimant neceſſitatem tollere obligandi vim: & ideo Pontifex jus & authoritatem diſpenſandi uſurpat tantum in magnatibus, & ex quorum conjugiis ſpes eſt magnas commoditates redundaturas in Rempublicam. Et hanc litem nunc propius expendere lubet.

Totius controverſiæ difficultas in eo vertitur, quibus argumentis probetur illum genitalem pudorem ſeſe extendere ad

omnes gradus conſanguinitatis & affinitatis,qui *Levit.* 18. prohibentur; neque in illum legum numerum eſſe aggregatas leges poſitivas; quæ, quidem referendæ ſunt ad legem naturalem, quæ pudorem genitalem regit; non aliter tamen ab illa lege præſcribuntur, quam moratiorum gentium mores in inceſſu, & reliqui moderati æquabileſque habitus, & effectiones uſuſque corporis, quibus modeſtia, reverentia, pudor, & reconditi probi animi mores exprimuntur: & quæ quidem apta ad naturam ſunt, & in natura ſuum habent fundamentum; tamen non ſunt legis naturalis præcepta: ita ut ſi quædam gens ſeſe non extulerit ad iſtos politos mores, ideo in obſervatione legis naturalis deficere videatur. Quæ gens prædita politis illis moribus, qui ortum ſuum habent ab attenta conſideratione eorum, quibus pudor & dignitas hominis commendatior exiſtit, quidem ornatior eſt; non tamen alia gente, quæ illis ornamentis non tantum caret, ſed illa etiam funditus ignorat, ſanctior: quia illa carentia non oritur ex neglectu pudoris, modeſtiæ, & gravitatis; qui neglectus evenire aliter non poteſt, quam quia, cum exemplis aliarum gentium monentur de accuratiore ſtudio modeſtiæ atque pudoris, ea tamen contemnunt per impudentiam: qui caſus à præſenti controverſia alienus eſt. Ut itaque dicam quod ſentiam. Primò, non exiſtimo illam vim naturalis pudoris in omnibus gentibus, & omni ævo ſemper fuiſſe, ut illa eas deterrere debuerit à talibus conjugiis; ita ut illa nunquam apud eas uſurpata fuerint, niſi per inverecundiam, & pudoris illius naturalis violationem. Me in illam ſententiam impellit exemplum Patriarcharum, qui cum fuerint vitæ integritate probatiſſimi, tamen matrimonia contraxere, quæ *Levit.* 18. prohibita legimus, & quibus Iſraëlitas poſt ſolemnem legis promulgationem, rigidè interdictos ſcimus. Quando ego vitam iſtorum virorum inſpicio, & animo volvo, quam illa omnibus partibus integra fuerit; ita ut ne veſtigia quidem ullius libidinis in ea notare liceat; nihilque in ea compareat, quod non ſit ex optimo more & ſanctiſſima diſciplina, vereor ne in iniquam & falſam probrorum inſimulationem eos vocem, ſi dicam eos propter hujuſmodi conjugia pudori ſuo vim intuliſſe; & libidini obſequentes, maluiſſe per illicitos complexus tantum ſcelus ſuſcipere, quam libidini ſuę imperare. Malo itaque dicere, illos nec cognitione, nec uſu cognitum habuiſſe in illis conjugiis aliquid flagitii fuiſſe; ſed currentibus ſeculis illam barbariem ita inveteraſſe in moribus hominum, inter quos vivebant, ut nec exemplum, nec ratio iis in promptu eſſet, per quæ excitarentur ad ſuſpicandum talia conjugia criminoſa eſſe. Exiſtimo itaque ſtatum illorum illa barbarie infectum, Deum minus probaſſe, formalem tamen inceſtum eos commiſiſſe non arbitror: quia non, exiſtimo ſanctitatem iſtorum Patriarcharum tam fœdam labem concipere, eamque toto vitæ curriculo ſuſtinere potuiſſe, quam etiam pietas, non altè fundata, fugit. Itaque aut in noſtram ſententiam pedibus eundum, aut dicendum ſanctos illos viros ſanctitate caruiſſe: quod eſt ipſam ſanctitatem orbare ſanctitate.

Neque obeſt noſtræ ſententiæ, quod *Levit.* 18. dicitur, gentem Chananæam propter talia conjugia & congreſſus deletam, & internecioni damnatam. Reſpondeo enim: unde conſtabit gentes illas ſedibus ſuis pulſas non fuiſſe, propter uſum conjugiorum inter eos, qui à communi ſtirpe quam proximè aberant? Veriſimile enim eſt, ab illis gentibus peſſima omni ævo inceſtus exempla prodita fuiſſe. Quæ quæſo veriſimilitudo, gentes à longo tempore alloquio Dei carentes, & viis ſuis ambulantes, propter quædam conjugia graviſſimâ vindictâ perſequi, à quibus tamen conjugiis veri Dei cultores non abhorrebant; & ad quæ Deus indulſerat ad ea uſque tempora, quibus leges illæ de gradibus matrimonii Iſraëlitis in monte

Sinai

Sinai latæ ſunt. Neque à nobis diſſentientes plus præſidii inveniunt in verbis *Levit.* 18: 26. quibus conjugia illic prohibita dicuntur eſſe abominationi Jehovæ. Nam primò: non facile probabunt adverſarii, illam vocem abominationis convenire omnibus caſibus, qui illic prohibentur: & nullus adverſariorum, ut opinor, eam convenire putet congreſſui cum menſtruata. Deinde cum vox *abominationis* tantum in illo capite uſurpetur, poſtquam facta eſt mentio immolationis liberorum Molocho, peccati ſodomitici, & aliorum alienigenorum concubituum, eſt veriſimile vocem *abominationis* tantum illis flagitiis aptandam. Denique nos non negamus, in iis conjugiis turpitudinem naturalem hærere; & ideo dicimus inceſtus contra jus naturale committi; eoſque flagitium perpetrare, qui in iis contrahendis pudori ſuo deſunt: & ſtatuimus omnes Judæos, poſt legem latam à Deo *Levit.* 18. ipſi abominabiles fuiſſe; ut qui contra legem latam, & contra pudorem naturalem excitatum in iis per legem, naturâ adjuvante, ad illos prohibitos amplexus properarent. Nam ſemel ex eorum moribus deleta barbarie, nemo ſine inſigni flagitio illam de novo accerſere poterat: quia in illo ſeſe prodidiſſet inſignis impudentia, non præſtans in iis conjugiis contrahendis pudorem, quem illa vitando oſtendere debebat. Imo non vererer dicere, ante legem latam *Lev.* 18. iſtęc matrimonia in poſteris Adami fuiſſe inceſtus: quemadmodum coitus cum ſcorto reddit ſcortatorem unum corpus cum ſcorto. Si enim coitus expendas ad prima naturæ inſtituta, quæ tamen ſemper ſuum effectum non habent, coitus cum muliere ita comparatus eſt ſuâ naturâ, ut vinculum matrimoniale involvat. Sed quæ appenſa ad primum naturæ inſtitutum, & ad primum peccati auctorem, recte flagitia eſſe putantur, non manent ſemper talia: & quæ in primis ſunt commiſſa contra pudorem, non ideo in poſteris & ſequentibus, in quibus pudor ille abeſt, eodem numero cenſentur. Neque adulterium committit, qui abdicato ſcorto, cum alia conjugium contrahit. Sed ex hiſce non efficitur, vim pudoris illius naturalis in omnibus conjugii prohibitis gradibus ita efficaciter ſeſe exerere, ut omnes gentes, omnia ſecula illius experiantur ſenſum. Præterea addendum, in Sacris Bibliis res quaſdam dici eſſe Deo abominationi, aut eſſe *abominationem*, quæ cum jure naturali nullam cognationem habent. Sic in lege de piſcibus, avibus & reptilibus, à quibus Judæis abſtinendum erat, non ſemel adjicitur *abominatio* eſt, *Lev.* 11: 10. 20. 41. 42. *Deut.* 17: 1. Non quod exiſtimem leges de gradibus matrimonii referendas in numerum legum ceremonialium, aut accenſendas ſtatutis civilibus: ſed ut oſtendam ex voce *abominationis* non rectè concludi, iſtarum rerum, quibus adjicitur vox *abominationis*, eam naturalem eſſe cognitionem, ut ea non poſſit obliterari.

Secundo: exiſtimamus leges *Levit.* 18. & nominatim illas, quæ continent prohibitionem conjugiorum inter eos, qui remotius abſunt à communi ſtirpe, non datas eſſe ſimpliciter ad majorem cuſtodiam pudoris, & verecundiæ; quales exempli gratia ſunt, quod Deus Adamum & Evam, poſt commiſſum peccatum, togis induit, quæ totum corpus tegerent: quod multis in locis fœminæ raro prodeant in publicum, & non niſi velatæ, &c. ſed illas leges latas arbitror, quia genitalis pudor à communi ſtirpe in eos gradus manat & diffunditur; ita ut gentes, in quibus pudor ille vel fuit conſervatus, vel legibus de novo excitatus, pudore ſe tangi ſentiant, quando de copula cum perſonis affinitate aut conſanguinitate tam prope junctis, cogitant: & ego teſtificor omnes Chriſtianos, an non experiantur in ſe illum pudorem, & animis atque cogitationibus illum comprehendant? Neque ipſi Pontificii, qui aliquando de his legibus diſpenſant, hoc ſunt negaturi. Neque ſtatui poteſt iſtum pudorem de inceſtu in

Chriſtianis tantum natum, & conſervatum ex legibus illis, *Levit.* 18. à Chriſtianis receptis, & ex conſequuta conſuetudine, quæ apud illos obtinuit, non lege naturæ eam imperante, ſed politioris vitæ inſtituto: non itaque illum pudorem à dictamine naturalis pudoris profectum; non magis quam abolitio ſervitutis inter Chriſtianos à lege naturali ortum ſuum habet: aut quam conſuetudines quædam gentium & nationum, occupatæ circa mulierum pudicitiam; & contra quam nulla mulier in illa gente, ſine pudoris aſpernatione facile aliquid committat: cum illæ conſuetudines plurimum originem ſuam tantum trahant à gentis temperamento, quod mores communiter ſequuntur; quique ideo inde ſuum ortum habent: confido iſtas rationes apud eum nullum pondus habituras, qui perpenderit iſtum pudorem, qui nobis oritur ex cogitatione copulæ cum perſonis, gradibus prohibitis nobis junctis, *Primò*, natura & genere ſuo convenire cum illo, qui nobis obrepit, quando mente nobis repræſentamus conjugium cum matre vel ſorore. *Secundo*, iſtius pudoris vim minutatim deficere, pro diſtantia graduum à communi ſtirpe; donec deducto longius intervallo planè emoriatur: quemadmodum ex adverſo, pudoris vigor intenditur pro ratione, qua illud intervallum contrahitur. Hujuſmodi incrementa & decrementa pudoris non invenias in gentium moribus, qui quidem ad pudoris cuſtodiam uſurpantur, & quibus quidem pudor & pudicitia naturalis locum fecit: ſed tamen recta ſerie non ducuntur à pudoris naturalis commotione, neque lege & officio præſcripta ſunt. Quid quæſo pudendum aut erubeſcendum in mulieris vultu & ore, quare in publico virorum oculis ſubjici non poſſint? Imò quia in illis eſt honeſta ſpecies, ideo natura ea poſuit in promptu: neque eſt ſuo nomine laudanda illa conſuetudo, ſed forte libido gentis juſſit eas illos mores adſciſcere, præbuitque illis iſtius ſollicitudinis cauſam. Comprehendunt itaque & exprimunt illæ leges, *Levit.* 18. pudoris naturalis dictamina.

Tertio dicimus, cum Chriſtianis pudor non minori curæ debeat eſſe, quam Judæis; nos non videre, quare Chriſtiani iiſdem legibus non teneantur. Neque hoc inficias eunt Pontificii, qui ad majorem ſanguinis reverentiam, etiam graduum prohibitorum intervalla longius deducunt, quam quidem fit, *Levit.* 18. & ea conjugia pudoris cauſa prohibent, quæ noſtris probantur. Eſt itaque controverſia eò dilapſa, an propter neceſſitatem, quando ex conceſſione talium conjugiorum magna commoda ſunt redundatura in Rempublicam, aut ſpes ſit averruncandi magnas calamitates, talia conjugia aliquando permitti non poſſint? Quia tum abeſt omnis cauſa ſuſpicandi ex libidine illa matrimonia ambiri; & ideo non ſtudio, ſed neceſſitate contrahi. Tam Pontificiis quam nobis manet fixa & inconcuſſa illa regula, non eſſe faciendum malum, ut eveniat bonum: & ita quidem Pontificii nobiſcum ſentiunt nullam neceſſitatem intervenire poſſe, quâ hominibus jus oriatur aliquid directè agendi contra pudorem. Et quia Pontificiis ea mens eſt, pudorem violari, quando conjugia contrahuntur inter eos, qui in recta linea ſe mutuò attingunt, aut qui in tranſverſa proximis gradibus à ſtirpe communi abſunt: & ideo iſtorum conjugiorum nulli unquam gratiam faciunt; propterea non ita manifeſtum eſt, Pontificios attribuere Papæ poteſtatem diſpenſandi de jure naturali. Nam Pontificii eò non devenere, ut quæ omnium conſenſu peccata putantur eſſe; quæque ſunt in aperto delicto, ea à peccatorum numero eximerent. Nullus enim eorum ſcortationem, ſtupra, adulteria, alienigenos & monſtroſos concubitus ſpecie neceſſitatis excuſavit: & tamen vim neceſſitatis in gradibus quibuſdam matrimonii valere putant: quod argumento eſt, illos aliter mentem informatam habere de natu-

natura moralitatis, quæ reperitur in gradibus remotioribus, quam qui in proximis exiſtit. Et quoties mente revolvo, quam diſcrepantes ſint noſtrorum Theologorum ſententiæ de legum natura, quæ moderantur conjugia & pudorem, & reliqua cum his conjugata; & quomodo neceſſitatis caſus apud eos nonnunquam tantum valeant, ut à conſueto curriculo deflectant, & quædam excuſent, quæ extra illum neceſſitatis caſum graviſſima peccata eſſe duxiſſent, noſtri videntur Pontificiorum errori ſatis affines eſſe. Sic cuidam concubinæ uſus conceſſus ſupra juſtam & legitimam uxorem. Ita ni fallor, viro duæ conceſſæ uxores, cum innoxio errore alteram fœminam ſibi matrimonio junxiſſet prima ſuperſtite, quam vitâ defunctam putabat.

Scio equidem enumeratos caſus non ſecundum omnia eſſe pares cum iis, qui inceſtus nomine veniunt; cum in illis non tam pudor in diſcrimen veniat, quam dignitas matrimonii. In hoc tamen conveniunt, quod in utroque caſu eſt neceſſitas: inter utrumque ea eſt cognatio, ut ambo legibus matrimonii comprehendi ſoleant, & caſus juxta eas leges decidi: in utroque neceſſitati multum tribuitur; quod aliis in caſibus non ita invenias. Et aliquis inde conjiciat, quamvis illius rei nullam ſolidam & expreſſam in mente experiamur legem, earum tamen nos naturaliter umbras & imagines habere; earumque in nobis ſentire effectum, & quas ideo ultro ſequimur; quia proficiſci videntur ex optimis naturæ principiis. Et noſtri Theologi, qui in expediendis & enodandis conſcientiæ dubiis, operam & induſtriam ſuam collocarunt, forte non tam re & legibus à Pontificiis, quam exemplis diſſentiunt; atque improbant Pontificiorum inſtitutum: quia me...s eorum attenta eſt in conſideratione caſuum conceſſorum à Pontificiis, quos non conſiderant ut neceſſarios ſatis, & aliis de cauſis iſtæc conjugia potius quæſita & conceſſa, quam Reipublicæ bono: quod quidem jam non diſputo. Ut itaque contraham in compendium quod in hac difficili obſcuraque re dicendum habeam. Exiſtimo noſtros Theologos, Pontificios poſſe reos agere de permittendis inceſtuoſis conjugiis; quandoquidem liquidò probare poſſunt, leges omnes de gradibus matrimonii, *Lev.* 18. comprehenſas, eſſe naturales; ita ut qui in illas bene conſiderationem intendat, percepturus ſit pudorem naturalem violari, quando iis non paremus: in hocce autem virtutum & vitiorum diſcrimine grave ipſius conſcientiæ pondus eſt.

Et nulla alia via adornari poteſt demonſtratio illius rei, quam per interrogationem conſcientiæ uniuſcujuſque, ſi ex inſpectione & conſideratione legum *Levit.* 18. comprehenſarum, ſentiat pudorem ſuum obſecundare & adſtipulari omnibus iſtis legibus; quando hujuſmodi aliquid in ſe comperit, tunc recte concluditur leges illas juris naturalis dictamen eſſe; nec eas tantum ad majorem pudoris genitalis cuſtodiam atque commendationem eſſe latas; nec eas poſitivas eſſe, neque tales quæ exornant gentem, quæ ex talibus legibus vivit; quemadmodum cælibatus exornat eos, qui à conjugio abſtinentiam præſtant: aut potius, quemadmodum inceſſus & veſtitus ſingularem modeſtiam arguens, exornat hominem, & præ cæteris illi decus addit. Neque aliquis putet me rurſus ad conſenſum gentium recurrere, cum provoco ad Chriſtianorum conſcientiam, eorumque ſenſus obteſtor, ad id quod dixi de inceſtu tuendum; cum tamen ſupra tale argumentum improbaverim: nam non illud argumentum rejeci, quod exiſtimem nullum illius uſum eſſe, ſed indicavi illud tale non eſſe, ut habeat per ſe ſuadendi authoritatem; alioquin confirmat magnopere vim argumentorum deductorum ab inſitis naturæ principiis. Conſenſu enim Chriſtianorum, quos ad teſtimonium citavi, magnopere illuſtratur, quouſque vis pudoris naturalis ſeſe diffun-

diffundat. Quemadmodum è contra rectè confecerim, pudorem naturalem in quibuſdam gentibus periiſſe, quia in illis nulla illius pudoris comparent indicia. Sed ideo non rectè concluſerim, nulla in illa gente ſe produnt ſigna, & argumenta pudoris, qui in aliis gentibus ſe prodit, ergo ille pudor non manat à principiis naturæ; quia ſeſe non diffundit ad omnes gentes. Quemadmodum etiam non rectè argumentaveris, gens aliqua, imo totum genus humanum imbutum eſt aliqua opinione, aut utitur aliquibus moribus, ergo illi mores à naturæ dictamine profecti ſunt: ſed tunc aliqua vis in illo argumento eſt, ubi probavi illam conſuetudinem niti veris principiis ab hominum natura petitis; & tunc ſubſequens conſuetudo magnum addit pondus argumento ducto à naturæ legibus. Propter hanc rationem exiſtimo Patres in Concilio *Wormatienſi*, habito *Anno* 868. *Can.* 32. non ſolum rectè ſtatuiſſe contra inceſtuoſa conjugia, ſed etiam vero & demonſtrativo argumento uſos: cum ita decernunt. *Nulli liceat de propria cognatione, aut conſanguinitate uxorem ducere, uſquedum commotiones pudoris natæ in nobis ex generationis cogitatione, manent excitatæ in mente.* Nam hoc tantum probato: Inceſtum committi in linea recta inter patrem & filiam, (quod probatu facile eſt) rectè ex eodem affectu pudoris conficitur, omnia illa conjugia inceſtus nomine culpanda, in quibus non habetur ratio genitalis iſtius pudoris: & peccatum inceſtus eo magis intenditur, quo propius abſumus à primo gradu; in quo etiam majora ſui dat indicia, qui minutatim decreſcit, quatenus à primo gradu longius recedimus: & iſtius rei maximè idonei judices & teſtes illi ſunt, qui pudicè educati & exempli recti, pudorem illum conſuetudine improborum nondum detriverunt; & illorum judicium vim habet boni argumenti, quando nempe ratione probatum eſt, matrimonia in primo gradu, & in linea recta eſſe inceſtuoſa. Sed redeamus ad inſtitutum, & reliqua perſequamur. Finge probari non poſſe gradus omnes in caſibus ſupra memoratis, lege naturali prohiberi, eſt tamen Pontificiorum cauſa eo nomine deterior, quod noſtri plurimum pudori tribuant; ſeque magnopere illarum legum metuentes præbeant: nec putant temerè ab illis legibus recedendum, quæ ex communi conſenſu pudori conſuluut: & qui pudor, ſi decuit Judæos, multo magis ille condecet diſciplinam Chriſtianorum. Et hoc quidem maximè patrocinatur Reformatorum cauſæ, quod illa conjugiorum licentia, ſpecie neceſſitatis à Papa conceſſa, non ſequitur per accidens aliquem noſtri juris uſum; & ideo neceſſitas illa conjugia hoc nomine à culpa vindicare non poteſt, ſi tantillum vitii pudoris naturalis violati, & legibus prohibiti, illis conjugiis adhæreat. Neque Pontificiis aliquid præſidii eſt in exemplis inter Reformatos prodiiis: cum illa tantum doceant, quænam fuerint privatorum quorundam judicia ſuper certis quibuſdam caſibus, non autem quid univerſim tota illa ſocietas ſentiat.

Ut itaque huic diſputationi finem imponamus. Dicimus in inceſtu pudorem violari; eumque pugnare cum jure naturali ſecundævo: pudorem illum, qui in inceſtuoſis conjugiis proditur, fundatum eſſe in vili & homini erubeſcendo coitus actu: quomodo autem ille pudor ſeſe diffundat ad proximos conſanguineos & affines, nunc explanabo. In ſuperioribus probatum eſt in coitu eſſe turpitudinem: de eo nobis eſſe erubeſcendum; ideo noſtri pudoris eſſe illum actum, quantum in nobis eſt, tegere & honeſtare: at quia conſanguinitatis gradus ducuntur ab illa copula, in eaque fundati ſunt, ideo nulli pudico oritur cogitatio de illo actu, quin aliquo afficiatur pudore. Et cum pietas jubeat reverenter habere parentes, hinc in inceſtuoſis conjugiis cumulatior exiſtit pudoris cauſa: & cum contra illum pudorem aliquid committimus, nos reos agimus pu-

pudoris dupliciter violati. Et tacitus ille pudoris ſenſus ortus ex coitus turpitudine, cauſa eſt, quare parentes plus verecundantur de rebus venereis ſermonem habere coram liberis. Et fratres, qui pudici ingenii ſunt, ſimiliter fugiunt de illis rebus inter ſe verba facere. Et quando nondum priſci & ſeveriores mores apud Romanos interierant, probro ducebatur, ſi pater & filius in eodem balneo lavarent. Et hodie fratres adulti verentur iſtam oblectationem una capere. Loquendi etiam ratio, qua utitur Scriptura, cum legibus circumſcribit matrimonii gradus, idem docet; cauſam enim prohibitionis quorundam graduum indicat; & vitium inceſtus in eo conſiſtere dicit, quod in eo detegitur nuditas illius, qui proximo conſanguinitatis gradu nobis junctus eſt: quæ manifeſtò declarant nuditatem eorum, qui proximis conſanguinitatis gradibus nos attingunt, alium ad nos reſpectum habere, quam eorum, qui longiore graduum intervallo à nobis abſunt. Et maledictionis denunciatio à Deo Chamo facta propter violatum pudorem patri debitum, documento eſt, ſanguine proximè junctos habendos pudicè. Et quia mulieri, quæ menſtruis laborat, nova accedit pudendi cauſa, ad quam & ipſam, & maritum reſpectum habere decet, ideo violatur pudor, quando cum illa conſueſcit maritus. Neque ego illam legem, quæ prohibet coitum cum menſtruata, ceremonialem aut civilem eſſe arbitror, ſi ipſa legis ſubſtantia ſpectetur, ſed naturalem, & pudore naturali innixam, ejusque vim obligandi ſeſe diffundere usque ad nos; quemadmodum ratione legis illius non minus quam Judæi tenemur: quamvis agnoſcam illum pudorem non oriri ex generationis legibus, ſed ex detectione & recordatione novæ infirmitatis, per quam mulier poſſet in aliquem contemptum venire. Et rem ſtudioſè perſequenti manifeſtum erit, nos tacitis ſenſibus æſtimare peccatum impudentiæ augeri, quando nova pudendi cauſa, ad priorem tamquam cumulus accedit: & quando illa nova cauſa menti debitè obverſatur, tunc nos acrioribus pudoris ſtimulis agi; ad quos, ſi obdureſcimus, oſtendimus levem apud nos pudoris jacturam eſſe.

Et ego arbitror illam eſſe cauſam, quare homines, qui alicujus ordinis & loci fuere inter ſuos, quique illo gradu dejecti, jam fortunâ egentes, aut vitâ turpes ſunt, non ſuſtineant ætatem agere in medio ſuorum civium, ſed proſpectare exilium; ne habeant neceſſe ſubire eorum vultus, quos ſciunt memores & conſcios priſtinæ ſuæ conditionis. Norunt enim civibus ſuis duplicem eſſe cauſam rapiundi eos in contemptum; & ideo magis verentur civium ſuorum judicium, quam peregrinorum: quarum cauſarum altera eſt ipſa paupertas, & omnibus ornamentis carens vita; altera civium conſcientia, qui illum cognoverunt melius quondam à fortunis conſtitutum fuiſſe: ſicut itaque majori cum ignominia conjunctus eſt lapſus ex alto faſtigio, præſertim ſi noſtra culpa ille evenerit, quam vita continuo humiliter tranſacta, ita hic evenit.

Statuo itaque inceſtus pugnare cum jure naturali ſecundævo; & eo ſenſu in eo eſſe naturalem cauſam pudendi, eoque violari illum naturalem pudorem, quem proxime conſanguineis debemus: idque propter arctam cognationem cum communi ſtirpe; à qua per actum præcipue pudendum atque verendum, nempe venereum, ortum noſtrum habemus: & quas verecundiæ notas & cauſas eo vividius impreſſas, gerimus, quo à communi ſtirpe propius abſumus. Aliam vitioſitatis cauſam non puto in inceſtu aſſignari poſſe. Qui autem proximè ab Adamo abfuerunt, ſine peccato inceſtuoſa conjugia inierunt, quia neceſſitas, vel potius Dei lex pudoris cauſam ſuſtulit. Ita qui ex Leviratus lege ducebant uxorem fratris defuncti, vitio carebant, quia lex Dei neceſſitatis cauſam habet.

Quicquid autem ex ritu religionis fieri putatur, id ſanctum & juſtum cenſetur; & quod vitium alias quibuſdam rebus inſidere putatur, ab iis tollitur, quoties reverentia Numinis nos ad eas perpetrandas impellit. Et ideo non recte aliquis conficeret, rem aliquam omnium gentium conſenſu non fuiſſe habitam turpem, quia in cultu Divino in ea ipſa re ſanctitatem poſuerunt. Quemadmodum apud gentes idololatras proſtibula quædam Veneri fuere ſacra; ſicut inter Chriſtianos multarum mulierum virginitas devota eſt. Neque congruentius ex illo inſtituto concludas meretricium vitæ inſtitutum, & quæſtum non fuiſſe habitum propudioſum, quia in cultu Veneris meretrices in pretio & in honore erant; quam convenienter concludas, innocentium necem non fuiſſe damnatam à gentibus, quia humanas victimas in ſacrificiis adhibuerunt. Ita non bene inferas, inceſtus non damnat conſenſus gentium; neque ab eo natura abhorret, quia in quibuſdam caſibus putarunt quidam ſe pietatem colere, quando talia contraherent matrimonia; ſicut fiebat, quando Iſraëlitæ parebant legi de Leviratu; aut quando nonnulli putabant, natos ex inceſtuoſis conjugiis in adminiſtratione ſacrorum Diis gratiores fuiſſe. Sed redeo ad inſtitutum.

Cæterum mihi nullum dubium eſt, quin fratres & ſorores proximè ab Adamo deſcendentes, & tam neceſſitatis, quam legis cauſa, *creſcite & multiplicamini*, inter ſe conjugia contrahentes, conſervarunt illum pudorem, quem ſibi mutuò debebant; niſi viles abjectique inter ſe eſſe voluiſſent: ſed exiſtentes idonei officii ſui interpretes, exiſtimarunt graviorem ſibi eſſe debere Dei legem, quam dictamen pudoris; atque ita puto illos non ſtudio ductos, ſed neceſſitate impulſos ad illa matrimonia veniſſe. Et ideo ſimulac neceſſitas talium conjugiorum ceſſavit, naturalis pudor, qui non perierat aut intermortuus erat, debuit naturalem ſuam vim exerere; & modum præſcribere conjugio in gradibus. Nec dubito quin in ætatis mundi primordiis, cum illi adhuc conſtaret ſua integritas, homines ab inceſtuoſis conjugiis ſeſe temperarint: & arbitror illorum uſum poſtea non niſi per aliquod flagitium, & culpandæ libidinis inſtinctu, introductum fuiſſe; donec tandem cum ſeculis & ætatibus inveteraverit illa conſuetudo in quibuſdam gentibus; ita ut pudoris nota fuerit in illis planè deleta; & ita illa matrimonia non fugit aut formidavit eorum animus: & illi quidem, in quibus ille pudoris ſenſus plane erat extinctus, (quod an fieri poſſit nunc non diſputo nec definio) impudentiâ ſtrictè dictâ non peccarunt, hoc eſt, pudori non obluctarunt: quamvis alio nomine ſe reos conſtituerint. Primos itaque parentes neceſſitas præcepti exeuſavit in ſolidum; alios, quibus nota pudoris perierat, in tantum ea ignorantia culpâ exemit, quantum ignorantia non ſtudio quæſita aut affectata, à peccato homines immunes præſtare ſolet.

DE

DE COPULA CARNALI, ſive Coitu:

Ubi de

SCORTATIONE;

Quæ docetur contra hominis dignitatem committi.

SUpra docuimus, verecundiàm poſtulare, ut pudenda tegantur; illiuſque cauſam eſſe turpitudinem, quę eſt in illis partibus: illam turpitudinem illis partibus inhęrere propter earum vilem & contemptibilem uſum; ſi itaque illarum partium turpis eſt aſpectus propter uſum, in quem comparatæ ſunt, ita ut extra conſiderationem illius uſus, illis nulla inſideat turpitudo, (qua carebunt, quando cœlitum ſtatum erimus adepti) multo magis in ipſo coitu turpitudo eſt: juxta axioma communiter receptum, propter quod unumquodque eſt tale, illud magis tale eſt. Licuiſſe Adamo integro coitum uſurpare ex Scriptura conſtat, an tantum generationis cauſa id facere fas fuerit, quæri poſſet? Sed non capio quare delectationis modicæ ergo, Adamo jus non fuerit eo frui. Cum proculdubio illi licuerit in Paradiſo omni ciborum copiâ affluenti, ſelectum ciborum facere, & honeſta ex eo voluptate frui. Certè nunc, poſtquam peccatum genus humanum ſuâ labe infecit, non arbitramur nobis interdictum honeſtis voluptatibus, quæ capiuntur ex potus, cibi, Veneris, & divitiarum uſu. Filius hominis venit edens & bibens: ergo in eſu & potu plus ſibi indulſit quam Johannes Baptiſta, *Matth.* 11:19. Diaconi ne ſint dediti vino multo, ergo ad oblectationem modicus illis vini uſus eſt conceſſus. Vide, *Tit.* 2: 28. *Deut.* 14: 26. *Eccleſ.* 2:24. & 3: 4. 12. Sed id, quod habetur 1 *Cor.* 7: 7. omnem dubitandi cauſam tollit: illic enim coitus, incontinentiæ, & non tantum liberorum quærendorum cauſa conceditur fideli. Agnoſcimus equidem inter omnes functiones corporis animalis nullas reperiri, quæ alieniores ſunt ab hominis dignitate, in qua à natura conſtitutus eſt, magiſque ludibrio & deſpectui hominum ſunt oppoſitæ: & ideo in omnibus rebus, quæ ad illum actum referuntur, cura pudoris præcipuè intenta eſt, & illis actionibus præſidet: propterea ſponte judicamus hominibus glorificatis, aut ad ſummum ſanctitatis & dignitatis gradum provectis, concubitum non convenire; & ideo gentes, quibus mens non erat omnino læva, redarguerunt eos, qui ſummum bonum conſtituebant in fruitione illarum voluptatum, quarum nos aliquo modo pudet. Propter has rationes etiam ſtatuo cælibatum cæteris paribus, & modò illi, qui illum amplexi ſunt, tentationibus ſint ſuperioręs, digniorem, (non dico ſanctiorem) ſtatu conjugatorum: quemadmodum cœlitum dignitas eo etiam continetur, quod nec edunt nec bibunt,

& angelis ſimiles ſunt. Porro cum coitus, actus adeo vilis & abjectus ſit, & tamen ejus appetitum natura hominibus ingenuerit, & homines, pudore duce & magiſtro, rationes invenerint, quibus partes corporis, quæ ad illum actum comparatæ ſunt, aliquo decore ornent, aut ſaltem à pudore liberent, eas tegendo & ſtudioſius exornando: ita eodem pudore duce, cohoneſtandi coitus cauſa, latebras & ſeceſſum quærunt, quando illo uti lubet; quia ad illum actum minor eſt verecundia, cum abſunt ab oculis hominum. Sed ea cautio & cura illum actum non plane à vitio liberat, quamvis ab impudentiæ crimine eum immunem præſtet: eſt enim aliud præterea in illo actu, quod contra hominis dignitatem eſt, ſi ille non veſtiatur aliqua circumſtantia, quâ ita extollitur, ut ſine læſione ſuæ dignitatis ab eo uſurpari poſſit. Et ideo ſcortationem peccatum eſſe dicimus; & tale, quod cum hominis dignitate, & præſertim mulieris pugnet: & cujus copula vir extra conjugium frui non poteſt, quin naturalem eius dignitatem, quam tueri quiſque tenetur, imminuat, & proculcet. Ad quod explicandum & probandum, nunc diſputationem conferemus.

Apoſtolus 1 *Cor.* 6:13. dicit, *Eſcas ventri deſtinatas eſſe, & ventrem eſcis, Deum autem & hunc & eas aboliturum: corpus autem non ſcortationi, ſed Domino; & Dominum corpori. Deum autem & Dominum ſuſcitavurum & nos potentia:* additque, *An ignoratis corpora veſtra eſſe membra Chriſti? Non igitur tollens membra Chriſti, faciam ut ſint ſcorti membra? Abſit. An ignoratis, eum, qui agglutinatur ſcorto, eſſe unum corpus cum ſcorto: erunt enim quæ duo erant, in carne una; qui vero agglutinatur Domino, unus cum eo eſt ſpiritus: fugite ſcortationem; omne peccatum, quod fecerit homo, extra corpus eſt, ſed qui ſcortatur, in proprium corpus peccat. An ignoratis corpus veſtrum eſſe templum Spiritus Sancti, qui eſt in vobis, quem habetis à Deo, neque vos eſtis veſtri juris?* Omnia, quæ hiſce verbis continentur, ad vivum reſecare ab inſtituto alienum foret: hæc tamen ab Apoſtolo in iis apertè tradi puto, coitum longe aliis circumſcribi & regi legibus, quam nutritionem: cum nutritione corporis, cui venter tamquam organum ſuccenturiatur; & cujus uſum juvat, ita comparatum eſt, ut quem fames aut ſitis urgeat, ei fas ſit iſti appetitui obſequi & ſatisfacere, ſuperhabito ciborum diſcrimine, modo in iis delicias ſibi non faciat; quia tantum abeſt, ut ciborum & potus uſu, & voluptate, quæ ex illo uſu capitur, terminetur hominis beatitudo; aut ejus excelſus, ad quem vocatus eſt, ſtatus, ut ex adverſo, temporis & infirmitatis naturalis cauſa, earum rerum ſit tantum uſus; ita ut iis amplius locus futurus non ſit, ubi homo ſperatum dignitatis gradum fuerit aſſecutus: tunc enim Deus & ventrem, (hoc eſt animalem ejus functionem) & cibum deſtruet & abolebit: ita venter non afficitur probro aut dedecore, ſi homo eo utatur ad cibum in illum demittendum, nec cibus, ſi eo utatur ad ſatiandum ventrem. At coitus non eſt eadem ratio, ut illis, quos ejus libido ſtimulat, vaga Venere uti liceat; ita ut cuivis obviæ ad explendum Veneris appetitum ſeſe applicare fas ſit; quemadmodum ſine ſelectu obviis cibis, quibus delectamur, uti licet. Sed inculcat Apoſtolus, coitu contineri, eoque complicari vinculum, quo maris & fœminæ, qui in hoc opere mutuam ſibi præſtant operam, corpora in unum coaleſcunt corpus; & mutuo amore ita conglutinantur, ut ſit non tam corporis, quam animorum conjunctio; & ita non tam libidinis cauſa mulierem appetat, quam ejus poſſidendæ, & coaleſcendæ in unum corpus, utpote quam amat tamquam ſe alterum; quâ etiam ideo nihil copulatius, nihil amabilius in natura: quæ ratio ſi non dominetur in appetitu fruendæ mulieris, tunc vir ſcortatur; tum quod vilem & abjectum corporis actum non reddit decorum per conjugium,

um, juxta quod Apoſtolus docet, *matrimonium eſſe honeſtum inter omnes, Heb.* 13. cum etiam, quia tunc fœminam non reverenter habet, ut decet, ſed illius corpore, tamquam inſtrumento actionis, quæ extra matrimonium turpiſſima eſt, abutitur. Quæ ratio à parte mulieris æque conſtat, & ſubſiſtit, quam à parte viri: cum hoc tamen diſcrimine, quod quandoquidem fœmina propter ſexus infirmitatem, non poſſit ſibi comparare ornamenta vitæ, quibus abjectiſſimus ille Veneris actus magnopere extollatur, aut ſaltem tegatur; tanto longius abeſſe debet ad admittendum in ſuo corpore illud probrum, quanto minus inſtructa eſt aliis ornamentis, quibus illud probrum elevare, aut imminuere poſſit, & ita contemptum per copiam aliorum ornamentorum à ſe amoliri: convenienter iis, quæ ſupra tradidimus, ubi diximus multa in viris condonari, quibus mulier non utitur ſine inſigni impudentia: nempe quia vir in alio re dignitatis gradu poſitus eſt. Decet itaque mulieres præcipuè omnem ſuum conatum & ſtudium ad honeſtatem conferre; quia cum ſint nullâ ſpe rerum gerendarum, illi neglectui eſſe non debet, quo unicè æſtimationem ſuam tueri poſſint; quodque natura illi ferme ſolum ad decus conceſſit. Eadem ratio eſt quare Apoſtolus, 1 *Cor.* 7. mulieribus concedere videtur curam & ſtudium externis allectamentis & ornamentis viri gratiam ſibi conciliandi; & ad id undique honeſtas ſuavitates conquirendi: ſicut etiam in omnibus virginibus toleratur, quod paulo moroſiores ſint circa curam corporis, quo nonnihil formæ ſuæ lenocinentur, quia omnibus ferme domeſticis aut publicis ornamentis privatæ, quibus ſibi hominum, & præſertim virorum æſtimationem parent, putantur honeſtius ſibi poſſe indulgere in cura corporis, quam quidem viros condecet.

Quibus accedit, quod præcipua & prima fœminæ gloria, & decus ſit à viro dignam æſtimari, quæ aſſumatur ad arctum illud conjugale vinculum, per quod participat de dignitate viri; & nihil ab ea committi poteſt, quo longius abeſt ab illa dignitate, quam ſi aliter, quam juxta matrimonii leges cum viro conſueſcat: tunc enim ſe præbet inſtrumentum, & famulam abjectiſſimæ & turpiſſimæ actionis; tantum abeſt, quod eâ copulâ veniret in partem & ſocietatem dignitatis mariti. Nam quemadmodum Apoſtolus docet, virum & mulierem, ſi per copulam mutuò jungantur, fieri unam carnem: quando nempe matrimonium, quod individuam vitæ ſocietatem complectitur, interceſſit; ita per conditionem partium contrahentium mulier extollitur, & vir ſuam dignitatem cum muliere communicat: contra, ſi contractus matrimonialis non interceſſerit, turpiter fit copula, & illi conciliatur illud vitium, quod ſcortationem vocamus: qua vir actionem per ſe vilem & abjectam, cumulat novo probro; & mulier ſe prodigam præbet illius rei, qua nihil ipſi debet eſſe prius & antiquius, fitque vile ſcortum, vitâ turpis, & omni æſtimatione damnata.

Quibus accedit, quod cum viro inſitum ſit fœminam appetere, (quid eſt enim omninò uſquam, quod homo maſculus libentius videre debeat quam bellam uxorem) facillime etiam prolabitur libidinis inſtinctu ad capiendam Veneris delectationem cum muliere extra matrimonium; & quia maximè mulieris dignitatem imminuit ita corporis ſui uſuram præbere viro, ideo omni cura advigilare debet, animumque intendere, ut à pudicis & caſtis moribus ſe viro probet; nec occaſionem illi præbeat cogitandi aut ſuſpicandi, quod in ſe aliquid turpiter atque fœde admittere poſſit. Et quemadmodum mulieris plurimum intereſt amoliri à ſe omnem contemptum, qui occaſione concupitæ copulæ facile oritur, ita ex adverſo niti debet, ut ille appetitus decoretur, & honeſtetur quam maxime: quales ſunt ambitus ho-

neſti matrimonii; matrimonium cum dignitate contractum; (cujus gratia ex omnium gentium inſtituto obtinet, ut ornandi matrimonii cauſa ſolemniter nuptiæ celebrarentur) amor caſtus & honeſtus viri, oſtendentis à ſe expeti mulierem, quam deperit magis animorum conjunctionis cauſa, quam corporis; ſeque eam ſectari & amplexari, non venereæ voluptatis ergo, ſed tamquam vitæ ſociam; & quam ut ſe alterum amat, & quam tamquam dimidium ſui æſtimat: ut qui peccaret, ſi eam alio ordine atque loco haberet; & qui in ipſo conjugio ſe ſcortationis reum faceret, ſi illa verecunde & reverenter à ſe non haberetur; cum quia omnis copula turpis, & in ignominiam conjugatorum vertitur, quando illa exercetur ſine illo animo, quem conjugati ſibi invicem debent; tum quia illa ſemper fœda, ſi non extollatur rebus, decus & honeſtatem illi addentibus: in quibus inter alias eſt amor ille conjugalis, qui tot præclara inter conjuges parit munera vitæ, ut luce carere malint, quam illis privari. Et quamvis matrimonium non niſi copula interveniente (actione vitæ animalis abjectiſſimâ) conſiſtat, complectitur tamen in ſe tot ſanctas leges & officia; habetque ille ſtatus tot opportunitates magnarum virtutum exercendarum, ut ſi ſinguli vir & mulier ſuis fungantur partibus, ſtatus matrimonialis ſit vere benedictus; & ita ſanctificatur honeſtis finibus, quos pii conjuges ſibi in matrimonio proponunt, ut liberi, nati ex tali matrimonio, juxta primas & ſanctiſſimas leges celebrato, ſemen Dei vocentur, *Maleachi cap.* 2. Et ſi vitio non vacat copula parum reverenter in ipſo matrimonio exercita, quantopere intenditur iſtius vitii magnitudo, quando extra matrimonium, libidinis ſolius cauſa, per abuſum corporis mulieris, & per proditionem illius dignitatis, ille coitus celebratur.

Ex præcedentibus ſe prodit ratio, quare ſexum muliebrem multa non deceant, quæ ſi à viris uſurpentur, ipſos non dehoneſtent. Vir dignitate & excellentia muliere prior eſt, utpote illius caput: ea dignitate vitat ſui contemptum, qui naſceretur in animis eorum, in quorum medio vivit, ſi ea ornamenta, & vitæ decora non poſſideret. Ita in inceſſu, motu, & flexu corporis, in potus & cibi ſumptione, alvi & veſicæ exoneratione, in colloquiis & ſermonibus, & præſertim in iis, quæ de rebus venereis habentur, & de illis, quæ iis affinia ſunt, multa ſibi largiuntur viri ſine probro, in quibus ſi mulieres ſibi indulgerent, & cum viris ſe exæquarent, parum pudentes haberentur. Id autem hac ratione evenit. Cum homines, aliorum vitæ inſtituta tacita animorum opinione æſtimantes, mores virorum intuentur, ſimul clam mentı eorum ſeſe inſinuat virilis ſexus dignitas; fitque ut id, quod in virorum moribus deflectere videatur à ſeveris modeſtiæ & honeſtatis legibus, vitioſum non putetur; quia illud viri dignitate compenſatur. Ex hoc diſcrimine dignitatis inter virum & mulierem, natæ ſunt illæ conſuetudines & leges, (quæ ferme per omnes gentes peragrarunt) quibus vir plus ſibi juris vindicavit in uxorem, quam uxori permiſit in ſe, neque jura matrimonii ab utraque parte paria habuerit; ſed conceſſit uxori minus juris in corpus ſuum, quam ſibi ſumpſit in corpus uxoris. Id jure, an injuria factum ſit, ſuo loco examinabitur. Facile mihi poſſum perſuadere, mulierem, quæ propter ſexus ſui infirmitatem (propter quam Apoſtolus eas vocat vaſa fragilia) injuriis opportunior eſt, facile multa pati & ſubire coactam, ad quæ tamen propter viri ſupra ſe eminentem dignitatem, non tenebatur; ſed virum propter excellentiam ſui ſexus, quâ etiam æquiore jure eſt quam mulier, proniorem fuiſſe ad abutendum jure ſuo; & ad peccandum in illam partem, qua plus æquo poteſtatem ſuam in mulierem augeret, & ita leges & inſtituta conjugii primum inſtituta perfringeret: quo evenit, ut contra jura, quæ uxori cum

cum marito paria erant, leges & malæ conſuetudines invaleſcerent, quæ modum excedebant, & iniquæ atque mulieri graves erant; ſed has ad amuſſim examinare, aut membratim enumerare, tædioſum foret.

Intelligit jam lector ex quibus fundamentis exiſtimem probandum, ſcortationem eſſe peccatum; & omnem copulam extra matrimonium turpiter committi. Alii ex aliis cauſis, quam quæ à violatione dignitatis naturalis hominis petitur, illam actionem peccati arguunt; putantque ſcortationem ideo in peccatorum numero ponendam, quia in ea non habetur ratio educandæ prolis. Alii exiſtimant omnem copulam, quæ non fit prolis procreandæ cauſa, peccatum eſſe. Sed ego arbitror illas ſententias longe à vero abeſſe: nam ſi ideo ſcortatio eſſet peccatum, quia in ea non poteſt haberi ratio alendæ prolis, foret omnis coitus lege naturali licitus, ubi cautum & proviſum eſſet de alenda prole. Poſſet itaque vir & vaga libidine uti, & mulier ſuum corpus in vulgus dare, quando ſpes non eſt prolifici coitus; atque ita cura tollendæ prolis abeſt. Poſſet mulier locuples & affluens divitiis, quæ copiam & facultatem habet multorum liberorum alendorum, ſeſe quotidianis nuptiis oblectare. Poſſet ſeſe præbere vas viliſſimum, in quo vir libidinem ſuam expleat; hæc tamen in ſuam dignitatem peccare, quemadmodum aliquis matulâ non indignè utitur, ſi in illam minxerit. Quis hæc probare poſſet, niſi qui ſit præmortui pudoris, & projectus ad omne nefas? Poſita enim hac ſententia, quod ſtuprum, & quæ libido ſe non proripiet & projiciet? Neque altera mihi magis probatur, quia tunc contra, ubi nulla eſſet prolificandi ſpes, ibi omnis coitus eſſet interdictus. Qui ita rationes ſuas inſtituunt, probare debent, appetitum coëundi extra prolis acquirendæ ſtudium eſſe flagitioſum. Puto autem me in ſuperioribus abunde probaſſe, appetitum illum comitari ſtatum naturalem & animalem; & quem appetitum Deus ingenuit primis parentibus adhuc integris; eumque ideo non magis ſuo nomine, & propter ſe eſſe culpandum, quam potus & cibi deſiderium; & ita utrique eodem jure ſatisfieri. Vilem & abjectum illum eſſe agnoſcimus, & ideo conſideratè eo utendum eſſe, lubenter concedimus; eumque, qui animo & corpore ab eo abſtinet, & ſe temperat, decus & magnificum quid ſectari: & ideo coitum non ſolemus ferre in eo, qui eſt perfectæ cumulatæque virtutis.

Iis, quæ de ſcortatione in medium protulimus, non derogatur fides, quod Hiſtorici referunt, in quibuſdam nationibus copulam extra conjugium honori duci: imo inter hoſpitalitatis officia numerari, uxores & virgines hoſpitibus uſurarias & utendas dare. Præterea olim in Aſſyriorum imperio cultum atque religionem invaluiſſe, quo virgines ordine in templo Bel vel Baal collocatæ, exponebantur viris, qui eas ad concubitum expeterent; eamque æſtimatam beatiorem, melioriſque ſortis, quæ prima fuiſſet expetita. Notum præterea Veneris ſacra in Cypro non aliter conſtitiſſe, quam ſtupratione virginum, & meretricio quæſtu. Et alibi extructum extare templum, in quo ſupinum jacet ſimulachrum, quod in ſe formam penis habet, cui virgo admovetur, quæ illi ſimulachro incuba; colliguntur que deſtillantes virginei ſanguinis guttæ, quibus maſſa ſubigitur, de qua, qui comedit, ſanctus habetur. Illa puella quidem nunquam viro nubit, ſed corpore quæſtum facit; cujus pars altera alimento puellæ, altera vero ejuſdem templi miniſtris cedit: facit autem quæſtum immenſum; quia quicunque cum illa rem habet, æternum ſanctus habetur. Dico omnes hujuſmodi conſuetudines non impedire, quare omnis copula extra conjugium non ſit turpis; præter hominis dignitatem; & contra primum naturæ inſtitutum: nam non tantum hac in re, ſed in infinitis aliis homines

nes à primis & priſtinis honeſti & decori dictatis deſciverunt; & libidine atque ſuperſtitione tranſverſi acti, laudem & gloriam, imo numinis cultum in rebus turpibus collocarunt; ita ut religionem non coluerint, niſi eam prius ſcelere violaſſent. Quid mirum itaque, homines quoſdam in eo errore verſari, ut putent illud dedecus & probrum, quod omni ſcortationi naturaliter adhæret, poſſe converti ad gloriam, quando arbitrantur ſe hujuſmodi cæremoniâ poſſe teſtari erga Deum, quem colunt, ſuam pietatem & reverentiam? Qua de re ſupra loquuti ſumus. Sed probandum eſt exemplis & ratione, ſcortationem à rectâ ratione non eſſe alienam: turpitudinem in ſe non continere: mulierem ea nihil indignum committere: virum non abuti muliere, quando explendæ libidinis cauſa, non cogitans de animorum conjunctione, & de individua vitæ ſocietate, appetit uxorem, quæ ad Dei imaginem creata eſt æque ac vir; quæque ita in eadem cum illo conſiſtit dignitate naturali; quæ ideo tam parum quam viri dignitas, illam labem ſuſtinere poteſt. Illi qui à nobis diſſentiunt, pari jure & ratione tueri poterunt, homini indecorum non eſſe; neque ejus dignitati naturali adverſum, imponere ſibi perſonam ſtulti; eamque ſermone & geſtibus agere. Vel potius ab hominis dignitate alienum non eſſe, magnis poculis ingenium ſuum ingurgitate, & ebrietate rationis uſu ſe privare. Quæ omnia committuntur contra naturalem hominis dignitatem in creatione illi collatam; etiam homini integro & corrupto convenientem: & quæ non peccati occaſione, quemadmodum vitiis, quibus contra pudorem itur, jure naturali ſecundævo locus factus eſt; quæque ideo non ſunt peccata per ſe, ſed naturalis metus ignominiæ, quæ à proximi judicio nobis oſtentatur, peccati & turpitudinis notam illis addit: ſcortatio inquam non eo nomine peccatum eſt, ſed jure naturali primævo; & quamvis eam Deum homineſque celare poſſimus, non ſineret eſſe peccatum, quod nulla neceſſitas unquam excuſat; quodque jure naturali, ducto ab hominis integra natura, prohibetur.

Si in ſcortatione peccatum eſt, res non poteſt habere dubitationem, quin ea omnia, quæ cum ſcortatione ſunt cognata, quæque eo ducunt, de hoc vitio participent. Dubium de iis ſupereſſe poſſet, qui nec donum continentiæ habent, nec conjugii facultatem, an iis Deus non indulſerit aliud ſubſidium ſeſe expediendi, & liberandi à Veneris ſtimulis? Reſpondemus, quandoquidem coitus extra matrimonium in ſe continet turpitudinem, & corpus hominis dehoneſtat, qui tamen exercitur ſecundum naturam, proculdubio turpius adhuc eſt, carnis libidini obſequi ratione & modo, qui à natura deviat. Et exiſtimo ex hoc capite illum libidinis actum vitii damnandum. Scio quoſdam aliter ſentire; & vitioſitatem iſtius actionis ex ſeminis corruptione, & hominis quaſi perditione, ad cujus generationem hoc ſemen confectum & elaboratum à natura eſt, dijudicare. Sed ego illos in eo falſos animo eſſe puto: quia tunc eodem jure damnaveris omnes improlificos coitus; quales ſunt eorum, quorum ætas decurſa eſt, aut qui cum uxore gravida conſueſcunt; quorum tamen concubitus licitos & conceſſos judicant.

Quid de peccato ſodomitico, quod ſingulari ratione contra naturam fieri dicendum ſit, paucis abſolvam: quia peccati iſtius fœditas jubet deproperare iſtum ſermonem. In hoc peccato examinandum venit, quid ſit aliquid facere contra naturam? Quod quidem jam inquiremus. Generatim homines per naturam intelligunt legem illam univerſi, qua cauſæ & effectus naturales continentur. Per cauſas naturales intelligo non ſolum illas, quæ neceſſariò agunt, & cauſæ phyſicæ vulgò vocantur; ſed etiam illas, quas cauſas morales vocamus, ſed quæ à corporis inſitis, & naturalibus motionibus impetum ſuum mutu-

mutuantur: ita coitum hominis naturalem vocamus, quia corporis naturalis conſtitutio, matureſcente ætate, hominem ad illum actum ſtimulat; quamvis non niſi hominis voluntate interveniente exerceatur. De cauſis & effectibus naturalibus, qui neceſſariò agunt, hic dicere nihil attinet; quia à quæſtione, in cujus diſquiſitione verſamur, illud alienum atque remotum eſt. Leges naturæ ſecundi generis ſunt in duplici differentia: aliæ ſunt illæ, quas, ni fallor, Juriſtæ vocant illud jus naturale, quod natura omnia animantia docuit; quatenus in animalibus eorum veſtigia cernimus, quia inſtinctu naturæ, hoc eſt legibus corporis ſui, ad obeunda quædam, ut ita dicam, munera impelluntur; ad quæ etiam homines, ſi naturæ ductui per malitiam refragari nolint, interveniente ſua voluntate, ducuntur: & inde natæ hæ ſententiæ, quod doctis ratio, illud natura feris præſcribit; aliud naturæ accommodatum, aliud alienum. Qualia ſunt ſui defenſio, concubitus maris cum fœmina, & quidem cum una: quia in quibuſdam animalibus eam continentiam, & conjugii effigiem ſe obſervare putant. Eodem referunt nonnulli inceſtus, quos contra naturam fieri arbitrantur; & putant ſe nonnulla obſervaſſe exempla, quibus conſtat etiam bruta refugiſſe congreſſus cum matribus: huc etiam revocant educationem liberorum, eorumque curam & tutelam, &c. & quæ ſunt hujuſmodi. Verène an falsò, convenienter an alienè hæc à Juris doctoribus dicantur, non diſputo. ſed eorum uſus hic eſt, ut magis in aperto ponatur differentia duplicis juris naturalis, contra quod nonnulla fieri & perpetrari dicuntur: unum eſt, de quo loquuntur juris Doctores in ſua inſtitutione juris: ſed ad hoc jus non attenditur, quando agitur de peccatis, quæ contra naturam fieri dicimus; & muta peccata vocare ſolemus: quæ hoc nomine notantur, quia ea eſt illorum obſcœnitas & turpitudo, ut non tantum nullo modo per ullas circumſtantias cohoneſtari poſſint; ſed quia in totum ita turpia ſunt, ut nulla verba reperire liceat, quibus illud peccatum per aliquam ejus circumſtantiam deſignatum & notatum, hominis ſenſui inſinuetur, quæ non inceſtent caſtas mentes & aures. In ſuperioribus indicavimus, quare quædam voces ſint turpes & obſcœnæ, & quare quaſdam actiones propriis ſuis vocibus & vocabulis appellare non deceat; quæ hic repetere non eſt opus, ſed ſufficit eorum memoriam lectori excitaſſe. Hæc quidem ratio eſt, quare dicantur peccata muta; & ita quidem ea conſideratio nos informat illorum peccatorum eam eſſe naturam, ut ad libidinem veneream pertineant: cujus ratio eſt, ut illius actus directi & formales honeſtè nominari non poſſint: ſed ideo nondum conſtat, quare illæ monſtroſæ libidines dicantur eſſe contra naturam; & quare tantum in illis ſit flagitium? Non quidem eſt dubium, quin hominis, maris & fœminæ naturæ, corporis membrorumque generationi dicatorum, & appetituum utriuſque in mutuos complexus conſideratio nos doceat, peccata ſodomitica ire contra id, quò nos ducat natura; & ita omnium eorum organorum, quæ illa peccata complent, uſum eſſe contra naturam. Sed eſtne uſus membrorum contra naturam, peccatum: & quidem tantum, quale ſodomiticum eſſe perhibemus? Os & ſtomachus, gula & œſophagus, facta ſunt ad hominem nutriendum; & nos docent & ducunt ad ſumenda alimenta per os, & ad ea deglutienda & demittenda in ſtomachum: ſed an ideo tantum nefas eſt hominem nutrire per clyſteres; quemadmodum medici quidam in magnis morbis talem clyſterum uſum commendant? Aut an peccatum contra naturam eſſet, infuſione lactis in venas hominem nutrire & recreare, quia natura alia nutritionis & ſanguificationis organa fabricavit? Fabrica humani corporis talis eſt, ut cibus per os ſumptus, & in ſtomachum demiſſus, per alvum excernatur, eſtne tantum crimen deſti-

deſtinato vomitu illum rejicere per os? Theologi docent loquelam homini datam ad exprimendos animi ſenſus; & contra naturalem uſum loquelæ eſſe, ſi quid aliud mente premat, quam verbis declaret; mendacium tamen longè abeſſe putant à mutis peccatis: pedes nobis ad incedendum dati, & manus, utpote organorum omnium prima, ad machinationes & artes: fuitne ideo flagitium in illo miſero, qui à primo ortu brachiis carens, pedibus multorum artificum manuum induſtriam æmulabatur? Et an is peccatum contra naturam committit, qui manibus, vice linguæ, utitur ad ſua cogitata proximo declaranda? Ut itaque ratio formalis iſtorum flagitiorum nobis conſtet, alia ad hæc addenda ſunt.

In ſuperioribus tradidimus quædam peccata, etiam eorum, quæ vulgus ad inordinatos venereos actus refert, fieri contra pudorem; quædam contra dignitatem naturalem. Contra dignitatem hominis v. gr. ſunt ebrietas, intemperantia in potu & eſca, ſimulatio ſtulti, aut ſtulti perſonæ repræſentatio in ludis ſcenicis ſcortatio, &c. Contra pudorem naturalem ſunt inceſtus, & omnes actus libidinoſi, in quibus decorum naturale non conſervatur, ejuſque non habetur ratio. At in peccatis illis mutis, contra dignitatem naturalem & pudorem ſimul peccatur, idque in gradu extremo: quod lectori potius tacitâ mente æſtimandum relinquimus, quam verbis explanare lubet. Sed illud hujus peccati fœditatem ſupra omnia declarat, & in aperto ponit, quod in illis eſt non ſolum totalis aberratio à naturæ legibus, ſed inflexio naturæ contra illas leges, nulla, ne inordinata quidem animi aut corporis naturali diſpoſitione, & cui virtus modum ponere debet, hominem eò tranſverſum agente. Vindicta illegitima peccatum eſt, ſed tale, ad quod homo naturali iræ commotione, & quam virtutis eſt moderari, ſe proripit. Sic avaritia peccatum eſt, ſed ad quod homo prolabitur illo inſtinctu naturali, quo noſtri conſervationi ſtudemus, cui divitiæ multas præbent opportunitates & facultates. Mater quæ infanticidium committit, etſi nihil magis contra naturam eſſe putetur, quam crudelis eſſe in ſuum ſanguinem, tamen aut metu infamiæ, aut paupertate, aut alia aliqua ſpe impulſa, illud flagitium aggreditur: ſaltem nunquam auditum aliquam ſceleris ipſius & crudelitatis exercendæ cauſa, tale flagitium animo concepiſſe. Et ſi per ſingula peccata ire vacaret, facile eſſet in graviſſimis peccatis oſtendere aliquam paſſionem, aut diſpoſitionem naturalem in iis ita partem ſuam vindicare, ut hominis malitia iis tamquam inſtrumento utatur; & ſine quibus in homine, qui ad id malitiæ nondum eſt progreſſus, ut gratuitò malus ſit, vitium torpeſceret. At in hoc infando peccato, non ſolum nulla animi affectio aut corporis diſpoſitio (ſed vitio hominis corrupta) ſe prodit, ſed omnia, quæ illud comitantur, naturæ propenſionem innatam ſubvertunt; ita ut in eo peccato, natura deſtinatò oppugnetur: nullam aliam ob cauſam, quam ut libidini, perdita voluntate & opinione, nullo naturali motu nos eò ducente, ſuſceptæ, pareamus: quod lector facile animo & cogitatione comprehendit. Eſtque inde etiam æſtimanda iſtius peccati magnitudo, quod in eo in omnibus circumſtantiis contra naturales inclinationes eatur. Qui nocens affligitur, & tamen aut vindictam parat, aut convitia retorquet, gravius peccat eo, qui innocens in ea peccata prolabitur: qui amicum inclementer habet, iniquior eſt eo, qui inimicum: qui parentes, quam qui peregrinum: qui humanitatis officia non præſtat parentibus, aut aliis bene de nobis meritis, gravius peccat eo, qui eadem illa officia iis non exhibet, qui nullo conſuetudinis aut officiorum vinculo nobis conjuncti ſunt. Quæ hic cauſa ita æſtimandi de peccatis? Nulla certe alia, quam quia in uno peccato major vis infertur rationi, & rebus, qui-

bus

bus voluntas duci ſolet, quam in alio: ita exiſtimarem mulierem gravius peccare, quæ in ſcortationem prolabitur, quam virum: quia pudor in muliere major, quem expugnare debet, priuſquam illi vitio ſe corrumpendam det; à qua expugnatione pudoris in hoc caſu petenda eſt magnitudo peccati. At in peccatis contra naturam, quot illic pudores ejiciendi? Quot propenſiones naturales retundendæ? Imo ad quod non cogenda natura, à quo ſponte ſua abhorret: & ſi odio dignos multos putamus, qui tantum quodam motu aut ſtatu videntur naturæ legem, & modum contempſiſſe, quid igitur judicandum de hoc peccato, quo tota naturæ lex ſubvertitur; ita ut in illo peccato omnium fœditatum & turpitudinum cumulus ſit? Et illi ideo meritò è numero hominum ſint ejiciendi, & noviſſima exempla meriti, qui ad infandum illud flagitium ſeſe proripiunt, & jura naturæ inexpiabili ſcelere polluunt; & averſa atque adverſa, ſupera & infera eodem jure habent. Plura non addam, nec perſequar eam copiam quam poſſem: quia ſunt iſtæc ita tetra, ut ea fugiat atque reformidet oratio. Exempla autem in ſuperioribus prolata, quibus uſus naturalis partium phyſicus; & in quibus nulla hæret turpitudo, quia ad Venerem non pertinent, à primo naturæ inſtituto deflectit, hic aliena ſunt: quia ex antedictis liquet, pudorem, de quo jam eſt ſermo, tantum verſari in duobus, in iis ſcilicet, quæ cum actu venereo cognata ſunt; & in iis, quæ contra dignitatem hominis, propriè ſic dictam, committuntur. Uſurpatio partium naturalium aliena à primo ſuo uſu, qualis in exemplis ſupra memoratis facta eſt mentio, non eſt ponenda in vitio, quia in illa nihil committitur contra pudorem naturalem; neque aliquid in ea culpandum, ſi oſtendi non poſſit, eâ hominis dignitatem naturalem imminui.

DIGRESSIO
DE VOTO CÆLIBATUS.

Quoniam ordo ſermonis nos deducit ad conſiderationem cælibatus, & ad illi oppoſitam matrimonii naturam examinandam, operæ pretium me facturum arbitror, ſi de voto cælibatus hic verba faciam; quia ex illius examine magis manifeſta fient ea, quæ in ſequentibus dicenda habemus de conjugio, & de iis, quæ illis cognata ſunt.

Ex iis, quæ ſupra in medium prolata ſunt, exiſtimo liquere, coitum legitimum ſua natura vitioſum non eſſe; eum tamen tantum legitimum eſſe, qui ab aliquo eo animo ſuſcipitur, ut ſibi uniat fœminam in perpetuam vitæ ſocietatem: matrimonium itaque multa pulchra in ſe complecti, & per illud contemptibilem venereum actum extolli atque decorari. Ita puto nos in aperto poſuiſſe, illum actum inter omnes functiones, quæ cum ſtatu animalis hominis connexæ ſunt, eſſe abjectiſſimum; eumque, cui à Deo conceſſum eſt donum abſtinendi à coitu, ſe tantum extollere ſuper alios, quantum eorum ſtatus excelſior & dignior eſt, qui minus obnoxii ſunt neceſſitati defungendi muneribus corporis animalis & terreſtris. Quemadmodum dubitationem non habet, quin reliquis hominibus, animalem vitam de-

degentibus, dignitate præcellat, qui liberatus à neceſſitate edendi & bibendi, & reliquarum actionum, quæ illos uſus ſequuntur; & qui ita, ad partes illas quod attinet, jam vitæ ſpiritualis, & cœleſtis gloriæ eſt factus particeps. Nunc de eo accuratius oportet exquirere, quâ dignatione ille ſtatus ſit habendus; & quando, atque quomodo pro illo vota nuncupanda ſint? Momenta, ex quibus pendet dignitas alicujus ſtatus, aut pretium virtutis, ex tribus præcipuè æſtimatur. Primum eſt, quantopere Dei honoris interſit, ut aliquid fiat: ſecundum, quantopere illa res cedat in bonum proximi: tertium, quid boni & commodi inde ad nos redundet. Deus per ipſum cælibatum in ſe ſpectatum, non magnopere honore afficitur, quia cælibatu continetur tantum excellentiæ dignitatis humanæ gradus; qui per ſe non eſt virtus, ſed argumentum ſanctitatis vitæ, quæ agitur convenienter illi ſtatui: quemadmodum emendati mores, & vita politior, & cum nitore, non tam virtutes ſunt, quam argumenta, homini ſuam pudicitiam, & cuſtodiam ſuæ dignitatis cordi eſſe; ſeque eam quaſi ſemper ante oculos habere: ſuntque illi mores, qui deſciſcunt à diſciplina politioris ævi, tunc tantum culpandi, cum exercentur in medio hominum, quos intelligimus iſtis agreſtibus moribus offendi poſſe; & iis ita aliquam noſtræ dignitatis jacturam fieri: nam quemadmodum juſtitiæ partes ſunt non violare hominem, ita verecundiæ non offendere. Ita cælibatus non tam virtus eſt, quam documentum hominis ad ſumma adſpirantis, & vitæ animalis partes cum tædio obeuntis: & qui ſtatus ideo illi decorus, qui toto vitæ curriculo enititur ad ſumma, & nil niſi cœleſtia ſpirat & cogitat. Quantum ad ea, quæ proximum ſpectant, poteſt is ſine magno damno carere utilitatibus, quæ manant à cælibatu: quia ad communem uſum in aſpectum & lucem nihil ferme profert. Nam quemadmodum Apoſtolus, 1 *Cor.* 13. virtutum Chriſtianarum, quæ ad proximum pertinent, magnitudinem æſtimat ex fructibus, qui ad proximum ex illo ſe diffundunt, facile intelligimus in cælibatu non magnam virtutem verſari, quia inde non magni fructus perveniunt ad proximum. Exemplum, quo illi, qui voto cælibatus ſeſe obſtrinxere, nos poſſunt invitare ad ſui imitationem, non poteſt permanare ad multos; tum quia (ut infra docebitur) non eſt in cujuſvis poteſtate ad hujusmodi vota properare; cum etiam, quia exemplum non eſt magnopere efficax, quia tantum iis proditur ad æmulandum idem decus, qui totâ vitâ ſingulari ſanctitate prælucent; & quibus cælibatus tantum honor eſt, & cumulus perfectionis. At quam pauci reperiuntur, qui eos in pietate progreſſus fecere, ut cælibatus, tanquam perfectionis cumulus, tantum in iis deſideretur: quia ſc. hominem ſegregat ab eo fœminæ conſortio, quod homines tam exaggeratis virtutibus, quique ideo ſui potentes putantur, parum decet. Quorum autem vita divortit ab illa excellenti pietate, nec reſpondent reliquæ partes illi ſingulari ſanctimoniæ; cujus votum cælibatus fidem facit, & ſpe prælucet, iis cælibatus votum probro eſt, & tam parum conveniens, quam annulus aureus in naribus porci. Et ideo Apoſtolus tales exhortatur ad conjugium, 1 *Timoth.* 5:14. Scriptura certè de cælibatu loquitur, ut de re ferme indifferenti: & ſi illi ſtatui quaſdam prærogativas attribuit, & eum conjugio ad honorem antecellere, eas cælibatus non tam in ſe poſſidet, quam propter quaſdam opportunitates, quas habet certis temporibus: vide 1 *Cor.* 7. 1 *Tim.* 5:14. Et quandoquidem Apoſtolus docet matrimonium eſſe honeſtum inter omnes, & cælibatum honeſtum quidem eſſe caſtis mente & corpore, attamen eos ſuæ dignitati non deeſſe, ſi nihilominus matrimonium ineant, 1 *Cor.* 7:36. 38. 1 *Cor.* 9:5. Lectori æſtimandum relinquo, quod cælibum ſit faſtigium aut arrogantia? Et an multa

multa habeant ſuper conjugatos, in quibus ſe jactent; etiam illi, qui tenere ſe & moderari poſſunt?

Pergamus nunc ad ipſum votum cælibatus. Vota concipiuntur aut de iis rebus, quæ abſolutè imperantur, & lege præſcribuntur; & quarum nullus ſibi gratiam facere poteſt: aut de iis, quæ legibus ſcita & conſtituta non ſunt; ſed quæ ſunt hujusmodi, ut ſub voluntatem & arbitrium cadant, nec veniant in officium ſingulorum hominum quovis tempore: & in his poſterioribus vota, conſilia, opera ſupererogatoria Pontificiorum occupantur, de quibus in ſuperioribus ad rei neceſſitudinem dictum eſt. De rebus, quæ abſolutè imperantur, non multa dicam; quia ad rem nihil attinet, & quia vota propriè dicta, de quibus in præſenti tamen eſt cœptus haberi ſermo, circa eas non verſantur; atque ita votorum ratio non multum ex earum elucidatione illuſtrari poſſit. Venêre autem illa hominis officia, quamvis neceſſariò ſuſcepta, etiam votorum nomine: quia pii & virtutis ſtudioſi, cum intelligunt ſe lege quidem teneri ad illa officia præſtanda, ſibi tamen votis & promiſſis de novo conceptis ſtimulum & animum addunt, ut acrius incumbant, & officium intendant in id, ad quod jam tenebantur. De tali voto vide *Gen.* 28: 20. ubi Jacob vovet, Deum, qui ſibi apparuerat, fore poſthac ſibi in Deum, quamvis ante votum conceptum Deus Abrahami & Jacobi vim numinis apud eum habere debebat.

Ad vera vota quod attinet, facile conſentient Pontificii, non rectè ea concipi de rebus, quarum perficiendarum non habemus poteſtatem; quarumque eventus non pendet à noſtris viribus: omne itaque juſtum votum & legitimum, à ſtudio & opera noſtra ad exitum perduci poteſt: vel quia vires illas jam paratas, præſentes, exploratas, & ut ita dicam, domi conditas habemus, vel quia illæ à Deo, ſecundum communem gratiæ ordinem, precibus impetrantur; quatenus jam cultu ſanctioris vitæ nobis gradus & viam ad eas fecimus. Porro, ut votum rectè fiat, ad hæc tria animum intendere neceſſe eſt. Primò, ut exploret vires ſuas, & ſe bene pertentet, quid humeri ferre valeant, quidve recuſent. Secundò, ut bene æſtimet & ponderet motus & ſenſus animi, quibus ſe inducit ad faciendum votum, & ad aſpirandum ad ea, quæ communis ſanctitatis viribus non continentur. Tertiò, ut prudenter contendat & comparet bona, quæ ſperat oritura ex voto, cum periculis, quæ adire tenetur, ne turpiter ſe det in iis ſectandis, quibus viribus par non eſt: nec Deum tentet, ad ea nitens, quorum Deus homini certam ſpem non fecit; neque in natura, neque in gratia auxilia promiſit, quibus ea obtineri poſſint. Ad vires illius quod attinet, qui vota concipere deſtinat, rectè de eo æſtimatur, illum temerè votum facere de rebus quibuſdam præſtandis, quæ longè ſuperant ſuas vires. Ita aliquis inter initia ſanctioris vitæ conſiſtens, non debet voto properare ad ea, quibus in pietate adulti tantum pares ſunt. Talis enim tam malè inſtituit rationes, quam puer, qui cum exiguis ſit viribus, onus tentat attollere, quod vir vix ferat: nec mirum illum ſemper deſtituere effectum, qui ut grande aliquid inveniat, ſemper conatur nimium.

Quantum ad animi diſpoſitionem, ab ea ſemper voti bonitas aut vitioſitas manat: nam ſi impetus ille concipiendi voti non oritur ab animo bene comparato, & modo atque ordine ſuas actiones gubernante, ita ut quidam concentus ſit inter omnes vitæ actiones & partes, vota ſæpe non minus corrumpent vitæ tenorem, quam tonus à legibus muſicæ aberrans, aures offendit, & totum concentum turbat: nam ſicut cithara perfecta non eſt, niſi ab imo ad ſummum omnibus intenta nervis conſentiat, ita hominis vita recta non eſt, quando omnes ejus partes non bene conveniunt. V. Gr. finge tibi homi-

 nem

nem vitiis ſuis indulgentem, & ab omni vita turpem; qui, neſcio quo animi motu percitus, votum facit non abſtinendi à peccatis, quod omnium Chriſtianorum officium eſt, (& cui propoſito votum caſtitatis congruenter jungi poſſet, ut proficiſcens ab homine, qui ad ſumma nititur) ſed explendi virtutes quaſdam, quæ excedunt vires hominis Chriſtiani, viventis convenienter profeſſioni ſuæ; & quas illi tantum ſectari ſolent, qui jam communem Chriſtianorum ſtatum ſupergreſſi ad ſumma contendunt. Nonne is ludos dabit, & meritò incurret feſtivitates urbaniorum hominum, quod cum nondum didicerit vitiis ſuis jus dicere, iiſque imperare, heroicarum virtutum ſpem faciat ſuis civibus? Is ad minimum ſe ſimilem iis præbet, qui vinum novum mittunt in utres veteres, *Matth.* 9. quorum hominum inſtitutum Chriſtus damnat. Præterquam quod in votis Pontificiorum id frequentiſſime eveniat; & cujus vota Monaſtica infinita dedere exempla, quod qui conjugium ejurant, & cælibatum amplectuntur, parum ad reliqua vitia delenda intenti ſint: ita ut ille cælibatus ſtatus ſuâ ſponte laudandus & decorus, illis tamen tam parum quadret, quam mendico pannis annisque obſito, aliquod ornamentum à regibus & magnatibus tantum expetitum.

Quantum ad comparationem, quæ inſtituenda eſt inter commoda & utilitates, quas votis nos nobis, aut proximo paraturos putamus; & inter damnorum & periculorum metum, cui nos exponimus, cum ad non vulgaria adſpiramus, illa non eſt exigui momenti. Nam, ut in rebus profanis, ita & in ſacris, illa prudentiæ regula obtinet, ne piſcemur hamo aureo, & ſub ſpe exigui lucri ſubeamus periculum magnorum incommodorum. Vulgus mercatorum rectè ſuas rationes putat, quando dicit illum quæſtum non poſſe conſiſtere, quem ſumptus ſuperat. Quis exiſtimet illum hominem ſapienter vitam ſuam inſtituere, qui cum naturâ ſit iracundus, & ad jurgia & lites pronus, affectans ſingularis patientiæ & lenitudinis animi exemplum prodere, iis negotiis ſeſe immiſcet, quæ ſunt plena ſtomachi & tædii: quique ita ſub ſpe aliquid excelſi præſtandi, venit in diſcrimen multo turpius labendi, quam ſi in priſtino vitæ inſtituto manſiſſet.

Erit nunc ex uſu ea, quæ tradidimus, aptare votis cælibatus. Primum, ad vires quod attinet, neminem fugit, quam acris ſit aculeus concupiſcentia carnis; & quam miſcendorum corporum maris & fœminæ vehemens libido, præſertim juvenum, & in flore ætatis conſtitutorum; imo omnium, quorum vigor ætatis non defluxit: atque ita quivis, qui rem ex æquo æſtimat, & ad veram judicii lancem appendit, facile concedet eum multis temeritatibus ſeſe offerre, & rem periculi plenam ſuſcipere, ſi quis, cui adhuc vigor & ſuccus eſt in corpore, voto cælibatus ſeſe adſtringit, niſi priuſquam illi capiſtro os præbeat, multis in caſibus expertus ſit ſe ſui potentem eſſe, & capacem domandi illam libidinem; ut ita conatus viribus reſpondeant, & vitæ partes conſentiant. Ita quidem voto cælibatus locus non eſt, niſi ubi nos dono continentiæ inſtructos ſentimus; atque ut ita voti finis ſit, potius donum, quod jam poſſidemus, majori cura excolere, quam per votum illud adipiſci. Et qui eo ordine & via progreditur, rectè rationes ſuas inſtituit, & regulis prudentiæ Chriſtianæ obtemperat; nec fodiens talentum ſuum in terram, nec ſupra vires animum gerens, ſeſeque efferens. Alioquin temere aliquid voto aggredimur, cujus adimplendi nec vires poſſidemus; neque illius ſtudio aut precibus acquirendi ulla facta ſpes: eſtque noſtra agendi ratio tam aliena à ratione, quam illius Regis, qui bellum parans contra inimicum, & calculum iniens militum & ſumptuum faciendorum, intelligit ſe inimici viribus & copiis imparem eſſe; & cum ratio illi dicta-

dictare deberet tentare vias pacis, & conquirere honeſtas conditiones decidendi, & iis utendi, quarum facultatem præſentem, & in manu habet, tamen bellum malit: confidens Deum ſoſpitaturum ſua conſilia; & per ipſum proditurum exemplum, & daturum documentum mortalibus per inſignem & memorabilem injuriæ vindictam. Pariter in concipiendis votis, prudentiæ Chriſtianæ partes ſunt, bene ponere calculum, & expendere an viribus inſtructi ſimus ad expugnandas & exſtinguendas carnis libidines; & ſi intelligimus nos ab iis non ſatis eſſe firmos, placemus & delinimus ejus ferociam conjugio; neque tentemus Deum, precibus eum fatigantes, & jejuniis nos macerantes, ut non tantum indies in pietate progreſſus facere, & ita contendere poſſimus; prout eſt captus noſtri ſtatus, ad ſummum: (quod cujuſvis Chriſtiani officium eſt) ſed ut conſequi poſſimus, & adipiſci heroicas quaſdam virtutes, quarum Chriſtus ſingulos Chriſtianos non vult facere participes; neque promiſſis in ſpem adduxit, ſe illis hoc eſſe præſtiturum: quemadmodum quidem omnibus promiſit gratiam Spiritus ſui ſanctitatis ad vitandum peccatum; non autem ad acquirendum ſummum ſanctitatis & dignitatis gradum in rebus, in quibus poſſimus ſecundi & tertii eſſe ſine peccato. Quemadmodum tota Chriſtianiſmi, aut Dei civitas nobis proponitur ad effigiem & ſimilitudinem corporis, cujus partes & organa variis funguntur muneribus ad commune corporis bonum; neque tamen pars minoris dignitatis & uſus ideo vitio laborat; quia non eſt in numero partium dignitate priorum: & quemadmodum cujuſque partis eſt, pro ſuo modulo, laborare pro bono totius corporis; imo contendere, ut gradum ſibi poſſit facere ad majorem dignitatem, neque tamen officio ſuo deeſt, ſi quando inter inferioris dignitatis poſita non ſibi vindicet munera partium dignitate potiorum. Et quemadmodum civis vulgaris, imprudenter inſiſteret, ſi ſtudio inconſiderato præcipitans zelum de patria bene merendi, eas reipublicæ partes procurandas ſuſciperet, ad quas ritè obeundas, neque natura neque uſu formatus eſt. Chriſtianus ſemper quidem contendere debet ad laudatiſſima, non tamen properare ad ea, quibus per præſentem ſtatum idoneus non eſt: ſed debet ſinere ut fiant pietatis gradus, & pro modulo virium concipere vota. Et ideo meritò ſuſpectum habere debet illum animi impetum, ut non à Dei Spiritu proficiſcentem, quo homo ultra vires ſuas vota & ſtudia ſua extendit. At donum continentiæ non eſt hujuſmodi, ad quod communiter Chriſtiani aſpirare poſſunt. Et Apoſtolus ſpeciatim de illo ſtatu diſſerens, diſerte teſtatur, non ſolum cuivis fideli illum non convenire; ſed etiam cuivis Chriſtiano ad id laborandum non eſſe, ut donum continentiæ precibus & jejuniis impetrare poſſit. Cum ſcortationis vitandæ cauſa non tantum quibuſdam donum continentiæ largiatur, ſed etiam conjugium in ſubſidium & remedium inſtituerit; & ideo vult ut is, qui dono continentiæ ſe deſtitutum experitur, contrahat matrimonium; cum præſtet nubere, quam uri. Si Apoſtolus judicaſſet cuivis pietatis ſtudioſo, & ad ſumma contendenti paratum eſſe continentiæ donum, modo pro virili ad id niteretur, non dediſſet illis, qui libidinis ſtimulos reprimere non poterant, conſilium ineundi matrimonii, ſed conſtanter perſeverandi in precibus & jejuniis; utpote quæ Deus ſecundaret, & proſpero bearet exitu: ſed Apoſtolus non potuit ita inſiſtere, quia non extant promiſſa Deum cuivis largiturum continentiæ donum, qui ritè ad illud obtinendum precibus apud Deum contenderit. Et quandoquidem periculum ſcortationis in non continente tam magnum eſt, & ſtatus cælibatus non tantopere expetendus, quomodo prudens Chriſtianus in conſequendo illo dono pertendere poteſt per tot diſcrimina

ſe

ſe polluendi; habens interim tam præſens & paratum remedium contra illam incontinentiam, quo, ſine læſione ſuæ dignitatis Chriſtianæ, uti poteſt; ad quod monachis omnis aditus interclusus eſt. Quibus addatur, quam paucas vita monaſtica habeat opportunitates acquirendi illud continentiæ donum; & quam dura illis incumbat neceſſitas perſeverandi in illo vitæ inſtituto, poſtquam illud ſemel ingreſſi ſunt, nec amplius deliberandi ſpatium eſt: quam ineluctabilis eos tunc urgeat ardor, qui acriores ſubdens faces, & medullas eorum exedens, cum deſperatione nunquam recuperandæ libertatis, & domandæ libidinis, indomitis eos implicat neceſſitatibus. Vulnus alit venis & cæco carpitur igni.

Neque caro in monaſteriis ita ſubigitur, ut in ſpeciem videtur: nam conſuetudo paucorum annorum illis callum obducit, ita ut facile ferendo ſint exercitia monaſtica; imo vires & vigor corporis potius in iis corroborantur, quam franguntur; quod nitor & habitus corporis, qui in monachis, ut plurimum, commendatior eniteſcere incipit, ſatis docet: ſed præſertim id teſtantur frequentes eorum prolapſus in ſcortationes. Taciti eos præterimus, qui ex ordine eccleſiaſtico muneris cauſa ſe temperare debent à matrimonio, nec tamen auſterioris vitæ regulis & præceptis tenentur; & ita ad omnia incontinentiæ pericula magis expoſiti ſunt: ut inde rectè inferre liceat, inſtituta illa Eccleſiæ, quibus Eccleſiaſticis perſonis interdicitur conjugii uſus, non minori laborare incommodo, quam votum monaſticum. Argumento etiam eſt votum cælibatus non ita comitari continentiæ donum, quod cum remedia ſpiritualia, vitaque ad exactam frugalitatis & ſobrietatis normam inſtituta, parum ſufficiat, medicamentis uti conſueverunt; quibus non tantum carnis libido coërcetur, ſed ipſa naturæ vis læditur: & eorum ſuſcepta ratio cum iis par eſt, qui ut gulæ libidinem poſſint frangere, nec tamen ab animi viribus, jam luxu jacentis, quicquam præſidii exſpectare poſſunt, medicamentis utuntur, quibus ſtomachi ægritudo conciliatur: vel potius iis ſe pares conſtituunt, qui ut laſcivientem naturam reprimant, ſe caſtrant & mutilant: cum tamen viri honeſti munus ſit in decurrendo virtutis ſtadio, non naturam affligere & corrumpere, ſed eam in ordinem cogere, & ſevero vitæ inſtituto in gyrum obedientiæ flectere; eamque ſuis aptare finibus, quibus à naturæ auctore deſtinata eſt. Næ ille egregiè devius aberraret à recto, qui ut exorbitationes exultantis & acris ingenii poſſet reprimere, medicamentis illius vim iret perditum: quod perinde eſt, ac ſi quis ferociam generoſi equi volens domare, daret operam, ut etiam egregia ejus indoles tolleretur. Vis & poteſtas generandi naturæ noſtræ pars eſt, cujus domini non ſumus; non magis quam partis noſtri, in quam nullum directum jus habemus, ſicut alibi hoc demonſtratum eſt.

Ut itaque veniamus ad clauſulam, & ea, quæ dixi, ad unam ſummam referamus, ſtatuo I. Cælibatum ſuo nomine eſſe ſtatum digniorem conjugio; quia reddit hominem immunem ab illis functionibus corporis naturalis & animalis, quæ inſignem habent deformitatem, quæ quamvis matrimonii decore & honeſtate reſarciatur, retinet tamen multas cauſas juſti pudoris. II. Rectè tale votum poſſe ſuſcipi ab eo, qui ſe ſui potentem experitur, & eſt, ut ita dicam, in potentia proxima illud perducendi ad exitum. Nam ſi Apoſtolus probat fœminas & viduas, provectioris ætatis, & à cura tuendæ domus, & tollendorum liberorum vacuas, illud vitæ inſtitutum ingredi, quo laborantibus in Eccleſia opem ferant; & quod cælibatum requirebat; & à quo voto reſilire & deficere probroſum putabatur: quidni juniori fas erit, idem vitæ inſtitutum amplecti, cum intelligit ſe eſſe extra teli libidinis jactum? Nam Apoſtolus ad hoc vitæ genus

genus non admittit juniores viduas propter periculum incontinentiæ; cum illæ ſæpe temere, & cupidius quam par erat, affe-ctarent illa munera in Eccleſia, quibus poſtea valedicebant matrimonii deſiderio. III. Iis tamen potiſſimum convenire illud votum, qui non tantum dono continentiæ præditi ſunt, ſed qui ſtudio deſerviendi proximo, & ſolutius atque liberius vacandi operibus charitatis, animum ſuum inducunt ad illud votum nuncupandum: videmus enim eo præcipuè nomine cælibatum matrimonio ab Apoſtolo præferri, potioremque duci. Qui itaque iſtum ſtatum tantum affectant, quia in aliqua laude & gloria inſiſtit, qua matrimonium caret, illi ab illo ſtatu non admodum ſunt probandi aut commendandi. IV. Et quia magnæ prudentiæ opus eſt ſe bene explorare, vireſque ſuas expendere, exiſtimo illos cautius & circumſpectius rationes ſuas putare, qui ita cælibatum amplectuntur, ut quidem voto ſe non adſtringant, neque aliqua religione ſe obligent eum ſervandi in perpetuum; animi tamen propoſitum concipiant cælibatum conſtanter tuendi & ſectandi, ita ut continuò illius propoſiti memores, intimis ſemper agantur ſenſibus ad adhærendum illi propoſito. V. Arbitramur, eum, qui dignitatis ergo cælibatum affectat, & interea à reliquis vitæ partibus parum honeſtus eſt, ludibrio ſeſe exponere, & agere perſonam, quæ ſibi non conſtat, neque ſecum concordat; & qui ſe ei ſimilem præbet, qui ſordibus & detritis veſtibus incedens, aliquam tamen corporis partem cultu, Rege digno, exornet. Denique illos non longè ab impietate abeſſe, qui deformandi conjugii cauſa, & detrahendæ ſpoliandæque ejus dignitatis, conjugatos à ſanctis Eccleſiæ miniſteriis arcent.

DE CONJUGIO, *ET* POLYGAMIA.

ORdo nunc poſtulat, ut de ipſo conjugio loquamur; & qualibus contrahi debeat legibus. In ſuperioribus (ni fallor) argumentis ex naturæ fonte hauſtis probatum dedimus, ſcortationem eſſe peccatum; & in ſcortationis remedium à naturæ conditore inſtitutum eſſe conjugium. Primum itaque dicendum quid per conjugium intelligamus; & quid ad tale conjugium, quod coitum à vitio immune præſtat, requiratur. Diximus formalem ſcortationis rationem hiſce contineri: quod libido venerea, quæ intimam animorum & corporum conjunctionem, quâ congredientium corpora fiunt unum corpus, non intendit, infra naturalem hominis dignitatem ſit; ideoque tunc ab homine turpiter fieri: & quod vir per dedecus abutitur corpore fœminæ, quando ſolummodo Veneris cauſa uſuram ejus corporis capit; & quod fœmina labem & maculam in corpore ſuo concipit, quando extra certum & ſtabile conjugium ſe præbet inſtrumentum, & miniſtram explendæ viri libidinis. Et ideo in omnibus, tam

viris, quam fœminis, niſi emortua in iis ſit pudicitia, ſemper mutuus amor præcedere ſolet copulam; ita ut prius ſit quædam animorum conjunctio, quam corporum: unde etiam zelotypia manat; quæ certe alteri non invidet voluptatem veneream; neque zelotypus ea de cauſa ſibi comparem propriam & ſolam vindicat: nihil enim ſuo nomine honeſti in coitu reperitur, nec eſt quod quis alteri eum invideat, ſed zelotypiæ aculei & impetus oriuntur ex conſideratione, quod nullus niſi infamis & propudioſus corporis ſui uſum alicui concedat, cui non pariter animum largiatur; & corporis ſui dominium cedat: polygamus itaque, qui eodem tempore plures ſibi jungit uxores, comparem eo fraudet, quod altera ſibi proprium vindicabat: & zelotypiæ ratio in eo potiſſimum verſatur, quod ſit cura & ſollicitudo conſervandi tamquam proprium & perpetuum id, quod animo noſtro præcipuè carum eſt: nec regna ſocium ferre, nec tedæ ſciunt. Seminavit itaque Deus in natura principia legum matrimonii: ita ut homines, qui ſe rectè introſpicere & pertrectare velint, neque illa legum primordia, & ſimulachra virtutis extinxerint, ſuâ ſponte judicent de natura matrimonii, ejuſque legibus.

Harum legum prima & princeps eſt, quod omne conjugium individuam vitæ conſuetudinem complectitur: & quibus argumentis probavimus ſcortationem, ſive copulam aut concubitum, qui non importat vinculum conjugale, eſſe vitium & peccatum; iiſdem probamus, inconceſſos amores eſſe, qui corpora coëuntium non faciunt unum niſi ad tempus: & qui ea lege atque conditione conſentiunt in coitum & cohabitationem, ut poſt aliquot dies, menſes aut annos ſit deſitura, facile intelligunt hujuſmodi pactum aliquid diripere de dignitate viri; & præſertim mulieris. Non enim magnopere refert, ſive pro multis menſibus, ſive pro paucis diebus mulier paciſcatur de noctibus. Imo pactum pro pluribus noctibus eo fœdius eſt, quod eo vitii & peccati longior uſus ſtipuletur. Quod autem concubina minus infamis ſcorto putetur, id non eſt, quia concubinatus in ſe includit uſuram corporis ad aliquod tempus protractam, ſed quia concubina non publicat corpus vulgo; nec ſe vagæ permittit libidini, quemadmodum vulgare ſcortum. Et cum inter omnes gentes omni ævo diſcrimen ſit habitum inter conjugem, & uſum mulieris extra conjugium, etiam comperiemus diſcriminis cauſam in eo ſemper poſitam fuiſſe, quod conjugium contractum fuerit animo perſeverandi in eo uſque ad ultimum vitæ ſpiritum. Aliæ autem conjunctiones cum muliere non continent perpetuam vitæ conſuetudinem: nam nec amplæ dotis promiſſio, nec magnæ utilitatis, aut compendii faciendi ſpes, ex conceſſo corporis uſu, (quæ extra conjugium tantum eſt merces impudicitiæ) nec prolis educandæ promiſſio, (quâ naſcituris ex concubitu conſulitur quidem, ſed non honori coëuntium) nec teſtificatio erga mulierem intenſiſſimi amoris, (qui contemptu & ignominia, quâ mulierem afficit per abuſum illius corporis, vitio inficitur, nec ſe tueri poteſt) nec longus mulieris uſus (qui tantum ejus abuſus continuationem continet) eam juſtæ uxoris numero haberi facit, ſed ſolummodo corporis viri & mulieris coalitus in unum corpus perpetuo vinculo conglutinatus. Ita ut quemadmodum ſine coëundi intentione nullum inter virum & mulierem poteſt contrahi conjugium, quia vis & cauſa, quâ duo fiunt una caro, (quæ eſt copula) deeſt; ita omnis contractus, qui copulam includit, nec tamen perpetuam vitæ conſuetudinem intendit, conjugii dignitatem attingere non poteſt: quia vis copulæ ex ſua natura illam perpetuam vitæ conſuetudinem involvit; eſtque illius uſus à natura alienus, quoties ſub alia conditione expetitur. Ita quidem liquet ſemina legum matri-

trimonialium, quæ produntur in Scriptura, ſparſa eſſe in natura, & in omnes gentes vim ſuam diffudiſſe: ita ut quemadmodum homines ſponte, nec recondita ratione judicant inter ſcortum & honeſtam matronam; ita illis in promptu eſt diſcernere inter conjugium, & inter conſuetudinem viri & mulieris, quæ illa dignitate caret; quæ etiam nunquam illis cæremoniis celebrata fuit, qualibus conjugium: ſed contra, omnis concubinatus fuit habitus indignus, qui cohoneſtaretur ritibus, inventis ad addendum decus conjugio.

Et quamvis forte divortii juſtæ dentur cauſæ, non poteſt tamen illa vera eſſe cauſa, quæ deſtinato, cogitato, aut ex compoſito ponitur: cum nulla contrahentium pars id juris habeat in corpus ſuum At longe diſtant, ad tempus in cohabitationem conſentire, & ita contrahere matrimonium cum animo manendi in eo ad mortem, ſed quod tamen intervenientibus & oblatis foris, (at non quæſitis & intentis, cum ſit contractus) diſſolvi poteſt. Eſtque hic par ratio in priori caſu, quæ reperitur in eo, qui amicitiam cum aliquo contrahit, animo eam renunciandi & ſolvendi, poſtquam amici uſum aliquamdiu habuit, quod certe fœdum & illiberale eſt; & eo fœdius, quo turpior quæſtus aut delectatio fuit, quam per amicitiam deſtinavit adipiſci. Non tamen amicitiæ pretium imminuitur, quamvis ejus natura talis eſt, ut ſemel contracta, propter juſtas cauſas poſſit diſſolvi. Exiſtimo itaque me jam probaſſe nullum coitum liberari poſſe à vitio, niſi per conjugium: in omni conjugio contineri vinculum perpetuum inter conjuges; neque ſufficere ad matrimonii contractum, quod mulier ſit in tutela & cuſtodia viri; ſed jus naturale docere dignitatem naturalem mulieris requirere, ut vinculum inter virum & mulierem in conjugio ſit perpetuum.

Nunc ſupereſt diſcutienda difficilis quæſtio, an lex naturalis jubeat conjugia tantum eſſe inter duos? Reſpondeo, mihi nullum dubium eſſe, quin lumine naturali cognoſcamus conjugium inter duo perfectius & dignius eſſe; & mulieris dignitatis naturalis majorem in tali conjugio haberi rationem. Nam quamvis maritus eſt uxoris caput, non tamen habet in illam dominium cum imperio; neque ſubjectione mulieris jus in illam acquiſivit, ſed aſſociatione: deditque Deus viro mulierem comparem & adjutricem, non famulam aut ſervam: & nihil magis alienum ab amore conjugali, quo vir conjugem tamquam ſe alterum complectitur, quam illud dominium, quo re aliqua utimur tamquam nobis inferiore, & noſtro uſui & commodo tantum deſtinata aut comparata. Sic res mihi extra controverſiam eſt, inter duos ſe magis prodere amorem conjugalem, & mutua conjugum munera; & ſanctiorem purioremque inter duos eſſe thorum conjugalem. Nec ſinit nos dubitare Chriſtus, docens matrimonium ab initio à Deo inſtitutum, ut tantum eſſet inter duos: quemadmodum ex eodem inſtituto manat, quod perpetuum vinculum eſſe debeat. Nec dubito quin in ſtatu integritatis mulier in ea fuerit conſtituta dignitate, ut omnino conveniens fuerit, eam cum uno viro tantum nuptam eſſe. Neque illud inſtitutum tantum vim præcepti poſitivi habuit, ſed illud ductum puto ab initiis naturæ in creatione homini inditis; cujus vis etiam manavit ad totum genus humanum; cujus inſitas, & quaſi conſignatas in animis notiones illa zelotypiæ affectio, quæ tam fœminis quam viris adeſt, indicat: & mulier tam virum, ut ſui dimidium amplectitur, quam vir mulierem: & in utroque ſexu, quando ætas proceſſit ad juventutem, ſe produnt inclinationes, quibus tam mas quam fœmina mutuò ſe appetunt; non libidinis explendæ cauſa, ſed quia uterque ſibi aliquid deficere putat, quod conjugio tantum refici & compleri poteſt. Ut rectè dicatur iſtius inclinationis reſpectu, naturam ſolitarium nihil amare, ſemperque ad aliud, tamquam ad

ad adminiculum adniti, quod in amiciſſimo quoque dulciſſimum eſt; & communem naturalemque quandam commendationem marem inter & fœminam eſſe. Et quamvis polygamia apud multas gentes obtinuerit, nunquam tamen, quod ſciam, liberum conjugium inter perſonas liberas contractum fuit, per quod vir uno eodemque tempore duas ſibi adjungebat uxores; & cujus conjugii ſimul amor, non autem aliquod commodum domeſticum pronubus & conciliator erat. Sed quando altera & tertia uxor ſuperinducitur, id fit ſucceſſivè, & libido aut utilitas domeſtica illud ſuadet; & ideo facto illo multum diripitur de dignitate conjugii, & de integritate conjugalis amoris.

Scio equidem reſponderi ad argumentum de zelotypia, illam paſſionem non ex veris naturæ principiis in homine, & præſertim in muliere efflorescere, ſed opinione & conſuetudine gentis, in qua degimus, tantum eſſe ſuſceptam; quemadmodum ſæpe mores deteriores ſpecie honeſtatis & magnanimitatis increbreſcunt in Republica: inter quos eſt v. gr. ille mos, qui nomine fortitudinis & generoſitatis ſe commendat, quo nobiles & milites tuendæ exiſtimationis & famæ cauſa, ad monomachiam & condicta ſingularia certamina ſe proripiunt: quo in caſu non vera ratio eos informat ad vindicandam facinore exiſtimationem ſuam: ſed animus ad contumeliam fractus & mollis. Sic arbitrantur zelotypiam non vi naturæ probè conſtitutæ commoveri in nobis, ſed eſſe vitium (præſertim in muliere) profectum à ſuperbia mulieris, quæ tanti ſe æſtimat, ut putet nullam aliam fœminam in thori ſocietatem aſſciſci poſſe ſine ſua injuria: eſſe itaque zelotypiam animi commotionem, in muliere præſertim, averſam à ratione, & à primis naturæ inſtitutis alienam; & ideo dicunt illam ceſſare apud eas gentes, ubi polygamia in uſu eſt: quod documentum manifeſtum præbet iſtius paſſionis cauſam eſſe tantum in moribus. Reſpondemus, ex natura amoris conjugalis rectè concludi zelotypiam eſſe affectionem animi, homini datam à natura recta, quia ex ſupra traditis manifeſtum eſt, concubitum complecti conjunctionem duorum corporum in unum; & amorem conjugalem complecti amorem intenſiſſimum, quo animi & corporis mutua communicatio continetur: nihil autem homini magis ſuum & proprium eſt, quam ſuum corpus & ſuus animus; & nullus nobis carior eſt, quam noſmet nobis ſumus: amor itaque conjugum non eſt amor adverſus rem, quam nobis inferiorem putamus; & quam appetimus non ſuo nomine, ſed propter uſum & noſtras commoditates: neque eſt erga rem, quam nobis præſtantiorem putamus, quales ſunt Deus & Patria, ſed mulier à viro ſuâ caritate colitur, & expetitur ut compar ſibi; quâ æquè delectatur ut ſe ipſo, & erga quam ita eſt animatus ut ipſe in ſe. Et quemadmodum noſtri conſervandi ſtudium rectum atque naturæ appoſitum eſt, ita ut illius cauſa reliqua ferme omnia parentur; ita conſervandæ & tuendæ poſſeſſionis conjugis ſtudium rectum atque probum eſt: tam diu autem conſervatur illa poſſeſſio, quam diu nobis propria manet per vinculum conjugale, quod profectum ab amore, quo duo unum eſſe expetunt, completur per copulam. Mulier itaque ſe non æſtimat nimium, quæ uni viro, eoque proprio frui vult; quia natura conjugalis amoris eò ducit: ideoque illa animi affectio, quam zelotypiam vocamus, libera eſt à contumacia, & profecta à magnitudine animæ digna muliere; & à vera æſtimatione ſuæ dignitatis. Non eſt itaque aliena à natura, aut vitioſe ſuſcepta zelotypia, quemadmodum eſt monomachia & vindicta privata, ad ſe vindicandum à ſuſpicione formidoloſi & parum ſtrenui hominis: quia hoc eſt invadere officium judicis; & privato judicio injuriam ſuam æſtimare, ejuſque vindictam perſequi: cum tamen ex legibus civitatis ad pacem

&

& juſtitiam tuendam comparatis, injuriarum privatorum æſtimatio & reparatio publicis judiciis ſit commiſſa.

Neque etiam me à ſententia mea depellere poteſt, quod polygamia non ſemper libidinis cauſa appetatur: ſed ſæpe inſignium commoditatum ergo, quæ in familias inde redundant; & quæ etiam ad muliebrem ſexum ſeſe diffundunt: per eam enim plures mulieres conſtituuntur ſub tutela & cuſtodia unius viri, ſub qua earum pudicitia ſecurius deliteſcit; & earum dignitas provehitur, & in altiori gradu conſtituitur, quia illa aliquod incrementum capit per matrimonium. Nam quamvis hæc vera eſſe poſſint, non rectè tamen argumenta in hac quæſtione ducuntur à commodis aut incommodis, quæ polygamiam comitari ſolent; ſed in hiſce attendendum ad naturalis rationis dictamen atque præſcriptum: non enim quod magis aut minus utile eſt, id ideo lege naturali aut vetatur aut jubetur; ſed quod ratio imperat, aut quod cum illa pugnat, id committere fas aut nefas eſt. In hac quæſtione itaque tantum penſitandum venit, an polygamia motibus naturæ, per & juxta rationem ſeſe exerentibus repugnet? Aut an eis conſentanea ſit? Si mulieris pudicitia, quæ viro juncta eſt, magis eſt in tuto, etiam concubinæ res cautior erit, ne dedatur multorum libidini, fiatque publicum proſtibulum; illa tamen utilitas concubinatum non reddit à vitio immunem: & ſi polygamia ſtabilit rem familiarem, etiam ſervorum copia familiæ commoda auget, non ideo tamen deſinit ſervitus aliena eſſe à Chriſtianorum charitate & manſuetudine. Et ſi muliebri ſexui propter conjugium in polygamia accedere videatur aliquod decus, illud verum decus non eſt; quia illud non aliter acquiritur quam per diſpendium majoris decoris: ſicut is qui divitias, quibus contemptus, qui in paupertate eſt, arcetur, per probrum acquirit, ideo honoratior non putatur.

Quæ hactenus polygamiam ſpectantia tradita ſunt, probant quidem conjugium inter duos aliquid egregius & excellentius in ſe complecti quam polygamiam: quod fortaſſe nemo, inter moratiores gentes degens, in dubium vocaverit; ſed illa difficultas manet reliqua: an pugnet cum dignitate naturali mulieris, quod plures apud unum virum nuptæ ſint? Ita ut polygamia ſine vitio nunquam introduci potuerit, neque uſurpari; ne tunc quidem quando cum ſeculis & ætatibus hominum illa conſuetudo in quibuſdam gentibus inveteravit: ut, quemadmodum pugnat cum dignitate naturali hominis ſtulti perſonam agere; ita etiam infra dignitatem naturalem mulieris ſit, quod plures uni viro nuptæ ſint. Ut hæc difficultas planè atque perſpicuè expediri poſſit, altius nonnulla acceſſam; ut res lectori magis in aperto ſit. Diſtinguendum primò inter dignitates, quarum non eſt una & ſimplex natura; & à quarum cognitione tamen totius quæſtionis momentum pendet. Alia eſt dignitas, quæ nullam in ſe moralitatem continet; hoc eſt, quæ nec vitii, nec virtutis rationem ullam in ſe complectitur. Sic dignitas, quæ ex ſcientiis & artibus alicui accedit, nullam moralitatem habet; nullus enim ideo probior aut improbior putatur. Sic nec illa dignitas, quam conſequentur beati, poſtquam corporis animalis infirmitates depoſuerint, & corpori glorioſo Chriſti ſimiles fuerint facti, ullam moralitatem continet: ex nullis enim virtutibus ſtatus ille, qua talis, completur; quemadmodum neque virtutum ſtudio gradatim acquiritur: cum tamen ipſa beatitudo, quæ in Dei fruitione conſiſtit, ipſis virtutibus, quæ hic à probis exercentur, contineatur; quamque per gradus ſibi parant, pro modulo progreſſuum, quos in virtute faciunt: ſed illa beatitudo non eſt confundenda cum ſtatu corporis glorificati. Eſt & alia dignitas, quæ in ſublimi & excelſa quadam natura omnibus cumulata virtutibus fundata eſt; quæ qui-

dem moralitatem in ſe continet; & à qua is, qui illam poſſidet, deſciſcere, aut declinare ſine peccato non poteſt, ſed quæ tamen ad omnes non convenit; & cum qua illi, qui in tam excelſo gradu dignitatis conſtituti non ſunt, non tenentur exæquare ſuas actiones. Sic Chriſtus in illa dignitate conſtitutus fuit, etiam cum in terris ageret, ut multa ejus dignitas ab eo requireret, ad quæ homines, communi ſorte nati, adſpirare non habent neceſſe; & male officiorum ſuorum calculum ſubducerent, ſi quod Chriſtum condecere putant, id etiam ſibi imperatum putent; & ſi deliberantes atque hæſitantes, an ipſis fas ſit aliquid committere aut omittere, conſulerent exemplum Chriſti, & inde ſibi formarent officia vitæ. Ita ſunt quædam munera in Eccleſia & Republica, quæ talem perſonam imponunt illis, qui iis funguntur, ut plane in ea dignitate verſari debeant, à qua alii non ſolum abeſſe poſſunt, ſed quam ne ſectari quidem debent, ſi non velint ludum & jocum præbere populo. Fuit etiam quondam quædam dignitas in homine ante lapſum, de qua per peccatum deſcivit; & quæ illi præſcribebat munera, à quibus nunc meritò ſe temperat. Eſt etiam alia dignitas homini ita naturalis, ut nullus caſus aut neceſſitas intervenire poſſit, quâ ab ea ſine peccato declinet: qualis eſt dignitas viri ſuper mulierem; & propter quam caput mulieris vocatur; & à qua deficit, quando finit uxorem imperium domeſticum in ſe exercere; illique ita obnoxius vivit: in talem dignitatem naturalem etiam peccatur, quando per ebrietatem ingenium corrumpimus aut delemus, aut ſtultum & mimum agentes motu aut ſtatu contemnimus naturæ legem & modum; aut etiam cum ſcortatione nos polluimus. Eſt denique quædam dignitas, quę in uſu quarundam virtutum, & in gradu ſanctitatis conſiſtit; ad quem omnes quidem adſpirare debent, quatenus omnes tenemur niti ad ſummum; & qui eo nomine, eaque ratione quidem imperatur, & omnibus præſcribitur, ſed ad quem nemo reipſa aſcendere debet, niſi qui illam ſpiritus copiam habeat, eoque afflatu ſanctitatis ſe moveri ſentiat, ut & ſe tuendæ iſti dignitati parem, & ſe ſuæ ſanctitati deeſſe putet, ſi eò non contendat, quo ipſum ſanctæ illæ motiones ire hortantur: & qui ideo piaculum contrahit, quando iſtis motibus non obedit; utpote qui cum gloriæ Dei & proximi commodis magnopere inſervire poteſt, mavult commodiore vita frui, quam ad Dei gloriam majores moleſtias ſubire. Sed à quo gradu tamen ſine peccato abſunt, qui minori ſpiritus copia ſunt præditi, quandoquidem ille major ſanctitatis gradus & opera, quæ ex illo manant, ab animo mutuantur ſuum pretium; & ideo virtutis rationem & dignitatem ſuſtinere non poſſunt, ſi à zelo & animi motionibus non procedant. Sic v. gr. eleemoſynæ diſtributio ſine charitate, bonorum operum numero haberi non poteſt: ille zelus cum omnibus non æqualiter diſtribuatur, ideo etiam illa opera non abſolutè ab omnibus requiruntur. Et in his operibus Pontificii verſari putant conſilia, & opera ſupererogatoria.

Hiſce pro rei neceſſitudine expoſitis, quæ omnia præmuniuntur reliquo ſermoni diſputationique noſtræ, ſupereſt ut ſenſum ſuper quæſtione propoſita depromamus. Cum dignitas glorificatorum ſanctorum non ferat conjugii uſum, multo minus poteſt illorum ſtatus conſiſtere cum polygamia; & cum quæſtio verſetur in rebus, quæ homini, dum in terris ætatem agit, evenire poſſunt, ſupervacaneum eſt de iis quæſtionem movere, quibus in cœlis tantum erit locus. Et cum dignitas, quæ nullam moralitatem in ſe continet, & ad quam nullis virtutibus nobis poſſumus munire viam, nullum momentum habeat in moralibus; neque ad ea referri per ſe poſſit, ideo nec illa dignitas hic in conſiderationem venit. Quantum ad illam dignitatem, quæ in excellenti cumulataque virtute na-

tura conſtituta eſt, illa propius ad examen vocari poſſet; ſed quæ ſuper ea dicenda veniunt, rectius in medium proferentur, quando ſermo erit de dignitate, in qua illi inſiſtunt, qui ad majorem quam vulgarem ſanctitatem aſpirant, aut qui muneris cauſa in majori ſeveritate,& morum gravitate verſari debent. Eſt autem & alia dignitas, quam Deus in creatione uni præ alio conciliavit: & de hac dignitate jam dicemus. Ex *Epiſtola prima* ad *Corinthios Cap.* 11. conſtat virum, etiam ante lapſum, dignitate anteiſſe mulieri; non tamen iſtam dignitatem comitabatur jus habendi uno tempore plures uxores: nam Chriſtus *Matth.* 5. *Marc.* 10. & *Luc.* 16. manifeſtò mihi videtur docere factum Dei, viro tantum adjungentis unam uxorem, habuiſſe ad minimum (in illo innocentiæ ſtatu) vim legis, ſecundum quam Adami poſteritas in paradiſo conjugalem ſocietatem inire tenebatur. Verum equidem eſt, locis citatis, Chriſtum non de ſtinatò tractare quæſtionem de polygamia, ſed de repudio; mihi tamen videtur Chriſtum, per occaſionem propoſitæ ſibi quæſtionis, oſtendere ex prima conjugii inſtitutione obtinere debere, primum, matrimonium eſſe indiſſolubile; nec conjuges nullis legibus, inſtituto, aut pactis à ſeinvicem divelli aut ſeparari poſſe, quam adulterio: hominem tamen contra illam legem indiſſolubilitatis matrimonii ſeſe ab uxore ipſo facto ſeparare, & divortium facere, eamque deſerere, quando ſibi ſecundam aut tertiam mulierem adjungit; quia tunc non adhæret uxori ſuæ; docetque Chriſtus diſerte, *Luc.* 16. illum qui priori uxori ſecundam aut tertiam adjungit, committere adulterium: quia ipſo facto ſe ſeparat à priori uxore: & ſecundæ ſeſe agglutinat. Ita ut Chriſtus teſtetur illum, qui uxorem dimittit, & alteram ducit, adulterium committere & mœchari; non quia illam ſimpliciter dimittit, ſed quia, cum dimiſſio non ſit valida, & tamen ſibi per matrimonium adjungit ſecundam, mœchatur: unde manifeſtum eſt, Chriſtum aperte docere, neminem ſecundam uxorem poſſe adjungere priori, quin mœchetur. Et quamvis *Matth.* 5. non compareant verba, *& duxerit alteram*: ſed ſimpliciter dicatur, hominem dimittentem uxorem, facere ut uxor mœchetur, id tamen intelligi non poteſt de ſimplici divortio à marito facto; quia uxor dimiſſa, & ſæpe innocens tanti peccati propter vitium mariti rea agi non poſſit; niſi quatenus Chriſtus intendit loqui de uxore dimiſſa quidem, ſed etiam tranſeunte ad ſecundas nuptias: quemadmodum *Luc.* 16. caſum ita proponit & decidit; & Judæos docet, in quantum peccatum ſeſe induebant per ſua divortia, quibus plerumque utebantur ad ſibi comparandam facultatem commodiorem ducendi domum novam uxorem. Secundum argumentum eſt, quod vir debeat juxta primum matrimonii inſtitutum adhærere uxori ſuæ; & quod duo tantum eſſe debeant in unam carnem: manifeſto poſterioribus hiſce verbis docens, vinculum matrimoniale ſubſiſtere non poſſe, quando maritus priore uxore ſuperſtite, ſibi aliam aſciſcit; quia committit adulterium, & ſeparat quod Deus conjunxit; nec paret primis matrimonii inſtitutis, quæ jubent ut duo, & non plures ſint in carnem unam. Nec video quomodo vi & ſignificationi verborum ſatisflat, quando plures uxores junctæ uni viro, coaleſcunt cum viro in unam carnem: nam quamvis mulier nupta viro videatur fieri una caro cum viro, non fit tamen vir, qui plures duxit uxores, una caro cum mulieribus, quas duxit; cum plures mulieres, quæ nupſerunt uni viro, non jungantur in unam carnem; & ita in viro diſtrahitur illa unitas, & multiplicatur in mulieribus: & quod cedit uni mulieri, non coaleſcit cum altera in unam carnem. Nam quod de amicitia vulgò dicitur, quod amicus ſit alter idem, id ſtatus conjugali aptari non poteſt, quaſi vir poſſet eſſe una caro

cum

cum pluribus mulieribus, licet plures habeat uxores, quemadmodum amicitia inter plures poteſt intercedere: ſunt enim aliæ leges amicitiæ, aliæ conjugii; neque amicus propter amicum deſerere tenetur patrem & matrem, & adhærere amico: amicus tamen ſine impietate patrem & matrem deſerere non poſſet propter amicum, quando officia inter utroſque ſimul ſubſiſtere non poſſent; neque imminuitur dignitas amici, ſi ſecundus aut tertius amicus aſſciſcatur; quemadmodum mulieri aliquid de ſua dignitate perit, quando vir plures unà ſibi adjungit mulieres: ubi enim animus multitudine uxorum diſtrahitur, nullam pro ſocia habet, pariter omnes viles ſunt. Liquet itaque ex ſuperioribus reſponſum Chriſti locis ſupra citatis tam valere contra polygamiam, quam contra divortia: & Chriſtum uno reſponſo duplicem ſolviſſe nodum; quia Judæorum intererat id ita fieri: illi enim raro cum una uxore divortium faciebant, niſi ut ſeſe oblectarent cum alia. Eò addendum eſt, quod legitur *Maleach.* 2: 15. *Nam nonne unum effecit, quamvis reliqui ſpiritus ipſius eſſent? Quid autem unum? Quæſiturum ſemen Dei: ideo cauturi eſtis ſpiritui veſtrò, & in uxorem adoleſcentiæ tuæ perfide ne quiſquam agito.* Iſtæc verba à Propheta prolata arbitror contra Judæos, qui excruciabant uxorem primam, quam Propheta uxorem adoleſcentiæ vocat; quamque ut ſibi unicè caram atque dilectam expetierant in uxorem; & cujus animum ſpe in perpetuum duraturi amoris ſibi devinxerant; & quem jam per amorem deſultorium, & animum prioris mutuæ benevolentiæ immemorem eludunt atque fruſtrantur, faſtidio prioris adjungentes ſibi alteram, in qua ſibi delicias facerent: fuit itaque in ſtatu integritatis conjugium circumſcriptum iis legibus, ut viro tantum liceret unam uxorem ducere.

Sed his ita definitis, reliqua manet difficultas, an illa dignitas mulieris, quæ ipſi prima creatione obtigerat, fuerit mulieri ita naturalis, ut ab illa dejici non potuerit, non violatis illis naturæ principiis, à quibus in reliqua vita per omnem poſteritatem Adami ducuntur officia & munera moralitatis? Et an illa dignitas fuerit potius aliquod ornamentum mulieris naturæ ſuperadditum; & quo carere potuerit inviolatâ naturâ: quemadmodum immunitas à moriendi neceſſitate primis parentibus conceſſa, per peccatum mutata fuit in neceſſitatem moriendi: & quemadmodum dignitas incedendi pudendis non tectis, per peccatum ab iiſdem ablata fuit, & impoſita membris genitalibus ea vilitas, ut ab illis partibus homo amplius nudari non poſſit ſine impudentia. Ita etiam quæri poſſet, an mulier per peccatum primum, cujus ſe præcipuè ream conſtituit, quia ſe ejus auctorem & ducem præbuit; & cujus fructus peſtiferi permearunt per totum genus humanum, etiam non ſit depulſa ab eo dignitatis gradu, quo primum in conjugio viro par erat; & quantum ad vinculum conjugale ejuſdem cum marito juris: ita ut nunc ad illum ſtatum redacta ſit, ut viro jus natum ſit plures ſibi aſſciſcendi uxores; manente natura, ejuſque præſcriptis & legibus integris? Et videtur iſti ſententiæ argumentum præbere pœna in mulierem decreta, quâ plus viro obnoxia declaratur, quam fuit ante peccatum perpetratum; ut quæ nunc debeat omne ſuum ſtudium, & voluntatem conferre in maritum; ita ut non tantum ſit in ejus tutela, ſed etiam in mariti voluntate conquieſcere debeat. Unde etiam forte ab illo tempore mulieri ingenita eſt illa animi affectio, quâ non tantum multò reverentius ſe erga maritum gerit, ſed etiam longè ſubmiſſius virum ſuum dominum appellans; teſtans ea humilitate ſibi multum periiſſe de ſua dignitate. Quemadmodum vir contra dignitate auctus altiores ſpiritus in ſe experitur; pro quorum ratione, modo, & menſura majus ſibi jus in uxorem attribuit; cujus inter alios effectus eſt jus polygamiæ & habendi uno tempore plures uxo-

uxores: ita ut vir non tam legi, quam charitati pareat, cum una uxore eſt contentus.

Reſpondeo, rem apud me nullam dubitationem habere, quin per pœnam, ſpeciatim mulieri inflictam, mulier magis obnoxia ſit facta viro: etiam facile mihi perſuadeo propter illam ſtatus mutationem, mulierem redditam magis injuriis viri expoſitam: qui etiam per peccatum corruptus elatius æquo ſe gerit, caſto amore minus regitur; & proclivior eſt in abuſum ſuæ auctoritatis in uxorem: quemadmodum etiam mulier peccato ægra, ideo etiam minus ſuis affectibus imperare poteſt; quo evenit, ut minus virum officiis ſectans, iiſque eum devincire ſtudens, eum iniquiorem in ſe experiatur: quo factum eſt, ut facilius emortua atque extincta ſint illa ſemina naturæ, à quibus proficiſcuntur conjugii perfectiſſimi atque integerrimi leges, quæ vetant polygamiam; atque ita polygamiam apud omnes gentes obtinuiſſe, iis tantum exceptis, quarum temperamentum ipſas ducebat ad continentius ſe gerendas in rebus venereis: ſed à quarum moribus non aptius argumentum fueris mutuatus pro monogamia, quam à cujusque gentis moribus ab humanitate probatæ, duxeris argumentum pro lege naturali. Et poſſet aliquis fortaſſe hanc conſiderationem cumulare alia cogitatione; nempe ſi illa novâ, & majore ſubjectione uxoris, polygamia non ſit vindicata ab omni peccato, hoc ſaltem eâ effectum, ut per polygamiam adulterium non committatur; introductâ per peccatum tali mutatione in matrimonio, ut mulier quantum ad jus, quod illa acquirit per conjugium in corpus mariti, non ſit par cum eo, quod vir acquirit in corpus mulieris; ita ut vir alteram aſſciſcens uxorem non violet conjugale vinculum, in cujus violatione adulterium formaliter conſiſtere videtur. Non enim facile aliquis hoc à ſe impetrabit, ut credat ſanctiſſimos viros, qui ſe auctores vitæ graviter ſancteque agendæ profitebantur ſub V. T. ſe adulterio, eoque perpetuo polluiſſe. Sed de his in ſequentibus. Ex hiſce ſequi videtur, omnia quæ de conjugali amore dicta ſunt, evincere tantum conjugium inter duos eſſe perfectius & integrius, illudque convenienter ſtatui integritatis introductum & uſurpatum fuiſſe; & ideo alienam fuiſſe ab illo ſtatu polygamiam: ſed quemadmodum poſt peccatum dignitas mulieris fuit imminuta, ita leges matrimonii nonnihil fuere immutatæ, & aptatæ ſtatui hominis, qualem poſt lapſum obtinuit; in quo viro licuit ſine injuria uxoris plures uxores ſibi adjungere. Imo viri ſancti non ſolum ante & poſt legem plures habuerunt uxores, ſed etiam in lege præcepta quædam dantur his, qui plures haberent uxores: & Regi præſcribitur, ne uxorum & equorum nimiam ſibi paret copiam. Et doctrina Sadducæorum, qui negabant binas ſimul uxores jure haberi, decepti loco, *Levit.* 18: 18. malè intellecto, fuit inter Judæos putata hæreſis.

Et doctrina Chriſti in locis ſupra citatis non obſtat, quia illa tantum inſinuat quid obtinuerit in ſtatu integritatis; & ad quid aſpirare debeant Chriſtiani, vel potius quibus illi jam legibus obſtringantur; revocans illos ad primos, antiquos & optimos mores, convenientes excelſo Chriſtianorum ſtatui: qui alius ſtatus alios mores poſtulat. Cum tamen à prima creatione, & quæcunque in medio fluxere ſecula, uſque ad regni cœlorum inchoationem in terra, quæ poſt Chriſti aſcenſionem in cœlum præcipuè initium ſumpſit, eam in matrimonio dignitatem non requirebant, qualem N. T. deſiderant tempora. Hæc ſententia fortaſſe propterea apud multos aſſenſum & fidem non inveniet, quia ex illa ſequi putatur à Chriſto novas & ſanctiores leges traditas Chriſtianis, & ita conſiliis & operibus ſupererogatoriis locum fieri. Quam ſententiam omnes, qui orthodoxiæ tenaciores ſunt, rejiciunt, & quam nos etiam omnino à veritate alienam putamus;

& virtutis rationem in conſequentiis ſuis plane ſubvertentem: quaſi aliquid ſub Euangelio legi naturali, aut rationi rectæ repugnaret, quod ſub V. T. cum ea non pugnabat. Aut quaſi unquam homini fas ſit potius ſibi morem gerere, quam ſervire Deo ex omnibus ſuis viribus, quas in ſe jam promptas & paratas agnoſcit; & quæ ipſum ad id excitant. Quamquam itaque doctrinam Pontificiorum damnem; & propter alias cauſas polygamiam improbem, non puto tamen ſententiam eorum, qui polygamiam tuentur, eo nomine explodendam. Sed quia hæc res maximi eſt momenti, operæ pretium me facturum arbitror, ſi illam enucleatius excutiam, & paulo altius accerſam.

Nota & trita eſt diſtinctio inter Præcepta affirmativa & negativa, aut inter imperantia & vetantia. Non furaberis, non ſcortaberis, non occides, vocantur vulgò præcepta negativa: tribues cuique ſuum: caſtitatem & pudicitiam coles; proximum amore proſequeris; eique te accommodabis in omnibus, ſunt præcepta imperantia; & his utriuſque generis præceptis, ſi generatim conſiderentur, ex æquo omnes conſtringuntur. Quoniam hominum, omni tempore, cujuſcunque ordinis & loci, tam fuit officium caſtitatem ſectari, quam ſcortationem vitare; tam juſtitiæ operam dare, quam à furto & ab injuſtitia ſeſe temperare: tam proximi utilitates quærere, quam in ejus bona cupiditate non imminere. Puto hanc rem omni dubio carere apud æquum rerum æſtimatorem: etiam omnia talia præcepta generatim conſiderata ſunt naturę præcepta, quæ mutationem, exceptionem, aut diſpenſationem non ferunt. Quis enim ſuſtinet tueri aliquando fas fuiſſe aliquid facere contra decus, decorum, aut dignitatem ſuam; aut delectari malis & adverſis proximi; aut quod eodem redit, odiſſe proximum; efferri & exſultare gaudio, quia illi malè eſt? At enimvero, cum hæc Præcepta affirmantia referuntur in uſum, & aptantur particularibus perſonis, idque alio, atque alio tempore, tum quidem nunquam mutationem admittunt; ſed materiâ, circa quam verſantur, magnam mutationem ſubeunte, legis effectus & obligatio variant: unde evenit perſonas & actiones, quantum ad ſpeciem externam ſimiles, ad legem tamen relatas, diſſimillimas eſſe. Omnes circumſtantias aut appendices, & caſus, propter quos hominibus illa variatio accidit, hic recenſere extra ſcopum foret. Duorum tantum mentionem faciam, quæ quæſtioni, ad quam ſequens omnis ſermo confertur, cognata ſunt: unum eſt diverſitas dignitatis hominum, alterum diverſitas copiæ Spiritus & gratiæ, hoc eſt graduum pietatis. Diverſitatem dignitatum dari ſupra probavimus; cum enumeravimus diverſas dignitates, quas idem homo ante lapſum, ſub lapſu, & in reſtitutione omnium rerum ſubiit, & ſubiturus eſt; & quivis facilè concedit diverſos illos ſtatus diverſa requirere munera convenienter ſingulis ſtatibus: neque tamen nova lex moralis ſingulis ſtatibus fuit aptanda, ſed eadem lex ſufficit omnibus, quamvis diverſa naſcantur officia, pro diverſitate ſtatuum. Quemadmodum noſtri Theologi rectè docent, Adamum poſt lapſum, & poſt datam promiſſionem de Meſſia, vi legis moralis, hoc eſt, rectæ rationis Adamo à primâ creatione inditæ, obſtrictum fuiſſe iſti promiſſioni fidem habere. Et Adam vi ejuſdem legis moralis, præſcribentis pudorem & dignitatem tuendam eſſe, ante lapſum nudus incedebat, & poſt lapſum veſtitus, & pudenda tegens. Et quamvis Chriſto in terris verſanti, major dignitas majusque decus fuit additum, quam ulli homini; quapropter etiam in majori morum ſeveritate & ſanctitate verſari tenebatur; non tamen illa excedebant aut ſuperabant primæ legis juſtitiam & ſanctitatem: neque novæ legis latio & promulgatio fuit neceſſaria, ad moderanda eius officia; prima enim lege omnia ea continebantur, quia recta ratio illa impera-

perabat. Et ſi mulier, vel potius conjugium propter Chriſtum fuit reſtitutum priſtinæ ſuæ dignitati, quæ dignitas per ſe abolitas leges revocat in uſum, non ideo nova lege opus fuit, quæ conjugum officia regeret. Nec video cur magis pugnet cum Chriſti munere, aut Dei ſanctitate atque juſtitia, novas dignitates, decora, atque ornamenta adjungere alicui ſtatui, quæ ille ſtatus antea non habuit, quam ſingularem hominem in aliquibus circumſtantiis ponere, quibus ad excellentiora officia præſtanda obſtringitur, quam ille, qui in illis circumſtantiis non eſt conſtitutus. Qui dixit, 1 *Tim.* 3:2. *Volo Epiſcopum unius uxoris virum eſſe*, (in aliis polygamiam ferens) potuit ſimul omnes Chriſtianos in illa dignitate conſtituere, ut æquitas, & ipſorum dignitas juſſerit omnes unius uxoris viros eſſe. Et cum noſtræ leges Eccleſiaſticæ, propter eandem dignitatem eorum, qui muneribus Eccleſiaſticis funguntur, jubent concionatorem, ſeniorem, & diaconum uxorem de adulterio convictam, repudiare; ne putetur eſſe leno uxoris ſuæ, atque ad ea vitia indulgere, à quibus omnes Chriſtiani abhorrere debent: quâ lege tamen vulgares & de plebe Chriſtiani non tenentur, illi Rectores Eccleſiæ non ideo arbitrantur iſtis conſtitutionibus novam legem ferre. Et quidni caſum illum comminiſci licet, quo omnes Chriſtiani propter dignitatem, in qua Deus eos potuit poſuiſſe, obſtringerentur uxorem adulteram à ſe dimittere?

Scio equidem objici poſſe, probandum eſſe, Deum Chriſtianorum conjugium ita dignitate auxiſſe, ut illud jam requirat viſum unius tantum uxoris maritum eſſe; & non potius dicendum ſit, manente conjugio in eadem dignitate, quâ fuit, Deum hominem obligaſſe ad ſanctiora munera, quam ad quæ antea tenebatur, manentibus iiſdem circumſtantiis: atque ita homines in Evangelio ad majorem ſanctitatem novis legibus evehi, quam lex naturalis imperat. Sed in ea objectione nihil momenti eſt ad ſubvertendam priorem ſententiam. Si enim dignitas conjugii non eſt provecta ad altiorem gradum, ita ut inde aliud officium naſcatur; tunc in illa lege nulla eſt moralitas: tantum abeſt, ut per eam ad ſummam legis moralis, quæ viguit ſub V. T. acceſſiſſet novus perfectionis gradus; ſed eſt tantum lex poſitiva, ad cujus obſervantiam nullâ aliâ moralitate homo obſtringitur, quam parendi officio; quia nec conjugii dignitas illi legem imponit, nec majoris pietatis inſtinctus eum eò ducit. Quod quidem hic rectè notari velim, cum hoc cardine tota hæc controverſia vertatur; & hujus rationis vis ſeſe longè lateque diffundat. Qui præſcribit viginti quatuor horarum preces, illius præſcriptum ſanctius non eſt ejus, qui jubet Eccleſiam jejuniis & ſanctis meditationibus ſe præparare & comparare, ad Deum intimis animi ſenſibus precandum; nec tamen precandi ſpatium extendit ulterius, quam ſpiritus fervor illi aſpiret animum. Et ſi Chriſtus interdixiſſet Chriſtianis bellum gerere, quod ſub V. T. licitum fuiſſe omnes agnoſcunt, non rectè inde conficeretur ſanctiores leges, majoremque charitatem Chriſtianis præſcriptam, quam Judæis: quandoquidem & is, qui non gerit bellum, pejus poteſt odiſſe proximum, quam is, qui cum illo armis certat. Et finge Judæis permiſſum uxores ſuas dimittere à ſe, Chriſtianis autem id non fuiſſe indultum, non inde ſequitur Chriſtianis maritis majorem charitatem erga uxores imperatam quam Judæis; quaſi mariti Judæi potuerint ſine peccato eſſe vacui ab illo amore, quo Chriſtiani erga ſuas uxores affecti eſſe debent: ſed ſequeretur ſolummodo, Chriſtianos quibuſdam legibus poſitivis teneri, quibus Judæi non obſtringebantur. At ratio à nobis diſſentientium rectè procederet, ſi in gerendo bello, & in dando libello repudii eſſet charitatis proximo & uxori debitæ, defectus; & qui defectus Chriſtianis fraudi eſt, at Judæis ſub V. T. reos non conſtituit: ſed cui

cui homini probari poteſt illa ſententia, nempe actiones quaſdam, manentibus iiſdem circumſtantiis eſſe peccatum ſub Euangelio; idque vi legis naturalis, adeoque ſuâ naturâ, quæ tamen ſub lege ab eo liberæ erant? Cum in illa ſententia illud abſurdum ſe prodat, rationis veræ & rectæ aliam eſſe vim ſub Euangelio, quam quondam ſub lege fuit: aliquid alio tempore quam alio rationi conveniens fuiſſe: legem Dei ſanctiſſimi non attuliſſe interitum vitiorum, ſed tantum eorum mediocritatem. Ab omnibus hiſce naturæ ſenſu abhorremus. Atque hæc dicta ſufficiant de diverſitate ſtatuum, à qua officiorum diverſitas ducitur; illæſa manente ſanctitate & integritate legis. Supereſt ut nunc agamus de altero caſu, nempe varietate donorum, quorum conſideratio alia atque alia officia hominibus copia Spiritus imparibus, imponit.

Dari gradus perfectionis, ad quos quidem omnes aſpirare & contendere debent, ſed quibus tamen ſine peccato illi carent, qui quidem ſummum gradum non attigêre, perveniendi tamen ad ſummum occaſiones non neglexerunt. Qui intellectum cognitione imbutum, animum paratum, & ſe viribus inſtructum experitur, quo gloriam Dei promovere, aut proximi commoda augere poteſt, is ſine peccato à tali re ſe temperare non poteſt. Quia talis, hoc, aut ſimili reatu ſeſe adſtringeret: quamvis nunc poſſum hac in re oſtendere, quam grave atque ſanctum mihi ſit numen Dei mei, & quantopere mihi curæ ſint commoda proximi mei, nunc potius mihi indulgebo, & ea prima ducam, quæ mihi libido ſuadet; quod certe eſt à Deo ſeſe avertere ad creaturam, & ea quæ Dei ſunt, poſthabere iis quæ ſunt mundi. Nam in tali caſu nullus à ſanctiore opere ſe continet, quam qui eodem tempore ſuo animo morem gerit. An non omnes ſatis cognitum perceptumque habemus hæc à recto ſenſu aliena eſſe? Sed ex adverſo, ſi quis omni ſtudio, votis & opera expetat ſumma, nec tamen in præſentia ſe inſtructum ſentit iis dotibus, quæ requiruntur ut ſumma in pietate præſtet, ſed iis tantum præſidiis munitum, quibus in corpore myſtico Chriſti non capitis, ſed minoris uſus membrorum officia explere poſſit, is rectè fecerit, qui ſpartam quam nactus eſt ornans, & perſonam, quam Deus ei impoſuit, rectè agens, iis ſe applicet, iiſque defungatur muneribus, quibus ſe idoneum cognoſcit; ſtudens per gradus ſibi viam facere ad præclariora corporis munera. Talis non tantum non peccat, quod capitis officia non exequitur, cum pedis tantum munera poteſt explere; ſed monſtri ſimilis eſſet, & totam turbans ſcenam, ſuſcipiens agere perſonam adultæ ætatis, cum puer ſit; & affectans capitis functiones explere, cum pedis in corpore rationem habeat. Nec minus à ratione alienum foret, ſi vota pro talibus conciperet, & promiſſis ſeſe obſtringeret ad ea præſtanda, quibus ſe non eſſe parem, propter donorum minorem copiam, agnoſcit: & omnes illæ actiones, quæ excedunt menſuram Spiritus, cujus eſt factus conſors, eſſent actiones mortuæ & mimicæ, ſpecie tantum referentes virtutem, ſed reipſa peccata ſplendida Deo maximè exoſa; ut quæ meram contineant hypocriſin, aut importent cultum irrationalem, ſpiritu vitaque carentem; & referentem hominem opere operato ſeſe jactantem & oſtentantem. Quid ineptius & à ratione magis devium, quam ſibi imperare preces quatuor horarum, cum conſiſtas in primis regenerationis gradibus, & cœleſtibus adhuc non aſſuetus, vix quadrantis horæ ſpatium precibus ſpiritum & ardorem impartiri poſſis? Quid loci reliquis temporibus precibus ſupereſt, ubi jacet animus, & vacua tantum verba funduntur? Quando itaque Apoſtolus jubet ut precemur ſemper, puto id intelligendum de ſtudio & cura acquirendi per meditationem & commentationem rerum ſpiritualium, facultatem precum: aut de illis precibus Apo-

ſtolum

ſtolum loqui, quæ continuò proficiſcuntur ab animo hominis devoto, qui in Deum recumbit, & intimis animi ſenſibus indeſinenter per vota, deſideria, & gratiarum actiones Deum ſuum veneratur.

Hoc ita confecto atque conſtituto, liquet in quibuſdam circumſtantiis aliquos homines ad illuſtriora pietatis opera teneri, à quibus alii abſunt ſine peccato; nec tamen inde confici conſiliis & operibus ſupererogatoriis locum eſſe, aut legem non ſummam & omnibus ſuis numeris perfectam ſanctitatem præſcribere; ſed per conſilia aſpirari poſſe ad ea, quæ dignitate ſua legis præſcriptum tranſgrediuntur: aut homines poſſe à quibuſdam ſanctis & heroicis operibus ſe temperare, & eorum loco, ea quæ carnis ſunt ſectari; quamvis ſe ad ea animatos experiantur: aut eos rectè poſſe ſuſcipere perſonam hominis adulti; cum viribus & ſtatura tantum ſit puer. Manet itaque vis legis divinæ *Diliges Deum ex omnibus viribus*, &c. *& proximum ſicut te ipſum.* Etiam illius. *Quod reliquum eſt fratres, quæcunque ſunt vera, quæcunque veneranda, quæcunque juſta, quæcunque pura, quæcunque amabilia, quæcunque boni nominis, ſi qua virtus, ſi qua laus eſt, hæc cogitate, Philip.* 4. Neque tamen omnium Chriſtianorum paria ſunt officia & munera: & tamen præcedenti lege omnia cadunt ſub officium hominis Chriſtiani. Nullus itaque rectè & ſine vitio aliquid omittere poteſt, tamquam lege non præſcriptum, quod tamen conſiliis & votis agendum ſuſcipit, ut aliquid legis perfectionem excedens.

Non itaque metus prolabendi in errorem eorum, qui conſilia, opera ſupererogatoria, & nova præcepta Euangelica tuentur, nos deterrere debet ab amplectenda ſententia eorum, qui exiſtimant polygamiam ſub lege licitam fuiſſe, at ſub Euangelio prohibitam. Quod etiam oſtendit illorum probatorum doctorum ſententia, qui cum acerrimi oppugnatores ſunt dictorum errorum, tamen polygamiam & repudia ſub lege licita fuiſſe arbitrantur, & ſub Euangelio ſeverè interdicta. Poteſt enim hæc ſententia ſubſiſtere, nec tamen alteri inde parari præſidium. Quod quidem eveniret, ſi huic ſententiæ connexum foret, in polygamia ſub lege aliquid moralis vitii fuiſſe, ad quod Deus indulſit ſub lege: aut alia eſſe officia hominis Chriſtiani quam Judæi, manentibus iiſdem perſonarum appendicibus.

Cæterum conceſſo, polygamiam ſub lege vitio non caruiſſe, videtur tamen ſequi inſignem mutationem, poſt perpetrationem peccati in legibus de conjugio factam eſſe. Ex prima enim inſtitutione ita duo per conjugium coaleſcebant in unum corpus; & tale par, æquale, & mutuum jus oriebatur inter conjuges, ut tam de uxore quam viro ratum eſſet id, quod habetur, 1 *Cor.* 7. *Uxor non habet poteſtatem in corpus ſuum ſed maritus*; ita etiam *vir non habet poteſtatem in corpus ſuum, ſed uxor ejus*: ita ut Apoſtolus paribus officiis & voluntatibus, viri & mulieris definierit jus: at ſub lege & poſt peccatum commiſſum, cujus mulier dux fuit, videtur illud par & mutuum jus deſiiſſe; & uxorem quidem eo vinculo adſtrictam manſiſſe in pœnam; quia ab illa peccatum ortum erat, virumque ad illud impulerat: virum tamen crimine adulterii ſe non feciſſe obnoxium, quando vivente priore uxore, aliam ſibi adjungeret. Eſſet itaque poſt peccatum, propter mutationem conditionis & dignitatis mulieris, declinatio facta à prima conjugii inſtitutione, & quam Chriſtus, *Matth.* 9. rurſus in uſum revocavit; & ideo illa nova Chriſti ſanctio nullum haberet momentum ad probandum legem primam conjugii viguiſſe ſub V. T. Cum inde ſequeretur, Patres ſub V. T. & quorum vita exemplo & diſciplinæ aliis eſt, non ſolum non magnopere in virtute proceſſiſſe, ſed adulteriis ſe polluiſſe. Qua adulterii inviſa voce uti verentur etiam illi, qui tam acriter tuentur Pa-

tres ſub lege polygamiâ ſe peccati reos fe-ciſſe, adulterii tamen eos abſolvunt: & ſub Novo Teſtamento in eadem polyga-mia adulterii crimen eſſe docent: & ta-men, quod mirificum eſt, pugnant pro utraque illa ſententia ex prima inſtitutione conjugii, & ex doctrina Chriſti. Ex illo-rum itaque ſententia unum idemque cri-men eadem pœna vetitum, à perſonis in iiſdem circumſtantiis conſtitutis perpetra-tum, in unis erit adulterium, in aliis in-firmitatis peccatum. Nam neque illorum ſententiam admittunt, qui docent leges perfectiores legibus Moſaicis à Chriſto traditas; neque tradunt mulieris dignita-ti aliquid detractum propter peccatum mu-lieris, ita ut maritus non teneretur eam habere in eadem dignitate, in qua prima creatio illam conſtituerat, & cui pro-pterea eadem officia præſtare non habebat neceſſe: neque admittunt verba primæ in-ſtitutionis matrimonii non arguere mari-tum, ſecundam ſupra primam uxorem ducentem, aut cum libera rem habentem, adulterium committere. Neque ad igno-rantiam Patrum illorum tamquam ad aſy-lum recurri poteſt: non enim prætendi poteſt ignorantia non affectata; nam tunc ſancti illi Patres omni ea in re peccato ca-ruiſſent. Deinde ſi jure naturæ prohibe-tur polygamia, quo pacto evenit, in re tanti momenti, & in peccato tam enormi, naturam tam cito ſuæ primæ inſtitutionis oblitam fuiſſe, cujus vis apud omnes plu-rimum valet; & tum maximè cum idone-am complexa eſt naturam: quæ nec con-ſuetudine prohiberi ſolet, quin jus ſuum teneat, & à qua præcipuè ſpecimen natu-ræ capiundum eſt; præſertim ſi propius abeſt ab ortu & divina progenie: quæ ergo ratio ſuſpicandi in ſanctis ſub V. T. ita illam legem naturæ deletam fuiſſe, ut nulla ejus ſupereſſent ſimulachra aut veſti-gia, ſed per ignorantiam inculpatam in mala illa conſuetudine verſarentur? Erat itaque per ignorantiam affectatam, ſed il-la nec excuſat, nec imminuit peccatum; & ita ſancti illi Patres Spiritu Deo acti, tamen ad tantum ſe proripuerunt nefas, quod morte vindicari ſolet. Et cum Deus tam ſanctas populo Iſraëlitico tradiderit leges, iſtius ſceleris non tantum nullam prohibitionem prodidit, ſed illas leges circa pluralitatem uxorum tulit; ut niſi vis primę inſtitutionis viguerit in animis Iſraë-litarum, vix aut ne vix quidem ullus rem aliter cogitatione complecti potuit, quam eam fuiſſe conceſſam.

An non ea ſententia ſuperiori forte to-lerabilior eſt, quæ docet prima inſtituti-o-ne polygamiam non fuiſſe prohibitam, ita ut ne ſub Novo quidem Teſtamento, ejus prohibitio facta fuerit; & quæ ſanctos Patres tanti criminis reos arguit: præſer-tim cum huic ſententiæ favere videatur, quod in prima inſtitutione non fiat expreſ-ſa mentio matrimonii inter duos tantum habendi, neque illatione manifeſta id confi-ciatur; neque etiam ex verbis Chriſti, res in aperto ponatur. Oſtendit equidem Chri-ſtus, primum conjugium ita inſtitutum, quod individuam vitæ conſuetudinem continere debeat: quod ideo nullus inire debet niſi animo manendi in eo ad ultimum vitæ ſpiritum; quodque ita repudia ſub lege conceſſa, non muta-bant legem illam perpetuam de perpetuo vinculo conjugii; quaſi per libellum repu-dii Judæis conceſſum, illata eſſet conju-giis illa mutatio, ut jam non amplius com-plecterentur perpetuam vitæ conſuetudi-nem; & quod poſſent iniri ſervata viro li-bertate ſe ſolvendi illo vinculo, quando uxor minus eſſet facta ad ejus genium & mores: & eo ſenſu negat Chriſtus repudia convenire cum prima inſtitutione, & ea vitioſa fuiſſe docet; & Judæis tantum conceſſa propter cordis duritiem: conce-dens pravis eorum moribus, ut cum liber-tate & poteſtate repudiandi, quaſi matri-monii vinculum eſſet ſolubile, conjugia celebrarent. At Chriſtus ita repudia dam-nans, polygamiæ tamen nullam inurit notam, & tacitam prætermittit. Quam ſi dam-

damnaſſet, eſſetque adulterium in ea implicatum, ne ad momentum quidem inter Chriſtianos, ubicunque terrarum degiſſent, tolerata fuiſſet. Et ſine dubio *Actor.* 15. inſtitutionibus primæ Synodi proſcripta fuiſſet: quod non eſt factum. Nec eſt exiſtimandum, ideo illius in Synodo nullam factam mentionem; quia inter eos, qui recens Chriſtianiſmum amplexi erant, de ea re nulla erat controverſia: qua enim veri ſpecie dici poteſt neophytos illos Chriſtianos de ſcortatione dubitaſſe, an eſſet ponenda in vitio, quæ ferme apud gentes omni ævo habita fuit res probroſa; de polygamia tamen perſuaſos fuiſſe, illam vitio fuiſſe vertendam, quæ apud omnes gentes Orientales vigebat, & labe carere putabatur? Nonne veriſimilius eſt polygamiam lege naturæ non eſſe damnatam, neque Chriſti inſtituto abolitam: quandoquidem ejus uſum in Eccleſia Chriſtiana diu duraſſe non abſurdis argumentis adducti multi credunt? Apoſtolus, 1 *Tim.* 3. imperans ut *Epiſcopus ſit unius mulieris vir*, & ita à polygamia liber ſit, ſeque ab ea contineat, concedit reliquis Chriſtianis poteſtatem eodem tempore plures habendi uxores: & locus citatus, *Rom.* 7. idem confirmare videtur, quia Apoſtolus utitur ſimilitudine ducta à muliere, & non à viro; cui alteri viro, priore ſuperſtite, nubere fas non erat: at virum in exemplum non adducit. Ita ut videatur polygamiam primis Chriſtianiſmi temporibus non fuiſſe interdictam; ſequentibus tamen ævis illam abiiſſe in diſſuetudinem, & tandem poſtea fuiſſe improbatam: quia inter Romanos, quorum imperium longe lateque patebat; & quorum mores gentes, quæ eorum imperio parebant, aſſciſcebant, polygamia non erat in uſu; cum etiam, quia progreſſu temporis, neſcio quo fato, doctrina & mores Chriſtianorum eo inclinabant, ut etiam conceſſos congreſſus, & legitimos concubitus viles, & Chriſtianis parum convenientes duxerint; quaſi delicatior & mollior eorum ratio eſſet, quam Chriſtianorum gravitas poſtulat: unde in eorum conſtitutionibus & decretis natæ tot leges, quibus conjugium nota aliqua inuritur. V. Gr. ſecundis nuptiis non benedicitur; neque illis, qui ad eas tranſeunt, ad dignitates Eccleſiaſticas aſpirare licet: Presbyteris in nuptiis bigami prandere non licet: Digami Diaconi, aut Presbyteri nomen tantum retineant, officio tamen non fungantur. Epiſcopi uxores pro ſororibus habeant: Clericus, qui viduam duxerit, degradetur. Qui itaque tam parum æque judicabant de juſtis uxoribus, & conjugiis legitimè contractis, quid mirum, ſi ea conjugia damnarunt, de quibus aliqua dubitatio eſſe poterat propter quarundam gentium conſuetudinem, quæ ab illis abſtinebant. Quid mirum polygamiam ab iis condemnatam, qui ſecundas nuptias vitioſas ducebant. Denique quomodo poterant congruenter ſuis inſtitutis, polygamiam Chriſtianis permittere, qui in Eccleſiaſticis perſonis congreſſum cum juſta uxore impurum putabant. Illi itaque, qui polygamiam amplectuntur, non moventur exemplis Chriſtianorum, qui jam à pluralitate uxorum abſtinent; ſed ſibi fas eſſe æſtimant æque à communi illa conſuetudine recedere, quam Reformatis licuit antiquas Conciliorum conſtitutiones abolere, & Eccleſiaſticos in re conjugali eodem jure habere, quo vulgares Chriſtianos.

Quamquam hæc cum ſpecie pro illa ſententia proferri poſſunt, me tamen non traducunt in eorum partes, qui pro ea nituntur: ſed polygamiam in prima inſtitutione prohibitam fuiſſe puto propter rationes ſupra traditas, & petitas à naturali dignitate mulieris; ab amoris conjugalis natura, ſeſe prodente in omnibus qui ambiunt; a legis & inſtitutionum verbis, quarum vis ſubſiſtere non poteſt cum polygamia. Nempe quod Deus marem & fœminam creaverit, non fœminas: quod debeat adhærere uxori ſuæ, non uxoribus: quod

Deus viro adjungat adjutorem, non adjutores. Neque refert quod Deus in prima creatione jam ante lapſum, virum conſtituerit in caput mulieris, & ita dignitate eum priorem fecerit, 1 *Cor.* 11. non enim inde ſequitur, mulierem ita viro in conjugio inferiorem fuiſſe, ut mutuum jus non eousque fuerit in utriuſque corpus, ut ſine ejus qualicunque violatione plures uxores potuerit aſſciſcere. Et ideo non exiſtimo mulierem poſt peccatum ita à ſua dignitate dejectam, ut illud jus mulieris priſtinum non fuerit conſervatum integrum; quamvis ante lapſum mulier fuerit in tutela viri. Nam quod dicunt, polygamiam viguiſſe inter Iſraëlitas, eo cauſam non obtinent: cum homines obliti primæ inſtitutionis, & degentes in regione, in qua temperamentum ferme ultro iſtos mores profundebat, ita facile migrarunt in ingenium & inſtituta eorum hominum. Nam quamvis polygamiam etiam ſub lege peccatum fuiſſe arbitror, non tamen puto eam fuiſſe longam aberrationem à primis ſecundum naturam: & ideo ratio, quare illa ponenda erat in vitio, adeo prompta non fuit; neque vi genitali altum vitii illius impreſſæ fuerunt notiones animi, ut fit in iis, à quibus naturâ abhorremus, & quæ inſigniter naturæ modum excedunt, eique adverſa ſunt. Et ideo non puto formalem rationem adulterii, quod Scriptura tantopere damnat, & inter facinora recenſet, reſidere in polygamia: quod ubi de adulterio agendum erit, in ſequentibus probare nitemur: itaque in polygamia adulterium non erat implicitum; neque ideo mirum, quod Patres exemplis, & longa conſuetudine majorum ſeducti, etiam in illud vitium fuerint prolapſi; neque ſua ſponte & propria induſtria ex eo ſeſe extollere potuerunt; cum nulla peccati conſcientia eſſent affecti: & quia illud factum longe abeſt ab adulterio, & non magnopere recedens à primis naturæ, neminem admiratio capere debet, ſi primo matrimonii inſtituto aliquantulum defecerint; at qui polygamiâ Patrum adulterium contentum fuiſſe docent, illis incumbit nodum illum ſolvere, quomodo Patres V. T. tam fœdi peccati conſuetudini indulgentes, ſanctitatis dignitatem tueri potuerint, & omnia ejus ornamenta confecerint. Sic & tempore Novi Teſtamenti polygamiam illicitam fuiſſe ſtatuo: docet enim Apoſtolus, unumquemque, qui affectibus ſuis imperare non poteſt, debere habere propriam ſuam uxorem, & omnem mulierem proprium ſuum virum; ut ita ſuos affectus cohibeant intra præſcriptum legitimi thori. At mulier non poteſt habere proprium ſuum virum, ſi in ſolidum eum non poſſideat. Neque ratio patitur vocem propriam in eodem verſu diverſimodè ſumi, niſi aliqua neceſſitas illam nobis imponat legem: at adverſarii nullam neceſſitatem oſtendere poſſunt præter eam, quam argumenta, quæ pro eorum ſententia producta fuere, produnt, quæ à nobis profligata putamus. Adde uſum totius Chriſtianiſmi, qui talis eſt, ſemperque extitit; ut ubicunque doctrina Chriſtiana fuerit recepta, ibi cum illa invaluerint mores de poſſidenda una eodem tempore uxore. Neque arbitrandum polygamiam propter eandem rationem tam citò deletam ex moribus hominum, apud quos religio Chriſtiana tenuit; propter quam invaluit error apud Chriſtianos, quo multos legitimos congreſſus vitii inſimulabant: qui error natus ex contemptu matrimonii, & ex nimia æſtimatione cælibatus: ille enim error primis Chriſtianiſmi ſeculis Chriſtianos non invaſit, ſed ſequentibus ſeculis ab ortu Chriſtianiſmi ſatis remotis. At polygamiæ interitum ſtatim attulit Chriſtianiſmus omnibus in gentibus, ubi Chriſti doctrina fidem invenit; & fuit tantum tolerata in iis, qui antequam doctrinam Chriſti erant amplexi, plures ſibi junxerant uxores: non poterat enim una uxore reſervata, reliquis repudium mitti, & juberi ſuas res ſeorſim habere, ſine ſumma ipſarum injuria & probro, quæ redundaſſet in Chri-

Chriſtianam doctrinam: habuerunt itaque ſatis, ſi Chriſtianiſmum profeſſis, & ad conjugium properantibus, polygamia interdiceretur. Quod autem *Actor.* 15. inſtitutionibus iſtius Synodi polygamia non prohibeatur, id inde natum arbitror: quia gentes moratiores, etiam antequam apud eas Chriſtianiſmus eſſet introductus, à polygamia aberant, eamque vitioſam ducebant. Apud Romanos non erat in uſu: & Græci ſibi non ita frequenter in hoc indulgebant. At Synodus habita fuit, ut docerentur Chriſtiani recens ex gentiliſmo converſi, quouſque mores & cæremonias Judæorum adoptarent. Præterea ſi commoda ratio reddi non poſſet, quare in illius Synodi decretis non ſit facta mentio polygamiæ, non rectè tamen inde concluderetur, id factum, quia Apoſtoli in ea nihil culpandum habebant: nam nec inceſtus in illa Synodo prohibentur; & tamen erant gentes, apud quas iſti amores liciti putabantur. Manet itaque fixum atque firmum, polygamiam à mundi exortu fuiſſe prohibitam, idque naturæ lege; atque ejus legis vim permanſiſſe uſque ad extremum. Atque hæc ad rei neceſſitudinem dicta ſufficiant de conjugio, ejuſque vinculo. Nunc excutiendum reſtat, quibus de cauſis illud vinculum legitimè ſolvatur: atque ea occaſione agendum erit de adulterio; propter quod omnium Chriſtianorum conſenſu, pars læſa à parte noxia ſe ſeparat, & à cohabitatione, & thori communicatione abſtinet. Reformati autem ipſum conjugale vinculum ita eo ſolvi poſſe docent, ut parti læſæ jus inde oriatur ita abdicare partem lædentem, ut aliam mulierem ſibi in uxorem poſſit adjungere.

DE ADULTERIO.

Arbitror lectori ex iis, quæ ſupra tradita ſunt, conſtare, ea quæ ipſam conjugii naturam ſpectant; & ad ejus formalem rationem pertinent, talia eſſe, quæ homines ſua ſponte, ex arbitrio atque libitu non potuere conſtituere: atque ita illa pacta matrimonialia, quæ cauſam rationemque conjugii continent, non eſſe hujuſmodi, qualia ſunt pacta merè civilia; quæ ab arbitrio privatorum aut Magiſtratus pendent. Et hujus diſſimilitudinis ea cauſa eſt, quod in conjugio de dignitate naturali viri atque mulieris agatur; de qua paciſci nullus poteſt: ſed illi contractus, qui formaliter jus naturale non continent, ſunt in Magiſtratus aut privatorum poteſtate. Docuimus etiam in ſuperioribus, conjugium ex inſtitutione creatoris, cujus inſtitutionis ſemina etiam naturæ indidit, contrahi debere animo continuandi vitæ conſuetudinem ad ultimum vitæ ſpiritum; & donec alteruter conjugatorum morte ultimum diem confecerit. Deinde, ut ſit inter duos, marem & fœminam. Reliqua quæ in conjugio apud varias gentes variè obſervantur, à conſuetudine & inſtitutionibus civilibus originem habent. Porro fundamentum duarum iſtarum conditionum eſt copula, absque qua omnis conjugii ratio perit; & conjunctio, quæ inter virum & mulierem intercedit, utcunque conſtans & firma; & quacunque amoris conſpiratione conſentiens eſſe poſſit,

ſit, ſi copulæ uſus non intenditur, conjugii nomen non meretur. Nihil autem refert poſſitne concubitus prolificus eſſe nec ne, modo ſit legitimus & naturalis: nam ex ſupra memoratis liquet, matrimonii jura oriri ex actu illo, quo duo coaleſcunt in carnem unam; qui actus non deſinit parere eam conjunctionem, etiamſi proles ex eo non ſperetur. At quemadmodum copula eſt fundamentum reliquarum duarum legum conjugii, ideo per polygamiam & adulterium intelligimus contra leges illas conjugii peccari. De polygamia ad rei neceſſitudinem dictum eſt. Nunc de adulterio habendus ſermo.

Quid ſonet adulterium, quæque res huic ſubjecta ſit voci, ex gentium & populorum conſuetudine petendum eſt. Nos nunc inveſtigabimus quæ ſit vis hujus vocis in legibus, Judæis à Deo præſcriptis; & quis ejus in Novo Teſtamento ſit uſus. Exiſtimo rem omni dubitatione carere, adulterare aut adulterari in ſcriptis V. T. propriè ſignificare mœchari, hoc eſt, uxorem alterius ſubagitare. Et quamvis vox mœchari etiam græcè & hebraicè expreſſa, nonnunquam pro ſcortari uſurpetur; circumſtantiæ textus tamen ſignificationem vocis ita limitant atque reſtringunt, ut omnes interpretes illam vocem, cum de muliere libera eſt ſermo, exprimant per vocem ſcortari: ita ut Scriptura hac in re, ſicut in multis aliis, privatis ſuis verbis utatur; quando vero de muliere maritata ſermo eſt, tunc conſuetudinem viri cum tali muliere exprimunt per voces mœchari & adulterari, propriè ſumptas. Concedo alioquin lubens mœchari aliquando ſumi pro quovis illicito (ſed tamen naturali) concubitu. Et ita ex Judæis nonnulli, voces legis, *non mœchaberis* extendunt ad omnem Venerem non conjugalem. Sic etiam vox adulterari non ſemper in prima ſua ſignificatione ſubſiſtit, ſed nonnunquam pro ſimplici ſcortatione; vel etiam pro ſtupratione ſumitur. Sed quicquid horum ſit, parum intereſt, ſufficit ex conſuetudine loquendi in V. T. uſurpata, per adulterium intelligi concubitum viri cum muliere maritata; aut mulieris maritatæ cum alio marito, aut cum perſona libera: vide *Gen.* 39:24. *Lev.* 18:20. & 20:10. *Deut.* 22:21. 22. &c. Inſpiciantur omnes textus, & præſertim illi, qui continent leges contra adulterium; & in quibus illa vox propria, non tranſlatitia ſignificatione uſurpatur, & comperiet lector me vera aſſerere. Et ex adverſo, nullibi occurrit textus, ubi vir per polygamiam adulterium commiſiſſe dicatur; cum tamen adulterium diſtinctum ab aliis vitiis in Scriptura ſæpius deſcribatur. Coitum viri uxorati rem habentis cum fœmina libera, non memini ulla diſtincta voce in Scriptura exprimi; ita ut non conſtet quo nomine illud vitium appellandum ſit. At ſatis conſtat ex conſuetudine loquendi Scripturæ, illum coitum adulterium vocandum non eſſe. At inquies, quæ eſt itaque formalis adulterii ratio? Reſpondemus illam contineri in violatione fidei datæ in contrahendo matrimonio; & quæ reſpectum ſuum habet ad illum conjugalem actum, per quem duo fiunt in carnem unam. Sed quemadmodum conjugale pactum non ex hominum arbitrio inſtituitur, ita etiam illud, quod ad eſſentialia matrimonii pertinet, legibus privatorum aut civitatis non conſtituitur. Exiſtimo itaque inter virum & fœminam nunquam ita par & æquale jus fuiſſe, ut vir aſſciſcens ſibi ſecundam aut tertiam uxorem, ideo tale peccatum commiſerit, quod Scriptura adulterium vocat: Idem ſentio de conſuetudine maritati cum ſcorto, quod tamen peccatum priori gravius duco, quia in eo magis violatur dignitas naturalis mulieris. Horum omnium ratio eſt, quia ea non eſt vocis adulterii in Sacris ſignificatio aut vis. Neque etiam ratione naturali poteſt probari, pari injuria uxorem, quando maritus cum alia muliere rem habet, affici, qua maritus, quando uxor fidem fallit. Imo contrarium facile oſtenditur atque pro-

probatur ex dignitate, quâ maritus ſupra uxorem eminet. Quemadmodum gravius peccatum eſt inobedientia filii erga patrem, quam patris neglectus officii filio debiti. Quod autem Chriſtus docet, virum etiam adulterium committere, quando repudians primam uxorem, aliam ducit, non ideo eſt, quod vir conſueſcit cum alia muliere, uxore ſuperſtite; & cum ea adhuc vitæ perpetuam conſuetudinem, ex primo inſtituto matrimonii uxori debitam, conſervans: ſed quia repudians primam, & aliam ſimul ducens reſcindit prius vinculum; & quod vinculum extra adulterium indiſſolubile erat, idque in gratiam ſecundæ uxoris, quam ducere deſtinat. Conſtat itaque adulterii ratio (de quo Chriſtus) in aſciſcenda uxore ſecunda, quo fiat ſolutio vinculi conjugalis cum priore uxore. Sed ex Chriſti reſponſo non liquet, ſemper vinculum conjugale ſolvi, quoties ſecunda uxor aſciſcitur. Imo contrarium videtur eſſe manifeſtum: quia Chriſtus docet tunc committi adulterium à viro, qui ſibi adjungit aliam uxorem, cum repudiat priorem uxorem, innuens libelli repudii inefficaciam, & inſigne peccatum, quod, quamvis intercederet libellus repudii, perpetrabatur.

Qualiſcunque verborum Chriſti ſenſus eſſe poſſit, non poteſt ex iis probari, mariti conſuetudine cum muliere libera, adulterium propriè dictum contineri. Neque hæc ſententia adeo aliena eſt, cum Juriſconſulti diſtinguant inter adulterium ſimplex & qualificatum, & poſterius tantum capitale eſſe perhibent; & adulterium propriè vocandum eſſe: quamvis in eo falſi ſint, quod coitum mariti cum perſona libera adulterii inſimulent; quemadmodum maritatæ cum libero: putantque illegitimos illos concubitus eodem jure habendos: quodque priorem inconceſſum concubitum, etiam nomine adulterii indigitent, id non eſt ex Sacræ Scripturæ conſuetudine. Docent quidem omnes Reformati per prius adulterium etiam vinculum conjugale ſolvi, & mulieri concedunt poteſtatem nubendi alii viro; ſed ego lubenter rationes & ex jure naturali, aut ex Scriptura petitas videre velim, quibus illa doctrina & uſus probetur: & quandoquidem conjugii leges, quæ ejus ſubſtantiam ſpectant, nulla poteſtate civili mutari poſſint, non ſatis intelligo quo pacto magiſtratus Chriſtiani hoc ſuum factum tueri poſſint, & mulierem ita, quantum ad conjugii jura, exæquare cum viro, quem Deus in prima creatione in meliore conditione conſtituit; non tantum quoad excellentiam, ſed etiam quantum ad jura, quæ copulâ implicata ſunt. Cujus rei manifeſtum documentum nobis præbent ea, quæ ſupra in medium allata ſunt de adulterio, ejuſque pœna; ut & libellus repudii, cujus facultas viro tantum fuit conceſſa; ſicut etiam uſus aquæ amaræ (quando maritus dubitabat de fide uxoris, ejuſque periculum facere volebat) etiam marito tantum fuit permiſſus.

Cui hæc reſponſio non placet, fortaſſe melius in hac conquieſcere poterit. Nempe ſub Novo Teſtamento adulterium ſtrictiſſimè dictum committi; quando maritus cum libera conſueſcit: quia Chriſtus ſub gratia, & œconomia Euangelica, uxoris atque mariti mutua jura exæquavit; ita ut utrique in mutuum corpus par jus competat. Quæ nova mulieris dignitas novas leges & novos mores poſtulat. Ego quidem non ponam in magno diſcrimine quodcunque ſtatuatur; modo hæc tria ſarta tecta maneant. I. In Polygamia peccari contra dignitatem naturalem mulieris. II. In coitu viri non liberi cum libera muliere, plus ſimplici ſcortatione peccari. III. Sanctiſſimos Patriarchas per polygamiam ſe non polluiſſe fœdo, exoſo, & ubique in Sacris tantopere deteſtato peccato adulterii. Ego enim exiſtimo, eos, qui Patriarchas iſtius criminis reos agunt, tantum religioni præjudicium creare, ut vix illa contra Gentiles & Atheos defendi poſſit. Cujus enim animus vera religione

tangi poteſt, qui credit Deum ſanctiſſimum adulteros ſibi præcipue caros habuiſſe; alloquio Divino illos dignatos; & eorum inſtitutis atque exemplis mundum à vitiis ad ſanctitatem traducere voluiſſe. Denique veram & tantopere in Scripturis prædicatam, atque requiſitam ſanctitatem poſſe in una ſede morari cum tam fœdo peccato: & ſimul Deo tam parum curæ fuiſſe ſalutem hominum, ut nec intus naturæ altè inſitis legibus, nec foris hominibus poſitis, eos munierit contra tam exitiales errores; ita ut etiam viri ſanctiſſimi, qui piis cogitationibus ſemper pectus repletum habebant; adeoque conſuetudine peccandi minime excæcati, hac in re tam turpiter ſeſe dederint.

DE DESERTIONE MALITIOSA.

Porro quemadmodum hæſito, utrum ſimplici adulterio (tale voco cum maritus cum libera rem habet, non quando uxor corporis ſui uſuram viro matrimonio libero & ſoluto, præbet) matrimonii vinculum ſolvatur; ita vehementer dubito, an deſertione malitioſa pars deſerta libera fiat à deſerente. Tota hæc Reformatorum doctrina nititur loco, 1 *Cor. 7:15. Si vero is, qui infidelis eſt, ſeparat ſe, ſeparet ſe: non eſt ſervituti addictus frater, aut ſoror in iſtis; ad pacem nos vocavit Dominus.* Largiar à nobis diſſentientibus, (quamquam nulla ratio aut textus circumſtantiæ me cogant; ſed potius in contrariam ſententiam impellant) per verba, *non eſt ſervituti addictus frater aut ſoror*, debere intelligi ſolutionem à vinculo conjugali; & per ſeparationem, quæ proficiſcitur ab infideli, deſertionem intelligendam eſſe. Sed requiro ab adverſariis, quid intelligant per *deſertionem*. An mariti aut uxoris talem à ſe invicem ſeparationem, qua alteruter fugit, aut abdit ſeſe per aliquod tempus; ita ut rectè inde conjicere liceat fugientem & latentem vitæ ſocietatem cum conjuge colere nolle: ſed durum eſt per *ſeparationem* id intelligere; cum circumſtantiæ ſatis doceant, Apoſtolum loqui de caſu, qui ævo ſuo poterat evenire, quo pars infidelis ſe ſeparabat à fideli propter ſacrorum diverſitatem; & qui ideo non fugiebat, aut ſeſe occultabat, aut ab hominum, imo ne ab uxoris ore concedebat, ſed qui apertè ſeſe à conjuge ſeparabat. Ergo per *ſeparationem* hic nullo modo intelligi poteſt deſertio talis, qualem noſtri Theologi fingunt; & juſtam cauſam præbere docent diſſolvendi conjugii. Deinde quæ ratio ſuſpicandi talem ſeparationem, aut deſertionem, quam urgent Theologi noſtri, partem læſam & deſertam ſolvere vinculo conjugali; cum Chriſtus dilucidè docuerit nullam repudii cauſam juſtam & legitimam eſſe, quam eam, quæ ratione adulterii inſtituitur? An ergo tanta vis erit deſertionis, ut eâ eludatur doctrina Chriſti; & frequentia repudia ſub alia ſpecie & prætextu in Chriſtianiſmum introducantur? Nam quid refert ſive repudiem uxorem ob cauſam non juſtam; ſive me ab ea ſeparem, modo ſolvatur matrimonium? An tanto efficacior erit

erit deſertio quam repudium, ut eâ etiam mulier deſerens maritum, virum vinculo conjugali exſolvat; quod mulier apud Judæos per libellum repudii obtinere nequivit: quia in ea Republica jus repudiandæ uxoris marito tantum fuit conceſſum, at nunquam uxori: neque illa poteſtas unquam uſurpata ab uxore, niſi poſtremis Judæorum ſeculis, & cum eorum Reſpublica egregie corrupta jam proſpectaret ruinam. At ſub Euangelio erit mulieri facultas ſolvendi virum matrimonii vinculo, quando illum deſerit; & illa deſertio eatenus vim libelli repudii habebit: nam quod reſpondere poſſent, mulierem virum ſuum deſerentem, jus nubendi alii non habere, id temere fit; quia ſi viro ex deſertione malitioſa jus naſcitur ducendi aliam uxorem, quia ſolutus eſt vinculo conjugali, etiam vice verſa mulier deſerens virum liberabitur illo vinculo: & ſi propter malitioſam deſertionem digna eſt pœna; quæ neceſſitas aut ratio cogit judicem illam punire privatione illius facultatis, quâ alii viro ipſi non liceat nubere? Nonne poſſunt aliæ pœnæ conſtitui contra illud malum, quibus coërceatur? Sed quod hic præcipuum eſt: in Euangelio ratio ſeſe ſolvendi à matrimonii vinculo ſatis facilis erit: & rejectis à Chriſto repudiis initur alia via ſeſe expediendi à conjuge, quæ mulieri tam aperta eſt, quam viro. Præterea quis ſuſpicari poteſt mariti vitam profligatam, & in omnia ſcelera præcipitem, uxorem non ſolvere conjugii vinculis: at ejuſdem mariti, ſub infideli Magiſtratu degentis ſeparationem, qua declarabat ſe cum uxore nullam vitæ conſuetudinem velle habere, illam ſui juris conſtituere, & tamen tueri omnia repudia extra caſum adulterii eſſe prohibita? Quis cogitet virum ad metalla damnatum, aut ſententia judicum perpetuo carcere arcendum; & quidem ſuo merito & culpâ, uxori ita conjunctum manere, ut uxor ſine adulterii crimine alii nubere non poſſit: at deſertionis eam eſſe vim, ut ea ſeparare poſſit, quæ Deus conjunxit? Deinde quod eſt diſcrimen inter deſertionem & repudium, ſi alter conjugum ſub Magiſtratu infideli, qui hujuſmodi ſeparationem legitimam putat, ſe ſeparat ab altero, vivens in eodem loco & in conſpectu, atque ſub oculis partis deſertæ? Quod ſi autem idem ille maritus, cui non bene conveniebat cum uxore, illi libellum repudii miſiſſet, non ideo juxta doctrinam Chriſti, à marito libera fuiſſet; at deſerta à marito fit libera: & vim quam Chriſtus detraxit libello repudii, attribuunt Noſtri malitioſæ deſertioni: & totum illud fundamentum, quo nititur Chriſti reſponſio, quando libellum repudii improbat; & quod eſt, quod matrimonium extra caſum adulterii ſit indiſſolubile, ſententia adverſariorum ſubruitur.

Oſtenditur etiam inde abſurditas ſententiæ adverſariorum, quod indicare atque docere non poterunt, quæ illa ſint, quæ requirantur, ut alteruter conjugatorum ita deſertus putetur, ut jus atque facultas contrahendi cum alio matrimonium inde orta ſit. An viro, qui caput uxoris eſt, non licebit invita uxore, quamvis conſcia, iter in Indiam ſuſcipere, quin ſe reum conſtituat malitioſæ deſertionis; ita ut ideo uxor poſt aliquot annorum decurſum à viro libera reddatur? Sed inquies, juſta vel injuſta proficiſcendi cauſa vinculum conjugale ſolvet, vel non ſolvet: at quis judicabit in re domeſtica de juſta aut injuſta cauſa, præſertim cum vir jam peregrinatur? Et conjugii ſtabilitas in hoc caſu pendebit à dubio, utrum maritus jure peregrinetur, nec ne. Vel an potius ideo viri iter non erit vocandum malitioſa deſertio, quia indicavit uxori, quo tenderet; & promiſit ſe cum ea repetiturum vitæ conſuetudinem, ſi detur ſalvus redire in patriam? Quaſi uxor minus deſerta vivat, cujus maritus ſe conſciâ, ſed invitâ tamen peregrinatur, quam illa, cujus maritus ſe inſcia & invita à domo abeſt. Et quid ſi vir ſingulis ſeptenniis revertatur, & ſtatim rurſus

lius abeat; & ita reipſa vitæ conſuetudinem cum uxore non colat, an talis ſeparatio non erit malitioſa deſertio? Tantumne valebit & aſtutia & improbitas viri, ut cum uxorem non celet quo tendat; & obteſtetur ſe reverti velle, & cum ea vitam exigere, interea ab ea ſeparatus vivat, tunc illa ſeparatio non ſit vocanda malitioſa deſertio? At cum clam uxore eandem illi imponat ſolitudinem; eademque faciat experiri incommoda, tunc illa res tanti erit ſceleris, ut conjugale vinculum inde rumpatur. Interrogo deinde ad quam legem referant deſertionem malitioſam? Ad legemne naturalem? An ad aliquam poſitivam Chriſti? Quodcunque dicant, induent ſeſe in difficultates inextricabiles: quia non poterunt nec tempus definire, quamdiu alter conjugum latere debeat, antequam alteri concedatur poteſtas ſecundas & novas contrahendi nuptias; nec formalem rationem indicare, propter quam malitioſa deſertio conjugium dirimat: cum plures dentur caſus, in quibus viri aut uxoris malitia tanta eſt, tamque voluntaria; & incommoda, quæ ex iis redundant in alterutrum conjugum, tam gravia (& quibus tamen conjugium ſolvi non putatur) quam in malitioſa deſertione. Et proculdubio in repudiis occurrit malus & vitioſus animus, non volens exigere vitam cum thori ſocia; & fraudatur uxor viri officio & debita benevolentia. An vero cauſa ſolutionis vinculi conjugalis erit animus alterutrius conjugum nolentis pro vitæ ſocia habere eum, qui Chriſtianiſmum profitetur? (ad hujus enim dubii quæſtionem Apoſtolus reſpondere videtur loco illo citato & famoſo) At tunc illa communis malitia, quæ in deſertione malitioſa ſeſe prodit, non parit jus diſſolvendi matrimonii, ſed malitia ſingularis, qua propter fidei Chriſtianæ profeſſionem, alteruter conjugum deſeratur, hoc eſt, repudiatur, & res ſuas ſeorſim habere jubetur. Et ita illa deſertio malitioſa, propter quam nunc apud Reformatos matrimonium ſolvitur, non eſt vera & juſta cauſa illius ſolvendi; neque illa loco, 1 *Cor.* 7. indicatur. Et licet ſuſpicari iſtius legis hanc fuiſſe cauſam, nempe ut fidelis eximeretur illa dura lege vivendi cum marito infideli ipſo invito: utque ita vitarentur perpetuæ rixæ, per quas fideli eripitur facultas colendi Deum in pace, & quiete; atque ut ita tolleretur obex, qui doctrinæ Euangelicæ poneretur durâ illa lege atque neceſſitate vivendi.

At quamquam hæc modo tradita expoſitio poſſit habere ſuum applauſum, ego tamen in ea non ita poſſum acquieſcere propter verba Chriſti, adeò dilucide docentis omnia repudia extra cauſam adulterii eſſe illicita. At ſupra oſtendimus ſeparationem & repudium eodem redire: ſaltem in omni conjugii diſſolutione propter malitioſam deſertionem extare caſum, in quo uxor & maritus extra cauſam adulterii conjugii vinculo liberantur: quod à Chriſti præceptis alienum eſt. Et difficulter apud me fidem invenit, quod, cum conjugii leges tam duræ ſint, ut nec morbus, nec impotentia, nec ſtultitia, nec vita profligata, nec ſervitus, nec carcer perpetuus, vinculum conjugale ſolvat, fidei Chriſtianæ illa ſit vis, ut ſi propter eam pars infidelis ſe ſeparet, pars fidelis libera reddatur à vinculo: cum quia religio Chriſtiana ſeſe præcipuè commendat à charitate, tolerantia, & vi domandi libidines, tum etiam à tuendis matrimonii legibus. At quanta aperitur feneſtra diſſolvendis nuptiis, quanta fraudibus: ſi viro religionem Chriſtianam, ſive verè, ſive per ſpeciem amplectente, propter eam deſertæ jus ſit novas comparandi nuptias? Exiſtimo itaque per verba *ſeparet ſeſe infidelis, frater aut ſoror non eſt ſervituti ſubjectus in hujuſmodi rebus, ſed ad pacem nos vocavit Dominus*, alterutrum conjugem fidelem diſpenſari & exſolvi lege & officio ſeſe reconciliandi cum altero conjuge infideli: quia reconciliatio cum conjuge infideli, & ſeſe

ſepa-

ſeparante ab altero conjuge fideli propter fidem, quam fidelis conjux amplexus eſt, non poteſt tentari niſi per ſimulationem, aut per abnegationem fidei. Notum enim eſt tali in caſu nullum ad reconciliationem aditum parari poſſe, niſi propoſito utriuſque conjugis aut alterutrius diſſentientium partis cedendi de ſuo jure: qui facilis & officioſus animus ſeſe oſtendere non debet, quando inter conjuges lis orta eſt propter religionem; ſaltem tunc non, quando de ſumma religionis agitur. Docet itaque Apoſtolus fratrem aut ſororem fidelem non eſſe ſubjectam iſti ſervituti, ut reconciliationis cauſa (cujus ſtudium Apoſtolus conjugibus imperaverat) per intempeſtivam animi æquitatem, & morum commoditatem prodat veritatem, & ita infidelem ad cohabitationem inducat. Exiſtimo itaque hunc verborum Apoſtoli ſenſum clarum & perſpicuum eſſe: *verſu* 7. jubet Apoſtolus, ſi quæ rixæ ortæ ſunt inter conjuges, quæ animorum frigus induxerint, nec ſinant eos mutuo amore conglutinari, ut uxor, quæ viro dignitate inferior eſt, à ſe reconciliationis initium faciat, coneturque omni officiorum genere viri animum placare, atque emollire: quod ſi autem propter viri immanitatem, aut morum importunitatem tentata reconciliatio effectum non ſortiatur, bonoque deſtituatur eventu, ut tunc ſeorſum vivat, & viri ſeparationem æquo animo ferat; non tamen ſe putet à viri lege liberam, ut alii nubere poſſit. Vocat Apoſtolus illud reconciliationis officium *ſervitutem*. Cujus officii gratiam facit, ſi quando propter religionis Chriſtianæ profeſſionem ſeparatio ab alterutro conjuge facta ſit, & cujus ſeparationis cauſa eſt pars infidelis: neque permittit ut fidelis per veritatis jacturam reconciliationem parare ſtudeat. Qui hanc interpretationem repudiat, & ſimul incommoda vitat, quæ in deſertione malitioſa ſeſe offerunt, mihi aliquid præclarum præſtitiſſe videbitur. Nunc pergimus ad quæſtionem de repudiis atque divortiis.

DE DIVORTIIS *ET* REPUDIIS.

Quæſtio de repudiis & divortiis admodum celebris reddita inter Chriſtianos propter legem Moſis, (qui in Republica à ſe, Deo Auctore, inſtituta, Judæis indulſit, & veniam conceſſit repudiandæ uxoris, quamvis adulterium non interveniſſet) & propter Chriſti doctrinam, quæ omnia repudia & divortia tollere videtur extra caſum adulterii. Quæritur itaque primum, quo jure illud à Judæis fuerit uſurpatum? An ſine peccato? Et quibus in caſibus? An tantum peccati permiſſio fuerit, illiuſque conceſſa tantum venia, non data libertas à culpa? Atque ita an dicendum illam legem Moſis non tam peccatum permiſiſſe, quam illud tantum liberaſſe à pœna civili; & ab illo ſeparaſſe effectus civiles, qui ſi primum conjugii inſtitutum ſpectes, convenienter

ſequi

ſequi debuiſſent in Republica optimè conſtituta: à qua perfectiſſimè inſtituta republica, & ſanctiſſimis atque perfectiſſimis legibus moderata, Moſes, & Deus per Moſem recedere voluerunt propter Judæorum cordis duritiem non ferentium illas rigidas leges de matrimonio; quæ illud indiſſolubile conſtituunt extra caſum adulterii. Qui exiſtimant per legem Moſis repudium liberum fuiſſe conſtitutum à peccato, modo charitatis lex ex alio capite, aliaque appendice iſtius facti, eo non violetur, ita argumentari poſſunt. Quoniam lex Moſis de repudiis clara & manifeſta eſt; ſimulque conſtet Moſem non ſuo, ſed Dei nomine leges ſuas promulgaſſe; populoque dictaſſe ipſo Deo quaſi in verba præeunte, capere non poſſumus, quomodo uſurpatio iſtius legis, modo charitatis lex inviolata conſtiterit, non fuerit immunis à peccato. Princeps & Magiſtratus, qui infra Deum ſunt, majoris mali vitandi cauſa multa ſubditis concedunt, & ita abſolvunt à legibus, ùt earum nulla in Republica ſit actio; nullusque propterea cauſam dicere teneatur: ſed quia juris & æquitatis naturalis humanæ & Divinæ definitio penes Magiſtratum non eſt, ſubditi facile intelligunt non omnes actiones vitio carere, quæ Magiſtratus legibus non prohibentur; neque eum effugiſſe Dei vindictam, qui ex edicto Prætoris ad pœnam depoſci non poteſt; eumque minimè probum eſſe, qui ad leges civitatis ſuæ tantum probus eſt. Sed cui in mentem venire poteſt totam rem manere in numero rerum non conceſſarum, quæ ſupremi Legiſlatoris (penes quem eſt æquum & iniquum, fas & nefas definire) declaratione hominibus permittitur? Enimvero cum Dei judicium futurum ſit ſecundum juſtitiam: quam etiam homines lumine & ratione naturali in ea agnoſcunt, qui color, aut juſtitiæ ſpecies obtendi poteſt, ſi aliquis propter aliquod factum pœnæ obnoxius declaratur à judice; cujus auctoritate & lege illius faciendi poteſtatem eſt conſecutus? Quis æquitatem in facto judicis poteſt ſuſpicari, qui cum expreſſis verbis declaraverit rem ſubdito fraudi non futuram, eos tamen, qui ea conceſſione uſi ſunt, reos peragere? Cum hæc omnia in aperto ſint, & ſua ſponte judicentur, licet merito quærere, inquiunt, quid cauſæ ſit, quare in hac controverſia de divortiis & repudiis homines eruditi ita hallucinentur, & à vero aberrent; docentes tamen omnia divortia fuiſſe vitioſa? Exiſtimant autem tres rationes principes eſſe, quæ illis cauſa erroris extitere; exiſtimantes tamen divortia Judæorum non caruiſſe peccato, quamvis Moſes legem de repudiis in ſua Republica conſtituerit. Prima, quod Chriſtus illud jus libelli repudii ſua doctrina evertere videtur. Secunda, quod addit illam facultatem repudiandæ uxoris Judæis conceſſam propter duritiem cordis; unde homines æſtimarunt rem illam reapſe & ſuâ naturâ malam fuiſſe; & ideo talem manſiſſe etiam poſt latam legem de repudio. Tertia cauſa fuit, quod arbitrati ſunt rectè confici, ſi lex Moſis exemit illud factum peccatorum numero, tunc omnia repudia à Judæis propter quamcunque cauſam uſurpata, à peccato immunia fuiſſe; quod iidem tamen à ratione alieniſſimum putant: quandoquidem in plurimis Judæorum repudiis manifeſta argumenta ſe prodant defectus charitatis uxori debitæ.

Qui tuentur à Judæis libelli repudii jus ſine peccato uſurpari potuiſſe, hiſce non moventur; & illis objectionibus ſic reſpondent. Chriſtus jus libelli repudii, quale apud Judæos obtinuit, abrogavit, quia ad priſtinos & cultiſſimos mores informavit ſuos ſectatores; & voluit ut conjugium inter Chriſtianos in celſiſſimo dignitatis gradu, in quo collocatum fuit in mundi primordiis, conſiſteret; & ideo dignitas hominis Chriſtiani jus libelli repudii Judæorum non admittit: ſed non rectè inde conficitur, jus libelli repudii extra adulterium fuiſſe reipſa & per ſe malum;

lum; nec conſtitutum juxta pudicitiæ & charitatis regulas. Conſtat enim non ſemper contra decus & charitatem eſſe, quicquid ſummum illarum virtutum gradum non attingit. Et conceſſit Deus jus repudii Judæis propter duritiem cordis eorum: quia cum gens à longo tempore aſſueta eſſet illi uſui, vidit Deus, & propter diuturnum illum uſum, & propter inſitam illi pervicaciam, illam parum capacem tam rigidæ diſciplinæ. Attemperavit Deus ſuas leges viribus Judæorum, quemadmodum Chriſtus & Apoſtoli manifeſtationem myſteriorum Euangelii accommodarunt captui diſcipulorum. Vel potius quemadmodum Concilium Apoſtolorum, quod Hieroſolymis fuit habitum, decreta ſua condidit de quarundam cæremoniarum obſervatione. Hoc tamen diſcrimine caſus de divortiis ab allatis exemplis divertit, quod Chriſtus docere videatur, Deum jus repudii Judæis conceſſiſſe, non ſimpliciter infirmitatis Judæorum rationem habens, ſed propter multorum contumaciam, non conveniens æſtimans ſanctiores illis de conjugio leges præſcribere; & meritò illos ita privans digniore ſtatu, quo alioquin illa Reſpublica inſiſtere potuiſſet. Non itaque ſequitur, Chriſtus inter Chriſtianos repudium uſurpatum culpat, ergo inter Judæos illud nunquam vitio caruit; cum Judæi in illa dignitate non inſiſterent, in qua Chriſtiani verſari debent: verba itaque Chriſti interpretanda ad exemplum eorum, quæ extant 1 *Cor.* 6: 1. 2. 3. Loco citato Apoſtolus exprobrat Chriſtianis, quod in jus de ſua re eant, atque judicia habeant apud Judices, eosque infideles; arguitque eos peccati, quod propter terrena, fluxa, & caduca fratres inter ſe litigent, & turpibus judiciis conflictentur; docetque præſtare de ſuo jure cedere, & convenire Chriſtianis ſe æquos & faciles præbere, à litibus non tantum quantum licet, ſed etiam plus quam licet abhorrere: ita ut ſi primum verba ſpectes, Apoſtolus videatur omnes lites coram judice aut arbitro improbare. Sed quia intelligebat communiter à Chriſtianis tam parvos in vera pietate progreſſus fieri, concedit illis in litibus ſuis refugium ad judices, modo ſint illi judices noſtrorum ſacrorum conſortes: ita ut Apoſtolus propter Corinthiorum imperfectionem, & exiguam virtutis progreſſionem, illis indulſiſſe videatur poteſtatem juris experiundi coram judice aut arbitro, quemadmodum Moſes indulſit Judæis libellum repudii: at nullus ideo exiſtimat abſolute & ſemper contra fas aut æquitatem eſſe cum proximo in litem deſcendere: cum propter alias rationes, tum etiam propter hanc. Si ſimpliciter fuiſſet contra officium hominis Chriſtiani contendere in judicio cum proximo, nunquam Apoſtolus primis Chriſtianis illius rei gratiam feciſſet; melius enim fuiſſet in bona re opprimi, quam malè cedere: ſed quia res reapſe mala non eſt, quamvis ut plurimum illa malè in uſum referatur; idèo cum reſtrictione & multa cautela, & quaſi reluctans & renitens concedit primis Chriſtianis experiundi juris cauſa, ad judices & arbitros ire. Quemadmodum bella ſuâ naturâ mala non ſunt, quamvis pauciſſima ita ſuſcipiantur & gerantur, ut iis juſtitia & charitas non violetur: & ideo quia in proximo confinio belli conſtituta eſt injuſtitia & vindicta illicita; & in perſecutione ſui juris apud judicem nimius rerum terreſtrium amor, & charitatis erga proximum vacuitas, ideo hæc generaliter damnari videntur; eundemque loquendi modum exiſtimant eſſe, cum Chriſtus & Jacobus jurajuranda, & quicquid ſimplicem, & candidam affirmationem (quæ fidem ſuam mutuatur à vitæ probitate illius, qui teſtimonium perhibet) excedit, damnat. Ut itaque redeam ad inſtitutum; & reſponſum quod in ſupradictis implicatum eſt, evolvam: pone Chriſti verba prima ſpecie importare, quod omnia repudia inter Judæos improbarit; verbis illis tamen eam interpretationem aptan-

dam, ad quam nos ducit lex libelli repudii: quæ cum permittat Judæis repudia; neque tamen à ſupremo Judice permitti poſſit, quod abſolute malum ſit: dicendum Chriſtum repudia Judæorum damnaſſe, quemadmodum Apoſtolus damnat Corinthiorum lites coram judice aut arbitro: Chriſtumque verbis uſum in ſpeciem damnantibus omnia repudia, quia ut plurimum contra charitatem uſurpabantur, & rarò carebant vitio.

Nam præterquam quod recta ratio nos doceat, exempla modò memorata de judiciis, de bello, de jurejurando, vitii & peccati ſimpliciter damnari non poſſe, etiam Scriptura, quæ docet res illas, quæ primò videbantur prohibitæ, permitti, evincunt rem illam ſimpliciter non fuiſſe illicitam: quia quicquid abſolutè & per ſe malum eſt, illius nec Deus, nec ſancti Prophetæ hominibus unquam gratiam fecerunt. Et contra, quia talium rerum adeo affinis eſt malitia, ideo uſus obtinuit, ut vocibus, quæ permiſſionem innuunt, utamur, quando poteſtatem illarum faciendarum alicui concedimus: ita ut res non tam licita, quam permiſſa, & in qua connivetur, putetur. Et peſſimè inſiſtunt homines, qui, quia legiſlator rem ſimpliciter permittit; neque cautionibus aut limitationibus eam reſtringit, (quia infinita caſuum varietas hoc non ſinit) inde conficiunt omnibus & ſingulis, quovis tempore, & quocunque in caſu, licere jure illo frui: cum tamen omnes, qui illud jus uſurpare cogitant, ad juſtitiæ & charitatis regulas reſpectum habere debeant; & eo attentius eas leges conſiderare, quo res, quam animo verſant, minus abeſt ab odio, vindicta, & injuſtitia atque inclementia. Chriſtus itaque inquiunt, in ſermone ſuo de libello repudii utitur vocibus, quibus videtur totum libelli repudii jus potius indultum & permiſſum, quam vi legis à peccato vindicatum, quia rarò à Judæis uſurpabatur æquiter. Ut itaque argumenta illorum, qui exiſtimant repudia Judæis etiam in foro conſcientiæ fuiſſe licita, contraham in compendium. Arbitrantur à ſummo legiſlatore rem permitti non poſſe, quin ea res in aliquo caſu ſit licita, & ideo per ſe non mala; adeoque non pugnare cum jure naturæ. Secundo, quando res à ſummo legiſlatore hominibus permittitur, illam eſſe in proximo confinio vitii, & peccati; & ideo cautè & conſideratè eâ utendum eſſe. Tertio, nunquam in tali re egregiam virtutem licere experiri, ſed contra plerumque in ejus abſtinentia heroicæ virtuti materiam paratam. Quarto, non quicquid ab heroica virtute deflectit, aut declinat vitium eſſe. Ex permiſſione itaque libelli repudii, facta Judæis à ſummo legiſlatore, inferunt, jus repudiandæ uxoris Judæis conceſſum, non fuiſſe ſua natura malum; neque ejus uſum etiam extra caſum adulterii & malitioſæ deſertionis, ſemper à juſtitia & charitate fuiſſe alienum; in vicinia tamen mali conſtitutum, & aliqua cognatione conjunctum; & ita à nulla re magnopere commendandum aut probandum. Permiſſionem tamen illi genti convenientem fuiſſe, quæ à priſtina ſua dignitate & virtute deſciverat, mores corruperat, & ſanctiſſimarum legum, quibus Reipublicæ dignitas amplior extitiſſet, incapaces erant; & quod ideo Deus quaſi temporum neceſſitate tulit: in illa gente fuit itaque repudium civibus permiſſum, non tamquam privilegium; ſed tamquam aliquod probrum in ejus moribus reſidens, & ad illius gentis infamiam pertinens: non tamen peccatum, ſed peccato adeo vicinum, ut Judæis in uſu illius juris rarò conſtiterit ſua conſtantia, charitas, & benignitas, quam debebant uxori ſuæ; ſimulque oſtenderint, quam parum ſua intereſſe putarint morum gravitate excellere. Hanc cauſam eſſe arbitrantur, quare nulla ſanctorum virorum in Sacris extant exempla, qui jus illud uſurparint, aut more illo uſi ſint; ſemperque optimos & pudentiſſimos ab

co

eo abſtinuiſſe: hujuſmodi autem jus in Euangelio abrogatum eſſe, quia Chriſtus inter Chriſtianos vigere voluit priſtinam morum gravitatem & ſanctitatem.

Sunt alii, qui æſtimant uſum libelli repudii non tantum Judæis ad famam non fuiſſe probroſum, neque ad conſcientiam flagitioſum, atque ita in foro conſcientiæ fuiſſe licitum; ſed etiam Chriſtianis fas eſſe putant nuncium remittere priori uxori. Nam præter argumenta ſupra tradita, quibus probari putant repudium ſuâ naturâ malum non eſſe, addunt in prima conjugii inſtitutione, cum viro fœmina data eſt in adjumentum, legiſlatorem non tam copulam carnalem, & corporis complexum intendiſſe, quam animorum; & ſuavem atque jucundum convictum; atque ut ita conjugatim mas cum fœmina viveret: cum hoc fine non poſſe conſiſtere vitam, quæ propter animorum diſcordiam, & propter importunitatem morum uxoris, in litibus & rixis exigenda ſit: præſertim ſi uxor præterea curam rei familiaris non habeat, ſed eam impenſas & ſumptus inutiles faciendo, exhauriat atque dilapidet; atque ita viro tantum crux atque peſtis exiſtat, & damnorum conciliabulum: quæ tamen in conjugii inſtitutione viro data erat ad gaudium, & qua ſe oblectaret. Addunt præterea, Deum Judæis imperaſſe, ut ab uxoribus à fide alienis, & ab alienigenis ſeſe ſepararent, & conjugii vinculum rumperent, *Exod.* 34:14. *Deut.* 7:3.6. *Eſræ* 9:2. 10. 11. Et inter alias rationes quare Deus velit, ut Judæus cum infideli uxore divortium faciat, etiam illa inculcatur, ne ille per uxorem infidelem ſeducatur. Et cum Apoſtolus, 1 *Cor.* 6. fideli interdicit conſortium cum infideli, rectè inde concluditur matrimonium fidelis cum infideli non eſſe ratum, præſertim ſi dolus malus interceſſerit; & uxor diſſimulaverit ſe alienis ſacris addictam eſſe. At viro non minus periculum eſt à ſeductione per uxorem improbam, quam per eam, quæ aliena ſacra colit. Subjiciunt præterea mulierem non ſibi natam, ſed creatam propter virum; quemadmodum Sabbathum inſtitutum propter hominem: at quemadmodum per illam Sabbathi ſubordinationem ad utilitatem hominis, homini fas fuit externam Sabbathi obſervationem omittere, ut id quod ipſi neceſſarium eſſet, perſequeretur; & ita recte o̧pera charitatis & neceſſitatis præverteret operibus legis inſtitutæ & cæremonialis, ita pari ratione jus naſci dicunt marito perrumpendi legem conjugii de perpetua vitæ ſocietate propter opus neceſſitatis. Et quid magis neceſſarium, quam vitandi perpetuas rixas cauſa, mulierem talem à ſe dimittere, quæ ipſi data videtur in ſeditionem? Addunt præterea, quotidie ferme inter Chriſtianos divortia fieri, quando aut cohabitatio mutuo conſenſu intermittitur; aut maritus longum iter ſuſcipit: quando judex reum perpetuo carcere includit; & alios vinculis & cuſtodiis arcet, aut in ultimas terras mandat: nam quamvis, inquiunt, hujusmodi caſus non vocentur divortia, (ſicut jam vera rerum vocabula perdidimus) ſequuntur tamen eos iidem effectus. Omne enim id ceſſat, propter quod à Deo conjugium comparatum & inſtitutum eſt: nempe ſuavitas convictus & ſcortationis vitandæ remedium. Adferuntur adhuc quædam alia ab hujus ſententiæ defenſoribus, ſed quia meo judicio non magni ſunt ponderis, & facile ex iis, quæ ad refutationem hujus erroris poſtea in medium proferam, refelli poſſunt, ab iis enumerandis ſuperſedebo, ne lectorem in tædium adducam.

His ſententiis expoſitis, nunc, quid de tota hac controverſia ſentiam, exponam. Et primum aliquid dicam de permiſſione mali. Ante pacta & firmatam ſocietatem, homines in ſtatu naturali conſtituti, jus alium puniendi propter peccatum aut noxam non habebant, ſed jus, quo coërcebant in proximo malum & vitium, nitebatur jure ſui conſervationis; & exercebatur ab iis non jure imperii,

aut juſtitiæ punitivæ cauſa; quæ ſunt jura nata poſt conſtitutum imperium, & poſt natam civitatem: ſed jure illo, quo quisquis ſe ſuaque tuetur; & quo quisque judex & arbiter eſt eorum, quæ ad ſui conſervationem pertinere arbitratur; ſive ſperet per homines, & mundi creaturas, ſive per Deum media ſui conſervandi ſe parare poſſe: depellit itaque atque arcet per damnum & noxam, quâ proximum afficiebat, ea in ipſo vitia, per quæ ſua ſalus vocabatur in diſcrimen: inde natum, quod non ſolum ea vindicaret, quæ per ſe & immediatè ipſi calamitoſa aut peſtifera putabat, ſed & ea, quibus putabat Deum offendi, & ejus iram concitari. Poſt initam ſocietatem civilem, & conſtitutum imperium, jus puniendi collatum fuit in Magiſtratus; nititurque ideo illud jus eodem fundamento, quo jus vindictæ inter privatos in ſtatu naturali conſideratos. Hæc cognita & nota in vulgus. Et quia propter pacem ſocietatis, jus puniendi non amplius privatis committendum fuit; & quia ſocietates ineuntur, ut homines, qui illius partes ſunt, ſeſe melius ab hoſtium vi tueri poſſent, inde in aperto eſt, jus vindictæ publicum comparatum eſſe ad ſalutem civitatis; & ideo non pertinere ad omnia vitia, quæ in ſocietate perpetrari poſſunt. Primum non ad ea, quæ propter infirmitatem humanam homines vix aut ne vix quidem vitare poſſunt; & quæ communiter hujusmodi ſunt, ut nec per ſe ſocietatem turbent, diſſolvant, aut illi calamitoſæ exiſtant, nec iram numinis in ſocietatem concitent: præſertim ſi Magiſtratus doctrina & exemplis curet mederi iſtis infirmitatibus. Secundò non ad ea, quæ ſine interitu civitatis vindicari non poſſunt: ſic ſæpe connivendum eſt in peccato magnatis, quem punire non poſſumus, quin tota Reſpublica in periculum vocetur: & hæc neceſſitas excuſat à pœna. Quemadmodum & illa, quâ carere non poſſumus quibuſdam utilitatibus alicujus ſingularis hominis aut plurium, quin Reſpublica ilico extremis laboraret difficultatibus. Charitas etiam nonnunquam Magiſtratui legem ponit, quâ nonnulla vitia ferre tenetur: ſic quidem contra charitatem peccaret, ſi v. gr. Judæos propter falſa ſua ſacra extorres patria factos, recuſaret in civitatem ſuam admittere, & fame perire ſineret. Hæc nunc ſuccinctè trado, quia fuſius hæc tractandi occaſio nunc non eſt; & quia alibi in tractatu ſingulari totum hoc ſtadium decurri. Eſt præterea res extra controverſiam, vitiorum & virtutum naturam aliter à Magiſtratu pendere, aliter à Deo. Legum divinarum exemplar eſt ipſa ſancta Dei natura; à qua leges naturales divinæ atque humanæ tamquam à fonte manant. At legum Magiſtratus æquitas non petitur à Magiſtratus animo, ſed à Deo. Nulla igitur ſuſpicandi ratio eſt, rem aliquam ad conſcientiam licitam, quia in Republica impunita tranſmittitur: ſed cum de permiſſione rei, quæ à Deo facta eſt, lis eſt, tunc gravior difficultas occurrit: quia cum ſit ſummus legiſlator, putamus id fas eſſe, (etiam quoad conſcientiam) quod lege Dei permittitur. Præſertim cum conſideretur Deum eſſe ſupra omnem neceſſitatem, ut qui omnia flectere poſſit ad ſuum arbitrium; & hominibus illam mentem indere, qua præſtent ea, quæ rationibus ſui regiminis conducunt; ita ut neceſſe non habeat permittere, ut aliqua labes in ſua Republica hæreat.

Sed pariter hic extra dubitationem ponimus, Deum quantum ad Rempublicam Judæorum, duplicem ſuſtinuiſſe perſonam: unam, Dei creatoris, quâ & gentium reliquarum & Judæorum Deus fuit: alteram qua Legiſlator, fundator & inſtitutor fuit Reipublicæ Iſraëliticæ. Priori reſpectu tam gentibus quam Judæis legem moralem tradidit: illis quidem ſcriptam in cordibus, quatenus hominum intellectum informavit ratione, & per rationem notionibus honeſti, æqui, atque decoris; hos cumulatiore gratia proſecutus eſt,

quia etiam eam legem ſcriptam illis tradidit. Deus inſtituens Rempublicam Judaicam, cum potuiſſet illam formare ad exemplar legum ſanctiſſimarum, & ad normam legis moralis; ita ut jure punire potuiſſet in illa Republica, quod in ultimo judicio tamquam peccatum eſt vindicaturus: id tamen conveniens non duxit, neque neceſſe habuit; quia ordinans Rempublicam, in cujus legibus condendis rationem habere voluit infirmitatis humanæ, nullo modo hominibus ſuſpicandi locum reliquit, ſe non ſanctum, aut non peccati oſorem eſſe: cum Legiſlatoris perſonam ſuſtinens, non ideo deſinit gerere perſonam Dei ſancti & juſti. Sed difficultas in eo vertitur. Per quod indicium homini conſtabit, utrum res tantum permiſſa ſit, an etiam lege morali exempta. Præſertim cum res nulla propter neceſſitatem permitti à Deo putetur; quæ ſaltem in ſe & in aliquo caſu non ſit licita. Sic cum Apoſtolus Corinthiis concedit & permittit poteſtatem conſtituendi ex ſe arbitros, ad quos lites ſuas deferant & cauſam dicant; inde rectè infertur, ſaltem in aliquo caſu expoſtulationem injuriarum non fuiſſe contra fas & æquum: quamvis ut plurimum Corinthii eo ſe non proriperent ſine charitatis defectu, ſicut ipſe Apoſtolus indicat. Reſpondemus inter permiſſionem rei ſimplicem, & ejuſdem exemptionem à peccato; ſive inter veniam peccandi, & libertatem à culpa, diſtingui non poſſe niſi per rationem & legem naturalem: ſi itaque conſtet rem Judæis permiſſam lege Moſis, pugnare cum lege naturali, dicendum, rem ſimpliciter propter rationes politicas permiſſam; non tamen peccatorum numero exemtam: quod ſi non ſit exploratum rem permiſſam cum jure naturali pugnare, manet etiam res ancipitis judicii pro ratione & captu eorum, qui de re judicaturi ſunt. V.Gr. qui putant iniquum eſſe coram arbitris cum fratre lite contendere, & auctoritate atque potentia judicum jus ſuum conſequi, quales ſunt Mennonitæ, illi dicent judicia & Magiſtratus Chriſtianis tantum permiſſa, ſed rem vitio in ſe non carere: qui aliter informati ſunt, ſtatuent legem declarare rem permiſſam vitio carere. Sic ex lege Moſis vindex ſanguinis impunè occidebat interfectorem, ſi illum extra urbem refugii offendiſſet; quamvis innoxium in illo proximo perpetratum eſſet homicidium. Quæritur utrum illa lege Moſis vindex ſanguinis à peccato immunis reddebatur? An potius tantum quidam effectus judicum, qui injuſtum homicidium vindicare debebant, impediebantur & prohibebantur? Nempe quod prætor illud factum non poterat in crimen ducere, aut aliquem ideo reum agere. Cum jus & æquitas naturalis dictet, contra fas homicidium errore perpetratum, vindicari; non eſt dubium, quin lex Moſis tantum effectus quoſdam impediret: & ita ille, qui vindicabat ſanguinem hominis per imprudentiam occiſi, homicidii reus erat, quamvis in Republica Judaica ejus pœnam & vindictam perſequi nefas eſſet: & homicidium talis innoxii homicidæ non magis culpa vacabat, quam ſi in alia Republica, quæ legibus illis carebat, commiſſum fuiſſet. Sunt hujuſmodi aliæ leges in politia Judæorum, quæ rem ipſam, de qua agitur, nec damnant nec probant, ſed circumſtantias illius rei ordinant & moderantur: ut de jure Regis Iſraëlitarum, *Deut.* 17. De ſervo Hebræo, *Exod.* 21. & *Deut.* 15. De eo, qui habet duas uxores, unam caram & gratam, alteram inviſam aut minus dilectam. Neque generaliter verum eſt in Republica Judaica nihil unquam permitti potuiſſe, quod tamen in conſcientia non ſit licitum: exempla memorata contrarium evincunt. Rurſus contra aliquando aliquid prohiberi in ſpeciem, quod tamen aliquo in caſu eſt licitum, id fieri judicatur, quando conceditur Chriſtianis alicujus rei jus & licentia, quæ per ſe iniqua quidem non eſt, ſed quæ propter circumſtantias perículoſe uſur-

uſurpatur: & rarò ſine peccato in uſum deducitur, qualis eſt Chriſtianorum perſecutio ſui juris apud judices in medio gentilium viventium; & qui modis omnibus præ ſe ferre debebant, & contemptum pecuniarum, & amorem intenſum proximi. Ex hiſce liquet, (ut hoc breviter dicam) quantopere malè illi inſiſtant, qui ſcientias & diſciplinas ſuis finibus circumſcribere præſumunt, earumque Profeſſoribus modum ponere: ſtatuere quid veniat in officium Theologi; quæ diſciplinarum pars ſubjicienda Philoſophis: cum ex iis, quæ modo tradita ſunt, conſtet, Theologi & Philoſophi partes ita complicatas eſſe, ut ferme nulla controverſia Theologica decidi poſſit, ubi ratio ſive Philoſophia ſuas ſibi non vindicet partes, & quidem in multis principatum. In diſputatione in qua in præſentia verſatus eſt ſermo, quamvis ea Theologica putetur, muta tamen eſſet Theologia, ſi ratio non vocaretur in ſubſidium. Et horum omnium cauſa eſt, quod Deus in Scriptura homines alloquitur ut ratione præditos, principiis ſcientiarum & uſu rerum imbutos; & quos propterea non habet docere per revelationem ea, quorum cognitionem homo auxiliis & adjumentis naturæ acquirere poteſt: & Deus ſat habet electos Spiritu ſuo Sancto ducere, quo rectè ratione utantur: at hujus Spiritus & gratiæ Theologos tantum eſſe participes; eosque præcipuè eo prælucente rationem excolere, Theologi pro ſua modeſtiâ ſibi non tribuent. Sed è diverticulo in viam.

Ut itaque ad inſtitutum revertar, non potuerunt Judæi ex libello repudii ipſis à Moſe aut Deo conceſſo, concludere repudia ipſis fuiſſe licita ad conſcientiam: neque etiam potuere contrarium ex illa lege deducere. Sed quid de re judicandum eſſet, id petendum ex aliis principiis, nempe ex prima conjugii inſtitutione, & ratione recta: & ea cauſa fuit quare inter Judæos non conveniebat ſuper hac controverſia. Lex repudii erat clara & manifeſta; neque de ea dubium erat, utrum vi illius legis, illi qui jure repudii utebantur, de reis eximerentur; & ideo illi adulterii in illa Republica damnari non poterant, qui repudiata priore uxore ducebant aliam etiam à viro repudiatam. Multo minus hoc vocabatur à Judæis in dubium, an ad legem charitatis in uſu libelli repudii non eſſet attendendum: ſed ſtatuebant in illis pœnam & culpam hærere, qui utebantur jure libelli repudii, ſed charitatis non ducebant rationem: norant enim Judæi in uſu juris noſtri, ſemper charitatem non ſolummodo ſuas partes ſibi vindicare, ſed quaſi principatum ferre. Tota itaque controverſia conjecta erat in hanc cauſam, quid nimirum liceret in conſcientia? Idque propter dubiam obſcuramque rationem; ignorantes quouſque prima inſtitutio adhuc vim ſuam teneret; & quid recta ratio ipſos doceret: Chriſtum itaque adeunt, & ex eo dubii iſtius ſolutionem petunt; quem pro inſigni doctore, & ſacrorum interprete habebant; & cujus egregia ediderat documenta. Reſpondet Chriſtus, libellum repudii illis conceſſum à Moſe propter duritiem cordis eorum, hoc eſt, Moſem Judæis indulſiſſe, ut propter repudia in Republica Judaica, & propter adductionem alius fœminæ in domum non peragerentur rei, nec deferrentur ad judicem; aut aliquam pœnam, damnum aut probrum ſubirent: & fecit hoc in gratiam maritorum, qui jam diu in illa conſuetudine erant, eamque hauſiſſe videntur à gentilibus Egyptiis; à quibus multos alios mores pravos adoptarant. Nam in Geneſi nullum proditum eſt exemplum repudii; & mihi perſuadeo gentem Judaicam ab iis abſtinuiſſe, quamdiu Patriarcharum ſanctitas & reverentia in ea viguit: quæ ubi cadere incepit, tunc invaluerunt impurarum gentium mores. In maritorum gratiam illam indulgentiam in Republica Judæorum obtinuiſſe inde manifeſtum eſt, quod certis in caſi-

caſibus maritis jus repudii interdicitur in pœnam: vide *Deut.* 22:29. Fecit itaque Moſes quod omnes ſapientes Legiſlatores factitant, qui ſatius ducunt non tangere adulta & prævalida vitia, quam fruſtra tentatis remediis palam facere, quibus cives impares ſunt.

Fuere itaque repudia etiam in Republica Iſraëlitica illicita quoad conſcientiam: ſed quæſtio ſupereſt, quale & quam grave illud peccatum fuerit? Dicit Chriſtus Judæos adulterium committere non ſimpliciter, quando uxorem repudiant, aut quando priori uxori ſuperinducunt ſecundam, & tertiam; ſed quando uxorem repudiant, & novam ducunt: inſinuans magnitudinem peccati conſiſtere in repudiatione unius, & aſſumptione alterius. Quia repudians ſimpliciter uxorem, non ſe conſtituebat reum adulterii, & ne tunc quidem, quando poſt factum repudium conſueſceret cum libera, ſed cum propter aliam mulierem, quam ducebat, priorem repudiabat: quia putamus nos ſupra probatum dediſſe, adulterium formaliter non commiſſum fuiſſe, cum maritus cum libera rem haberet; ſed ad crimen adulterii requirebatur etiam cum alia novum conjugium: tum quia vinculum matrimonii per libellum repudii reipſa quoad conſcientiam non diſſolvebatur; & ideo qui repudiatam ducebat, committebat adulterium ex Chriſti interpretatione & doctrina; quia attrectabat alterius uxorem: cum etiam, quia per conjugium alius fœminæ, repudiatæ major naſcebatur dolor: ſed præſertim quia ſpes novi conjugii præcipuè divortiis locum faciebat; quia mulier, quæ ſuæ dignitatis aliquam habebat rationem, non facile conſenſiſſet in nuptias, ſi maritus non prius juſſiſſet primam uxorem res ſuas habere, & divortium cum illa feciſſet. Quicquid ſit, ſive aſſecutus ſim rationes veras, quare repudium conjunctum cum conjugio novo, à Chriſto adulterium vocetur, ſive aliæ dandæ ſint, id manifeſtum eſt, Chriſtum eum tantum adulterii reum agere, qui repudiat unam, & aliam ducit. Quæ conſideratio me rurſus movet, ut credam jus civile paulò aliter de adulterio loqui quam Scripturam. Et ſtatum conjugalem in nonnullis caſibus aliter per adulterium pollui, & vinculum conjugale diſſolvi, quam jus civile id declarat.

Docet porro Chriſtus caſu ſupra memorato, adulterium committi: non quod reverà tale adulterium committeretur, quod pœna capitali expiatum voluit in Republica Iſraëlitarum: nam quomodo tam rigida congruiſſet cum libello repudii in eadem Republica; ergo Chriſtus de tali adulterio non loquitur. Et forte ne quidem in foro conſcientiæ: quemadmodum ſcortatio in foro conſcientiæ non implicabat verum conjugium; & ſcortator adulterium non committebat, qui liberam, cujus pudorem imminuerat, non ducens, cum alia conjugium inibat: ſaltem ſcortatio cum meretrice & proſtibulo tale conjugium poſt ſe non trahebat: & dicit tamen Apoſtolus eum qui ſcortatur, fieri unum corpus cum meretrice; quia omnis legitimus coitus, ſi primam inſtitutionem ſpectes, conjugium involvebat, quo duo fiunt una caro: ſed Chriſtus vocat adulterium, quia adulteria legibus civilibus Iſraëlitarum ex tali principio, propter quod caſus, de quo diſputatio eſt, adulterium vocatur, naturam & vitioſitatem ſuam mutuantur: quemadmodum ſcortationis vitium non ex alio principio probaveris, quam quia omnis coitus maris cum fœmina implicare debet conjugium, & unionem duorum corporum in unum: ita ut Paulus inde rectè argumentetur, ſcortatorem unum corpus fieri cum ſcorto. Ita repudia, & quæ ea ſequunt nova conjugia, non aliter vitii & peccaur coarguas, quam ex prima inſtitutionti conjugii, quæ jubet vinculum illud eſſe perpetuum; neque ſolubile niſi per more tem alterutrius partis: quodcunque itaque vinculi iſtius dirimendi præter caſum præ-

prædictum cauſa exiſtit, ex matrimonii natura vitii inſimulatur & arguitur; & adulterium ideo vocatur. Quemadmodum Chriſtus docet virum, qui ad alterius uxorem animum adjicit; & cogitatione ceperit & præfloraverit illegitimi coitus fructum & gaudium, commiſiſſe adulterium: quia illa libidinoſa cogitatio, ex natura adulterii vitioſitatem ſuam mutuatur: quod inde manifeſtum eſt, quod maritus eadem cogitatione cum legitima uxore abſente ſeſe oblectans, intemperans vocandus ſit; & ne quidem ad ſcortationem,quod cuivis manifeſtum eſſe arbitror, illa cogitatio referri poſſit.

Dices fortaſſe hæc bene procedere, quando probavero repudium extra caſum adulterii ſuâ naturâ illicitum eſſe; atque ita permiſſionem in hoc caſu eſſe de malo per ſe, non de eo, quod ſuâ naturâ bonum eſt, ſed propter vicinitatem cum malo non facile ſuſcipiendum. Reſpondemus vera hæc eſſe: ſed æſtimamus in præcedentibus nos ea de matrimonio tradidiſſe, quæ viam munierunt ad ſtatuendum conjugia indiſſolubilia eſſe debere; neque diſſolvi poſſe quam adulterio. Primò docuimus eſſe contra dignitatem mulieris uſuram ſui corporis concedere viro, quando pactum matrimoniale non intervenerit. Secundò actum venereum homine indignum, quando conjugii dignitate non vindicatur à contemptu & turpitudine. Tertio pactum conjugale involvere perpetuam vitæ ſocietatem; neque illud conjugii dignitatem ſuſtinere poſſe, quando initur animo illud aliquando diſſolvendi: aut quando putatur non requiri ad vitandum ſcortationis peccatum in coitu, ut cum conjugata exerceatur: & concubinatum licitum eſſe, quia eo vitatur vaga libido; & cura educandorum liberorum habetur. Nam ſive ad breve tempus, ſive ad longum ſpatium vitæ ſocietatem colere cum muliere deſtines, non fugis ſcortationis probrum, & mulieris dignitas non deſinit violari, quando vir detrectat illam uxoris loco habere: cum diſtinctio inter uxorem juſtam & legitimam, & ſcortum & concubinam omnium gentium menti inſedit; ut &, in poſteriorum vitæ ſtatu aliquam maculam & turpitudinem hærere, cujus mulierem meritò pudet. Et mihi repudium longius abeſſe videtur à legibus conjugii, graviorique ſe hominem crimine obſtringere, qui uxori nuncium remittit, quam qui polygamia conjugium violat: quia poſterior caſus magis tuetur dignitatem mulieris; eſtque conjugio magis proprium & intrinſecum id, quod perpetuam vitæ ſocietatem continet, quam quod tantum inter duos contrahitur: prior caſus propius abeſt à ſcortatione; & dignitas mulieris eo magis proſcinditur: quia longius abeſt à vero conjugio, ubi caſus poſterior præcipuas conjugii leges complectitur; quæ eſt perpetua vitæ ſocietas, & aliqualis coalitio in unum corpus: & ideo vitium ſcortationis in caſu poſteriori minus eſt; cum in priori caſu contrarium obtineat: quia ubi directe vinculum non tantum ſolvitur, ſed illud vinculum ne quidem continetur in illo conjugio, quod maritus ad arbitrium poteſt diſſolvere: nam illud non longe à concubinatu diſtat. Et cum tamen omne conjugium perpetuam vitæ ſocietatem contineat, neque jus repudii Judæos ab illa lege abſolveret, per jus libelli repudii difficillimo in loco verſabantur: nam eo, & conjugii dignitas in illa Republica minuebatur, & ſimul per libelli repudii uſum ſeſe induebant in peccatum grave, & quod cognationem habebat cum adulterio; quodque peccati arguitur ex eodem capite, quo adulterium in vitio & probro ponitur.

Et ad hanc cauſam & conjecturam revoco, quare nulla proborum virorum exempla in V. T. compareant, qui divortium cum uxore ſua fecêre, cum tamen multi viri ſancti exempla polygamiæ prodidere. Neque refert Romanos gentem moratam & politioris vitæ, quæque ſemper magnam ſpeciem gravitatis præ ſe tulit,

lit, repudia & divortia in uſu habuiſſe: quæ tamen non tam temerè illud jus uſurpaſſet, ſi res vitio non caruiſſet, aut tam inſigni turpitudine affecta fuiſſet: quia uſus & mores gentilium, qui tam in ſacris, quam in rebus civilibus apud eos omni ævo obtinuere, nobis documento ſunt, quam cæcæ ſunt hominum mentes, & quam moratiſſimæ gentes tantum per caliginem viderunt, quo ſana, & per Scripturam illuminata ratio nos duceret. Et extitit gentilium ignorantia præcipuè magna in rebus, quæ dignitatem hominis naturalem, & pudorem ſpectant; quia illorum ratio ab iis excitetur luminibus, quæ in corde impuro facile obtenebrantur: & ſicut pium & pudicum ingenium ſua ſponte de iis judicat, nihilque efficacius ejus mentem everberat, quam ea, quæ contra dignitatem, & pudorem naturalem committuntur; ita ut naturæ ſenſu ab iis abhorreamus: ita poſtquam depuditum eſt, & ita pudor periit, qui redire neſcit, difficulter ratio iſtorum peccatorum ſe homini prodit: quamvis nunquam extinguatur, aut radicitus evellatur: genteſque ferme ſemper inexcuſabiles ſint, quia potuiſſent ex natura pudoris, quæ animi paſſio eſt notiſſima, pervenire ad cognitionem eorum, quæ Chriſtiana religio de pudore & pudicitia, & legibus matrimonii tradit. Et mihi ſemper optimum inter alia viſum eſt argumentum pro veritate Chriſtianæ religionis, & auctoritate Scripturæ, id quod de prima inſtitutione conjugii habemus, & quæ à Chriſto & Apoſtolis de eo traduntur; quibus prima conjugii jura confirmantur, cujus ſemina ſparſa in omnium gentium animis propterea videmus; quæ tamen per gentium malitiam non potuerunt ſoboleſcere in bonam frugem; & quæ tamen Chriſtus & Apoſtoli viventes in medio hominum corruptorum, à quibus per diſciplinam ea haurire non potuerunt, ita in aperto poſuerunt, ut etiam flagitioſorum hominum conſcientia, tantillum excitata, pulchritudinem & majorem ſanctitatem in iis agnoſcat, quam quæ moratiorum gentium conſuetudines & leges expreſſerunt. Et quamvis ea eſt ſeculi pravitas, ut etiam in medio Chriſtianiſmo id operæ quidam dent, ut notiones & ſigna honoris & pudoris naturalis ex hominum mente delere poſſint; & pudoris vacuitatem in laudem convertant: quaſi pudor tantum in imbecillitate eſſet, & tantum malum opinionis non naturæ; ut ita obſcœniſſima ſine probro & turpi nota inter homines perpetrare poſſint; nunquam tamen eouſque ſibi imperare, hocque à ſe impetrare potuerunt, ut vim pudoris naturalis non amplius in ſe experirentur: & ideo illorum peccata, ignorantiæ excuſationem non admittunt. Ut vel inde manifeſtum ſit leges Chriſtianorum de matrimonio eſſe ſecundum naturam: & non ex more & conſuetudine; neque rogationibus atque plebiſcitis ſancta eſſe ejus præcepta.

Ex hiſce jam liquet quam longe aberrant illi, qui repudia etiam inter Chriſtianos non putant interdicta, ſed ea, cum uſus poſtulat, reduci poſſe in noſtras Reſpublicas. Argumentorum, quæ ſupra attulimus, facilis eſt depulſio. Nam quantum ad incommoda, quibus obnoxius maritus redditur, quando uxor ita corruptis eſt moribus, ut vix hora à litibus vacua eſſe poſſit, & quæ his ſimilia ſupra in eam rem dicta ſunt: non video in hoc ſermone aliquam vim. Infinitæ ſunt res creatæ in hominis uſum, quas peccatum convertit in ejus damnum. Omnes noſtri appetitus & animæ commotiones utiliter à natura animis noſtris datæ ſunt; & ex prima deſtinatione auctoris naturæ, hominis bono & commodo cedere debebant, quæ tamen propter peccatum multis hominibus exitio ſunt. Et ſi tales affectus hominum ſtudio, cura & opera in ordinem cogi poſſunt, & inde parari virtutis materia, etiam maritus, cui obtigit uxor vita & moribus turpis, aut minus probata, ſpe duci poteſt, eam convertendi ad bonam

frugem; ſi obduret aliquandiu, & exemplis atque inſtitutis illi rectam monſtret viam: & ſi incaſſum laboret; & uxoris mores minentur familiæ ruinam, legibus civilibus contra tales cautum eſt. Cæterum hominis Chriſtiani, cujus tota vita nihil eſſe debet quam perpetua ſecta tolerantiæ; quæque ferme duplici cardine charitatis & patientiæ vertitur, officium erit conſtanter adverſa ferre; & cum uxoris mores eum non cogant in ſe aliquid turpe committere, quod vir probus tantum præſtare tenetur, æquo ferat animo, quod vitare non poteſt: & cedet tandem virtuti dolor, & animi inductione langueſcet; atque ita eo vitæ inſtituto Deo probatus, totum hoc domeſticum malum ad ſalutem convertet. Quod attinet ad exempla repudii juſſu Dei facta &c. Reſpondemus conjugia Judæorum cum alienigena, & aliena à fide ſemper Judæis fuiſſe interdicta: atque ita conjugium cum illis contractum ipſo jure fuiſſe nullum; & ita non tam divortium factum fuit cum fœminis alienigenis, quam declaratum & pronunciatum conjugium nunquam factum fuiſſe: quia ut dixi, vetitum erat Judæis quicquam hujuſmodi rei cum alienigenis eſſe. Atque ita, quod in Eſra factum legitur, ab inclementia & injuſtitia vindicatur: neque trahi poteſt in exemplum; præſertim non à Chriſtianis. Quæcunque autem legitima & juſta uxor deſciverat à vero cultu, capitalis noxæ rea erat; & ideo aut morte plectebatur: aut quando lex illa propter collapſum Reipublicæ ſtatum non amplius tenebat, tunc forte maritus uſus eſt libello repudii: quod jus cum Chriſtianis interdictum eſſe tueor, non poſſunt adverſarii hiſce exemplis pugnare; uterentur enim rationibus, quæ ipſam controverſiam continent, & de qua inter partes contenditur. Sed quid refert hæc fuſius tractare, cum in Euangelio hæc lis expreſsè & dilucidè deciſa ſit. Apoſtolus 1 *Cor.* 7. diſerte jubet, ne fidelis ab infideli propter ſacrorum diverſitatem ſe ſeparet, ſi infidelis conſentiat ad habitandum. Id libertatis tantum concedens parti fideli, ut, quod ſi pars infidelis recuſet colere vitæ conſuetudinem cum parte fideli; & conjugatim cum illa vivere, tunc fideli liberum ſit, & ad conſcientiam licitum, ſeorſim habitare; nec teneatur ita appetere cohabitationem, ut per proditionem veritatis, & ejurationem fidei Chriſtianæ, quo primis conjugii legibus parere & ſatisfacere poſſit, (quę vitæ ſocietatem conjugatis injungunt; & quæ vitæ ſocietas menſæ & thori communicatione vulgò continetur) illam cohabitationem quærere debeat: ſed docet Apoſtolus tali in caſu partem fidelem iſti ſervituti non eſſe ſubjectam; ut aut veritati valedicat, quo infidelis in gratiam ſecum redeat: aut quod nunquam poſſit diſpenſari à cohabitatione cum infideli contumaciter ſe gerente; quamvis omnibus officiis pars fidelis infidelem complexus & ſectatus fuerit. Quæ certe longè diſtant à jure repudiandi infidelis. Agnoſco alioquin aliquid præſidii poſitum adverſariis in illa ſententia, quæ tuetur malitioſam deſertionem eſſe veram cauſam diſſolvendi conjugii; quia mihi nullum eſt dubium, quin multi alii caſus æque graves, imo multo graviores deſertione malitioſa, incidere poſſunt, quibus alterutri conjugum jus naſceretur diſſolvendi conjugii: parium enim rationum & cauſarum pares debebant eſſe effectus. Et à nobis diſſentientibus incumberet probatio, quare malitioſæ deſertionis tanta ſit vis & efficacia, ut per eam pars deſerta libera conſtituatur à vinculo conjugali: quod nunquam ſunt facturi. Nunquam autem mulier tam perdita, tam profligata, tam ab omni non modo honeſtate, ſed etiam ſimulatione honeſtatis derelicta, modo ſe ab adulterio & malitioſa deſertione temperet, eſſe poſſit, ut viro inde naſcatur juſta illam repudiandi cauſa. Et mihi nullum eſt dubium, quin multorum conjugum miſerior eſt conditio eorum, qui deſerti vivunt; multosque meritò expetere ætatem

tem

tem deſertos & viduos vivere, quam unum annum agere vitam cum conjuge perditis moribus & profligatæ vitæ. Sed redeo ad inſtitutum, & perſequor ſolutionem reliquarum objectionum.

Quod autem mulier non tam ſibi nata dicitur, quam ut virum adjuvet; quemadmodum Chriſtus docet Sabbathum propter hominem eſſe, hoc in caſu adverſarii componunt & conjungunt, quæ diverſiſſima ſunt. Nunquam faciendum malum, ut eo aliquid boni adipiſcamur: pacis obtinendæ cauſa proximi jus lædere aut imminuere: uxorem fraudare ſuo jure. Seipſum vinculo conjugii ſolvere, quo eſt devinctus, quando ipſi non bene convenit cum uxore, tantundem eſt, ac ſi quiſpiam, ut ſe liberet ab inviſo vicino, cui ædes ſuas locavit quoad viveret, ita corrumpi aut diſturbari eas curet, ut amplius habitando non ſint; atque ita conductorem intervertat. Maritus oſtendat ſe jus ſuum cognoſcere; & quid contineat dictum illud, mulierem ſibi datam in adjumentum, ſeque caput mulieris eſſe; faciat quando vult ſua juſſa & conſilia valere: jubeat illam ex ſuo more vivere: ſe à muliere comiter obſervari: caveat ne mulieri obnoxius vivat; & quando uſus venit, mulieris opera in tuendo ſuo jure utatur.

Neque majoris ponderis eſt argumentum ductum à pœnis, aut longo itinere, quibus contingit maritum ab uxore in longum tempus, & nonnunquam in perpetuum ſeparari; & pariter uxorem non habere poteſtatem præſentis mariti. Quod enim pœnam perpetuæ incarcerationis ſpectat, facile quivis intelligit per legem conjugalem Magiſtratui facultatem non ademptam perſequendi ſui juris: quamvis ex uſu juris iſtius proximus impediatur in uſu juris ſui. Si hæc ratio non conſtaret, vix unquam nobis eſſet poteſtas fruendi noſtris. Licet Magiſtratui maritum propter flagitium commiſſum capite mulctare, quamvis per illam pœnam uxor marito privetur, & liberi parentibus orbentur. Hiſce in caſibus innoxia pars conſtanti animo debet ferre ſuam ſortem; & precibus apud Deum, & vitæ inſtituto niti ad donum continentiæ: nec dubito quin Deus illam damnaturus ſit voti, quæ contente debitis mediis illud donum perſequitur.

Ad longas illas peregrinationes quod attinet, mihi non eſt dubium, quin ſæpe illæ ſuſcipiantur temerè, & cum ſumma uxoris injuria; contraque officia, quæ maritus uxori debet. Attamen quandoquidem tali in caſu utraque pars vinculi conjugalis reverentia ita tenetur, ut mutuam fidem inter ſe ſervent: neque etiam inter gentes, apud quas repudia in uſu & conſuetudine ſunt, ideo divortia fieri ſoleant; inde evincitur omnibus inſitam quandam cognitionem & tacitum ſenſum dignitatis conjugii. Me non fugit alia adhuc argumenta produci à libelli repudii patronis, ſed quæ ego talia eſſe exiſtimo, ut refutatione non indigeant: cum ex iis, quæ jam à nobis in toto hoc ſermone probata ſunt, eorum infirmitas facile æſtimari poſſit. Interea fateor ſupra memoratis caſibus non videri proſpectum incontinentiæ amborum aut alterutrius conjugum, qui tanto ſpatio temporis mutuis officiis carentes, frui non poſſunt ſine conjugii; & ita deſtituuntur remedio à Deo ordinato ad illicitas & inconceſſas animi commotiones domandas. Sed hoc incommodum, per peccatum homines urgens, non poteſt aut debet ſubvertere leges naturales conjugii, quæ fundatæ ſunt in hominis dignitate naturali: quæ (conſtitutâ humanâ naturâ) ab homine non magis abeſſe aut tolli poteſt, quam recta ratio in rectis pravisque ſanciendis; & à qua omnes leges naturales humanæ manant. Ex ſupradictis enim manifeſtum eſt, leges conjugii in paradiſo promulgatas homini ita naturales eſſe, ſicut virtutes v. gr. temperantiæ, modeſtiæ, humanitatis, &c. Et non minus ab hominis natura alienum eſſe, extra conjugii leges muliere frui, quam

gulæ & ventri indulgere, & vino obruere ingenium. Neque conjuges, qui convictu & vitæ ſocietate carere tenentur, non ita privati ſunt incontinentiæ remedio, quin bona ſpes eorum animos habere debet, ſe carnis aculeos ſuperaturos, ſi ad preces & jejunia, ſine quibus hoc genus diabolorum non ejicitur, confugiant.

Index Materiarum in Tractatu de Naturali Pudore contentarum.

De Pudore & Dignitate Naturali Hominis.	*Pag.* 165
De Inceſtu.	177
De Copula Carnali, ſive Coitu; ubi de Scortatione, qua docetur contra Hominis dignitatem committi.	191
Digreſſio de voto Cœlibatus.	199
De Conjugio & Polygamia.	205
De Adulterio.	221
De malitioſa Deſertione.	224
De Divortiis & Repudiis.	227

DOCTRI-

DOCTRINA
DE
GRATIA
ET
PRÆDESTINATIONE,
Tradita nova Methodo.

PARS PRIMA.

Præfatio ad Lectorem.

Benevole Lector,

PRiuſquam admittaris ad introſpiciendam hanc methodum, operæ pretium duxi in anteceſſum per compendium dare omnium ferme Eccleſiarum Chriſtianarum ſententias ſuper hac controverſia; ut ita manifeſtum fiat, an ob rem fuerit, quod hanc methodum publici juris fecerim, & quantum noſtra à reliquorum diſcrepet opinio. Utque id commode fiat, rem paulò altius (ſepoſitis partium ſtudiis, inter quæ veritas demerſa jacet) repetam. Nos ſemper ſic exiſtimavimus, controverſiam de prædeſtinatione recte revocari ad illam de gratia: ideo ex ordine faciemus, ſi de gratiæ & libertatis natura, Eccleſiarum ſententias atque dogmata primum recenſeamus. Eccleſiæ Romanæ Doctores, & inter hos Thomiſtæ; & illi, quos Janſeniſtas vocant, qui ſe Divi Auguſtini ſectatores prædicant, diſtinguunt inter eſſentiam libertatis voluntatis, & inter ſtatum hominis voluntate præditi. Exiſtimant ad voluntatis naturam & eſſentiam non requiri libertatem, qua poſſumus velle malum aut bonum, velle aut non velle, aut voluntatem ſuſtinere; & quæ vocatur in Scholis libertas *contrarietatis*, & *contradictionis*: ſed tantum libertatem à coactione. Idque probant exemplo Chriſti, & Sanctorum glorificatorum. In Chriſto enim non fuit *potentia* ad peccandum; quemadmodum nec nunc illa potentia eſt in Sanctis cœlo receptis, & *viatorum* numero exemptis. Docent autem iidem Doctores, ſtatum hominis lapſi requirere, ut voluntas habeat libertatem *contrarietatis* & *contradictionis*. Et exiſtimant illam potentiam nunquam donis gratiæ tolli: nempe, quia manet in hac vita labes originalis; quâ voluntas ægra & debilis reddita, maloque corrupta, continet ſemper in ſe illam *imperfectionem*, per quam dicitur *poſſe* peccare. Imputatur equidem Janſeniſtis ab adverſariis, eoque nomine à Pontifice condemnati ſunt, quod docent etiam *potentiam ad peccandum* per gratiam tolli; & voluntati neceſſitatem ad hoc vel illud volendum, à peccato aut gratia imponi: quam doctrinam Pontificii Calvini ſectatoribus propriam eſſe dicunt; & propterea Jeſuitæ hac in re Janſeniſtas iis accenſent. Sed quandoquidem Janſeniſtæ verbis & ſcriptis teſtantur contrarium, præter fas & æquum eſt iis id adſcribere, à quo ſe alienos profitentur. Non enim admittunt hunc loquendi modum: *Gratia ita movet hominem, ut non ſit liberum ei reſiſtere*; quam Calviniſtarum doctrinam eſſe ferunt. Exiſtimat autem Eccleſia Romana, illam libertatem *contrarietatis* & *contradictionis* in ſtatu hominis lapſi requiri, ut homo mereri pœnam aut præmium poſſit. Hoc eſt, ut ego hoc capio, ut ex opere bono vel malo ab homine perpetrato,

omni

oriri poſſit ſcheſis & relatio inter Deum & hominem; utque homo conſideretur ut ad-implens, vel non ad-implens conditionem, ſub qua Deus homini lapſo vitam in Chriſto promittit. Concedunt tamen hominem lapſum in aliquo ſtatu à Deo conſtitui poſſe, in quo mereri poſſit, quamvis talis potentia ad peccandum (dicerem potiùs, quamvis talis negatio perfectionis, qua homo defectui, quo peccare poſſit, obnoxius eſt) in homine lapſo non reperiatur: quemadmodum Chriſti natura humana, Dei gratiam tam præſentem habuit, tamque perfecta fuit, ut in ea non fuerit infirmitas aut potius imperfectio *negativa*, qua voluntas ſe corrumpens, malo adhæret. Sed hic notandum, à Thomiſtis & Janſeniſtis, cum potentiam ad peccandum, aut indifferentiam voluntatis ad volendum aut non volendum bonum vel malum, attribuunt voluntati hominis lapſi, quamdiu ſcilicet *viatoris* perſonam ſuſtinet, voluntatem hominis concipi atque conſiderari, non ut actu à Dei potentia & gratia affectam; qua re poſita, omnes nominati Doctores docent, voluntatem non amplius eſſe in potentia, aut indifferentem ad agendum aut non agendum: ſed ſtatuunt eam tunc ſemper re ipſa velle id, ad quod volendum gratia & potentia Dei illam movet. Sed Thomiſtæ & Janſeniſtæ per illam potentiam, vel indifferentiam ad volendum aut non volendum, intelligunt facultatem voluntatis, quam in ſe habet, & qua potuiſſet aliud velle, vel non velle, antequam actu vult. Nam, inquiunt, quamvis duo actus contrarii ſint oppoſiti, & in eadem voluntate ſimul eſſe non poſſint, poteſtates tamen ad oppoſita non ſunt oppoſitæ, nec ſibi invicem, nec actibus oppoſitis; & in eodem ſubjecto ſive agente ſive patiente commorantur. Ideòque negant *gratiæ poſſe reſiſti*, quamvis concedant ſemper in voluntate eſſe potentiam ad reſiſtendum. Per indifferentiam itaque voluntatis, & ejuſdem potentiam ad volendum aut non volendum, nihil aliud intelligunt, quam voluntatem per donum gratiæ regenerantis, non ita perfici & reſtitui, quin, ſi illa in ſe ſpectetur, & extra actualem operationem Divinæ gratiæ, poſſit non velle. Quamvis, cum re ipſa afficiatur à gratia, ſemper velit; & cui gratiæ ideo nunquam reſiſtitur. Ita ut, ſi res rectè putetur, illorum doctrina cum Calviniſtarum dogmate eadem ſit, diſcrepetque ab omnibus aliis, quod non tantum fidem & bonum opus gratiæ Dei adſcribant, qua in re in aliis Eccleſiis multos ſuffragatores habent; ſed etiam effectum operationis gratiæ neceſſarium ſtatuant, tam reſpectu *deſtinationis*, quam *modi operationis*. Eſt tamen hæc notanda diſtinctio inter Thomiſtas & Janſeniſtas, quod Thomiſtæ infallibilitatem eventus, quem intendit Deus per gratiam, fundant ſimul & in modo operationis gratiæ, quâ Deus voluntatem ita efficaciter afficit, ut illam re ipſa *velle* faciat, & non tantum *poſſe* velle: & ſimul in illa Dei immenſitate, qua omnes creaturę à Deo, tanquam à cauſa prima, ita dependent in *eſſe* & *operari*, ut per eum agant & operentur: & ideo id ſemper

per agant, quod Deus tanquam cauſa prima per eas efficere vult. Janſeniſtæ, quamvis illam dependentiam creaturarum etiam liberarum à Deo agnoſcant, ad eam tamen non attendunt, neque eam ad partes vocant, cum de gratiæ efficacia diſputant: ſed certitudinem eventus referunt ad efficaciam gratiæ operantis in iis, qui bonum volunt & operantur. Sed, ut diximus, in hoc conveniunt, quod eventus ſemper ſit infallibilis, & certus propter *intentionem Dei*, & propter *modum operationis*, qua *modo phyſico* voluntas determinatur ad agendum, ita ut totus effectus non tantum ſit à gratia, ſed etiam ut modus operandi gratiæ ſit neceſſarius: quodque Dei providentia circa illum gratiæ agendi modum ſe habeat, ut ita certò *deſtinet* per illum *neceſſarium* agendi modum efficere, ut homo id agat, ad quod gratia illum movet: ut *fides* & *bonum opus* non requiratur ab homine ut *conditio*, *& ut aliquid ab homine præſtandum, ſed ut aliquid quod à Deo confertur*: ita ut Dei providentia, quæ circa tale opus occupatur, nitatur & decreto *abſoluto* id ipſum *abſolute* conferendi, quod ab homine poſtulat; & ſimul *modo agendi neceſſario, & infallibili*: ideo in amborum ſcriptis invenias hujuſmodi modos loquendi: *Deus ſua gratia voluntatem ad volendum inclinat, determinat; efficit in voluntate, ut ſe determinet; adeoque eam prædeterminat verâ, reali, & phyſica prædeterminatione: gratia facit voluntatem determinatè agere.*

Thomiſtæ & Janſeniſtæ his principiis inhærentes, docent, multis juſtis ſemper non adeſſe gratiam agendi efficacem & ſufficientem, qua Dei præcepta adimplere & præſtare poſſint: quamquam concedant nulli juſto ullum Dei præceptum *impoſſibile* eſſe. Admittunt enim in omnibus gratiam *precum*, & gratiam ſufficientem, qua *poſſunt velle*, quamvis eâ actu non velint; quam gratiam Thomiſtæ *ſufficientem* vocant, Janſeniſtæ *adjuvantem.* Voluntque Janſeniſtæ illam gratiam, à Thomiſtis gratiam ſufficientem vocatam, tantum gratiam adjuvantem vocare: at gratiam ſufficientem vocant, præter quam nulla alia ex parte Dei per modum principii neceſſaria eſt, ut homo velit & operetur; quod tamen auxilium gratiæ Thomiſtæ etiam, præter ſuam gratiam ſufficientem, requiri dicunt, antequam homo *actu & reipſa poſſit velle.* In verbis itaque, non in re inter Janſeniſtas & Thomiſtas diſcrepantia eſt. Probant autem omnibus juſtis non adeſſe gratiam *ſufficientem* ad adimplenda Dei præcepta; quia, inquiunt, qui habent gratiam precandi, ut ipſis Deus gratiam efficacem efficaciter volendi & operandi largiri velit, illi non habent potentiam *proximam* agendi & operandi. *Perſpicuum enim eſt*, inquit Janſenius, *eos, qui Deum pro impetranda gratia precantur, ut valeant facere quod jubetur, jam habere præcepti adimplendi voluntatem, ſed deeſſe poteſtatem.*

Thomiſtæ autem & Janſeniſtæ ideo tantopere urgent neceſſitatem *gratiæ prædeterminantis, & efficacis per ſe* in omnibus actionibus & motibus pietatis, ut ſartam tectam tueantur doctrinam Auguſtini adverſus ejus adverſarios, *Pela-*

 gianos

Nunc etiam neminem fugere poteſt, quid Janſeniſtæ de perſeverantia doceant. Cum enim prædeſtinationem abſolutam, gratiamque, phyſico modo prædeterminantem voluntatem, defendant, non poſſunt non pariter docere prædeſtinatos nunquam ſalute deſtitui. Quamquam credant multos ſanctos, & reipſa regenitos, ſtatu ſuo excidere. Quod poſterius etiam omnes Pontificii, Lutherani & Arminiani profitentur. Calviniſtæ unanimi conſenſu tuentur, non ſolum nullum prædeſtinatum ſalutem non aſſequi, (quæ doctrina ab omnibus recipitur) ſed nullum regenitum in impœnitentia perſeverare & occumbere; & negant illum verè fidelem & regenitum fuiſſe, qui ita perit.

Jam indicabimus, quantum reliquæ Sectæ ab hac doctrina Janſeniſtarum de prædeſtinatione & gratia deflectant; & quam propè accedant. Omnes Calviniſtæ pariter tuentur, naturam atque eſſentiam voluntatis non conſiſtere in *libertate contrarietatis & contradictionis*. Et puto nullam Sectam huic veritati non applaudere: quandoquidem Angeli & glorificati ſancti id convincant. Quamquam ſint qui à voce *potentia* abhorreant; & putent cum natura voluntatis pugnare, ut concipiatur tanquam *non potens* aliquid velle: quamvis concedant voluntatem ita à Dei gratia poſſe affici, ut nunquam ad malum incubitura ſit, ſed certò ſemper adhæſura bono. Quique hunc loquendi modum uſurpant, accuratius mihi loqui videntur.

Negant Jeſuitæ & Arminiani in *viatoribus* talem gratiæ Divinæ operationem, qua ita infallibiliter voluntas bonum vult & operatur, ut ei reſiſti non poſſit. Deinde efficaciam operationis gratiæ Divinæ ita hominis libero arbitrio ſubjectam docent, ut liberum arbitrium per ſe illam efficacem, aut non efficacem faciat.

Hoc poſtremum ſententiæ membrum ab omnibus putatur affine Pelagianiſmo: quia nimium tribuit libero arbitrio. Toleratur tamen in Eccleſia Romana: quamvis in ipſa a Thomiſtis & Janſeniſtis acriter oppugnetur. Quemadmodum Arminianorum doctrina à Calviniſtis unanimiter rejicitur. Lutherani hodierni, & inter eos doctiores & æquiores, tertiam tuentur ſententiam: qua profitentur, hominem nihil poſſe ſine gratia; gratiamque omne opus bonum attingere, etiam primam voluntatis ad bonum motionem: putant tamen Dei operationi ejuſque gratiæ *reſiſti* poſſe. Et revera in doctrina Jeſuitarum & Arminianorum duo conſideranda ſunt: primum, quod doceant gratiæ ita reſiſti poſſe, ut certo & infallibiliter ad gratiæ operationem non ſequatur actualis boni volitio & perpetratio. Secundum: quod gratiæ efficaciam libero arbitrio ita ſubjiciant, ut primam voluntatis, ut ita dicam, motionem ad bonum, gratiam attingere negent. Arminiani de poſteriori nemini moverent controverſiam, ſi de gratia irreſiſtibili lis eſſet compoſita: ita enim memini me quondam legiſſe in libro Doctoris, Arminii doctrinæ addicti. Doctrinam autem de gratia irre-

ſiſtibili, natam arbitrantur ex doctrina de prædeſtinatione abſoluta cum omnibus ſuis appendicibus. Quod etiam Lutherani agnoſcunt; qui ideo ſtatuunt *gratiam reſiſtibilem*, & *prædeſtinationem ſecundum præſcientiam.*

Cui harum doctrinarum noſtra methodus proximè accedat, jam aperiemus. Statuimus prædeſtinationem gratuitam & abſolutam: idque ea ratione, quatenus nulla cauſa, ſive illa fides prævisa, ſive bonum opus prævisum vocetur, fuerit, quare Deus ex multis *ordinibus poſsibilibus* illum ordinem voluerit è ſtatu poſſibilitatis in ſtatum futuritionis transferre, in quo quoſdam per ſuam gratiam (cui fides & bona opera ſolide attribuenda ſunt) credituros prævidit: cum alioquin multos alios ordines, & inter eos, illum eligere potuerit, in quo iidem illi, modo jam dicto prædeſtinati, infidelis & non reſipiſcentis perſonam ſuſtinere potuiſſent. Exiſtimamus enim, poſita creatura libera, ilico talem *relationem* inter Deum & illam creaturam naſci, ut, quamdiu Deus eam ut *viatorem* regere velit, bonum & malum, licet *illud* per Dei gratiam fiat, *hoc* per hominis voluntatem ſe ipſum libere corrumpentis, nunquam *neceſſariam cauſam* habeat: & *bonum* quidem, non *prædeterminantem* gratiam; aut Dei *deſtinationem*, intendentis aliquod bonum *abſolute* in homine efficere: *malum*, non reprobationem abſolutam, quam ſequitur gratiæ *neceſſaria* ad agendum *ceſſans influxus*, tamquam *medium*, ad quod rurſus ſequitur neceſſario (propter deficientiam gratiæ neceſſariæ) creaturæ liberæ lapſus & peccatum. Et ideo dicimus, quod Deus tales per gratiam ſuam credituros prævidet: quia illa fides eſt *præſtatio conditionis*, ab homine *per gratiam* præſtitæ; quamque ideo Deus ab homine, ut ita dicam, *exſpectat*: quia illam ab eo requirit & poſtulat; neque illam fidem confert ut *medium à ſe proficiſcens:* quale medium equidem eſt gratia, *qua creditur*; quamque ideo Deus abſolute homini conferre decrevit: at actio illa *libera* voluntatis, *qua creditur*, quæque hominis fides vocatur, non eſt tale medium: neque ideo à Deo homini confertur, quemadmodum gratia, qua homo credit, illi confertur; neque ideo fides minus donum Dei eſt; neque ideo homines viribus liberi arbitrii ſe ab aliis diſtinguunt; neque Dei voluntas ut ab hominis voluntate ſuſpenſa introducitur: quia illi ipſi, qui fidei & bonis operibus cauſalitatem attribuunt, eaque *cauſam vitæ æternæ* docent eſſe, (quæ eſt doctrina doctiſſimorum Calviniſtarum; & tam vera, ut à nemine, qui intelligat quid ſibi his verbis velint, rejici poſſit) id ex ſua doctrina ſequi non arbitrantur. Et ex ipſo tractatu manifeſtum fiet, fidei & bonis operibus nullam *cauſalitatem* poſſe attribui, quin ita ſe debeant habere ad Dei voluntatem in ordine ad vitæ conſecutionem, quemadmodum nos docemus fidem ſe habere erga Dei voluntatem, reſpectu Divinæ prædeſtinationis. Et ita hoc ſenſu prædeſtinationem *juxta præſcientiam* tuemur; quatenus Deus neminem deſtinat ad vitam, niſi ſub conditione fidei,

 bono-

Quod autem Chriſtianorum Eccleſias nomine, à cujuſque ſectæ Principe & Coryphæo deprompto, inſignierim, id compendii, non odii, aut contumeliæ cauſa feci. Multo minus id inſtitutum ideò mihi placuit, quaſi ab omnibus & ſingulis alienus eſſem, & mihi aliquid peculiare vindicarem. Nam, quemadmodum publicè me profiteor Reformatum Belgam, ita corde & animo illam religionem amplector quę in illa Eccleſia docetur, cujus per Dei gratiam ſum membrum. Nec mihi magis fraudi eſſe debet, quòd diverſam ab aliis ſequar methodum, quam iis, quorum alii prędeſtinationis objectum *hominem lapſum*, alii *hominem integrum* conſtituunt; quamque iis, qui *gratiam univerſalem* tuentur. Qui inter Calviniſtas tolerantur, quia in duobus, in quibus ſumma rei in quęſtione de prędeſtinatione vertitur, conveniunt: nempe in electione gratuita & abſoluta, & in doctrina illa de gratia, quę ſolidè & integrè converſionis opus Deo attribuit; liberique arbitrii vires funditus tollit. Quæ duo noſtræ religionis capita illibata habeo: & ſimul, niſi me mea fallat opinio, doctrinam de prædeſtinatione à multis tricis & difficultatibus libero atque expedio.

NOVÆ

NOVÆ METHODI, Qua traditur Doctrina de PRÆDESTINATIONE & GRATIA,

PRIMA PARS.

CAPUT I.

De dependentia creaturarum à Deo.

TRadituri novam methodum de prædeſtinatione & gratia, prævideo ea, quæ hic dicenda habemus, eo ordine atque perſpicuitate, qua decet, à nobis proponi non poſſe, niſi altius hujus novæ methodi fundamenta exſtruantur. Priuſquam itaque pergam, agam de dependentia creaturarum, & voluntatis noſtræ à Creatore. Deinde de natura voluntatis pauca prælibabo. Tertiò dicam, quomodo bonum à Deo dependeat. Quartò, quomodo malum. Poſtea recenſebo, quæ propius materiam, quam præ manibus habemus, ſpectant; & quæ ſunt tamquam poriſmata, quæ ex præcedentibus fluunt. Denique omnia auctoritate Scripturæ confirmabo. Et confido me tunc nihil tacitum prætermitturum, quod ad expoſitionem hujus methodi dicere attinet; neminemque ordinem & lucem in hoc tractatu deſideraturum.

Per *Creatorem*, à quo omnem creaturam, & voluntatem dependere probabimus, intelligimus *Deum*, hoc eſt, *ens ſummè perfectum*, cui omne ineſſe debet formaliter aut eminenter, quicquid perfectionis notione continetur. Qui ideo etiam eſt à ſe ipſo, & ab omni æternitate, & neceſſariò. Eſt enim lumine naturali notum, quod perfectius eſt, eſſe à ſe, quam ab alio: deinde, quod quicquid per ſe exiſtere poteſt, & à ſe eſt, id ſemper & neceſſariò eſſe: quia ſi non exiſteret ſemper, nulla cauſa id poſſet producere; & ideo etiam neceſſariò eſt. Quia ſummè perfectum primum ut poſſibile conſideramus; (conceptus enim de Deo, & ente ſummè perfecto, non eſt de re falſa, & quæ eſſe & exiſtere non poteſt) deinde, quòd à ſe, & virtute atque perfectione ſuæ eſſentiæ exiſteret, ſi exiſteret. Diximus enim, lumine naturali notum eſſe, perfectius eſſe, eſſe à ſe ipſo quam ab alio: at quicquid à ſe ipſo eſt, ſibique ad exiſtendum *ſufficiens*, id ſemper & neceſſariò eſt. Plura non addo, cum inter Chriſtianos id in confeſſo ſit; & cum atheis in præſentia nihil mihi rei eſſe velim. Cum itaque Deo ſit proprium & eſſentiale à ſe ipſo eſſe, ſequitur nullam rem, quæ Deus non eſt, iſtius perfectionis eſſe participem.

Duplici autem ratione res *poſitivæ*, nam de re *negativa* & *peccato*, ſermo in ſequentibus habebitur, conſiderantur: vel quoad eſſentiam, vel quoad exiſtentiam. Eſſentiæ enim rerum, quamvis revera non exiſtant, non ſunt tamen *nihil*. Et cum non ſint Deus, à ſe ipſis eſſe non poſſunt. Cumque non ſint de Dei natura, non ſunt neceſſariæ, aut à Dei natura neceſſariò fluentes, aut emanantes; ideoque à Deo liberè productæ: ita ut earum natura ab æterno non fuerit neceſſaria; quamvis Deus per ſuam *liberam voluntatem* eas nunc *neceſſarias* fecerit eſſe. Deus itaque liberè fecit omnes naturas, quæ nunc ſunt; & li-

liberè cognoſcit omnes naturas poſſibiles. Et fundamentum iſtius cognitionis eſt Dei *potentia*, juncta cum ſapientia. Neque tantum tales naturæ liberè à Deo cognoſcuntur, quia earum natura liberè à Deo ordinatur, ſed etiam earum ordo poſſibilis liberè à Deo conſtituitur. Dei itaque libertas bifariam circa res verſatur. Primum, quatenus poſſibiles ſunt. Secundo, quatenus liberè eas tranſire facit è *ſtatu poſſibilitatis* in *ſtatum futuritionis*. Liquet itaque quantopere illi errant, qui arbitrantur multa in mundo evenire, quæ per decretum Dei infallibile,ut evenirent, non fuerint decreta: cum etiam res ſimpliciter poſſibiles, ne poſſibiles quidem eſſent, ſi à Deo id non haberent. Et cum *ordo*, qui in rebus eſt, non ſolum non ſit *nihil*, ſed potentiæ & ſapientiæ Divinæ præcipuum præbeat teſtimonium, ille ordo à ſe ipſo, aut ab homine eſſe non poteſt; ſed Deum cauſam & auctorem habet. Quæcunque igitur in tempore eveniunt, ſunt ab æterno à Deo ordinata ut evenirent: nam cum nihil fiat in tempore, quod antea non fuerit poſſibile; cumque radix poſſibilitatis non tantum illius, qua res poteſt *re ipſa exiſtere*, ſed etiam illius, qua natura ipſa *poſſibilis* eſt, ſit Dei potentia, cui inſeparabiliter Dei ſapientia juncta eſt: quo pacto aliquid reale & poſitivum, quales ſunt omnes actiones hominis,& virtutes, quæ ab ipſo proficiſcuntur, à ſe ipſo eſſet aut procederet; Deique intellectui objiceretur ut aliquid independens ab ipſo Deo; atque ita ſuæ naturæ & exiſtentiæ auctor & cauſa? Et hoc eſto primum argumentum, quo probatur non tantum naturas rerum, ſed etiam earum exiſtentiam à Deo eſſe.

Quibus accedit, quod, ſicut ſupra docuimus, quicquid à ſe eſt, etiam ab æterno eſt. Eſt enim lumine naturali notum, quod id ſemper exiſtit, quod per ſe exiſtere poteſt: quia quod non eſt à ſe, vim à ſe exiſtendi acquirere non poteſt; ſi ergo exiſtit, & ſuæ exiſtentiæ cauſam præter ſe non agnoſcit, ſequitur illud ſemper extitiſſe. Præterea, quæ res vim habet ſe producendi, habet etiam vim ſibi dandi omnes perfectiones quas novit. Finge itaque aliquam naturam rationalem à ſe eſſe, quandoquidem ea creatura ſibi dare potuerit ſubſtantiam; ſive cum ea creatura eo uſque ſibi *ſufficiens* ſit, ut nullâ cauſâ egeat ad exiſtendum, multo magis ſibi *ſufficiens* erit ad poſſidendas omnes perfectiones, quæ excogitari poſſunt, quas tamen ſibi deeſſe cognovit: quia illæ perfectiones ſunt tantum attributa ſubſtantiæ; res autem, quæ à ſe exiſtit, ſubſtantia eſt. At minus potens natura requiritur ad producendum modum & accidens, quam ad producendum ſubſtantiam. Cæterum cum voluntas infallibiliter fertur in bonum ſibi cognitum, ea natura, quæ à ſe exiſtit, neceſſario ſibi etiam daret omnes perfectiones, quas novit.

Quibus addi poteſt: de homine recte concludi, quod in ſe & à ſe non ſit *ſufficiens* ad exiſtendum; quodque ad id cauſa indigeat: quia homo non experitur in ſe talem virtutem exeri & depromi, qua ſibi ſufficiens eſt, & qua extra ſe cauſa non indiget,qua exiſtat. Eſt enim proculdubio aliquid *poſitivum*, quo natura aliqua ita perfecta eſt, ut cauſa ad exiſtendum non indigeat: eſtque illud *poſitivum* ſemper in actu, quemadmodum illa natura propter id *actu*, & re ipſa eſt. At nihil actu in mente noſtra eſt, cujus non ſumus conſcii. Cum igitur iſtius rei, qua ſufficimus nobis ad exiſtendum, non ſimus conſcii, res etiam illa in nobis non eſt. Præterquam, quod ſi aliqua natura præter Deum à ſe eſſet, illa natura, ſicut ſupra probatum eſt, etiam eſſet neceſſaria: ergo illa neceſſitas exiſtendi contineretur etiam in idea, ſive in ratione formali iſtius naturæ. Quicquid enim neceſſariò rei adeſt, id eſt de rei eſſentia: quicquid autem de rei eſſentia eſt, in rei *idea* continetur. Quibus omnibus evincitur, nullam ſubſtantiam aut accidens à ſe eſſe: Deum omnium

ſub-

ſubſtantiarum à ſe diſtinctarum auctorem & cauſam eſſe. Tertio omnes ſubſtantias in ſua exiſtentia à Deo conſervari: quia lumine naturali notum eſt, *conſervationem* nihil aliud eſſe quam *continuatam creationem.* Et hactenus laboratum, ut probaremus omnes ſubſtantias à Deo eſſe. Nunc ſupereſt id probare de actionibus; & præſertim iis, quæ rationali creaturæ propriæ ſunt, quales ſunt *velle* & *intelligere.*

Et probatur id quidem, primo, quia illæ operationes ſunt res poſitivæ, & quidem tantum modi, accidentia & proprietates rerum: at quandoquidem ſubſtantia ipſa, quoad exiſtentiam & conſervationem tota dependet à Deo, quomodo modus & operatio ab eodem non dependent? Non cadit in ſenſum communem, ſubſtantiam extenſam v. gr. totam à Deo eſſe & dependere, eandem autem extenſionem modificatam, unde corporis figura oritur, & quæ modus extenſionis eſt, & ideo modaliter tantum ab ea differens, à Deo non dependere. Rem cogitantem à Deo totam eſſe & conſervari, hanc aut illam autem cogitationem, Deum ſuæ originis cauſam & auctorem non habere: & illam ſubſtantiam ex ſe & per ſe *independenter* à Deo modum illum producere, cum ipſa à Deo ſit, & per ipſum ſubſiſtat, & ipſa ab operatione, quæ producitur, realiter non differat. Et ſi operationes creaturarum non eſſent à Deo, Deus illas per actum poſitivum tantum ſiſtere & impedire poſſet. Sed primum id repugnat conceptui *entis primi* & *infiniti*, de cujus natura eſt, quod ſit *cauſa omnium rerum.* At Deus non eſt iſtius rei cauſa, quæ ſui ipſius cauſa eſt; & quæ extra Dei potentiam & ſufficientiam, ſuam *ſufficientiam* habet, quâ eſt & exiſtit; & quam Deus tanquam aliquid à ſe diverſum, neque ulla ratione à ſe dependens, per actum poſitivum deſtruere, aut ſiſtere neceſſe habet. Præterquam quod nullo argumento probari poſſet, Deum illam actionem ſiſtere, aut ex ſuo arbitrio excitare poſſe. Quandoquidem enim illa actio *per ſe* eſt, & ſe ipſam independenter à Deo in tempore producit; imo etiam ab æterno per ſe & ex ſe poſſibilis fuit, non video quomodo liqueat, tales actiones Dei providentiæ ſubjectas eſſe, quæ à Deo non dependent. Nam ſicut ante Dei ordinationem fuerunt poſſibiles, ita etiam eo modo, quo in tempore fiunt, Dei providentiæ non ſubjiciuntur. Et hactenus de dependentia rerum creatarum à Deo.

Caput II.

De natura Intellectus & Voluntatis.

Nunc in anteceſſum quædam tradam de intellectu & voluntate. Recte à viris doctis omnes animæ rationalis facultates functioneſque in duas principes dividuntur, intellectionem & volitionem. Intellectio *eſt rei perceptio cum conſcientia:* & complectitur ſub ſe *ſenſum, imaginationem,* & *intellectionem.* Volitio *eſt illa actio, quam ſubſtantia rationalis ex ſe immediate, & ſua ſponte excitat:* & complectitur ſub ſe *velle, nolle, affirmare, negare, dubitare, &c.* Sicut itaque formalis ratio intellectionis eſt *perceptio*, ita formalis ratio voluntatis eſt *ſpontanea actionis in anima excitatio*, quam aliter *libertatem* vocamus. Nulla itaque intellectio ſtricte ſumpta eſt *libera*, aut *ſpontanea*, ſed omnis neceſſaria: quatenus ſubſtantiæ intelligenti liberum non eſt, rem, quæ facultati intelligenti objicitur, percipere, aut non percipere. Nulla operatio voluntatis non *libera* & *ſpontanea.* Propter intellectionem, ſtrictè ſumptam, nemo laude aut vituperio dignus eſt; utpote quæ ſemper neceſſaria eſt. At quod creatura libera hoc vel illud intelligit, id ſæpe virtute aut vitio, aut, ut uno verbo dicam, *moralitate* non caret; quia illa operatio ſubſtantiæ rationalis tunc eſt compoſita ex intellectione & volitione: nem-

pe, quando voluntas ſua ſponte in intellectu ideas, quas percipit, excitat; & ideo diviſio in intellectum agentem & patientem à vero aliena eſt. In omni enim intellectione, homo, ut *paſſive* ſe habens, conſiderari debet: ſicut in omni volitione ſe habet *active*. Eſt itaque intellectio nihil aliud, *quam ſimplex ſuſceptio aut receptio ſpecierum cum cognitione*; quemadmodum fundus oculi, aut ſpeculum imagines recipit, quas ſi ſcirent ſe percipere, eſſent res intelligentes.

Ex adverſo, *ſpontaneitas*, ut ita dicam, & libertas, voluntati ita propria & peculiaris eſt, ut ipſi *repugnet cogi*, aut *paſſivè* ſe habere: & ideo operationes, quæ ab homine per voluntatem exeruntur, ſunt fermè omnes *morales*, & vituperio aut laude dignæ: & propter illam libertatem eſt aliquid in actione voluntaria, quod ita à ſubſtantia libera eſt, ut ideo ejus auctor dicatur; recteque ſibi applaudat, ſi rectè fecerit, contriſtetur, ſi ſecus. Et ideo nunquam corruptio tam magna, quin, ſicut in peccatis illa libertas manet, ita ſemper maneat in iis illud, propter quod homo auctor actus peccaminoſi dicitur. Pariter nunquam gratia Dei tam magna & copioſa in virtutis executione, quin, ſicut in iis libertas manet, ita maneat in iis id, propter quod homo auctor actus virtuoſi dicitur.

Verum quidem eſt, nos, quia vitium & labes animæ tota ex nobis eſt, ideo aliter peccati auctores quam virtutis dici: quatenus bonum opus *gratiâ Dei, quæ à nobis non eſt*, exequimur. Attamen libertas illa, quæ *noſtra* eſt, quæque *augeri* aut *minui* non poteſt; & propter quam nos dicimur auctores virtutis, nobiſque applaudimus, quando rectè operamur; & propter quam virtus, actio *moralis* appellatur, etiam eſt in actione virtutis.

Propter illud liberum, quod in omni actione morali reperitur, creatura rationalis talem ad Deum relationem habet, ut, quamdiu ut *viator* conſideratur, Deus ipſum ita *moraliter* regat, & ipſi officium præſcribat; illudque ab illo flagitet, ſub ſpe præmii & pœnæ comminatione. Cujus regiminis hoc proprium eſt, ut nunquam homini aliquod bonum ſub ratione premii deſtinetur, niſi ſub conditione adimplendi officii, quod Deus ipſi præſcripſit: nunquam aliquod malum, niſi quia deficit in præſtanda conditione. Et ita quidem omnium hominum ſalus à conditione ab homine præſtanda dependet. Et nulla gratia, per quam homo bonum operatur, tam copioſa eſſe poteſt, quæ naturam iſtius rei, quam conditionem vocamus, immutet, eamque tollat: quia in maxima gratia manet libertas; & cum ſumma *viatori* à Deo collata eſt gratia, tamen ſubſiſtit illud liberum, à quo præſtatio conditionis & officii pendet, & propter quod homo author virtutis, & conditionem impleviſſe dicitur. Nam quamvis rectè, & ſecundum Scripturam aſſeratur, *Deum in nobis illam conditionem implere; noſque gratia Dei bonum velle & operari; Deumque ſuum opus in nobis coronare; ita ut principium & finis cujusque boni operis à gratia ſit; & homo ſine ea nihil boni operetur; nihilque ſit in bono opere, quod gratia non attingat; aut quod homo ſuis viribus præſtet, nihilominus manet illa libertas in actione virtutis, propter quam homo dicitur virtutem operatus, ideoque laude dignus.*

Et quamcunque magnam gratiam Deus homini largiatur, ſi modo illa non tollat *viatoris* perſonam, ideo non deſinit illum *moraliter*, ita ut vita illi amplius ſub conditione non offeratur, regere; nec deſinit ejus ſalutem à conditione ſuſpenſam eſſe. Aliud enim eſt, docere, Deum ſuſpenſum eſſe, & in cæca exſpectatione, an homo conditionem præſtiturus ſit nec ne: aliud, ſalutem à conditione, ab homine præſtanda, ſuſpenſam eſſe. Prius infert ignorantiam & ſcientiæ incertitudinem, & obſcuram ſpem: poſterius, neminem deſtinatum abſolute, ut vitam æternam actu conſequatur ſine ullius conditionis præ-

præſtatione, ſed ſub conditione. Hoc eſt, volo te ſervare, ſi hoc aut illud præſtes. Ita ut præſtatio hujus conditionis non habeat *rationem medii* a Deo collati homini, quo ſalutem impetret: quemadmodum tale medium eſt, verbi gratia, ſanctitatis & juſtitiæ habitus homini in prima creatione collatus; & quemadmodum mors Chriſti & Euangelii prædicatio, & gratia, quâ homo ſe convertit, (non dico converſionem ipſam) tale medium eſt; & ideo ſub nulla conditione, ab homine præſtanda, illa bona homini deſtinata ſunt. Deus enim Adamo lapſo ejuſque poſteris abſolute Chriſtum promiſit, neque illud ab ulla conditione ſuſpenſum fuit. Confertur quidem homini gratia tanquam medium comparandæ ſalutis: at id, propter quod virtus hominis actio vocatur, nunquam medii a Deo collati rationem habere poteſt.

Nec tamen ſequitur, id, quod a conditione ſuſpenſum eſt, minus certum aut minus gratuitum eſſe. Nam credimus conditionem ſemper *gratia Dei* præſtari: rem autem propterea conditionis naturam habere, quia præponitur, *ut præſtanda per hominis voluntatem*; cujus formalis ratio eſt, *libertas* & *ſpontaneitas*: quâ ſua ſponte, ex ſe, nemine cogente, virtutis actionem exerit. Multo minus ſequitur, Deum felicitatis & voluntatis ſuæ rationes aliunde, & ab hominis voluntate ſuſpenſas habere: nihil minus. Deus enim non tantum novit quid certo futurum ſit, ſed nihil etiam ex ſtatu poſſibilitatis in ſtatum futuritionis tranſtulit, quod liberè non tranſtulerit, & ideo ipſi pergratum non ſit. Eſt enim Deus author & cauſa omnis poſſibilitatis & ordinis. Neque ex his ſequitur, Deum ita ſe habere circa conditionem fidei & reſipiſcentiæ, præſtandæ ab homine, ſi ſalvari velit, & ſine qua nemo ſalvatur, & ſine qua nullus ad ſalutem *poſſidendam* deſtinatus eſt, quemadmodum ſe habet erga infidelitatem & irreſipiſcentiam, ſine qua nemo perit: quaſi unum atque alterum æque viribus liberi arbitrii hominis a Deo permitteretur: atque ita eodem modo, Dei reſpectu, ſequeretur fides, aut infidelitas officii præſcriptionem a Deo homini factam: nihil minus. Eſt autem iſtius officii præſcriptionis formula: *ſi velis vitam ingredi, ſerva mandata*: aut, *ſi velis ſalvari, crede*; *niſi ſerves & credas, peribis*. Nam quamvis hujuſmodi formulis, & aliis loquendi modis, quibus Deus teſtatur per ſe non ſtetiſſe, quominus multi ſalvati non ſint; ſed ipſos, qui pereunt, defeciſſe in eo præſtando, quod Deus ab ipſis præſtari volebat, ſi ſalvi eſſe vellent, locus non eſſet, niſi ſub conditione a nobis præſtanda: aliter tamen ſe Deus habet erga bona opera, quam erga peccata: ſicut ſupra inculcavimus.

Nam ideo tantum dicimus hominis ſalutem a conditione ab ipſo homine præſtanda dependere; quia præſtatio conditionis facta ab homine, quamvis *per gratiam Dei*, ita tamen a Deo non eſt, quemadmodum infinita alia, quæ homini a Deo *abſolute* decernuntur, & actu conferuntur, non intercedente hominis actione. Sed illa præſtatio conditionis ita eſt ab homine, ut habeat rationem *cauſæ moralis* ab homine profectæ, quâ Deus jam conſiderat hominem, ut grata ſibi operantem, & præſtantem, quod ab eo flagitabat; &, ut ita dicam, expectabat: ideoque Deus illam obedientiam non conſiderat ut *medium à ſe collatum*. Et quia opera bona, hujuſmodi cauſæ moralis rationem ſuſtinent, ideo rectè accurateque à viris doctis dictum eſt, *bona opera eſſe cauſam vitæ æternæ*. Qui loquendi modus longe diſtat ab eo, quo docetur, homines bonis operibus *juſtificari*; aut jus ad vitam acquirere: quod tunc operibus tribuitur, quando id cauſalitatis genus iis tribuitur, per quod vita æterna deſinit eſſe donum ex omni parte gratuitum. Et quia præſtatio conditionis non eſt medium à Deo collatum, ideo plane aliter decernitur à Deo, quam ea,

ea, quæ rationem medii à ſe collati, & quo finis obtineatur, tenent; & ut talia à Deo decernuntur. Nam media a Deo conferenda, Deus ita vult, ut etiam ſub eorum volitione comprehendatur actualis collatio & exhibitio illorum mediorum: conditionem autem ab homine præſtandam ita vult, ut ſub ejus volitione comprehendatur tantum volitio eorum, quæ ut media comparata ſunt, ut eorum ope conditio ab homine præſtetur; & ita homo ſalutem conſequatur, præſtans ipſe ſua liberâ voluntate conditionem a Deo requiſitam.

Totum illud quod diximus, ſcilicet homines ita cauſas eſſe ſuarum actionum, ut ideo laudem mereantur, dependet ab hoc, quod ſunt cauſæ *liberæ*, & *ſua ſponte agentes*: neque cauſæ primæ, neque ullarum aliarum rerum reſpectu conſiderari poſſint, quod non ſunt *domini ſuarum actionum*; aut quod ita dirigantur per certas cauſas, ut non habeant libertatem volendi. Eſt enim lumine naturali notiſſimum, homines qui bene agunt, laude dignos eſſe: at non laudantur automata, quod motus omnes, ad quos inſtituta ſunt, accuratè exhibent. laudatur autem eorum artifex, quod tam accurata fabricarit, quia non neceſſario, ſed liberè fabricavit; & ideo libere agere, eſt perfectio in homine: ſed ex adverſo, dicimus *indifferentiam* in homine, qua hæſitat quid ſit facturus, imperfectionem eſſe; quia eſt infimus libertatis gradus. Oritur enim ex defectu luminis in intellectu, & ex inconſtantia voluntatis. Quandoquidem enim perfectio voluntatis humanæ in eo etiam conſiſtit, ut ea velit, quæ legi & rationi conformia ſunt, imperfectio eſt in voluntate, eam tam pronam eſſe ad ea volenda, quæ legi & rationi adverſa ſunt, quam quæ iis congruunt. Contra, voluntatis perfectio eſt, eam tam pronam & proclivem eſſe ad ea volenda & eligenda, quæ lex & ratio ſuadet, ut difficulter, & non niſi gravi tentatione, ab iis ſe abduci ſinat: & ſumma ejus perfectio eſt, tam conſtanter vero & recto adhærere, eoque delectari, ut nunquam ab iis velit divelli.

Ita quidem per ſe notum eſt, indifferentiam, & magnam luctam, & repugnantiam in perpetrando bono, minorem voluntatis perfectionem prodere: atque adeo eorum bona opera Deo minus grata eſſe, qui cum hujuſmodi indifferentia, hæſitantia, & lucta, ea exequuntur: illa enim ſemper important aut imperfectionem, aut aliquam nequitiæ & corruptionis mixturam, & ita bonum opus depretiant; & pii dolent de tali tepore, indifferentia, & lucta.

At quemadmodum hæc indifferentia in homine imperfectio eſt, ita, ex adverſo, in Deo ſumma eſt perfectio: denotat enim ſummum imperium, ſummumque jus, & poteſtatem Dei; quæ nullis legibus nulliſque regulis concluſa tenetur; quique eſt liber author omnis ordinis, veri, juſti, & boni: quemadmodum Rex omnium legum poſitivarum auctor eſt. Repugnat enim, Dei voluntatem ab æterno non fuiſſe indifferentem ad omnia, quæ facta ſunt, aut unquam fient: quia nullum bonum, vel verum, vel credendum, vel faciendum, vel omittendum, fingi poteſt, cujus idea in intellectu Divino prius fuerit, quam ejus voluntas ſeſe determinaverit ad faciendum, ut tale eſſet. Fundamentum itaque iſtius indifferentiæ eſt aliquid *verum poſitivum, & bonum*. Cognoſcimus itaque naturâ, & ſeriò, atque ſine prejudiciis rem contemplanti, lumine intellectui inſito, manifeſtum fit, *peccabilitatem*, ut ita loquar, imperfectionem denotare; & rationem, propter quam rationalis creatura dicitur *poſſe peccare*, eſſe aliquid *negativum*, hoc eſt, majoris perfectionis negationem: & contra, *impeccabilitatis* fundamentum eſſe aliquid bonum & perfectum. Non eſſe itaque de eſſentia voluntatis aut libertatis in agendo, quod ita ſit conſtituta, ut à peccabilitate non ſit immunis. Et ideo quando nos de Deo cogitamus, totique

nos

nos in eum convertimus, nullum erroris, falſitatis, aut peccati fundamentum in ipſo deprehendimus: ſed ad nos converſi, videmus nos habere in nobis ideam *nihili*, ut ita dicam; atque ideam negativam nobis obverſari; noſque aliquid medium eſſe inter Deum, qui eſt ens ſumme bonum & ſumme poſitivum, & inter nihil. Videmuſque illam infirmitatem & imperfectionem, quam in nobis eſſe cognoſcimus, & qua à vero deflectere poſſumus, indicare negationem majoris perfectionis: quia concipimus *immunitatem à peccabilitate*, ut aliquid perfectius.

Et quod notatu dignum eſt: non concipimus propter illam immunitatem à peccabilitate, libertatem noſtræ voluntatis imminui; quamvis intelligamus, per illam immunitatem à peccabilitate, nos ſemper nos temperaturos a malo & peccato; atque ita voluntatem nunquam incubituram in pravum. Non dico nos per illam immunitatem non fore liberos ad oppoſitum, ſed nos nunquam electuros oppoſitum: quia illa determinatio voluntatis voluntaria & libera eſt, nihilque intra aut extra voluntatem eſt, quod eam determinet, quam ipſe actus elicitus voluntatis, qui liberrimus eſt. Atque adeo ante actualem volitionem potuit velle oppoſitum. Dico potuit velle oppoſitum: quia nihil eſt, quod voluntatem talem a malo ſemper alienet, præterquam ipſa voluntatis perfectio & ſanctitas; qua liber eſt ab illa imperfectione, quâ aliquis peccandi infirmitati obnoxius eſt.

Caput III.

Quomodo res poſitivæ à Deo dependeant.

Supra probavimus, *quod* omnes res poſitivæ de Deo dependent. Nunc dicemus, *quomodo* omnis res poſitiva, omneque bonum a Deo dependeat: ſupra probavimus, rei poſitivæ, & præſertim virtutis moralis naturam non tantum a Deo eſſe, ſed eam etiam dependenter a Deo exeri, ita ut ſit & fiat per Deum, quemadmodum omnes res poſitivas a Deo, ut cauſâ primâ, dependere diximus. Non itaque cauſæ liberæ, cum recte agunt, ultro ſine dependentia a Deo, aut ſine ejus actuali influxu & ordinatione, ſibi aliquem locum occupant, aut inter res poſſibiles, aut inter res, quæ re ipſa ſunt, aut futuræ ſunt: quemadmodum peccatum hujuſmodi eſt, quod nec per Deum poſſibile eſt, nec dependenter a Deo perpetratur a cauſa libera, nec à Deo ordinatur ut fiat; quodque ideo *per accidens* fieri dicitur. Qua de re poſtea. Notandum tamen, aliter voluntatem & operationes morales a Deo dependere, aliter res & actiones phyſicas. Primò autem dicemus, quomodo res phyſicæ a Deo dependeant. Primum itaque, Deus eſt auctor earum naturæ aut eſſentiæ. Secundò ordinis, quem inter ſe habent, aut habere poſſunt. Omnium equidem rerum phyſicarum natura eſt, quod ſemper *neceſſariò* agant, quicquid agunt; & quidem ſingulæ ſecundum proprietates ſuæ naturæ: illæque proprietates per dependentiam rerum phyſicarum a Deo, per quam in Deo vivimus, ſumus, & movemur, non tolluntur. Itaque quamquam agant in Deo per Deum, ipſæ tamen agunt; & quidem ſecundum ſuam naturam: quod durum, ſua duritie; quod molle, ſua mollitie &c. Id nullus ibit inficias. Eſt præterea hoc certum & exploratum, omnes res phyſicas neceſſariò agere & operari, nec ullas earum in natura jam conſtituta, aliter evenire poſſe; atque ita reipſa nulla contingentia in rerum natura dari: ſed contingentiam eſſe tantum denominationem externam, natam ex noſtra ignorantia, & quia nobis latet connexio neceſſaria cauſæ cum effectu. At quamvis hæc ita ſe habeant, magnopere tamen ad cultum & religionem intereſt

intereſt ſcire, creaturam rationalem diverſimode debere affici ratione cauſarum phyſicarum; eamque diverſum habere reſpectum ad cauſas illas phyſicas, quamvis omnes eadem neceſſitate agant: quandoquidem uſus, & cognitio uſu comparata nos docent, cum multis cauſis, tam moralibus quam phyſicis, (Deo ita ordinante) ita eſſe comparatum, ut per eas homini multa bona malave creentur, ſalus aut mors, ſanitas aut ægritudo, divitiæ aut paupertas, ideo rectè docetur per earum cauſalitatem & efficientiam homines v. gr. a periculo aut morte ſervatos, aut iiſdem earum cauſarum vi calamitatem aut perniciem paratam; & quoſdam homines iſtarum cauſarum ratione, morti vicinos, alios extra mortis periculum conſtitutos: quatenus verſati vel non verſati ſunt in medio cauſarum, quæ ſæpe hominibus ſalutem vel perniciem attulerunt. Et ideo Deo gratias agit, quod mala effugerit, vel agnoſcit per illas cauſas, Deo ſic ordinante, mortem ſibi obtigiſſe, a quibus alii in iiſdem circumſtantiis verſantes, immunes evaſere: & quamvis ordo & vis cauſarum naturalium ea fuerit, ut tunc aliter operari non potuerint, potuit tamen pietas aut impietas hominum cauſa extitiſſe, quare Deus ab æterno decreverit talem cauſarum ordinem, quo aliquis è malis incolumis evaſerit, aut iiſdem ſuccubuerit. Et quia Deo conveniens eſt, propter pietatem, aut impietatem hominum talem cauſarum ordinem conſtituere, per quem hominibus bona aut mala, proſpera vel adverſa eveniant: ideo homines jure meritoque Deo gratias agunt, quod in acie ictu ſclopeti vel tormenti bellici, non interierint; vel ut exemplo clariore utar, quod morbo non perierint, quamvis habita ratione cauſarum naturalium, non magis morbo ſuccumbere potuerint, quam perire in Batavia ictu globi in India è tormento emiſſi. Et tamen cum in India bellum geſtum eſt, Deo gratias non egimus, quod in illo bello nulla vulnera excepimus, quia Deus nunquam talem vim cauſis ſecundis, per quas bellum geritur, indidit, ut nobis in Hollandia verſantibus inde aliqua noxa creari potuerit: & ideo pietas aut impietas hominis non potuit extitiſſe cauſa, quare nos in Hollandia verſantes, bello in India geſto non perierimus; neque ratio permittit Dei clementiæ & benignitati attribuere, quod à bello in India geſto nos immunes præſtiterit: quia juxta naturam inſtitutam homines in Hollandia verſantes, non potuere fuiſſe objectum clementiæ Divinæ, quatenus eâ illos ſervaverit à belli calamitatibus, geſti in India. At meritò clementiæ Divinæ acceptum refertur, quando ſalvi evaſimus è bello in Hollandia geſto, quatenus Deus illum cauſarum ordinem & ſeriem ab æterno conſtituit, qua fieret ut in bello non occumberemus.

Et quamvis vitæ terminus unicuique à Deo certus conſtitutus ſit, verè tamen, reſpectu naturæ conſtitutæ, dicitur aliquis adimplere, aut non adimplere dies ſuos: quatenus vel juxta naturæ vim & inſtitutum, producit vitæ ſpiritum ad illam ætatem, ad quam vis & ordo naturæ eum ducere poteſt: vel, quatenus Deus aut peſtem immittens, aut relinquens, cum ſuæ luxuriæ & intemperantiæ corrumpendum tradit; atque is ita brevioris ævi extitit. Sed cognoſcetur id fortiori ratione aſſeri, ſi concipiamus, probitatem aut improbitatem hominis rationem cauſæ moralis habere, quare Deus huic concedat adimplere dies ſuos, alteri non: quemadmodum bona opera habent rationem cauſæ moralis vitæ æternæ. Sed ad inſtitutum.

Quandoquidem itaque decretum Dei ignoramus; Deuſque conſtituit res decretas ut plurimum exequi per cauſas naturales; vultque nos, creaturas rationales in mundo conſtitutas, actus quoſdam morales & religionis explere ex conſideratione eorum, quæ in mundo eveniunt; aut quæ ex vi & conſtitutione cauſarum ſecundarum,

darum,& providentię Divinæ evenire poſſunt: ratio repugnat, alias de rebus cogitationes in mente excitare, quam earum natura & agendi modus conſtans & neceſſarius, aut fluxus & variabilis nobis ſuggerit; non habita ratione decreti Divini, quod nos fugit. An non rectè ſtatuo, quamquam credam omnia à Deo decreta eſſe,& in natura per neceſſariam connexionem omnia neceſſariò evenire, tamen poſſibile eſſe, ut naufragio peream, aut non peream: cum me fugiat, quid Deus eventurum decreverit; cumque cauſæ ſecundæ ita ſint diſpoſitæ, ut videam, facile ſecundum conſuetum naturæ curſum talem *cauſarum conjunctionem* eſſe poſſe, quâ naufragium efficiatur. An ergo non eſt ex æquo & ratione, me ita comparare erga Deum, (quem pro Domino omnium creaturarum habeo; quique eas ex ſuo arbitrio regit atque flectit, & religione ac pietate delectatur; & ideo erga hominem ſe benignum præſtat) ut qui verſor in periculo, & quem ideo ſupplex adoro, quia illud periculum, & mortis caſum à me propulſare poteſt?

Et quod dici poſſet, preces tamen fruſtra fundi: cum id, quod ab æterno decretum eſt, ut eveniret, precibus immutari non poſſit; & ideo hominis officium eſſe, conſtanti pioque animo in ſe admittere, quicquid Deus de ſe decrevit, religioſe ſe accommodans ad Dei voluntatem: quemadmodum poſt preces fruſtra conceptas, in omnibus rebus afflictis. Chriſtianus ita animum ſuum componere debet. Ad hoc reſpondeo: quamvis id, quod ab æterno Deus voluit ut eveniret, mutari non poſſit; quia tamen ſemper manet ea relatio inter Deum & creaturam liberam, ut moraliter eam regat; ſemperque ſit in bono opere, quod à nobis ita eſt, ut nos ideo ejus auctores dicamur, decretum nos ſalvandi, etiam à periculo corporis, poteſt eſſe conditionatum, ſicut ſupra docuimus de vitæ termino. Et quod notandum eſt, non deſtinat nos Deus ſalvare, ita ut ſalus beneficium putetur, & homini collata propter preces, niſi opem ſuam ſubmiſſe imploremus: ita ut preces ſint cauſa vera iſtius ſalutis, de qua Scriptura docet, quod homini obtigerit propter preces, aut fidem, aut aliud opus bonum. Ideo cultui rationali tam convenìens eſt, precari Deum ut liberemur à periculo, quam conveniens eſt, bona opera & ſtudium virtutis adhibere, ut vitam æternam conſequamur. Habentque tunc preces tam rationem cauſæ moralis, propter quam nos Deus liberat, quam bona opera, & fides habent rationem cauſæ moralis, quare Deus nos deſtinat ad vitam. Eſtque, verbi gratia, precum effuſio, præſtatio conditionis, ſine qua Deus multos ſervare non vult: neque illam conditionis præſtationem, quatenus à nobis eſt, Deus confert tanquam medium, ſed confertur ab homine per Dei gratiam. Preces itaque non quidem mutant decretum, ſed preces prævìſæ à Deo, ut ab hominibus per ſuam gratiam certò ipſi offerendæ, fuerunt cauſæ, quare Deus ſæpe hunc aut illum ſalvare voluerit. Faciunt itaque preces in tempore oblatæ Deo, quod ab æterno fecerunt in Dei conſilio.

Et niſi res ita concipiatur, non video cultum rationalem eſſe, preces effundere, ut iis, tanquam cauſa morali, periculum avertatur; quod tamen omnes lumine naturali, & ratione recta duce credunt: quemadmodum credunt ſtudium virtutis rationem habere cauſæ moralis, propter quam nobis Deus majorem gratiam largiatur. Sicut *mendici ſupplex ſtipis emendicatio, & rei ſubmiſſa culpæ confeſſio, & gratiæ judicis imploratio, cauſa moralis eſt, quare mendico eleëmoſyna gratuitò datur, & reo culpa clementer condonatur.* Non enim omnis cauſa moralis rationem meriti habet; *ſed ſæpe tantum habet rationem actionis à libera hominis voluntate profectæ, quæ antecedere debet, antequam dives, aut ſupremus Dominus mendico ſtipem*

dare,

dare, aut reo delicti gratiam facere velit. Et decretum dandi aliquid *gratuitò* ſuſpenſum eſt ab actione illius, cui illud donum paratur. Quamvis ultrò, puraque miſericordiâ ductus, deſtinem alicui largiri eleëmoſynam, poſſum tamen decreviſſe pauperi illam non dare, niſi à me illam flagitet & ſubmiſſe petat; *& quamvis illam ſine mea gratia flagitare & petere non potuiſſet.* Nec deſinit eleëmoſynæ collatio eſſe *gratuita,* quamvis ille pauper nunquam illud donum fuiſſet aſſecutus, ſi animo elato tranſverſus actus, liberalitatem divitis implorare neglexiſſet. Et hujuſmodi moralis cauſalitas, cum ſit vera & realis, plus importat, quam *cauſa ſine qua non*: quæ nulla cauſalitate influit in effectum, aut eum attingit. Et qui bona opera ſtatuunt cauſam vitæ æternæ, de priori, non de poſteriori cauſalitate loquuntur. Sed ad inſtitutum.

Niſi itaque preces eſſent cauſæ hujuſmodi morales, non rectè, nec cultui rationali conveniens eſſet, preces fundere, quando in periculo verſamur, & ſalus à tenui ſpe pendet. Non rectè is ſe comparat, qui ſemet ipſum, & judicem precibus fatigat, ut pœna eximatur, qui novit & perſuaſum habet, jam decretoriè ſtatutum eſſe, ut pœnæ tradatur; ſive judicis miſericordiam imploret, ſive non. Dependentia itaque creaturæ à Deo, & ab ipſius gratia in omnibus operationibus bonis, nos docet omnia à Deo procedere; & ab ipſo decretum eſſe, ut ita procederent: libertas tamen, quæ eſt in omni actione libera; & propter quam actio, noſtra actio vocatur, nos docet, actiones morales decretas eſſe à Deo, ut ita procederent a ſe, ut tamen non deſinerent rationem actionis liberæ habere; & quas ideo, ut a nobis præſtandas, ut ita dicam, exſpectat. Et ita non decernuntur tanquam res a Deo conferendæ, ſed ab homine præſtandæ; & ut tales, a Deo antecedenter requiſitæ, antequam hoc aut illud conferre abſolute velit. Et quamvis dependentiam creaturarum a cauſa prima cum noſtra libertate (a qua libertate dependet & actionis moralitas, & quod actiones liberæ & bonæ propter ſuam naturam, cujus tamen Deus auctor eſt, aliter a Deo decernantur, quam res phyſicæ) conciliare non poſſumus: lumine tamen naturali, & Scripturâ manifeſtum eſt, res omnes earumque actiones, dependere a ſumma cauſa, omneſque evenire ſicut decrevit: & tamen quaſdam evenire, quas Deus nunquam voluiſſet decernere ut evenirent, niſi prævidiſſet ab homine aliquid præſtitum iri, quod ipſe quidem decrevit ut fieret, quodque a ſe ut a cauſa prima dependet, non tamen decrevit, ut ipſe illud tanquam medium conferret; ſed ut ab homine illud per ſuam cauſalitatem, qua cauſa prima influit in omnes res poſitivas, ab homine præſtaretur.

Hactenus egimus de dependentia rerum phyſicarum a Deo; & per occaſionem cauſalitatis earum, & officii hominis, quod explere debet ex contemplatione earum naturæ & agendi modi, multa locuti ſumus de modo dependentiæ rerum moralium poſitivarum, nempe actionum bonarum voluntatis, a Deo; ita ut pauca de eo dicenda ſuperſint: quæ nunc breviter & per compendium tradam. Actio moralis bona, quatenus ſimpliciter eſt res poſitiva, eodem modo dependere debet à Deo, quo res phyſicæ, propter rationes generales ſupra traditas, & quæ utrique conveniunt. Quatenus autem omnes actiones morales, & inter illas bonæ, liberæ ſunt, & laude dignæ, ideoque gratæ; atque ita cauſalitatem aliquam moralem habent, per quam conſtituitur moralis relatio inter Deum & hominem: inde docemur, (quamvis comprehendere non poſſimus, quomodo iſtæc ſimul conſiſtant) dependentiam creaturarum liberarum, earumque actionum à Deo, non impedire, quare tamen eas Deus à nobis flagitet, & fieri poſtulet; taliſque inter Deum & creatu-

aturam liberam (actionum liberarum reſpectu) ſit ordo, ut recte & vere ſtatuatur, *Deum hoc vel illud bonum velle homini conferre, ſi homo hoc vel illud præſtet & velit*: quamvis id præſtiturus aut voliturus non ſit, niſi Deus ipſum per gratiam ſuam velle faciat.

Cæterum, ſicut actiones morales & ſimul certò, & tamen libere fiunt; quemadmodum res phyſicæ certò & neceſſariò: notandum tamen cauſas liberas, reſpectu cauſalitatis moralis, qua in voluntate operantur, diverſimode, & ſecundum diverſos ſuæ virtutis & efficaciæ gradus conſiderandos; quemadmodum id etiam uſu venit in cauſis phyſicis. Cum itaque ſermo eſt de cauſalitate alicujus cauſæ moralis, & de ejus effectus certitudine, id non eſt petendum à decreto Dei, cujus reſpectu omnia certò eveniunt: ſed à natura cauſalitatis moralis earum rerum, quæ in voluntatem agunt. Oportet enim diſtingnere inter cauſalitatem cauſæ primæ, quæ influit in omnes creaturas, & in earum operationes, tam phyſicas, quam morales: & inter eam cauſalitatem, qua creatura (ſive illa ſit ſubſtantia, ſive qualitas, virtus, & habitus &c.) ſecundum naturam ſuam & ſecundum gradum ſuæ efficaciæ operatur, dependenter tamen a Deo, in aliis creaturis, neceſſariò aut libere agentibus. Poteſt eſſe cauſalitas moralis, quæ ita agit in voluntatem, ut ſemper bonum electura ſit; qualis moralis cauſa datur in ſanctis glorificatis: ita Reformati agnoſcunt cauſalitatem gratiæ, quæ quidem non eſt iſtius virtutis & efficaciæ, ut voluntas quidem non ſemper bonum expetitura, ſed tamen nunquam ita a bono ſe alienatura ſit, ut non ſit perſeveratura: ita licet fingere gratiam, ſive cauſalitatem moralem, qua homo tantum fluxè & inconſtanter bono operam daturus ſit; ita ut de perſeverantia nullam certam ſpem concipere liceat.

Hæ cauſæ morales, vel ratione ſuæ magnitudinis, vel temporis, quo voluntati præſentes ſunt, vocantur aut *dona* & *auxilia* creaturæ rationali integræ debita; aut *gratia*, eaque major vel minor, pro ratione majoris vel minoris cauſalitatis. Priora ſunt donum juſtitiæ, homini in prima creatione collatum; quo, ſicut ex eventu manifeſtum eſt, quamvis abunde inſtructus eſſet ad omnem virtutem, tamen non erat *impeccabilis*. Poſteriora ſunt, ſecundum Scripturæ ſtilum, aut omnia illa *auxilia*, quæ Deus creaturæ rationali integræ, longe ſupra communem hominum ſortem evectæ, ad infallibiliter bene, ſancteque videndum; idque jugiter & ſine intermiſſione concellit: qualia humanæ naturæ Chriſti collata ſunt. Aut ſunt illa auxilia, quæ creaturæ lapſæ & corruptæ conferuntur, ut vitæ ſanctitati operam det. Intelligit itaque lector facile, dona illa gratiæ, ſi recte accurateque loqui velimus, æſtimanda magna, parva, mediocria, &c. non ſimpliciter ex aliquo effectu, quem producunt, ſed ex natura ſua, & ex menſura ſuæ virtutis: nam ſæpius evenit, ut a cauſa magna & parva idem effectus exiſtat. Sic & exploſio tormenti, & ictus ſclopeti hominem occidunt: ſunt tamen illæ cauſæ, ratione virium ſuarum, & in ſe conſideratarum, magnopere diverſæ, quamvis in aliquo caſu parem produxerint effectum; ita ſtatuimus illa auxilia gratiæ ſuam denominationem tantum ſortiri ex naturæ ſuæ conſtitutione, & cauſalitatis in voluntatem magnitudine & exilitate. Ita *gratia*, v. gr. *perſeverantiæ* non ideo talis vocanda, quia aliquis ea perſeverat, & certò, reſpectu *decreti Divini*, perſeveraturus eſt: ſed quia ratione ſuæ magnitudinis, &, ut ita dicam, *efficaciæ*, voluntatem ita afficit, ut nunquam velit deficere a fide, & ſtudio bonorum operum; ita ut ille converſus in numero fidelium, & ſanctitatem amantium haberi non poſſit.

Et reſpectu magnitudinis, & exilitatis Divini auxilii in operando bono; reſpectuque operis, quod nos exequi dicimur per Dei auxilia, nos aliquando conſideramur,

m.ir, quaſi noſtris viribus aliquod minus bonum præſtitiſſemus; & quaſi aliquibus hominibus meliores eſſemus: quatenus illud auxilium, quod nobis adeſt in perpetrando tali bono, nihili putatur, præ ea gratia, qua credimus & regeneramur. Et ita homini quidam ſtatus, & bona diſpoſitio, qua reliquis melior putatur, attribuitur; aut in eo eſſe præſupponitur, nulla facta auxilii Divini mentione; quaſi ſuis viribus illa ſibi comparaſſet. Quia illud præcedens auxilium, collatum cum ea gratia, qua ſervamur, gratiæ & auxilii nomen non meretur. Et ſequitur Spiritus Sanctus loquendi modum inter homines uſurpatum, quo, omiſſis & tacitis præteritis iis bonis diſpoſitionibus, quæ cum ſumma re nullum certum nexum habent; nec habita ratione illius, qui ad iſtas bonas diſpoſitiones acquirendas auxilia præbuit, dicit illum auctorem cauſam rei, qui ad illam acquirendam gratiam & auxilia, ſine quibus haberi non potuit, peculiari ratione præbuit. Ita poſthabitis induſtria & labore parentis, quibus ignaviam, & mala vitiorum ſemina extirpavit ex animo filii, præparavitque illum, ut terram bonam, quæ ſemina in ipſum poſtea conjicienda, ſoboleſcere faciat in bonam frugem, ſolemus iſtum præceptorem æſtimare auctorem ſcientiæ & eruditionis, quâ præditus eſt filius; qui filio prima fundamenta tradidit, eumque eo uſque provexit, ut ſciens & doctus habeatur. Quamquam filius etiam patri debeat, quod præceptor peſſimam terram nactus non ſit: quapropter & filius & præceptor magnas patri debent gratias; ita ut filius conſiderandus non ſit, quaſi ſuis viribus ſuaque ſolertia bonæ frugis puer fuerit. Quamvis, comparando generales illas diſpoſitiones cum peculiari diſciplina, & vulgares ac communes patris inſtitutiones, cum præceptoris ſingulari conatu & induſtria, parentis auxilium nihili æſtimetur, præ ſuperabundanti illa gratia, quâ præceptor effecit, ut filius doctus evaſerit. Et quamvis filius ideo conſideretur ut bonæ indolis, non habita ratione alicujus externi auxilii: quia, ut dixi, illud patris auxilium tam exile & tenue eſt, ut evaneſcat, quando confertur cum illo auxilio, quo filius doctus evaſit. Ulterius hæc non exponam, quia ex Scriptura hujusmodi loquendi modi probari debent; quod fiet in calce tractatus. Hæc tantum prælibavi, ut lectorum animos præpararem ad ea facilius capienda, quæ tunc ſuccinctius tractabuntur.

Caput IV.

Quomodo peccatum à Deo dependeat.

Dicimus primo, peccatum eſſe *poſſibile*; ejus poſſibilitatis authorem & cauſam, aliquo modo, & improprie loquendo, dari; eamque non eſſe aliquid poſitivum, ſed aliquem defectum: illam cauſam eſſe defectum negativum alicujus perfectionis, quo fit, ut homo ſit obnoxius illi infirmitati, ut poſſit cadere; quemadmodum cauſa ipſius peccati eſt abuſus voluntatis creaturæ liberæ, in quem abuſum potuit cadere, quia illum gradum perfectionis non erat adeptus, quo liber eſſet ab illa infirmitate, quâ poſſet peccare. Quod itaque peccatum poſſit evenire, id inde eſt, quod quædam creatura ita perfecta non eſt, quin libertate ſuæ voluntatis abuti poſſit. Cum autem cauſa iſtius poſſibilitatis peccati, & cauſa, à qua in tempore formaliter producitur, non ſit res poſitiva; atque ideo non ſit *fundata in Dei potentiâ*, inde evincitur, inter poſſibilia ea etiam numeranda, quæ fundamentum ſuum habent & in illa minori creaturæ rationalis perfectione, & in abuſu voluntatis libero: Deo per modum nobis incomprehenſibilem, ſic dirigente ſuas & creaturarum actiones, ut ad certam earum conſtitutionem, certò ſe-

ſequatur actualis peccati productio. Non itaque, ſi rem rectè ponderemus, quæſtio movenda de Dei concurſu cum cauſis liberis, cum ab iis peccatum perpetratur, neque de decreto Dei, quo Deus vult ea, ad quæ peccatum ſecuturum eſt; ſed de poſſibilitate peccati: quæ poſſibilitas à decreto Dei propriè non pendet, niſi quatenus illud eſt fundamentum remotiſſimum, vel potius tantum cauſa *ſine qua non*; quatenus ſine decreto creandi creaturam rationalem non ita perfectam, quin peccandi infirmitati poſſit eſſe obnoxia, peccatum nunquam fuiſſet eventurum. Poſita itaque peccati poſſibilitate, ſequitur, neque juſtitiæ, neque bonitati, neque ſanctitati Dei repugnare poſſe, aliquid agere, ad quod perpetratio peccati certo ſequitur. Quod enim perpetratio peccati certò ſequitur ad aliquid, quod Deus agit, id ideo fit, quia antea fuit poſſibile: at fuit poſſibile, quia non repugnabat bonitati, juſtitiæ, & ſanctitati Dei, creare creaturam non ita perfectam, quin poſſet peccare. Non itaque laborandum, quomodo Deus præſciat peccati futuritionem per decreta, quibus decernit quædam futura, ad quæ peccatum ſecuturum prævidet. *Nam res, quæ per illa decreta decernuntur, non ſunt, aut ſunt cauſæ peccati per & propter illud decretum: ſed quod eſt cauſa peccati in tempore, per id peccatum fuit poſſibile ab æterno, nempe, per illam minorem perfectionem, qua homo conſtituitur, ut poſſit peccare.*

Quod itaque Deus decernit hoc vel illud peccatum fore, hoc eſt, quod decernit tantam perfectionem creaturæ rationali non largiri, qua id tollatur, quo peccatum eſt poſſibile, de hoc nunquam laborandum eſt: nempe quomodo tale decretum conſiſtere poſſit cum Dei ſanctitate, aut hominis libertate: ſed potius quærendum, quomodo poſſit conſiſtere cum eadem Dei ſanctitate, aut hominis libertate, quod peccatum ſit poſſibile: non dico, quod Deus *fecerit eſſe poſſibile*. Quia, cum peccatum ex defectu, & re non poſitiva ſit poſſibile, à Deo non eſt ita factum poſſibile, quemadmodum omnes res poſitivæ à Deo ſuam naturam & poſſibilitatem habent. Neque de eo etiam dubium movendum, quomodo Deus juſte punire poſſit hominem, quando id agit, ad cujus poſitionem homo certò peccaturus eſt: nam id idem eſt ac ſi quæras, quomodo peccatum ſit poſſibile, & homo dignus pœnâ? Deus enim nihil niſi admodum remotè facit, per quod peccatum eſt poſſibile. Nam Deus inter multa alia, quæ poſſet decernere, decrevit creationem creaturæ, quæ careret eâ perfectione, quâ creatura peccandi infirmitate eximitur; & qua creatura deſtituta illa perfectione, peccabilis ſit. Quæ cauſa cum non ſit res poſitiva, ſed aliquid deficiens in re poſitiva, ideo non eſt à Deo. Quomodo autem conciliari poſſit illa certitudo eventus peccati, cum libertate hominis, & reatu, quem ſibi acceſſit per peccatum, id, quia dependet à comprehenſione *infiniti* à nobis nec percipi, nec intelligi poteſt, aut debet. Præterquam quod idem eſt, ac ſi quæras, quomodo talis ordo, qui à condito mundo ad hunc uſque diem in mundo fuit, & in quo peccatum ſuas occupat partes, fuerit poſſibilis? Non quærimus, quomodo Deus talem ordinem decernere potuerit? Sed quomodo ad decretum, quo Deus decrevit creare creaturam, aliquo perfectionis gradu deſtitutam, potuerit peccatum eſſe poſſibile, ſi à Deo non mutuetur ſuam poſſibilitatem? Ad quam quæſtionem non ita difficilis eſt reſponſio: conſtat enim, ad conſtituendam poſſibilitatem peccati nihil poſitivi requiri, ſed tantum minorem perfectionem junctam cum libertate arbitrii, quæ malo & tentari & affici poſſit: quod *poſſe malo affici* à Deo quidem eſt, ſed non eſt fundamentum poſſibilitatis peccati, ſed tantum aliquod prærequiſitum: at fundamentum & cauſa poſſibilitatis peccati, eſt liber abuſus voluntatis, qui totus eſt ab homine; & *li-*

bere ſequitur illum minorem perfectionis gradum; qui à Deo eſt: nam peccatum per eam cauſam eſt poſſibile, per quam, cum reipſa perpetratur, fit: at fit peccatum per voluntatis abuſum, & non per minorem perfectionis gradum; quo quidem ſemper ſatis imperfecti ſumus, ut obnoxii ſumus peccandi infirmitati, ſed per quam minorem perfectionem peccatum tamen non eſt poſſibile: quia ſtatus hominis aliqua perfectione negativa deſtitutus, eſt aliquid poſitivum, quod peccati cauſa eſſe non poteſt; neque fundamentum poſſibilitatis peccati.

Ex quibus ita explicatis ſe aliquid prodit & offert, quod magni eſt momenti in hac controverſiâ; eſtque, quod peccatum non ſit in ordine poſſibili *ex deſtinatione, directione, aut decreto Dei*: ſed creaturam, quæ peccare poteſt, inter quaſdam res poſſibiles ultrò ac ſuâ ſponte, ſibi per peccatum ſuum occupare locum & ordinem. Deum autem totum hunc ordinem poſſibilem, una cum illo, quem per peccatum homo ſibi occupat, decernere de potentiâ in actum traducere; creaturâ liberâ eodem modo in tempore ſibi vindicante locum in illo ordine rerum, quomodo ab æterno inter res poſſibiles illum vindicare potuerit. Et hæc veritas fundamentum eſt diſtinctionis *inter cauſam per ſe, & per accidens in moralibus*. De quâ in ſequentibus. Deinde hinc manifeſtum eſt, Deum non contra bonitatem, ſanctitatem, & juſtitiam facere, quod decernat è ſtatu poſſibilitatis in ſtatum futuritionis transferre illum ordinem poſſibilem, in quo creatura libera per peccati perpetrationem, ſibi locum occupat. Nam ſi totus ille ordo poſſibilis, in quo Deus per hypotheſin videt illum ordinem, in quo creatura libera per peccatum locum ſibi occupat, non repugnat ſupra dictis attributis: neque decretum, quo ille poſſibilis ordo producitur in actum, iſtis attributis repugnabit. V. gr. quamvis Deus oderit peccatum propter ſanctitatem ſuam, tamen illa ſanctitas non impedivit, quo minus talis minor perfectio exiſtere poſſet in creatura, per quam peccatum eſt poſſibile. Et quamvis Deus ſummo amore complectatur hominem; & præcipuè juſtum & ſanctum, qualis à Deo creatus eſt, ille amor tamen non obſtitit, quo minus illam cauſam finit eſſe poſſibilem, per quam homo peccare poteſt. Nec ille amor obſtitit, quo minus voluit illum ordinem poſſibilem transferre è ſtatu poſſibilitatis in ſtatum futuritionis, in quo ordine creatura libera peccatoris partes ſibi occupat.

Sequitur etiam ex prædictis, Deum illum ordinem, quem creatura libera per peccatum ultrò, & ſua ſponte ſibi occupat inter res poſſibiles, *nec velle nec nolle*: atque ita proprie loquendo *objectum voluntatis Divinæ non eſſe*. Cum enim ille ordo, ſive potius illa pars ordinis, quam creatura libera per peccatum ſibi occupat, Dei *voluntatem decernentem* antecedat, hoc eſt, ex hominis minori perfectione ultrò & libere ſequatur, Deo nihil poſitivi inſuper decernente aut conferente: & cum illa pars ordinis, quam in toto illo ordine creatura libera per peccatum ſibi occupat, non fluat à potentia Dei; neque tamen repugnet perfectioni, ſanctitati & juſtitiæ Dei, potentiam talem poſſe dari, qua peccatum produci poſſit, ſequitur Deum iſtum ordinem, quo & *cauſa* peccati datur, & peccatum producitur, *nec velle nec nolle*. Non vult; primò, quia peccatum, quod iſtum ordinem ſequitur, non vult, hoc eſt, odit, eoque non delectatur. Secundo, quia illum ordinem non deſtinat tanquam medium, per quod abuſus voluntatis, per quem peccatum producitur, obtineatur. Non poteſt etiam dici, Deum illum ordinem *directe nolle*: quatenus illud nolle infert non velle *exiſtentiam peccati*. Cum Deus enim potuerit non in actum producere ordinem poſſibilem, in quo homo per libertatis abuſum peccatoris perſonam ſuſtinet; potueritque illum

illum ordinem poſſibilem in actum producere, in quo homo per uberrimam Dei gratiam, ſibi occupat perſonam perfectè obedientem legi Dei, male doceretur Deum exiſtentiam peccati *nolle*: quandoquidem Deus iſtum ordinem noluerit impedire; & voluerit illum ordinem poſſibilem, inter tot alios poſſibiles ordines, in quo homo peccatoris perſonam ſuſtinet. Neque hic ſe Deus habet erga illum ordinem, & peccati perpetrationem, quemadmodum mercator ſe habet erga mercium perditionem, quam patitur, cum jacturam earum facere cogitur, qua naufragium vitet. Nam jactura, & mercium in profundum projectio, hic adhibetur ex deſtinatione mercatoris tanquam *verum medium*: & ipſa mercium perditio expetitur, tamquam medium, quo illa perditio efficitur. At Deus illum ordinem non vult, tanquam *medium*, quo peccati perpetratio obtineatur. Sed de his in ſequentibus latius.

Ex præcedentibus etiam evincitur (ut de cauſa per ſe & per accidens aliquid dicamus) non omnia, quæ in aliquo ordine cauſarum occurrunt, antequam ad finem pervenias, ſemper conſideranda tamquam *media*, per quæ deſtinamus finem aſſequi: ſed multa aliunde iſtum ordinem, quæ finem antecedunt, adepta eſſe, quæ à *noſtra deſtinatione* non proficiſcuntur; imo quæ omnem voluntatis actum antecedunt. Quia etiamſi volumus certum cauſarum ordinem, ad quem aliquid certo ſecuturum videmus, id quod ſecuturum videmus, non tamen ita volumus, ut nobis ſit tamquam *medium*, per nos deſtinatum ad aliud quid præterea aſſequendum: ſed ex nata illa re, quæ in iſto ordine ſibi locum occupavit ex hypotheſi aliarum cauſarum, arripimus tantum occaſionem aliud rurſus agendi, atque decernendi. Totam rem exemplo uno aut altero manifeſtam faciam. Rex ante omnem voluntatis actum, videt populi ſui calamitatem, & infelicem ſortem poſſibilem, ſimulac videt bellum poſſibile: neque ex deſtinatione aut voluntate Regis eſt illa calamitas in hoc caſu; *nexus enim belli cum calamitate eſt ante omnem Regis voluntatem.* Deinde, quia Rex ex calamitate civium arripit occaſionem exercendæ ſuæ liberalitatis, atque benignitatis in miſeros ſubditos, ideo illa civium calamitas *medium* non eſt, per quod conſequi aut naſci voluit occaſionem bene merendi de civibus: & quia illa calamitas civium non eſt à rege deſtinata tanquam *medium*, ideo etiam illa à Rege non fuit expetita. Pari ratione, Deus videt peccatum hominis poſſibile ſine ulla ſua *deſtinatione*; ita videt nexum inter certum cauſarum ordinem, & hominis peccatum: unde ſequitur Deum ſciviſſe ante omnem actum ſuæ voluntatis, hominem conſtitui poſſe in illo cauſarum ordine, in quo *ſua ſponte peccatoris perſonam ſibi occupat*: ita ut iſtius rei poſſibilitas, & illius actualis exiſtentia per actualem cauſam, per quam antequam exiſteret, poterat produci, non ſit à Dei ordinatione. Et ſcit Deus rem illam poſſibilem, & ſimul futuram; ferme quemadmodum Rex novit, bellum ſuſcipi non poſſe ſine ſubditorum calamitate. Deinde Deus decernit iſtum ordinem poſſibilem, & transfert in ſtatum futuritionis; quemadmodum Rex decernit bellum. Et Deus peccatum ita certò eventurum novit, quemadmodum Rex calamitatem civium. Peccato proviſo, Deus decernit miſereri lapſorum: quemadmodum Rex ſua liberalitate ſublevare nititur miſeram ſuorum ſortem. Et hic peccatum, aut peccati *permiſſio*, non magis eſt dicenda *medium* à Deo *deſtinatum* ad oſtendendum miſericordiam; quam calamitas ſubditorum à Rege deſtinata ad excercendam liberalitatem ſuam.

Sed, quod ſi Deus hominem contumacem, & per impœnitentiam, renitentem ſuis præceptis, ita traderet in reprobum ſenſum, ut vellet eum ordinem & peccati permiſſionem, tanquam *medium*, per quod hominis peccata frequentiora & graviora exiſterent; tum Deus vellet *per ſa-*

pex-

permiſſionem peccatorum; eſſetque illa permiſſio peccatorum, *medium* propriè dictum, *deſtinatum* à Deo ad augendum hominis reatum. Quemadmodum is, qui in illum finem in urbem vicinam, & inimicam immittit factioſos cives, ut turbetur ſtatus civitatis, *per ſe* vult permiſſionem inobedientiæ civium. Sed meo judicio rationi, ac ſenſui communi vim inferunt, qui docent *permiſſionem lapſus* Adami *ordinatam* à Deo, ut per eam nanciſceretur occaſionem oſtendendæ miſericordiæ atque juſtitiæ. Dubito enim, an major crudelitas excogitari poſſit, hominem innocentem, & Deo Deo gratum atque acceptum, ab ipſo Deo tamen deſtinari miſeriæ atque calamitati, ut poſtea quorundam miſereri poſſit, & in reliquis iram adverſus peccata oſtendere. Hoc unum agendo, ut multa, quæ occaſionem augendi reatus eſſe poſſunt, iis objiciat, tanquam media, quæ vertant in peccandi occaſionem. Quid crudelius, atque ab omni humanitate alienius excogitari poſſet, quam in amicum, qui nulla in re contra me quicquam meritus eſt, quod nollem, ea machinari, quibus in extremam miſeriam prolabatur; ut ita poſtea erga ipſum benevolentiam & miſericordiam exercere poſſim. Et tamen ad tam abſurdum prolabi debent illi, qui ſupra lapſum aſcendunt in prædeſtinationis negotio: atque interea, dum tot abſurdis Theologiam temerant atque conſpurcant, adeo ſupercilioſi ſunt, ut nullum fermè genus diſciplinæ ſit, in quo dictaturam ſibi non vindicant; & omnem eruditionem atque orthodoxiam ſecum natam, atque perituram putant.

Quidam exiſtimarunt, hanc difficultatem tolli per diſtinctionem inter volitionem *permiſſionis* peccati, & inter volitionem *ipſius peccati*: ſed, quod cum bona illorum venia dixerim, ne hilum profecerunt ea diſtinctione. Nunquam enim à quoquam negatum fuit, aut vocatum in dubium, nempe, an Deus *velit permiſſionem* peccati, cum tot peccata quotidie fieri videat: ſed quæritur, quo pacto ſe habeat Deus circa illam permiſſionem peccati, & circa ipſum peccatum? Nempe, an permiſſionem peccati deſtinet tanquam *medium morale* ad conſequendum finem? Verum quidem eſt, per diſtinctionem inter volitionem permiſſionis peccati, & inter volitionem ipſius peccati, id effici, quod dici non poſſit, eum, qui vult permiſſionem peccati, ideo peccatum velle propriè loquendo; ut *velle peccatum*, ſit idem ac *delectari impietate eorum, qui peccata perpetrant*. Nam ſic ne Rex quidem poteſt velle civium in urbe hoſtili factiones, & ſtudia partium; quamvis alioquin rectè aſſeratur de Rege, *cum voluiſſe iſtas factiones*, qui media moralia deſtinavit ad conſequendum iſtorum civium turbatum ſtatum.

Quid, an ideo à peccato immunis ſum, ſi dicam, me non voluiſſe ſtomachum & iram proximi mei, qui me in jus vocat: ſed tantum me decreviſſe uti jure meo, & voluiſſe permittere, ut me vocet in jus? Si interea ſic decretorum ordo maneat, ut primum intenderim extenuare opes proximi litibus; & ita parvo pretio parare mihi ejus ædes, quas cogetur vendere ſub haſta præ paupertate: utque id conſequi poſſim, decreviſſe ædificare ædes in eo loco, unde vicinus maxima percipiet incommoda; idque adhibere tanquam *medium morale*, per quod vicino occaſio præbeatur ira effervefcendi, & ſic ſe temerè in lites conjiciendi: quæ omnia ut fiant, *decrevi permittere*, quia ſtatui *jure meo* in ædificando uti. Nullus certè ideo me dixerit innoxium, quia uti novi illa diſtinctione inter permiſſionem peccati, & peccatum ipſum: dicendo me non *delectari impietate, ira, & odio* proximi, ſed delectari permiſſione peccati illius, & uſu juris mei? cum certum maneat, me decreto utendi jure meo uſum fuiſſe, tanquam *medio* morali ad conſequendum dominium ædium proximi. Neque cum candore & ſinceritate teſtari poſſum, me noluiſſe

luiſſe paupertatem proximi, & ejus attritas opes. Multo minus potui extra hypocriſeos notam accedere proximo; eumque rogare, obſecrare, obteſtari, ne in jurgia & lites prorumpat: profiteri ex animo me pacem & amicitiam velle; & proximi atque amici bene conſtitutam rem familiarem.

Caput V.

Continens quaſdam ſequelas, quæ manant ex præcedentibus.

Et hæc noſtra doctrina primò tollit omnia *deſideria* & *velleitates* in Deo: & quemadmodum inter homines verba, quibus teſtamur nos dolere quædam eveniſſe, & in votis habuiſſe, ut aliter evenirent, nihil ultra ſignificant, quam nos illas res, per quas hujuſmodi mala exiſtunt, non deſtinaſſe tanquam *media moralia*, quæ præberent occaſionem peccandi: & contraria *media moralia* proprie dicta, & ex amore fluentia, adhibuiſſe, quibus malum depelleretur. Et hoc ſufficit, ut ſine fraude de Deo enuncietur, *quod nolit mortem peccatoris, ſed quod vivat: quod vult omnium miſereri: quod vult ut nullus pereat: quod ſe vocet ſervatorem omnium hominum*, & quæ ſunt hujuſmodi; quamvis omnes non ſerventur: & quamvis multa voluerit, ad quæ ſecuturum vidit *per accidens* multorum peccatum, & irreſipiſcentiam; ſi modo doceatur Deum iſtorum hominum reſpectu, nihil tamquam medium deſtinaſſe, quo aliquid pararetur, quod ipſis verteret in perniciem, & in occaſionem peccandi. Ex ſupradictis enim manifeſtum eſt, ad veritatem hujusmodi enunciationum requiri tantum, quod Deus nulla *media moralia ordinavit*, quibus ſtuduit, aut deſtinavit, mortem peccatoris, *per peccati permiſſionem* conſequi. Et licet certò ſciat, eorum nihil futurum, vere & ſine mendacio tamen profitetur, ſe ex animo ea velle: quia illa, quæ novit non futura, tantum *per accidens* ſequuntur ad ea, quæ proprie voluit, ut exiſterent. Et conjicere licet, quam abſurda ſit illa ſententia, quæ Deo attribuit *velleitatem, deſiderium, inclinationem, affectum, ſtudium & conatum irritum, &c.* Nam ſi rem recte æſtimemus, ne hominibus quidem attribuenda *velleitas* aut *deſiderium* earum rerum, quarum nullum exitum exſpectare poſſunt. Quis dixerit Regem, qui bellum parat in inimicos, *velleitate & deſiderio* proprie dicto affici, ne ſubditi Regis, contra quem movet, belli calamitatibus infeſtentur? Sed recte eum *deſiderare* & *velle* docemus, cujus deſiderium & votum iis rebus continetur, quarum ſpes eſt eas adipiſcendi. Cum ratione cupit doctus eſſe, qui media ea adhibet, quibus ad doctrinam aditus paratur. Recte is divitias cupere dicitur, qui iis artibus & induſtria occupatus eſt, quibus divitiæ parari ſolent. Qui itaque Deo attribuit *deſiderium* aut *velleitatem*, illi neceſſe eſt Deo attribuere, aut ignorantiam, aut actum plane irrationalem voluntatis, quæ ne in creaturam quidem rationalem cadit. Deinde dicendum (quod tamen abſurdiſſimum) Deum ſæpe incaſſum laborare; & multa velle, expetere, deſiderare, quæ certo ſcit nunquam futura: & tamen nulla creatura rationalis optat, deſiderat, aut vult aliquid, quod aſſequi non laborat. Qui aliter deſideriis & cupiditatibus ſeſe inquietant, non bene moderari norunt affectibus. Quod autem ferme omnibus impoſuit, qui aut hominibus, aut Deo velleitatem attribuerunt, id factum, quod in aſſignandis voluntatis objectis errarint. Actus voluntatis, quo Deus delectatur ſanctitate aut felicitate creaturæ rationalis, non continet illum voluntatis actum, quo Deus rationalem creaturam miſeriis & calamitatibus re ipſa exemptam vult; aut quo deſtinat, ut probitas & ſanctitas, atque felicitas exiſtat: ſed ille actus volun-

tatis declarat tantum Dei naturam, ipſiuſque attributa ita ſe habere erga hominis felicitatem, ſanctitatem, & probitatem, ut non poſſit non delectari hominis innocentis bono & felicitate: & non adhibere ea, quibus rationalis creatura in juſtitia, ac ſanctitate perſiſtere, & à vitio ſe temperare poſſet, ſi vellet: & quæ etiam ipſi ſufficientia media ſunt, ad ſe conſervandum immunem à peccato, niſi ſua ſponte illa corrumperet.

Quorum omnium ratio eſt, quod Deus ſit natura ſimpliciſſima, cujus intellectus, voluntas, & omnia attributa non ſint potentiæ aut facultates inter ſe, aut à natura & eſſentia Dei diſtinctæ: ſed ipſa illa ſimpliciſſima natura, quæ propter diverſas operationes, vel ordines & reſpectus, quos ad creaturas, earumque actiones requirit, variam denominationem ſortitur. Cum autem eadem hæc natura ſit *rationalis*, & ſimul *ſumme perfecta*, ſequitur illam ſemper cum ratione ſuas operationes exequi. Hæc autem *ratio* eſt lex illa æterna Dei, fluens ab ipſius naturæ perfectione. Et quicquid illi rationi non eſt conſentaneum, dicitur illi æternæ legi repugnare. Et cum dicitur aliquid repugnare juſtitiæ, ſanctitati, miſericordiæ, clementiæ ac bonitati Dei, id propterea dicitur, quia pugnat cum ea ratione, hoc eſt, lege Dei, quæ quidem una eſt: ſed quæ efficit, quod Deus diverſimodè ſua decreta & actiones exerat, ſecundum diverſas qualitates, quas reperit in objectis. Quæ qualitates una cum illa lege æterna faciunt, ut Deus aliter atque aliter ſe habeat ad objecta. Dicimus Deum *diverſimode ſe habere*, non autem *diverſimode affici*: & id quidem multis impoſuit. Cum homo peccat, naſcitur reatus, & ita homo eſt ſub ira Dei; imprudenter tamen inde concluditur, Deum affici ira, aut formare decretum puniendi: ſed hæc nihil aliud inferunt, quam hominem propter hujuſmodi facta aliam atque aliam relationem ad Deum, propter legem illam æternam, acquirere. Hinc liquet, decreta propriè dicta tantum inſtitui de actionibus *liberis*, quas lex æterna *indifferentes* relinquit; & non de rebus, & actionibus, quæ neceſſario ſequuntur aliquam hypotheſin, aut relationem Dei ad creaturam rationalem, fundatam in aliquo Dei attributo, & in hominis certo aliquo ſtatu, propter quem Deus certo modo ſe habet erga creaturam rationalem.

Liquet etiam ex præcedentibus, noſtros Theologos male uti diſtinctione inter *voluntatem ſigni & beneplaciti*. Nam optime illa diſtinctione carere potuiſſent: cum adverſarii inde arripuerint cavillandi occaſionem, quaſi duas voluntates in Deo ſtatueremus; quarum una alteri contraria eſt. In quo tamen etiam adverſarii animo falſi fuere; cum *voluntas ſigni* etiam ſit *voluntas beneplaciti*; nihilque verbis, nomine Dei, à miniſtris proponatur, quod *voluntate beneplaciti* Deus non velit: ſed *voluntas beneplaciti* eſt voluntas, quæ plus includit, quam *voluntas ſigni*; ſed quæ rarius declaratur *verbis*, & *effectu* ſe cognoſcendam præbet. Cum aliquem invito ad cœnam; actus voluntatis, quo volo eum invitare, longe diverſus eſt ab actu voluntatis, quo volo aut deſidero, ut actu veniat. Et poſſum eum invitare ſeriò, quem non venturum ſcio: modo nihil egerim, quod *medii moralis* rationem habere poteſt, & quo deſtinaverim efficere ne veniat. Poſſet non male prior *actus* vocari *voluntas ſigni*, poſterior *voluntas beneplaciti*. Sed à noſtris Theologis illa diſtinctio planè aliter uſurpata fuit; & Deo voluntatem ſigni attribuerunt circa rem, quam Deus, ex eorum ſententia, *impedire per media eo deſtinata decrevit*: quo nihil magis à ratione alienum aſſeri poteſt.

Damnamus pariter diſtinctionem inter *voluntatem antecedentem & conſequentem*: quaſi Deus vellet propriè loquendo, *voluntate antecedente re ipſâ omnium hominum ſalutem, & converſionem: conſequente, eorum ſalutem & damnationem, qui fide & ſtudio*

dio bonorum operum, aut impœnitentia ſibi alterutrum paraverunt. Nam, ſicut jam inculcavimus, actualis ſalvatio eorum, qui pereunt, non continetur eo voluntatis actu, quo Deus fide atque ſalute hominis innocentis delectatur; aut quo ea erga rationalem creaturam depromit, quibus ſalus & à peccato immunitas, aut vera pœnitentia parari poſſit. Atque ideo neminem eorum, qui pereunt, *actu* ſalvum eſſe voluit, aut deſideravit. Et ex adverſo, quos *actu* ſalvos eſſe voluit, hoc eſt, ad ſalutem *prædeſtinavit*, illi omnes *actu* ſalvantur. Neque quærendum eſt, in quem finem Deus iis prædicari jubeat Euangelium aut legem, ad quam prædicationem novit *per accidens* ſecuturam eorundem inobedientiam: quia eorum reſpectu illud decretum, *volo annunciare Euangelium ſalutis*, nondum *completum finem* habet; ſed poſito illo decreto, videt Deus *per accidens* ſecuturum peccatum eorum, qui per contumaciam Euangelio non credent, quo rurſus poſito, iterum decernit iſtorum contumaciam punire. De quo ordine decretorum poſtea fuſius agetur.

Pariter liquet, quid dicendum ſit de diſtinctione illa, inter *finem operis*, & *finem operantis*, quâ quidam noſtrorum utuntur: nihil enim ſolidi tinnit; & ex earum numero eſt, quibus ſcholaſtici doctores ludificare ſolent lectores, & ſub ſpecioſo terminorum uſu nihil dicere. Non enim quæritur, quo *hominis ſanctitas in ſtatu integritatis, legis præſcriptio, exhortationes, admonitiones, gratia ſufficiens, &c.* ſuâ naturâ hominem ducere potuiſſent, ſi per liberæ ſuæ voluntatis abuſum illa omnia non feciſſet irrita: ſed quæritur, *quo fine, & qua intentione*, hæc à Deo homini *ſubminiſtrata ſint?* Et an recte dicatur, *finem operantis*, in ordine ad hominem integrum, aut ad hominem nondum condemnatum, eſſe, ut quidam homines pereant; & an Deus deſtinaverit ullam rem, ſive *lapſum*, ſive *lapſus permiſſionem*, tanquam medium, quo quidam pereant, & eorum reatus per ipſorum inobedientiam, pateatur; quod nos negamus.

Jam etiam manifeſtum eſt diſcrimen inter cauſam *phyſicam* & *moralem*. Qui vult amputationem brachii, ut reliquum corpus ſalvetur, in eo, volitio *amputationis brachii*, eſt ſimul cauſa *phyſica* & *moralis* ipſius amputationis. Idem dico de eo, qui mercium jacturam facit in mare, ut à majori noxa ſe tueatur. At qui ſuo jure utens, ædificat; & proximus ideo ira excandeſcit, ad lites ſe proripit, rem familiarem extenuat, is quidem eſt cauſa *phyſica* iſtius iræ, & eorum, quæ ordine eam ſequuntur: ſed cauſa *moralis* non eſt; niſi ſimul deſtinet ædificationem, tanquam medium, quo proximus ira excandeſcat, ipſique ſtomachum moveat. At diſtinctio inter *neceſſitatem conſequentiæ* & *conſequentis*, locum habere poteſt: nempe, ut per neceſſitatem *conſequentiæ* intelligatur id, quod per *accidens* ſequitur; per neceſſitatem *conſequentis*, *id quod per ſe*. Sed ita vulgò non uſurpantur.

Sed diſtinctio inter *finem & eventum* magni eſt uſus: quia multa fiunt, quæ non ſunt *ordinata*, proprio loquendi modo, *ut fierent*: & multæ ſunt loquendi formulæ inter homines, & in Sacra Scriptura uſurpatæ, quibus primo intuitu *finis* denotari videtur, cum *eventum* tantum exprimant, quales ſunt: *Deus omnes concluſit ſub peccato, ut omnium miſereretur. Lex ideo ingreſſa eſt, ut augeretur lapſus.* Scilicet iſte lapſuum auctus numerus, & illa particula *ut*, non *finem*, ſed *eventum* denotat. Sunt itaque hæc non ita intelligenda, ut legislatio Judæis facta, ſit *medium morale*, à Deo deſtinatum ad augendum reatum: ſed ille reatus, quandoquidem non eſt deſtinatus aut intentus, per accidens ſecutus eſt. Quemadmodum lapſus primi hominis ſecutus eſt per accidens lationem legis. Et ſuperiora verba nihil aliud innuunt, quam Deum voluiſſe uti jure ſuo in præſcribenda lege populo Iſraëlitico: quamvis ſciret inde ſecuturum majorem pecca-

 torum

torum numerum ;. quo peccatorum incremento poſito, rurſus decrevit per Chriſtum tollere quorundam Judæorum iniquitatem. Ita ut hæc verba, *ut augeretur*, nihil aliud denotent, quam Deum delectatum illo decretorum ordine; non autem, quod permiſſio peccatorum, aut major peccatorum numerus medium fuerit, quo Deus aſſequeretur, ut quorundam Judæorum poſſit miſereri.

Liquet etiam, quæ via atque ratio ineunda ſit in multiplicandis, noſtro concipiendi modo, Dei decretis; & in conſtituendo eorum ordine: ſed hic de iis pauca dicam; contentus intendiſſe digitum, quo pergendum ſit. Illud ſub uno decreto comprehendi debet, quod cum aliis ita connexum eſt, ut ad ea neceſſario ſequatur, nullâ libertate Dei aut hominis intercedente. Sive illa neceſſitas oriatur ex *natura & proprietate creaturæ*, ſive ex *natura & attributis Dei*. Non itaque formandum novum decretum de *reatu*, qui neceſſario eſt connexus cum perpetratione peccati. At decretum infligendi pœnam, non continetur decreto de reatu: poteſt enim miſericordia intercedere *per meritum Chriſti*. Pariter, quando Deus decrevit rationalem creaturam producere, eodem decreto conſtituit originalem juſtitiam & ſanctitatem ei largiri. Eſt enim contra legem æternam, creaturam rationalem producere, & eandem ilico Deo inviſam reddere propter defectum juſtitiæ originalis.

Quotieſcunque autem, neque ex natura Dei, neque ex natura creaturæ, hujusmodi nexus inter plures res ſeſe offert, ſed nexus ille naſcitur ex libera Dei voluntate, tunc novum eſt concipiendum decretum. Miſſio Chriſti nullum nexum habet cum hominis peccato, ergo novo decreto illa miſſio decernitur. Hæc, quia notiſſima ſunt, aliis exemplis non illuſtrabo. Quod ſi in toto illo ordine rerum, in quo decretorum ordo & numerus inveſtigatur, intercedant hujusmodi res, quæ *per accidens* ſequuntur alias res decretas, tunc poſt illas res, quæ *per accidens* ſequuntur, novum conſtituendum decretum. V. gr. ad decretum Dei, *creandi hominem integrum, & juſtitiæ operam dantem*, ſecutum eſt *per accidens* peccatum hominis: Deus enim nihil *deſtinavit* tanquam *medium* ad faciendum, ut hominis lapſus exiſteret: & ideo *per accidens* ſecutum eſt ad præcedens decretum. Non enim (ut dixi) evenit ex deſtinatione Dei; neque ex naturâ attributorum Dei ſequitur; & ideo *nullo decreto* comprehendendus eſt hominis lapſus, aut *permiſſio lapſus*: docuimus enim ſupra, ea, quæ per accidens ſequuntur, Deum nec *voluiſſe* nec *noluiſſe*; ideoque nullo decreto contineri. Et ubicunque tales res intercedunt, illic interſecatur ſubordinatio rerum, & mediorum ad finem. Quæ ergo per accidens ſequuntur, ea ſicut Deus nec voluit nec noluit, ita nullo decreto comprehendi debent: quia ea, quæ antecedunt, non deſtinat tanquam *media* ad aliquid conſequendum aut amoliendum: ſed Deus primo vult id, quod *jure* poteſt; ad quam volitionem cum videt aliquid per accidens ſecuturum, ideo non deſinit id velle, quod juſte poteſt: ſed eo, quod per accidens ſequitur, exiſtente, Deus rurſus vult alia, quibus locus non fuiſſet, ſi illud, quod per accidens ſequitur, non extitiſſet. Ex. gr. Rex vult tueri ſuos ſubditos, ad quam volitionem videt *per accidens* ſecuturas calamitates eorum civium, qui in limitaneis provinciis habitant. Et quia Rex videt id certo eventurum, deſtinat iis ſubditis ſuccurrere ſuâ liberalitate, & ſolari eorum miſeriam. Per quam liberalitatem & ſatisfacit muneri ſuo, & intendit promereri benevolentiam civium; idque *actu* aſſequitur: eſtque illud ultimum in *executione*, non fuit tamen primum in *intentione*: neque ordo decretorum ſtatuendus hujuſmodi, ut *primum decretum* ſit, *volo promereri benevolentiam ſubditorum*: *ſecundum*, *volo iis benefacere*: *tertium*, *volo eos in calami-*

tatem & miſerias conjicere: *quartum*, *volo in eum finem uti jure meo*, *neque concedere vicino principi*: *& volo ita permittere ut bellum contra me paret*; *atque ita ſubditi bellorum calamitatibus implicati*, *mea clementia indigeant*. Qui hujuſmodi decretorum ordinem conſtituit, Regem ſceleratum & tyrannum facit, & dignum qui omnibus infamiæ notis poſteritati ſeculorum tradatur. Sed hujuſmodi ordo conſtituendus. Primum decretum ſit, volo jus meum tueri: ſed quia video ad id ſecuturum miſerum ſubditorum eorum ſtatum; (qui ſtatus proprie loquendo, nec *expetitur*, nec non *expetitur*) volo ſecundo per liberalitatem calamitati civium opem ferre. Cui tanquam medium morale ſubſervit, imperare, v. gr. civibus, quos belli calamitas non attigit, tributa & vectigalia, ut pecuniâ, quæ ex iis procedit, damnum civium, bello attritorum, reſarciatur.

Caput VI.

In quo propius differitur de ſingulis objectis voluntatis; deque natura gratiæ.

At quia prævideo, ea, quæ hactenus dicta ſunt, non facile fidem inventura apud multos, niſi adhuc quædam addantur, & alia manifeſtius declarentur, operæ pretium erit, ſenſus noſtros clarius oſtendere de omnibus quæſtionibus, quæ ex materia de voluntate, libero arbitrio, & gratia, ex ratione naturali aliquod lumen mutuari poſſunt. Et primo loquar de *objectis* voluntatis, proprie ſic dictis: & rem paulò altius repetam. In confeſſo eſt, formalem rationem voluntatis in eo conſiſtere, *quod ſua ſponte*, *ex ſe*, *immediate actionem excitat*. Et inde eſt, quod in omnibus voluntatis operationibus *elicitis* reperiatur *libertas*, quæ inſeparabilis, imo *eſſentialis* eſt omnibus actionibus voluntatis. Et quia libere & noſtra ſponte agimus, ideo in omni voluntatis operatione eſt delectatio & gaudium: dolorque, & triſtitia in eo conſiſtit, quod multa contra voluntatem patimur. Quicquid autem contra voluntatem nobis evenit, id nobis ſemper dolorem atque triſtitiam affert. Eſtque id adeo proprium voluntati, ut ejus operationes *elicitæ* ſemper cum voluptate conjunctæ ſint: ut etiam in jactura mercium ingraveſcente tempeſtate, & amputatione brachii, aut cruris gangræna infecti, id verum eſſe reperiatur. Neque id aliquis inficiabitur, qui objecta voluntatis, ſive res proprie volitas rectè diſtinguere novit. Mercium perditionem, & brachii amputationem non ſequi *per accidens* ad volitionem conſervandæ vitæ, jam ſupra diximus; & etiam inde manifeſtum eſt, quod mercium jacturam, & brachii amputationem *deſtinamus* tanquam *media*, tam *moralia*, quam *phyſica*, ad conſervandam ſalutem. Et ideo rectè & propriè loquendo, dicimus *ea* velle. Sed id multis impoſuit, quod putarint illam volitionem ſemper inferre volitionem doloris aut damni: quaſi ea ita vellet, ut iis delectaretur, aut in iis voluntas verſaretur, tanquam in re grata; id enim repugnat. Neque eſt in hominis poteſtate triſtibus, & quæ naturæ adverſa ſunt, gaudere & extolli, lætis contriſtari aut deprimi. Vult itaque homo tantum amputationem brachii, tanquam medium & ordinem bonum, per quem, tanquam remedium, ſervari poteſt. Et quemadmodum illud remedium *probat*, ſic quidem illud *vult*, & ſibi *gratulatur* de tali medicina. Quod ſi aliqua medicina etiam ſuâ natura ita guſtui grata eſt, ut ægri appetitum excitare & ſatiare poſſit, tunc *ipſam medicinam vult*; ſed illa volitio aliud objectum habet, quam ſuperior. Hic enim voluntas hæret, ſibique placet in ipſa medicina, quia eſt guſtui grata; illic autem homo medicina delectatur, quia illam æſtimat tamquam medium conſequendæ ſalutis. Quod ſi aliquis ſibi placet

placet de fortitudine ſua, conſtantiaque in ſumenda medicina ingrata, is rurſus alio modo vult medicinam: eſtque iſtius volitionis objectum diverſum ab objectis priorum volitionum. Delectatur enim & vult æger in tali caſu virtutem conſtantiæ, fortitudinis, & animoſitatis, earumque uſu delectatur. Porro, quod ſi certum & *infallibile* ſit remedium, quo aliquis uſurus eſt; & ad quod *naturali neceſſitate* ſcit ſecuturam ſanitatem, aut mali alicujus, cum quo conflictatur, remotionem, tunc talis homo adhuc alio modo vult ſanitatem, quam is, qui medium aliquod *fallibile* adhibet. Poſterior dicitur velle ſanitatem, quia utitur rebus ex ſua intentione, ut mediis, per quæ ſalutem & ſanitatem ſibi parare ſtudet: *actualem* autem morbi depulſionem, & ſanitatis exiſtentiam, ſi ita loqui liceat, nec vult, nec non vult; ſed id totum Deo committit. Eſt enim contra fas, id abſolute velle, quod à Dei beneplacito pendet; & ad quod producendum, aut cauſam neceſſariam Deus in natura non conſtituit, aut eam nobis voluit latere. Prior contra ipſam mali depulſionem vult: quia id vult, per quod certo ſcit mali remotionem ſecuturam. De utroque tamen *rectè* aſſeritur, eos ſanitatem velle: cum, quia ambo adhibent ea, quæ putant fore uſui ad conciliandam ſanitatem; tum etiam, quia ſanitatis poſſeſſione, tanquam re grata, & ſibi convenienti, delectantur. Et qui ex officio ſuo tenetur adhibere remedia ſufficientia, & naturâ ſuâ apta ad comparandam ſanitatem; & quæ propter pravam aliorum voluntatem, aut aliud quoddam impedimentum inopinate incidens, incaſſum adhibitura novit, & bono caritura eventu, is tamen ſanitatem velle recte dicitur: cum, quia libenter ex officio remedia excogitat, quæ ſanando morbo ſufficiunt, & conducunt; tum etiam, quia illa remedia, quæ ex officio & excogitat & applicat, ſua natura apta nata ſunt expellendo morbo: & quia illa adhibita induſtria ſucceſſu caret, propter impedimentum, quod alicunde oritur.

Supereſt, ut ea, quæ hactenus in medium attulimus de voluntatis humanæ objectis, diverſiſque ejus actibus, voluntati Divinæ aptemus, & aperiamus, quouſque hæc cum Dei voluntate, quæ omnibus imperfectionibus caret, conſiſtere poſſint. Deo nihil evenire, quod ipſi ſit *ingratum*, ipſumque contra, *quicquid vult efficere*, in aperto eſt. Eſt tamen extra dubium, multa in hoc univerſo evenire, quæ Deus non vult,. loquor de peccatis, quæ à creaturis, libertate præditis, perpetrantur. Oportet ergo etiam diſtinguere inter diverſa voluntatis Divinæ objecta, ejuſque fines. Repugnat Dei ſanctitati, velle peccatum, eoque delectari, quatenus *velle* denotat peccati *approbationem* aut *delectationem*. Id etiam nemo iverit inficias. Sic contra, non poteſt non velle ſanctitatem & juſtitiam, quatenus *velle* hic denotat *approbationem* & *delectationem*. Sed id in controverſiam vocatur, an, cum ratio inculcet Deum *velle ſanctitatem*, *nolle impietatem*, recte inde inferatur, Deum *deſtinare*, ut probitas & ſanctitas exiſtat, & ab hominibus exerceatur; utque vitia & injuſtitia exulent? Extiterunt, qui tam craſſe philoſophati ſunt de Deo, & voluntatis Divinæ natura, ut putarint rem non ex animi ſententia Deo cecidiſſe, ipſumque fruſtratum, cum peccatum à creatura libera fuit perpetratum; & ita aliquid Deo inviſum accidiſſe, cum peccatum fuit perpetratum ab homine. At multis nominibus vitioſa eſt illa ſententia. Primo enim, ne apud homines quidem velle & delectari aliqua re, ſemper infert deſtinationem & deſiderium, ut res ipſa exiſtat. Sæpiuſcule enim in hujuſmodi circumſtantiis conſtituti ſumus, ut ſciamus malum evitari non poſſe; omniaque remedia fruſtra adhibitum iri, quod malum tamen non volumus, neque eo delectamur: ſed neque etiam deſideramus, ut illud malum depellatur. Neque tamen il-

lud

lud *volumus*, aut *eo delectamur*; quia repugnat rationi id velle, eoque delectari: quemadmodum etiam alienum eſt à viro ſapiente, illud malum, quod certo ſcit eventurum, & quod effugere non poteſt, depulſum velle; ſi per velle intelligas actualem mali propulſationem. Sed de his in ſuperioribus ſatis. Secundo, qui huic ſententiæ ſubſcribunt, in magna inſcitia verſantur, quoad voluntatis naturam. Sæpe enim attributa in Deo, imo virtutes, quas lex Dei ab homine requirit; ſive (ut compendio dicam) ſæpe recta ratio, tam Dei, quam hominis reſpectu, obligat naturam rationalem, non tantum ad aliquid approbandum aut improbandum; atque ita ad aliquid eo modo volendum, aut non volendum: ſed etiam ad adhibenda media, ſuâ naturâ ſufficientia ad aliquid bonum conciliandum, aut malum depellendum. Quæ tamen de actuali mali depulſione, aut boni acquiſitione ne laborat quidem; quia *ratio* eam obligat, non tantum ad approbandum bonum, & improbandum malum, ſed etiam ad adhibenda media, quæ *ſua natura*, non *noſtra deſtinatione* talia ſunt, (quod hic notari velim) ut apta ſint impetrandæ rei, de cujus impetratione tamen non laborat. Sic ratio me obligat, ut preces, admonitiones, exhortationes, & obteſtationes adhibeam, tanquam media ſuâ naturâ apta ad placandam iram proximi: quamvis certò ſciam me fruſtra fore. Ita propter rationem æternam in Deo, hoc eſt, propter attributum ſanctitatis & bonitatis, Deus adhibet res, quibus rationalis creatura in juſtitia & ſanctitate perſiſtere, & à vitio ſe temperare poſſet, ſi vellet: quæque ipſi ſufficientia media ſunt (niſi ſua ſponte illa corrumperet) ad ſe conſervandam immunem à peccato. Quæ tamen non ſunt *media ex Dei deſtinatione*; quaſi Deus illa adhiberet cum ea intentione, eumque in finem, ne homo peccet; Deusque ita deſtinatione ſua exciderit, ingratumque ipſi aliquid evenerit, quando homo in peccatum prolabitur. Talium enim rerum adhibitio, reſpectu Dei, non infert voluntatem, velleitatem, deſiderium, aut deſtinationem. Tale autem Dei officium erga homines, non oritur ex aliquo *generali* & *antecedente decreto* volendi ſervare omnes creaturas rationales: multo minus ex bonitatis attributo, quo omnium hominum ſalutem deſiderat, aut eam *antecedente voluntate* vult: ſed poſita creatura rationali, ultro in Deo illud officium ſe exerit; habens fundamentum in attributo bonitatis & ſanctitatis Divinæ; quarum cauſa Deus non tantum peccatum probare non poteſt; ſed propter quæ attributa Deus etiam ea confert, quibus rationalis creatura à vitiis ſe puram præſtare poteſt.

Quia tamen illud Dei officium circa hominem oritur ex Dei natura, & *antecedit omne decretum efficiendi aliquid infallibiliter, & efficaciter in creatura rationali*; & quia continetur ſub decreto *creandi hominem*, ita à natura comparatum eſt, ut hominis voluntate aut irritum reddi, aut in bonam frugem excreſcere poſſit; & quod officium, ea ratione conſideratum, Dei reſpectu, non recte vocatur *medium, quo aliquid deſtinat efficere*: ſed vocandum tantum expletio officii erga creaturam rationalem, quæ expletio imperatur ab attributis bonitatis & ſanctitatis Dei; quæque non complectitur voluntatem, velleitatem, aut deſiderium ulterius aliquid efficiendi. Et ideo talis officii expletio non complectitur *Dei voluntatem ſuſpenſivam* ab hominis arbitrio; neque infert vel Deum fruſtrari, vel ipſi inviſum aliquid accidere: quando nempe, homo voluntate ſua res illas non refert in bonum uſum. Non itaque ſequitur: Deus exhibet res illas creaturæ rationali, quibus ſalvetur ſi velit, ergo per illas res tanquam *medium* Deus deſtinat ſervare hominem. Neque recte procedit ratiocinatio: Deus ſcit neminem iſtis rebus bene uſurum, ſed potius eorum reatum inde auctum iri, ergo talium rerum collatio non *procedit à Dei bonitate*.

Nam,

Nam, ut dixi, tale Dei officium erga hominem, non continet voluntatem, aut deſiderium quo Deus velit, aut expetat, aut deſtinet, ut bonus iſtarum rerum uſus ab homine præſtetur. Aliud enim eſt, delectari bono iſtarum rerum uſu ab hominibus præſtito: aliud, velle iſtarum rerum legitimum uſum. Aliud eſt, delectari *exhibitione* iſtarum, tanquam re convenienti ſanctitati & amori ſuo erga genus humanum; atque ita officium illud velle, non ſolum tanquam rem bonam, ſed etiam ita velle, ut re ipſa exhibeatur: aliud, velle, ut actu ab hominibus oblatum officium referatur in bonum uſum. Aliud eſt, ex amore, quo Deus complectitur genus humanum, propenſe illi adminiſtrare illas res, quibus ſalvetur, & ita delectari ſalute generis humani; atque eo modo *velle omnium ſalutem:* aliud, velle aut deſiderare, ut reipſa omnes ſalventur. Quemadmodum etiam aliud eſt, amore aliquem complecti, & ex illius amoris impulſu ſuppeditare creaturæ rationali res & neceſſarias & ſufficientes ad comparandam ſalutem: aliud, ipſam hominis ſalutem, ut *ſcopum* & *finem* ſibi proponere. Quod inde manifeſtiſſimum eſt, quod ne quidem in ſceleratiſſimis & perditiſſimis, illud Dei officium ceſſet, aut ceſſare poſſit, quamdiu ſcilicet ut *viatores* conſiderantur. Oritur enim naturaliter & neceſſariò ex Dei attributis, & creaturæ rationalis natura: neque *actioni morali* locus ſupereſt, quando talium rerum exhibitio ceſſat.

Concedimus enim, Deum potuiſſe Adamum, & omnes ejus poſteros propter labem, peccato Adami contractam, abdicare, & ſtatui condemnationis ſubjicere; quemadmodum eam rationem iniit cum dæmonibus. Et ſtatuimus, in Chriſti merito fundatam illam gratiam, qua Deus Adamum, & ejus poſteros, ut *viatores* conſiderat, iiſque gratiâ eâ proſequitur, quæ exhibetur iis omnibus, quos Deus ſua gratia in *viatorum* numero habet. Illud Dei officium non voco *gratiam*, multo minus gratiam ſufficientem: nam quamvis ex ſanctitate Dei, & amore ejus erga genus humanum proficiſcatur, non complectitur tamen illum amoris gradum, cujus gratia ſufficiens fructus & effectus eſt. Quemadmodum officium, quod debeo proximo, me ad illum gradum amoris erga ipſum obſtringit, ut communia officia, quæ converſioni proximi conducere poſſunt, omittere non debeam; vulgarium tamen illorum beneficiorum exhibitio non meretur nomen gratiæ. Voco autem illa media *ſufficientia*; quia inter Deum & rationalem creaturam talis eſt relatio, ut Deus creaturam rationalem alio modo *moraliter* regere non poſſit, niſi ea conferat, quæ natura ſua homini ſufficiunt ad ſectandam virtutem: quæque tantum effectu carent propter malum libertatis uſum. Et niſi iſthæc media reapſe ſufficientia eſſent, ut homo poſſet, ſi vellet, iis ſibi à peccato cavere, ſanctitas & amor Dei erga creaturam rationalem talia officia non imperarent: quod enim argumentum ſanctitatis, & amoris Dei erga genus humanum ſe proderet in exhibitione talium mediorum, ſi illa ſuâ natura comparata non eſſent ad efficiendam ſanctitatem, & ad operandum hominis ſalutem, ſi modo homo iſtæc media ſua malitia non corrumperet? Præterea, *nec libertas in agendo eſſet de natura rationalis creaturæ, & actionum moralium.* Quod ſi tamen aliquis illa media gratiam vocare velit, non repugno; neque propter nominis notionem cum aliquo contentionis funem ducam: Ubi enim illa ſufficientia eſt, illic eſt libertas: ubi autem illa ſufficientia abeſt, illic libertas periit. Neque illa vulgaria *media* ideo minus *ſufficientia* vocanda ſunt, quia homo ſe eâ tantum *cavere poteſt à peccato, ſi velit;* & quia non eſt ita efficax, *quin homo voluntate ſua eam vanam reddere atque pervertere poſſit.* Nam nulla tam copioſa, tamque magna gratia eſt, quin homo, ſi velit, eam eludere poſſit, eamque pervertere, hoc eſt, homo manet ſemper *dominus*

ſuarum

ſuarum actionum: nam ſine illa voluntatis *libertate*, actio moralis non exeritur. Quod autem in quibuſdam, ſive hominibus ſive Angelis, tam copioſa Dei gratia eſt, ut eam nunquam ſint perverſuri; ſemperque ſint electuri bonum, id quidem etiam totum à Deo eſt: ita tamen ut illud *velle*, quamvis tam copioſâ (quam memoravimus) Dei gratiâ fiat, homini attribuendum ſit; & quidem ita, ut laus & gloria illi ideo debeatur; & virtutis operatio ipſi tribuatur: nempe quia *liberè* voluit, hoc eſt, ex ſe, ultrò, & ſua ſponte virtutem operatus eſt. Qui agendi modus ita ab homine eſt, eique ita ſpeciali ratione attribuitur, ut nulla tam abundans gratia ipſi conferatur, quin, reſpectu iſtius *liberæ operationis*, homo maneat dominus ſuarum actionum; & laude ideo dignus putetur. Quod inde etiam manifeſtum eſt: quia, quamquam copioſiori gratiâ Deus ipſum proſecutus eſt, non ideo minori laude dignus eſt: neque, quo promptius & expeditius ſine lucta virtuti operam dat, ideo minor laus & gloria ipſi debetur, quia determinatio voluntatis ad bonum æque libera eſt, eodemque modo ab homine proficiſcitur: & ideo gratia non imminuit libertatem actus hominis, quo actu laudem meretur. Quamvis ille, qui copioſiori gratia abutitur, gravius peccet; non, quia libertas agendi major aut minor eſt: non poteſt enim illa augeri aut minui, ſed quia negligendo gratiam oblatam, eique reluctando, plures malos voluntatis actus exerit.

Dicimus itaque, media illa generalia, quæ Deus erga omnem creaturam rationalem depromit, non ideo non ſufficientia vocanda, quia per eam homo ſibi tantum *cavere poteſt, ſi velit*. Nam, ut dixi, nulla gratia ulterius procedit: nullus enim, niſi ſua voluntate ſervatur, & nulla efficax eſt niſi per hominis voluntatem: quia nullus gratiæ effectus exiſtit, niſi per voluntatem, & in voluntate; in qua gratia non operatur, niſi homine volente. Et ſi homo vellet, etiam *per illam minorem gratiam vellet*, eodem modo, quo per *gratiam majorem*. Major enim & minor gratia in hoc non differunt, quod major penitius ſeſe inſinuet ſingulari alicui voluntatis actui; aut quod minor, ſi per eam vellemus, minus operaretur circa actum aliquem ſingularem voluntatis, quam major. Et ſi homo per gratiam minorem aliquid efficeret, non ideo plus viribus ſuis poſſet adſcribere, quam ſi majori gratia aliquid operatus fuiſſet. Quemadmodum is, qui in minori periculo verſans, perit, non minus in illo periculo ſuccumbit, quam is, qui in majori vitæ diſcrimine conſtitutus, interimitur. Qui uno argumento pertraxiſſet hominem in ſuam ſententiam, qui ſine hoc argumento nunquam illam ſententiam amplexus fuiſſet, non minus moviſſet hominis voluntatem uno illo argumento, quam is, qui pluribus argumentis utitur: quamvis poſterior plus boni & gratiæ præſtitiſſet proximo, qui, non fugiens operam adhibendi plura argumenta, quibus expugnet proximi ignorantiam, & impedimenta tollat, perſeverat in officio erga proximum. Ita major Dei gratia eſt erga peccatorum altè ſuis peccatis immerſum, & longa peccandi conſuetudine detentum, nulliſque virtutibus redemptum, & quem Deus longè diuque fert, multiſque argumentis convertit ad bonam frugem; quam erga eum, qui cor minus obduratum habens, facilius Dei motioni & exhortationi obedit.

Ut itaque redeam ad inſtitutum, hoc notandum, quod reipſa velle bonum, quatenus velle conſideratur, ut actio moralis bona, illis mediis moralibus efficitur, quæ tunc, cum re ipſa volumus, nobis præſentia experimur. Quorum mediorum moralium, ſive illa vulgaria media ſint, & manantia à ſanctitate & amore Dei generali erga genus humanum, ſive ſint effectus gratiæ Euangelicæ, & propter copiam & naturam eorum, *gratia* vocanda ſint, ea ſemper eſt natura, ut hominem libe-

liberum relinquant; quæque ideo rejicere poteſt, ſi velit. Quamvis, quo homo magis *indifferens* relinquitur ad bonum volendum, aut non volendum, eo Dei gratia in ipſo *minor* ſit: neque tamen *libertas ideo major eſt.* Longe enim differunt *libertas* & *indifferentia*: ſicut ſupra inculcavimus: Quemadmodum etiam longè differunt, *certo* aliquid facere, & non *liberè* aliquid facere. Uti etiam longè inter ſe diſtant, certo aliquid facere *per ordinationem* Dei, & per dependentiam creaturæ à creatore, & certò bonum ſemper eligere *propter abundantem menſuram gratiæ.* Quemadmodum *creaturæ dependentia* à creatore ſuo, Deique providentia certò attingens ſuum ſcopum, non tollit *libertatem*, neque *indifferentiam*, in hominibus fluxo & inconſtanti ingenio; ſic eadem providentia non ita tollit differentiam gratiæ, ut una non ſit dicenda major alia: una certò hominem diſponens ad ſemper amplectendum bonum, & ita indifferentiam circa bonum & malum, quæ *imperfectio* eſt, tollens; alia non ita certò hominem diſponens, ſed eum relinquens in majori vel minori indifferentia.

Neque ideo gratia illa non eſt vocanda *ſufficiens*, quamvis à multis corrumpatur, & quamvis Deus cognoverit eam à multis corruptum iri; ſciveritque quanto major eſſe deberet, ſi homo, reſpectu *operantis gratiæ*, certò & ſemper electurus fuiſſet bonum. Quia illa major gratiæ menſura, quæ cauſa eſt, quare quidam certò bonum volunt, non innuit, quod illa gratia, quæ *indifferentiam* non omnino tollit, non fuerit ſufficiens; & quod ſine illa majori menſura gratiæ non *potuerimus* juſtitiæ operam dare. Neque ſequitur, quod is, qui gratiâ illâ ſufficienti convertitur, minus gratiâ Dei convertitur, quam is, qui illâ gratiâ virtuti ſtudet, quâ ipſa *indifferentia* tollitur. Neque plus ſuis viribus attribuere poteſt, qui minori gratia convertitur, quam is, qui majori: ſicut ſupra expoſuimus.

Et in quo indifferentia tollitur per gratiam, is non magis *irreſiſtibiliter* convertitur, quam ille, qui minori gratia convertitur, & ſtudio virtutis nititur per gratiam Dei pervenire ad illam *indifferentiam.* Terminus enim *irreſiſtibiliter* non poteſt aptari *operationi morali*: & male confunditur gradus gratiæ tollens indifferentiam, & faciens hominem certò adhærere bono, cum operatione *irreſiſtibili Dei*, quæ tantum locum habet in rebus phyſicis; & indicat cauſam agentem viribus ſuperiorem eſſe potentiâ reſiſtendi, aut prava diſpoſitione ſubjecti, in quod illa cauſa agit: quibus omnibus locus non eſt reſpectu gratiæ operantis circa voluntatem; in qua nulla eſt reſiſtentia, aut mala diſpoſitio præter *voluntariam malitiam*; at quemadmodum, proprie loquendo, non dantur gradus libertatis voluntatis, ita voluntas per gradus non reſiſtit gratiæ, aut illi obedit.

Eſt itaque quæſtio nullius uſus, cum diſputatur, an, qui convertuntur, *reſiſtibili*, an *irreſiſtibili gratia* convertantur? Quia ille terminus aptari non poteſt operationibus Dei circa hominis voluntatem: tum etiam, quia τὸ velle illis, quos Deus ſua gratia ad illam perfectionem evehit, ut amplius indifferentes non ſint ad peccandum aut non peccandum, ad deficiendum aut non deficiendum, ad ſe convertendum per gratiam, aut non convertendum, non minus attribuendum eſt, quam iis, qui ad tantam perfectionem evecti non ſunt: & tamen gratiæ obediunt; neque minor illis laus & gloria debetur, quam illis, qui ea gratia convertuntur, quæ indifferentiam tollit, quamvis illi priores per illum gratiæ gradum ad illam perfectionem evecti ſint, per quem gradum indifferentia tollitur; & qui in ſe conſideratus propter ſuam magnitudinem certò homini ſalutem præſtat & operatur.

Et quod in his controverſiis caput rei eſt: *de nullo affirmari poteſt, quod ea gratia ad talem perfectionem, quæ indifferentiam tollit,*

tollit, evectus ſit, quæ reipſa talem ſanctitatem & perfectionem hominis menti non inſtillat, ut propter illam reipſa tam perfectus & ſanctus ſit, ut vi, & ope illius ſanctitatis ſe certo, quamvis libere, ſemper determinet ad bonum. Neque fingi debet, aliquem *certo* ſe converſurum per aliquam gratiam, quæ gradibus minor ſit; neque ſua natura hominis *indifferentiam* tollat: ſed quæ ratione prædeſtinationis aut electionis, &c. certo effectum ſuum ſit habitura: & quæ tamen gradibus & ſua natura tali effectui & operationi proportionata non ſit. Sed præterea notandum in hac controverſia de gratia, deque ejus gradibus & effectis diſtinguendum eſſe inter eventum, & cauſam illius eventus; de quibus ſupra locuti ſumus.

Quærendum itaque primo tantum eſt, an illi omnes, qui convertuntur, talem gratiam habeant, quæ ſuâ naturâ, & magnitudine illas perfectiones hominis menti inſerat, eo uſque extollat, & tantopere ſanctificet, ut in iis tollat aut indifferentiam ad repudiandam gratiam, qua convertuntur, aut ſaltem indifferentiam ad ita deflectendum ad malum, ut eo uſque perfectio & ſanctitas in iis tollatur, ut in ſanctorum, juxta præſcriptum Euangelii, numero haberi non poſſint, quod addo propter quæſtionem de perſeverantia. Secundò, an gratia ſufficienti tale præſtetur? Et ſi id gratia ſufficienti non præſtetur, an tamen illa gratia ſufficienti homines eo uſque pervenire potuiſſent? Et ſi eo pervenire poſſint, an non ideo, qui ea convertuntur, plus ſuis viribus poſſint attribuere? Et ſi illa gratia non ſit ſufficiens ad eo perveniendum, quomodo tamen ſufficiens ad ſalutem vocari poſſit?

Sed rem rectè reputando: quamvis tales quæſtiones dignæ ſint, quibus reſpondeatur, jamque earum reſponſionum fundamentum traditum ſit, nihil tamen præſidii in iis reperire poſſunt, qui electionem aut reprobationem *ex fide, aut infidelitate prævisa, ſtatuunt:* modo hoc detur, quod nos demonſtraſſe confidimus, illos, qui ea gratia convertuntur, quæ ratione ſuæ magnitudinis tollit indifferentiam ad aſpernandam ſalutem in Euangelio oblatam, non minus dicere poſſe, ſe converſionem ſuam ſua voluntate præſtitiſſe; adeoque illis non minorem laudem & gloriam deberi, (quatenus virtutis operatio, quamvis gratia Dei præſtita, illis attribuenda eſt,) quam iis, qui ea gratia non convertuntur, quæ *ratione ſuæ magnitudinis* non tollit indifferentiam. Quandoquidem operatio gratiæ Divinæ, qualiſcunque circa hominis voluntatem eſſe poſſit, id in homine non tollit, auget, aut imminuit, per quod & bonum opus hominis opus vocatur; & homo tamen, quacunque Dei gratia ſe convertat, æque magnas Deo debet gratias. Quid intereſt determinare, qua gratia ſinguli convertuntur, qui convertuntur: cum is, qui per gratiam Dei magnos in virtute progreſſus fecit, non minus gratiæ Dei attribuere debeat, & quod præceſſit, & quod ſubſequitur virtutis ſtudium, quam is, qui eò pietatis non provectus, actus virtuoſos exercet. Neque hic plus libero ſuo arbitrio, aut ſuis viribus attribuere poteſt, quando aliquod bonum opus præſtat, quamvis tam ſtabilem & firmum virtutis habitum non habeat, quam ille, qui eo virtutis habitu inſtructus eſt, qui indifferentiam tollit. Hoc ulterius non probabimus, quandoquidem id ex ſuperioribus manifeſtum eſt: idemque etiam lumine naturali hominum menti inſculptum. Nullus enim eum minori laude dignum arbitratur, qui ex virtutis habitu altè menti inſidente, virtutis via graſſatur, eô, qui cum majori lucta majorique indifferentia virtuti operam dat. Neque ullus ideo plus ſuis viribus tribuit, quod cum lucta & ambiguo prœlio victoriam contra vitium obtinuit, quam ſi potens, valens, & longe ſuperior ſine diſcrimine, aut ſine ſanguine aut ſudore, hoſtem ſub jugum miſerit. Quandoquidem & is, qui cum lucta vicit, &

qui jam antea, debellatis per gratiam Dei hoſtibus, ſine ſudore virtutis ſtadium decurrit, ambo gratia volunt & faciunt, quicquid in virtutis ſtudio ab utroque proficiſcitur.

Verum quidem eſt, Dei ſcientiam, qua fidem, converſionem, & perſeverantiam finalem illius cognoſcit, qui tanta gratia convertitur, *quæ ratione ſuæ magnitudinis tollit indifferentiam* ad reſpuendam ſalutem, duplici fundamento inniti: nempe, providentiâ generali, quâ, modo à nobis incomprehenſibili, omnes actiones creaturarum ſunt dependentes à cauſa prima: tum etiam, illius gratiæ *natura*, quâ ſublatâ indifferentiâ ad contrarium, videt illum certo ſe converſurum, quem eo gradu amoris complexus eſt, ut deſtinarit ei illam gratiæ menſuram concedere, qua indifferentia ad repudiandam ſalutem tollatur. Qui autem ea gratiæ menſura non convertitur, qua illa indifferentia tollitur, ejus converſionem Deus ſcit per providentiam illam, qua hominum malas & bonas actiones, contingentes reſpectu cauſarum ſecundarum ſcilicet, non reſpectu Dei, neceſſario eventuras cognoſcit.

Neque ex hac doctrina ſequitur, quoſdam ea ratione ex fide prævisâ ſervari, quod *ſuo arbitrio, ſuiſque viribus ſe diſtinguant ab aliis*: aut quod Dei prædeſtinatio, aut reprobatio ita pendeat à conditione, præſtanda propriis viribus liberi arbitrii. Nam, ſicut ſupra diximus, non minus gratia Dei convertitur, qui ea gratia non eſt imbutus, qua indifferentia ad aſpernandam ſalutem tollitur: neque ideo plus attribueretur libero arbitrio, ſi ſtatuatur quoſdam converti gratia jam dicta. Quod ſi per *prædeſtinationem ex fide, aut infidelitate prævisâ*, nihil aliud intelligatur, quam homines quoſdam, reſpectu cauſarum ſecundarum indifferentes eſſe in amplectenda & rejicienda ſalute; Deumque non ante ad ſalutem aut mortem illos deſtinaſſe, quam illam indifferentiam actuali converſione aut improbitate ſuſtulerint, non video quid in illa doctrina culpandum eſſet: *poſito, quod illa indifferentia in iis, qui deſtinantur ad ſalutem, gratia Dei tollatur*; atque ita non minus gratia Dei ſalvantur, quam illi, quibus magnitudine gratiæ illa indifferentia tollitur. Et quod illi, qui deſtinantur ad mortem, ſuis vitiis ſibi interitum paravêre.

Jamque liquet, quid commodè ad tres illas ſuperiores quæſtiones reſponderi poſſit. Non puto cuiquam dubium eſſe poſſe, quin Deus multos eo amore complectatur, ut iis eam gratiæ magnitudinem largiatur, qua aut tollatur, ſi ſint homines peccato infecti, indifferentia ad reſpuendam gratiam converſionis; (quam gratiam quidem termino admodum improprio *irreſiſtibilem* vocant) aut ſi à peccato immunes ſunt, tollatur indifferentia ad peccandum. Poſterius ego de Chriſto ſine ulla animi hæſitatione credo: prius de Apoſtolis. An etiam de aliis, imo de omnibus, qui ſalvantur, id ſtatuendum ſit, id examinandum eſt ex Scriptura; & videndum, an tales Scripturæ textus exſtent de iis, quos Scriptura ſalvatos aut ſalvandos eſſe declarat, quales de Apoſtolis. Quodcunque ex Scriptura dicendum appareat perinde eſt: neque noſtris fundamentis repugnabit. Nam ſive tam magnâ gratiâ convertantur, qui ſalvantur, ut indifferentia tollatur, quæque communiter irreſiſtibilis vocatur, ſed male; ſive eâ, quæ hominem, reſpectu iſtius gratiæ, indifferentem relinquit, unus non minus quam alter gratia Dei ſalvatur. Et quamvis una gratia major ſit quam altera, una tamen non eſt minus ſufficiens quam altera. *Neque major gratia, gradu illo quo major dicitur, tollit aliquid in homine, quod gratia ſufficienti non tollitur.* Nam qui actu convertuntur, in iis re ipſa indifferentia tollitur: & gratia atque voluntas tunc in ambobus eodem modo & ſimiliter ſe habent.

Priuſquam ab hoc capite diſcedam, operæ pretium erit amoliri aliquam objectio-

jectionem; & ita tollere ſcrupulum, qui multis oriri poſſet, propterea quod in ſuperioribus dixi, quod illa Dei benignitas, quæ verſatur circa omnes creaturas rationales; & quæ oritur ex eſſentiali Dei attributo ſanctitatis & bonitatis, & ſimul ex natura hominis; & quam dixi antecedere omne decretum efficiendi aliquid infallibiliter, & efficaciter in creatura rationali, quod, inquam, illa benignitas poteſt per hominis voluntatem eludi, aut ei cacem reddi, quaſi libero arbitrio attribuerem, quod gratia Dei in uno ſit efficax, in alio non: à qua ſententia planè alienus ſum. Animadvertere itaque lector debet, me hujuſmodi loquendi modo uſum, quando ſermonem inſtitui de attributo bonitatis Dei, per quod naſcitur inter Deum & creaturam rationalem illa relatio, ut poſita hominis creatione, Deus non per novum aliquod decretum decernat illi aliquam gratiæ menſuram largiri, ſed ad hominis & Dei naturam ultrò ſequitur, ut Deus homini propitius eſſe, eique benigne facere velit: & quia noſtro conſiderandi modo, illa benignitas Dei erga creaturam rationalem antecedit omne decretum; & quod ideo conſideranda non ſit ut certum finem habens.(cui tantum per decretum locus eſt) ideo illa benignitas conſideranda in genere, ut homini ea præbens & largiens, quibus ſervare & beatus eſſe poſſit: quæ benignitas, cum communis ſit, & erga totum genus humanum æqualis; (quia conſideratur ut orta à natura Dei, ejuſque attributo bonitatis) neque ſit effectus ſpecialis benevolentiæ Dei erga certas aliquot creaturas, ideo illa generalis eſt, & per hominis liberum arbitrium determinatur. Neque video, quid abſurdi complecteretur illa doctrina, (de qua tamen in præſentia nihil definio) quæ profiteretur primos noſtros parentes iſtius benignitatis fuiſſe factos participes; & in eorum poteſtate fuiſſe illam Dei benignitatem aut efficacem aut inefficacem reddere.

Caput VII.

Summam eorum continens, quæ in præcedentibus dicta ſunt.

Quæ hactenus ſparſim dicta ſunt, nunc contraham in compendium, ut uno intuitu conſpici poſſint. Voluntatem liberam eſſe, res ex ſe nota eſt. Sicut etiam notum eſt, quod agit *dependenter* à ſummo ente: quamvis modus, quo Deus agit atque operatur circa voluntatem, & in voluntate, nobis ignotus & incomprehenſibilis ſit. Id tamen certum, quod ad *illum modum* explicandum peti non debent ſimilitudines & rationes à motu, quo mens ſpiritus & membra movet. Deinde quod peccare poſſumus, *imperfectio* eſt, ſive *negatio* majoris perfectionis. Eſt adhuc majoris perfectionis negatio, imo imperfectio eſt, & quæ nos Deo inviſos reddit, ad malum majorem quam ad bonum inclinationem habere; illique inclinationi ſæpius, quam huic, quæ ad bonum ducit, obſequi. Illud malum poſſe reparari ſtudio virtutis, quemadmodum vitiorum uſu majus redditur, etiam certum eſt. Quemadmodum & illud: in illa inclinatione voluntatem tamen ſemper manere *liberam*, & poſſe *tam facile*, quia nullum impedimentum præter voluntarium, obſtat, bonum eligere, quam ante: quamvis *ſemper voluntariè* iſti malæ inclinationi obſequatur; eaque ratione, à nobis incomprehenſibili, voluntatem malum potius quam bonum faciat eligere. Quemadmodum itaque *libertas voluntatis* ſemper manet *eadem*, ita etiam manet ſemper *potentia reparandi illam infirmitatem*: & quemadmodum illa libertas nunquam *major* aut *minor* eſt, ita illa *potentia nunquam augetur aut minuitur*.

Hoc fundamento innituntur omnes admonitiones, exhortationes, comminationes, &c. quibus locus eſſe non poteſt,

teſt, ſi illa potentia non maneret: nam quamvis rectè debitorem monere poſſim, ut ſolvat, qui ſolvendo non eſt; non rectè tamen debiti ſummam augere poſſum, quoties admonitus ſolutionem non præſtat: quod tamen in admonitionibus, & exhortationibus ſupradictis locum habet; ibi enim, quando dicto audientes non ſumus, debitum augetur, quia cum poſſumus, noluimus tamen: prætereo adhuc alia, quibus ſponte judicamus aliam rationem eflagitatoris debiti, aliam Rectoris Dei. Verbi gratia, quod ſolutio debiti non ſit actio moralis, quemadmodum obedientia erga legem: & debitum pecuniarium longe differat à reatu & debito pœnali, &c.

At quemadmodum major inclinatio ad malum ita voluntatem afficit, ut potius voluntariè ad malum propendeat, quam ad bonum; ita poſitivâ aliqua re affici poteſt voluntas, quâ potius bonum quam malum eligit. Qui mentem ſuam illa bona diſpoſitione, aut habitu non ſentit imbutam, is experitur ſe ad bonum ineptum, & pronum ad ſectandum malum; videtque ſibi neceſſarium eſſe adniti, ut illam diſpoſitionem acquirat, ſi vir probus evadere velit.

Videt autem ſe illam diſpoſitionem adipiſci non poſſe, niſi *libertate* voluntatis ſuæ utens, omni cura, ſtudio & conatu virtuti ſeſe tradat. At cum ſuæ infirmitatis conſcius experiatur, ſe ſuis vitiis ſuperatum, potius in malo quam in bono progreſſus facturum, ſi ſuo Marte negotium ſuæ converſionis exequi vellet, videt ſibi neceſſe eſſe confugere ad gratiam & opem Dei. Modum autem, quo Deus auxiliatur voluntati, agnoſcit ſibi incomprehenſibilem eſſe: attamen ex conſcientia ſuæ infirmitatis ſcit, Dei *ope* & *gratia fieri*, quod bonum velit. Et quemadmodum ſe Dei gratiâ bonum operari intelligit, *ita ſibi intimè conſcius eſt, ſe tamen illud bonum operari, & ideo ſe laude dignum; ſibique meritò gratulari, quod bonum operatus ſit: & quod per gratiam Dei, ſæpius operando bene, bonum habitum acquiſiverit.* Quamvis gloriari non poſſit, ſe ſuis viribus tantum rem præſtitiſſe.

Et quamvis modum, quo Deus operatur circa ſuam voluntatem in opere converſionis, non intelligat, id tamen experiendo novit, ſe bonum velle & ſectari, propter rationes juſtas & æquas, quibus voluntas *moraliter* movetur: ſub quibus rationibus juſtis & æquis comprehendo modum agendi Dei, quo moraliter immediatè afficit voluntatem, quando homo ſe convertit; atque ita intelligit voluntatem longe aliter dependenter à Deo agere, cum ſe convertit, & ſe ſtudio virtutis dat, quam cum ut cauſa ſecunda in ſuis operationibus, *phyſicè* conſideratis, à quibus ipſa peccata excludi non debent, ab ipſo Deo dependet. Quoties autem talia menti obverſantur, aut occaſiones præbentur, quibus in mente verſari poſſunt talia cogitata, propter quæ tanquam propter rationes juſtas & æquas, voluntas bonum vult: & illa præterea talia ſunt, ut nos, noſtræ infirmitatis conſcii, illa non niſi favore & gratia Dei habere poſſumus; id vocatur *fieri per gratiam*. Et quia noſtra conſcientia nos convincit, non tantum per nos ſtetiſſe, quod bonum non fecimus, (quod etiam experimur, cum nos Deus in ſtatu naturæ relinquit,) ſed etiam illa ampliſſima auxilia, quibus voluntas ad volendum bonum prona reddi atque moveri debebat, & à Deo oblata, & à nobis repudiata eſſe; ideo illa oblatio auxiliorum vocatur *gratia*, & *gratia ſufficiens*. Eſtque illa gratuita oblatio eo major vel minor æſtimanda, quo, juxta conſuetum & moralem agendi Dei modum, & juxta moralem mentis noſtræ diſpoſitionem, longius vel propius abeſſe conſideramur ad participandam illam oblationem auxiliorum; conſentaneum doctrinæ Chriſti, qua docet alios propius, alios longius abeſſe à regno cœlorum; & alios homines facilius, alios contumacius parentes;

tes. Neque eſt quicquam vulgatius in Sacra Scriptura, quam Deum operari in hominibus juxta diſpoſitionem, quam reperit in ipſis; & à qua diſpoſitione Scriptura teſtatur effectum, aut applicationem virtutis Dei dependere, *Luc.* 10:6. *Matth.* 9:2. & 9:28. 10:11. & 13:58. & 15:15. 20. & 21:21. *Luc.* 5:17. Vel etiam quatenus vehementius voluntatem affecerit; vel potius, quatenus inſigniter gratiam illam nobis præſentem fuiſſe, experti ſumus, & nos tamen eam repudiavimus. At cum actu nos convertimus, & virtutis ſtudio nos damus, aut opus aliquod bonum exequimur, non experimur in nobis, nos novis mediis, præter ea, quæ gratia ſufficienti continentur, opus bonum feciſſe: infirmitatem tamen & pravitatem noſtræ animæ ſcientes, cognoſcimus non minus gratiæ attribuendum eſſe, quod bonum elegimus, quam quod gratiam, qua potuimus velle, nobis largitus eſt. Neque minorem rationem habemus dicendi, nos gratia Dei re ipſa velle & eligere bonum, quam quod gratiam Dei ſufficientem, quam repudiavimus, neque in uſum bonum retulimus, habuimus, nobiſque oblata fuit. Et utrumque ex æquo verum eſt, tam propter Scripturæ teſtimonium, quam propter mentis conſcientiam, nos gratia Dei reipſa velle, & eligere bonum; & illis, qui pereunt, gratiam ſufficientem oblatam eſſe, ſed illam ſe repuliſſe.

At quamvis modum, quo Deus per gratiam ſuam nos facit *velle bonum*, ignoremus: quemadmodum ignoramus rationem, qua nos facit ſimpliciter *velle*, id tamen lumine naturali notum eſt, modum, quo Deus noſtram voluntatem afficit, cum bonum vult, non conferendum cum aliqua vi, efficacia, potentia, &c. qua res phyſicè moventur: quia hujuſmodi conceptibus natura voluntatis & libertatis nullum locum facit: quia voluntas ſemper æque libera manet. Et ideo modi loquendi, quibus homo dicitur eſſe in *potentia proxima* ad bonum operandum, & quibus gratia Dei vocatur *efficax*, *&c.* ſunt improprii & vitioſi; quique nos in errores inducunt. Non enim convenit dicere voluntatem eſſe in *potentia proxima* aut *remota*, cum ſemper ſit in eadem potentia. Et terminus *efficax* videtur inferre vim quandam & efficaciam, qua voluntas movetur ad volendum bonum. Et, quod omnium peſſimum eſt, maximumque errorem involvit, gratia efficax infert ex eorum doctorum ſententia, qui eo termino utuntur, *talem* majorem gradum gratiæ, *qui tollit aliquid, quod gratia ſufficienti tolli non potuit:* quod jam ſupra refutavimus. Quæ ſententia ſi obtineat, tunc gratia ſufficiens revera non eſt gratia, nec ullum benignitatis Dei argumentum in ea gratia elucet; non magis quam favor Dei ſe prodit in eo, quod ictu ſclopeti in India exploſi, non interierim: nam juxta doctorum illorum ſententiam, gratia ſufficiens in ſe conſiderata, non magis erat comparata ad hominem ad bonam frugem convertendum, quam ictus ſclopeti in India exploſi, ad me interficiendum. Concedimus quidem gratiam ut majorem vel minorem poſſe vocari, quemadmodum pericula ut majora vel minora conſiderari poſſunt. Statuimus tamen de ratione formali gratiæ ſufficientis eſſe, quod ſit ad nos convertendum ſufficiens; ita ut illi ad hoc efficiendum nihil deſit: & qui ea non convertuntur, non ideo ea non convertuntur, quia caruit aliquo efficaciæ *gradu*, qui requiritur, ut homines reipſa convertantur, ſed non convertuntur, quia non voluerunt ſe convertere; nec defuit illi gratiæ ille *gradus* efficaciæ & virtutis, ſine quo homo non *poteſt* velle, nam tum illa gratia non mereretur nomen gratiæ; non magis quam medicina digna eſt nomine medicinæ ſalutaris, ſi illa caret vi, quo morbus poſſit depelli. Nec ſequitur illam gratiam non eſſe ſufficientem ad operandum in nobis regenerationem, quia potuiſſet adhiberi major gratia, qua homo voluiſſet efficaciter ſuam con-

converſionem; ſed ſufficit, ad tuendum ſufficientiam gratiæ, quod etiam homo per illam potuiſſet voluiſſe efficaciter ſuam converſionem, & quod illam gratiam tam præſentem habuit, ut fingi non liceat, illi aliquid defuiſſe, quare homo reipſa non voluerit: quia ad ipſum velle non requiritur novus gratiæ *gradus* aut menſura, quaſi illa nova gratiæ menſura voluntatem *non volentem* faceret *volentem*; ita ut voluntas concipiatur, ut quæ ſe paſſive in initio converſionis habeat, reſpectu gratiæ, qua reipſa voluntas bonum vult. Qui ea ratione rem conſiderat, in alterutrum neceſſariò abſurdum prolabitur, ut volens conſervare libertatem voluntatis, aliquid gratiæ detrahat; aut volens gratiæ dare, quod illi proprium eſſe putat, voluntatis naturam deſtruat: & ideo ego exiſtimo præcipuas controverſias de gratia, & quæ tantopere Chriſtianiſmum exercent, natas ex diverſis conceptibus hominum, quos de natura voluntatis, ejuſque operationis modo, & ſimul de gratiæ natura, ejuſque agendi ratione, formarunt; ideoque Philoſophicas potius quam Theologicas eſſe quæſtiones: rem facile potuiſſe convenire, ſi ſepoſitis hujuſmodi Philoſophicis quæſtionibus, quæ complectuntur dubia & obſcura de modo & ratione operationis gratiæ circa voluntatem, & de ratione agendi voluntatis, quando gratiæ paret, aut illi reſiſtit, Chriſtianus orbis contentus fuiſſet cum ſimplici & Theologica illa fide de gratia, qua creditur nos ſine Dei gratia nihil boni poſſe facere & velle; tum vulgari, in qua omnes conveniunt, cognitione de natura voluntatis, quod nunquam cogi, aut ſeſe paſſive, reſpectu alicujus operationis externæ, habere poſſit: & ea cautio adhiberetur, ne ea quæ clariſſima ſunt, & quorum intimam conſcientiam habemus, nobis eripi ſinamus; qualia ſunt I. Nos potuiſſe obedire gratiæ Dei, quam in nobis experti ſumus, & cui volentes obſequi noluimus. II. Nos, cum bonum operamur, id Dei gratia facere, quia ita conſcii ſumus noſtræ pravitatis, ut ſentiamus nos ea continuo impelli ad malum.

Et hæc, ut dixi, ideo inculcamus, ne res per ſe notas mala pravaque ratiocinatione, atque judicio perverſo, obſcuremus; & ne per modum explicandi rem manifeſtam, nos in infinitas difficultates induamus: & ſupra omnia caveamus, ne modum, quo res aliqua peragitur, explicemus conceptibus aut exemplis petitis à rebus, quæ naturam diverſam habent ab ea re, de cujus agendi modo laboratur, & diſquiſitio inſtituitur: ſimulque id meminerimus, ne ſuper illis rebus, diſputationibus nos fatigemus, quas infinitas, ideoque talem earum naturam eſſe intelligimus, ut à nobis comprehendi non poſſint. Quod ſi hæc religioſe fuiſſent obſervata, jam obſoleviſſent omnes illæ diſputationes de *gratia* & *libero arbitrio*: cum, quia modus agendi, quo Deus, quatenus primum & ſummum ens eſt, agit operaturque circa noſtram voluntatem, infinitus eſt: & qui ideo nullis conceptibus, aut ab iis, quæ in nobis ſunt, depromptis, aut aliunde mutuatis, exprimi poteſt: tum etiam, quia omnes diſputationes, quæ de his rebus habentur, & Chriſtianiſmum in partes deducunt, ſpectant hominum conceptus, quos deſumpſerunt à rebus natura longe diſſitis ab iis, quæ in quæſtionem veniunt. Nam hi termini v. gr. *præcurſus*, *prædeterminatio*, *concurſus*, *ſimultaneus egreſſus*, *gratia efficax*, *potentia ſe convertendi proxima*, *remota*; *& quod homo in primo regenerationis momento ſe habet tantum paſſivè, vel etiam activè*, *major & minor gratia*, quando de ea gratia, quâ nos convertimus, agitur, quid aliud exprimunt, quam conceptus depromptos ab operandi modo, quo unum corpus aliud corpus, aut quo ſpiritus corpus movet: cujus ideam mutuati ſumus à ratione illa, qua mens corpus & ſpiritus noſtros movet. Cum peti deberent à modo operandi, quo ſpi-

ſpiritus infinitus movet non corpus, ſed voluntatem finitam, quorum amborum natura tam diverſa eſt à ſpiritu finito, & à corpore, ut nihil commune habeant. Quid *præcurſus* & *prædeterminatio?* Nonne inferunt voluntatem *paſſive* ſe habentem primo momento converſionis: cum tamen nihil novimus ſe *paſſive* habere, quam corpus, cum primum ab alio, ſive ſpiritu ſive corpore movetur. Eſtque ille conceptus de *præcurſu* & *prædeterminatione*, deſumptus à re corporali, & perperam applicatus voluntati, quæ nihil omnino commune habet cum corpore. Ex adverſo conceptus de *ſimultaneo egreſſu*, non quidem videtur deſumptus à modo, quo corpora moventur, quorum nulla concipimus ſua ſponte moveri: ſed ille conceptus dependentiam creaturæ à ſuo creatore tollit; & veritatem manifeſtam, nempe quod à ſummè perfecto ente omnia dependeant, etiam in ſuis operationibus, mala ratiocinatione corrumpit: quia conciliare volumus libertatem hominis cum illa ipſius dependentia à Deo. Quod eſt velle rem infinitam comprehendere.

Gratia ſufficiens apud omnes ferme denotat gratiam quandam, quæ non *attingit actualem volitionem*, niſi voluntas *ſuis viribus* ſibi eam aſſumpſerit; attribuitque ita præcipuam converſionis partem hominis libero arbitrio: quam doctrinam nullo modo approbamus. Non tamen repudiamus terminum *gratiæ ſufficientis* alio ſenſu ſumptum, de quo in ſuperioribus. *Gratia efficax* non minores poſt ſe trahit difficultates: nam infert ex Doctorum ſententia, qui ea phraſi utuntur, gradum gratiæ ſufficienti ſuperadditum; & qui ſufficienti deeſt: & per quam gratiam ſufficientem ſe nemo ideo convertere poteſt. *Potentia proxima & remota voluntati* applicari non poteſt; quæ cum ſemper æque libera ſit, & ideo ſemper æque facile velit, quod vult, potentiæ conceptus hoc ſenſu voluntati non quadrat. Quid de *majori* & *minori gratia* ſtatuendum ſit, jam diximus.

Caput VIII.

Epilogus.

Primò ponimus Deum eſſe ens ſumme perfectum: atque adeo ſanctum, juſtum, bonum, beatum, à quo omnia dependent, & quod ſunt, & quod operantur: ipſum virtute delectari, vitiis offendi, eaque odiſſe; nullis tamen affectibus aut paſſionibus duci: affectuum itaque nomina, quando Deo aptantur, tantum inter Deum & hominem ſcheſin, & relationem, & effecta, quæ talem ſcheſin & relationem ſequi ſolent, denotare: peccati itaque immunitatem conſtituere hominem Deo gratum & acceptum; fierique ut propterea homo experiatur erga ſe effecta Divini amoris: peccati perpetrationem conſtituere eum ſub reatu, & obnoxium iis pœnis, quas juſtitia Dei flagitat; niſi pœnitentia commiſſa peccata eluat. Ex illo Dei amore erga virtutem, & erga homines, à labe peccati immunes, & virtuti operam dantes, ſtatuimus naſci hos effectus, quaſi promanantes ex Dei natura, & hominis innocentis ſtatu. Primo, quod Deus nihil decernat, quo, tanquam medio, proprie ſic dicto, hominis innocentis lapſus aut peccatum eveniat. Secundo, Deum facultatem homini largiri, qua virtuti ſe tradere, & vitium fugere poteſt. Quo pertinet etiam, legem proponere, pœnis à vitio abſterrere, & præmiis ad virtutis ſtudium incitare: invitare, hortari, admonere, ut virtutis viâ graſſentur, & ita beatitudinem conſequantur. Deum velle ſalutem illorum omnium hominum. circa quos illa præſtat, quæ proxime recenſuimus: tum, quia Deus neminem, cui ea depromit, deſtinat ad mortem, nec ulla media ex ſua deſtinatione diſponit, quibus reatus illius augeatur: tum etiam, quia illa ſua natura ita comparata ſunt, ut ſine iis virtutis ſtudium exeri, & beatitudo obtineri non poſſit: & (quod notan-

dum eſt) cum virtutis ſtudium exeritur, & beatitudo obtinetur, iis exeratur & obtineatur. Præterquam, quod Deus illa omnia homini ut effecta ſuæ bonitatis & ſanctitatis, depromit, tanquam naturæ ſuæ convenientia. Neque repugnat, aut ideò minus rectè dicitur, Deum velle illorum ſalutem, quibus illa media adminiſtrat, quamvis actu non convertantur: quandoquidem in ſenſu morali & vero, rectè Magiſtratus velle dicitur civium felicem ſtatum & probitatem, cum ea iis *ex animo* adminiſtrat, quæ eo ducant; quamvis certo ſciat, ſingulos cives à ſingulis vitiis non temperaturos. Non itaque quærendum, quo fine Deus illa media adminiſtrat iis, qui pereunt? Si non ut ſalventur, quomodo dicitur velle ſalutem eorum? Reſpondemus enim, ea proficiſci à Dei attributis, & hominis ſtatu, atque natura voluntatis ejuſdem: atque ita præter rationem de *ordinatione*, *fine*, *ſcopo*, *intentione*, quæſtionem inſtitui, cum huc uſque voluntas Dei locum hic nondum habeat. Quod autem Deus peccatum impedire noluit, cum potuit, ideo non recte dicitur, Deum peccatum *voluiſſe*, aut *ordinaſſe* ut fieret. Multo minus decretum permittendi lapſus, *medium morale* dici debet, ad faciendum, ut peccati perpetratio exiſteret: non magis, quam decretum non tradendi aut donandi furi bona illa, in quæ imminet, medium aut cauſa dici poteſt, quod furtum perpetratur.

Præterea, cum peccatum ſit malum, *& privatio perfectionis debitæ ineſſe*, à Deo ſuam naturam non habet: quandoquidem tantum omne id, quod bonum & verum eſt, à Deo liberè eſt ordinatum. Et ideo dicimus peccatum cauſam poſitivam non requirere; & tamen ſine *voluntate*, aut *libertate*, quod eodem redit, eſſe non poſſe: eſt enim privatio moralis, quæ rei poſitivæ adhæret. Prærequirit itaque naturam liberam & finitam: quamvis formalis peccati ratio conſiſtat in abuſu libertatis iſtius. Quem abuſum ex aſſe ex nobis & à nobis eſſe certum, notum, & lumine naturali in conſcientia ſeu mente noſtra fulgente, tam manifeſtum eſt, ut nihil clarius & diſtinctius cognoſcamus. Deus itaque ordinans naturam liberam & finitam, ea quidem ratione fecit peccatum eſſe poſſibile: quatenus natura libera & finita eſt cauſa ſine qua non. Minori enim perfectionis gradu in creatura libera, factum eſt, *ut talis creatura poſſit velle peccatum*. At vera cauſa, cujus reſpectu peccatum poſſibile eſt, eſt ea, qua actu fit, perpetratur, & exiſtit. Nempe ille *liber & ſpontaneus abuſus libertatis*, qui ab homine eſt.

Ponimus itaque Deum peccatum, aut lapſum primi hominis non ordinaſſe, ſed hominis lapſum, tanquam *per accidens* ſecutum eſſe ad omnia illa officia, ex attributo amoris & ſanctitatis Dei fluentia, quæ Deus homini præſtitit. Vocamus id factum & ſecutum *per accidens*, quod Deus quidem certo vidit futurum; ſed quod futuritionis ſuæ fundamentum non habet in ordinatione, aut potentia Dei, ſed in malo hominis voluntatis uſu. Et ideo nunquam in ſubordinatione cauſarum moralium, id quod per accidens ſequitur, tanquam medium, & ut deſtinatum à cauſa libera & provida conſiderari debet: ſed in hoc fit ſemper ſubordinationis finis & terminus: ſed hoc, quod per accidens ſequitur, & ab hominis libertatis malo uſu oritur, & qui ſibi ita ordinem occupat, poſito, tunc nova cauſarum moralium ſubordinatio inde inchoari debet. Et ab hoc dependet totus decretorum ordo, eorumque ratio.

Deus itaque decernens creare hominem, eodem decreto ſtatuit ea omnia facere, quæ natura hominis, & propria ſua natura, atque attributa poſtulant, ut circa naturam liberâm & innocentem fiant. Inter quæ ſunt, ut alia omittam, quæ hic recenſere non attinet: præſtatio officiorum amoris debiti creaturæ rationali & inno-

innocenti: gubernatio per legem, additis præmii ſpe, & metu pœnæ. Si quæras, in quem finem Deus creaverit naturam humanam; eaque, quæ recenſuimus, illi præſtare voluerit? Reſpondeo, hæc finem ſuum non habere, niſi multa intercedant, quæ *per accidens* hæc priora ſequuntur: unde tunc Deus, noſtro conſiderandi modo, ad alia decreta pergit, & ex hominum malo & peccato elicit, quod ſibi conveniens eſſe exiſtimat; tandemque producitur illa diſpenſatio, quam in gubernatione mundi, & opere ſalutis, & condemnatione improborum, cernere licet. Non itaque quærendum, creaveritne Deus hominem, ut ſancte beateque viveret? Aut, an potius decreverit permiſſionem lapſus, tanquam *medium*, ut inde pergeret ad opus redemptionis; & occaſionem haberet exercendæ ſuæ juſtitiæ & miſericordiæ? Nam ineptæ ſunt illæ quæſtiones. Non decet enim quæſtionem inſtituere de voluntatis objecto, & fine intento in opere, quod finem ſuum habere non poteſt, niſi multa intercedant, quæ per accidens priora, per ſe ordinata & volita, ſequuntur.

Caput IX.

Revocantur ad examen argumenta, & modi loquendi quorundam, qui de prædeſtinatione & gratia diſputarunt.

Nunc, ut methodus noſtra tradendi doctrinam de prædeſtinatione & gratia, magis magiſque in aperto ſit, dicam, quid ſentiam de argumentis & loquendi modis, qui in ſcriptis eorum, qui hanc controverſiam pertractarunt, reperiuntur; & ex principiis noſtris traditis liquebit, quare quoſdam rejiciam, alios approbem.

Rejicio itaque primo, hos loquendi modos, qui reperiuntur in ſcriptis eorum, qui tuentur inter Theologos *gratiam univerſalem*.

Quod Deus *aliquo modo voluit*, ut illi actu & reipſa ſalventur, qui pereunt.

Conditio, ſub qua redemptio applicanda erat, ita non erat impræſtabilis, ut Deum adducere non debuit, vel potuit, ne *conſilium redemptionis pro omnibus ſuſciperet*.

Deum aliquid aliquo modo velle ut exiſtat, quod tamen non fiat.

Quod Deus quædam *vult*, quæ juſtiſſima de cauſa non *vult efficere*.

Cum negant, Deum nihil agere, aut *decreviſſe ſe acturum*, quo ea fierent, quæ aliter *futura certò* norat.

Quædam, quæ Deus vult, *carent eventu*.

Latius patet *velle*, quam *delectari*: volo hauſtum medicamenti, non tamen delector.

Redemptio facta fuit, *ut* applicetur omnibus.

Non poſſumus autem tales loquendi modos approbare; quia ex illorum Doctorum ſententia, *velle*, & *aliquo modo velle*, & *facere ut aliquid fiat*, *&c.* ſignificat Deum aliquam propenſionem, velleitatem, deſiderium, &c. habere ad rem illam, quam tamen aliter eventuram certò norat. Nec ſatis diſtinguunt inter objecta formalia ſingulorum actuum voluntatis. Qui vult medicinam, delectatur ea, quatenus eſt medium recuperandæ ſalutis: quod ſi aliqua medicina guſtui grata non eſt, tunc ipſam medicinam non vult; quia voluntas non acquieſcit in ipſa medicina, ſibique in ea placet. Quod ſi per velle nihil aliud intelligerent, quam quod inter Deum & rem, quam Deum velle dicunt, talis ſcheſis atque relatio ſit, ut propter bonitatem & clementiam ſuam, media ſufficientia ſuppeditarit, quibus res illa ab hominibus obtineri poſſit, niſi per abuſum ſuæ libertatis illa ipſi corrumperent; & quod nihil deſtinaverit tamquam *medium*, quo illa res obtineri non poſſit:

 non

non video quid culpandum eſſet in ea doctrina. Quandoquidem cum omni candore & veritate, recte & propriiſſime loquendo, dicitur is velle proximi amicitiam, qui ex vero amore ea adhibet, quæ conciliandæ amicitiæ conducunt; & qui nullam rem, tanquam *medium*, vult, quâ amicitia dirimatur: quamvis ſummo amore illum non complectatur: & quamvis ea velit, ad quæ certo prævidet per accidens ſequuturam proximi iram & excandeſcentiam.

Ita exiſtimo Doctrinam Theologorum in Belgio, qua negant *gratiam & redemptionem univerſalem*, cum Dei candore & ſinceritate conſiſtere non poſſe: neque eam conciliari poſſe cum ſequentibus loquendi modis ex Scriptura petitis.

Quando Deus jurat ſe nolle mortem peccatoris.

Teſtatur ſe tantopere dilexiſſe mundum, ut Filium unigenitum miſerit, &c.

Quod vult omnium miſereri.

Quod non vult ut ullus pereat.

Quod annunciat omnibus hominibus, ut reſipiſcant.

Quod ſe longanimum erga omnes oſtendit.

Quod ſe declarat ſervatorem omnium hominum, maximè vero fidelium.

Quod Chriſtus venerit in mundum, non ut mundum condemnet, ſed ut ſervet eum.

Quod Deus vult omnes venire ad cognitionem veritatis.

Quod teſtatur ſe voluiſſe congregare Iſraëlem. Et quæ ſunt hujuſmodi infinita Scripturæ teſtimonia.

Hæc Scripturæ dicta exiſtimo conciliari non poſſe cum dictorum Theologorum doctrina; quia ex illorum Doctorum ſententia, Deus non tantum non omnibus media ſufficientia ſuppeditavit, quibus ſalus obtineri poſſit; nihilque tamquam *medium* ordinavit, quo acquiſitio ſalutis fiat: ſed etiam Deus, ex illorum ſententia, deſtinavit permiſſionem lapſus, & infidelitatis tamquam *medium*, quo peccatum fiat, & reatus augeatur. Quæ doctrina, ſi locis Scripturæ jam citatis ſua ſtet veritas, nullo modo cum Dei candore & ſinceritate, atque veritate conciliari poteſt.

Quod ſi ſuâ doctrinâ hoc tantum vellent, Deum nunquam *voluiſſe*, aut *deſideraſſe ullo modo*, ut omnium ſalus, aut converſio *reipſa* exiſteret; nihilque Deum unquam *fruſtra velle*, toto pectore illam doctrinam amplectimur.

Sic probare non poſſum quorundam Theologorum Gallorum argumentandi modum, quo urgere volunt eos fratres Reformatos, qui gratiam univerſalem negant: improbo itaque illum argumentandi modum, quando argumentantur a ſincera Dei invitatione, qua omnes homines invitantur, ad deſtinationem ipſam, qua Deus *aliquo* modo omnibus deſtinavit ſalutem: cumque dicunt,

Quod fruſtra redemptio *offertur*, quibus *deſtinata* non eſt.

Importunum eſt, media ad ſalutem conducibilia, per totum vitæ curriculum identidem offerre, quibus tamen ſalutem, etſi mediis illis uterentur, negare decreviſti.

Deus, cum omnibus redemptionem impetravit, *finem* habuit, *ut* omnibus applicaretur.

Quamobrem, & quo animo illi vocantur, quorum ſalutem Deus *non vult*?

Quare Deus non *vellet*, quod ipſi *gratum eſt*?

Ipſa Synodus Dordracena declarat, Deum ſerio oſtendere, ſibi gratum eſſe, ut invitati ad ſe veniant.

Rejicio itaque illum modum argumentandi, neque ullam vim in illo eſſe arbitror: quia ſupra ſæpius inculcavimus, de Deo recte dici, quod *velit* aliquid, quod *ut fieret*, tamen reipſa non decrevit, deſtinavit, aut aliquo modo voluit. Deinde, aliud eſt velle, & tanquam rem bonam probare, & ut naturæ ſuæ convenientem

lau-

laudare, eaque delectari: aliud, velle, ut *reipſa* res illa per hunc aut illum fiat. Virtus & fides ſemper Deo grata eſt, quemadmodum homini probo amicitia proximi; ſed inde non ſequitur, Deum velle aut *omnino* aut *aliquo modo*, ut hic aut ille reipſa credat: tunc enim Deus id non voluiſſet, ad quod per accidens ſequuturum vidit hujus aut illius peccatum. Quemadmodum non ſequitur, hominem probum ideo velle, ut amicitia *reipſa* colatur à proximo, quamvis probet tanquam rem æquam & juſtam, ab omnibus amicitiam coli. Qui expetit, vult, & deſiderat, ut amicitia reipſa colatur, is nunquam decernit uti jure ſuo in ædificandis ædibus; ad quam ædificationem, per accidens ſequuturam videt proximi iram. Deo itaque hujus aut illius converſio, qui perit, *nec grata nec ingrata eſt:* quia non eſt in hoc præſenti ordine rerum objectum voluntatis; atque ita non eſt objectum amoris. Quia tantum *per accidens* ſequitur ad aliquid, quod Deus voluit *per ſe.*

Sic pariter exiſtimo Theologos Belgas, qui oppugnant gratiam univerſalem Gallorum Theologorum, male argumentari, à negatione finis ad poſitionem mediorum, ducentium ex intentione Dei *ad interitum*: quia ſcilicet non intelligunt aliquid fieri *per accidens*, quod Deus *nec voluit nec noluit*: & cujus reſpectu, nulla media poſuit, ut fieret vel non fieret.

Ita meo judicio nihil ſtringunt eorum argumenta, quæ hoc modo procedunt.

Deus vel *abſolutè*, vel *conditionatè* omnium miſeretur.

Conditionem vult efficere vel *abſolutè*, vel *conditionatè.*

Voluntas redimendi vel *abſoluta*, vel *conditionalis.*

Miſericordia univerſalis evertit decretum electionis & reprobationis, quod *abſolutum*, & non *ſuſpenſum.*

An voluntas Dei, quo vult omnium ſalutem, ſit *efficax*, vel non *efficax?*

Quomodo Deus voluerit ſalutem gentilium, qui nunquam de Chriſto audiverunt?

Quomodo eorum, qui erant ſub damnatione, cum Chriſtus moriebatur?

Nam facile iis omnibus reſponderi poteſt. Quicquid enim reſpondeas, ſcilicet, an Deus abſolutè an conditionate ſalutem aut condemnationem voluerit; eodem redit; neque unum magis quam alterum noſtra fundamenta ex Dei, gratiæ, & libertatis noſtræ natura petita, ſubvertit. Modo ſtatuatur, & conditionem, à qua ſalus noſtra ſuſpenſa eſt, per gratiam Dei tolli; & hominis opus eſſe, quod tollatur: & *voluntatem* Dei à conditione illa non eſſe *ſuſpenſam:* ſed homines quoſdam, *reſpectu cauſarum ſecundarum*, *indifferentes* eſſe in amplectenda & rejicienda ſalute: Deumque non ante ad ſalutem aut mortem illos deſtinaſſe, quàm conditionem per Dei gratiam præſtiterint, aut per propriam malitiam in ea præſtanda defecerint.

Nam poteſt aliquid veram eſſe conditionem, & tamen per gratiam ipſius Dei præſtari; quia *in præſtatione conditionis*, id ſemper adeſſe debet, quod ab homine confertur, & propter quod etiam illa præſtatio ab homine eſſe dicitur; & is ideo laude dignus putatur: ſed de his in ſuperioribus. Deinde prout *miſereri omnium* diverſe ſumitur, ita diverſimode affirmatio aut negatio propoſitæ quæſtioni aptatur.

Ita rejicio illos Theologorum Gallorum ſequentes loquendi modos, niſi eos interpretentur per illam diſtinctionem, quam ſupra tradidimus; & quam repetere non putamus eſſe operæ pretium: ſunt autem illi hujusmodi.

Quædam, quæ Deus vult, carent eventu.

Poteſt conſiſtere oblatio medii, cum impoſſibilitate acceptandi illud medium.

Homines non *poſſe credere*, licet iis gratia univerſalis pateat & affulgeat.

Per gratiam univerſalem non tolli *moralem impotentiam.*

Aſſerere Deum aliquid agere, aut decre-

creviſſe ſe acturum, quo ea fierent, quæ aliter futura certò norat.

Nam quæ Deus vult, ut actu ſint, & exiſtant, nunquam carent eventu; & ideo Deus nihil decrevit ſe acturum, quæ aliter futura certò norat. Nunquam homini *impoſſibile* eſt, ſe convertere. Et gratia univerſalis *ſufficiens* eſt, qua ſe poſſunt convertere, ſi velint; & cum volunt, tunc illi *per eam gratiam volunt*, quibus illa tantum oblata eſt.

Sic exiſtimo Theologos Gallos rectè argumentari; neque à Theologis Belgis poſſe ipſis ſatisfieri.

Qui vocantur, *ſerio* vocantur.

Ex Belgarum ſententia non magis *ſerio* reprobi vocantur, quam dæmones, qui tamen nullibi vocantur; & qui non dicuntur *condemnari*, quia non crediderunt in nomen unigeniti.

Ex adverſo vitioſus eſt ille noſtrorum Theologorum argumentandi modus, quo gratiam univerſalem impugnare, & probare conantur ſuam doctrinam, conſiſtere poſſe cum Dei candore, quo in annunciatione Euangelii teſtatur, ſe omnes invitare ad ſalutem, cumque in hunc finem ſequentia exempla, ſimilitudines & argumenta adducunt.

Deus vetuit mortem innocentis, & tamen voluit Chriſtum occidi. *Reſp.* Diſtingue inter id, quod Deus *per ſe vult*, & inter id, quod *per accidens*.

Juſſit ut Pharao populum dimitteret; voluit tamen ne dimitteret. Valet hic eadem *reſponſio*.

Per Verba *utinam populus me audiviſſet &c.* Deum tantum declarare pietatem ſibi gratam ren eſſe.

Reſp. Senſus communis, & ratio apud gentes docet, à nemine cum candore talia verba proferri poſſe, qui *media* ordinavit, quibus contrarium obtineatur ei, quod verbis teſtamur nobis in votis eſſe: aut qui illum decretorum ordinem ſtatuit, qualem Belgæ tuentur.

Nunc quæſtiones quaſdam ſolvere lubet, ut ita fundamenta, quæ poſuimus, examini ſubjiciantur, altiuſque in animum demittantur.

An Chriſtus ſit mortuus pro reprobis *efficaciter?* *Reſp.* Cum Chriſtus ſe vadem præbuit, nullorum hominum reſpectu ullum decretum extitit, quo aliquid tanquam *medium* ordinatum eſſet, per quod reatus aut damnatio alicujus hominis efficeretur: ſed contra, talis extitit tunc inter Deum & homines relatio, ut Deus ex bonitate ſua, quod fundamentum habet in ſatisfactione Chriſti, omnibus media ad ſalutem neceſſaria ſuppeditare, & ita omnium ſalutem voluerit. Et mors Chriſti fuit efficax pro omnibus; quatenus morte Chriſti effectum eſt, ut Deus omnes homines peccatores, & reatui obnoxios, quando ſe convertunt, & in Chriſtum credunt, ſine pœna dimittat, & pro ſibi gratis atque dilectis habeat: quatenus illa mors per rationem *pœnalis ſatisfactionis*, effecit, ut ratio, ex attributo juſtitiæ Dei fluens, non flagitet, ut peccatores ipſi puniantur.

An poſſimus reſiſtere Spiritui Sancto?

Reſp. Sæpius reſiſtimus illi gratiæ, per quam potuiſſemus ſalvari, ſi voluiſſemus; & per quam potuimus velle. Et quemadmodum quidam gratia ſufficienti ſe potuiſſent convertere; & ſe convertiſſent, ſi eâ menſurâ ipſis fuiſſet oblata, quâ aliis oblata eſt: ita multi hoc vel illud facere potuiſſent, & feciſſent, ſi Deus eos in iis circumſtantiis conſtituiſſet, *Luc.* 10: 13. *Act.* 7:51. *Ezech.* 24:13. *Matth.* 13: 24. *Rom.* 1:16. *Jerem.* 2:21. 1 *Cor.* 1:18. *Job.* 3:19. *Luc.* 12:8. *Job.* 12:46. & 3: 36. Quæ loca docent gratiæ ſufficientiam; nihilque ei defuiſſe, quare homines ſe eâ convertere non potuiſſent.

An quiſquis teneatur credere Chriſtum pro ſe eſſe mortuum?

Reſponſio ſimilis reſponſioni ad primam quæſtionem.

An Deus omnes pariter amet, eademque gratiæ menſurâ complectatur? Nullo modo. Non omnes amat, ut Jacobum, Chri-

Chriſtum & Apoſtolos, &c. Ita tamen omnes amat, ut propter amorem, quo propter Chriſti meritum omnes homines complectitur, omnibus ſufficientia ad ſalutem media ſuppeditare paratus ſit.

Quod itaque Deus dicatur quoſdam *odiſſe*, per ea verba intelligendum, quod Deus quoſdam *minus amat*, *Gen.* 29:31. *Deut.* 21:15. *Matth.* 6:24. *Luc.* 16:13. & 14:26.

An gratia univerſalis complectatur ſub ſe gratiam perſeverantiæ? *Reſp.* quibus Deus offert ſufficientia media ad ſe convertendum, iis multo magis offert ſufficientia media ad perſeverandum in vitæ pietate. Et quibus confert eam gratiæ copiam, qua tollitur indifferentia ad deficiendum, iis confert gratiam perſeverantiæ. Neque hic quicquam præſidii ponendum in prædeſtinatione, aut reprobatione ſeorſim conſiderata, & ſeparata à mediis gratiæ, quæ Deus exerit aut non exerit circa hominis voluntatem. Nam quamvis ea providentiâ, qua Deus omnia ſuſtentat, regit & gubernat ut cauſa prima, & à qua omnia dependent, fiat, ut omnes prædeſtinati ſalventur; imo quamvis doceatur, eos, quos Chriſtus ſemel amore ſuo complexus, & ſpiritum ſuæ ſanctitatis largitus eſt, nunquam perire; & Chriſtum nunquam amorem, quem in aliquem contulit, ita abjicere, ut finaliter eos à pietate deficere ſinat, non ideo inde conficere licet, iis omnibus, qui propter rationes jam traditas, certò ſalvandi ſunt, gratiæ perſeverantiæ fieri participes: ſed probandum eſt, ex illis omnibus ſequi, ut quos Deus ita dilexit, ut non ſint perituri, nec finaliter à pietate defecturi, quia ante obitum illis ſit collaturus veram peccatorum pœnitentiam, iis etiam illam gratiæ menſuram largiatur, quæ tollit indifferentiam ad ita deficiendum à vera pietate, ut nullus virtutis habitus aut diſpoſitio in illis maneat reliqua, & qui ut ſerventur, nova opus habeant gratia regenerationis. Quemadmodum & hoc probandum eſt, eam eſſe intrinſecam naturam gratiæ ſanctificantis, ut vi & proprietate ſuæ naturæ tollat indifferentiam ad deficiendum à verâ pietate, ita ut vi illius gratiæ ſemper in homine manere debeat tantum pietatis & bonæ diſpoſitionis, ut nunquam tollatur relatio inter Deum & hominem, quâ juxta œconomiam Euangelicam Deus hominem fide viva præditum amat. Ab hac intrinſeca natura peti argumenta, cum diſputatur de gratia perſeverantiæ, & an ea comprehendatur ſub gratia univerſali; & non ab iis, quæ gratiæ naturam non attingunt, quale v. gr. inter alia eſt Dei providentia, cujus vi & efficacia prædeſtinatus ſemper ſalutem adipiſcitur. Nam ab ea providentia in hujuſmodi caſu res denominari non debet. Sicut, quamvis per illam providentiam omnia certo eveniant, non ideo propter illam cauſæ liberæ, neque naturam, neque denominationem mutant. Gratia itaque æſtimanda ex magnitudine & efficacia, qua in nobis pro ratione ſuæ magnitudinis operatur, *Epheſ.* 4:16. *Coloſſ.* 1:29. 1 *Theſſ.* 2:3. *Eph.* 3:20.

Caput X.

In quo doctrina in præcedentibus tradita, authoritate Scripturæ probatur.

Quæ hactenus, ratione prælucente tradidimus, nunc auctoritate Scripturæ confirmabimus; ut eorum omnium veritas magis conſtet: eademque opera tradentur fundamenta, ſeu potius regulæ generales, juxta quas præcipua Scripturæ loca, quæ, ubi de prædeſtinatione & gratia agitur, in medium proferuntur, explicanda judicamus. Sic itaque naſcatur exordium.

Deum, hoc eſt, ens ſummè perfectum exiſtere, cum Scriptura præſupponimus. Et quia Deus ſumme perfectus eſt, ideo etiam

etiam eſt juſtus, ſanctus, & bonus, *Deut.* 32:4. *Dan.* 4:37. *Eph.* 4:24. *Jac.* 1: 13. *Hab.* 3:7. *Mich.* 7:8. 10. *Luc.* 11:13. *Lament. Jer.* 3:33. *Eſaj.* 6:3. Et ideo delectatur juſtitia, bonitate, & ſanctitate creaturæ rationalis.

Non itaque vult peccatum, *Pſal.* 5:5. *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Non itaque *ordinavit* aliquid tanquam *medium*, quo creaturæ rationalis lapſus & peccatum fieret, aut exiſteret. Hæc enim cum ſanctitate, quâ Deus delectatur, non conſentiunt. Sed vult ſanctitatem & juſtitiam, 1 *Theſſ.* 4:3. *Nam hæc eſt voluntas Dei, nempe ſanctificatio veſtri. Matth.* 6:10. *Fiat voluntas tua in terris, quemadmodum in cœlis.* Cum itaque peccatum Angelorum & hominum factum ſit; cumque illud ens ſumme perfectum etiam ſit ſumme beatum, 1 *Tim.* 1:11. & 6:13. cui ideo nihil ingrati, aut ſecus quam vult, accidere poteſt. Quique nihil cupit, vult, deſiderat, aut optat, ut re ipſa fiat, quod non fit, ſequitur, illud *nolle peccatum*, interpretandum, Primo, quod eâ, tanquam re ſibi grata, non delectatur. Secundo, quod media non deſtinet, quibus peccatum fiat. Tertio, quod media ſufficientia ſuppeditat, quibus illi à peccato ſe temperare poſſunt, qui peccant; quodque illa media fluunt ex amore Dei erga creaturam rationalem, *Matth.* 5:45. *Act.* 14:17. 1 *Tim.* 2:4.

Cum itaque Scriptura innuere videtur, aliquid à Deo tanquam medium ordinatum & factum, quo reatus & peccatum augeatur, *Gal.* 3:19. *Lex transgreſſionum cauſa adjecta eſt. Verſ.* 22 *Concluſit Scriptura omnia ſub peccatum, ut promiſſio ex fide Jeſu Chriſti daretur credentibus. Rom.* 11: 32. *Concluſit Deus omnes in inobedientiam, ut omnium miſereretur. Luc.* 2:33. *Hic poſitus eſt in caſum & reſurrectionem multorum.* Id intelligendum de *eventu*, non de *deſtinatione. Rom.* 11:11. *Num impegerunt, ut caderent? Abſit*

Et cum Deus ſanctitatem & juſtitiam velle dicitur, quæ tamen non fit, id intelligendum de ea volitione, qua & delectatur juſtitiâ, & vult ut media, quibus illa acquiri poteſt, reipſa homini exhibeantur: & quia nihil ordinavit, quo injuſtitia fiat. Et tunc ſub illa volitione non comprehendenda volitio, qua vult ut juſtitia reipſa ſit & exiſtat. Et talis loquendi modus familiaris eſt in Scriptura & inter homines, à quibus Scriptura ſuum loquendi modum mutuatur, *Rom.* 16:19. 1 *Cor.* 7:7. & 14:5. 1 *Tim.* 2:8. & 5:14.

Et quia Deus eo modo peccatum non vult, ideo cum candore, ſinceritate, cumque veritate in ſermone, conſiſtunt illi loquendi modi, quibus Deus etiam eorum, qui pereunt, ſalutem & ſanctitatem, ut ita dicam, vult & deſiderat. Quemadmodum conſiſtit cum candore amici, teſtantis ſe deſiderare pacem cum amico & proximo, quem tamen prævidet ſecum inimicitias exerciturum; quia de ſuo jure deſiſtere non vult, *Eſaj.* 48:10. *Utinam attendiſſes ad mandata mea, &c. Pſal.* 81:14. *O ſi populus meus attendiſſet me, &c. Luc* 19:41. *Et videns urbem flevit ſuper eam. Ezech.* 33:11. *Ne vivam ego, dictum Domini Jehovæ, ſi delector morte improbi, &c.* Et inde ſequitur Deum cognoſcere peccata poſſibilia, quæ ipſe non fecit poſſibilia, hoc eſt, quæ fundamentum ſuæ poſſibilitatis non habent in Deo; eaque videt ut futura: non quia *media* ordinavit, quibus fierent, ſed quia circumſtantias, in quibus peccatum, ut poſſibile conſideratur; & quibus poſitis, illud per hominis malitiam, per quam ille ſua libertate, ex nulla Dei deſtinatione, peccatoris perſonam occupat, ex ſtatu poſſibilitatis fecit tranſire in ſtatum futuritionis.

Et propterea Deus introducitur in Scriptura, non tantum ut prævidens peccatum, ſed etiam ut ordinans, *Act.* 4:27 28. *Congregati enim ſunt in hac civitate vere adverſus ſanctum Filium tuum Jeſum, quem unxiſti, Herodes, Pontius Pilatus, cum*

gen-

gentibus & populis Iſraëlis, ut facerent, quæcunque manus & conſilium tuum prius præordinavit, ut fierent.

Eſt tamen hæc differentia notanda in providentia & procuratione Dei circa malum, quod quorundam reſpectu peccatum ut poſſibile transfert ex ſtatu poſſibilitatis in ſtatum futuritionis, non habita ulla ratione præcedentis peccati: quemadmodum hominibus, nullo habito reſpectu alicujus boni operis, gratiam deſtinat. Aliorum reſpectu, peccatum ut poſſibile, transfert in ſtatum futuritionis, habita ratione præcedentium peccatorum, quæ ſunt tanquam *cauſa moralis*, propter quam Deus aliquos deſerit, & dat in ſenſum reprobum. Quemadmodum Deus quibuſdam deſtinat maiorem gratiæ menſuram, propter bonum uſum (quamvis præſtitum per Dei gratiam) prioris gratiæ. Ita ut ille bonus uſus habeat rationem *cauſæ moralis*, propter quam Deus majorem gratiam quibuſdam largiatur. Prioris providentiæ exemplum extat in lapſu Adami & Angelorum. Poſterioris verbi gratia, in Pharaone, *Rom.* 9:17. *Ad hoc ipſum excitavi te, ut oſtendam in te potentiam meam; & ut annuntietur nomen meum in tota terra. Habak.* 1:12. *Jehova ad judicium diſponis eum: & ô rupes ad corripiendum fundas eum. Rom.* 4:21. *Act.* 7:42. *Heb.* 6:8. 2 *Theſſ.* 2:11. *Pſalm.* 81:3. 1 *Sam.* 2:25.

Et quia talis providentia Dei circa malum, qua Deus aliquos peccatores deſerit, (quam deſertionem ſtatim ſequitur peccatorum incrementum, & cordis obduratio) habet rationem pœnæ, quam Deus infligit, introducitur Deus in Scriptura, non tantum ut *ordinans* peccatum, ſed ut ipſe quaſi illud producens, & ejus auctor exiſtens, *Ezech.* 14:9 *Ipſe autem Propheta cum pellectus fuerit, ut eloquatur verbum, ego Jehova pellexero Prophetam ipſum. Joh.* 12:39. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Eſajas, excæcavit oculos eorum, & obduravit corda eorum, &c.* 1 *Sam.* 2:25. *Non tamen auſcultaverunt voci patris ejus, quia volebat Jehova morte afficere eos. Eſaj.* 36:17. *Quare ſinis nos aberrare Jehova à viis tuis, torrefaciens & obdurans animum noſtrum à reverentia tui.* Et qui à Deo ita deſeruntur, illi certo pereunt, & in impietate perſeverant; *Heb.* 3:18. 26. *Matth.* 13:14. 1 *Theſſ.* 2:16. Et illi tunc ſe ſuæ malitiæ ita tradunt, ut etiam dicantur ſe non poſſe convertere, *Joh.* 12:39. Quia malitia tantopere occupat eorum animos, ut tàm certo, ratione magnitudinis iſtius corruptionis, ſe converſuri non ſint, quàm alii magnopere pii, ratione magnitudinis gratiæ, certò ſe à virtutis ſtudio non ſunt alienaturi, 1 *Tim.* 4:1.2. 2 *Theſſ.* 3:2 *Joh.* 14:7. Et tales vocantur reprobi ad fidem, & ad omne opus bonum, 2 *Tim.* 3.8. *Tit* 1:16.

Quamvis id etiam de quibuſdam aſſeratur, quatenus conſiderantur, ut vitio aliquo in præſentia detenti, quo ita conſtricti conſiderantur, ut nullam adhuc in iis diſpoſitionem videamus, quare iſti vitio minus ſunt induituri: quo dominio vitiorum manente, de iis ſtatuitur, quod ſe *gratia* convertere non poſſunt; quamvis per illam *gratiam*, & vitium imminuere, & ad majus incrementum gratiæ ſibi aditum parare potuiſſent. Sic dicimus de homine ira percito, quod rationibus pacem ſuadentibus, auſcultare non poſſit: quatenus fervens ira impedit, ne animus ſe iis flecti patiatur. Qui tamen non conſiderandi, ut traditi in ſenſum reprobum, ſed ut conſtituti in *potentia remota*, imo *remotiſſima* ad ſe convertendum, *Joh.* 5:44. & 14:7. *Rom.* 8.8 *Matth.* 29:24. *Joh* 5:44. Et quorum reſpectu alii, qui per Dei gratiam quædam vitia repreſſerunt, nec tamen vere converſi ſunt, dicuntur non *longe abeſſe à regno cœlorum, Marc.* 12:34. *Matth.* 20:13. *Luc.* 10:13. 1 *Cor.* 1:26.

Quibus autem cor per gratiam Dei ita eſt diſpoſitum, ut abdicatis vitiis & præjudiciis, jam illud apertum habeant ad Euangelium recipiendum; & quibus Deus ea ratione cor aperit, *Act.* 10:14. illi dicuntur

cuntur *diſpoſiti* ad credendum : vide *Act.* 14:9.

At quamvis propter minorem malitiam quidam minus longe à regno cœlorum abeſſe dicantur, minorque illis ſufficiat gratia ad ſe convertendum, quam iis qui pejores ſunt: non ſunt tamen propter minorem malitiam magis proclives, aut apti ad regnum cœlorum, ſed tantum *minus inepti*; neque ideo viribus liberi arbitrii quicquam accedit: nam quod meliores ſunt, per *gratiam* eſt. Quemadmodum per gratiam eſt, quod Euangelio credunt, ſeque convertunt, quamvis minori indigeant gratia. Nam ſicut ſupra probavimus, minor aut major gratia, qua nos convertimus, vires liberi arbitrii nec extollit, nec imminuit.

Et quamvis hæc Dei providentia circa malum, habeat aliquo modo rationem pœnæ; quatenus propter hominum contumaciam Deus ipſos dedit ſuis vitiis, eoſque ſe iis corrumpendos relinquit, non tamen permiſſionem peccatorum, aut ipſa peccata, quæ talem deſertionem per accidens ſequuntur, ordinat tanquam media, quibus reatus eorum augeatur: non magis, quam nos deſtinamus tanquam medium (quo reatus & peccatorum proximi numerus augeatur) ceſſationem curæ ſpecialis, qua proximum, ſed jam aliquamdiu contumaciter noſtras exhortationes repudiantem, à vitio abducere ſtuduimus. Et horum ratio eſt: tum, quia Deus eos ut *viatores* conſiderat, quos hortatur, precatur, & præmiis ſollicitat ad vitæ ſanctitatem, *Act.* 14:16. *Quique præteritis ætatibus ſivit omnes gentes ſuis ipſarum viis incedere. Et verſ.* 17. *Quanquam non eſt paſſus ſe expertem eſſe teſtimonii. Rom.* 1:19. 20. 21. *&* 2:4. *An divitias benignitatis & tolerantiæ contemnitis, &c. Sed pro duritie tua & corde, quod reſipiſcere neſcis, &c.* 1 *Cor* 1:21. *Nam poſtquam in Dei ſapientia mundus non cognovit eum per iſtam ſapientiam libuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſervare credentes.* Cum etiam, quia media illis ſuppeditat, quibus ſervari poſſunt, ſi velint. Quamquam aliquorum reſpectu ea ſint admodum reſtricta, tenuia, & exilia: ita ut Deus dicatur quaſi non habere ſalutis eorum rationem; eoſque negligere, atque abdicare, *Act.* 14.16. *Pſal* 81: 13. *Quapropter demiſit eos ambulare ex ſententia animi ſui, &c. Ezech.* 24:13. *Apoc.* 22:11. *Qui ſordet, ſordeſcat adhuc.*

Non tamen nego, forte quoſdam à Deo non tantum deſeri, ita tamen ut tanquam *viatores* conſiderentur, ſed haberi ut jam condemnatos. De quibus forte textus ſequentes loquuntur. *Heb.* 3:11. *Itaque juravi in ira mea, ſi introibunt in requiem meam. Pſal.* 69:28. *Appone pœnam ad pœnam iniquitatis eorum, & ne veniant in juſtitiam tuam. Verſ.* 29. *Deleantur de libro viventium, & cum juſtis ne conſcribantur.* Quemadmodum Deus jam diabolos non conſiderat ut *viatores*, ſed ſunt in ſtatu condemnationis. Et ideo nullibi Chriſtus pro iis mortuus dicitur; nullibi adhortationes iis proponuntur; nullibi infidelitas & inobedientia erga Euangelium iis exprobratur; nullibi introducuntur tanquam rejecti, & reprobi propter repudiatam gratiam.

Quamdiu autem aliquis ut *viator* conſideratur, tam diu non eſt reprobus: ſed Deus omnium illorum ſalutem vult, modo ſupra tradito. Quod ſi per reprobationem intelligatur, quod Deus reſpectu unius creaturæ voluit, ut re ipſa multa fierent, ad quæ certo prævidet per accidens ſecuturum illius peccatum, indurationem, & irreſipiſcentiam finalem: tum libenter concedimus, talem non tantum creaturæ nocentis, ſed etiam innocentis reprobationem dari; eamque factam nullorum peccatorum aut infidelitatis reſpectu: ſed Deum ex beneplacito voluntatis ſuæ elegiſſe potius illum ordinem poſſibilem in ſtatum futuritionis transferre, in quo quoſdam videt occupaturos perſonam peccatoris, & irreſipiſcentiâ ultimum vitæ terminum claudentis. Sed dubito an ullibi in Scriptura nomen reprobationis & reprobo-

borum

borum ita ſumatur: ſed ubique ſumitur pro homine gratiam oblatam contumaciter repudiante, *1 Cor.* 9:29. *2 Cor.* 13:5. *Hebr.* 6:8. Et reprobatio ubique nobis proponitur, ut locum tantum habens, poſtquam gratia repudiata eſt, *Johan.* 15:2. *Hoſ.* 9:17. *Rom.* 1:24. *Hoſ* 1:6.

Et ita quidem jam conſtat, quomodo Deus unum plus amat quam alterum, antequam aliquid boni aut mali fecerunt. Et juxta Scripturæ ſtylum, propter hanc variam diſpenſationem gratiæ ſuæ, Deus quoſdam dicitur odiſſe, quoſdam amare, quoſdam elegiſſe, quoſdam reprobaſſe. Deum enim non omnes eodem amoris gradu compleɛti, in Scriptura exploratum eſt: vide ſupra.

Et ex adverſo, quemadmodum Deus neminem reprobat, quamdiu ut *viatores* conſiderantur, ita vult ſalutem omnium: venitque Chriſtus, ut omnes ſalvaret, *1 Tim.* 2:6 *1 Cor.* 15:22. *Heb.* 2:9. *Tit.* 2. *Rom.* 1:5. Omnibuſque in illum finem ſufficientia confert auxilia, ſufficientemque gratiam, vide ſupra. Et ita mors Chriſti fuit efficax pro omnibus: *quatenus morte Chriſti effectum eſt, ut Deus omnes homines peccatores, & reatui obnoxios, quando ſe convertunt, & in Chriſtum credunt, ſine pœna dimittat, & pro ſibi gratis atque delectis habeat*: *quatenus illa mors per rationem pœnalis ſatisfactionis effecit, ut ratio ex attributo juſtitiæ Dei fluens, non amplius flagitet, ut peccatores ipſi puniantur*, *Rom.* 5: 1. 10. *Epheſ.* 3:12. *Heb.* 12:24. *Tit.* 2:14. *1 Tim.* 1:5.

Cum autem multi pereant, ſequitur etiam multos perire, pro quibus Chriſtus mortuus eſt: quatenus non præſtant illam conditionem, ſine qua Deus nulli meritum Chriſti applicare vult, *Rom.* 14:15. *2 Petr.* 2:21. *1 Cor.* 8: 9. 10. 11. *Heb.* 10:29. *Act.* 13:25 *Joh.* 1:16.

Quamvis quoſdam eo amoris gradu compleɛtatur, ut iis gratiam tam copioſam largiri velit, qua certo convertantur; eoſque tam conſtanti amore proſequatur in communicanda ſua gratia, ut nunquam iſti amori ſint renunciaturi; licet ſuis peccatis ea perpetrent, propter quæ digni ſunt, ut deſerantur, & propter quæ Deus multos deſerit, in quos tam intenſum amorem non habet, *Exod.* 6:6. *Lev.* 26: 44. 45. *Deut.* 8:5. *Eſaj.* 14:1. *Pſal.* 89: 32. Et talis tamque intenſus amor benevolentiæ, qua Deus quoſdam *eligit* ad communionem talis gratiæ, non nititur etiam ulla fide aut ſanctitate prævisâ, *Gal.* 1:15. *Joh.* 15:16. Et horum ſalutem Deus non tantum *vult*; quatenus nullam rem *ordinavit*, tanquam *medium*, quo peccatum aut perditio eorum efficiatur: & quatenus plus, quam per vulgata ſufficientia media ad adipiſcendam ſalutem iis communicat, ſed quatenus *vult reipſa* eorum ſalutem.

Alios autem eo amoris gradu proſequitur, ut quidem velit eorum ſalutem prioribus duobus modis; & ſpeciatim reſpectu *gratiæ manifeſtandæ per Euangelium*: quatenus Deus gentes & perſonas elegerit, quibus illa copioſa gratia annunciaretur; & quibus efficacia illa media ſalutis, quæ Deus reſervavit in tempora Euangelii, adminiſtrarentur, *Rom.* 8:9. & 9:14. *Act.* 13:46. *Matth.* 11:15. & 13:12. *Act.* 2:39. & 3:25. &c.

Ex iis, qui ita electi ſunt, multi pereunt, ut liquet ex locis citatis. Et fuit tamen illa gratia ſufficiens, quæ in Euangelio iis diſpenſatur: vide loca ſupra citata pro gratia ſufficienti. Et forte multi ex iis, quibus talis gratia Euangelica conceditur, ſe convertunt & ſalvantur: ſaltem ſe potuiſſe convertere manifeſtum eſt ex eo, *quod Chriſtus teſtatur de civibus Tyri & Sidonis*; *ſi ſcilicet iis ea gratia communicata fuiſſet, quæ civibus Chorazin & Bethſaidæ, olim cum ſacco & cinere ſedentes reſipuiſſent.*

Neque ideo quicquam viribus liberi arbitrii attribuimus. Statuimus enim primo, neminem poſt lapſum ſine gratia, quæ fructus Euangelii eſt, quæque in eo diſpenſatur, ſe convertere, quatenus ſine illa

 nihil

nihil omnino boni, quod habeat rationem conditionis, quam Deus à nobis ſub Euangelio præſtari vult, antequam nobis actu ſalutem conferri velit, aut nobis conferri deſtinaverit, operari poſſumus, *Job.* 8: 36. *&* 10: 9. *&* 15: 5. *&* 14: 6. *&* 5: 44.

Neque tantum id intelligimus de ea gratia, quæ vulgo gratia *adjuvans* vocatur; & ſine qua *noſtris viribus* nihil poſſemus: quemadmodum æger nihil poſſet ad incedendum, ſi ſano non inniteretur, quamvis tunc ſuis viribus ſuiſque ſpiritibus, pedes & corporis membra moveat. Sed ſtatuimus, ſecundum Scripturam, gratiam Dei, ſine qua nullus convertitur, & per quam omnes convertuntur, qui convertuntur, ſive illa gratia ſit ita magna, ut ſi ratione ſuæ magnitudinis conſideretur, ut certo tollens indifferentiam ad reſiſtendum, ſive ut non certo tollens, in omnibus, qui convertuntur, *operari velle & perficere*, *Philipp.* 2:13. Nihilque attribuendum noſtris liberi arbitrii viribus, quibus nos ab aliis diſcernimus, 1 *Cor.* 4:7. *Aut oblatam gratiam amplectimur*, quam alii repudiant: ſed totum & in ſolidum illud Deo attribuendum. Ita ut nemo ad Chriſtum venire poſſit, *niſi Pater eum traxerit*, *Joh.* 6: 44. Quam tractionem eouſque extendimus, ut nihil homini ſeparatim aut ſeorſim relinquatur, quod gratia non attingat; eoque refero omnia Scripturæ loca, quæ à Patribus afferuntur contra vires liberi arbitrii, *Pſal.* 100:3. *Eſaj.* 19:25. *Ezech* 11:19. *Jerem.* 17:14. *Joh.* 1:3. 1 *Joh.* 4: 19. *Epheſ.* 2: 1. 5. *Joh.* 3: 6. 8. *Joh.* 4: 65. & aliis locis infinitis: quæ teſtantur eam gratiæ Divinæ vim, efficaciam, extenſionem & neceſſitatem eſſe, ut quicquid ſalutare à nobis præſtatur, per illam gratiam efficaciter agentem in nobis, præſtetur.

Quod autem à Sacra Scriptura eadem converſio homini adſcribitur, homini imperatur, homini tribuitur, & ab homine exſpectatur, tamquam conditio ab ipſo præſtanda, *Ezech.* 18:31. *Jerem.* 4:4. 14. 2 *Cor.* 3: 16. *Jerem.* 35: 15. & infinitis aliis locis, id ideo fit, quia nulla converſionis pars peragitur, in qua illud liberum & ſpontaneum, propter quod homines dicuntur *domini ſuarum actionum*, ſuas non vindicat partes. Quamquam agnoſcam hominem ante primum, ſi ita loqui liceat, momentum ſuæ regenerationis, conſiderari debere, ut mortuum; quia caret omni gratia, neque quicquam in ſe habet, quo ſe ad aliquod bonum movere aut ſuſcitare poteſt; & qui ita verè ſpiritualiter eſt mortuus: quo referenda loca illa, quæ regenerationem *vivificationi*, & *reſuſcitationi* aſſimilant. In primo tamen momento converſionis, homo non eſt conſiderandus ut mortuus, & ut *paſſive* ſe habens: cum gratia Dei non *occupet ſedem*, neque illi locus in corde hominis, niſi per voluntatem hominis. Et ideo Scriptura dicit etiam mortuos audituros vocem Filii Dei. Fateor etiam Scripturam aliter de homine jam converſo, & virtutis habitu imbuto, loqui, quam de recens regenito; priori tribuitur operatio procedens ex præexiſtente habitu, 2 *Tim.* 2:1. *Tu igitur fili mi*, *corroborare per gratiam*, *quæ eſt in Chriſto Jeſu.* *Coloſſ.* 1:29. *Ad quæ etiam enitor*, *decertans ſecundum efficacitatem ipſius agentem in me potenter.* Talis autem conatus, & niſus, procedens ex habitu gratiæ, iis, qui modo regenerantur, non attribuitur. Male tamen conſiderantur ut paſſive ſe habentes.

Sub gratia, tam eâ, quâ tollitur indifferentia ad reſiſtendum; quam eâ, quæ tam magna non eſt, comprehendo non tantum doctrinam Euangelicam, complectentem rationes efficaciſſimas, quibus rationalis creatura affici debet, ut abdicatis vitiis, & deſperatione, in ſpem, & ſtudium virtutis ſe erigat, *Rom.* 10: 14. *Coloſſ.* 1: 28. *Job.* 8:32. *Rom.* 1:16. Sed ſub ea etiam comprehendo operationem illam incomprehenſibilem, qua *immediatè*, modo tamen morali, ut illam diſtinguam ab illa de-

dependentia, qua voluntas, ejuſque operationes à Deo, ut cauſa prima, dependent) voluntatem noſtram afficit, *Act.* 16: 14. & 11:18. 1 *Cor.* 3:6. *Epheſ.* 4:16.

Et, quemadmodum nullus, niſi gratia Dei, ſalvatur, ita diverſa illa gratiæ diſpenſatio nititur tantum beneplacito Dei; qui pro ſuo benevolo affectu, nulla habita ratione fidei aut bonorum operum, reſpectu quorundam illum ordinem poſſibilem transfert è ſtatu poſſibilitatis in ſtatum futuritionis, in quo fidelis & pii perſonam vindicant, atque aſſumunt: & huic majorem, alii minorem gratiam adminiſtrat, quemadmodum dives, eleëmoſynas diſtribuens, in nullo paupere id reperit, quod ipſum moveat, quare in illum eleëmoſynam conferat; aut quare erga unum potius quam alterum, ſe liberaliorem præbeat, *Deut.* 9:6. *Ut autem cognoſcas non propter juſtitiam tuam, Jehovam Deum tuum dare tibi terram iſtam optimam, ad hæreditario jure poſſidendum eam.* *Rom.* 11:35. & 9:18. *Itaque cujus vult miſeretur, & quem vult indurat.* & *verſ.* 24. 25. & 10: 19. 20. & 11:17.

Statuimus tamen, Deum nemini decernere voluiſſe pœnæ condonationem, & meriti Chriſti effectum, & gratiæ incrementum, niſi qui fide & ſtudio bonorum operum, Chriſtum mediatorem amplexus eſſet, & ita aditum ad majorem gratiam ſibi feciſſet; & ſic ſe *dignum*, hoc eſt, non *indignum* præbuiſſet vita æterna, *Jer.* 3: 14 *Nam ego indicens, quomodo repoſiturus eſſem te inter filios, & daturus tibi terram deſideratam, poſſeſſionem decoram, &c.* *verſ.* 15. *Utique perfidè deſcivit uxor ab amico ſuo.* *Apoc* 21:27. *Joh.* 8:31. *Pſal.* 4:6. 1 *Sam.* 2:25. *Prov.* 3:8.

Illaque dignitas continetur adimpletione conditionis, quam Deus antè à nobis præſtari vult, quam nobis vitam, & majus ſanctitatis incrementum concedere. Vide loca ſupra citata. Itaque quamvis *fides, & bona opera præviſa*, non ſint cauſa, quare Deus alicui deſtinet ſuam gratiam, aut gratiæ incrementum, ſunt tamen cauſa moralis, quæ, modo ſuprà ſæpius explicato, faciunt, ut Deus amore *complacentiæ* homines complectatur, iiſque fructus iſtius amoris communicet. Imo ſunt cauſæ morales, quare Deus pios, ſanctos, & fideles amore & dilectione ſingulari proſequatur, 1 *Tim.* 4: 10. *Deus eſt conſervator omnium hominum, maximè vero fidelium.* *Pſal.* 145:18. *Propinquus eſt Jehova omnibus invocantibus ipſum*: propter quem amorem, & dilectionem eos peculiari ratione in electorum & dilectorum numero habet, *Matth.* 24:24. *Excitabuntur pſeudochriſti, & pſeudoprophetæ, &c. ita ut ſeducant, ſi fieri poſſit, etiam electos.* *Col.* 3: 12. *Induimini igitur ut electi Dei, ſancti, & dilecti viſceribus miſerationum, &c.* *Matth.* 20:16. *Multi enim ſunt vocati, pauci electi.* Hiſce & ſimilibus locis, electi dicuntur & vocantur ratione amoris *complacentiæ*, non *benevolentiæ*: quatenus Deus propter dona ſanctitatis, *per gratiam ſuam in iis collocata*, eos peculiariter diligit; & cujus amoris fructus ſunt ampliſſimæ illæ promiſſiones, quibus Deus teſtatur ſe nunquam eos deſerturum; quem etiam amorem Spiritu ſuo adoptionis in corde fidelium obſignat: ex quo ipſi certiſſimam ſpem atque fiduciam concipiunt, Dei amorem erga ſe tam magnum & propenſum eſſe, ut omnia ad ſalutem neceſſaria ipſis abunde collaturus ſit: ſitque ipſos conſervaturus ab omni opere malo; ita ut reſpectu certitudinis iſtius ſpei, jam ut ſalvati, & in cœlis conſtituti conſiderentur: quatenus ſcilicet in præſentia id præſtant, quo vita & ſalus acquiritur; & jam ad vitam cœleſtem jus habent, ſi modo juri illi per infidelitatem non renuncient, 1 *Cor.* 1:8. *Luc.* 10: 20. 1 *Joh.* 3:14. 2 *Tim.* 4: 8. *Heb.* 6: 10. *Phil.* 1:6. *Joh.* 10: 28. 1 *Pet.* 1:5. *Luc.* 21:41. 2 *Tim.* 2: 10. *Matth.* 10: 22. 2 *Joh.* 8. *Heb.* 3: 14. *Galat.* 6:9.

Index Capitum in prima Parte Doctrinæ de Gratia & Prædeſtinatione, contentorum.

CAPUT I. *De dependentia creaturarum à Deo.* 253

CAP. II. *De Natura intellectus & voluntatis.* 255

CAP. III. *Quomodo res poſitivæ à Deo dependeant.* 259

CAP. IV. *Quomodo peccatum à Deo dependeat.* 264

CAP. V. *Continens quasdam ſequelas, quæ ex præcedentibus manant.* 269

CAP. VI. *In quo propius diſſeritur de ſingulis objectis voluntatis, deque natura Gratiæ.* 273

CAP. VII. *Summam eorum continens, quæ in præcedentibus dicta ſunt.* 281

CAP. VIII *Epilogus.* 285

CAP. IX. *In quo revocantur ad examen argumenta, & modi loquendi quorundam, qui de prædeſtinatione & gratia diſputarunt.* 287

CAP. X. *In quo doctrina in præcedentibus tradita, authoritate Scripturæ probatur.* 291

NOVÆ

NOVÆ METHODI
DE
GRATIA
ET
PRÆDESTINATIONE,
SECUNDA PARS.

PRÆFATIO
ad
LECTOREM.

Benevole Lector,

POſtquam Novam Methodum de Prædeſtinatione & Gratia abſolveram; eamque editione publici juris feceram, intellexi ab amicis, eam multis obſcuriorem videri, & ea ratione traditam, ut non ſatis mentem ſenſumque meum potuerint aſſequi: putavi itaque aliquid operæ pretium facturum, ſi illi ſecundam curam adhiberem; & rem tum ſua natura, cum etiam forte mea culpa, multis difficultatibus & obſcuritatibus implicatam, evolvere atque illuſtrare laborarem. Quod in hac ſecunda methodi parte agere inſtitui: utrum autem hoc ob rem fecerim, lector experiendo cognoſcet.

NOVÆ METHODI DE PRÆDESTINATIONE & GRATIA,

SECUNDA PARS.

STatuimus Deum eſſe cauſam & authorem liberum omnium naturarum, tam earum, quæ voluntate præditæ ſunt, quam earum, quæ eâ carent. Statuimus pariter Deum eſſe authorem omnis ordinis, omniumque actionum liberarum & naturalium. Arguit enim imperfectionem in Deo, ſtatuere aliquid in mundo eſſe, aut fieri, quod à Dei voluntate non pendeat: aut fingere aliquid eſſe à Deo diverſum, & illud per ſe eſſe, & ante Dei voluntatem. Quatenus itaque ante Deum, ejuſque liberum decretum, nec natura, nec res, nec rerum ordo ullus fuerit, eatenus putandum, nihil cauſæ extra Dei beneplacitum fuiſſe, quare Deus voluerit hanc aut illam naturam eſſe, aut exiſtere: quod etiam pariter de omni rerum ordine aſſerendum eſt. Et ita omnia Dei decreta ſunt abſoluta, fixa, immutabilia & determinata: non poteſt enim id dependere à conditione, quod eſt ante omnem conditionem; & à quo res habet naturam conditionis. Eſt itaque *lex*, *obedientia*, *remuneratio*, *&c.* ab ejuſdem naturæ decreto, ſc. abſoluto, à quo eſt hujus aut illius hominis decreta ſalus. Deus enim abſolute decrevit; ideoque eſt totum à Dei decreto, ut hic & ille homo eſſet libere ſanctitati ſe tradens, & in ſtatu gloriæ conſtitutus. Et eſt abſolute à Deo decretum, ut eſſet hic & ille homo liberè impietati ſe tradens, & in ſtatu damnatorum conſtitutus: vel quod eodem redit; eſt abſolute decretum hominem creare, & in eo impietatem & peccatum permittere, & ſinere eum prolabi ad ſtatum damnatorum.

Statuimus deinde Deum omnia ſimul decreviſſe; tam ea quæ ſunt, quàm ea quæ fuerunt aut futura ſunt: tam ea, quæ in ordine naturæ, & in rebus creatis & ordinatis, *finis*, quam ea quæ medii & cauſæ rationem habent; (loquimur de cauſis rerum, & quas Deus cauſas eſſe voluit, non autem de cauſa Dei voluntatis) ita ut in decretis Dei, reſpectu Dei, non ſit ſubordinatio, ita ut unum decretum alteri ſubordinatum ſit, quamvis res decretæ ſibi invicem ſubordinatæ ſint. Non itaque extra Dei beneplacitum quærenda cauſa, quare voluerit hunc aut illum hominem eſſe, & eſſe libere peccantem: vel quare decreverit ut hic aut ille homo eſſet, & libere peccaret; & quare decreverit talem providentiæ ſuæ actum circa illum hominem eſſe: qui actus à multis vocatur decretum permittendi hoc vel illud peccatum, in hoc vel illo homine.

Quamvis, meo judicio, vox *permiſſionis* non ſatis explicet efficacem Dei providentiam circa peccatum; & innuere videatur diſtinctionem decretorum Dei: quorum altero decernit exiſtere hominem, altero decernit permittere peccatum homi-

nis, extra ſuum decretum conſtituti in circumſtantiis, in quibus peccaturum eum prævidet; decernitque id permittere ita tamen id prævidens, ut nihil ordinaverit, quod medii rationem habeat, quo Deus decrevit, ut peccatum fieret. Cum tamen totus ordo, qui naſcitur ex bono & malo liberi arbitrii uſu, & à quo peccatum, à Deo abſolute ſimul & ſemel ſit conſtitutus & decretus. Qui hoc negat, ſtatuere debet Deum ex occaſione boni aut mali liberi arbitrii uſus, nova capere conſilia, & formare nova decreta; quaſi vis peccati ſpem Dei feſellerit, aut ſuperaverit: debet ſtatuere nexum rerum, quem in mundo ex virtutibus & peccatis conſpicimus; denique totum illud quod fit, factum, atque futurum eſt, intercedente creaturarum libero arbitrio, (in quo præcipua Divinæ providentiæ pars vertitur) non ab æterno à Dei conſilio proceſſiſſe: nec Deum ab æterno ex ſuo beneplacito decreviſſe, ut talis rerum nexus eſſet, qualem eum conſpicimus; ſed ordinem partim à rebus ipſis eſſe, partim à Deo in tempore, per occaſionem formari: Deum non abſolute decreviſſe, ut inter alias res eſſet, verbi gratia, infernus, pœna, peccatum, &c. ſed Deum ex occaſione peccati à ſe prævisi, de iis decretum formaſſe: quæ omnia à ratione, & Sacra Scriptura aliena ſunt, & Dei ſummæ perfectioni non conſentanea. Sed ad rem.

Quia autem ſtatuimus Deum omnia ſimul decreviſſe, non ideo oportet rem hac ratione concipere: Deus prius voluit hujus aut illius miſerum ſtatum, in quo verſantur improbi, deinde voluit exiſtentiam illius ſtatus conſequi per liberam perſeverantiam peccatoris in peccatis: ſed dicendum; Deus inter multa diverſa, quæ voluit, & quorum omnium nullam cauſam, præter ipſius beneplacitum excogitare licet, voluit, ut inter alia eſſent etiam homines, qui liberè in peccatis perſeverarent; & ita pœnæ æternæ obnoxii fierent. Si enim priori modo rem concipias, tum objectum reprobationis, vulgo ſic dictæ, conſtituitur homo nulla morali qualitate mala affectus; quod ego magnopere à vero alienum eſſe puto. Nam quamvis non detur cauſa, quare Deus decreverit producere hominem aliquem ſingularem, & individuum libere peccantem, & libere in peccatis perſeverantem, atque ita ſe æternæ pœnæ obnoxium reddentem; malus tamen liberi arbitrii uſus (cujus liberi arbitrii natura eſt, ut quicquid ab eo proficiſcitur, conſideretur ut non collatum, & profectum à Deo, ſed ab homine ita præſtitum, ut Deus id quodammodo expectet à creatura libera) eſt conditio moralis, ſine qua Deus non voluiſſet decernere, ut eſſet creatura peccans, in peccatis perſeverans, & ſtatui damnationis obnoxia.

Quia itaque Deus finem & media ſimul decernit, ſequitur non eſſe formandum conceptum decreti unius, quo Deus abſolute decernit finem, & poſtea introducere aliud decretum, quo Deus decernit media. Nam veriſſimum eſt media non amplius media vocanda eſſe; & mediorum neceſſitatem tolli, ſi Deus conſideretur ut *abſolutè* decernens finem, & poſtea alio decreto decernens media. Nec conditionale decretum (quale id eſſe putatur, quod includit hominis liberum arbitrium) poteſt ſubordinari decreto abſoluto. Non poteſt concipi decretum, quo abſolute decernitur aliquem rebus humanis interfuturum uſque v. gr. ad annum ſeptuageſimum, & poſtea illi ſubjungere decretum conditionatum: nempe, illud decretum effectum ſuum habiturum, ſi ille homo velit uti mediis convenientibus. Nam decretum, quod requirit hominis liberum arbitrium in ſua executione, non permittit ut hominis liber boni arbitrii uſus non contineatur in primo decreto. Unde fit, quod quibus Deus decernit vitam longævam, decernat illis ut bene utentibus mediis, & libero ſuo arbitrio. Et ſi ille liber arbitrii uſus tunc includat virtutem, & ſi

Deus

Deus in Sacris declaret, ſe huic aut illi vitam longævam conceſſiſſe propter virtutis ſtudium, ita ut illud ſtudium rationem cauſæ moralis habeat; tunc quidem illa virtus moralis non eſt cauſa, quare Deus voluerit, ut in rebus creatis hic aut ille exiſteret longævus, & virtutem exercens, (decretum enim eſt iſtius rei cauſa, & quod non eſt, ne quidem in eſſe cognito, ante decretum, neque ulla qualitate affectum, id non poteſt eſſe cauſa illius decreti per quod eſt) ſed illa virtus moralis eſt cauſa moralis, ſine qua Deus illi non voluiſſet longævam vitam concedere. Et ex adverſo, ſi Deus declaret alicui non vitam longævam indulſiſſe, quia peccator extitit, tunc peccatum non eſt cauſa quare Deus decreverit, ut aliquis peccator exiſteret, qui propter peccatum ſuum brevi tantum vitæ uſura frueretur: ſed peccatum eſt cauſa, ſine qua Deus illi brevem vitæ curriculum non conſtituiſſet Et quia peccatum in tali caſu eſt cauſa vera moralis, ideo Scriptura teſtatur Deum talis hominis vitæ terminum contraxiſſe propter ipſius peccatum. Cum itaque Deus propter pietatem, aut impietatem alicujus vitam protrahere aut contrahere dicitur; id non ita intelligendum, quemadmodum Deus dies æſtivos prolongat, & brumales contrahit; neque putandum Deum hujusmodi formulis balbutire nobiſcum, & ſeſe dimittere ad noſtrum captum; neque ideo rem ex proprietate verborum æſtimandam: nihil minus. Sed pietas & impietas eſt vera cauſa moralis longioris, aut brevioris vitæ; quemadmodum bona opera ſunt cauſæ vitæ æternæ: at dies hyemalis non eſt affecta aliqua qualitate morali propter quam brevis; nec eſt capax moralitatis bonæ, propter quam longa eſſe potuiſſet. Pari ratione vitæ ſanctitas, & perſeverantia in eadem, non eſt cauſa, quare Deus voluerit, ut hic aut ille ſanctus exiſteret, in ſanctitate perſeveraret, & vitam obtineret æternam; hujus tamen aut illius ſanctitas eſt cauſa, ſine qua Deus non voluiſſet decernere, ut hic aut ille homo ſervaretur. Imo Deus non potuiſſet decernere hujus aut illius ſanctitatem, ſine interventu boni uſus liberi arbitrii hujus hominis. Liquet itaque quo ſenſu verè dicatur, quædam decreta Dei pendere à mediis tanquam à neceſſaria conditione. Simul etiam ex ſupra dictis liquet, quæ ſit mediorum neceſſitas in executione.

Ex occaſione, quod in ſuperioribus diximus, probitatem tunc vocandam cauſam vitæ longævæ, quando Deus declarat in Scriptura ſe alicui *propter pietatem* vitam longævam conceſſiſſe, notandum, nexus quoſdam rerum, & relationes cauſarum & effectus dari, quorum alia ſunt arbitraria, alia neceſſaria: arbitraria ſunt v. gr. Deum ex naufragio ſervare hominem ſe compellantem precibus; idque propter preces tamquam propter cauſam moralem: probo propter probitatem vitam longam concedere: non eſt enim nexus neceſſarius, inter precari & probum eſſe, & inter ſervationem ex naufragio, & vitæ longævitatem. Quando itaque Deus non declarat per revelationem alicui vitam longævam, aut ſalutem ex naufragio conceſſiſſe propter preces & pietatem, tunc certò definiri & ſtatui non poteſt, probitatem & precationem eſſe cauſam moralem, propter quam Deus voluerit alicui concedere vitam longævam, aut eripere è periculis naufragii. Horum ratio eſt, quod quædam res morales, quoad earum cauſalitatem, cum quibuſdam effectis certum nexum non habent, aliæ autem certum nexum habent; idque vel abſolute, ut perfecta vitæ ſanctitas cum ſalute; vel ex hypotheſi, ut fides cum hominis ſalute.

Si itaque mundum, & quicquid in mundo fit, factum, aut futurum eſt, conſideremus, ut *unum* aliquid, quod à Dei voluntate ex nihilo profectum eſt, facile intelligimus omnia abſolute à Deo decreta eſſe; & extra Dei beneplacitum nullam fuiſſe cauſam, quare hoc univerſum,

& quicquid in eo fit, eſſe voluerit. At quod ſi conſideremus nexum & ordinem rerum, & actionum creaturarum liberarum, quem non ſolum *inter ſe* habent, ſed qui etiam inter Deum & creaturas intercedit, quatenus nempe aliquod moralitatis fundamentum præbent; & quatenus cauſalitatem veram moralem in ordine ad ipſam Dei voluntatem habent, tunc rectè aſſeritur, omnia illa conditionatè decreta eſſe, quorum exiſtentiam requirit hominis liberum arbitrium. Non poteſt itaque creatura libera concipi tamquam objectum vel effectus decretorum, ſeparata à voluntate, ſive libertate: neque potuit Deus decernere creaturam liberam aliquando fore, quin ſimul poſuerit moralitatem in illa creatura libera: neque potuit quicquam de ea, & circa eam decernere, quo non includatur libertas & moralitas. Et ideo non poteſt concipi aliquid *morale* à Deo decretum, quod ſimul non ſit cauſa relationis moralis ad Deum. Et ita qualemcunque *relationem moralem* Deus ad nos habet, & nos ad Deum; & in quocunque morali ſtatu conſtituti ſumus, illius cauſa eſt illud liberum, quod in actionibus moralibus reperitur. Si itaque objectum decretorum Dei ſtatuas creaturam integram, non debet concipi ullum decretum circa illam, quod repugnet relationi illi, quam Deus ad *integram* creaturam, ratione præditam habere debet, & cujus relationis cauſa eſt, creaturæ operatio recta & legi conveniens. Et quia includitur in natura creaturæ liberæ, quod ſemper operetur, & ſemper bene aut male utatur ſuo libero arbitrio; quodque in omni uſu liberi arbitrii contineatur moralitas aliqua, virtus aut vitium; quodque Deus non ſit cauſa vitii moralis; quodque ideo creatura libera cum vitio à Deo conſtitui & creari non potuit: hinc nata ſunt fundamenta relationis illius moralis.

Quia autem *electio* & *reprobatio* ſunt decreta Dei de ſtatu hominis *morali*; & propter quod decretum Deus conſideratur, ut diverſam relationem moralem habens ad creaturas liberas, non poteſt illa diverſitas oriri, niſi à *moralitate* diverſa, quæ alia eſt in reprobo, alia in electo. Eſt enim electio (vulgo ſic dicta) decretum Dei de creando homine, qui libere credit, in fide cum bonis operibus perſeverat ad vitæ terminum ultimum, & ita ſalutem conſequitur. Et ex adverſo, reprobatio eſt Dei decretum de producendo homine, qui libere peccat, in peccatis & in infidelitate perſeverat; & ita ſibi perditionem accerſit. Quatenus itaque hoc decretum complectitur diverſos ſtatus morales hominis; qui diverſi ſtatus (quia ab arbitrii uſu pendent) etiam diverſas conſtituunt relationes creaturæ liberæ ad Deum; & viciſſim diverſas relationes Dei ad hominem: ideo & amor & odium in eodem decreto reperiuntur; imo etiam aliquid, quod nec odium nec amorem exprimit. Rem ipſam exemplo declarabo. Quatenus v. gr. decretum reprobationis includit decretum de homine creando, qui non fuit, nec in ſe, nec in eſſe cognito, eatenus illud decretum nec amorem, nec odium, nec benevolentiam, nec malevolentiam includit: quia verſatur non circa creaturam liberam, quæ aliquod eſſe habet; quæque ideo, quia nullo modo eſt, non eſt capax ullius talis rei, quæ poteſt præbere fundamentum relationis odii aut amoris, &c. ſed per illud decretum conſtituitur talis rei capax, quia per illud conſtituitur in eſſe. Non rectè dixerim, quod Deus mihi benefecerit, quia decrevit me fore aliquando; quia ſub hoc reſpectu non eram *ego*, ſed eram plane *nihil*: at *nihil* non poteſt eſſe objectum Divini amoris aut odii.

Porro Deus creans creaturam liberam, innocentem, capacem obtinendæ ſalutis; & offerens ea, quæ comparandæ ſaluti ſufficiunt, (quæ oblatio ſaltem cum creatura innocente habet nexum neceſſarium) eatenus Deus rectè benignus, & bonus, & favens illi creaturæ dicitur. Quatenus creatura *libera* conſideratur ut bene utens libe-

libero arbitrio, eatenus Deus conſideratur, non tantum favens creaturæ liberæ innocenti; ſed ut ita favens, cui præmium conferre vult, ſi peccatis ſuis illam relationem non intervertat. Quatenus decrevit Deus, ut eſſem creatura libere peccans, aut non peccans; & conſiderata ut adhuc conſtituta in ſtatu integritatis, (in quo ſtatu ponendum, bonitatem Dei erga omnem creaturam liberam & innocentem eſſe æqualem) ideo Deus mihi nec iniquior nec propitior quam alii creaturæ fuit: ſed per bonum aut malum liberi arbitrii uſum (conſidero creaturam liberam in ſtatu integritatis conſtitutam) ego me Dei odio aut favore, *qui ad remunerationem reſpectum habet*, dignum conſtitui. Nam quamvis decretum, quo eſt conſtitutum ut ſim libere peccans, ſit firmum; & per efficacem Dei providentiam circa malum, certo eventum ſuum ſit habiturum; ſicut etiam alterum decretum, huic jam dicto oppoſitum, per quod conſtitutum eſt, ut ſim creatura libera, liberè perſeverans in bono: certitudo tamen iſtius eventus non conſtituit ullam relationem moralem; & non tantum liberum arbitrium integrum relinquit, ſed nec favoris nec odii nomine venire debet, aut poteſt: ſed odii aut favoris Divini, aut majoris, aut minoris amoris Divini erga creaturam liberam ratio petitur tantum ex mediis, & effectibus, quibus creatura libera à Deo afficitur; & quibus voluntas moraliter movetur; & propter quem moralem animi motum ſibi applaudit, aut ſe accuſat. Nam per moralem motionem non intelligo tantum exhortationes & comminationes illas externas, ſed internum motum mentis noſtræ, quem in ſe experitur, cum gratia Dei roborata bona exerit, & tentationem ſuperat; aut cum propter peccata ſe ſentit fractam & debilitatam, & robore gratiæ deſtitutam. Sed fortaſſe de iis aliquid in ſequentibus.

Porro quatenus jam conſidero liberam creaturam lapſam; & examino varias diſpenſationes Dei circa eam, tunc odii majoris vel minoris, ut & amoris majoris & minoris Divini effectus & teſtimonia circa creaturam liberam verſari reperio. Quatenus diabolum, poſt commiſſum peccatum, ſtatim conſtituit in ſtatu condemnationis, neque eum *viatoris* perſonam obtinere voluit: neque Chriſtum pro illo mori, eo ſe minus miſericordem erga diabolum, quam erga genus humanum præbuit Deus; & eatenus diabolus aliter dicitur reprobatus quam homines, quos Deus in *viatorum* numero habet: de quibus tamen ſtatuit permittere peccatum; eoſque ſinere ſibi ipſis damnationem, & exitium acceſſere. Quatenus autem Deus decrevit, ut eſſent homines *viatores*, quibus tantum gratia communis, quæ etiam contigit iis, qui vivunt expertes Euangelii, ſupereſſet, quâ niterentur ad aſſequendam ſalutem; & ut eſſent alii, quibus Deus gratia illa, quæ per Euangelium diſpenſatur, adeſſe decrevit: quatenus rurſus inter illos eſſent, qui majore, vel minore gratiæ menſura adhcerentur, eatenus Deus unum *viatorem* præ alio amaſſe rectè aſſeritur: & eos juxta Scripturæ ſtilum odiſſe, quibus parcius gratiam ſuppeditat propter peccata præcedentia; & ita reprobat, & tradit in ſenſum reprobum. Eos autem ſpecialiter dilexiſſe, quos extra fidei & bonorum operum intuitum, gratiâ Euangelicâ complexus eſt, & ita elegit. Ex quibus ſequitur, quod tamen multis videbitur paradoxum: nempe, Deum (non obſtante decreto reprobationis diabolorum,) eos in ſtatu integritatis conſideratos, tantum dilexiſſe quantum angelos, qui perſeverarunt in ſanctitate, conſideratos in eodem ſtatu, & *viatorum* perſonam ſuſtinentes.

Hinc etiam ſequitur, objectum reprobationis, vulgo ſic dictæ, *eſſe hominem peccatorem, & in impœnitentia morientem.* Non hominem peccatorem eo ſenſu, quo vulgo ſtatuitur, objectum prædeſtinationis, *homo lapſus*: quaſi Deus ex maſſa corrupta

rupta abſoluto reprobationis decreto, quoſdam ſingulares homines, ſine peccati conſideratione, nollet conferre gratiam, qua ſervari poſſent; & ita eos perire velit: deſtinans *permiſſionem peccati* libere ab homine perpetrandi, & *permiſſionem perſeverantiæ* in eodem peccato, tanquam medium ad perditionem. Reprobationem talem rejicimus. Sed peccatum hominis, & perſeverantia in eodem peccato, eſt cauſa, ſine qua Deus nunquam decreviſſet *hunc* aut *illum* reprobare; & per quod peccatum, & per quam perſeverantiam in eodem peccato, homo ſe dignum conſtituit quod reprobetur: & hoc in ſenſu reprobatio non eſt actus *dominii* ſimpliciter, ſed actus mixtus, compoſitus ex actu dominii & judicis. Neque tamen ideo probo ſententiam Remonſtrantium quorundam docentium, *hominem in peccatis morientem eſſe objectum reprobationis*: quaſi Deus propter hominis peccata, & perſeverantiam in iiſdem, decreviſſet, ut eſſet aliquis homo libere peccans, & in peccatis perſeverans; & ita in ſtatu condemnationis conſtitutus. Nam certe peccatum præviſum non eſt cauſa formandi decreti de tali ordine; nempe ut eſſet in mundo peccatum, defectus, & damnatio hujus & illius hominis; ſed abſolutum Dei decretum eſt cauſa iſtius diſpenſationis: & efficax Dei providentia circa peccatum: ut & omnium naturarum, & earum ordinis dependentia à Deo, ejuſque decreto libero, eſt cauſa, quare reprobatio etiam abſoluta vocari poſſit, & actus dominii putetur. At quia reprobatio etiam includit hominis liberum arbitrium, ideo omnis reprobatio vocatur etiam conditionata, & ejus objectum eſt homo peccator, & moriens in peccatis.

Liquet porro ex ſuperioribus, quomodo electio ad fidem & bona opera, poſſit vocari *abſoluta*, & quomodo *conditionata*: abſoluta, quatenus Deus abſolute voluit, ut hic & ille homo eſſet, & exiſteret libere credens, &c. Conditionata rurſus eſt, quia *abſolute* nemo eligi poteſt ad id, quod à noſtra libera voluntate proficiſci debet: quamvis id fiat per Dei gratiam; & illa gratia ſit deſtinata, tamquam medium, per quod certò homo ſalutem conſequetur, quamvis & modo à nobis incomprehenſibili, & propter dependentiam rerum creatarum à Deo, tanquam à cauſa prima: quia utcunque certò homo per gratiam, & Dei efficacem providentiam ſalutem adipiſcitur; ita tamen ſalutem in hoc caſu conſequi ponitur ut *viator*, & per liberum arbitrium. Imo ſi rectè & accurate loqui velimus, non datur electio ad fidem: quia electio conditionata non eſt electio; neque quiſquam eligi poteſt ad id, quod à *viatoris* libero arbitrio proficiſci debet. Nam quandoquidem, nec decretum, nec efficax Dei providentia, nec gratia qualiſcunque, & ut lubet magna, non tollit aut minuit libertatem in homine; & quandoquidem omne id, quod à libertate proficiſcitur, includit illum conceptum formalem, ut id à Deo non ita conferatur, quin etiam à libertate hominis, ut ita dicam, expectetur, non poteſt concipi aliquis eligi ad fidem & bona opera, niſi conditionate: & ideo talis electio non eſt proprie *electio* vocanda. Illa conditio tamen non facit, quod decretum, quo Deus decernit producere hominem, qui libere credat, non ſit firmum: eſt *firmum* propter dependentiam omnium creaturarum à Deo, & propter efficacem Dei providentiam: eſt, ut ita dicam, *ſuſpenſum*, quia eſt decretum de rebus, quarum executio obtineri tantum poteſt per libertatem hominis. Diſtinctionem enim *de ſenſu compoſito*, & *ſenſu diviſo*, ſano ſenſu explicatam, admittimus. Cum reſpicimus ad dependentiam omnium creaturarum à Deo, ſtatuimus nihil aliter eventurum, quam Deus id fieri abſolute decrevit: at cum ad noſtrum liberum arbitrium reſpicimus, ſtatuimus nos aliter *potuiſſe* agere, quam agimus; quia nullus eſt formandus conceptus de dependentia creaturarum à

Deo

Deo, & de efficaci ejus providentia, qui tollat illud liberum voluntatis, *quo poſſumus velle quicquid lubet*. Et decreto Dei abſoluto (ſenſu ſupra tradito) non eſt locus in rebus, ad quarum executionem liberum arbitrium requiritur: & quod decretum abſolutum tollit illud, quod à libero arbitrio liberæ creaturæ profectum, habet rationem illius, quod Deus *quaſi expectare* à libera creatura dicitur. Ideoque omni modo rejicimus illum loquendi modum, quo dicunt in aliquo ſenſu verum eſſe, hominem non poſſe plura bona opera facere, quam facit; & in genere, eum non poſſe plus boni aut mali facere, quam facit.

Talis enim loquendi modus exprimit conceptum mentis, quo intelligimus per dependentiam rerum creatarum à Deo, & per Dei decretum abſolutum de iis, ab earum creaturarum liberarum actionibus tolli *libertatem arbitrii*, vel potius *liberum arbitrium*; & cujus natura eſt, ut poſſit *omnia velle*: & introducit decretum Dei de actionibus liberis, quod excludat *libertatem volendi quod lubet*. Concipit enim voluntatem relatam ad dependentiam ſuam à Deo, ſummo ente, & ad ejuſdem Dei decretum, non *poſſe velle* quod lubet: extra autem illam rationem, & in ſe conſideratam, *poſſe velle* omnia. Et ita illo conceptu non ponunt libertatem in voluntate; ſed tantum afferunt illam à ſe, ſub aliqua ratione conſiderari, ſub qua illis non obverſetur in mente voluntas, per dependentiam, & decretum Divinum, libertate ſua agendi quod lubet, privata. Qui conceptus duplici vice falſus eſt: primò, quia præſupponit hominem poſſe per abſtractionem conſiderare voluntatem, ut dependentia à Deo & decreto Divino *conſtrictam*: deinde, quia revera id ponit, per quod voluntas deſinit eſſe voluntas. Et doctrina illa, quæ docet omnia per & propter decreta Dei, & dependentiam creaturarum à Deo certo evenire; nec eo tamen potentiam noſtræ voluntatis, quâ agit, quæ lubet, & qui poteſt omnia velle, & contrarium ejus, quod voluit, tam alte inſedit omnium mentibus, quam ipſa doctrina de Deo. Et quemadmodum nulla gens, aut natio exiſtit, quæ non ſit imbuta Deorum opinione, ita nulla pariter exiſtit, quæ non credat bella & calamitates, quæ bella & calamitates, propter hominum impietatem ſequuntur, à Deo hominibus diſpenſari propter ſua demerita; eaſque Deum poſſe avertere propter proba piorum facta: (hoc enim fundamento nititur omnis cultus) neque eo minus arbitratur, quin piis & impiis adfuerit poteſtas referendi conſilia in pejus aut melius.

Sed pergamus ad ea perſequenda, quæ electionem & reprobationem ſpectant. Quemadmodum itaque non licet conſiderare hominem peccantem, quin ſimul conſiderandus ſit, ut qui potuit non peccare: ita nunquam Deus voluit ut peccatum exiſteret, quin ſimul eſſet affectum illa qualitate, qua æſtimatur, illud libere eſſe perpetratum; eaque libertate quam in nobis experimur, & cujus uniuſcujuſque conſcientia certiſſimum eſt teſtimonium, & quod à nobis, utcunque aliquis occlamet, avelli non poteſt. Cum autem aſſerimus voluntatis naturam eſſe, ut poſſit velle omnia, non ideo aſſerimus *indifferentiam*, & libertatem ad oppoſitum, eſſe de natura libertatis: nam ſtatuimus mentem, ſive voluntatem per lumen intellectus ſe ita determinare, ut non amplius ad hoc aut illud agendum ſit indifferens: ſed cum talis determinatio ſit ab ipſa voluntate, & nullo modo ab aliqua re extrinſeca etiam qualicunque, (ne Deo quidem aut ipſius gratia exceptis) talis determinatio profecta à magno lumine in mente, non repugnat iſti facultati voluntatis, propter quam de voluntatis natura eſſe diximus, quod poſſit velle omnia. Et in hoc inſigniter peccatur à multis, quod formant conceptus de dependentia creaturarum à Deo, & de Dei *efficaci* providentia, qui repugnent iſti libertati voluntatis. At cum modus,

dus, quo creaturæ dependeant à Deo, & quo Deus efficacem ſuam providentiam in creaturis exerit, ſit infinitus, à nobis incomprehenſibilis, & cujus nullum conceptum aut ideam habemus, cujus idcircò etiam nullum eſt judicium; fieri non poteſt quin peccetur à nobis, quoties illius aliquem conceptum formare volumus: eum enim ſemper mutuamur à rebus creatis, quod alibi reipſa oſtendi; cum tamen dependentia creaturarum à Deo, & præſertim noſtræ voluntatis, ſit plane alterius naturæ; neque quicquam commune habens cum illa independentia, cujus ideam habemus à rebus creatis mutuatam.

Et quemadmodum noſtri peccant, cum verſantur in hujusmodi argumentationis modo, ita adverſarii fruſtra operam ſumunt, quando probare nituntur dependentiam creaturarum à Deo, repugnare noſtræ libertati: nam quamvis eorum congreſſus ſit feliciſſimus contra noſtros, qui modum dependentiæ noſtræ voluntatis exprimunt per *prædeterminationem*, *præmotionem*, *præcurſum*, *&c.* (qui conceptus omnes revera conceptum de libertate voluntatis tollunt) tamen iſta victoria nihil facit ad ſummam rei: non enim in eo vertitur cauſæ eorum æquitas, quod noſtrorum Theologorum vitioſos de modo dependentiæ conceptus ſubvertant, ſed quod probent nullam dependentiam creaturarum à Deo eſſe poſſe, quin tollatur voluntatis natura. Lubenter enim concedimus, nullum nos poſſe formare conceptum de modo dependentiæ, quin, ſi eum probe examinemus, comperiemus illum aut voluntatem deſtruere, (quod noſtris ut plurimum contingit) aut primi entis naturam ſubvertere; quo vitio ut plurimum adverſariorum argumentationes laborant. Probent adverſarii eſſe de natura dependentiæ, quod libertas voluntatis cum ea non poſſit conſiſtere, & quod ſit de natura libertatis, quod non detur dependentia. Sed hoc illis æque in proclivi erit, quam probare non poſſe dari Deum, ſi detur voluntas; aut non dari voluntatem, ſi detur Deus. Et jam ſatis intelligimus, quid reſponderi oporteat ad illam objectionem; nempe, ſequi ex noſtra doctrina, Deum eſſe authorem peccati. Illud enim ex doctrina dependentiæ ſequi non poteſt: ſed veriſſimum eſt, quod ſæpius ex malis noſtrorum conceptibus de modo dependentiæ, hoc ſequatur. Et mihi quidem videtur adverſariis nullam cauſam ſupereſſe, quæ illos morari poſſit, quare noſtram doctrinam non amplectantur; quandoquidem omnes conceptus de libertate, & facultate voluntatis, quos illi formant, etiam nos admittimus: ultro enim concedimus nullum conceptum formandum de dependentia creaturarum à Deo, qui imminuat ſummam illam libertatem voluntatis; & quo aliquid ponitur extra voluntatem, quod eam determinet, & quo minus non poſſit velle omnia.

Eſt tamen aliqua *electio abſoluta* ad fidem, ad bona opera, & ad ſalutem; quatenus Deus ex pura ſua miſericordia quibuſdam hominibus offert gratiam, per quam ſervantur, & credunt, & operibus bonis ſe dedunt, quam aliis non offert: & hæc electio etiam eſt abſoluta; quia nec fides, nec opera bona prævi ſa, ſunt cauſa moralis ullo modo, quare Deus iis offert illam gratiam, per quam credunt, & bona operantur: quemadmodum nec infidelitas, nec improbitas prævi ſa, eſt cauſa quare eandem gratiam aliis quibuſdam hominibus non offert. Quæ electio ſimilis eſt illi electioni, quâ dives quibusdam pauperibus confert eleëmoſynam, quam aliis non confert, nullo habito reſpectu ad probitatem, aut improbitatem pauperum, quibus illa eleëmoſyna confertur, aut non confertur. Nam quamvis illa eleëmoſyna non conferatur, niſi illi, qui illam acceptat; neque intenditur, ut quiſquam illa eleëmoſyna fruatur, niſi qui illâ frui velit, atque ut ita ſit conditionata; acceptatio tamen non eſt *cauſa*, quare dives quibuſdam eleëmoſynam conferat: quamvis ſit cauſa,

cauſa, quare eleëmoſynæ pauper particeps fiat. Non eſt itaque illa acceptatio ſimpliciter cauſa *ſine qua non*: quæ revera tantum nomine tenus cauſa eſt; quia nulla cauſalitate attingit effectum, aut cauſatum. Neque tamen illa acceptatio eleëmoſynæ eſt hujuſmodi cauſa, quæ relationem habet ad remunerationem, quamvis talia opera etiam procedere poſſint à paupere, acceptante eleëmoſynam: ut ita ſint vera cauſa, quare dives iterum atque tertiò beneficia in eo, qui eleëmoſynam accepit, cumulet, novaque conferat. Sic fides conſiderata ut voluntatis actio, qua meritum & juſtitiam Chriſti amplectitur, rectè confertur operationi voluntatis pauperis acceptantis eleëmoſynam, & ſub ea ratione nullo modo conſideratur in juſtificatione ut *opus*: at bona opera, quæ *rationem cauſæ vitæ æternæ* induunt, & tamen à juſtificatione excluduntur, ſunt illa, quæ cum niſu, conatu, & difficultate exeruntur: nec tamen implicati ſunt in ipſo actu fidei formali; (quemadmodum mactatio filii ab Abrahamo ſuſcepta, & præſtanda, incluſa erat in formali actu fidei Abrahami, quapropter illi operi etiam juſtificatio attribuitur) ſed actum formalem fidei ita ſequuntur, ut propter Chriſtum fide apprehenſum, ea exerantur: ſed de his alias amplius; redeo itaque ad inſtitutum. Quamvis ita quibuſdam offeratur illa ſalus, & gratia per fidem acceptanda, aliis autem eadem gratia non offeratur, non tamen deſtituuntur mediis, quibus ſervari poſſent, ſi vellent.

Cum autem dico quibuſdam tantum illam gratiam conferri, cujus per fidem participes ſimus, ex hoc intelligit lector me hanc electionem, de qua nunc ſermo eſt, non putare ita abſolutam eſſe, ut etiam excludat id, quod per gratiam Dei à noſtra voluntate proficiſci debeat: ſed quia illud eſt fides, quæ tantum hic habet rationem actionis voluntatis acceptantis beneficium, ideo ipſa fruitio beneficii non putatur ſuſpenſa à cauſa, quæ aliquam efficaciam habet ad producendam illam relationem in ordine ad Deum, quâ à bonis operibus exſpectatur remuneratio. Ut inde liqueat aliud eſſe conditionem ſimplicem, aliud eſſe conditionem talem, quæ habet rationem operis reſpicientis præmium, cujus hæc eſt formula: ſi tu velis hoc facere, ego viciſſim illud faciam, ita ut præſtatio conditionis habeat rationem cauſæ moralis producentis relationem, ſub qua Deus conſideratur, ut volens remunerare opus aliquod bonum. Sed formulam ita concipere oportet: ego te credentem ſervare volo; ita ut objectum electionis quidem ſit homo illa qualitate morali affectus, quam fidem vocamus, ſed tamen fides non eſt cauſa electionis. Aliud eſt aliquem eligere ex fide prævſa, hoc eſt, deſtinare alicui beneficium & meritum Chriſti fide apprehendendum, aliud propter fidem aliquem eligere. Intelligit præterea lector me per conditionatum decretum, non intelligere tale decretum, quod ita à conditione ab homine præſtanda pendeat, ut Deus ſuſpenſus ſit, & in exſpectando quid homo facturus ſit; nam quamvis illud *liberum*, quod reperitur in omnibus actionibus voluntatis, tale ſit, ut concipi nec poſſit, nec debeat tanquam *abſolutè* à Deo procedens, & homini ita abſolutè decretum & collatum, ut *libertatis* voluntatis nulla ſit habita ratio, ſed quod contra, concipi debeat ut aliquid, quod Deus à nobis requirit, ut contradiſtinctum ei, quod ipſe nobis conferre vult: conſideratio tamen dependentiæ creaturarum à Deo; & quod implicet fingere aliquid, quod ſuam naturam, aut exiſtentiam habeat ante Dei voluntatem, & quod ita, & ea ratione aliquid à ſe ſit, vetat Deum propter *illud liberum voluntatis* conſiderare ut ſuſpenſum à conditione.

Porro, quatenus ea eſt ſors & conditio humani generis, ut totum ſit propter peccatum reatui obnoxium; totumque ideo deſtituatur gloria Dei; Deuſque illam

œconomiam & rationem ſervandi homines inſtituat, ut non velit conferre gratiam, quâ credant & convertantur, illis, qui per legem & opera ſervari volunt, quod Apoſtolus vocat *currentis & volentis*, *Rom.* 9. & quæ eſt ratio quærendæ ſalutis extra Chriſtum: ſed ex adverſo, eos ad vitam adducere velit, qui nullam ſpem ſalutis ex rebus à ſe proficiſcentibus concepêre, ſed re ipſa nudi & deſtituti ſunt omni præſidio acquirendæ ſalutis, & præſertim illius, in quo Judæi plurimum fiduciæ collocabant: ut Deus ita palam oſtenderet ſalutem hominis à ſola Dei miſericordia in Chriſto pendere, & rationem ſalutis in Euangelio prædicatam apertè, in V. T. obſcurius, & quæ ab omni ævo obtinuit, eſſe gratiam Euangelicam. Cui gratiæ naturæ repugnat aliquod bonum morale qualecunque in illo homine ponere, qui iſtius gratiæ ſit particeps: eo inquam reſpectu Scriptura ſpeciatim docet, & inculcat electionem non eſſe operantis, ſed miſerentis Dei; & eam electionem eſſe hujuſmodi, quâ ſe communicat iis, qui ipſum non quærebant. Quæ ſervatio vocatur ſervatio *ex gratia*, & opponitur ab Apoſtolo directè *operibus*; hoc eſt, rationi ſalutis, qua homines non tantum *currendo & operando* præſumunt ſe vitam adepturos, ſed qua ponitur aliquod bonum morale in homine, quo ratio, quo ſervantur, definit eſſe talis, ut non ſit amplius hominis Deum non quærentis. Et ideo diſertè Scriptura dicit, Deum puerorum alterum, antequam aliquid boni aut mali fecerant, dilexiſſe, alterum odio habuiſſe. Et electio, ſic conſiderata, ita eſt ex gratia, & non ex fide, aut operibus prævis, ut album nigro, & aqua igni non ita ſit contraria, quam illi electioni gratuitæ ea, quæ eſt ex fide, aut operibus; quia illa electio, ſicut & juſtificatio re ipſa, & ex ſua natura excludit omnem qualitatem bonam in homine, ut cauſam electionis: ſicut & juſtificatio illam excludit: & eſt electio *improbi*, quemadmodum juſtificatio eſt *improbi*, *Rom.* 4. Quamvis iſtorum amborum hoc diſcrimen ſit, quod electio ſit hominis improbi ad gratiam, & ad bonum fide apprehendendum: & juſtificatio hominis improbi eandem gratiam & idem bonum fide apprehendentis. In hiſce enim fides, quamvis ſit actus voluntatis ab ipſo homine proficiſcentis, non magis habet rationem cauſæ moralis impellentis Deum, ut improbum eligat, aut impium à reatu abſolvat, quam acceptatio beneficii à paupere facta, eſt cauſa, quare dives decrevit alicui pauperi conferre eleëmoſynam, aut quam acceptatio abſolutionis facta à reo, ſit cauſa, quare à judice reus abſolvatur: ſed fides in hiſce Dei operibus eſt tantum conditio quædam moralis, ſine qua beneficium Chriſti nemini poteſt eſſe uſui & bono.

Et quia tam electio, quam juſtificatio eodem modo gratuita eſt; ideo talis inter has duas affinitas eſt, ut Apoſtolus, quando de hac electione agit, (quæ gratia Euangelica continetur, & quæ ideo cum ratione ſalutis per fidem, quæ Euangelii ſumma eſt, conjuncta eſt) eadem phraſeologia utatur, quâ in juſtificatione: habentque opera & gratia, quæ Apoſtolus tam in electione, quam juſtificatione inter ſe opponit, eundem ſenſum. Et qui ita eliguntur & juſtificantur, vocantur *filii promiſſionis*, *Rom.* 9: 8. *Et ſecundum promiſſionem hæredes*, *Galat* 4:28. Quia illa electio & juſtificatio fluit ex gratuita illa promiſſione Euangelica, qua miſeris peccatoribus, omni ratione conſequendæ ſalutis deſtitutis; & ſub hac forma conſideratis, confert ſalutem: quemadmodum Abrahamo jam effœto, & generationi inepto, atque adeo ſpem prolis ex ſuis viribus parandæ, abjicienti, filium promiſit; & ſtatuto tempore promiſſionem adimplevit. Et hoc propoſitum ſervandi tales, Scriptura ideo vocat *propoſitum ſecundum electionem*, quia eſt propoſitum, ſecundum quod deſtinat conferre gratiam homini, ut peccatori, & omnibus ad ſe convertendum, aut ad ſalutem conſequendum, viribus

ribus deſtituto; quales propriiſſime eligi dicuntur: quia Deus per eam ſe offert iis, qui omni modo erant perditi, & à ſe alieni; & qui ideo ipſum non quærebant. *Et ideo non ex operibus, ſed ex vocante; ut propoſitum firmum maneret. Ex vocante*: hoc eſt, Deo ad ſe invitante, & aſſumente hominem non ſe quærentem, ſed à ſe averſum per opera mala, gratia ſua anteveniente. Manet autem tale propoſitum *firmum*, quia non pendet ab ullo hominis opere, qua tali, ſed à ſola Dei gratia & veritate: quemadmodum firmitas propoſiti dandi pauperi, nihil à me petenti, nec me quærenti, eleëmoſynam, pendet ſolummodo à mea conſtantia, veritate & miſericordia. Et ideo Apoſtolus illud *propoſitum firmum* vocans, non reſpicit ad conſtantem & immutabilem Dei voluntatem, qua omnia exequitur, quæ ab æterno fieri decrevit; nam eo reſpectu electio alicujus ad vitam per opera, etiam firma eſt: ſed quia electio, de qua hic ſermo eſt, continet deſtinationem conferendi peccatori non ſolum omni modo perdito, & conſiderato, ut nulla bona qualitate inhærente, quæ Deum poſſet impellere, prædito, gratiam ſalutarem in Euangelio revelatam: ſed etiam quia ſtatuit gratiam conferre nihil operanti, & nihil de ſuo conferenti, quod cauſæ moralis proprie dictæ rationem habeat. Nam quamvis tale Dei propoſitum in ſua executione non tantum includat fidem, ſed etiam requirat objectum fide præditum: illa fides tamen non habet rationem operis, & cauſæ moralis, quæ ſecundum naturam operationis cauſarum moralium, ea efficacia influat in voluntatem, ut gratia Dei in electione non maneat omni modo gratia; nec eâ imminuatur.

Vocat itaque Apoſtolus illud propoſitum *firmum*, quia fides electorum non conſideratur ut conditio, à quibus ſuſpenſa promiſſio eſt; & ideo ſingulari quadam ratione tales promiſſiones *firmæ* vocantur: quemadmodum teſtamentum firmum & ratum eſt morte teſtatoris, etiamſi intercedere debeat hæredis voluntas acceptantis hæreditatem. Eodem referenda verba *verſ.* 25. *Vocabo populum, qui meus non erat populus, & eam, quæ non erat dilecta, dilectam. Et verba cap.* 11. *verſ.* 7. *Quod quærebat Iſraël non invenit, ſed electi obtinuerunt*: electi hic opponuntur Iſraëli quærenti; atque ita per electos intelligendos arbitror peccatores, non quærentes Deum, nec ullam ſpem habentes acquirendæ vitæ ſuo conatu, labore & ſtudio; hoc eſt, operibus aut propria juſtitia: ſed quos Deus præoccupavit gratia ſua Euangelica; & quibus vitam per fidem in Jeſum Chriſtum dedit.

Ne autem hæc electio (quæ nullum omnino reſpectum habet ad bonam electi qualitatem aut diſpoſitionem) videretur gentibus, & præſertim Judæis; qui electionem ex operibus, quemadmodum juſtificationem ex operibus urgebant, nova & Scripturis non contenta, probat Apoſtolus Deum ab omni ævo talem eligendi & vocandi homines ad ſalutem rationem, qua nullo habito reſpectu ad bona aut mala opera eligit & vocat, quemcunque ex arbitrii ſui libertate eligere & vocare lubet, adhibuiſſe: adducitque in eam rem exempla, quibus probat eâ eligendi & vocandi ratione, ut etiam reprobandi (in qua operis boni aut mali nulla æſtimatio eſt) Deum eſſe uſum. Diximus enim jam nullam qualitatem bonam eſſe cauſam, quare Deus aliquem ad ſalutem per fidem acquirendam eligit. Et ita neque currentis & operantis conatus eſt cauſa, quare Deus aliquem non eligit ad ſalutem per fidem acquirendam: quamvis fides ſit cauſa *ſuo modo*, quod hujus aut illius electio ad ſalutem per fidem acquirendam detur. Et quamvis currentis conatus; & per opera juſtificationem adipiſci laborantis, cauſa ſit quare hujus aut illius excluſio à ſalute exiſtat: nam ut ſæpius inculcavimus in aliquo ſenſu reprobatio & electio eſt ex infidelitate & fide præviſa. Exiſtimamus hanc electio-

nem & reprobationem, quam modo deſcripſimus, eſſe electionem illam proprie dictam, de qua in Sacra Scriptura ſingulatim fit mentio, & præſertim in Epiſtola ad Romanos. Et electionem definirem, quod ſit Dei ex amore plane gratuito profectum decretum quoſdam homines, perditos in ſe, reatui obnoxios, & quos Deus juſte ſivit ad tempus in viis ſuis ambulare, vocandi ad ſalutem, & conferendi gratiam Euangelicam, qua ſerventur. Reprobationem ex adverſo definirem, quod ſit decretum Dei permittendi quoſdam ſingulares homines, qui gratia ſua abuſi ſunt, neque ullum ex ea retulerunt fructum, ambulare in viis ſuis; & ita ſinere eos ruere in interitum. In hac electione nec fides, nec opera ullum conferunt momentum: ſicut nec in hac reprobatione abuſus gratiæ eſt cauſa quare reprobentur; quamvis ille abuſus ſit qualitas in homine reprobato, ſine qua Deus tale decretum de quibuſdam hominibus & gentibus non feciſſet.

Horum duorum decretorum alterum puto electionem propriè dictam, alterum reprobationem; & utrumque communi nomine prædeſtinationem vocandam. Electionem autem & reprobationem, de quibus egimus in prioribus; & quas electionem & reprobationem impropriè dictas vocavimus, deſignarem nomine *providentiæ Divinæ circa creaturam liberam, omneſque ejus ſtatus morales* Quæ duo decreta immenſum differunt: quod ex toto ſermone ſupra in medium prolato, manifeſtum eſt; & illuſtrius fiet ex antitheſibus, quas nunc ſtrictim proponam: reliqua lectoris induſtriæ & meditationi relinquens. Electio propriè dicta gratiam includit: impropriè dicta electio non includit gratiam; ut liquet ex angelis, qui per opera ſervati ſunt. Electio prior habet pro objecto hominem ambulantem in viis ſuis: poſterior non reperit objectum, ſed ponit objectum. Prioris certitudo petenda eſt ex gratiæ magnitudine: poſterioris ex efficaci Dei providentia, & dependentia creaturarum omnium à Deo; qua tam certo peccatum evenit, quam virtus; tam certo perditio, quam ſalus. Prioris electionis reſpectu Deus erga omnes non eſt æque benevolus; ſed contra eſt de ratione iſtius electionis, quod alios gratia ſalutari complectatur, alios illius expertes habeat: at poſterioris electionis reſpectu Deus omnibus ex æquo eſt benignus & bonus, tam iis qui pereunt, quam iis qui ſervantur, tam angelis, qui perſeverarunt in integritate, quam iis, qui ab ea deſciverunt: qui enim perſtitere, non gratia ſingulari, ſed libero ſuo arbitrio perſtitere. Priori electione ſervantur, poſteriori non ſervantur peccatores; niſi quatenus peccatores per priorem electionem includat. Prioris electionis cauſa meritoria non eſt quidem meritum Chriſti; ſed electio eſt tamen decretum, quod includit meritum Chriſti, & ſine quo nec eſſe nec concipi poteſt; & ita eſt fructus gratiæ Euangelicæ: in poſteriori electione non habetur ratio Chriſti meriti. In priori electione eſt ordinatio mediorum ad finem, & ſubordinatio decretorum: in poſteriori non item, ſed in ea objectum, cauſæ & media ſimul conſiderari debent: quomodo id intelligendum ſit, ſupra fusè expoſitum eſt. In priori verum eſt dictum Chriſti, ego vos elegi, vos me non elegiſtis: quia gratia ſua peccatorem in viis ſuis ambulantem antevertit: in poſteriori verum eſt idem dictum, quatenus Deus ex ſuo libero & abſoluto decreto voluit, ut aliquis exiſteret, qui peccans & in peccatis vivens à Dei gratia præveniatur.

In electione priori vita decernitur ut præmium: in electione angelorum vita decernitur ut merces. Poſſem infinita alia proferre, quibus innuatur differentia electionis propriè dictæ ab ea, quam jam Dei providentiam circa creaturam liberam vocare lubuit.

Et quamvis *electio vera* ſit pars *illius providentiæ*, non oportet tamen hæc duo confundere propter diverſas relationes, quas Deus

Deus & creatura libera ad ſe invicem habent: & propter quas relationum diverſitates providentia Dei generalis in diverſas dividitur partes; quæ ſingulæ diverſam rationem & naturam habent. Electio propriè dicta eſt quidem pars providentiæ generalis; & eâ continetur: ſed propter diverſos reſpectus, quos fundat tam hominis quam Dei ratione, ideo eatenus diverſam induit naturam ab aliis providentiæ generalis partibus. etiam propriis ſuis reſpectibus & relationibus affectis, diſtinctam. Ideo non poſſum probare eorum ſententiam, qui inculcant duas illas opiniones; quarum altera objectum prædeſtinationis ſtatuit hominem creabilem, aut creatum, ſed integrum & incorruptum, altera hominem lapſum, congruere. Nam præterquam quod non admodum veritati conſentaneum ſit dicere, objectum prædeſtinationis eſſe hominem ſimpliciter lapſum; cum reprobationis objectum ſit homo, qui aliquamdiu abuſus eſt donis Dei, nec fructus retulit, (quo ſenſu etiam terra aliqua dicitur reproba, *Hebr.* 6:8.) & quod ita electionis objectum ſit homo non tantum lapſus, ſed per peccandi conſuetudinem à Deo averſus; Deumque minime quærens. Tum hoc vitio etiam iſtorum doctorum opinio laborat, quod duas providentiæ generalis partes, propriis ſuis reſpectibus diſtinctas, in formali aliquo reſpectu putant convenire. Tam repugnat hominem non lapſum conſtituere objectum prædeſtinationis particularis, quam ſtatuere hominem non lapſum in decreto Dei juſtificari per fidem.

Et ita quidem ad finem perduximus expoſitionem ſententiæ noſtræ de prædeſtinatione: nec video quid adverſarii in ea culpandum invenire poſſint. Si enim attendamus ad electionem aut reprobationem particularem; illa nihil aliud continet, quam quod Deus ex ſuo beneplacito, & ex miſericordia ineffabili, quoſdam homines peccatores & peccatis indulgentes, ſua gratia vocat & eligit ad ſalutem; & ad ea omnia, quæ ad ſalutem conſequendam neceſſaria ſunt. Hac autem tantum intelligitur Dei decretum, quo quoſdam peccatores, qui per aliquod tempus abuſi ſunt Dei donis, ſtatuit permittere ſuæ libidini, & ſinere eos eo modo ſibi parare mortem & exitium æternum. Si autem attendamus ad providentiam generalem, & prædeſtinationem impropriè dictam, eâ nihil aliud ſignificatur, quam tale Dei decretum, quo ſtatuit Deus aliquam creaturam liberam producere, quæ exiſtat libere; & ſua culpâ peccans, in peccatis & in infidelitate perſeverans, & ita ſibi exitium accerſens: quo etiam ſtatuit creaturam liberam producere, cujus poſtquam peccavit, & peccato ſe dedit, ita tamen miſereri vult, ut non ſe quærentem ſuâ gratiâ antevertere velit, &c.

Nunc pergimus ad ea, quæ de gratia dicenda ſuperſunt; & ea, occaſione, ut confido, reliquos ſcrupulos, qui lectori moleſtiam & difficultatem creare poſſent, eximemus.

DE GRATIA.

Omnis bonitas & benevolentia, quam Deus depromit erga creaturam; illique impartitur, poteſt vocari gratia: ſed propriè, & ex ſenſu Scripturæ, & ex conſuetudine inter homines uſitata, ea gratia Dei vocatur, quando Deus creaturæ rationali confert id, ad quod non tenebatur, neque *legibus naturæ ſuæ, neque legibus creaturæ rationalis.* A bonitate Dei profectum eſt, quod voluerit creaturas rationales *producere.* Ex legibus in natura Dei, & creaturæ rationalis fundatis, creaturas rationales ſuſtentat; & ea iis largitur, quæ requiruntur ad vitam ſanctè inculpateque traducendam. Operatio itaque Dei, quæ extitit circa angelos, & homines adhuc à peccati labe immunes; & qua vitæ ſanctitati operam dabant, vel operam dare poterant, non vocatur *gratia.* Et angeli, qui perſtitere in ſanctitate, glo-

propriè loquendo, non perſtitere *gratia*. Et angeli qui perſtitere in ſanctitate, propriè loquendo, non perſtitere *gratia Dei*: & qui cecidere, non cecidere, quia influxus gratiæ ceſſavit: ſed qui perſtiterunt, perſtitere *ſua natura*; & qui cecidere, cecidere, quia corruperunt naturam ſuam. An autem Deus aliquos angelos præ aliis, aut Adamum præ Eva amplioribus donis inſtruxerit, de hoc Scriptura ſilet; neque id ratione inveſtigare licet. Omnes creaturas rationales ita abunde exornatas donis fuiſſe ad colendam æquitatem & juſtitiam, ut nihil vitii, aut infirmitatis in earum natura fuerit, qua pellecti aut debilitati ad peccatum proclives fuerint, id teſtatur Scriptura, *Eccl* 7:30. *Col.* 3:11. Et hac in re diſcriminantur ab Adamo lapſo; & ab omni ipſius poſteritate: quæ peccato infecta, & ſe ſuæ vitioſitati permittens, ad omne peccatum prolabitur; quamdiu gratia Dei renovata non eſt.

Status itaque naturalis creaturæ rationalis *gratiam* propriè dictam excludit. At poſtquam *peccatum*, & per peccatum *reatus*; & quæ peccatum ſequitur, *miſeriæ* aditus factus eſt in mundum, tunc gratiæ proprie dictæ locus factus eſt. Diaboli, Adam & Eva, totaque quæ ex utroque trahit originem poſteritas, Chriſto excepto, per peccatum ſe reos mortis & condemnationis conſtituere. Attamen Deus Adamum & Evam, ejuſque poſteritatem non conſtituit *in ſtatu damnatorum*: quo in ſtatu diaboli ſunt conſtituti; *qui ideo damnationi ſervati dicuntur*, 2 *Pet.* 2:4 *Nam ſi Deus angelis, qui peccaverunt, non pepercit, ſed in tartarum detruſos catenis caliginis tradidit, damnationi ſervatos*: vide etiam *Judæ verſ.* 7. Per ſtatum autem damnatorum non intelligo ſimpliciter illum ſtatum, in quo creatura damnata ultimum patitur ſupplicium; ſed illum ſtatum, quo *viatorum* numero exempta eſt: *& cujus ſalutem Deus amplius non vult*; neque ei confert ullam gratiam, qua ſervetur; quam ideo nec *vocat* ad ſalutem, nec per præmia *allicit* ad amplectendam virtutem; nec minis & pœnarum intentatione à vitio deterret: nec de qua Deus in Scriptura uſquam teſtatur, *quod deſideraris ejus ſalutem*; cui neque exprobrat, quod gratiam, & tempus opportunum ad aſſequendam ſalutem neglexerit: neque teſtatur Deus ſe ei mundum contemplandum obtuliſſe; ut ex eo Deum ſuum cognoſceret, eumque coleret ſub ſpe remunerationis & præmii: quam denique Deus amplius moraliter non regit, ut eam duceret ad finem bonum, ipſique creaturæ convenientem: multo minus quod doceatur de ea Chriſtum pro ipſa mortuum eſſe. Quæ omnia Scriptura teſtatur de *viatore*.

Tali itaque creaturæ, *viatorum* numero exemptæ, nulla patet gratia. Adamum ejuſque poſteritatem ex toto, vel ex parte poſt commiſſum peccatum, eo in ſtatu conſtitutam eſſe, nullus, qui rem rectè penſitet, ſtatuet. Quia omnia loca, quæ pro gratia univerſali à Theologis producuntur, ad minimum probant poſteritatem Adami à Deo non haberi ut condemnatam, & in ſtatu damnatorum conſtitutam: ſunt itaque in ſtatu *viatorum*. At per ſe notum eſt, eum, qui eſt *viator*, recte credere, & credere debere ſibi aditum ad ſalutem non eſſe præcluſum: talem inter ſe, & Deum ſuum eſſe relationem, ut Deus ex *vera clementia & gratia* illi reipſa ea conferat, quibus ad vitam pervenire poteſt, ſi velit: patientiæ & longanimitatis Dei argumentum eſſe, quod peccatorem tam diu *viatorum* numero habeat, neque morte extinctum in damnatorum numero collocet: juxta doctrinam Divi Petri 2 *Pet.* 3:9. *Non tardat Dominus promiſſionem, (ut nonnulli tarditatem hoc eſſe ducunt) ſed patiente eſt animo erga nos, nolens ullos perire, ſed omnes ad reſipiſcentiam tendere*: & *verſ.* 15. *Domini noſtri tarditatem ad iram ſalutem ducite. Et Rom.* 2:4. *An divitias benignitatis & tolerantiæ, ac iræ cohibitæ contemnis? Ignorans benignitatem Dei ad reſipiſcenti-*

entiam te deducere. Et certe ſi deſperatio ſit affectus mentis in peccatore vitioſus, imo ſummopere culpandus, quia Dei gratiam & miſericordiam juſto minorem credit, quo pacto omnes poſteri Adami non tenentur credere ſe in *viatorum* numero eſſe, hoc eſt, ira conſtituros Dei reſpectu, ut quibus gratia offertur, quibus ſalventur.

Præterquam quod Scriptura ubique inculcet, nullum ex Adami poſteritate damnationem incurrere, quam qui Dei dona & gratiam propriè dictam non retulerit ad bonum uſum; & ita ſalutem (quam Deus cuivis reſipiſcenti promittit non tantum in verbo ſuo, ſed etiam teſtimonio naturalis conſcientiæ cuivis *viatori* proprio, eique inſidenti quamdiu *viatoris* ſtatus durat) neglexerit, *Rom.* 1:18. *Heb.* 6:8. Quo referenda omnia illa loca, quæ docent neminem reprobari, (quod multo minus eſt quam damnari) quam propter abuſum Divinæ gratiæ, *Job.* 15: 2. *Hoſ.* 9: 17. & 1:6. Et ille ſtatus *viatoris*, de quo conſcientia cujuſvis teſtatur, nulla ratiocinatione intercedente, argumento eſt, Deum vere, candide, & ſincerè quemvis vocare ad ſalutem; & ita Deum erga omnes (*quantum attinet ad vocationem ad ſalutem*) qui ipſius gratia, clementia & bonitate non ſunt abuſi, affectum eſſe, (merito Chriſti præbente fundamentum talis relationis) quemadmodum affectus erat erga omnem creaturam rationalem, cum eam in ſanctitate creavit: ita ut propter illam relationem à Deo proficiſcantur erga genus humanum lapſum talia beneficia, quibus ſalutem ſibi parare poſſet; & Deus ideo non illam relationem erga Adami poſteros qualeſcunque induit, qua ſc: illos ab omni ſalute excludat, quam propter impœnitentiam finalem. Nam quamvis Deus proculdubio erga quoſdam peccatores gratia ſua abutentes ita, ut ita dicam, afficiatur, ut eos reprobet, deſerat; nec velit iis adminiſtrare media, quibus ſalventur, niſi parciſſimè, de quo vide *Act.* 14: 16. *Pſal.* 81: 13. *Ezech.* 24:13. *Apoc.* 22: 11. Omnes tamen homines ſunt conſiderandi, ut *viatores*, quamdiu ſpirant; & putandum omnia iis eſſe propria, quæ *viatorum* ratio flagitat: inter quæ ſpeciatim illa ſunt, *quod pœnitentia vera nunquam ſera ſit; Deuſque paratus ſit omni verè reſipiſcenti gratiam criminum facere*: viatorem *ſe iſtoc argumento ſemper debere erigere; & ſpem fovere gratiæ tempus nunquam elapſum eſſe, quamdiu mortalitatem nondum explevit, dummodo reſipiſcat: ſe non reſipiſcere quia noluit; adeoque ſe ſuæ perditionis cauſam eſſe: quatenus opportunitatem ſe ſervandi, cum eſſet in ſtatu* viatoris, *neglexerit*, quorum nihil Diabolis & damnatis convenit.

Nam etſi fortaſſe quidam peccatores contumaces; & per ſummam libidinem Dei gratia aliquamdiu abuſi, non conſiderantur à Deo ut *viatores*, ſed ut condemnati, de quibus fortaſſe *Heb.* 3: 11. & *Pſal.*69:28. quia tamen id nos communiter fugit, ideo omnes habendi ut *viatores*: quos ideo conſideramus, *ut qui poſſunt ſe convertere; quibus via ſalutis patet; & inter quos, & Deum illa communicatio non eſt ſublata, ut dona, & media ſalutis quantumvis etiam tenuia, ipſis à gratia Dei relicta ſint, quibus convertantur, & ſe convertere poſſent, ſi vellent.* Nam hoc *viatoribus*, & qui *moraliter* ad bonum finem à rectore ducuntur, proprium eſt, (quid de Chriſto dicendum ſit alibi indicavimus) *ut cadere & ſurgere poſſint.* Et eſt notio prima omnium hominum mentibus inſita, fruſtra præmia & pœnas, exhortationes & comminationes iis proponi, qui utrumlibet non poſſunt. Quid cauſæ eſſe putamus, quod à ratione alienum eſſe communiter ſtatuimus, Chriſto, aut glorificatis ſanctis adhiberi exhortationes, & proponi præmia ut in ſanctitate perſeverent: aut diabolis & damnatis eadem proponi ut ſe convertant; & à pravitate deſiſtant? Quod autem omni *viatori* proprium ſit ut poſſit cadere & ſurgere, id inde eſt, quod

Salus

Salus & perditio à *viatore* ſemper conſideretur ut *præmium & pœna*. Nam quamvis *viatores* propter diverſas rationes virtutem ſequantur; illa tamen ratio, qua ſalus & perditio ut præmium & pœna conſideratur, à ſtatu *viatoris* ſeparari non poteſt. Verum equidem eſt fideles, & converſos in Scriptura deſcribi *ut ſalutis participes*: *ut qui tranſierunt à morte ad vitam*: *ut qui vitam æternam habent*: *ut qui jam conſtituti ſunt in cœlis, &c.* quatenus hominum peccatorum ſalutis ratio; quæ ſolummodo eſt per fidem in Chriſtum, hujuſmodi eſt, ut ſtatim poſt fidem, qua Chriſtum apprehendunt, jus ad vitam acquirant: juxta illud Johannis *Cap.* 1:12. *Quotcunque autem eum exceperunt dedit eis hoc jus, ut filii Dei ſint facti; nempe iis, qui credunt in nomen ejus*: Imò ut conſtituantur in poſſeſſione; ſed quam perſeverantia in fide & ſanctitate tueri debent. Poſſident itaque fideles ſalutem, quemadmodum aliquis arcem, quam occupavit, poſſidet, manente belli ſtatu; cujus diutius dominus eſſe non poteſt, quam quamdiu ſe contra hoſtium vim & inſidias munitum præbet. Et hæc eſt cauſa quare etiam fidelibus & ſanctis argumenta à pœna & præmio, à metu & ſpe, &c. deducta proponantur.

Neque decretum *Dei abſolutum* (quo decrevit, ut hic & ille homo ſingularis exiſteret libere peccans, in peccatis libere perſeverans; & ita condemnationem ſibi accerſens: aut quo aliquis ſingularis homo per gratiam ſe libere converteret; per eandem gratiam in ſanctitate perſeveraret; & ita ſalutem adipiſceretur) impedit, quo minus propter illam decreti certitudinem, & abſolutam ejus naturam à nulla conditione ſuſpenſam, exhortationibus locus ſit: quia à nobis comprehendi non poteſt, quo pacto Dei providentia, quæ in omnibus efficax eſt, ſeſe exerat circa creaturas libertate præditas. Sed hoc ſemper firmum indubitatumque manere debet: nunquam per Dei decretum & Providentiam tolli *illud liberum* in actionibus moralibus hominum. Et quia illud liberum manet, nunquam conceptus formandus eſt de Decretorum Dei natura & certitudine, qui tollat *illud liberum*: qui conceptus ſemper formatur, quoties modum Dei agendi circa voluntatem creaturæ liberæ conſideramus, aut concipimus ut tollens *potentiam volendi quod lubet*. Quod tam altè menti impreſſum eſt, ut omnes concedant *hominem poſſe ſe convertere ſi vellet; neque ullum impedimentum illi eſſe poſitum*: ſed eum ideo ſe non convertere, quia non vult; & ideo eum *poſſe ſi velit*: hoc eſt nihil quodcunque eſſe, quare non poſſit ſe convertere: *cum omnis voluntas ſua natura excludat impotentiam, quâ non poſſit omnia velle*. Cum itaque dicimus homo poteſt ſe convertere *ſi velit*: illud *ſi velit* non ponit aliquod requiſitum in homine, quo poſſet ſe convertere: quemadmodum dicimus ille homo, qui pedes ſunt conſtrictos habet, poſſet ambulare, ſi pedes ſunt conſtricti non eſſent.

Neque etiam gratiæ abundantia, & corruptionis magnitudo (quibus alter certo perſeveraturus eſt in bono, alter vitio immerſus hærebit certo in peccatis ad ultimum vitæ ſpiritum obſunt, quare *viatori* proprie exhortationes & comminationes exhiberi non poſſint: poteſt enim cadere & ſurgere. Nec gratiam nec vitium etiam conſiderari oportet ut tollentia *potentiam à voluntate volendi quod lubet*. Nam per ſe notum eſt: *viatorem* probum conſiderari deberi ut tentationi obnoxium; & *viatorem* improbum, ut qui virtutis, & præmii amore moveri poſſit, ita ut ad bonam frugem ſe convertat. Et quia glorificati & damnati alterutro affici non poſſunt, ideo nullæ exhortationes illis proponuntur: & ita damnatorum ſtatus non tollit ab ipſis *potentiam volendi quod lubet* ea enim à voluntate ſejungi non poteſt) ſed tollit à voluntate *indifferentiam illam*; quam diximus in eo conſiſtere, quod *viatores* probi *tentationi* obnoxii ſunt, qua ſeduci poſſunt; *viatores* improbi non ita conſtituti, quin

quin virtutis & præmii amore induci poſſint, ut officio fungantur. Et hoc illud eſt, quo *viatores* diſtinguuntur à glorificatis & damnatis; etiam à Chriſto: & cujus qualitatis reſpectu dicimus in *viatoribus* eſſe *indifferentiam; & quod cadere & ſurgere, perſeverare & excidere poſſunt.* Indicavimus ſupra ne quidem à glorificatorum voluntate tolli poſſe *potentiam volendi quod lubet*; quatenus, cum de voluntate agitur, nihil concipere licet, quod voluntatem determinet ad aliquid volendum aut non volendum quam ipſam voluntatem: at Chriſto & glorificatis attribuimus talem intellectus & voluntatis ſanctificationem & perfectionem; ut propter inhærentem illam perfectionem malo ſeduci non poſſint: quia tantum in eorum intellectu eſt luminis, ut nullis peccati illecebris circumveniri poſſint. Et ita, eaque ſub ratione *proprie* illis tribuitur, *quod peccare & gratia excidere non poſſunt.* Nam illud τὸ *non poſſe* denotat mentem Chriſti & glorificatorum ad illam perfectionem evectam, ut non ſit capax iſtius imperfectionis, qua ſe corrumpi & ſeduci ſinant. At de *viatoribus* talem conceptum formare non decet: neque reſpectu certitudinis providentiæ generalis, & Dei decretorum; neque reſpectu ſanctificationis inhærentis; neque reſpectu Dei benignitatis, clementiæ & bonitatis erga ſanctos, qua eos protegit ne ſuccumbant: talis enim conceptus non conſiſtit cum *viatorum* ſtatu, neque cum gubernatione morali.

Neque intereſt ſive fidelis *viatoris* mentem non capacem dicas prolapſus in infidelitatem propter inhærentem ſanctificationis vim; ſive id dicas fieri propter ſummam Dei erga fideles benignitatem; qua decrevit ſua gratia iis ita præſentem eſſe, & tanta cum lenitate eorum infirmitates & prævaricationes tolerare, ut eos nunquam ſit deſerturus ſua gratia. Dicimus hanc diſtinctionem nullius eſſe momenti: nam omnis conceptus, qui includit *viatorem* incapacem eſſe prolapſus ſub quacunque ratione, deſtruit *viatoris* ſtatum: quod notione prima & lumine naturali notiſſimum eſt. Et qui ſe ipſum exploret & interroget, quare mens noſtra abhorreat ab illo conceptu, quo Chriſtus & glorificati ſancti exhortationibus incitentur ad pietatis ſtudium, & ad perſeverandum in eodem, intelliget nihil aliud cauſæ ſubeſſe, quam excelſum & eminentem eorum ſtatum, quo, conſiderati ut ſupra omnem tentationem poſiti, etiam *viatoris* perſonam depoſuerunt, *quoad ſtudium, curam, laborem & ſollicitudinem ſibi cavendi à peccatis*: quæ omnia *viatori* probo adſunt & adeſſe debent: neque tamen adeſſe poſſunt, ſi ſub aliqua conſideratione æſtimetur ut non capax prolapſus ad ſtatum infidelium & non regeneratorum. Non cadit in ſenſum communem; & ab omni ratione alienum eſt: imo eſt tantum actio mimica, aliquem monere ne cadat, quem non poſſe cadere credimus.

Et hæc cauſa eſt: quare gratia Dei, & qua convertuntur illi qui convertuntur: & qua converſi omnes perſeverant in ſanctitate, concipi non debeat tanquam aliqua virtus & efficacia extra voluntatem *actu volentem* exiſtens; & voluntatem movens ire à potentia in actum, tanquam aliquod *principium actuali volitione prius*: talis conceptus non cadit in voluntatem. Sed gratia tantum ſe exerit per volitionem ipſam, & in actuali volitione; quatenus voluntas volendo *roboratur gratia, & in robore gratiæ vult*: ita ut *active* & *paſſive*, *ante & poſt* hic in conſiderationem non veniant: quia ſi voluntas conſideretur ut paſſive ſe habens reſpectu gratiæ active ſe habentis; aut ut poſt efficaciam gratiæ ſe movens, jam formatur conceptus deſtruens naturam voluntatis.

Nec ideo tuemur ſimultaneum egreſſum gratiæ & voluntatis: quaſi voluntas antequam gratia imbuta & corroborata eſt, aut quaſi ſine ea aliquid poſſet. Nam præterquam quod ille conceptus deſumptus ſit à rebus corporeis (quod temere fieri non

debet) eſt etiam falſus: ſi nempe voces ſimultanei egreſſus, & ſimilitudinem quam indicant, urgeas: quaſi homo ſimul cum Deo ſe concitaret ad bonum. Sed præcedenti modo loquendi uſi ſumus, ut declararemus gratiam tantum eſſe conſiderandam tamquam in voluntate re ipſa jam volente conſtitutam, & non ante actum voluntatis extra volitionem actualem exiſtentem; & ita voluntatem incitantem de potentia in actum, ut voluntas ante actualem volitionem conſideretur ut paſſive ſe habens: & gratia æſtimetur tamquam aliquid, quod naturam & exiſtentiam ſuam habet extra voluntatem re ipſa volentem. Si aliqua ſimilitudine uti commode liceret, eâ mallem uti, quæ à medicamento ſumitur: (quamvis nec illa omni ex parte quadret) quemadmodum medicamentum tum proprie medicamentum eſt, & efficax ad ſanitatem conciliandam, cùm viſceribus incluſum, & humoribus noſtris mixtum, in, cum, & per calorem noſtrum naturalem ſeſe exerit: ita gratia tum proprie gratia eſt efficax, & homini re ipſa ſalutaris, quando cum volitione hominis actuali ſe prodit, cumque experitur homo eâ ſe bene habere, ſeque eâ in virtutis exercitio corroboratum ſentit.

Ex hac doctrina bene percepta, meo quidem judicio, pendent præcipui veri conceptus de Doctrina gratiæ. Nam, ut ad rem redeam, nec ſtatus *viatoris*, neque admonitiones & exhortationes permittunt, ut aliquis fidelis non glorificatus conſideretur, ut vacuus à prolabendi & excidendi infirmitate: & ideo gratia converſionis, & benevolentia Dei, quâ ſuos fideles protegit, non debet conſiderari ut aliquid extra actualem volitionem, quod tam propter Dei decretum, & propter immutabilem benevolentiam Dei erga fideles & electos, quam propter magnitudinem gratiæ, quam Deus fidelibus largitur, ſemper voluntatem ad perſeverandum in bono ita ſit excitaturum, ut nunquam deficere *poſſint*: itaut voluntas, reſpectu iſtius Divinæ gratiæ, conſideranda ſit, ut non *potens peccare*, antequam reipſa bonum velit. Non enim rationi aut Scripturæ conſentaneum eſt, dicere Deum magnitudine ſuæ gratiæ id in fidelibus efficere, ut tam prave voluntate ſua uti non *poſſint*, ut ex ſtatu fidelium excidant. Nam gratia, utcunque in *viatore* magna & præſens eſſe creditur, non tollit *periculum cadendi*: quatenus nos ſemper ita imperfectos relinquit, ut tentationi *obnoxii ſimus*; hoc eſt, ut poſſimus velle oppoſitum bono, & ut illud oppoſitum volendo, excidere poſſimus.

Et ideo ſimilitudo, quam quidam adducunt de infante, quem exhortamur ad incedendum, & metu cadendi ſtimulum addimus, ut caute incedat, cum tamen ejus talem habeamus curam, cumque ita funiculo ſuſtentemus, ut cadere non poſſit; ea inquam ſimilitudo non quadrat. Nam primum infans conſcius non eſt, nec eſſe poteſt, propter rationis defectum, ſe funiculo ſuſtentari, tantamque ſui haberi curam; nam ſi ipſi hoc conſtaret, ratione que uti poſſet, riſu exploderet tales exhortationes; & interpretaretur, aut exhortatorem parum mentis compotem eſſe; aut per jocum & luſum animi cauſa, eum tales exhortationes adhibere; aut caperet, ut in ſui contumeliam factum, quaſi ipſe æſtimaretur parum mente conſtans. Denique omnes qui ſtatuunt Dei gratiam fovendam, neque Spiritum ſanctitatis Dei contumelia afficiendum; gratiam, quâ credimus, regeneramur, aut perſeveramus, aliter concipere non poſſunt, quam quæ *repudiari poſſit*; & quæ ſe in voluntate exerit, quia voluntas *volendo* eâ roboratur, & per *robur gratiæ* vult. Reſiſtimus gratiæ, quia per voluntatem repudiamus, ne aliquid ſit in voluntate, quod, non niſi in voluntate exiſtens, & in ea receptum, *aliquam naturam habet; & vim ſuam exerit*. Rurſus alio ſenſu, nec gratiæ reſiſtimus, neque reſiſtere poſſumus; quia tunc ſimul vellemus & non vellemus:

lemus: & reſiſteremus gratiæ, in voluntate jam ſe per volitionem exerenti.

Et hæc eſt doctrina *Janſeniſtarum* de gratia; iisque cum *Thomiſtis* ſingularis & propria: pariter enim rejiciunt doctrinam illorum, qui ſtatuunt gratiæ reſiſti non poſſe; & in potentia voluntatis *viatoris* ante actualem volitionem non eſſe, ut ei obſequatur, vel reſiſtat: quamvis illi gratiæ, quâ re ipſa id, quod bonum & rectum eſt, volumus, non reſiſtamus. Et ego illum conceptum de gratia tanti momenti eſſe arbitror, ut niſi is admittatur, dicendum ſit, totam Scripturam, quæ exhortationibus & comminationibus, præmii & pœnæ propoſitione, &c. continetur, hominique, ut moraliter regendo, revelata eſt, eſſe metaphoram; & ubique iis in locis impropriè loqui. Ut itaque tandem huic rei finem imponamus, docemus Divinæ gratiæ operationem circa voluntatem non eſſe conſiderandam, ut aliquid extra voluntatem exiſtens, & eam determinans; neque ut aliquid, quod tollat potentiam in *viatore* ad reſiſtendum gratiæ: ſed dicimus gratiæ naturam & efficaciam hujuſmodi eſſe, quæ ſe exerit tantum in voluntate, quia voluntas volendo bonum gratia renovatur, & renovata gratiâ vult bonum. Hoc enim ſua ſponte judicatur, nihil eſſe in voluntate boni aut mali, quod non ſit per actualem volitionem in ea; malum per malum arbitrii noſtri uſum, qui totus à nobis eſt: bonum per bonum arbitrii noſtri uſum, quem totum à Dei gratia eſſe Scriptura docet, & fide credimus. Aſſerimus præterea illam doctrinam de hujuſmodi gratiæ Divinæ operatione circa voluntatem, & in voluntate *viatoris*, ita cujuſvis menti à natura impreſſam, (quamvis tantum ex Scriptura hauriamus dari gratiam) ut nullus de ea aliter æſtimare poſſit: quamvis multi ſibi perſuadeant ſe aliter de ea re ſentire; multiſque hac in re uſu veniat, quod in aliis multis diſciplinarum partibus, in quibus aliter loquimur, & profitemur nos ſentire, quàm reipſa ſentimus, & credimus nos aliter credere, quàm credimus. Cujus rei inſigne documentum habemus in Pontificiis, qui in Euchariſtia credunt accidentia exiſtere ſine ſubſtantia: ſed neſciunt ſe ſimul accidens concipere ut ſubſtantiam; atque ita non credunt accidens eſſe ſine ſubſtantia, cujus rei non poteſt dari conceptus: & propterea etiam nulla ejus fides; ſed accidens concipiunt per modum ſubſtantiæ. Qualem mentis errorem ſæpius evenire alibi exemplis probavimus.

Hanc itaque *inſitam notitiam* malo ratiocinis uſu quidam Doctores corruperunt; idque evenit, aut quia mutuati ſunt conceptus de gratioſa operatione Dei circa voluntatem hominis *viatoris*, à rebus corporeis: cum tamen res explicari debeat ex ipſa natura Dei, & natura voluntatis hominis, quarum ambarum ideam in nobis habemus, quæ nobis eſſe debent inſtar primorum principiorum, quæ aliunde lumen mutuari non poſſunt; & de quibus nobis cautio eſſe debet, ne prava ratiocinatione ea corrumpamus. Aut quia voluerunt mente finita comprehendere quod infinitum eſt;& modum agendi Dei circa hominis voluntatem explicare, quorum nullum propter noſtram imperfectionem eſt judicium. Aut volentes diſtinguere efficacem Dei providentiam,qua omnia abſolute decreta ſunt, & effectum ſuum certo ſortiuntur, à gubernatione morali Dei: quo errore factum eſt, ut decretorum Dei circa res & effectus morales, nullam cauſam in voluntate liberæ creaturæ agnoſcentes, introduxerint voluntatem Dei, aut potius Deum hoc aut illud morale *abſolute* volentem, aut non volentem; & per hoc aut illud medium intendentem *abſolute* quoſdam ſingulares effectus morales producere. Quæ quantopere à vero aliena ſint, in præcedenti tractatu de prædeſtinatione expoſuimus. Et ab hoc triplici errore promanarunt omnes errores, & incongrui loquendi modi, quos paſſim apud autho-

au:hores in eorum ſcriptis de prædeſtinatione & gratia reperire licet. A primo & ſecundo ut aliquod prælibamentum dem) conceptus de prædeterminatione, præmotione, concurſu, ſimultaneo egreſſu, de decreto conditionato, de gratiæ efficacia ſuſpenſa ab hominis arbitrio. A tertio proceſſere errores, qui iis proprii & ſingulares ſunt, qui gratiam univerſalem oppugnant: qui omnes ad hos duos revocari poſſunt. Deus inquiunt, aut abſolutè, vel conditionatè omnium ſalutem vult: ſi abſolutè, ergo omnes ſalvantur: ſi conditionate, ergo vult conditionem abſolutè efficere, aut conditionatè; ſi abſolutè velit conditionem in homine efficere, convenit illa doctrina cum prædeſtinatione abſoluta: ſi conditionatè, ergo voluntas Dei à voluntate hominis ſuſpenſa eſt: ergo homo ſuis viribus eſt ſuæ ſalutis faber; & viribus liberi arbitrii gratiam Dei vel eludit, vel efficacem reddit. Et ſi Chriſtus mortuus pro omnibus, ergo etiam pro iis, qui ſunt in inferno; pro iis quibus nunquam Euangelium annunciatur; pro iis etiam qui non ſunt electi; ergo non datur electio aut reprobatio: quarum omnium objectionum ſolutio ſine magna induſtria reperitur.

Obſervetur modo diſtinctio, quam in Tractatu ſuperiori de prædeſtinatione ſæpius inculcavimus, quâ decreta Dei conſiderantur vel ut *abſoluta*, vel ut *conditionata:* conſiderantur ut conditionata ea, quæ verſantur circa res morales tales, ut iis decretis nullus locus detur, niſi quatenus illam moralitatem, cujus liberum voluntatis arbitrium fundamentum eſt, in ſe contineant: ita ut iſtius moralitatis reſpectu de Dei voluntate circa rem, ad cujus executionem arbitrium creaturæ liberæ intercedere debet, nihil ſtatuere liceat, quam juxta regulas moralitatis illius, ad quam decreta & formantur, (quatenus illa moralitas eſt ſuo modo cauſa moralis talium decretorum) & executioni mandantur. V. gr. eſt ex abſoluto Dei decreto, ut aliquis ſingularis, & individuus homo exiſtat, qui liberè perſiſtat in gratia, aut qui lapſus liberè, tamen per ſolam Dei gratiam liberè reſurgat, credat, & in fide & ſanctitate perſeveret: quemadmodum pariter ab abſoluto Dei decreto procedit, ut ſit aliquis ſingularis & individuus, qui liberè, & tamen certo, & ex abuſu liberi arbitrii, cujus vitioſitatis ipſe ſola eſt cauſa, labatur: lapſus Dei gratiam & longanimitatem negligat: in peccatis & infidelitate perſeveret ad ultimum ſpiritum. At quatenus in illis decretis intervenit voluntas ſive arbitrium hominis; & quatenus propter bonum aut malum liberi arbitrii uſum, tanquam propter *cauſam*, aut *conditionem moralem*, Deus hoc aut illud decernit, & vult operari circa creaturam liberam, (ſub qua conſideratione decreta rurſus rectè conditionata vocantur) eatenus non tantum rectè, ſed etiam ex officio, homines ſtatuunt de voluntate Dei, & de ejus decretis circa hujusmodi res morales; & quid futurum, aut non futurum ſit, pronunciant, juxta rationem moralitatis, quam in rebus & perſonis moralibus, de quibus judicant, inveniunt. Sed quoniam homo in ſtatu *viatoris* multas viciſſitudines morales ſæpe ſubit, tum propter diverſos bonos & malos liberi arbitrii uſus; cum etiam propter diverſam Dei circa creaturam liberam agendi rationem, quæ à liberrima Dei voluntate proficiſcitur; & quæ quidem in creaturæ liberæ arbitrio cauſam non invenit, ſed tamen exitum non habet niſi intercedente hominis libero arbitrio ſive voluntate; ideo de voluntate Dei circa tales res, & de talibus rebus, quæ includunt hominis arbitrium, non eſt judicandum, quam ex ratione moralitatis, quæ intervenit, & ab hominis voluntate proficiſcitur. Sed quia Deus per ſua decreta, conſiderata ut abſoluta, ſtatuit quid ſingulatim fiet, & fieri velit, etiam de iis, in quibus creaturæ liberæ ſuas ſuo modo vindicant partes: & quia præterea in Deo nec eſt velleitas, affectus, aut deſiderium; & quia inſuper omnibus

perſua-

perſuaſum eſt, omnia fieri, quæ Deus voluit; quodque ideo conſuevimus id voluntati Dei tribuere tamquam aliquid de novo decernenti, quod tamen tantum diverſos hominum ſtatus morales ſequitur, judicavimus ex uſu eſſe, voluntatem Dei, conſideratam ut conditionatam, cujus voluntatis ſuo modo cauſa eſt malus aut bonus liberi arbitrii uſus, vocare *relationes*, quæ inter Deum & creaturam rationalem intercedunt: & quas relationes ſequuntur certi quidam effectus morales: ita ut manente *fundamento relationis*, & conſequenter relationibus ipſis, certo concludere liceat, quales operationes Deus depromet erga hanc aut illam creaturam, juxta æternum ſuum decretum, & conſtitutum ordinem, de rebus moralibus.

Rem exemplo uno aut altero manifeſtam faciam. Sanctitas creaturæ liberæ eſt fundamentum iſtius relationis inter Deum & creaturam liberam, ut Deus erga illam depromat omnia illa, quæ ab amore erga creaturam ſanctam ſeparari non poſſunt: qualia inter alia ſunt, omnia largiter & abunde conferre, quæ creaturæ liberæ ad ſummam felicitatem conſequendam conducere poſſunt. Ex adverſo, peccatum creaturæ eſt fundamentum iſtius relationis inter Deum & creaturam peccatricem, ut manente illo fundamento, Deus erga creaturam peccatricem depromat omnia illa, quæ cum odio in creaturam liberam, & peccati vitioſitate infectam, conjuncta ſunt; cujus odii effectus ſunt, damnatio & pœnarum inflictio, ſicut alibi docuimus: & ideo recte concluditur omnes eſſe in ſtatu damnationis, eoſque manere æternum exitium, quorum reſpectu, fundamentum iſtius relationis manet. Et propter fundamentum iſtarum relationum, & propter relationes ipſas, & propter effectus neceſſario cum talibus relationibus conjunctos, imperiti Deo adſcripſere affectus & paſſiones, amorem & odium; etiam velleitates & deſideria: nempe quia fundamentum relationum mutatur, non autem Deus.

Et ex his etiam liquet, quam efficax argumentum ſit pro gratia univerſali, poſito, quod Adam & omnes ejus poſteri ſint conſtituti in *ſtatu. viatoris*; iſque ſtatus maneat ad diem obitus, poſt quam nullus amplius operari poteſt. Deinde quod Chriſtus *pro omnibus ſit mortuus*; quia per illam mortem ſublatum eſt fundamentum relationis inter Deum & creaturam peccatricem, ſecundum quam relationem recte judicabatur de ſtatu hominis lapſi, & non per mortem Chriſti reſtituti, eum eſſe in ſtatu damnationis: nam ſi fundamentum non fuiſſet ſublatum per mortem Chriſti, (mihi jam res eſt cum illis, qui ſatisfactionem concedunt) non eſſet locus *ſtatui viatoris* omnibus Adami poſteris, ſed iis tantum, pro quibus ſingulatim ſatisfeciſſet; & quorum reſpectu fundamentum odii ſuſtuliſſet: & reliquorum ſtatus cum ſtatu diabolorum idem eſſet. Porro ſublato fundamento odii, ſucceſſit fundamentum amoris, cujus relationis effectus comites neceſſarii, ſunt ſtatus *viatoris*, largitio & collatio omnium eorum, quæ Adamo, & ejus poſteris ad conſequendam ſalutem neceſſaria ſunt; eaque vel parcius vel copioſius, prout Deo viſum fuerit. Si itaque quæras an Deus velit omnium ſalutem? Et quæſitor per *velle* intelligit decretum Dei, ut abſolute & ſine moralitate conſideratum, nihil certius (cum id eventus doceat) quam Deum omnium ſalutem non voluiſſe. Quatenus autem per velle intelligitur *relatio moralis* inter Deum & hominem, quam ſequuntur certi effectus, quamdiu durat illa relatio; & ad quam relationem in decreto abſoluto reſpicitur, eatenus recte aſſeritur, Deum velle omnium ſalutem: primo quia eſt & ſubſiſtit fundamentum relationis talis, quam ſequitur diſpenſatio mediorum, ad ſalutem acquirendam ſufficientium. Secundo, quia non evertitur nec illius relationis fundamentum, neque ille effectus, qui illam relationem ſequitur: niſi quatenus revera, & ſine ulla figurata

 locuti-

locutione, aut ſenſu improprio, malo ſui arbitrii uſu, illum effectum ceſſare faciant: ita ut in ſenſu proprio recte dicatur, quod media ad ſalutem acquirendam ſufficientia, efficacia, & ab amore Dei, (qui reſpectum ſuum habet ad hominis ſalutem) profecta, ipſi conferantur; nullo Dei decreto in contrarium extante, (quomodocunque etiam conſiderato,) quo decretum ſit, hunc aut illum præteriſe, aut finere perire: niſi quatenus homo Dei beneficia ab amore Dei (quem ſub ratione relationis conſidero, & qui reſpectum ſuum habet ad hominis ſalutem) profecta non converterit in bonum uſum; neglexeritque meditari bonam frugem.

Ab eodem amore, dico, profectum mortis Chriſti pro omnibus beneficium: quod tam eorum reſpectu, qui virtutem amplexi non ſunt, verum beneficium fuit, quia hominis illius, qui perit, ſaluti, & bono paratum erat; quemadmodum fuit verum Dei beneficium, & ab ejus amore profectum, quod Deus Adamo & angelis eam ſanctitatem contulerit, quâ potuiſſent perſeverare, ſi voluiſſent, etiamſi Adam & angeli, qui à perfectione ſua defecerunt, illo beneficio ſint abuſi. Fuit autem beneficium, quia natura ſua erat comparatum ad tuendam ſanctitatem Adami & angelorum, ſi modo voluiſſent; neque ullum erat Dei decretum, quo voluerat, ut illud beneficium ipſis non bene cederet: fuitque ille amor & effectus amoris erga eos, qui periere angeli, non minor, quam erga eos, qui in ſanctitate perſeverarunt: quod me in ſuperioribus demonſtraſſe puto. Ita ut à veritate alienum ſit, æſtimare, amorem non eſſe amorem, beneficium non eſſe beneficium, & gratiam non eſſe gratiam, ubi ex eventu apparet iſtæc homini, propter obſtinatam ſuam ingratitudinem & malitiam, penitus inſitam, fruſtra eſſe oblata; & ideo concludere decretum Dei ab æterno extitiſſe, quo decrevit ut hic & ille exiſteret, qui gratia & beneficiis ſuis non recte uteretur, & ita ſibi perditionem accerſeret: quia tale decretum à Deo non eſt formatum, *niſi poſtquam hic & ille oblata gratia uſus non eſt; ita ut ille abuſus, ſit cauſa moralis iſtius decreti*: qua de re ſupra ſatis, & fortaſſe plus quam ſatis dictum eſt.

Intelligit itaque judicioſus lector, nihil eſſe momenti in objectionibus ſupra in medium prolatis: *Deus vult omnium ſalutem abſolute vel conditionate.* Reſpondemus, & abſolute, & conditionate, prout Dei decreta diverſimode conſiderantur. Vult etiam & non vult Deus omnium ſalutem, quatenus illud τὸ velle diverſos poteſt habere intellectus. Eſt etiam voluntas Dei ab hominis voluntate ſuſpenſa & non ſuſpenſa: *non ſuſpenſa*, quatenus decreta Dei ſunt abſoluta; *ſuſpenſa*, quatenus decreta Dei de rebus moralibus includunt bonum vel malum uſum liberi arbitrii; cujus liberi arbitrii ratio & vis ea eſt, ut id, quod ab eo proficiſcitur, Deus quodammodo à nobis exſpectet: qua de re abunde alibi diximus. Quid autem virium ſit in argumentis mutuatis atque deductis à ſatisfactione Chriſti, conſiderata ut debiti ſolutione, in Tractatu de juſtitia Dei punitiva declaravimus: in quo demonſtraſſe me puto, nos de ſatisfactione alium conceptum formare non poſſe, quam quod Chriſtus ferendo pœnas propriiſſimè dictas, ſuſtulerit fundamentum relationis, (ſc. peccati reatum) propter quod peccatum & juſtitiam Dei punitivam, hujuſmodi reſpectus erat inter Deum & peccatricem creaturam, ut neceſſario deberet puniri. Quod autem fundamentum iſtius relationis poſſit tolli; & quod tamen illa ſatisfactio quibuſdam, propter voluntariam improbitatem, uſui non ſit, id docent omnia argumenta, quæ pro gratia univerſali adducuntur: eſtque iſtius rei veritas non ex conceptibus de re infinita; cujus nullum idoneum, qui rem comprehendat, formare licet, ſed ex Sacra Scriptura unice petenda. Nec ad rem facit, quod inſtant: *Chriſtum etiam pro inſi-*

infidelitate ſatisfeciſſe, hoc eſt, ut ego quidem arbitror, Chriſtum ideo etiam mortuum, ut ſua morte impetraret eam gratiam à Patre, ut Pater eos, pro quibus ſe vadem atque ſponſorem interpoſuit, largiretur gratiam, non tantum qua credere *poſſent*, ſed qua *actu* crederent. Ad hoc argumentum reſpondemus, illam gratiam, qua re ipſa fideles credunt, eſſe totam à Deo, & totam à merito Chriſti profectam: totumque adſcribendum eſt Chriſto, quod fideles credunt. At quemadmodum gratia non tollit voluntatis libertatem, aut ipſam voluntatem, ſic non tollit illud liberum in voluntate, cujus reſpectu, ut jam ſæpius variis in locis indicavimus, decreta *ſuo modo* dicenda ſunt *conditionata*: & ita Chriſtus non ſatisfecit pro incredulitate; nam tunc ſatisfaciendo non tantum ſuſtuliſſet hominis voluntatem: ſed quod præcipuum eſt, ſuſtuliſſet ab homine ſtatum *viatoris*.

Sed inſtabis, ac dices, an non eſt de natura gratiæ; & præſertim gratiæ ſufficientis de nolente volentem facere? Quia illa gratia, qua tantum *poſſum* velle, non eſt ſufficiens ad *volendum reipſa*; & tamen aperte docemus, nos gratia Dei non tantum poſſe velle, *ſed etiam reipſa* velle: hominis officium eſſe, Deo non tantum gratias agere quod *potuerit* velle, (hoc enim & illi debent, qui pereunt, quod gratiâ, qua *velle poterant*, non ſint uſi) ſed etiam quod re ipſa voluerit. Et (ut reliquas objectiones in medium proferam, & ſub aſpectu ponam) objiciunt porro, an non eſt dicendum, Deum erga illos *majorem* gratiam depromſiſſe, qui credunt, quam erga eos, qui non credunt? Et an illa gratia ideo non recte vocetur *major*, quæ volentem fecerit, quam ea, quæ tantum erat *ſufficiens*, ut homo *poſſet* velle, non autem qua actu vellet? Cum prior ſit irreſiſtibilis, poſteriori reſiſtatur. Porro an gratia ideo non vocetur irreſiſtibilis, quia tollit illud, quo manente, voluntas nunquam ſe volet exerere ad *reipſa* bonum volendum: cum tamen gratia reſiſtibilis ideo reſiſtibilis vocetur, quia non eſt tam potens & efficax, ut poſſit id tollere, quo manente, homo nunquam volet? Quamvis harum objectionum ſolutionum fundamenta in præcedentibus jacta ſint, non pigebit tamen eadem fundamenta per reſponſionem ad has objectiones, in uſum referre.

Eſt certè de natura gratiæ, *quod nos volentes faciat*; quatenus in gratia, & cum gratia, & per gratiam volumus: non eſt autem de natura gratiæ, quod conſideretur ut aliquid à voluntate diſtinctum, (quamvis in voluntate hærens) quod voluntatem moveat ut de potentia tranſeat in actum. Repugnat enim talis conceptus & gratiæ & voluntatis naturæ, quæ hujuſmodi eſt, ut ſit actus liber, & ideo operatio gratiæ ita concipi non debet. Deinde gratia non eſt vocanda *ſufficiens*, aut non *ſufficiens*, quando illa ſufficientia aut inſufficientia refertur ad modum & menſuram gratiæ, qua, tanquam aliquid extra voluntatem exiſtens, movet voluntatem à potentia in actum procedere: iſti conceptus tam parum quadrant modo operationis Divinæ circa voluntatem, quam conceptus ſpiritus quadrant corpori. Eſt itaque in *viatore* omnis gratia ſufficiens, quia eſt *viator*; eſt enim in ſtatu merendi pœnam aut præmium. Vocamus autem gratiam Dei *ſufficientem*, quia nobis lumine naturali, & intimo ſenſu (quo nihil certius datur) conſcii ſumus, per nos ſtetiſſe, hoc eſt, unice & ſolummodo pravam noſtram volitionem actualem in cauſa fuiſſe, quod occaſiones, opportunitates, & media aſſequendæ ſalutis à gratia & amore Dei profecta, neglexerimus. Licet eandem gratiam *inſufficientem* vocare, quia fideles cauſam habent agendi Deo gratias, quod re ipſa credunt, quia gratia Dei credunt: cujus gratiæ infideles (per ſuam malam voluntatem, quæ mala eſt, & mala manet in iis, quia illa malitia non tollitur niſi recte volendo) non fuerunt participes. Et, re ſic intel-

intellecti, omnes homines gratiæ ſufficientis non ſunt participes; neque Deus eam omnibus communicat; neque omnibus communicari vult: quia gratiæ ita conſideratæ natura eſt, ut non volenti adeſſe non poſſit. Pariter jam manifeſtum eſt, quid de *magnitudine* & *parvitate* gratiæ dicendum ſit: nam ſi accuratè loqui velimus, termini quantitatis gratiæ, in ordine ad agendi modum in voluntate, aptari non poſſunt; *quia modus agendi gratiæ non eſt modus agendi, qui ſub idea potentiæ & virium continetur*: & quia quantitatis capax non eſt, ideo neque quantitatis graduum.

Poteſt tamen ſub aliis reſpectibus vocari major aut minor gratia, (quamvis tunc illa gratia non deſignet modum Dei agendi gratioſum in voluntate; ſed denotet effectus gratiæ diverſimodò conſideratæ) & inter alios reſpectus, unus huic loco proprius eſt, quod rectè dicitur illum majorem in ſe experiri Dei gratiam, qui ipſâ indutus voluit, quam is experitur, qui non voluit: quo quis ſe firmiorem ſentit in volendo bonum, eo ſe majoris gratiæ Dei participem dicit. Et ſupra indicavimus, non eſſe attendendum, quando de perſeverantia ſanctorum diſputatur, ad Dei *providentiam*, aut ad *decreta abſoluta*, neque etiam ad *promiſſiones*, (cum omnium iſtorum ratio alia eſſe non poteſt, quam eſt ratio *viatoris*, & qualem rationem ille ſtatus permittit, qu e promiſſiones omnes ſunt, ſuo modo, conditionatæ) neque ſpes & perſuaſio perſeverantiæ aliter concipienda & fovenda, quam ratio *viatoris* permittit: quæ ſpes non eſt confundenda cum illa ſcientia & perſuaſione, quam glorificati habent de æterna ſua gloria. *Viatoris* autem ratio non permittit, ut dicamus aliquem *certò* perſeveraturum, aut non certò perſeveraturum: prius non dicitur propter rationes ſupra traditas; non etiam poſterius: quaſi fidelis contingenter perſeveret aut non perſeveret; aut quaſi voluntas *viatoris* non eſſet capax per gratiam Dei tam firmi propoſiti, & tam contenti ſtudii & curæ, ut perſeveret in fide & ſanctitate: ſed quia propoſitum illud firmum, ut & contentum illud ſtudium, quemadmodum illa gratia Dei, qua virtuti operam damus, eſt gratia *viatoris*: ideo perſeverantia *incerta* vocatur; pendet enim illa non ab alia re, quam à voluntate ſanctificata *viatoris*; cui proprium eſt *poſſe cadere*.

Neque ideo tollitur conſolatio fidelium; nam nullus ſibi perſuadere poteſt ſe perſeveraturum, ſi non velit perſeverare; neque ullus ſibi perſuadere debet, *gratia Dei ſe ſemper* perſeveraturum, ſive bene, ſive male utatur libertate ſua. Nullus ſe ſuſtentare poteſt ſpe perſeverandi in fide & ſanctitate ad finem uſque, ſi quis illam ſpem ſimpliciter concipiat ex Dei promiſſione, qua Deus promittit ſe fideles non deſerturum ſua gratia; ſed debet ex fructibus fidei, & ex illa ipſa ſpe, tamquam fidei effectu, ſtatuere, ſe ex eorum numero eſſe, qui ſunt in fide; & erga quos Deus tam propenſum & benevolum habet animum, ut omnia benevolentiæ & bonitatis teſtimonia & effectus illis exhibere velit, quæ in hominem *viatorem* juxta rationem moralem, quâ eum regit, conferri poſſunt; cujus hæc eſt ſpecialis proprietas, ut cuique à Deo augeatur gratia, juxta & ſecundum illud ſtudium, quo unuſquiſque fidelium gratia ſibi credita utitur. Qui itaque ſe renovari ſentiunt Dei gratia, rectè concludunt eam eſſe effectum iſtius benevolentiæ; non poſſunt tamen ſcire ſe eſſe ex eorum numero, quos Deus ita ſingulari gratia complectitur, quam veris fidelibus præbet, ſingulis juxta menſuram zeli & ſtudii, quo in pietate progreſſus faciunt, quam ex fide & ejus fructibus & ſignis, quæ Theologi practici colligunt ad edocendum hominem eſſe in fide & ſtatu gratiæ.

Quemadmodum itaque officium fuit populi Iſraëlitici Deo ſuo adhærentis, credere, & firmam ſpem concipere ſe ex capti-

captivitate Babylonica reſtitutum iri, gentemque ſuam ultimâ internecione non eſſe delendam: quamvis iſti decreto Divino, à quo manabat illa promiſſio de liberatione populi ex captivitate Babylonica, nullus fuiſſet locus, ſine illa moralitate, quæ in fide hominis credentis reperitur, ideo non poteſt concipi decretum de reſtitutione populi Iſraëlitici, & promiſſionem ab eo fluentem factam eſſe ſine reſpectu ad illam moralitatem bonam, quæ in fide reperitur; & quæ ab hominis arbitrio fluit; & cujus reſpectu & decretum, & promiſſio ſuo modo erant conditionata; quatenus ſine illa moralitate bona, ab hominis voluntate proficiſcente, & quam Deus quodam modo ab homine exſpectat, tali decreto & promiſſioni locus non fuiſſet. Et quemadmodum ea eſt ratio fidei, ſic contra par eſt ratio infidelitatis & diffidentiæ, quæ etiam conſiderari debet ut cauſa moralis, propter quam decretum & promiſſio non extitiſſent: ita non poteſt concipi decretum & promiſſionem de perſeverantia eſſe factam ſine reſpectu ad illam moralitatem, quæ reperitur in fide & converſione hominis toto vitæ ejus curriculo durante: quæ moralitas ita etiam à voluntate hominis in tali ſtatu conſtituti proficiſcitur, ut ſemper poſſit non velle perſeverare: & ideo illius officium eſt & credere ſe promiſſionis fore exſortem, ſi à fide deſciſcat, & ſe poſſe deficere; ita ut illa defectio à fide conſiderari debeat ut cauſa moralis, propter quam promiſſio de perſeverantia non extitiſſet. Urgebis & inquies, quæ igitur eſt certitudo in prædictionibus propheticis, quæ annunciant res, ad quarum effectum hominis arbitrium requiritur? Et quæ conſolatio homini fideli ex promiſſione Dei, fidem facientis ſe fidelibus ad finem vitæ ſuâ gratia præſentem fore, ſi ipſi velint ut ipſis ſit præſens. Reſpondemus: quantum ad prædictiones propheticas, eas inniti decreto Dei abſoluto, quo decrevit v. gr. ut eſſet populus, qui per caſtigationes eruditus, & præabundanti gratia adjutus, ſe ad Deum converteret, & promiſſione innitens in ſpem ſeſe erigeret: faciens Deus, incomprehenſibili agendi modo, ut voluntas hominis ea in re ſibi ſuas vindicet partes, liberaque maneat, & ut tamen decreto abſoluto ſub illa conſideratione locus ſit: qua de re ſupra fuſè locuti ſumus. Quantum ad conſolationem hominis fidelis, quam ex doctrina de perſeverantia ex noſtra ſententia explicavimus, illa ipſi ampliſſima eſſe debet, quia illa in ſe complectitur benevolum parentis, & intenſiſſimum pro liberis habentis amorem: qui tam late etiam manat, ut velit pietatis ſtudioſis cumulatiorem gratiam conferre, quamvis per infirmitatem aliquando tentationi ſuccumbant. Ita hominis fidelis officium eſt, credere ſe perſeveraturum, quia Deus ampliſſimas in Sacra Scriptura extare voluit promiſſiones, quibus fidelibus fidem faceret, ſe tali gratia, tantoque amore eos complecti, ut nunquam eos deſerturus, ſed ex adverſo bonum illud opus, quod in iis inchoavit, ſit perfecturus: quatenus fidelium infirmitates feret ſumma cum longanimitate, quodque illâ gratiâ, quæ ab intenſiſſimo & conſtantiſſimo amore proficiſci poteſt, iis præſens erit; ita tamen ut credere debeant iſtius promiſſionis ſe fore exſortes, ſi à fide deſciſcant; & ſe poſſe deſciſcere.

At inſtabis, & inquies, an hujuſmodi promiſſiones, etiam infidelibus factæ non ſunt? Infideles enim, imo reprobi, hoc eſt, qui à Deo deſeruntur, & quos ſinit ambulare in viis ſuis; *quorum damnatio non otiatur, & quorum exitium non dormitat*, 2 Pet. 2:3. *Imo quibus caligo tenebrarum in æternum ſervata eſt*; & qui ita ſunt deleti è libro vitæ propter oblatæ gratiæ abuſum, etiam ſibi polliceri poſſunt, Deum eos nunquam in hac vita deſerturum ſua gratia, ſed ipſum iis ſemper ea gratia præſentem fore, qua convertantur, modo eam gratiam non abjiciant: quemadmodum Deus fidelibus eo modo tantum præſens ſua gra-

tia futurus eſt, ut nunquam eos ſit deſerturus; modo non velint gratiam abjicere, & ita velint deſeri. Hujuſmodi enim reprobi, ita Dei gratia excluſi non ſunt; neque de eorum interitu hujuſmodi decretum extat, ut finalis *perſeverantia in impietate ejus non ſit cauſa*: itaque non ſunt conſiderandi in tali conſtituti ſtatu, talemque inter ipſos & Deum intercedere relationem, quam interitus, manente fundamento relationis, ſequitur, *niſi quatenus perſeverantes ſunt in impietate ad ultimum vitæ ſpiritum*; ita ut talis reprobationis cauſa moralis ſit illa conſtans in impietate voluntas: & ideo, contra manente *viatoris* ſtatu, manet ea Dei erga tales benevolentia, qua iis ſuppeditantur, quibus ſe poſſent convertere, ſi modo vellent; & propter quam benevolentiam manet hæc inter Deum & tales *viatores* relatio, ut exhortationes & comminationes propriè dictæ iis proponi poſſint, tamquam media ſalutis tam verè ab amore Dei profecta; & cujus amoris (qui revera tantum per modum relationis concipi oportet) reſpectu Deus tam verè dicitur velle etiam talium reproborum ſalutem, quam verè dicitur eorundem reprobationem, & traditionem in improbum ſenſum proficiſci ab ira Dei; cujus iræ reſpectu Deus dicitur quorundam mortem & interitum velle: pro quibusdam Chriſtum non orare: quorundam indurationem velle: aliquem excitare, & in talibus circumſtantiis conſtituere, ut libere peccata peccatis cumulans iræ & vindictæ Divinæ dignum & illuſtre præbeat exemplum, (quod de Pharaone Scriptura teſtatur) imo quoſdam excæcare.

Reſpondemus; quamvis hæc Dei benevolentia erga omnes *viatores*, etiam reprobos, maneat, ut aditus ad ſalutem iis revera pateat, quemadmodum Judæis, non obſtantibus prædictionibus propheticis de deſtructione Jeruſalem, & de deportatione populi Judaici in captivitatem Babylonicam, patebat via ſervandi ſe & urbem, ſi ſe Regi Babyloniæ tradere voluiſſent, juxta Jeremiæ prædicationem, *Jer.* 38:17. *Dixit itaque Jeremias Zedekiæ, ſic ait Jehova Deus exercituum, Deus Iſraëlis; ſi omnino egreſſus fueris ad principes Babyloniæ, utique vivet anima tua, & civitas hæc non comburetur igne, & vives tu & familia tua: item Cap.* 22:4. 5. 6. Sunt tamen fideles aliter certi de ſua ſalute, aliterque credunt ſe ſervandos, ſi modo in fide perſeverent, quam infideles, qui etiam credere tenentur, propter rationes ſupra traditas, ſe ſervandos, modo ſe convertant; quemadmodum fideles debent credere ſe perſeveraturos, modo Dei gratia non abutantur. Quamvis hæc ita ſe habeant, fides tamen fidelium de ſua perſeverantia innititur amore paterno Dei; propter quem copioſiſſimam illis ſuppeditat gratiam, cujus infideles aut reprobi non ſunt participes, quia noluerunt credere; & ita jus filiorum Dei acquirere. Deinde ſemen regenerationis fidelium tam vivum, efficax & fructiferum eſt, ut in corde fidelis ſterileſcere non poſſit, ſed fructus ſit laturum ad vitam æternam: & ex hac fructifera ejus natura vera regeneratio & converſio à falſa diſtinguitur.

Si rurſus quæras: quandoquidem Deus ſua gratia fidelibus ita præſens eſt, an non omnes perſeverent; quamvis poſſint non perſeverare? Et vice verſa: an ullus reprobus quidem ſe convertat, quamvis omnes ſe poſſint convertere. Primo reſpondemus, perſeverantiæ majorem & minorem ſpem quoad nos, & ejuſdem perſeverantiæ eventum magis vel minus certum aut contingentem æſtimandam, non à certitudine & efficacia providentiæ Divinæ, ſed ab amore Dei erga fidelem & converſum; qui amor primo in genere fundamentum ſuum habet in diſpenſatione gratiæ Euangelicæ, deinde in ſpeciali illa diſpenſatione, qua amor & benignitas Dei major aut minor eſt erga fidelem, magis aut minus ſtudioſe virtuti operam dantem: juxta quod majus aut minus pietatis ſtudium, habitus gratiæ & virtutis major

jor

jor vel minor eſt; & inde perſeverantia quantum ad eventum, magis vel minus certa. Secundo reſpondemus, nos credere, nullos à fide excidere, tum propter ſingularem illum Dei amorem erga fideles, cum etiam propter gratiæ copiam, qua intellectus fidelium ita illuminatur, & voluntas ita ſanctificatur, ut credam eos vix aut ne vix quidem ita à peccati illecebris circumveniri, ut ex animo ſe peccatis tradant, & in aliquo peccato deſtinato vivant, juxta dictum Chriſti, qui teſtatur, *electos difficillime ſeduci*, *Matth.* 24:24. & propter illud, quod docet Johannes, 1 *Joh.* 3:9. *Quicunque ex Deo natus eſt, peccare non poteſt; quia ſemen Dei manet in eo.* Cui quadrat illud Petri, 1 *Pet.* 1:5. *Qui cuſtodimini per virtutem Dei, & per fidem in ſalutem quæ præparata eſt ut reveletur in temporibus extremis.* *Philipp.* 1:6. *Confiſus eum, qui incepit in vobis opus bonum, id perfecturum in die Jeſu Chriſti.* 1 *Cor.* 1:6. *Fidelis Deus, qui vos etiam confirmabit uſque in diem Jeſu Chriſti.* 2 *Theſſ.* 3:3. 2 *Tim.* 2:11. *Hebr.* 6:9. *Eſaj.* 59:21. Contra exiſtimo pauciſſimos ex reprobatarum gentium numero ſeſe convertere, juxta illud quod *Joh.* 12:39. habetur: *Propterea non poterant credere; quia iterum dixit Eſajas, excæcavit oculos eorum, &c.* *Rom.* 1:24. *Quamobrem Deus eos tradidit cupiditatibus cordium ipſorum. Qui ideo dicuntur concluſi ſub peccato*, *Rom.* 11:32. Quo quidem temporis intervallo converſio alicujus ex gentibus rara, & admodum infrequens fuit: quemadmodum Judæi converſio durante tempore reprobationis iſtius gentis admodum inſolens eſt. At quo innixi fundamento auderet quiſpiam aſſerere, nullum Judæum vere ſe convertere, quamdiu illa dies nondum illuxit, qua Deus gentis Judaicæ miſerebitur, & *totus ſervabitur Iſraël*, *Rom.* 11:26. Aut quis aſſerere audet nullum ex gentibus, tempore reprobationis gentium, fuiſſe converſum: cum Scriptura teſtetur contrarium de Jethrone & ejus poſteris, *Exod.* 18: 11. 12. *Joſ.* 4:11. de Rachab meretrice, *Joſ.* :25. de Ruth, *Ruth.* 1:15. & aliis.

Quærat rurſus aliquis: illi qui ita ex populo reprobo convertuntur, an convertuntur gratia univerſali, an gratia ſingulari, quæ gratia eſt electionis effectus? Reſpondemus, diſtinctioni inter gratiam univerſalem & particularem, quæ electionis effectus eſt, locum non eſſe, ſi ad ipſam actualem converſionem attendamus: illa enim gratia ſingulis converſis ſingularis eſt. Deinde gratia univerſalis non ideo vocatur gratia univerſalis, quia gratiæ ſingulari electionis oppoſita eſt: ſed vocatur gratia univerſalis, quia illa omnibus exhibetur ex amore Dei; & quia eſt ſufficiens: ita ut illa gratia univerſali etiam contineatur gratia electionis; & omnis gratia electionis ſit gratia univerſalis: ſed non omnis gratia univerſalis eſt gratia electionis. Gratia, quæ eſt fructus electionis, æſtimatur ex ſubminiſtratione mediorum ampliorum & copioſiorum, quam ea ſunt, quorum fit copia non electis: neque gratia electionis ubique ſui ſimilis eſt. Gratia, quæ comitatur electionem gentium, tanto major eſt eâ, quæ comitabatur electionem Abrahami & ejus poſteritatis, quanto major eſt gratia ſub N. quam ſub V T. Nec tamen ſequitur, eos, qui ſub V. T. fuere converſi, ideo plus poſſe adſcribere viribus liberi arbitrii, minuſque gratiæ acceptum referre debere, quod ſervati ſint, quam illi, qui ſub N. T. ſalutem adipiſcuntur: quemadmodum non minus cauſa mortis eſt, qui ſclopeti, quam qui tormenti bellici globo aliquem ferit atque interimit.

Si itaque rem recte ponderemus, comperiemus totam controverſiam de perſeverantia ſanctorum referendam ad quæſtionem hiſtoricam: utrum probari poſſit exemplis, aliquem reprobum fuiſſe converſum, aut fidelem excidiſſe: (in quo ſenſu *reprobus* & *fidelis* hic à me ſumantur, ex ſuperiori ſermone petendum) ita tamen, ut ex exemplis nullum generale do-

gma conficere liceat. Nam ſive exempla compareant, ſive non compareant, natura rei ex eo non mutatur; ſed manet ſemper inconcuſſa illa veritas, *viatoris*, ſive fidelis & electi, ſive improbi & reprobi illam eſſe proprietatem, *ut poſſit cadere & ſurgere.* Et tota hæc controverſia, in qua enucleanda hactenus occupati fuimus, eo revocanda, an gratia, qua aliquis verè convertitur, per ſe ratione naturæ & efficaciæ ſuæ præſtet hominis perſeverantiam in fide: non autem an Dei amor ita propenſus ſit erga vere regeneratos, ut nunquam eos ſit deſerturus: nam ad hunc amorem poſſet reduci atque revocari amor prædeſtinationis; de quo amore hic nulla lis eſt: & tunc hæc doctrina declinaret paulum tantum de certitudine ſalutis prædeſtinatorum, quæ in omnibus Eccleſiis Chriſtianis recepta eſt; & leve hoc diſcrimen in ſententia jam propoſita, ſe prodit, quod ſtatuit gratiam prædeſtinationis includere collationem gratiæ regenerantis, quæ ſua natura tam efficax eſt, ut nullus regeneratus ab illa ſit defecturus. Quam ſententiam ego amplector, ſed quam nullius in religione uſus eſſe arbitror, quia nullus ex vera ſua converſione ullum fructum, aut ſpem, aut fiduciam capere poteſt, quam qui in pietate perſeverat; & pro magnitudine ſtudii pietatis illi tantum ſpes ſalutis creſcere poteſt: quatenus illo ſtudio pietatis, amor Dei erga ipſum intenſior redditur; & habitus virtutis, quo tentationibus obſiſtit, firmior: ſed tamen nunquam tam firmus, ut eum eximat *viatorum* numero. Qui itaque modo jam tradito tuetur doctrinam perſeverantiæ, ille pariter tueri debet adulterium, & homicidium Davidis non extinxiſſe in Davide ſemen regenerationis, vel habitum virtutis & ſanctitatis, qui erat in Davide: neque intelligo aut capio, quæ eſſe poſſit ratio, quare aliquod grave peccatum ſua pravitate ſtatim exturbaret omnem virtutis habitum, præſertim illum, qui altas in hominis animo radices egit; non potuit tamen David iſtius habitus virtutis in ſe manentis ignarus eſſe, ante ſuam reſipiſcentiam, ut inde rurſus liqueat, doctrinam de perſeverantia nullius ferme uſus eſſe in religione: nam quamdiu David hærebat in ſuo peccato, non potuit certus eſſe, aut de vera ſanctitate anteactæ ſuæ vitæ, aut ſaltem de veritate illius doctrinæ; *veros ſanctos non poſſe excidere*: & ita quomodocunque doctrina de perſeverantia proponatur, & ſive Remonſtrantium, ſive Contra-Remonſtrantium ſententia amplectatur, iidem inde fructus ad fideles redundant.

Et ideo non puto magnopere laborandum eſſe de locorum Scripturæ interpretatione, quæ loqui videntur de apoſtaſia & defectione ſanctorum: & fuit illa cauſa, quare illa non citaverim in teſtimonium. Nam ſeu illa loca loquantur de veri fidelis, ſeu de hypocrytæ prolapſu in impietatem, dogmati ab ea re non conciliatur certitudo aut incertitudo; quamvis illa hiſtorica cognitio egregium pondus atque momentum habeat ad pietatis ſtudium: cum videmus tam paucos, aut ferme nullos à Deo propter neglectam gratiam renovari ad reſipiſcentiam; ut ita diſcamus *opportunum tempus non negligere; nec obdurare corda hodie, ſi vocem Dei audiverimus*, *Hebr.* 5:7. & ut contra diſcamus corda noſtra poſſidere in patientia; & ſpem noſtram collocare in Dei paterno amore, qui nos non deſeret, quamvis multis infirmitatibus & peccati illecebris irretiti ſæpius in officio ceſpitemus; perſuaſi hanc promiſſionem *Eſaj. Cap.* 59: 21. ad omnes fideles pertinere: *Quamvis hi montes diſcederent, & hi colles moverentur, attamen benignitas mea à te non diſcedet, & fœdus pacis meæ non dimovebitur.*

Ex his ita expoſitis ſe prodit ſolutio objectionis, quam adverſarii inſolubilem arbitrantur. Impoſſibile eſt inquiunt, gratiam univerſalem conſiſtere poſſe cum electionis & reprobationis doctrina, quemadmodum illa declarata & recepta eſt in Synodo Dordracena: *eſſe è reprobatorum numero, & tamen*

men vocari ad ſalutem: *Deum odiſſe Eſavum, & tamen eum favore tali complecti, qui reſpectum ſuum habeat ad ſalutem*: *Deum ſe ratione ſingulari dicere & profiteri Deum Abrahami & ſeminis ipſius, & tamen illam gratiam pertinere ad omnem Adami poſteritatem. Denique mira confuſione idem erit benedictio & execratio*: *concluſio ſub inobedientiam, & miſeratio*. Sed nihil abſurditatis hic comparet. Opponuntur *electio* & *reprobatio*, *amor* & *odium*, *concluſio ſub inobedientiam* & *miſeratio*, *ſpeciali ratione eſſe Deum Abrahami & ſeminis ejus*, & *ſimul ſpeciali ratione eſſe Deum totius generis humani*: ſed hæc invicem ſe non deſtruunt, *reprobatio & viatoris ſtatus non opponuntur*: *neque reprobatio pugnat cum ſtatu hominis, cujus officium eſt credere ſibi viam ſalutis adhuc patere, & locum pœnitentiæ eſſe. Odiſſe*, hoc eſt, *minus amare*, *Gen* 29: 31. *Deut.* 21: 15. *Matth.* 6: 24. *Luc.* 16: 13. & 14: 20 *non pugnat cum illo amore generali, à quo fluit gratia univerſalis, concluſio ſub inobedientiam*, hoc eſt, *homines quoſdam, eorumque poſteritatem ſinere ambulare in viis ſuis, & tenuiſſima parandæ ſalutis præſidia ſuppeditare propter neglecta Dei dona; & tamen ſinere eos eſſe in tali ſtatu, in quo merito ſibi perſuadere poſſunt, æquè ſibi, quam iis, quorum miſertus eſt Deus, vitam & ſalutem offerri, ſeque eam aſſecuturos, ſi modo officio fungantur, & in eo maneant.*

Determinatum quidem eſt in Synodo, reprobationem & electionem non eſſe factam ex infidelitate aut fidelitate prævisa: quatenus illi, qui eliguntur, non ideo eliguntur, quod ſunt meliores iis, qui reprobantur; & qui reprobantur non ſunt pejores iis, qui eliguntur: quæ doctrina veriſſima eſt: ſed probandum erat definitum eſſe in illa Synodo, *reprobos non eſſe viatores*: *iis exhortationes, præmia & pœnas non proponi ut ſerventur, &c.* Hæc ideo in medium adfero, ut teſtarer me arbitrari illis Theologis, qui gratiam univerſalem tuentur, injuriam fieri, quando illis objicitur defectio, aut aberratio à decretis Synodi: quamquam hominis Chriſtiani parum intereſſe debeat, quid in claſſibus aut Synodis decretum ſit: quandoquidem iſtorum collegiorum canones nullius Chriſtiani conſcientiam ligent, ſed tantum habendi ſint pro declarationibus fidei iſtorum collegiorum; & eorum, qui in rebus fidei in eundem ſenſum cum iis conſpirant.

Et ita quidem mentem meam ſuper quæſtione de prædeſtinatione & gratia expoſui. Nunc tribus verbis lubet declarare ſenſus meos de momento hujus quæſtionis. Omni ævo hæc controverſia difficillima credita eſt: ſed ego arbitror ea, quæ homini Chriſtiano de hac doctrina ſcitu & creditu neceſſaria ſunt, nec difficili ratiocinatione inveſtigari, nec obſcuris Sacræ Scripturæ locis tradi: ſummum tamen in ea *myſterium* eſſe; illud nempe, quod Deo placuerit nunc aliquas gentes, ut & ſingulares homines, nullo habito reſpectu ad illarum bona aut mala opera, ad fidem eligere, aut præterire; & iis non gratificari & impartiri effectus electionis gratiæ: Deum nunc ſibi adſciſcere quoſdam in populum ſuum, & ſuorum delectorum numero habere, nunc rurſus quoſdam ſinere ambulare in viis ſuis, & ruere in interitum.

Sed hæc Dei providentia, quæ ratione quidem naturali inveſtigari non poteſt, tam aperte traditur in Sacris, ut cuivis Scripturam legenti ſit in propatulo: neque comparet in hoc myſterio quicquam à ratione alienum. Quis enim in dubium vocat Deo id juris competere in homines peccatores, ut alios majore, alios minore amore proſequatur: ut in eorum nonnullis, qui omnes mortis rei ſunt, majora clementiæ ſuæ argumenta manifeſtet, quam in aliis? An non licet Deo de ſuo facere quod lubet? Miſereri cujus vult, & indurare quem vult. Num dicet figmentum fictori ſuo, cur me tale feciſti: & quare Deus ut oſtenderet iram ſuam, & notam faceret potentiam, non potuerit perferre multa lenitate vaſa iræ coa-

coagmentata ad interitum, nolens eam gratiæ menſuram in eos conferre, quæ electorum propria eſt; & volens ita permittere, ut peccatum abundaret in talibus, quo fit ut interitum ſibi accerſant: quos Scriptura ideo vaſa iræ vocat, & coagmentata ad interitum.

At reliqua, quæ in hac doctrina creditu ſunt neceſſaria, etiam ratione ita nota ſunt, ut tanquam notiones primæ infixæ ſint omnium hominum menti: ſed quod notum eſt in ipſis, prava ratiocinatione corruperunt. Quis credat aliquid contra Dei voluntatem evenire? Et quis ex adverſo non credat, proſpera & adverſa, pacem & bella hominibus non fortuitò evenire, ſed ex Dei providentia ſingulis conferri? Atque ita quis non credat, Deum modo à nobis incomprehenſibili ita intima noſtræ mentis poſſe diſponere, ut fiat illud, quod fieri ab æterno voluit, & quod ipſius providentiâ factum eſſe omnes agnoſcimus? Quis credat hunc mundum, & rerum ordinem à Deo non eſſe; aut indies infinita (inter quæ numerandæ omnes operationes voluntariæ) fieri, in quibus nullum Dei conſilium fuit aut ordinatio? Deinde quis ſuæ infirmitatis tam parum conſcius eſt, ut non exiſtimet ſe Dei gratia indigere, ut probus evadat? Aut quis eo impietatis proceſſit, ut non putet propterea precibus apud Deum contendendum eſſe. qui, ut ſanitatem, navigationem proſperam, victoriam, pulchram prolem à Deo impetrent, ipſum ſupplices adorant?

Et cum in Scriptura Apoſtoli tam acriter diſputant pro gratia contra adverſarios, tunc illorum ſermo non verſabatur in ea controverſia de gratia, quæ nunc agitatur; nempe utrum homines gratia Dei non indigeant, ut pietatem colant: ſed controverſia erat de modo acquirendæ illius gratiæ, & de modo placendi Deo; atque adeo de modo cultus? uter nempe eſſet Deo gratior; illene, qui ex fide juxta Euangelii doctrinam rectè intellectam inſtituebatur; an ille, qui ex operibus juxta dogma Phariſæorum? Ita ut auſim dicere omnia ferme capita doctrinæ de prædeſtinatione & gratia contineri illa parte *Theologiæ naturalis*, quæ agit de Dei providentia; homineſque naturales & inſitas de ea doctrina habere notiones; tantumque opus eſſe ut eas benè diſcernant, recteque eas intueantur, cogitateque contemplentur; & uſu comperient, multos ſibimet imponere, fraudemque facere, quia revera aliter rem concipiunt, & aliter de ea diſputant: quod in innumerabilibus rebus nobis uſu venit. Sic illi, qui tuentur dari ſpatia imaginaria, hoc eſt, extenſionem ſine corpore, habent ideam corporis indefinite extenſi, ſed per errorem illud ſpatium corpore eſſe vacuum putant: ſicut etiam illis id evenit, qui idolum adorant, idque pro Deo habent, cum tamen reipſa in adoratione iis obverſetur idea entis infiniti, infinitè ab imperfectione idoli diſtantis. Ita exiſtimo illos, qui contra gratiam diſputant, & viribus liberi arbitrii, robore, quod à gratia proficiſcitur, deſtituti, aliquid attribuunt, aliam in mente de ea re ideam habere, quam ipſi putant, aut arbitrantur. Sicut ex adverſo illi, qui modum operationis gratiæ mutuantur à motu corporeo, concipientes & gratiam, & ejus operationem tamquam vim extra actualem volitionem exiſtentem, & ita voluntatem moventem, (qui omnes concipiunt gratiam, & ejus agendi modum, ſicut & ipſam voluntatem, inſtar corporis & corporeæ qualitatis atque modi) illi inquam, cum docent voluntatem eo modo, eaque ratione à gratia affici, non de gratia & voluntate diſputant: quarum plane aliæ nobis inditæ ſunt ideæ; ſed diſceptant de tali gratia, & de tali voluntate, quas concepere ut corpora, & ut corporis affectiones: & ita diſputatio non eſt de gratia & voluntate, ſed de gratia & voluntate conceptis inſtar corporis.

Et rurſus illi, qui liberum arbitrium urgent, non tam dependentiam voluntatis à Deo

Deo, aut voluntatem creaturæ rationalis Dei regimini & gubernationi ſub eſſe eſſe negant, ſed negant dependentiam & ſubjectionem voluntatis, quæ infert voluntatem *paſſive* ſe habere, dependentiæ & gubernationis Divinæ reſpectu. Et imperiti prolabuntur ad hujuſmodi conceptus; quia ſciunt & experiuntur ſe ſine gratia nihil poſſe: ſed poſtea malè inſiſtentes, & volentes diſtinctiores ea de re conceptus formare, confundunt ideas rei corporeæ cum ideis rei ſpiritualis: quod fermè omnibus uſu venit, qui exercitata non habent ingenia, & intellectionem ab imaginatione non norunt diſtinguere: & cujus rei exemplum & documentum inſigne habemus in doctrina de mente humana; quæ ideo difficilis habita, & multis ſubtilibus quæſtionibus obnoxia fuit, multiſque pravis conceptibus corrupta eſt: quia qui illam tractant, non intelligunt omnes difficultates ipſis oriri ex confuſione idearum. Habent omnes ideam ſpiritualitatis mentis, ideo nunquam cogitant de mentis colore, figura, odore, mollitie aut duritie, raritate aut craſſitie: & tamen multa movent dubia de *loco* animæ: ſit ne in cerebro, an in toto corpore ut in loco? De ejus motu, de modo ejus præſentiæ: & altas & ſublimes ſibi videntur tractare quæſtiones, cum exponunt quomodo anima ſit tota in toto corpore, & tota in ſingulis corporis partibus: & totum hoc evenit, quia tunc rurſus rem ſpiritualem concipiunt ad corporis ſimilitudinem, & formant conceptus, & proponunt quæſtiones, quæ tantum cadunt in corpus.

Et quemadmodum homini Chriſtiano ſufficit credere animam eſſe immortalem, & non eſſe ſubjectam mutationibus, quibus corpora obnoxia ſunt; poteſtque Chriſtianus carere innoxie cognitione diſtincta, & perſpicuitate conceptuum in quæſtionibus Philoſophicis de anima. Sic pariter arbitror ſufficere homini Chriſtiano, quod credat omnia Dei decreto & gubernatione fieri: quod gratiæ in ſolidum attribuat, quod credat & bonum operetur, & quæ ſunt hujuſmodi: at reliquæ quæſtiones, & quæ ferme utramque paginam faciunt in ſcriptis doctorum: nempe, an omnis homo viator *poſſit* ſe convertere? An hominibus ſufficiens ſuppeditetur gratia? An omnis gratia ſit efficax? Utrum *reſiſtibiliter*, an *irreſiſtibiliter* gratia operetur? An homo *paſſive* ſe habeat in regenerationis primordiis? An Deus *faciat* hominem velle? An *prædeterminet* voluntatem hominis? An non ſit de natura gratiæ, ut *faciat* hominem velle? An qui convertuntur, non convertantur gratia *efficaciori* eâ, cui non converſi reſiſtunt? ſunt quæſtiones, quibus locus non eſſet, ſi doctores *rei ſpiritualis*, *rei infinitæ*, *voluntatis*, & *modi* agendi gratiæ & voluntatis, convenientes ſibi formarent ideas; neque corporis ideas cum ideis rerum ſpiritualium confunderent: à qua confuſione omnis difficultas in doctrina de prædeſtinatione & gratia naſcitur; & quam omnes ſemper reperient, donec illam inveſtigandæ veritatis ſecuti fuerint methodum, quæ docet res ſingulas ſub ſuis ideis propriis concipere; qua de re alibi locuti ſumus. Deinde quia hujuſmodi quæſtiones de prædeſtinatione & gratia, quarum jam aliquem numerum recenſui, ejuſdem naturæ ſunt cum quæſtionibus de anima ſupra in medium prolatis, exiſtimo tam parum decere hujuſmodi quæſtiones & controverſias confeſſionibus inſerere; fidemque hominum exigere ad earum determinationes, quam de jam dictis quæſtionibus de anima, articulos fidei cudere. Et rem recte examinanti manifeſtum erit, eam non minus abſurditatis continere, quando ſuper doctrina de gratia modò enumeratas quæſtiones movemus; & iis ſententiam noſtram interponimus, quam quærimus cujus figuræ, aut coloris ſit anima; & definimus illam eſſe rubram aut viridem, rotundam aut quadratam. Atque ita huic tractatui finem imponimus.

MUNUS

MUNUS
PASTORALE,

Vulgò dictum

CONCIONATORUM;

ET

JUS ECCLESIÆ,

Definitum ex regulis verbi Divini, primiſque Reformationis noſtræ fundamentis: contra Sententiam quorumdam Doctorum, qui Reformationem profitentur, & poteſtatem Paſtorum plus æquo extendunt.

MUNUS PASTORALE,

Vulgò dictum

CONCIONATORUM;

ET

JUS ECCLESIÆ.

CAPUT I.

De Chriſti ac Apoſtolorum in docendo Authoritate.

REm, ut ritè apteque tractetur, pauló altius repetemus. Plena perfectaque Euangelicæ doctrinæ revelatio cum verum primumque à prędicatione Salvatoris noſtri initium duxerit, *Matth.* 11: 11. 12. 13. 14. *Hebr.* 2:2. & 3:2. operæ pretium erit pauca de munere ejus Prophetico diſſerere.

Chriſtum à Deo Patre ad homines docendos, ut nuncium legatumque Divinum, (cui obediendum, cujusque doctrina recipienda erat, non ſecus ac ſi Deus ipſe locutus fuiſſet) miſſum eſſe Chriſtiani ſimul omnes concedunt: id Sacræ quoque Literæ clare docent, *Matth.* 3:17. *Joh.* 10:36. *Matth.* 12:18. *Heb.* 12:2. & 10:7.

Nec eſt cur Judæi Paganique id ipſum quoque de Chriſto credere recuſent: nam ſi conſiderare velint miracula, magnaque prodigia ab ipſo palam & coram toto mundo edita, eximiam ejus ſanctitatem, bonitatem, charitatem erga omnes & ſingulos, ut & ſanctam & omni perfectione cumulatam ejus doctrinam, ac ſimul tot talesque de iis teſtatos fuiſſe, quibus nihil defuit, quod ad hujusmodi veritatem confirmandam valeat, cujus alias nulla, niſi per teſtimonia, ſignaque humana & ab hominibus profecta haberi certitudo poteſt: hæc omnia talia fuiſſe comperient, ut nihil præterea ab homine quoque prudentiſſimo (priusquam aliquid ſibi credendum aut concedendum putet) requiri poſſit.

Chriſti igitur ſic miſſi, totque dotibus præditi, ut neque peccare, nec malo tentari poſſet, 1 *Pet.* 2: 22. doctrinam ad veritatem ſeu lapidem lydium alterius ipſa certioris, exigere haud erat neceſſe. Tot enim denunciatæ hominibus à ſe Divinæ voluntatis oſtendit ſigna, quot in monte *Sinai* reperta fuere legis Divinæ populo Iſraëlitico ibidem prædicatæ, documenta.

In aperienda voluntate Divina, & in prædicanda Euangelii doctrina Chriſtus quoque uſus eſt aliis, de quibus inquirendum, quâ fuerint *Poteſtate* & *Authoritate*:

inprimis ac etiam ſpeciatim in eo laborarunt duodecim ejus diſcipuli, quos aliquid peculiare habuiſſe præ cæteris voluntatis Divinæ præconibus, patet ex Sacris Literis, *Matth.* 10. *Act.* 1:17. *Rom.* 12:28. *Epheſ.* 4:11.

Non tantis illos dotibus ac Salvatorem noſtrum Jeſum Chriſtum præditos fuiſſe, negari nequit. Primum tentari, imo etiam, poſtquam in die Pentecoſtes Spiritus Sancti donis erant ornati atque inſtructi, à malo potuere devinci, *Gal.* 2:11. *Act.* 15:38. Defuit quoque omnis plenitudo gratiæ, *Epheſ.* 4:11. *Rom.* 12:18. Imo ne confeſtim quidem à Pentecoſte plenam omnium arcanorum myſteriorumque habuere notitiam, *Act.* 10. Unde liquet *Petrum* adhuc ignoraſſe ſublatum per adventum Chriſti inter Judæos & Gentes divortium, haſque promiſſionum in adventu Meſſiæ, ſecundum Prophetas implendarum, participes faciendas: ac ideo *Petrus* gravatur ingredi domum *Cornelii.* Legenti *Act.* 15. conſiderantique Apoſtolos convenire ob controverſiam ortam ex quæſtione, an gentes etiam cæremoniarum rituumque Judaïcorum obſervatione tenerentur, dubium non eſt, quin de hac quæſtione controverſia inter ipſos fuerit Apoſtolos; aut ſaltem Apoſtoli tum nondum ea fuerint authoritate, ut Eccleſia doctrinam ab ipſis ſimpliciter, ſuoque nomine propoſitam, approbaret. Niſi ſtatuere velimus primum illud Concilium ideo non fuiſſe congregatum, ut in eo de veritate diſceptaretur: ſed ut occaſione illius congregati Concilii proderetur conſenſus omnium Apoſtolorum; ut ita fidelibus conſtaret, quomodo & quouſque cæremoniarum obſervantia inter fideles Judæos eſſet urgenda: ita ut ad illud Concilium, tamquam ad aliquod tribunal non fuerit rejecta deciſio iſtius quæſtionis; ſed perfugerunt ad illud Antiochenienſes fideles, & præſertim Apoſtolus *Paulus*, ut manifeſtaretur ſuus conſenſus in doctrina cum reliquis Apoſtolis. Quemadmodum ideo idem Apoſtolus *Petrum* adiit, *Galat.* 2:2. non ut eum conſuleret, & ex ejus inſtitutione certior redderetur de ſua doctrina; ſed ut conſtaret fidelibus, ſibi cum *Petro* bene convenire de doctrina Chriſtiana, & ut ita tolleret impedimentum, quo retardabantur multi infirmi fideles, ambigentes quid de obſervatione rituum Judaïcorum ſtatuendum eſſet: quia falſi Doctores per fraudem oſtentantes & jactantes auctoritatem quorundam Apoſtolorum, eos dubios ſuſpenſoſque tenebant, *Galat.* 2. Utcunque hæc res æſtimetur, non ponam in magno diſcrimine: quia ex aliis locis ſatis conſtat, Apoſtolos non ſimul & ſemel fuiſſe imbutos omni veritate, ſed intervallo temporis aliquos progreſſus feciſſe.

Ad hæc aliquis interrogare poſſet, cur, ſi *Petrus* ex metu & reſpectu Judæorum, præſentibus Judæis ſimulaverit ſe obſtrictum teneri lege cæremoniarum, ac ſentire eam adhuc obſervandam, non æque potuiſſet ſeduci, aut metu impelli ad aliquid docendum contra animi ſententiam? Et illa ſimulatio *Petri*, *Gal.* 2. quid aliud reipſa erat, niſi exemplo ſuo docere? Ex quibus omnibus poſſet quis colligere auctoritatem & fidem Apoſtolorum non fuiſſe tantam ac Salvatoris.

Unde hæc iterum poſſet oriri quæſtio; unde & quo modo illorum doctrinæ & teſtimoniis ſua conſtet certitudo? Ipſi quidem primarii ac præcipui doctrinæ ac vitæ Chriſti teſtes fuere, *Act.* 1:22. 1 *Joh.* 1:1. *Heb.* 2:3. *Johan.* 20:30. Et quidquid præterea literis conſignatum, ab Apoſtolis, Apoſtolicisque viris, donis & authoritate ipſis Apoſtolis adhuc inferioribus, factum eſt: ſed omnes tamen potuere tentari malo.

Reſpondeo: fateor objectam hanc conſiderationem ſemper fuiſſe è numero graviſſimarum, quas in rebus ad religionem pertinentibus ægrè expedire potui; nec etiam valui comprehendere, quænam certa Judæi ſub V. Teſtamento habuerint ſigna,

ſigna, quibus verum à falſo Propheta diſcernerent. Verum quidem eſt unum aut duo certa firmaque à Deo, *Deut* 13 : 18. ſigna dari. Lex *Deut*. 13. dilucide aperteque dicit eum, qui aliquid quidem quod vere evenit, prædixit, ſed populum una à vero Deo ſeducebat, pro Propheta non habendum. *Deut* 18. Deus eum, qui aliquid futurum prædicit, quod non fit, pro pſeudopropheta haberi jubet. Et *eodem cap.* Deus pſeudoprophetæ pœnam ſtatuit. Ex quo liquet fuiſſe certa, clara & liquida documenta, ex quibus pronunciare licebat in judicio de Propheta, an miſſus à Deo foret an ſecus: & prædicta tamen ſigna non videntur ſufficere, ut verus à pſeudopropheta poſſit diſcerni: eo ſaltem uſque dubitandum fuit populo, donec verane an falſa foret Prophetia, tempus eventusque edocuiſſet: ex. gr. *Jer. cap.* 28. *Hananias* contra Prophetam *Jeremiam* vaticinatur, dicitque Deum confregiſſe jugum regis Babylonis; vaſaque templi domini intra biennium reducturum. Quænam ratio aut ſignum, quo cognoſcatur, uter *Hananias* an *Jeremias* fuerit verus Propheta?

Sic etiam 1 *Reg*. 22. *Achabus* contra *Syrios* profecturus ſuos conſulit Prophetas; *Zedekias* omnium princeps promittit victoriam: *Micha* contra verus propheta cladem. Quilibet eorum ſe verum profitetur prophetam, & præ ſe fert juſſum Divinum: ſi eventus exſpectandus, quem tum pro præſenti rerum ſtatu ex propheta capiemus uſum? Conſideratis exempli modo commemorati circumſtantiis, non patet falſum prophetam hac notâ, quod populum à vero Deo ſeducere voluerit, fuiſſe deſignatum; neque *Jeremias* & *Micha* id aſſumunt, ſed provocant ad prophetiæ quisque ſuæ eventum, quo quis verus eſſet propheta, demonſtrent.

Porro, cum Prophetæ non ſemper quidquid dicebant aut loquebantur, loquerentur ut Prophetæ Divino acti Spiritu, ſed non raro ut cæteri homines ſuam dicerent ſententiam, quænam diſcernendi ratio, quando ut prophetæ loqui cenſendi ſint, quando ut homines privati? Et cum peccatores fuerint, quænam ratio, qua certi reddamur, verum Prophetam, proque tali in *Iſraële* agnitum nihil ſua ſponte & animi ſui inductione, aut odio, invidia aut amore potuiſſe prædicere? Hanc objectionem eo formavimus, quo ex ejus ſolutione atque refutatione via ſternatur, ad expediendam difficultatem, quæ reſpectu Apoſtolorum moveri ſolet.

CAPUT II.

Quomodo Verus à Pſeudopropheta diſcerni poſſit, & de authoritate Sacrarum Literarum.

EXiſtimamus igitur in multis caſibus non alia certa ſimulationis ac fallaciæ ejus, qui prophetam ſe mentiebatur, argumenta reperiri poſſe, niſi quod prophetia ejus non impleretur.

Sub V. T. erat quoddam prophetarum genus, qui ad munus propheticum quaſi educabantur, & edocebantur in lege; eorumque munus erat cum Levitis populum docere legem, eamque animis eorum infigere: de his vide 2 *Reg*. 6. *Amos* 7:14. 1 *Sam*. 10:5. Aliud genus erat eorum, qui peculiari Divini Spiritus afflatu impulſi agebantur, quos ex prioribus, vel è numero totius populi ſine ullo divitis aut pauperis, nobilis aut ignobilis diſcrimine, ſuſcitabat Deus. Tales fuere ii, qui ſigillatim dicuntur prophetæ, & quorum adhuc Prophetiæ quædam & Scripta ſuperſunt, quique nobis Divinam voluntatem infallibiliter revelarunt & docuerunt.

Quod primos prophetas attinet, de iis nulla eſt controverſia, cum nihil docerent præter id, quod antè à prophetis illis eximiis jam erat edoctum, ac homi-

nibus revelatum. An ergo illi bene vel male docerent, ac verbum Dei interpretarentur, ad ſcripta prophetica exigendum, & æqua Sacrarum Literarum ſtatera examinandum erat. *Matth.* 23: 2. *Scribæ ac Phariſæi ſedent in cathedra Moſis.* Maxime igitur agitur de altero prophetarum genere, nempe quomodo inter illos probi à pravis diſcernendi ſint: Cum prophetæ nil docebant præter id, quod verbo Dei continebatur, populi ſeu Eccleſiæ nihil intererat ſcire, utrum prophetæ forent *extraordinarii* an *ordinarii*, priusquam Deus manifeſtiora quædam de ipſis dediſſet teſtimonia, aut ipſi quædam docere ſuſcepiſſent, quorum veritas, aut certitudo ex Scriptura peti non poterat: extra hunc caſum Judæi aliter eorum doctrinæ parere non erant obſtricti, quam ſi judicarent eam cum verbo Dei convenire.

Sed quando quis, qui ſe extraordinarium prædicabat prophetam, aliquid novi vel extra ordinem imperabat aut præſcribebat, de eo duobus hiſce ſignis certi fieri poterant. Primum ſi præceptum vel prophetia de vero Deo deſerendo non ageret, & ſignum, quod prædixerat futurum, eſſet proditum.

Cum ergo contingebat Prophetam jam dudum talia ſuæ ad munus propheticum electionis, à Deo teſtimonia ac documenta dediſſe, tum omnibus ejus præceptis, ac prophetiis ipſa ſequentibus, erat habenda fides; cum (nempe propheta) prædicabat, & præ ſe ferebat, *ſe nomine Dei loqui.* Sed cum propheta ejusmodi ſigno extraordinario nondum erat confirmatus nec probatus, expectandum priusquam fides ei haberetur, donec prophetia ejus impleretur: neque committebatur peccatum, cum quis talis prophetæ dicto non eſſet audiens, ſed interim ad voluntatem Dei revelatam vitæ ſuæ munera conformaret.

Credibile quoque eſt in uſu non fuiſſe talem prophetam de futuris conſulere. Quod legitur Reges populumque Iſraëliticum conſuluiſſe Pſeudoprophetas, eo nititur, quod illos pro veris haberent, & falſis ſignis ſe decipi paterentur. Prout teſtatur Apoſtolus Anti Chriſtum ejusque aſſeclas per hujuscemodi fallacia ſigna ſeſe apud homines mendacio libenter credentes, prædicaturos nuncios legatosque Chriſti, 2 *Theſſ.* 2:9. Sed Prophetis, de quibus Deus teſtimonium perhibuerat, & qui prophetando & docendo teſtarentur ſe Dei nomine loqui, & ejus Spiritu agi, habenda fides. Dicimus cum *id ſignificarent*, & præ ſe ferrent: quoniam non omnia, quæ prædicabant vel ſuadebant facienda, volebant haberi prophetiarum numero; ſed cum vaticinabantur, atque ea pro revelationibus haberi volebant, verbis utebantur ejusmodi, è quibus licebat conjicere eos tum loqui ut prophetas. Cum ergo Propheta *Nathan* reſpondebat *Davidi* conſilium propoſitumve ejus de domo Dei ædificanda, Deo acceptum fore, Deumque per conſequens id à *Davide* exſpectare, id non loquebatur ut propheta, ſed ut vir *prudens* ac *ſapiens*.

Ad id quod quidam dicunt, nullam dari certitudinem, an propheta (de quo Deus jam teſtificatus eſt) non poſſit ad eam delabi malitiam, ut, abutendo nomine Dei, ac ſimulando prophetiam, conſulto deditaque opera loquatur mendacium, prout prophetæ lapſi ſunt in peccata, uti in *Salomone*, ac in illo patet propheta, qui fungens munere prophetico, & male precans aræ Bethel, poſtea tamen Deo dicto audiens cum non eſſet, à leone fuit necatus: idem in *Petro* & *Paulo* liquet) Reſpondeo, inter peccatum & peccatum maxime intereſſe; ac aliud quid eſſe ex infirmitate, aliud conſulto ac cogitato peccare; imo & inter ea, quæ cogitato & deliberate committuntur peccata, non exiguum quoque eſſe diſcrimen: illorum enim (meo quidem judicio) inter graviſſima eſt homines de induſtria & conſulto, per ſpeciem voluntatis ac decreti Divini prædicandi,

candi, quaſi ea per revelationem Divinam edocti eſſent, fallere. Sicque cum prophetæ ut homines peccarent infirmi, non erat cur de prophetia eorum ambigerent, quia ſcilicet ſunt peccatores, & mentiri poſſunt, atque inſuper in vita ac familiari conſuetudine labuntur; non major hic ratio dubitandi de fide & veritate Prophetæ, quam revocandi in dubium, an magiſtratus, cum aliquod in curia edictum promulgat, aſtute ac ſubdole cum populo non agat. Si autem nulla id de magiſtratu aut Rege, qui non raro turpem agit vitam, credendi ratio ſit, quanto minus credibile eſt de prophetis, quos Sacræ Literæ *viros ſanctos* appellant, *Matth.* 13:17. 2 *Pet.* 3:2. eos in tam perditam lapſuros malitiam, ut quo homines fallant, Divino abutantur nomine & authoritate?

Cum ergo Sacræ Literæ Prophetas viros ſanctos appellant, docent omnes à Deo Spiritu ſanctificationis donatos fuiſſe; ideoque de ipſis non ſuſpicandum, eo impietatis, ſub ſpecie operis tam ſancti (cujusmodi eſt Divinam annunciare voluntatem, ac in eo Dei eſſe miniſtrum) ad homines mendaciorum eſca & illecebris captandos ſubito fuiſſe prorupturos. Ad *Bileam* enim quod attinet, ipſe non magis fuit propheta, quam ſummus Pontifex, dicens ſatius eſſe unum, nempe Chriſtum, pro omnibus mori, quam totam perire gentem: nec talium hominum vaticinia tantum ſibi conciliânt authoritatis, quantum ab aliis verorum prophetarum vaticiniis mutuantur. Quod vero ad *Salomonem* ſpectat, primo non conſtat eum vaticinatum fuiſſe, cum crimine idololatriæ, aliisque non levibus peccatis, vinctus obſtrictusque tenebatur: ac ideo juſtam fuiſſe ſuſpicandi cauſam, quod ipſe priora delicta hoc quoque peccato cumulare voluerit, ut populo falſas prophetias pro veris prædicaret. Imo certo credendum eum, qui in vitam prorumpebat diſſolutam ac impiam, pro propheta haberi deſiiſſe: cum enim Propheta antea pro vero agnitus, poſtea à prioris vitæ pietate ac ſanctitate defeciſſet, Eccleſia vel populus nulla ratione certus eſſe poterat, ſe ab ipſo falſas pro veris prophetiis, Pſeudoprophetarum more, hominibus denuncianti, non decipi: & ſic vitæ quoque ſanctitas ejus, qui ſe profitebatur prophetam, dignoſcendi nota erat, & ſecernendi à falſo Propheta.

Quod ad veros attinet prophetas, qui nulla edebant miracula, quorumque auctoritas editis à Deo miraculis nondum erat confirmata, & qui poſt prophetias, & eventu nondum probata vaticinia, vaticinantes, oracula fundebant, & auguſta enunciabant myſteria. Quamquam populus probabilibus quibusdam ab iſtorum prophetarum ſanctitate ductis argumentis, moveri poterat ad bene, nihilque ſiniſtre de illis ſentiendum, credendumque ipſos conſulto ac cogitato tam enormibus criminibus, cujusmodi ſunt fallaciæ ad homines tam turpiter circumveniendos, ſe non obſtricturos: tamen ut *Jerem.* 28:9. habetur, *Propheta, qui divinaverit de pace, cum venerit verbum ejus, agnoſcetur Propheta, quem dominus in veritate miſit.* Vaticinia Prophetarum hujusmodi cenſeo nullius habita fuiſſe authoritatis, priusquam divinationes eorum fuiſſent impletæ, vel alius Propheta pro vero agnitus teſtaretur, vaticinia talium prophetarum eſſe vera. Verum objicies; cum Sacræ Literæ teſtentur de *Johanne*, dicantque eum fuiſſe *Prophetam, imo majorem omnibus Prophetis*, quænam igitur circa perſonam *Johannis Baptiſtæ* fuere ſigna, quibus populus tenebatur obſtrictus ad eum pro propheta habendum, ac prædicationi ejus credendum? Primo poſſet reſponderi non opus fuiſſe populum ſcire *Johannem* extraordinarium Prophetam fuiſſe, ut ita poſſet fidem adhibere ejus doctrinæ: quia nihil novi docebat, ſed doctrina ejus fidem merebatur propter antecedentem doctrinam & vaticinia prophe-

phetarum, qui ante adventum Chriſti de meſſia vaticinati fuerant: in hoc præcipue incumbens, ut populum doceret tempus adventus Meſſiæ veniſſe, de quo populus etiam ex Scriptura poterat doceri, & certior fieri. Secundo, Deum circa nativitatem vitamque *Johannis* talia ediſiſſe ſigna ac miracula, quæ eum pro vero propheta habendum convincebant. Sic Ninivitis non erat opus *Jonam* Prophetam agnoſcere extraordinarium: naturalis enim ratio ipſos ſatis docebat peccata ſua ejusmodi pœnas, quas *Jonas* ex mandato Divino minabatur, ſatis fuiſſe merita. Præterquam quod ſanctitas *Jonæ*, modus proponendi ſua vaticinia; ut & vis & efficacia, quæ ſeſe in ejus doctrina prodebat, ſatis valida & proba argumenta erant omnibus probis & honeſtis, ad credendum *Jonæ* vaticinia Deum Auctorem habere.

Adde *Ninivitis* forte etiam nota fuiſſe ſigna, quibus ſe verum eſſe prophetam Judæis probaverat; vel ſigna prophetæ inter ipſos ediſiſſe: ac præterea, ut jam dictum, *Ninivitas* naturalis conſcientiæ vi motos, ad pœnitendum & cogitandum de bona fruge potuiſſe duci: quæ omnia uti de perſona *Joannis Baptiſtæ* dici poſſunt, ita etiam argumenta erant, quæ Judæorum animos ad fidem impellere poterant, qua crederent ejus prædicationem & baptiſma ex cœlo eſſe.

Sed dicet aliquis omnia argumenta verum prophetam, doctrinamque ejus pro verbo Divino recipiendam probantia, aliam non habent certitudinem quam eam, quæ nititur in integritate & probitate prophetæ, qui ut vir probus, & ad munus propheticum à Deo electus, hominibus noluerit prædicare mendacium, quamvis tamen ſi voluiſſet id facere, potuerit: uti ab omni ſæculo tales reperti fuere, qui homines docuere mendacium pro veritate. Adeoque in dictis prophetarum non alia videtur fuiſſe certitudo, niſi moralis.

Reſpondeo: ſi eam certitudinem moralem appellare lubet, cujus oppoſitum non niſi manifeſtam implicat repugnantiam & contradictionem, concedimus argumenta, quibus fides noſtra reique veritas innititur, non eſſe talia, ut rem quam probant, aliter ſe habere abſolute impoſſibile ſit: veritates enim & res quasdam dari conſtat, quæ ratione eſſentialium naturaliumque proprietatum non aliis quam moralibus argumentis probari nec poſſunt nec debent. Et in quibus alia ac modo dicta argumenta deſiderare ſummæ foret inſaniæ. Bis tria conficere ſenarium, veritas eſt adeo certa, rationesque & argumenta, ex quibus cognoſcitur & infertur, ſunt adeo firma, ut eam aliter ſe habere ſit impoſſibile: ſed qui dicit bellum fuiſſe inter Galliarum ac Hiſpaniarum Reges, quemdam fuiſſe *Julium Cæſarem*, *Auguſtum*, *Antonium*, eoque argumenta affert, is etiam loquitur veritatem, quæ adeo firma & certa eſt, ut rerum ejusmodi certior dari nequeat; ſed argumenta ad eam probandam allata, tamen non ſunt talia, ut ea negans cogeretur admittere contradictionem. Quamquam enim incomprehenſibile ſit, quomodo tot perſonæ, inter quos nulla ſermonis fuit communicatio, quique nullam ex mendacio utilitatem conſequi potuerunt, poſſent convenire ad affirmandum (quod tamen falſum foret) bellum ex. gr. fuiſſe inter Gallias & Hiſpanias: id tamen abſolutè non eſt impoſſibile, uti repugnat bis tria non conficere ſenarium. Neque talis relationis inficiatio tantam involvit contradictionem, ac negatio dicti bis tria ſunt ſex. Tot enim homines ſimul mentiri non adeo impoſſibile, ut quis tot hominum teſtimonium rejiciens, manifeſtam cogeretur admittere contradictionem: id tamen negare nullus poteſt ſine nota inſignis contumaciæ; quia qui id iret inficias, nullum argumentum, vel minima veriſimilitudine affectum, adferre poſſet in medium, quo jam dictæ hiſtoriæ fides labefactari poſſit. Pari modo conſideratis omnibus, ad hominem veracem, mendaciumque abominantem, proban-

bandum requiſitis, deficientibusque nobis rationibus, cur de integritate hominis in propheta requiſita dubitemus, omnem habemus certitudinem, quæ de ejusmodi rebus dari poteſt; & qui majorem poſtulat certitudinem, deſiderat majorem, quam quæ de re dari poſſit. Quamquam enim Deus dicta prophetæ voce cœlitus emiſſa, continuo identidemque confirmaret, tamen adhuc poſſet quæri, quomodo poſſit ſciri recte audiri, vocemque à Deo, & non à maligno quodam dæmone nos fallere volente, proficiſci? Sique Deus dictum prophetæ quavis vice corroboraret miraculo, vir perverſus ac pravus adhuc quæreret, quomodo verum à falſo miraculo diſcernendum? Et quis ſcit aut intelligit quouſque vires cacodæmonis ſe extendant? Imo aliquis interrogare poſſet, an Deus hominem non poſſit fallere? Et quantum ſenſuum judicio tribuendum ſit?

Cum ergo conſideramus Deum hominibus per homines loqui velle, miraculiſque & vocibus è cœlis, uti & aliis rebus ejus documenta dediſſe: deinde homines monere, ut ſibi caveant à deceptoribus, neque facile doctrinæ alicujus credant; ſæpiuſque doctores falſos ac pſeudoprophetas detegiſſe, omnem de doctrina alicujus prophetæ certitudinem habemus, quam in rebus ejuſmodi habere poſſumus. Quia præter rationem, quod conſideratis omnibus, quæ in æſtimando & judicando de vero Propheta, ejuſque doctrina, aliquod momentum habere poſſunt, ac debent, nihil ſit, quod in dubium revocetur magis, quam teſtimonium perſonarum, qui bellum (licet id non viderimus) inter Gallias Hiſpaniaſque fuiſſe referunt: conſtans ac certum etiam eſt, Deum numquam permiſſurum, ut talia ſigna doctrinæ confirmandæ comparata, per conſpirationem hominum, aut cacodæmonis fraudes, vertantur in occaſionem ſeducendi homines. Non eſt ergo credibile ſanctum prophetam, proque tali agnitum, conſultò, deditaque opera in tantam ſubitò prolapſurum impietatem, ut aliquid, quod ſibi demandatum non ſit, jactet aut oſtentet voluntatem eſſe Divinam. Deus enim id aut impediet, aut efficiet ut fraus & dolus tam inevitabilis non diu maneat occultus. Ratio omnium eſt, quia Deus alias faceret pugnantia; mandaret prophetæ credendum, & non credentem puniret; prohiberet pſeudoprophetis fidem haberi, & interim tantam mendacio vim concederet, ut homo ſignis omnibus in verbo ejus ab ipſo revelatis, (ſecundum quæ de vero aut pſeudopropheta judicari jubet) fretus, ſe tamen in errorem indueret.

Quamquam de hoc argumentorum genere hactenus prolixe ſatiſque copioſe locuti ſimus, tamen non excludimus Divini obſignationem Spiritus, qua Deus animos fidelium in argumentis ad Sacras Literas probandas facientibus, ita conquieſcere faciat, in eaque incumbere, ut omni cura vacui, ſecurique iis conſtanter adhæreant.

Deus ineffabili quodam ac incomprehenſibili, nempe eo fere, quo ſeſe prophetis revelabat, modo; & quo ſecernebant utrum id, quod menti ipſorum injiciebatur, divinitus eveniret, an phantaſiæ luſibus & inſomniis naturalibus eſſet tribuendum: ineffabili inquam modo, ſeſe in animos inſinuare, iiſque doctrinam verbo ſuo revelatam obſignare, & potenter animum eorum afficere videtur. *Joh.* 8: 47. & 7: 17. 1 *Cor.* 2: 15. 1 *Joh.* 2: 27. *Hebr.* 4: 12. *Jerem.* 23: 29. Quamquam ego exiſtimo verba iſta potius intelligenda de Literis Sacris in genere, & de capitibus doctrinæ in iis contentis, quam de quovis peculiari (quod minoris ſit momenti) dogmate: aut de quavis ſpeciali Sacrarum Literarum parte, qua non agnita, talia tamen probentur & agnoſcantur Scripta Sacra, quæ doctrinam contineant ad ſalutem neceſſariam.

Quemlibet enim fidelem vi ſpiritualis unctionis, aut nunc aut in primæva eccle-

 ſia,

ſia, temporibus Apoſtolorum & inde conſequentibus, infallibilitatis habuiſſe donum, quo abſque errore rectè ac integrè de quavis alicujus doctrinæ, prophetiæ aut Sacrarum Literarum parte judicaret, modo peccatis ſpiritum non abigeret, vel præcipitanter temereque ex affectione animi judicando, eo ſe, ex opinione *Borelistarum*, non redderet indignum, non capio: quia donum diſcernendi ſpiritus, doctrinas & prophetias in Sacris Literis pro ſpeciali habetur, quod omnibus, licet ſanctè ex fide ſua viverent, credentibus non erat commune, 1 *Cor.* 12: 10. Neque infallibilitas iſta eſt neceſſaria & utilis, quia Scriptura in capitibus, fundamentalibuſque ſeu primariis religionis articulis, eſt ſatis clara; adeo ut tam abſoluta certaque ratione de iis loqui, alioſque Dei nomine ad fidem ipſis habendam monere liceat, quam doceri poteſt ſtuprum, furtum, mendacium, &c. eſſe peccata. Ad alia capita quod attinet, quamquam ſtudiis, diligenti inquiſitione, precibuſque ſic etiam iis inſtrui poſſe contingat, ut etiam earum certitudinem acquirere poſſint; in privato tamen Chriſtiano temeritatis eſſet & arrogantiæ ſibi perſuadere, ea ſibi tam certò comperta eſſe, ut eorum ſcientia ſit infallibilis: & circa articulos ejuſmodi fidem opinionemque ſuam aliis quaſi Dei nomine mandare hominibus, in privato aut doctore intolerabilis foret ſuperbia. Aliud enim eſt ſententiam ſuam alteri proponere, & probabilem reddere, ipſumque ad eam examinandam, diligenterque examinatam, ſi cum analogia fidei convenire comperiatur, recipiendam monere. Aliud articulum fidei recipiendum ſic injungere, ut dicatur, *Deus id credi præcipit & mandat*. Atque: *viſum eſt nobis atque Spiritui Sancto vobis recipiendos mandare tales fidei articulos*. Primum licet de omnibus articulis, de quibus in verbo Dei conceptus formari poſſunt: alterum de claris dumtaxat ac notis, & quæ ad fundamentum ſpectant, capitibus.

Sed revertamur ad inſtitutum. Sicut ergo certa dari poſſunt argumenta ſignaque, è quibus verum prophetam, ſuæque veritatem doctrinæ dignoſcere licet, ita par Apoſtolorum ratio eſt, eorumque doctrinæ: fuerunt enim etiam prophetæ; uti & de doctrina eorum judicare licet. Miracula itaque, aliorum prophetarum teſtimonia, vitæ ſanctitas, diſcrimen inter ea, quæ docebant atque proponebant ut Apoſtoli, doctoreſque à Deo ad id ſpecialiter delegati; & inter ea, quæ ex infirmitate faciebant, aut docebant ex notitia & lumine populo, ac eccleſiæ ſuæ tum à Deo conceſſo, ſed quorum cognoſcendorum pleniorem poſtea dat facultatem: hæc inquam omnia in Apoſtolis quoque conſideranda ſunt, & ex ipſis de doctrina eorum judicari poteſt. Nulla igitur de integritate *Petri*, cum aliquid ſibi à Deo revelatum eſſe teſtabatur, inde quod peccator eſſet, & metu Judæorum ad ſimulandum impelli poſſet, dubitandi ratio duci poteſt: neque tanti arcani Euangelici, nempe promiſſionem ſalutis ad gentes etiam pertinere, pro tempore ignorantia, unde ipſe & alii initio gentibus prædicare gravabantur, *Actor.* 10. & 8. *Epheſ.* 3: 5. fuit momenti, ut cum *Petrus* aliique Apoſtoli gentes poſtea Euangelicarum promiſſionum participes diſerte docuerint, ullus de tota doctrina dubitandi detur locus.

Quod ad controverſias de cæremoniis ritibuſque abrogandis, quæ tempore Apoſtolorum fuere, attinet; inde quidem concludi poſſe videtur, aut ipſos de iſthoc capite non conveniſſe Apoſtolos, aut Eccleſiam ſaltem dictis Apoſtolicis non plenam habuiſſe fidem, cum alias controverſiæ in ipſa hærere nequiviſſent; neque *Paulo* Apoſtolo ad *Galatas* & *Coloſſenſes* ſcribenti fuiſſet opus, quibus doctrinam iſtam ipſis inculcaret, ejuſque probaret veritatem, tot uti rationibus & argumentis: verum, ſi hominibus ac præſertim fidelibus, doctrina *Pauli* ut prophetæ ac Apoſtoli, abſolute ſimpliciterque non erat reci-

recipienda, ad quam ergo veritatem ipſis (de fidelibus loquor) doctrina Apoſtoli erat exigenda? Et ſi exigenda ac examinanda, ubi Apoſtolica manebat authoritas? Et ſi fideles Apoſtolis docentibus plenam oportebat habere fidem, quomodo Apoſtoli (quem ad id munus à Deo vocatum eſſe notum erat) doctrinam rejicere non erat apoſtaſia & defectio à Deo? Ad omnes haſce difficiles objectiones, quęſtionesque nobis ita reſpondendum videtur.

Si quædam inter Apoſtolos de doctrina (quod è Sacris tamen Literis non liquet) controverſiæ fuerint, illæ pro exiguo fuere tempore, unde eccleſia (cum fideles iis, quę clarè revelata non erant, non credentes, non peccarent) nullo poterat affici incommodo: Deo poſtea Apoſtolorum animos ita diſponente, ut concordes in unam convenirent ſententiam; doctrinamque Eccleſiæ proponerent, quæ eſſet omnibus inſtructa requiſitis, ad doctrinam pro Divina recipiendam neceſſariis. Quod autem ad eos ſpectat fideles, qui aliquam Apoſtolorum doctrinam ilico non recipiebant: huc facit, aut fideles à falſis doctoribus circumventos, putaſſe rem inter Apoſtolos & doctores, nondum fuiſſe deciſam, ac unumquemque de ea adhuc loqui ex dono Spiritus, ac menſura fidei ſibi à Deo conceſſa; ideoque ad eum acceſſiſſe, qui magis probabiles doctrinæ ſuæ videbatur reddere rationes: ſed diutius Apoſtoli fidem aut infirmare, aut abrogare non licebat, quam donec aliqua de ea facta eſſet deciſio, iis corroborata ſignis, quæ ad deciſionem pro divina recipiendam requiri ſolent. Sic exiſtimo, quod poſt deciſionem in Concilio *Act.* 15. factam, nullus fidelis, qui ſententiæ ibidem prolatæ recuſaſſet, acquieſcere fuiſſet toleratus, ſed condemnatus ut hæreticus, qui ſuo ipſius judicio condemnatus eſt, *Tit.* 3: 11.

Aut dicendum Eccleſiam, & in Eccleſia doctores & Apoſtolos à Deo reipſa circa capita ab univerſa eccleſia necdum recepta, nondum fuiſſe illuminatos; atque inter veros Apoſtolos de iis reipſa fuiſſe controverſiam: id enim notum eſt, quamquam Apoſtoli in Pentecoſte donis Spiritus Sancti ſat large effuſeque donati fuerint, ipſos tamen gradatim illuminatos fuiſſe; atque alium præ alio in initio altiorem myſteriorum religionis habuiſſe notitiam. Hæc ſunt quæ ad quæſtiones difficultateſque contra certitudinem, veritatemque Propheticæ, Apoſtolicæque doctrinæ motas & adferre ſolitas, dici ac reſponderi poſſe cenſemus.

Cum igitur doctrina Apoſtolorum pro verbo Divino recipienda ſit, ſequitur ipſos quoque cum docerent, ac in iis, de quibus ſat large ſupra dictum eſt, circumſtantiis ſpectatos, fuiſſe infallibiles. Et ſic de Doctrina Apoſtolorum judicandum ac pronunciandum, uti Prophetæ de prophetia ſua atque doctrina locuti fuerunt, *Apud eos fuiſſe verbum Jehovæ*, 2 *Reg.* 2: 12. *Os Jehovæ locutum eſſe id, quod proponebant*, *Eſaj.* 1: 20. Sicut *Paulus* Apoſtolus de ſua ipſe dicit doctrina ac prædicatione, ſermonem ſuum de Deo *non fuiſſe ſermonem hominum*, ſed *Dei ſermonem*, 1 *Theſſ.* 2: 13.

Et hi fuere primi doctrinæ Chriſtianæ doctores, quibus etiam annumeramus omnes alios viros Apoſtolicos, quos Deus aut ſignis ad id neceſſariis, ut doctores infallibiles commendavit, aut quorum per eos, qui in Eccleſia fidelium ut doctores infallibiles noti erant, doctrinam ſcriptaque ut infallibilium declarari ac commendari præcepit: qualeſque fuere *Marcus*, *Lucas*, *Stephanus*, &c. De hiſce certum eſt ad eos pertinere miſſionem, de qua Chriſtus dicit, *ſicut me miſit Pater, ita & ego mitto vos*. *Johan.* 20: 21. *Eſſe miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum Dei*, 1 *Cor.* 4: 1. *Miniſtros novi pacti*, 2 *Cor.* 3: 6. *Chriſti legatione fungi ac veluti Deo homines rogante per ipſos, orare Chriſti nomine ut reconcilientur Deo*, 2 *Cor.* 5: 20 Imo de quibus licet prædicare, quod de ſe loquitur Chriſtus,

non recipere teſtimonium ab hominibus, id eſt, authoritatem perſonæ, ſuæque doctrinæ non dependere ab hominibus; neque judicio humano ſubjectum fuiſſe: & ita eccleſia Chriſtiana ſuperædificata eſt ſuper eorum doctrinam, 1 *Cor.* 3: 10. *Epheſ.* 2: 20.

Conſtat quoque inter Reformatos, Apoſtolos in doctrinæ infallibilitate poſt ſe nullos reliquiſſe ſucceſſores. Quod ad *Matthæum* & *Lucam* attinet, quorum alter Euangelium *Matthæi*, alter vero *Lucæ* & *Acta Apoſtolorum* conſcripſit, quorumque Scripta apud omnes Chriſtianos pro divinis authenticisque habentur, pronunciandum, ipſos infallibiliter à Spiritu Sancto ductos & afflatos fuiſſe, ac primævæ Eccleſiæ pro talibus per nota firmaque ſive miraculorum, ſive teſtimonii Apoſtolici argumenta manifeſtatos; nobisque ſucceſſione continua pro vera Hiſtoria traditum eſſe, libros iſtos ut reliqua Novi Teſt. ſcripta pro authenticis habitos; authoresque ſe probaſſe perſonas Divino Spiritus afflatu actas. Tantum enim iis, qui tempore Apoſtolorum vixerunt, deferendum exiſtimamus, ut ipſis, quænam ex iis, quæ tempore Apoſtolorum pro divinis habita ſint ſcripta, & ab ipſis ad nos uſque devenere, accepta ferre debeamus. Ac tantum apud nos hoc teſtimonium continua ſucceſſione nobis traditum, valere debet, ut in ipſo partim nitatur, ac ſita ſit fidei noſtræ certitudo ac firmitas, quatenus in argumentis tantum acquieſcit, & non in Sancti obſignatione Spiritus, quæ proprie loquendo non pro argumento, ſed tantum pro ſignaculo, quo corda noſtra divinæ alligantur ac agglutinantur veritati, ſumenda eſt. Non dico Sacrarum authoritatem Literarum niti teſtimonio eorum, qui Apoſtolis coævi fuere: licet enim omnes illi adeo fuiſſent impii, ut ſigna ac argumenta perſonæ nomine Dei loquentis, ac cœleſtis doctrinæ authoritatem probantia, ad inſtar incredulorum, qui omnia Chriſti miracula rejiciebant, Judæorum, admittere recuſaſſent: fuiſſent tamen quidam miſſi à Deo, ſcriptaque eorum vere divina; ſed nobis ignota, niſi ex hiſtoria ad noſtram deveniſſent notitiam. Primo quendam extiriſſe Chriſtum & Apoſtolos. Secundo, ea quæ jam putantur ſcripta Apoſtolica, illo tempore conſcripta, & pro Apoſtolicis recepta fuiſſe. Hæc omnia, non niſi ex teſtimonio eorum, qui iſto tempore vixerunt, ac porro argumentis firmis, ac primævæ tempore eccleſiæ talia viris iſtis, ac illis ſcriptis teſtimonia perhibita fuiſſe probantibus, cognoſci poſſunt.

Hinc tamen non ſequitur, fidem noſtram de Sacrarum Literarum Divinitate niti teſtimonio Eccleſiæ: minime. Argumenta quæ docere poſſunt, ex. gr. certo quodam tempore in mundo extitiſſe Chriſtum & Apoſtolos, talia ab ipſis edita eſſe miracula, qualia Sacræ Literæ de ipſis teſtantur; ejusmodi tradidiſſe doctrinam, eamque tum libris iſtis, quos Novum Pactum ſeu Teſtamentum appellamus, fuiſſe comprehenſam; libros iſtos tum à Chriſtianis pro divinis habitos, eorum omnium argumenta dicimus ſumi quoque poſſe à gentilibus & infidelibus, qui ea narrant & teſtantur, unde actorum Chriſti & Apoſtolorum fides confirmari poſſit. Quin etiam fieri poteſt dari rationes, cur major infideli de Chriſtianis loquenti, ac quid referenti, quam ipſi Chriſtiano habeatur fides: potior nobis ratio datur, cur de libris Veteris Teſtamenti teſtimonio credamus Judæorum, quam multorum Chriſtianorum, quos novimus male concordes & in partes diviſos; & qui ad tuendum aliquem errorem, quoſdam libros pro divinis haberi cupiunt, quod in iis argumenta reperiri poſſe ſperent, quibus errores ſuos confirment. Hæc ſententia probatur exemplo Pontificiorum de auctoritate Apocryphorum ſcribentium ac teſtantium. Ego primis Chriſtianis coævi, atque referentis Chriſtianos nullas habuiſſe aut coluiſſe imagines, plus tribuerem teſti-

teſtimonio, quam eorum, qui eas defendunt, Chriſtianorum. Et ſicut ſæpe maximum erroris periculum incurrimus, cum de majoribus poſterorum, quos ſæpe majorum pudet, teſtimonio acquieſcimus; ſic quoque in maximum venimus diſcrimen, ſi de verbo, doctrina, ac voluntate divina, Eccleſiæ aut doctorum inſiſtamus judicio. Quemadmodum ergo æque à Græco ac Romano, hoſte ac amico cognoſcere poſſumus, *Cæſarem* ardua geſſiſſe bella, ac conſcripſiſſe librum de *Bello Gallico*; ita quoque fieri poteſt, ut de religione Chriſtiana, Pagani perinde ac Chriſtiani teſtimonium admittere liceat. Cum tantum tribuo hiſtoriæ in confirmanda auctoritate Sacrarum Literarum, non excludo argumenta, quæ Theologi vocant Scripturæ inſita; & quæ petuntur à ſanctitate ejus, & ſublimitate myſteriorum, quæ in Scriptura traduntur, ut & à ſimplicitate ſcriptionis: ſed ea recenſere & explicare ſuperſedebimus, quia in præſentia ita ad rem non pertinent.

Cum igitur nulla de aliis perſonis aut ſcriptis, præter ea, quæ in canone recepta ſunt, extent ea teſtimonia, ut illis tamquam divinitus ſcriptis, fides debeatur, ſequitur nullius hominis doctrinam abſolute admittendam; ſed omnem exigi poſſe, imo debere ad eam, quæ firma ac certa eſt, nempe verbum Dei; & id deinceps quod nudis clariſque verbis, aut evidentibus conſequentiis in eo continetur. Adeo ut nemo verbum Dei recipere poſſit, qui una textus tam claros & evidentes non admittat. Ut in ſcientia naturali nemo concedere poteſt neceſſarium eſſe imperium; & ſimul aſſerere in eo cuique ex arbitrio & animi ſententia agere fas eſſe.

CAPUT III.

De Authoritate Doctorum in Eccleſia, qui viros Θεοπνευςꙋς *ſecuti ſunt.*

His ita poſitis, conſideranda venit ratio & modus, quo Deus poſt deceſſum infallibilium doctorum, homines deinceps voluerit perducere ad ſalutem. *Primò* igitur reliquit Deus verbum ſcriptum regulam ac normam fidei, ac agendorum cuilibet homini venienti in ejus cognitionem; integrum cuique de ſenſu verborum jus permittens, & ſolam, ut bene judicet, cautionem mandans: eo plane modo, quo vaſtum mundi volumen, ſenſibus ac animis hominum propoſuit, ut Deum inde cognoſcerent, divinum cultum formarent probum ac rationalem; nullosque, quorum judicio ſtandum foret, inſtituens doctores.

Secundo, Deus voluit mutuas Chriſtianorum, quibus alius alium doceret ac inſtitueret inter ſe operas, 1 *Pet*. 4:10. *Heb*. 10.24. 1 *Theſſ*. 5:11. 1 *Cor*. 6: 15. *Rom*. 16. *Heb*. 3:12. *Gal* 6:1. *Rom*. 14: 15. *Jac*. 5:19. *Col*. 3:16. *Eph*. 5:18. Quod eo dumtaxat pertinebat, quo alii alios ad pietatem, earumque in quibus conſentiebant rerum, excitarent praxin: ac de reliquis conferentes docerent alii alios, ac lumen adferrent; interimque alter non alterius, ſive unius ſive plurium judicium, ſed rationem ſolam aut verbum Dei ſequi obſtrictus foret: ac ideo in Sacris Literis non revelavit rectam rationem, aut veritatem apud doctiſſimos aut pientiſſimos, aut apud eos, qui reliquos numero ſuperarent, aut antiquitate vincerent, quærendam eſſe; ſed in analogia fidei, ac congruentia cum verbo ſuo Sacroſancto, cujus quivis privatus eſt judex; peccatque cum perperam aut temere judicat, ac bene agit, ſi bene capiat: quamquam enim nemo ſponte ac voluntarie fallatur, fieri tamen poteſt ut quis volens non adferat ea omnia, quæ ad judicandum ſunt neceſſaria. Sed ſemper peccat, & ab officio hominis deflectit, cum quid ob ſolam alterius affirmationem credit, aut temere re clare diſtincteque non percepta, judicium fert, licet interim veritatem eſſet aſſecutus.

Tertiò, inſtituit Deus etiam Paſtores & Doctores, per Apoſtolos, apoſtolicoſque

viros mandans creari Epiſcopos, *Act.* 14:23. *Act.* 20:28. 1 *Pet.* 5:1. 1 *Tit.* 1:5.

Epiſcopos hoſce ac Paſtores pro tempore tantum in eccleſia inſtitutos fuiſſe, non eſt veriſimile. Primo, quia ratio, ob quam in primæva Eccleſia Paſtores ac Epiſcopi creati fuere, adhuc manet eadem: nempe cum Eccleſia Chriſtiana ſit ſocietas hominum, aliquos, qui corpus hoc regant, eſſe neceſſe eſt; idque fieri eſt impoſſibile, niſi quidam ſpecialiter ex eccleſia (cum magiſtratus tunc eſſet hoſtis Eccleſiæ, nihilque præſidii Eccleſia in eo poſitum haberet) eligantur, quorum curæ ſpeciatim demandatum ſit providere, ut omnia in eccleſia decenter & ordine fiant, 1 *Cor.* 14:40. Secundo, quia Sacræ Literæ docent, Deum non ſolum excitaſſe viros, qui eccleſiam congregarent, ſed Epiſcopos quoque ac paſtores creaſſe, qui veram eccleſiam paſcerent, docerent ac regerent, *Tit.* 1:6. *Act.* 14:23. Tertio, quia legimus, in Eccleſia poſt primam ejus conſtitutionem fuiſſe Doctores, Epiſcopos ac Seniores, *Act.* 20:18. *Phil.* 1:2. 1 *Pet.* 5:1. 1 *Tim.* 3:1.

Verum quidem eſt voces Seniorum, Epiſcoporum ac Doctorum in Novo Teſtamento non raro promiſcue ſumi, vocemque *Seniores* ſæpe nil ſignificare niſi eos, qui aliquo fungebantur munere eccleſiaſtico, 1 *Tim.* 5:19. 1 *Pet.* 5:1. Sed negari quoque nequit, Seniores & Epiſcopos etiam in verbo & doctrina laboraſſe, 1 *Tim.* 2:2. & 4:3. 1 *Tim.* 5:19. *Tit.* 1:9. 1 *Theſſ.* 5:22. Nobis igitur conſtat in primæva eccleſia fuiſſe Epiſcopos, Seniores, Doctores, quorum ſicut erat munus regere Eccleſiam, ita etiam eorum officium erat eam doctrina paſcere & erudire: & ſic munus Epiſcopi & Presbyteri in Eccleſia peculiari quadam Sacrorum adminiſtratione continebatur. Alioquin nomen Doctoris perperam, & non ex conſuetudine Scripturæ attribuitur Epiſcopis & Presbyteris; cum tamen vocis Doctoris in Novo Teſtamento alia vis & ſignificatio ſit: ſed ad inſtitutum revertamur. Ad hoc itaque munus quidam ex eccleſia, quos ad regendum & docendum maxime idoneos judicabat, eligebantur, & electi impoſitione manuum donabantur donis ad vocationem ſuam neceſſariis, 1 *Tim.* 5:22. & 4:14. *Act.* 13:3. Idque non tantum Senioribus & Epiſcopis, ſed etiam contingebat Diaconis, *Act.* 6:6. Clareque patet ex textibus modo allegatis, impoſitionem manuum tantum adhibitam, ut externam cæremoniam, non continentem ipſam confirmationem; ſed quæ adhibita fuit, ut externum ſignum, quo ſignificabatur, & votis expetebatur, ut Deus eos, qui ad illud munus inaugurabantur, donis neceſſariis inſtruere atque ornare vellet; quibus muneris ſui partes explere poſſent. Nunc inquirendum, quo jure & authoritate Eccleſia primæva ſub perſecutione, Doctores & Rectores eccleſiæ ſucceſſive inſtituerit. Sed antequam rem ulterius perſequamur, præmonemus nos, cum hic voce *Doctorum* utimur, per eam nihil intelligere, niſi quod per Epiſcopum & Seniorem communiter intelligitur in Sacris Literis.

Munus doctoris eo, quo Literæ Sacræ de ipſo loquuntur, & non prout nunc vulgo ſumitur, ſenſu ſumptum, in eccleſia Dei non fuit miniſterium ordinarium ac perpetuum, prout fuit munus Epiſcoporum, Seniorum ac Diaconorum; adeo ut ubicumque de ordinariis Eccleſiæ miniſtris eſt ſermo, nuſquam de doctoribus fiat mentio. Nuſquam legitur Apoſtolos quemquam in Eccleſia inſtituiſſe doctorem. Nuſquam ad doctores hujus aut alterius Eccleſiæ, ſuas ſcribunt Epiſtolas. Nuſquam leges, ſecundum quas doctores ſint eligendi, præſcribunt: ſed in his ac hujuſmodi occaſionibus & circumſtantiis Sacræ Literæ ſemper adhibent vocem Epiſcoporum, Seniorum ac Diaconorum, *Act.* 14:23. & 15:2. 4. 6. 22. 23. & 16:14 20. & 17:28. *Phil.* 1:1. 1 *Tim.* 3:2. 8. 12. *Tit.* 1:5, 7. *Jac.* 5:14. 1 *Pet.* 1:1. 5.

E con-

E contra, ubi de quodam extroardinario Spiritus Sancti dono, ac de ejusmodi, ad quod ſpecialis miſſio ac divina illuminatio requirebatur, miniſterio eſt ſermo, videmus ſemper adhiberi vocem Doctoris & Diſcipulorum; nunquam autem vocem Epiſcopi aut Senioris, *Act.* 13:1. *Eph.* 4:11. Ubi etiam fit mentio Paſtorum, quorum munus in Eccleſia Dei etiam fuit extraordinarium: conſule etiam loca ſequentia, 1 *Cor.* 12:28 29. 1 *Cor* 14:6. 26. *Rom.* 12:7. Veriſimile igitur eſt, doctores in primæva eccleſia fuiſſe viros eximiis & auguſtis donis extra ordinem prȩditos, qui ordinarios eccleſiæ Epiſcopos & Seniores, aut eos etiam omnes, qui ad id munus aſpirabant, aut eligendi erant, edocuerunt. Idque etiam tam diu fuit neceſſarium, quam doctrina Novi Teſtamenti nondum literis fuerat conſignata. Talis doctor fuit *Barnabas*, *Act.* 14:1. Talis quoque *Silas*, *Act.* 15:22. Hæcque vox Doctor congruit cum voce *Rabbi*, quæ inter Judæos peculiaris ac eximiæ fuit dignitatis; neque ei tribuebatur, qui particulari cuidam præerat Synagogæ, ibique ad ædificationem populi ſermonem habebat, ſed iis dumtaxat, qui valde periti atque edocti in lege, per *Sanhedrim* Judæorum Hieroſolymis admittebantur, ad erigendas academias, alioſque in lege edocendos. Talis fuit *Gamaliel*, *Act.* 5:34. *Nicodemus*, *Joh.* 3:20. Atque hinc factum eſt, ut nomen *Rabbi* & *Magiſtri* Chriſto quoque datum ſit. Quemadmodum etiam *Paulus* ſibi ipſi Doctoris nomen attribuit, 1 *Tim.* 2:7. 2 *Tim.* 1:2.

Atque hoc inter Doctores & Epiſcopos diſcrimen ab initio in Eccleſia ſemper obſervatum fuit, uti ex omnibus eccleſiaſticis patet hiſtoriis: hinc enim obſervatur & docetur eos, qui olim præficiebantur Eccleſiæ, appellatos fuiſſe Epiſcopos, Seniores ſeu Presbyteros. Quæ nomina ad hodiernum uſque diem in Papatu ſunt in uſu. Primi, qui ea mutarunt, atque nomina Paſtorum, Doctorum ac Prædicatorum eo, quo nunc ſumuntur ſenſu, introduxerunt, fuere Reformati: qui reformationem invito, prout in *Gallia* atque *Belgio* factum eſt, introduxere magiſtratu; ideoque vocem Epiſcopi & Presbyteri mutare coacti fuere, ne in tale munus viderentur velle invadere. Sed ubi reformatio ſummo magiſtratu annuente promota eſt, nomen Epiſcopi retentum ac conſervatum eſt, quia tali caſu rationi ſuprà allegatæ non erat locus.

De hoc diſcrimine ad exemplum aliorum, qui in eo nos præceſſere, neceſſarium exiſtimavimus paucis diſſerere, ne privatus aliquis Prædicator, Paſtor aut Doctor unius aut plurium eccleſiarum, ſe decipiat, ſibique ex vana opinione vindicet, quod Sacræ Literæ non niſi doctoribus attribuit, ſic proprie dictis; indeque aliquid, quod jam dictis aut dicendis de Doctoris munere repugnet, concludi poſſe putet. Jam redimus in viam.

CAPUT IV.

Quo jure & authoritate Primæva Eccleſia ſub perſecutione, ſibi Doctores, Paſtores, Rectoreſque Eccleſia elegerit.

CUm ergo conſtet Chriſtum per Apoſtolos, Apoſtolicoſque viros elegiſſe Epiſcopos & Seniores, quos nos promiſcue Doctores, Paſtores, & Prædicatores appellabimus: quæritur primo, qua authoritate Apoſtoli, virique Apoſtolici, ac deinde Eccleſia Chriſtiana id egerit? Id nomine Chriſti ab ipſis actum fuiſſe jam probatum eſt. Sed manifeſtum eſt Chriſtum, Apoſtolos, viroſque Apoſtolicos multa egiſſe, & agenda præcepiſſe, quæ in uſum referenda erant jure privato, quo quisque in neceſſitate ac perſecutione, aut incuria magiſtratuum, debita defenſione ac cura deſtitutus, ipſe rerum ſuarum diri-

dirigendarum habet jus; quod ceſſantibus iſtis caſibus ceſſat, neque ſalva conſcientia uſurpari poteſt: & directio earum, curaque à Deo magiſtratui demandata, ac recte habita, debet eidem permitti, nec quiſquam hoc illi eripere poteſt, quin in Deum peccet, & juſtitiam violet. Minorenni à parentibus pulſo, deſtituto ac expoſito, ſua ex animi ſententia præter voluntatem & conſcientiam parentum dirigendi, vitæ profeſſionem, nuptias, & domicilium, &c. eligendi jus eſt. Sed eum parentes cum revocant, recipiunt, deque eo paterna tanguntur cura, ac ipſi proſpiciunt atque conſulunt, eo jure jam ultra uti non eſt integrum filio: uſuſque ejus juris, quod tali caſu cuivis natura concedit, ceſſat: patrioque tum jūri, poteſtati ac authoritati in rebus à natura conceſſis, ac antè dictis, propter conſcientiam ſubjicitur. Ac magnus foret error jus filii generatim eo, quod pulſo tali caſu integrum eſt, velle metiri: neque ille error minor foret eo, quo quis jus unius aut plurium ſubditorum, ſeu privatorum vellet definire ex eo, quod ipſis in neceſſitate, perſecutione, perturbatione civitatis, ac hoſtilibus magiſtratuum contra ipſos actionibus, per conſcientiam licet. In neceſſitate & occiſa ſpe præſidii ac defenſionis magiſtratus, quiſque legitime ac juſte utitur jure defenſionis naturali: ſed id ceſſat cum magiſtratus conſervationi ac ſecuritati noſtræ proſpicit ac conſulit. Ita cum magiſtratus non conſulit pauperibus, integrum nobis, imo officium noſtrum eſt eorum habere curam, collectas facere, ac de eleëmoſinarum collectarum diſtributione diſponere, viroſque diſtribuendis præficere idoneos: ſed cum Rectores, ad quos ex natura regiminis de pauperibus ſubditis cura vere pertinet, id aſſumunt; jus hujuſmodi collegiorum citra cognitionem, authoritatem & mandatum, imo contra voluntatem Magiſtratus erigendorum ceſſat. Ac ideo ex uſu primævæ eccleſiæ citra cognitionem Magiſtratus, qui Chriſtianos perſequebatur, diaconos inſtituentis, concludere, ſub regimine magiſtratus pauperibus Chriſtianis proſpicientis, & ex munere obſtricti conſulere, hujuſmodi collegia à magiſtratu independentia, & ex privata, & à magiſtratuum authoritate diviſa, authoritate adhuc poſſe conſtitui, abſurdum eſt. Quoniam ſi hujuſmodi exemplis conſtet ſua ratio, poteſt eccleſiæ præter voluntatem & cognitionem magiſtratus eccleſiæ addicti, etiam conſcribere Synodos, quia Eccleſia primæva Apoſtolorum tempore, à magiſtratu patiens perſecutionem, ſuo naturali, ac omnibus collegiis communi, & eccleſiæ non ſpeciatim proprio utebatur jure, quo in caſu neceſſitatis ſibi ſuiſque conſuleret, ac optime proſpiceret.

Sic igitur cuivis, licet magiſtratus eccleſias ex munere convocet, foveat, iiſque conſulat, ſub ſpecie quod primi ſub duris perſecutionibus id egerint Chriſtiani, integrum liberumque foret privatos agere conventus, novaſque citra voluntatem & authoritatem ipſius cogere eccleſias. Ubi quis propter fidem patitur perſecutionem, & affligitur, tum jure licet uti naturali, eoque agere quod ad ſui conſervationem pertinet: atque ejuſmodi jus eccleſiæ, qua tali non eſt proprium, ſed omnibus hominibus & collegiis in tali caſu commune; quo quivis in omnibus ad conſervationem ſui pertinentibus, tempore neceſſitatis, ac aliorum deſtitutus ope, abſolutus judex, ſuique vindex eſt.

Sic etiam ad probandos Eccleſiæ Rectores à magiſtratu independentes, quorumque poteſtas & authoritas non contineatur poteſtate & authoritate magiſtratus, non ſufficit quod in Primæva Eccleſia tales citra cognitionem, imo contra voluntatem Rectorum, fuerint electi ac inſtituti: id enim factum fuiſſe potuit ex neceſſitate, quia eccleſia, ut fraterna ſocietas, cum propter ordinem regimine carere non poterat, talem citra cognitionem,

nem, & contra voluntatem magiſtratus ipſam perſequentis, ordinem conſtituere cogebatur. Sic Corinthiis ſuadet Apoſtolus contentiones ac controverſias per arbitros è medio ipſorum electos, dirimere, 1 *Cor.* 6. Sed hinc non ſequitur, Eccleſiæ ſub magiſtratu ſibi addicto, contra voluntatem, & citra cognitionem ipſius, qui in Chriſtianorum commodum, eodemque quem Apoſtolus intendebat fine, arbitros ipſe vult eligere, hujusmodi arbitros eligendi jus eſſe. Quamquam enim magiſtratum non oporteat temere, jus arbitros eligendi ſubditis adimere, non vocatur tamen in dubium aut diſceptationem, quin magiſtratui, cum id neceſſarium aut utile eſſe judicat, ipſos conſtituendi jus ſit; ac judicium de neceſſitate ac utilitate illorum ad ipſum, non vero ad ſubditos pertineat. Quemadmodum magiſtratui ſubditis libertatem conjugii, quæ plebeis indies ex animi ſententia permittitur, adimere nefas, licet jus de omnibus conjugiis cognoſcendi, ac prohibendi, ne quis citra ipſius cognitionem ſponſalibus ſeſe promiſſis obſtringat, ſalvum ipſi maneat & integrum: prout illud Reges, ac penes quos eſt ſumma rerum, circa eximias, & ex quorum conjugiis magna commoda vel incommoda in Rempublicam redundare poſſunt, uſurpare ſolent.

Sic etiam poſſet quæri, utrum animadverſio in eos, qui in aliquo offenderant aut deliquerant, & in conſpectu eccleſiæ, ut pudore afficerentur, arguebantur, 1 *Tim.* 5:20. ſit pœna ſpiritualis, an non potius cenſoria & civilis animadverſio in Eccleſiam introducta; cum illa majori ac humana deſtituta poteſtate, contenta eſſe debebat ſevera, acri, & ignominioſa animadverſione; neque ad malum è medio ſui arcendum, per aliam quam hujusmodi animadverſionem, audebat procedere, ne jus magiſtratus occupare ac uſurpare videretur: non vero quod hæc ſpiritualis eſſet animadverſio, & aliæ ſeveriores, acriores, ac ulterius procedentes ut mulctæ, ſatisfactiones, ac prohibitiones commercii pœnæ humanæ aut civiles: nam ſana animadverſio tendens ad pudorem delinquentis, quo malum magis refugiat ac averſetur, quod Apoſtolus textu modo allegato intendit, non eſt pœna ſpiritualis, ſed humana ac civilis, de qua jam dictum eſt ſatis.

Concludimus ergo non ſufficere affirmare, Apoſtolos, Apoſtolicosque viros, & eccleſias ipſis ſuccedentes citra authoritatem & cognitionem magiſtratus, in eccleſia elegiſſe *Epiſcopos*, *Seniores* & *Diaconos*; idque ſecundum voluntatem Divinam factum eſſe: ſed in eo cardo rei vertitur, qua authoritate id factum ſit? An fuerit authoritas privata omnibus collegiis tempore neceſſitatis communis? An vero Divina, quibusdam privatis, aut collegiis, fraternisve ſocietatibus ſpeciatim à Deo conceſſa, anteaque vel ad magiſtratum pertinens, aut de novo hujuſmodi dictis perſonis aut collegiis cœlitus data. Authoritatem iſtam fuiſſe novam, quæ antea in orbe terrarum non exſtiterit, aut apud Rectores, aut privatos liberoſve homines non fuerit in uſu, affirmari nequit: cum enim ſemper aliqua exſtiterit eccleſia, cui etiam ex natura omnium collegiorum & ſocietatum, neceſſarii fuere Rectores, Deo ſic volente, ut omnia in Eccleſia decenter & ordine fiant, 1 *Cor.* 14. 40. ſequitur ſemper etiam quibusdam jus fuiſſe illos conſtituendi: nam quamquam forma regiminis, docendique modus ſub Novo Teſtamento forte mutata fuerint, inde tamen non ſequitur poteſtatem *Rectorum*, *Doctorumque* eccleſiæ conſtituendorum, etiam mutatam: & id dicenti incumbit etiam probatio.

Verum ut arcem adverſariorum oppugnemus, ac omnis diſputatio in poſterum reſecetur, nulla ratione affirmari poteſt, Epiſcoporum Seniorumque citra cognitionem magiſtratus conſtituendorum poteſtatem, quibusdam perſonis aut collegiis

à Deo ſpeciatim conceſſam eſſe, niſi id manifeſtis & claris textibus probetur: aut ſaltem hujusmodi munerum functionis naturam non permittere poteſtatem ea in quasdam conferendi perſonas, in poteſtate magiſtratus, aut jure, quo quivis privatus aut collegium, neceſſitate id exigente, ad res ſuas dirigendas uti poteſt, contineri. Sicut enim ſupra copioſiſſime & ampliſſime probatum eſt, nuda etiam Chriſti ipſius, ac Apoſtolorum exempla hic nullum conferunt momentum; imo neque exempla, neque leges Teſtamenti Veteris: nam nullus magiſtratus poteſtatem ſuam Regum Iſraëliticorum poteſtate metiri, nec regimen ſuum ex legibus Reipublicæ Judaicæ, ſed ex æquo tantum, & fundamentalibus, ſi quæ ſint, legibus regiminis dirigere ac moderari tenetur. Si ergo regnum Chriſti non eſt ex hoc mundo, ut verè non eſt, *Joh.* 18:36. Et ſi regno ſuo huc in terram introducendo & erigendo, quæ Cæſaris antea fuere, non ademit Cæſari; & ſi ſimul etiam probari poteſt, poteſtatibus politicis, qua talibus, ex natura regiminis, Epiſcoporum & Seniorum eccleſiis præficiendorum, aut functionis hujusmodi munerum in ſe ſuſcipiendæ jus competere, dicendum, id quod Chriſtus, Apoſtoli, viri Apoſtolici, & deinde primæva Eccleſia curâ magiſtratus deſtituta, Eccleſiæ citra cognitionem, imo contra voluntatem magiſtratus ipſam perſequentis, de Epiſcopis ac Senioribus proſpiciendo, fecêre, jure privato, ac cunctis hominibus ac collegiis naturali, (quo cuivis neceſſitate id exigente, ſua tuendi & curandi jus eſt) factum eſſe: & ita ipſorum exemplo jus Eccleſiæ ſuperſtrui nequit. Reliquum ergo eſt tantum probare, Eccleſias cogere, & ex verbo Dei erigere, ipſis Epiſcopos, Seniores & Diaconos dare, ac ipſis præſcribere modum, quo Eccleſiam ſecundum voluntatem Dei, quam ipſi (nempe magiſtratus) ex verbo Dei ſibi perſpectam notamque putant, regant ac doceant, pertinere ad magiſtratus, & poteſtates à Deo in terra conſtitutas. Quod ego, Deo favente, brevibus ac nervoſe expediam.

CAPUT V.

Quemadmodum ad quamvis ſummam poteſtatem in ſua ditione, cura religionis, ſic & miniſtrorum ejus electio pertinet.

CUivis homini in ſtatu naturali ſpectato, indeque nulli regimini obſtricto, aut eo deſtituto, adhuc ſub Novo Teſtamento jus eſſe, quo liberrimè, ac ſine ulla rationum reddendarum obligatione, aut alicujus ſupra ſe poteſtatem imperandi habentis agnitione, res ſuas tam ad animam, quam ad corpus pertinentes, agat, ac ex arbitrio dirigat. In eo ſitum eſt jus defenſionis ſui; ac ſeceſſionis, qua Reformati ſeceſſerunt à Papatu, & citra cognitionem, contraque voluntatem magiſtratus, congregarunt & coëgerunt eccleſias. Homo vagus & errans, & ita nullis ſocietatis legibus conſtrictus, jus habet colendi Deum eo modo, quem rationi & Scripturæ convenire putat: id enim jus eſt, quod omnibus à natura hominibus inditum eſt, ac hujusmodi jus naturale Deus homini per Euangelium non ademit; nam tum Deum oportuiſſet in terra conſtituiſſe perſonam aut collegium, quod animos in rebus fidei obligandi *haberet* poteſtatem: quod cum ſit fundamentum Papatus, directeque cum verbo Dei pugnet, 1 *Cor.* 7:23. *Act.* 4:19. 1 *Theſſ.* 5. *Joh.* 4:42. 1 *Cor.* 10: 15. ab omnibus Reformatis rejicitur. Ratio ac verbum Dei revelatum omnibus hominibus ſunt norma fidei: ratio dico ac verbum Dei revelatum, quia nulla ratio, aut verbi Divini expoſitio cuiquam credendorum regula, aut lex eſt, quatenus ab aliqua venit perſona

ſona aut collegio, ſed quatenus ſibi conſcius eſt, & intelligit eam eſſe veram. Hæc cum ab omnibus, qui à Papatu ſeceſſere Reformatis, unanimi conſenſu concedantur, non explicabo fuſius.

Illam igitur formam, cultusque Divini modum, quem perſona hujusmodi libera, de qua ſupra dictum eſt, bonum, ac veritati verboque Dei conformem judicat, licet ac oportet omnibus poſt in poteſtatem ſuam venientibus, præſcribere: adeo ut illum Dei cultum, quem verum judicat, inter liberos ſuos, aliosque poteſtati ſuæ ſubditos, commendandi, præcipiendi ac propagandi jus habeat. Si poteſtas ejus ſeſe in tot tandem exerit perſonas, ut multitudine ſua rempublicam efficiant, aut populum, tum perſona illa, omnesque, qui ipſi in jure ſuo ſuccedunt, eodem in rempublicam, & populum iſtum potiuntur jure, quod ipſa ad cultum Dei eo, quem melius cum ratione ac verbo Dei convenire judicat, modo, præſcribendum habebat in familiam. Quemadmodum itaque paterfamilias jus habet ordinandi cultum in ſua familia, eumque conſtituendi quem judicat rationi & Scripturæ maxime congruere: ita quoque eodem potitur jure, ipſum præcipiendi populo, qui ex numeroſâ & lâte fuſa familia ejus ortus eſt. Exemplum Abrahami nobis erit inſtar millium: idque docet virum ſanctum eum Dei cultum religionemque in familia ſua propagaſſe, ac deinde cunctis tradidiſſe poſteris, quam judicabat meliorem, magisque cum ea, quam ſibi à Deo revelatam credebat, convenientem. Quin & ipſe etiam perſpicuè jus iſtud ipſi tribuunt Sacræ Literæ, dicentes *Gen.* 18:17.18.19. *Dixit autem Jehova, occultemne ego ab Abrahamo, quod ſum facturus? Cum Abraham prorſus futurus ſit gentis magnæ ac potentis pater, & in eo benedicendæ ſint omnes gentes terræ. Nam agnovi eum, ut, quam præceperit filiis ſuis & familiæ ſuæ poſt ſe, etiam obſervent viam Jehovæ, &c.*

Id igitur eſt jus, quod primò privatim cuique competit, quo ipſi liberum integrumque eſt eum Dei cultum eligere, quem ad rationem & verbum Dei credit proxime accedere; quemque familiæ ſuæ & ſubditis præſcribere neceſſe habet: eſt enim ejus officium hominibus in ſuam fidem & clientelam traditis, aut qui ultro & ſua ſponte in ejus poteſtatem conceſſere, leges figere, quibus Dei colendus modus præſcribatur. Sicut ergo ex iſtoc naturali, ac omnibus liberis hominibus congenito jure, nulla homini privato, juxta religionis noſtræ fundamenta, ſuperior perſona aut collegium, penes quod de religione judicandi, eamque aliis præſcribendi ac imperandi jus ſit, venit agnoſcendum: ſic etiam non eſt, quod ad alicujus perſonæ aut collegii ſtatuta & decreta exigat, qualem cultum atque religionem ſuis ſit præſcripturus. Si credit Deum in verbo ſuo revelaſſe, partem cultus per Presbyteros & Levitas adminiſtrandam, ipſisque dignitates quasdam & prerogativas à Deo concedi; quas quivis privatus nec habere poteſt, nec debet; tum ad ipſum pertinet jus inſtituendi talem cultum, & ad ejus adminiſtrationem conſtituendi perſonas & munera, qualia ipſe edoctus ex Scriptura, à Deo ad ſuum cultum poſtulare exiſtimat: niſi poteſtatem iſtam alias ex natura ad ipſum pertinentem, lege expreſſe revelata Deus ipſi adimat, ac in aliam perſonam aut collegium conferat. Quamquam enim creditur talem cultus divini modum à Deo revelatum, quo paterfamilias, aut princeps populi aliquas vel omnes divini cultus inſtituti partes ipſe adminiſtrare nequeat, inde tamen non ſequitur ad ipſum non pertinere jus iſtud naturale, quo ipſi licet in ſuam civitatem cultum à Deo præſcriptum & ordinatum inducere; perſonas ad illum adminiſtrandum eligere, præditas qualitatibus, & munitas auctoritate & jure, quæ Deus in ipſis collocare voluit. Non ſecus ac in civilibus principis ſummum imperium non imminuitur, licet quorundam in ſtatu civili munerum functi-

ones dentur, quas ipſe adminiſtrare nequeat. Collegium obſtetricum, quamquam principi eo munere fungi non liceat, non minus ab ipſo dependet, quam collegium judicum: & cura de rebus conjugalibus officii principis pars eſt, licet conjugium divina ſit inſtitutio; & ipſe benevolentiæ debitum, quod conjux conjugi debet, nequeat exolvere, 1 *Cor.* 7:3.

Liquet itaque ex præcedentibus, ſi paterfamilias, aut princeps populi credit, à Deo in verbo ſuo revelatum, Sacramenta per certas perſonas adminiſtranda, populum docendum, Eccleſiamque, ut collegium ſejunctum à politia, dirigendam, cui dignitates quædam & prærogativæ à Deo inſtitutæ, neque è politia profluentes conceduntur, (quod an verum ſit, poſtea examinabitur) & quas ideo quivis ſubditus habere nequit, nec jure, quia nec ex natura, nec ex civili hominum ſtatu profluunt, habere fas eſt, ideo non ſequitur patrifamilias aut Principi jus naturale in tales perſonas & collegia non competere, aut non licere ipſas & ipſa conſtituere, & regere ex animi ſententia, ſecundum regulas, & per tales perſonas, quas ipſe idoneas judicat juxta præſcriptum Dei. Nam quamvis cultus divinus, modusque adminiſtrationis ejus cœlitus ſit dimiſſus; neque ex poteſtate civili profluat, cura tamen adminiſtrationis talis divini cultus,& jus conferendi munera, quæ cultus requirit, nihilò ſecius ad poteſtatem civilem pertinet, & pertinebit, donec per expreſſe revelatam Dei voluntatem conſtet, Deum partem regiminis civilibus poteſtatibus ademiſſe, eamque in perſonas alias aut collegia contuliſſe. Poſito quod lex, per quam non niſi unicam viro uxorem habere licet, ſit præceptum divinum, nec in ulla naturali æquitate fundatum, ratio tamen conjugii, cauſarumque conjugalium ad civiles nihilominus pertineret poteſtates. Et poſito divinitus imperatum eſſe, ſicut ego id eſſe credo, homines vocali etiam Euangelii doctrina atque inſtitutione ad ſalutem edocendos, Deumque perſonas ad docendum idoneas, integraſque vitæ, & qui ſpeciatim in hoc incumbere debebant, eligi voluiſſe, quod etiam divinum eſſe præceptum credo; imo hos doctores præter hæc omnia, etiam habuiſſe peculiarem ſanctitatem, & præter electionem ad hoc munus, quam in timore Dei ſuſceperint, peculiarem miſſionem, (quæ non admittimus) quin etiam eos ſanctitatem iſtam ex præcepto Dei, non à poteſtate civili, ſed ab alia perſona vel collegio, à Deo ad id inſtituto, debuiſſe accipere; poteſtates tamen civiles non ideo minori, tales ad hujusmodi munera eligendi perſonas, ac iſtius ſanctitatis & functionis in ipſas collationem præcipiendi, potirentur jure: niſi expreſſe revelata aſſignaretur Dei voluntas, quæ poteſtatem illam ex natura ad politiam pertinentem, ademerit magiſtratui, & in aliam perſonam vel collegium contulerit. Quamquam munus propheticum functio ſit,quæ civili poteſtate non contineatur,ſed immediate à Deo cœlitus in Eccleſiam ſuam ſit introducta, nihilo tamen ſecius ad quemvis patremfamilias & Principem populi, eos, quos dotibus à verbo Dei in doctore requiſitis, optime inſtructos judicant, ad hoc miniſterium vocandi jus pertinet. Licet Rex Iſraëlis eſſet perſona ſancta & uncta, ideo tamen is, ad quem jus ungendi regem pertinebat, regis eligendi jus non habebat. Quamvis in Doctore *character* eſſet tam ſanctus, qui à nulla civili poteſtate in ipſum conferri queat, paterfamilias aut Princeps populi tamen ideo non minori potirentur jure eum eligendi prædicatorem, quem judicarent maxime idoneum. Ratio eſt, quia ad utrumque à natura pertinet jus æternam æque ac temporalem domeſticorum ac ſubditorum curandi ſalutem: ac per conſequens ſuis proſpiciendi de paſtoribus ac doctoribus. Quemadmodum iisdem publicum & privatum conſtituit cultum, eoſque ad ejus adminiſtrationem eligit, quos judicat maxime ido-

idoneos; & eos tantum eo numero habet, qui cultui in Republica inſtituto adhærent.

Quemadmodum igitur Deus nullam privato in naturali libertate conſiderato, præfecit perſonam aut collegium, quod ipſi præſcribere debeat, quis ab ipſo Dei cultus eligendus ſit, ſed iſtud eligendi jus naturali ipſius libertati reliquit integrum: ſic neminem quoque Deus, ſecundum Sacras Literas, ac prima Reformationis noſtræ fundamenta, præfecit patrifamilias aut Principi, qui ipſis jure & eâ authoritate divinum, quo teneantur, cultum præſcribere poſſit, aut cujus judicio in admittendis ad adminiſtrationem cultûs divini perſonis, ſeſe ſubmittere debeant; quique multò minus perſonas ipſis, quæ res divinas exequantur, adjungere queat: ad id enim quod adeò abſurdum ac abſonum eſt, accederet etiam, patremfamilias aut principem potiri jure curandi domeſticorum ac ſubditorum ſalutem, & una judicandi, quisnam ſit verus, quem ſuis ex conſcientia præſcribere debeat, Dei cultus; & tamen interim etiam obſtrictum eſſe ad Doctores, aut Epiſcopos à perſona ſuperiori aut collegio in ſpiritualibus, in cultu Dei diſſentientes, imo etiam opinionis contrariæ admittendos. Poſſet princeps judicare, religionem Reformatam ad verbum divinum quam proxime accedere, ac cum eo convenire; at perſona illa vel collegium, quod à Deo poteſtatem ſummam haberet in ſpiritualibus, contra adjungere & injungere ipſi poſſet Epiſcopos, doctoresque populi ſui Pontificios, qui ab ipſo deberent admitti & recipi, quo nihil mihi videtur eſſe abſurdius. Si dicatur, quod Princeps iſtam tantum perſonam aut collegium agnoſcere debeat, ut poteſtate & authoritate jam dicta à Deo præditum, quod veram fovet ac obſervat religionem; iſtosque dumtaxat pro Epiſcopis eccleſiæ doctores agnoſcere, qui verum Dei cultum docent: quæro ad quem pertineat judicium, quænam ſit perſona aut Collegium, quod veram religionem fovet? Si ad alium quam principem pertineat, eadem rurſus occurrit difficultas; ac præterea in ſumma ſemper agitur incertitudine. Cum enim unusquisque veram prætendat habere religionem, & ad Principem de ea definitivè decernere non pertineat, ipſi ſemper erit ambigendum; & pendens animo cruciabitur ſemper: nec certum Dei cultum inter ſubditos propagandum mandare poterit. Si dicatur ad principem pertinere, ipſumque debere judicare ac decernere, quænam religio Deo ſit accepta, tum conceditur, quod princeps pari ratione, forma & authoritate, rerum divinarum æque ac politicarum ſummam adminiſtret: imo qui concedit magiſtratum potiri jure arcendi hæreſes, iisque adhærentes coërcere, nobis id quod aſſerere ac defendere volumus, concedere neceſſe habet. Si enim jus judicandi habeat quid ſit hæreſis, eumque ut hæreticum condemnandi, qui tamen prætendit ſe divinam proponere doctrinam, tum igitur Deus poteſtatem & jus Principi conceſſit res divinas ex judicio ſuo adminiſtrandi, atque idoneos ad ſacram illam adminiſtrationem eligendi miniſtros: nam ſi eam poteſtatem in falſo Dei cultu rejiciendo habeat, in vera quoque religione eligenda, & præcipienda ut habeat neceſſe eſt; ac omnia à judicio ipſius dependere debent. Nam non ſimplex, qua quis ſe veram habere religionem profitetur, affirmatio, ſed veritas ad eam recipiendam Principem obligat; atque illa eſt vera eccleſia, quæ jus habet, (ſi licet ita loqui) quo à principe defendi debeat: & cum in eo deficit, peccat contra Deum, & veritati (ſit venia dicto) infertur injuria. Sed quemadmodum Deus quemvis hominem conſtituit judicem, ut de controverſiis fidei judicet, & ex judicio ſuo religionem & conſcientiam ſuam dirigat, ſic etiam cuivis patrifamilias & Principi conceſſit jus judicandi de controverſiis fidei; atque ex hoc judicio in

familia ſua, & in territorio ſuæ juriſdictionis formandi atque inſtituendi cultum Divinum. Prout expreſſis 16. *Hiſt. Eccleſ. Capite* quoque docet *Triglandius*: cum *pag.* 317 dicit. *Ad Civilem poteſtatem pertinet judicare, & ſtatuere quænam religio publice inter cives exercenda ſit. Si magiſtratus à vera Religione deficiat, & loco ejus introducat falſam, tum poteſtate quidem ſua abutitur, verum tamen id faciendi habet poteſtatem.* Ac huic ſententiæ conforme eſt dictum *Paræi* in ſuis commentariis *Cap.* 13. *Epiſt. ad Rom. Chriſtiani magiſtratus eſt de religione judicare judicio non tantum diſcretivo & apprehenſivo, quid bonum aut quid ſit malum, ſed etiam definitivo concludente & definiente, quid pro bono aut malo habendum ſit.*

CAPUT VI.

In quo oſtenditur, ab hac doctrina ne latum quidem unguem poſſe deflecti, quin prolabamur rurſus ad Papatum.

ET quo magis appareat pondus atque momentum hujus doctrinæ, oſtendam ne minimum quidem punctum inde deflecti poſſe, quin formaliter introducatur poteſtas Pontificia, quæ in eo conſiſtit, quod Deus cuidam perſonæ aut collegio extra poteſtatem civilem conſtituto, & ab ipſa independenti, conceſſerit authoritatem & poteſtatem aliis perſonis, collegiis aut ordinibus præſcribendi regulam religionis, ex qua Rector & privatus religionem & conſcientiam ſuam inſtituere ac dirigere debeant. Hinc appoſite loquitur *Hopperus* Theologus Anglus, cum inquit: Duplex Adverſariorum genus ſummam Regum oppugnat poteſtatem circa ſacra: quidam defendunt poteſtatem in rebus Eccleſiaſticis per totum mundum jure divino pertinere ad Papam; alii poteſtatem iſtam in Eccleſia nationali competere Eccleſiaſticis in Synodo nationali congregatis: nos hos & illos rejicientes ſuſtinemus, poteſtatem illam pertinere ad quemvis regem in regno ſuo.

Nec tollitur difficultas dicendo Papam prætendere poteſtatem, qua cæteris hominibus, collegiis & ordinibus religionem ita præſcribat, ut propter conſcientiam iſtam fovere religionem obligentur: ſed quod multi Reformatorum docent Eccleſiaſticos alicujus regionis aut provinciæ in ſynodo congregatos habere quidem poteſtatem judicium de rebus divinis ferendi, ex quo cultus divinus dirigendus ſit, ſed principem aut ſubditum non eſſe obſtrictum ad iſtam religionem fovendam, ſi eam in conſcientia non approbet. Primo enim in eo ſaltem ſententia eorum cum Pontificiis convenit, quod collegium ſtatuatur à magiſtratu independens, cui à Deo conceſſum eſt jus & poteſtas religionem alterius ſic inſtituendi, ut propter Deum & conſcientiam obſtrictus ſit eam in familia & ditione ſua ſtabiliendam: prout eam ſibi Papa poteſtatem attribuit, qua cultum Divinum cunctis præſcribat hominibus. Ad obligationem conſcientiæ, qua huic præſcripto obſtricta tenetur, quod attinet, ſi Reformati, contra quos hic diſputamus, eam non intelligunt, ipſi à ſe diſſentiunt; & conſequens eſt, ut in noſtram neceſſario veniant ſententiam. Quomodo enim perſona aut collegium poteſtatem à Deo habere poteſt, qua aliis cultum Divinum injungat, ſi alii obedientia illius præcepti non teneantur, cum conſcii ſunt id non eſſe bonum? Quoniam conſtitutionum circa religionem faciendarum poteſtas tum non eſt penes collegium, ſed penes illas perſonas, quibus de conſtitutionis bonitate & æquitate judicium ferendum eſt. Cum lex, aut ſuperioris poteſtatis conſtitutio mihi tum demum lex eſt, vimque legis habet, cum illam judico æquam eſſe & approbo, tum poteſtas ferendi leges non eſt penes ſuperiorem poteſtatem; illo-

illoque ſenſu illa mihi non eſt ſuperior poteſtas: ſed poteſtas legiſlatoria eſt penes eum, qui de legis æquitate judicat. Sicque nobis ultro quod defendendum ſuſcepimus, conceditur: nempe, Deum nullam conſtituiſſe perſonam aut collegium, quod alteri ex poteſtate & authoritate, Divinum cultum præſcribere poſſit. Et doctrina Papatus licet falſa, melius quam doctrina Reformatorum ſibi conſtat.

Nam Pontificii affirmare poſſunt, poteſtatem Papæ aut Concilio, & jus conceſſum eſſe, quo cultum Divinum aliis ſic præſcribat, ut ad ejus exemplum animum & conſcientiam ſuam componere ac dirigere debeant; atque judicium de rebus divinis reliquis hominibus à Deo ademtum atque ereptum eſſe: demonſtrataque hujuſmodi Papæ poteſtate cuncta cohærent. Sed de ſententia iſtorum Reformatorum, contra quos diſputamus, doctorum nullus formari conceptus poteſt; omnia pugnant. Tribuunt eccleſiæ poteſtatem conſtituendi cultum divinum, ac de rebus divinis definitivè decernendi: interim tamen concedunt neminem, quin definitivum iſtud judicium approbet, ei obſtrictum eſſe. Spiritualem prætendunt juriſdictionem, & ſimul ſtatuunt, neminem iſti juriſdictioni ſubjectum eſſe; modo quis tantum judicet, ut ſubjiciatur non eſſe neceſſe: imo ei, qui à ſummo collegio male judicatum eſſe exiſtimat, illam juriſdictionem propter conſcientiam plane non agnoſcendam aut æſtimandam, ſed repudiandam eſſe. Hæc jurisdictio eſt nulla: oſtentant tribunal eccleſiaſticum, in quo pœnas exerceant ſpirituales: & concedunt perſonæ, quam punire volunt, eam pro pœna reputandam non eſſe; imo anathema & pœnam hujusmodi pro benedictione accipienda, ſi judicet ſibi illatam eſſe injuriam. Et quod notatu dignum eſt: Deus ſecundum doctorum iſtorum ſententiam, dedit unicuique tantum juris ad condemnandos ſuos judices, quantum ad damnandos alios judicibus conceſſit ſpiritualibus. Idque jus conſiſtit in animi judices errare convincentis teſtimonio. Quemadmodum ſententia judicis etiam animi ſui teſtimonio nititur: quiaque poteſtate tribunal eccleſiaſticum membrum reſecat, eadem quoque membrum iſtud ab eccleſia ſe ſejungit. Velut omnes, qui à Papatu receſſere, poſteaque extra Papatum eccleſiam formavere, privati, hoc jure uſi ſunt: unde etiam patet contra illam, quam modo oppugnamus ſententiam, ne minimam quidem ulli perſonæ, collegio, aut ſocietati & eccleſiæ, à Deo datam eſſe dignitatem, propter quam ipſorum ſententiæ, conſilia & monita (poteſtatem & jus de rebus eccleſiaſticis ordinandis prætermitto) cum aliqua reverentia, reſpectu aut obſervantia recipienda ſint & æſtimanda, quaſi procedentia à collegio, in quod, ut à judicio privatorum independens, Deus eminentiam & dignitatem contulit obſervandam. Nam quamquam veritas, & illæ, quæ reliquis hominibus veritatem proponunt perſonæ, iſthoc honore ſint dignæ; verum tamen eſt privatos potiri jure de illa veritate, iiſque, quæ veritatem ſeſe habere prætendunt, ſeque ad veritatem alios docendam à Deo conſtitutas eſſe, ferendi judicium, nullumque collegium aut perſonam ſingularem ante hujusmodi latum judicium in ſpiritualibus, & in rebus fidei, cuiquam reverentiam debere, ſed omnem reverentiam & reſpectum, privatorum niti judicio, exiſtimante reverentiam aut reſpectum perſonæ, aut collegio cujus judicio aliquid deferendum ſit, ideo duntaxat deberi, quia prius æſtimat perſonam illam aut collegium recte inſiſtere, ac divinam hominibus proponere veritatem: non autem propterea quod perſona aut collegium id judicet, prætendat, aut ejus ab aliis habeat teſtimonium. Si res ſecus ſeſe haberet, tantum deferendum eſſet deciſioni Pontificiorum ac Socinianorum, &c. quantum deciſioni Reformatæ defertur eccleſiæ; tantumque ho-

noris

noris & obedientiæ deberemus doctoribus perverſæ doctrinæ, quantum debemus iis, quos pro doctoribus habemus orthodoxis. Omnes enim profitentur ac jactitant ſe veritatem docere & tueri, illiusque vi veritatis, jure, poteſtate & authoritate, Eccleſiæ à Deo conceſſis, potiri. Quænam ergo ratio cur putemus, reverentiam uni potius quam alteri deberi? Nihil eſt niſi bona exiſtimatio, quam de uno potius quam de alio habemus; ac de uno potius quam de alio bene exiſtimandi regula nulla eſt, præter proprium noſtrum judicium, quod de bono ac vero, propter quod perſonæ aut collegio debetur honos, decernit: & juxta prima reformationis noſtræ fundamenta, nulla quidem iſti collegio aut perſonæ in nos ante judicium noſtrum, quo ipſos pro doctoribus bonæ notæ, aut Eccleſiæ veræ Rectoribus agnoſcimus & approbamus; ac inde nos ſponte ſubjicimus, authoritas, dominatus, imo docendi facultas conceſſa aut concedenda eſt. Verum ſi talis penes Eccleſiaſticos ſit poteſtas, eam non prius quam noſtrum de ipſis judicium tulimus, acquirunt. Quemadmodum neminem exiſtimamus ſapientem, niſi eum, quem talem judicamus; & ipſi tum demum cum judicavimus, honorem ſapienti deferendum debemus. Sic etiam nullus perſonæ, collegio, aut ulli, quocumque nomine veniat, coetui, debetur honos, reſpectus aut obedientia, priusquam judicaverimus, quænam perſona aut collegium veritatem Divinam annuntiet: & tum demum honor, obedientia, & reliqua iſti perſonæ aut collegio à nobis præſtanda ſunt, quæ veris doctoribus, veræque eccleſiæ juxta verbum ſuum ſacro-ſanctum præſtari vult & præcipit.

Ita ut inde conſtet ex veritate, & primis reformationis noſtræ fundamentis, non modo nullam à Deo perſonam aut collegium, quod poteſtatem & jus habeat præſcribendi aliis, ſive rectoribus ſive privatis, quiſnam cultus divinus, in quo ipſi ductores ſint, obſervandus ſit & propagandus, conſtitutum eſſe: ſed Deum etiam neminem conſtituiſſe, cui, cum de religione recipienda aut rejicienda deliberamus, tantus honor aut reſpectus deferendus ſit, quantum prudentibus debemus ſuaſoribus, aut conſultoribus. Multum quidem debemus ei, quam nunc pro vera agnovimus, approbavimus, & adhuc habemus, deferre eccleſiæ: multum etiam honoris debemus doctoribus; & ipſorum de rebus divinis judicium, quamdiu ipſos ſufficienti probitate, prudentia ac eruditione, quibus exiſtimationem, & ſuam apud nos dignitatem conſervent, inſtructos putamus, abſque diligenti examine non eſt rejiciendum. Verum cum pro certo habemus, has ab ipſis dotes ex parte aut ex toto abeſſe, tum tanti faciendi non ſunt, quanti probi ac eruditi juriſperiti judicium à judice, aut à Rege Medici ſui, aut Chirurgi æſtimatur conſilium: ſed judicia ipſorum tum potius pro ſuſpectis habenda ſunt. Quemadmodum officium judicis eſt, eum, qui amore, aut odio, aut partium ſtudio ducitur, conſultorem pro ſuſpecto habere.

Cum ergo doctiſſimi noſtri Reformatores parem Eccleſiæ doctoribus atque ductoribus in ſpiritualibus cum ea, quam circa ægros (qui conſilio tantum ſubvenit, nec ullo jure imperare poteſt) habet medicus, tribuunt auctoritatem; in iis tantum valet, qui probi ac eruditi habentur: nec durat diutius, quam bona, quam de ipſis habemus, exiſtimatio; ſed tantum ipſis deferendum non eſt, prius quam his ipſos dotibus præditos eſſe experientia convincit. Quædam eſt in orbe poteſtas, quæ jus habet tanta de juris aut medicinæ ſtudioſo, ejusque peritia, judicandi auctoritate, ut doctoratus ipſi titulum, & jus quo aliis in eo adeſſe poſſit, concedere licitum ſit & integrum: & nos de viro hujusmodi, donec contrarium non liqueat, imprimis benè ſentire ac exiſtimare debemus.

bemus. Verum nulli à Deo perſonæ aut collegio conceſſa eſt poteſtas conſtituendi alios, qui tali authoritate & jure doceant, ut nudè abſque ullo examine & judicio, aliquis ipſis debeatur honor: vel ſi qua talis poteſtas exiſtat, ea proficiſcitur à Magiſtratu, qui per ſe ipſe, aut per alios de habilitate atque aptitudine perſonæ inquirit, idoneamque judicat, quæ cum authoritate & reverentia magiſtro debita, alios in religione erudire & docere poſſit. Quemadmodum magiſtratus id facit in academiis per omnium, ne Theologia quidem excepta, facultatum Profeſſores; ita ut poteſtas illa, quam Chriſtus Iſraeliticis, & iis, qui in cathedra *Moſis* ſedebant, doctoribus, *Matth.* 23:2. attribuit, non fuerit poteſtas eccleſiaſtica ſeu ſpiritualis, ſed profluens è politia: atque ideo Doctoratus in hominibus erat munus publicum & civile, non ſecus ac Profeſſoratus ab omnibus noſtris Theologis Reformatis pro tali habetur in academiis. Cum enim divina curare officii publici, ſeu magiſtratus pars ſit, munus id publicum, civile, & à magiſtratu profluens ut ſit, licet circa res verſetur divinas, neceſſe eſt: legesque, quas de rebus ſancit divinis, veluti de obſervatione Sabbathi, quamquam à poteſtate politica veniant, tamen non deſinunt eſſe politicæ. Imo ut eum, quo collimamus, tandem aliquando attingamus ſcopum: aſſerimus non modo nulli à Deo perſonę aut collegio præter magiſtratum jus & poteſtatem religionem aut cultum divinum curandi conceſſam eſſe; de jure religionem in conſcientia obſervandam aliis præſcribendi non loquor: ſtatuent enim de eo in præſentia nil eſſe controverſiæ, atque Eccleſiam poteſtatem ſuam eo uſque non velle extendere, atque in eo diſcrepare à Papatu. Sed id fieri juxta prima Reformationis noſtræ fundamenta quoque eſſe impoſſibile: quoniam ſi factum eſſet, neceſſe foret ſecundum fundamenta Reformationis noſtræ, ut factum ſit hoc modo, nempę Deum illi collegio aut perſonæ, quæ veram profiteatur religionem, jus illud dare, ſpeciatim non deſignando quænam perſona aut collegium illud foret, aut nullam in terra conſtituendo perſonam, aut judicem indicantem quænam perſona pro tali habenda ſit, ſed id cujusvis hominis permiſiſſe judicio. Hoc enim ſic poſito nemini, ſive privato ſive magiſtratui, perſona aut ullum collegium pro tali recipiendum, niſi quod ut tale agnoſcit, judicat & probat. Cum ergo quis judicat nullam perſonam aut collegium veram profiteri religionem, recte conficiet eam poteſtatem à Deo nulli Eccleſiæ aut perſonæ conceſſam eſſe: & tum nulli quoque, ſive magiſtratui ſive privato, ut talem in aliqua perſona vel collegio poteſtatem agnoſcat, neceſſe eſt. Atque hoc perinde eſt, ac ſi quis diceret, jus dominatus ſeu principatus in toto, ac in totum terrarum orbem, ſapientiſſimo ac prudentiſſimo à Deo conceſſum, ac neminem interim inſtitutum, qui ea judicet auctoritate ac poteſtate, quæ nobis reverenda, ac in prudentiſſimi illius electione obſervanda ſit; ſed id cujusvis judicio integrum permiſſum eſſe ac liberum. Quis præceptum illud ſeu mandatum ridiculum, ac in mundo inutile eſſe, neminemque ex ipſo dominatum in alios vindicare poſſe, non videt? Hinc tantum ſequeretur eum, qui aliquem haberet pro prudentiſſimo, ſeſe dominatui ipſius debere ſubjicere; atque pariter in iſta eccleſia, cujus confeſſionem verbo Divino conformem cenſeret, religionem curandi atque inſtituendi in ditione ſua poteſtatem, magiſtratui quoque eſſe agnoſcendam: ſed eo nihil evincitur. Nam Primo nulla ſocietas, quæ ſe profitetur eccleſiam, illud ſibi in republica jus arrogare poteſt, priusquam magiſtratus eam ut veram approbet. Secundo id iſti Eccleſiæ non licet, niſi in rebus, quas magiſtratus cum verbo Divino judicat congruere: tum enim ſtatim aliam ſocietatem ſibi conſentientem, ut puriorem eccleſiam

am pro tali, cui hoc jus competat, habendi atque agnoſcendi magiſtratui jus eſt. Et ſi accederet, magiſtratum judicare, quod Deus hujusmodi jus, nempe curandi in republica religionem, nulli conceſſiſſet perſonæ aut Collegio; atque intelligere quod id eſſet fermentum Papatus, tum ſaltem nulla eccleſia jus illud in rebuspublicis ſic ſentientibus prætendere poſſet, aut ſibi vindicare: nulli enim reipublicæ jus illud in illa ſocietate aut eccleſia neceſſe foret agnoſcere. Ita ut licet Deus jus religionem in familiis, civitatibus & rebuspublicis adminiſtrandi, veræ conceſſiſſet Eccleſiæ, verisque doctoribus, illud tamen jus reipſa nihil foret præter id, quo quilibet tenetur obedire veritati, ac iis, qui veritatem proponunt, propter ipſam pariter obſequi: quod à nemine rationis compote negari poteſt. Verum enim vero id non Chriſtianæ dumtaxat eccleſiæ, aut veritatis, ſed omnis æquitatis & veritatis eſt privilegium: nam omni rectæ, prudenti rationi, veritati ac æquitati jus illud atque poteſtas, cui ſe quisque ſubjicere debeat, competit. Sed aliquem ex. gr. ſapientem à Deo inſtitutum eſſe, qui magiſtratui præſcribat agenda, ex eo quod omnem magiſtratum prudenti, atque rectæ rationi ſubjectum atque obſequentem eſſe oporteat, concludere eſt abſurdum. Nam rectam à ſe ſtare rationem putanti neceſſe non eſt, ut rationem alterius ſua meliorem exiſtimet. Quemadmodum ei, qui divinam ſe percepiſſe veritatem cenſet, non eſt opus contrariam ſuæ præferre ſententiam. Præcipit Deus obediendum veritati: ſed nuſquam docet mihi credendum eſſe alium potius quam me ipſum veritatem aſſequutum eſſe, quando ſententiæ amborum non conveniunt. Concedimus ergo verbi Divini adminiſtros ſubeſſe Cæſari, qui in illos habet imperium: & Cæſarem Divini monitioni ac cenſuræ verbi. Aſſerimus hæc non pugnare, ſed ineptiſſime inde concludi Deum conſtituiſſe perſonam aliquam ſpiritualem, aut collegium, quod cum poteſtate & authoritate in privatum, ne dicam in Cæſarem, poſſit animadvertere religionis cauſa: puniens tamquam immorigerum & contumacius parentem, qui tergiverſatur aut reſpuit ſuſcipere eadem ſecum Sacra.

Hactenus igitur (quamquam ii, adverſus quos diſputamus, non acquieſcant) plus ſatis dictum eſt, Doctores eccleſiæ in adminiſtratione ſacrorum non aliam circa Rectores & privatos habere poteſtatem aut authoritatem, quam doctor Medicus habet circa Regem, aut circa privatum ægrotantem; aut prudentes peritique viri circa eos, qui ipſos conſulunt. Juxta id quod *Coll. Theol. loc.* 16. *Th.* 77 recte dicit *Mareſius. Miniſtri eccleſiæ in Concilio congregati, non tam referunt judices ad Senatum evocatos, quam doctores prudentes ac peritos ad conſilium coactos: & quæ eſt medicorum conſultatio circa valetudinem corporis, talis eſt Synodorum conſtitutio in rebus ad animam ſpectantibus.* Cum quo congruit dictum *Cameronis* in *cap.* 18. *Matth. verſ.* 15. *Non repugnat unum eundemque in Collegium Eccleſiaſticum imperium tenere, ac ſimul ei ſubjectum eſſe: imperat ei, ut Rex Doctori ſuo Medico; & obtemperat, quemadmodum Rex obtemperat Medico ſuo, qui tamen ipſum conſilio tantum juvat, & ſine poteſtate imperat.* Aſſero, ſi dicendum quod res eſt, Eccleſiæ & doctoribus ita adhuc nimium deferri, idque cum primis Reformationis noſtræ elementis atque fundamentis non poſſe conciliari: ac tum tantum valere, cum Eccleſia ac eccleſiaſtici pro probis, doctis, prudentibus ac æquis habentur Doctoribus, & Rectoribus.

Id etiam probè intellexit ſummus Angliæ Senatus, ac ideo actis evocationis, quibus aliqui Theologi Angli evocantur *Weſtmonaſterium*, expreſſe aperteque interſeritur, *requirere ſe Theologorum de Eccleſiæ Anglicanæ reformatione conſilium, ſed ſummum ſibi reſervare decretum & judicium.* Sic etiam fœderatarum Belgii Provinciarum Rectores imprimis caverunt, ne ſecunda à Theologis Refor-

Reformatis in regiones ſuas introducatur inquiſitio Hiſpanica: quæ ex *Concilii Tridentini* præſcripto magiſtratui politico prohibebat cognoſcere de iis, quæ in ſpirituali ſolent fieri excommunicatione. In *Concilio Conſtantienſi Seſſ.* 8. *art.* 12. id accenſetur erroribus *Wiclefi*, *Prælatus perſonam excommunicans Eccleſiaſticam, quæ appellavit ad Regem, vel Senatum Regium aut regni, hanc ob cauſam Regis & regni proditor eſt, reusque crimine læſæ majeſtatis.* Atque ob hanc ſententiam *Wiclefus* etiam à *Patribus* in *Concilio Conſtantienſi* congregatis, condemnatus eſt ut hæreticus. Imo ex hiſtorica relatione de *Bartelerio*, cujus in vita *Calvini* meminit *Beza*, conſtat Senatum populumque *Genevenſem* cenſuiſſe ſummum de excommunicatione judicium ad ſuam pertinere cognitionem. Quippe illa habet ſic: Senatus edicit *Bartelerium* ad cœnam, à qua à Synedrio excluſus eſt, non admiſſum iri: atque elapſo ſeſquianno idem etiam *Bartelerius* à magiſtratu in libertatem cœnam ſumendi reſtitutus eſt. Id ipſum ex ſequenti rurſus patet hiſtoria. Cum quidem *Balthazar* à Senatu Eccleſiaſtico *Genevenſi* rejectus atque prohibitus, quo minus ut arbiter initiationis, ſeu parens initialis in baptiſmo cujusdam infantis aſſiſteret, inde appellaverat ad magiſtratum, magiſtratus eum ad provocationem admiſit: verum etiam judicavit, ſynedrio Eccleſiaſtico legitimas fuiſſe rationes, cur *Balthazarum* rejicerent & arcerent. Sed paucis hinc annis elapſis alio prorſus modo res evenit alii viro docto, & ejuſdem Eccleſiæ concionatori; qui cum iter in Hollandiam parabat ab Eccleſiaſtico ſenatu petebat teſtimonium de vita ſua & doctrina. Quædam ſynedrii membra ſalva conſcientia nullum à ſe ipſi teſtimonium cenſebant poſſe dari; alia ejuſdem collegii membra, rejectis quæ contra miniſtrum adducebantur, & inſufficientia judicabantur, documentis, teſtimonium ipſi omnibus completum numeris, &c. in forma, ut loquuntur, dari oportere exiſtimabant. Membris ſic diviſis & diſſidentibus ſeſe interponit magiſtratus, judicat, & edicit judicium de doctrina & vita ſui prædicatoris & civis pertinere ad ſe; ac inde poſtulat accuſationes contra ipſum adductas, & documenta eo facientia, exhiberi ſibi. Quidam è ſynedrio id recuſant, ac acriter de illa re cum magiſtratu contendunt: tandem acta à quodam è numero concionatorum exhibentur, & Magiſtratui traduntur, qui omnibus, quæ examinanda erant atque ponderanda, examinatis & ponderatis, *Synedrio* injungit, ut Concionatori ultrò ac ſponte ſua *Geneva* diſcedenti de probitate vitæ, doctrinæque integritate, dent teſtimonium. Et ſic Magiſtratus ille probè noverat uti jure ſuo, ac vanos contemnere clamores quorumdam prædicatorum,

Qui dare jura leonibus audent,
Conanturque truces ſine vi frænare potentes.

CAPUT VII.

In quo demonſtratur, quod Eccleſia non tantum in Politia, ſed etiam Politiæ pars ſit.

VErum ne in infinitum abeat diſputatio, diſceptationesque de hac re nectantur diſceptationibus: demonſtrabimus *Eccleſiam non tantum eſſe in politia,* (quod ipſi concedunt Pontificii,) ſed *eam politicam quoque eſſe Societatem*; velut cuncta alia collegia, contubernia, cœtus fratrum, vulgò confraternitates, &c. Atque hæc ſententia tam arctè cum verbo Dei, primiſque reformationis noſtræ fundamentis conjuncta eſt atque congruens, ut ne latum quidem unguem ab ea diſcedere liceat, quin ad Papiſticam rurſus *prolabamur* Hierarchiam. Idque Reformationis ſuæ tempore Angli tam probè novere Theologi, ut contra Papatum concordes defenderint, Regem Eccleſiæ eſſe Caput: idque

idque ſine difficultate demonſtrabant. Quippe poſito juxta primarias fundamentaleſque regiminis ſeu imperii ſui, & quam Rex tuebatur, reformationis leges, neque Papæ, neque Concilio, neque alii perſonæ aut collegio, ullam à Deo in regno ſuo divina curandi aut adminiſtrandi (id enim reformationi fundamentum ſubſtrui oportebat, ne deficeret ratio rejiciendi poteſtatem Papæ; qui jam tum erat in poſſeſſione, aliiſque, quam doctores Reformati vel Eccleſia Reformata, inſtructus literis & inſtrumentis) poteſtatem, jus aut authoritatem conceſſam eſſe, atque judicandi & eligendi jus, utra harum Eccleſiarum veritatem haberet, à ſe pertinere ad Regem. Conſequens eſt, uti ſupra ſat fuſè demonſtratum eſt, nulli igitur perſonæ aut collegio à Deo conceſſam eſſe poteſtatem & authoritatem, qua in familia alterius, vel terra, vel regno res adminiſtret Sacras, ſeu cultum Divinum; ſed id eo, quo ante dictum eſt modo, ad ſolum pertinere Regem: ipſumque propterea nomen titulumque Capitis Eccleſiæ Anglicanę jure habere poſſe. Quemadmodum omnium, quæ in Anglia ex præcepto ipſius, mandato, & authoritate inſtituebantur ac congregabantur Collegiorum & Societatum erat caput. Probe enim intelligebant veræ directionem religionis etiam Chriſtianæ Eccleſiæ & Societatis, quamquam ipſa è cœlo eſſet, neque ex naturali & civili jure reſultaret, jure tamen contineri magiſtratus, nec minus ad eum pertinere, quam omnis adminiſtrationem juris & juſtitiæ; ac earum, quibus ſubditi ad veram ducantur virtutem & pietatem, legum ac conſtitutionum præſcribendarum poteſtatem. Judicabant ergo prorſus aliam Anglorum Regi in Eccleſia ſua, quam nunc nonnulli magiſtratui tribuunt, cui re ipſa omnem adimunt, ipſumque alii collegio & perſonis ſubjiciunt, religionem dirigendi eſſe poteſtatem. Hi enim manifeſte & apertè in Scriptis ſuis docent non minorem ſummò cœtui Eccleſiaſtico religionem in imperio dirigendi, ac omnia in Eccleſia munera Eccleſiaſtica diſtribuendi poteſtatem & authoritatem à Deo conceſſam eſſe, quam Deus ipſe circa politiam dirigendam, ac omnia officia ac munera perſonis, quas dignas aut indignas judicabant danda aut adimenda ſummis in jure civili conceſſit poteſtatibus, expreſſè dicentes, judicium definitivum, quod determinat atque decernit, quid Eccleſiæ in aliqua regione credendum ſit, quæque ejus debeat eſſe confeſſio, ad cœtum pertinere Eccleſiaſticum, Regique nullum circa res ſpirituales competere judicium, niſi diſcretivum, decernens quid ſit bonum aut quid malum. Id eſt, ipſi quidem licet audire rationes pro aut contra religionem, aut aliquas ejus partes allegatas, atque judicare quænam magis aut minus ſint validę: ſed nullam habet poteſtatem decernendi, cui Eccleſiæ in regno ſuo confeſſioni adhærere debeant. Quod perinde eſt, ac ſi dicerent, Magiſtratui quidem licet audire Naupegos de meliori navium præſidiariarum genere; ac uſu differentes, & de rationibus ipſorum ac diſceptatione judicare: ſed judicium definitivum quo navigiorum genere utendum ſit, ad dominos pertinet Naupegos. Jus iſtud ab Anglis contra Papam & alios propagatum fuiſſe, ex conſtitutionibus patet & ſtatutis ſub Regno *Henrici* VIII. *Eduardi* VI. Reginæ *Eliſabeth*, & Regis *Jacobi* promulgatis & editis: quibus ſumma poteſtas ſeu magiſtratus ſtatuitur atque declaratur ἄρχων ſeu monarcha tam in Eccleſiaſticis quam politicis. Sic habent ſtatuta *Henrici* VIII. *Stat.* 26. & Reginæ *Eliſabeth cap.* 1. Et *Petrus Martyr* in ſuis commentariis in 1 *Sam.* 8. aſſerit Regem Angliæ jure ſumpſiſſe titulum *Capitis Eccleſiæ, cum ſumma magiſtratus poteſtas omnem complectatur poteſtatem Eccleſiaſticam. Nam Magiſtratus*, ut teſtatur *Ariſtoteles, eſt curare, ne ſubditi, Juriſperiti, Medici, &c. quibus & prædicatores accenſeri poſſunt, ſuo deſint.*

deſint officio: quid enim opus eo novas introducere poteſtates? Imo Epiſcopi, & melioris notæ Juriſperiti in Anglia defendunt etiam laïco, aut perſonæ Eccleſiaſtici muneris experti, licere excommunicare, ſi ipſi à rege data ſit poteſtas: inter hos eſt Epiſcopus *Lancelotus* in libro ſuo, cui nomen *Tortura Torti*.

Contrarium docent Scoti, & qui ipſis in his regionibus ſuffragantur Theologi; nempe I. peculiarem à Deo Eccleſiæ conceſſam eſſe jurisdictionem à magiſtratu independentem, qua ad Eccleſiæ ſolamen uti debeat. II. Quemadmodum Prædicatores aliique Eccleſiaſtici ordinis, ut cives ſubditi ſunt magiſtratui, ſic quoque Magiſtratum ſubjici Eccleſiæ, ac ſpirituali ejus regimini. III. Utriuſque exercitium ſibi mutuo opponi, ac proinde in variis reſidere debere perſonis. IV. Imperium magiſtratus tantum pertinere ad externa, quæ quietem & pacem corporalem ſubditis conciliant: prædicatores vero interna curare verbo in bonum & & commodum animorum Hinc quadruplex in, & de rebus divinis ſtatuunt judicium. I. *Judicium apprehenſivum.* II *Diſcretivum.* III. *Definitivum.* IV. *Peremptorium & infallibile.* Primum tribuunt *Laicis*: alterum Regi & magiſtratui, nec plus quam ſuffragium in ſpiritualibus ſignificat deliberativum. Tertium prædicatoribus & rectoribus eccleſiæ, ſignificatque judicium ex poteſtate & authoritate peremptoriè decernens atque ſtatuens, cui in regno religioni ſit adhærendum. Quartum eſt proprium Deo. Hoc innixæ fundamento Eccleſiæ Scoticæ à legitimo & naturali Rege ſuo, priuſquam eum reſtituere, ac in regnum ſuum admittere vellent, conditionés exegêre ſequentes. I. Ut Rex concederet res omnes Eccleſiaſticas à Generali & Catholico terminari atque decerni Concilio eccleſiaſtico. II. Omnibus ab Eccleſia excommunicatis, & ab excommunicatione non abſolutis aditum præcludi ad curiam. Exiſtimo nulli Eccleſiæ hoc jus naturale aut inteſtinum, manans ex natura atque ratione Eccleſiæ Chriſtianæ: ſed ſi quod hujuſmodi jus quædam Eccleſiæ ſibi vindicant, ſibique tribuunt, id naſci ex cauſa civili, & ex legibus fundamentalibus regni. Quod, qualeve apud Scotos ſit, nunc non diſputo: neque ex hoc nomine quicquam eorum juribus præjudicatum velim. Sed è diverticulo in viam.

Quam igitur vera ſit Reformatorum Theologorum Anglorum ſententia, Regi ſuo, & in perſona Regis omni ſummæ poteſtati abſolutum in Sacris imperium & regimen tribuens; & quod conſequens eſt, eum caput Eccleſiæ appellans, inde quoque conſtat, quod Eccleſia in regione vel regno non minus corpus ſit politicum, ſocietas aut cœtus fratrum, quam collegium Judicum, Medicorum, Chirurgorum, Mercatorum, Juriſperitorum & Theologorum, Philoſophorum, &c. Nullum enim oſtendetur diſcrimen, quo magiſtratui ſecundum verbum Dei, & prima Reformationis noſtræ fundamenta minus in Eccleſia juris competat, quam in omnibus corporibus politicis jam enumeratis. Quemadmodum à Deo Rectori demandatum eſt jus & juſtitiam (quæ æque naturalibus & divinis, ac civilibus, ac ſic à magiſtratu profluentibus legibus nititur) adminiſtrare: ſic etiam præceptum eſt ei, ut verus Dei cultus & pietas exerceatur & colatur. Et ſicut adminiſtratio juris & juſtitiæ fundata in lege naturali & divina, quæ ambæ à Deo profluunt, non impedit, quo eadem minus pars ſit politiæ: ſic neque id, quod in Eccleſia divinum eſt, ideo impedit, quo minus pars politiæ eſſe aut dici poſſit. Nam præterquam quod verus Dei cultus etiam è cultu Dei naturali compoſitus ſit, quæ pars citra controverſiam politiæ non magis adimi poteſt, quam pars iſtius adminiſtrationis juſtitiæ, quæ in naturali fundata eſt æquitate: præterea verum eſt etiam ejus Dei cultus, qui immediate per revelationem venit è cœlo,

pro vero Dei cultu habere ac declarare partem politiæ, & rem eſſe politicam. Sicuti lex eſt politica præcipere unum aut alterum præceptum divinum obſervandum eſſe in Republica; & ſic præceptum divinum fit politicum, ad inſtar præcepti divini de obſervatione & ſanctificatione, ſeu celebratione Sabbathi: hoc enim ſi à magiſtratu præceptum ſit ſubditis, præceptum fit politicum. Imo proprie loquendo præceptum divinum in politia non eſt lex, niſi a Rectoribus ſeu magiſtratu, pro lege recipiatur ac promulgetur: adeo ut hujusmodi præceptum, uti & omnia alia præcepta de religione à magiſtratu profluentia, politicis accenſeantur conſtitutionibus. Et conſtat in *Corpore Juris* reperiri leges de rebus ſacris juxta ac de civilibus agentes, quæ tamen ſimul politicæ ſint, & leges imperiales. Neque minima poteſt dari ſimilitudo veri, cur penes magiſtratum ſit jus condendi leges circa celebrandum diem Dominicum ſeu Solis, conjugium, blaſphemias atque execrationes, jus jurandum, errorem & hæreſes, &c. Et cur leges iſtæ legum politicarum nomine veniant: & cur Synodalia conſulta magiſtratus authoritate mutata in deciſiones & leges, leges politicæ appellandæ non ſint, & cur magiſtratui in omnibus cultus divini partibus tantum non competat authoritatis, quantum in iis, quas nunc enumeravimus, & de quibus Theologi nullam politicis movent controverſiam. Aut cur contendant in aliis religionis partibus, Eccleſiæ in Claſſe aut Synodo congregatæ, jus & authoritatem ſententiam ferendi definitivam & peremptoriam, quæ in Eccleſia valere debeat, à Deo conceſſam eſſe, ubi circa alias religionis partes Conſilium ſuum ne quidem petendum eſſe prætendunt. Si Magiſtratus dicatur in aliis religionis partibus leges ferens, ipſas ſubditis ſuis non præſcribere ut membris Eccleſiæ, neque ut leges Eccleſiaſticas minis & præmiis Eccleſiaſticis ac ſpiritualibus munitas; ſed ut ſubditis poteſtatis politicæ, & ut leges civiles corporali pœna & remuneratione munitas: Eccleſiam vero è contra in claſſe aut Synodo congregatam omnes divini cultus partes obire, ejuſque inſtar ducum & Anteceſſorum communitati præſcribere normam, determinantem ex. gr. quomodo ſit celebrandus dies Solis ſeu Dominicus, conjugium inter duas dumtaxat intercedere perſonas, ejusque vinculum citra adulterium eſſe indiſſolubile, &c. Eccleſiamque contra hujuſmodi legum transgreſſores, ſpirituali tantum pœna procedere. Reſpondemus I. Magiſtratum ſubditis ſuis non civilem tantum, ſed etiam ſpiritualem proponere pœnam, dum jubet verbum Dei ſubditis ſuis proponi adjuncta pœna & promiſſione divina in Scriptura contenta: imo magiſtratum pœnas & præmia diſtribuere ea ratione, qua doctores Reformati ea à ſe exequenda eſſe contendunt.

Quamquam enim ipſi magiſtratui non liceat prædicare, neque adminiſtrare Sacramenta, ipſius tamen officium & jus eſt curare, ut verbum Dei pure prædicetur, & Sacramenta rite ex Dei præſcripto adminiſtrentur; ſecundum 36. Confeſſionis noſtræ articulum. Nec res illa ideo minus eſt politica, quia per alios peragenda ac exequenda eſt: nam magiſtratus Chriſtiana reciprocaque officia, quæ conjuges ut tales ſibi mutuo debent, per ſe exequi nequit, & tamen pars eſt politiæ curare, ut leges divinæ circa conjugium obſerventur; atqui illi, ut capiti, regium jus competit leges de matrimonio juxta præſcriptum divinum condere, & ita legibus divinis conciliare formam legum humanarum & politicarum: quia, ut jam alibi inculcatum eſt, lex divina, qua talis, in politia nulli lex eſt, ſed tunc, reſpectu obedientiæ civium, vim legis acquirit, quando magiſtratus eam promulgat juxta præſcriptum divinum, ad quod attendere ſpeciatim ejus munus eſt, quia pars ejus regiminis etiam occupata eſſe debet circa ſalu-

tem

tem æternam ſuorum ſubditorum. Uti jam ſupra ampliſſime demonſtratum eſt, æternam ſubditorum ſalutem etiam eſſe finem politiæ propoſitum, ideoque in duas non tantum dividi poſſe partes, ſed eſſe dividendam, nempe in *civilem* & *ſpiritualem*: quemadmodum ejus quoque leges duplicis ſunt generis, nempe *civiles* & *ſpirituales*. Pars politiæ civilis, legeſque ejus civiles circa ſalutem ſubditorum ſuorum temporalem verſantur: pars ſpiritualis, ejuſque leges circa ſalutem ipſorum ſpiritualem. Sic tamen ut legitimus, perfectus & abſolutus magiſtratus in imperio civile numquam à ſpirituali ſeparet: numquam legem condat civilem, quam in ſpirituali regiminis ſui lege non fundet: numquam legem feret ad temporalem ſubditorum ſalutem ſpectantem, quin ad ſpiritualem eam referat finem; ſemperque curat, ut fundata ſit in æquitate, ſalvaque ſubditorum conſcientia obſervari queat: neque magis aliud ab alio ſeparare ipſi fas eſt, quam privato temporale corporis ſpectare commodum, quod ad finem ſpiritualem non referat. Verum quidem eſt à ſpirituali politiæ parte ſubditos reddi probos cives Chriſtianos, cum à parte ejus civili boni redduntur cives, qui procurent neceſſaria corporis: ſed magiſtratus ut magiſtratus, utrumque circa ipſos perficit, ac utrumque à ſubditis ut civibus obſervandum eſt. Obſequendo & obediendo legibus politiæ ſpiritualibus, ſub magiſtratu Chriſtiano appellantur Chriſtiani, ac membra cœtus fratrum, quem inter Chriſtianos ſolemus appellare eccleſiam. Leges politiæ civiles obſervando appellantur zythepſæ, aut mercatores, aut medici, aut juriſperiti, aut Mechanici, &c. diſtinctioque inter Eccleſiam & politiam non valet & erronea eſt, multorumque cauſa errorum. Et ſupponit falſitatem cum recta ratione & Sacris Literis pugnantem; quia ſtatuit ad magiſtratum ut magiſtratum, non pertinere adminiſtrationem ſpiritualium ſeu ſacrorum, & curam ut ſubditi probi ſint Chriſtiani, idoneaque iſtius confraternitatis ſeu ſocietatis membra, quæ ſibi ex verbo Dei per perſonas præceptis à Deo dotibus inſtructas, in ſtatu ſuo erigenda eſt, quam que appellare ſolemus Eccleſiam: quemadmodum ipſi curandum, ut idonei Medici & Chirurgi, navarchi & naucleri, ſeu gubernatores, idoneique non deſint judices & juriſperiti.

Nemo etiam ullum in aliqua republica diſcrimen in politia aut ſtatu civili formando, inter politiam & Eccleſiam factum fuiſſe, umquam comperiet. Quin & id fieri etiam fuit impoſſibile: cum jus cujuſvis privati, unde imperia civilia formantur, in ſe ſpirituale complectatur & civile. Neque ulli homini in mentem venire potuit, alium hominem vel collegium in terra exiſtere, cui id juris competeret, quo circa ſpiritualem hominum ſtatum alicui religionem præſcribere poſſet. Et in ipſa Iſraëlitarum republica ante *Aäronem* initiatum, primogenitus adminiſtrabat ſacerdotium: ac ſimul in ædibus ſuis ac familia erat princeps, & jus primogenituræ ſeu prototociæ hęc ambo complectebatur privilegia, *Gen.* 25: 31 In hæc verba ſic commentantur notæ marginales, *Jus Prototociæ imperium ſeu dominatum complectebatur in fratres ſuos, & jus in ſacerdotium.*

Caput VIII.

In quo oſtenditur, unde peculiare, quod Eccleſia tributum ſuit jus, oriatur.

Cauſa, cur Eccleſia conſiderari cœperit ut corpus à politica ſocietate diſtinctum, fuit quod non pauci ſubditorum, qui præſcripto religionis, cui magiſtratus adhærebat, & à quâ cuivis ſubdito, cum ipſam non approbat, licet recedere, obſequi non poterant, uſi ſint naturali

turali ſuo in ſpiritualibus ſua (quæ magiſtratus ipſos perſequens ipſe non curabat) curandi jure. Sic igitur incepere ſocietates facere, & citra cognitionem, imo contra voluntatem magiſtratus, celebrare conventus: & ita ſocietates illæ, quia ratione partis politiæ ſpiritualis, legibus politiæ obſequi non poterant, atque ipſæ ſibi cogebantur leges condere, conſiderari cœptæ ſunt ut ſocietates, ad quas etiam præter neceſſitatem illud jus pertinebat, & quæ ex natura ſua politiæ non erant pars; cum tamen in ipſa etiam ſeceſſione (quod ad ſpiritualia attinet) neque conditionem mutarent, neque naturam, ſed è politicis tantum collegiis & perſonis civilibus, perſonæ & collegia civilia fierent privata, & à ſtatu politico & civili, ad privatum devolverent. Quemadmodum filius, qui religioni, quam pater meliorem cenſet, obſequi non poteſt, & in ea parte juſſis paternis ſe ſubducit, & cum aliis domeſticis religionem ſeu cultum Divinum eligit, quod ad cultum Dei attinet, ſocietatem & conventum facit peculiarem & privatum: quia id fit citra authoritatem patrisfamilias propter rem ſpiritualem vi juris iſtius naturalis, quod Deus omnibus conceſſit hominibus in omnibus, quo in neceſſitate ſuam curent ſalutem, inde non ſequitur illam ſocietatem magis eſſe ſpiritualem, quam reliquorum domeſticorum, quibus de religione præſcriptum patrisfamilias placet, quique ei obſequuntur: nec ideo etiam quod pars familiæ, quæ religionem ſequitur, quæ ex mandato & authoritate patris in familia exercetur, & altera religionem ſequatur, quam citra authoritatem patrisfamilias jure utens naturali, ut normam ſocietati ſuæ præſcriptam approbarit.

Id Dicimus modo memoratæ falſę iſtius inter Eccleſiam & politiam civilem, & ſpiritualem poteſtatem & authoritatem, diſtinctionis eſſe fundamentum. Eccleſia Chriſtiana erecta atque congregata eſt ſub magiſtratibus gentilibus, qui ipſam perſequebantur. Illa conditio atque ſtatus fidelium omnibus Chriſtianis reddebat libertatem utendi jure ſuo naturali, & in illa neceſſitate non exſpectandi poteſtatem & authoritatem magiſtratus, qua ſub ejus directione illam exercerent religionem, quam judicabant eſſe veram: ideo citra cognitionem, imo contra voluntatem magiſtratus eligebant Doctores & Societatis ſuæ rectores. Idemque faciebant circa ſuarum loca congregationum circa ſuas, ad pauperum membrorum, & eorum qui inter ipſos in ſpiritualibus laborabant, ſuſtentationem collectas: in civilibus interea quantum ſalva conſcientia fieri poterat, Cæſaris agnoſcebant poteſtatem. Dico quantum ſalva conſcientia fieri poterat: omnes enim res civiles revera fiunt ſpirituales, cum voluntas noſtra ac judicium circa eas occupari debent; atque ita munus atque officium noſtrum circa eas verſatur, quæ in rebus omnibus exigere debemus ad legem Dei, quæ ſpiritualis eſt. Atque diſtinctio inter ſpirituale & civile eo nititur, quod res ſpirituales immediate verſentur circa Deum, aliæ circa vitam civilem; nam ambæ ſpirituales eſſe poſſunt, & æque immediate circa Deum occupari, cum ad conſcientiam pertinere ambæ poſſint, & plerumque etiam attingant, religioque in iis verſetur: ſed diſcrimen inter ſpirituale & civile in eo ſitum eſt, quod voluntas noſtra atque judicium circa res quaſdam non occupentur, & ideo ad conſcientiam non ſpectent; cujusmodi ſunt illæ, quarum æquitas & iniquitas circumſtantiis innititur, quarum judicium ad ſolum pertinet magiſtratum, & quod circa alias judicium noſtrum atque voluntas occupari debeat. Ex. gr. in genere judicare quid æquum aut iniquum, juſtum aut injuſtum ſit, id rem appellabant ſpiritualem, quia ſua cuique, & ideo etiam eccleſiæ ſub cruce, conſcientia ex privato ſuo judicio erat dirigenda, & ſic circa rem illam occupabatur

tur voluntas & judicium. Hæ igitur res priores appellantur ſpirituales, & in hiſce Eccleſia gentilem magiſtratum non agnoſcit, ac de rebus hujusmodi ſuos facit canones, decreta & articulos fidei. Sed ſi quis iniquitatem feciſſet, qua lædebatur Reſpublica, & ex cujus re erat illius iniquitatis cognitionem, æſtimationem & vindictam ad ſe vocare, nec ſingulorum judicio hoc permittere, id rem appellabant politicam, quia judicium ejus privative pertinet ad magiſtratum, & privatorum; vel quod perinde eſt Eccleſiæ judicium circa rem hujusmodi occupatum non eſt: & ſic ipſis non eſt res ad conſcientiam pertinens, neque in ea, quantum ad ipſos, ulla hæret religio. Res igitur ſpirituales non procedunt ex poteſtate quadam, quæ ſpeciatim eſt penes Eccleſiam, neque ex dicto jure civili reſultant, ſed ex illa, quam ſinguli habent homines, poteſtate, qua jus habent de rebus judicandi ad conſcientiam pertinentibus.

Nec abſurdius quid excogitari poteſt quam id, quod Reformati quidam ex jure illo privatorum, quod reviviſcit in extrema neceſſitate, aut ipſis integrum manſit in rebus, quibus adhæret religio, & ad conſcientiam pertinent, novum aliquod jus Eccleſiaſticum cudere, quod neque ex authoritate magiſtratus, neque etiam ex dicto reſultet jure naturali. Illud enim Eccleſiæ judicium erat atque manebat judicium privatum; & omnium privatorum Eccleſiæ membrorum judicium eſt: eſt enim illud jus naturale, & quod ab homine tolli non poteſt, nec in alium conferri: eo enim homo Deo ſubjectus eſt, ejuſque numen in noſtris dominatur pectoribus. Atque ideo non eſt proprium Eccleſiæ, nec alicui Eccleſiæ à Deo conceſſæ poteſtati, cui juri ipſe etiam magiſtratus in religione dirigenda debeat obſequi; & eſt, ſicut jam diximus, jus conſcientiæ cujusvis hominis, quod cum ſummarum jure poteſtatum non incommode conſiſtere atque jungi poteſt. Ac magnus eſt error & delictum, quod Eccleſia illud conſcientiæ jus ſibi vindicet, atque prætendat ad ſe pertinere, quid in conſcientia licitum ſit, judicare: nam judicium, ut jam dictum eſt, definitivum, ex quo ſua cuique conſcientia dirigenda eſt, cujusvis privati judicium eſt: ſed judicium, quod legem continet, ſecundum quam religio publica, & jus & juſtitia in ſtatu adminiſtranda eſt, & cui nemo ſeſe opponere poteſt, ſed cum patientia ferre debet, ſi magiſtratus quid imperet, quod conſcientiæ & pietatis cauſa præſtare non poſſumus, privative pertinet ad magiſtratum. Dicimus ergo Eccleſiam in ſtatu illo privato, & ſub cruce, & illa omnia citra cognitionem & contra voluntatem magiſtratus adminiſtrantem, & interim in rebus ad conſcientiam non pertinentibus, omnia ex placito magiſtratus facientem, ejusque in illis agnoſcentem authoritatem, à nonnullis conſideratam fuiſſe ut ſocietatem alterius prorſus naturæ, quam ſunt ſocietates politicæ, atque à politia independentes: ſed plane fuiſſe ſpiritualem, jura ac privilegia ſua habentem è cœlo, imo ipſos, qui in Eccleſia in eo decipiebantur, putaſſe ſpeciali ſe uti jure eccleſiaſtico, quod tamen vi naturalis cujusdam juris, & omnibus hominibus proprii fiebat. Et error iſte Anti-Chriſtianiſmum peperit: ſummis enim poteſtatibus religionem Chriſtianam amplexantibus, jus illud, quo Eccleſiæ, neceſſitate id exigente, utebantur, ceſſare, & res omnes modo dictæ ex præcepto, authoritate & mandato ipſius magiſtratus adminiſtrari debebant. Quemadmodum filius à patre rurſus acceptus jam jure illo uti amplius non poteſt, quo res ſuas ex animi ſententia, & citra paternam poteſtatem dirigat prout ſibi licebat, cum à patre eſſet derelictus. Sed Eccleſia juris ſui naturalis uſui ita aſſueta erat, ut oblivíſceretur magiſtratui jus, quo uteretur, quodque ad ipſum pertinebat, relinquere, aut rurſus illi reſtituere. Et interim omnia

magiſtratus Chriſtiani privilegia ad ſe derivata, quæ poterat, occupabat. Inſignis ille erat ſaltus, ſed unde omnes exortæ ſunt turbæ, & qui fundamentum eſt Anti-Chriſtianismi; & à quo fermento Eccleſiæ noſtræ nondum ſunt expurgatæ: idque pari fit jure, ac ſi filius à patre, quia pater eſt, alimenta & veſtes exigere, ſed in ſumma res ſuas ex animi ſententia dirigere vellet, ſeſe matrimonio jungere, profeſſionem & rationem vitæ exigendæ, & domicilium eligere, &c. citra paternam authoritatem. Sic Eccleſia omnem quidem protectionem, curam & ſubſidia à magiſtratu, ut alumna à nutritio accipere, ſed interim primum ſuum jus, quod ipſi tantum natum erat ex ſumma neceſſitate, & calamitoſis temporibus, cum magiſtratus Eccleſiæ ſuorum ſacrorum cultum prohiberet, vult retinere, quo res ex arbitrio ſuo dirigit Eccleſiaſticas, ſibi de doctoribus & rectoribus proſpicit, proprias habet collectas & bona, plenamque de iis diſpoſitionem docet, vivit, & prædicat, fidemque & confeſſionem recipit, quam proximé cum verbo Divino congruere putat, jus illud magiſtratui prorſus eripiens atque negans, quod in rebus hujusmodi in filium habet pater, quem in vera religione ab ipſo etiam filio ante recepta enutrit. Sed ſe gerit ut filius rebellis atque inobediens, qui à patre omni paterna cura enutritus, patris ſeſe authoritati ſubducit, libros emit, magiſtros eligit, religionem in paternis ædibus non tantum ex animi ſententia dirigit, ſed putat in eo quoque patri non plus deferendum eſſe, quam ſi à patre eſſet derelictus, deſtitutus, imo afflictus, adeoque coactus ſuæ conſulere ſaluti: imo hiſce non acquieſcit, ſed in rebus religionis putat à Deo ſe accepiſſe poteſtatem & authoritatem, qua ut dux & anteceſſor in religione patri & toti familiæ normam religionis præſcribere, & de ejus articulis definitive, & genere judicii vim legis habente, judicare poſſit. Ita ut non ſe ſolum, ſed & domeſticos patrisfamilias ſubtrahat authoritati, quam in filium & domeſticos ad ipſos paterna poteſtate & authoritate regendos, etiam in rebus ad religionem & ſalutem ſpectantibus, habebat, ſed o miram rerum cataſtrophen & mutationem! prætendat habere jus, quo patrem familias in rebus ad religionem & ſalutem animæ ſpectantibus, regat. Formalibus & expreſſis verbis edicens jus illud ſibi ut diſpenſatori à Deo in ædibus & familia paterna in rebus religionem concernentibus, conſtituto. Et hæc omnia inde profluunt, quia extitit tempus, quo filius à patre perſecutionem paſſus eſt, atque ideo jure ac poteſtate prædiḍus, quo res ſuas conſcientiam & religionem concernentes, dirigendas; & id jus durare & vigere debere putat filius, quamvis pater poſt ad ſe rediens, & filium ſuum, ejusque religionem recipiens, filii votis & deſideriis obſequitur, illique qua filius utitur; quæque à Deo & natura ipſi conceſſa erat ad religionem ſuam dirigendam ſe ſubjiciat. Sic volunt jus, quo membra Chriſtianæ eccleſiæ à ſummis poteſtatibus perſecutionem paſſæ in neceſſitate, & vi juris, quo quivis in afflictione & perſecutione magiſtratus, ad ſua ex animi ſententia dirigendi uſi fuere, non modo nunc in ſocietate, quam Eccleſiam appellant, adhuc manere, cum ſummæ poteſtates eam rurſus acceperunt, & ei conſulunt, ſed *ſummas præterea poteſtates ſub illam redigere poteſtatem volunt*.

Chriſtiani à ſummis poteſtatibus afflicti, & tamen ſecundum religionis ſuæ inſtitutionem mandatum habentes, ut inter ſe fraternos celebrarent cœtus, & conventus ſuos non intermitterent, tum potiebantur jure de religione ſua diſponendi, doctores, rectores, diaconos, &c. eligendi, quietem & pacem, probitatem & virtutem inter ſe colendi & curandi: quemadmodum Deus fieri volebat, & ipſi ex Chriſtiana prudentia expedire & decere judicabant. Hoc innixi fundamento eligebant

gebant doctores, quorum miniſterio Deus ſocietatem, quam nos Eccleſiam appellamus, formari vult: rectores etiam ſocietatis ſuæ (quoniam nullum ſine regimine collegium eſſe poteſt) creabant. Hi erant in ſocietate quaſi duces & anteceſſores, & habebant auctoritatem, & jure utebantur, quo jure ſuum naturale & primarium tam ſobrie & reſtricte referebant in uſum, quam ſalus & incolumitas ſocietatis ſuę aliquo pati modo poterat: probe enim intelligebant magiſtratibus, & ſtatibus jam formatis, juri primario ac naturali ſingulorum hominum, & quod jus conſcientiæ vocamus, utendi non prius eſſe locum, quam neceſſitas id exigeret, omnibus de reliquo in cunctis aliis hominibus ſummorum magiſtratuum poteſtatem agnoſcere obſtrictis. Hujusmodi jure uſa eſt primitiva eccleſia ſub perſecutione congregata atque conſtituta: & hoc jus ſtricte & proprie loquendo, non eſt jus eccleſiæ, ſed primarium & naturale jus cujusvis hominis, quo utitur non ſecundum naturalem dumtaxat æquitatem, ſed etiam ſecundum regulam verbi Dei: & peſſime concluditur civilis ſocietatis cives in uſu iſtius juris in ſpiritualibus, & in rebus ad conſcientiam pertinentibus (in qua perſecutionem patiebantur, magiſtratusque habebant adverſarios) res ſuas dirigendi adhuc poſſe perſeverare, ac magiſtratui juris ſui uſum denegare, cum ipſe magiſtratus in parte illa ſpirituali, saluti ipſorum & bono conſulit. Multo minus fundatum eſt, quod ſub Eccleſiaſtica illa poteſtate, prout vocant, magiſtratum etiam ſub ſpecie, quod Chriſtianus ſit, & ejus ovis ovilis, cujus Rectores Eccleſiæ perſecutionem patientis, erant paſtores, ſubjici velint. Id enim perinde eſt, ac ſi filius patri reconciliatus, ipſum præterea vellet adigere, ut illi ſe ſubmitteret juri, quo ipſe ſolus ut privatus idque dumtaxat in caſu neceſſitatis & deſtitutionis, uſus eſt. Cum munus paſtorale, & Rectoratus in Eccleſia ſub cruce, nihil ſit præter poteſtatem privatorum in privata ſocietate Chriſtiana congregatorum; ſed quæ, ut dictum eſt, tum ceſſat, cum magiſtratus Eccleſiæ curam ſuſcipit: atque poteſtas magiſtratus circa hujusmodi perſonarum munus atque functionem rurſus valere & ſe exerere debet, cum ipſe perſonas illas in divinis nova cura & amore fovet ac regit. Et quemadmodum ceſſat illa poteſtas, ſic pro ea parte etiam ceſſat natura illius collegii & rectorum: & quod ante collegium erat privatum, mutatur in publicum collegium politicum, & Rectores fiunt publicæ perſonæ politicæ, omnia ex magiſtratus facientes authoritate; magiſtratibus interim non obſtrictis veterem regiminis, quem Eccleſiæ ſub cruce privatæ obſervarunt, ritum ultra ſequi, quam expreſſa conſtitutio divina ipſos ad certam quandam regiminis & religionis adminiſtrandæ formam obſtringit, & in reliquis plane liberis ab omni forma regiminis, quod neceſſitas & Eccleſiæ ſub perſecutione conditio & ſtatus exegit, introducit: nam amota neceſſitate, ac mutatis circumſtantiis magiſtratus pro ea rurſus parte gaudet, & potitur libertate Eccleſiam ſecundum eam dirigendi normam & modum, quem ex Chriſtiana prudentia judicat meliorem; iis tantum rebus exceptis, quas Deus mandato expreſſo inſtituit atque ordinavit. Quod mandatum, ut ſupra ſatis prolixe demonſtratum, ex praxi Apoſtolorum, virorum Apoſtolicorum, & primitivæ Eccleſiæ colligendum non eſt: illa enim praxis ſi in expreſſo non ſit fundata mandato, jus tantum & formam nobis oſtendit regiminis Eccleſiaſtici, quod neceſſitate id exigente jus ſe ſuaque curandi, & Chriſtiana invenit prudentia; non tamen ex quo Eccleſia ſemper ſit dirigenda. Quemadmodum nullæ etiam Eccleſiæ ſe primæ iſti formæ arcte obſtringunt, ſed ſecurè & liberè inde recedunt, cum Chriſtiana prudentia aliud ſuadet & approbat. Sic in Eccleſia Reformata nullæ amplius reperiuntur diaconæ: ſeniores & diaconi in multis Eccleſiis Reformatis per totam

non miniſtrant vitam. Collegium diaconorum & Eleëmoſynariorum ubique non eſt collegium privatum & ſejunctum à collegiis politicis inſtitutis ad curandos pauperes: ſingula Eccleſiæ membra in prædicatorum, ſeniorum & diaconorum, &c. electione non ubique ferunt ſuffragium; quod tamen in Primitiva Eccleſia tempore Apoſtolorum obtinuiſſe conſtat.

CAPUT IX.

In quo quædam, quæ ex dictis profluunt, exhibentur ſequelæ.

UNde ſequitur I. Magiſtratum nunquam regimini ſubeſſe eccleſiæ. Quoniam ſi non ſit Chriſtianus, nullum omnino Eccleſiæ ut Eccleſiæ, cum magiſtratu eſt commercium, neque ulla in ipſum poteſtas. Si Chriſtianus ſit, Eccleſię & regiminis Eccleſiaſtici caput eſt. Et ſi magiſtratus privatis aliquid credendum aut faciendum præcipiat, aut ipſe faciat & credat, cui ſalva conſcientia ſubditi non poſſunt obſequi, neque cum magiſtratu fraternam celebrare communionem, tum à publica ipſis licet ſecedere, privatamque erigere Eccleſiam. II. Ex forma & modo regiminis primævæ Eccleſiæ nulla poſſe duci argumenta, ex quibus probetur, quomodo Eccleſia ſubſecutis temporibus regi debuit. Præſertim dum ſub magiſtratu Chriſtiano naturali uti jure non licet; ſed in hac controverſia de gubernatione Eccleſiæ mandata tantum expreſſa conſideranda & obſervanda veniunt.

Cum ergo verbum Dei dicit, *Obediendum ductoribus noſtris & obſecundandum, qui excubant pro animabus noſtris. Ac Rectores ejus, adminiſtratores, diſpenſatoresque appellat Dei, quorum quivis Chriſtianus tenetur ſe ſubjicere directioni, Heb.* 13:17. *Luc.* 10: 16. 1 *Tim.* 5: 17. tum expreſſe præcipit Eccleſiam eſſe dirigendam, Rectoresque talem habere debere poteſtatem. Atque etiam ſemper ipſorum eſſe officium excubare pro ſalute animarum, quarum Eccleſiaſtici ſunt rectores. Sed hoc mandatum non eo ſe extendit, ut Eccleſiaſtici rectores eſſe debeant, qui eo rectores ſunt jure, quo in primæva erant Eccleſia.

Hæc igitur noſtra ſententia cum trigeſimo confeſſionis Belgicæ non pugnat articulo, dicente nos credere veram eccleſiam ſecundum politiam ſpiritualem eſſe dirigendam, &c. Id enim libenter concedimus, ſed defendimus ſpiritualem illam politiam dependere à magiſtratu: imo in Chriſtiano regimine ex hoc jure, & hoc capite rectores eſſe non poſſunt, ſed rectoratus ad magiſtratum pertinet; omneſque illi tituli, dignitates, & jura, quæ Sacræ Literæ eccleſiæ rectoribus tribuunt, ſic politico competunt regimini, quemadmodum ante pertinebant ad regimen, quod & jure illo naturali (de quo jam ante ſæpius dictum eſt) & non ſpirituali, & immediate divino duxit originem: nulla Spirituali regimini cum utrolibet intercedente communione, cum tantum in flectendis, regendis ac per Spiritum Dei, & miniſterium verbi dirigendis conſiſtat animis: quorum Epiſcopi & doctores ſolummodo ſunt miniſtri; & ratione cujus regiminis Spiritualis nulla ad ipſos imperandi & regendi poteſtas (cui membra Eccleſiæ ſubjecta ſunt) pertinet: ſed monere tantum poſſunt & docere; nemine interim obſtricto ultra obedire (quod etiam nefas) quam ab illis poteſt perſuaderi aut convinci. Adeo ut termini *imperandi* & *obediendi* ad regimen pertineant civile, quod, ut ſupra dictum, duplicis eſt generis, nempe vel publicum & civile, quod ſub magiſtratu Chriſtiano dirigit Eccleſiam; vel privatum, cui in Eccleſia tempore perſecutionis locus eſt. Atque in hac argumentatione ſic deducta & amplificata, tantum eſt lucis, ut *Toſtatus* ipſe, ſcriptor Pontificius hoc innitens fundamento dicat

in *Matth.*18:19. *In Veteri Teſtamento duplici juriſdictionis, nempe Civilis & Eccleſiaſticæ, genere non erat opus: erat enim populus unus, & una natio, & unum dumtaxat, in quo populus conveniebat, erat templum; cumque commode una & ſimplici juriſdictione poſſent regi, duplici juriſdictionis genere non erat opus.*

III. Formam ergo regiminis eccleſiaſtici, quatenus mandatis & præceptis expreſſis determinatum non eſt, dependere à Chriſtiana politici magiſtratus, aut privatę Eccleſię Rectorum prudentia. Sicque in ſumma rei concordibus de ordine regiminis Eccleſiaſtici non eſſe diſputandum: ſed reliquum permittendum judicio & prudentiæ Rectorum Eccleſiæ. Cum æque abſurdum ſit omnes Eccleſias una regiminis forma moderari, ac omnes ſtatus politicos unis iiſdemque legibus regere: ita ut *Meſtrezat* celebris Theologus & Prædicator *Charentonius* in ſuo de Eccleſia tractatu, lib. 3. cap. 12. recte dicat: *Deum circa externum regimen & politiam Eccleſiæ, nihil conſtituiſſe ſpeciale, ſed generatim tantum mandaſſe ut omnia decore & ordine in ſua Eccleſia fierent.*

IV. Verum igitur eſſe id, quod *Gualterus* Helvetius Theologus reformatus dicit Homil. 1. in 1 *Cor.* 5. *Quidam inter Civilem & Eccleſiaſticam juriſdictionem faciunt diſcrimen, ſed diſtinctio illa è Papatu deſumpta eſt.* Et deinde, *Miniſtris verbi non eſt opus tribunal habere ſpeciale, aut ſibi vindicare quod pertinet ad politicos: inſtitui poſſunt Cenſores & inſpectores morum & vitæ civium, quemadmodum in omnibus magnis imperiis eſt neceſſe, ubi Magiſtratus ordinarius omnibus vacare non poteſt: ſed illi non inſtituuntur niſi ex authoritate magiſtratus: atque ex ipſius mandato omnia, nihil authoritate propria peragere debent.* Cum quibus congruunt ea, quæ dicit *Muſculus* in locis ſuis communibus. *In ſenatu Eccleſiaſtico ipſe quidem magiſtratus non ſedet ut judex, ſed ii, qui à magiſtratu eo inſtituti ſunt, nempe paſtores: ſumma tamen omnium poteſtas non penes Paſtores eſt, ſed penes magiſtratum.* Fieri enim non poteſt, quin totus ſenatus Eccleſiaſticus ſub magiſtratu Chriſtiano collegium tantum ſit politicum, faciens munia ex mandato & authoritate ſummi magiſtratus. Et ſub magiſtratu, qui Eccleſiæ non favet, hæc omnia fiunt jure omnibus hominibus & ſocietatibus, & non ſoli ſocietati eccleſiaſticæ proprio, quo cuique neceſſitate id exigente ſuam ſalutem & conſervationem curare licet, ſibique ac ſuis proſpicere, eaſque inire rationes ſe conſervandi, quas juſtas, æquas & legi divinæ congruentes arbitratur. Ponam exemplum, per quod tota hæc res, de qua hactenus ſermo fuit inſtitutus, luce meridiana clarius patebit. Apud omnes Reformatos extra controverſiam eſt, de rebus, quarum cognitio ad magiſtratum, vel ad judicem pertinet, quaſque etiam cognoſcit, ſenatui Eccleſiaſtico non licere judicare, niſi ex judicio judicis; atque huic ſententiæ ſuam accommodare cenſuram Eccleſiaſticam. Si judex aliquem furti, cujus accuſatus erat, crimine abſolvat, Synedrio non licet illam perſonam punire, aut cenſura notare, quaſi ab illa furtum commiſſum foret: ſi judex eum condemnet, ſynedrium abſque ulteriori examine ſpiritualem adverſus ipſum poteſt exercere pœnam. Pone præterea à magiſtratu eligi cenſores, qui cognoſcant de civium & ſubditorum delictis & vitiis, quibus in legibus ordinariis & Edictis nulla pœna aut mulcta eſt conſtituta: quia magiſtratus gentilis minores illas aberrationes & delicta, quæ Rempublicam turbare aut labefactare non ſolent, minoris momenti putat, quam quæ ſuam mereantur curam, aut aliam quam per monita & bona in ſubditis ſuis exempla, correctionem. Vel quia in Chriſtiano & ſpeciatim reformato regimine, Eccleſiaſticis prohibitio & correctio iſtius mali demandata eſt: ſed cujus tamen mali cura probus tangi magiſtratus poteſt, imo debet, aliudque ei minoris pœnæ genus conſtituere.

Sequitur totum tribunal Eccleſiaſticum, ſi non conſideretur ut Senatus politicus, corruere. Senatus enim Eccleſiaſticus de nulla omnino re poterit judicare, ſed ex judicio & ſententia Cenſorum morum, ſpiritualem irrogare pœnam, aut ea abſtinere debebit. Operæ prætium eſt hic referre Reformatarum Eccleſiarum Helvetiarum uſum circa ejuſmodi delicta: diſciplinam nobis deſcribit *Gualterius*, *Serm.* 24. *in* 1 *Cor.* 5. *Civitatis noſtræ leges eos ſpirituali excommunicatione mulctant, qui negligenter ad verbum divinum audiendum & Sacramentorum uſum veniunt, ac inſuper improba vita eccleſiam offendunt: tales enim ſi in Civitatibus habitent, pelluntur è contuberniis; ita ut cum nemine commercium habere poſſint: nullus umquam ad munera publica, aut ad honeſtum aliquem quæſtum ipſis patet aditus. Si habitent in campis, tales arcentur à communi paſcuorum & ſylvarum uſu, &c.*

Imo omnes Doctores Reformati, ſtatuentes Paſtores & Epiſcopos nullas poſſe condere leges, ſed ipſorum placitum, judicium, & de rebus divinis ſententiam tum demum habere vim legis, cum magiſtratus illa confirmat, ut in noſtram veniant ſententiam neceſſe eſt. *Rivetus in Decalogum* diſerte dicit, *doctores nullas poſſe conſtituere leges, niſi à Magiſtratu confirmentur.* Ita etiam loquitur *Walæus*, *tom.* 2. *pag.* 39. *Canones Eccleſiaſtici vim legis non habent, niſi magiſtratus eos confirmet.* Hinc enim conficitur *Primo* jus definitive ſtatuendi quæ religio publicè obtinere atque doceri debeat, ad ſolum pertinere magiſtratum: atque ſic corruit illa religionem in familia aut ſtatu alieno dirigendi Eccleſiæ poteſtas. Atque hoc eſt id, quod in libro ſuo de Eccleſiaſtica & civili poteſtate *pag.* 317. expreſſe concedit *Triglandius*: *Ad civilem poteſtatem pertinet judicare & ſtatuere, quænam religio inter cives publicè exercenda ſit: ſi magiſtratus à vera religione recedat, falſamque in locum ejus introducat, ſua quidem abutitur poteſtate, verum tamen jus habet id faciendi.* Atque ſic extra controverſiam eſt, internam directionem (non dico internarum religionis partium adminiſtrationem, cujusmodi ſunt prædicatio & adminiſtratio ſacramentorum, &c) pertinere ad magiſtratum qua talem, nullasque tum etiam perſonas ſeſe poteſtati magiſtratus poſſe ſubducere, atque directionem & adminiſtrationem publicæ religionis vindicare ſibi; & ſimul Eccleſiam Societatem quoque eſſe politicam, ſed ab ea civilis regiminis parte ſumentem originem, qua ſubditorum curat ſalutem, ac jure pars regiminis ſpiritualis appellari poteſt. Nullam igitur in Synedriis & ſummis congregationibus Eccleſiaſticis eſſe poteſtatem aliquid in, aut circa religionem ſtatuendi, decernendi, aut docendi, à poteſtate civili diviſam. Quamquam enim verbum Dei, uti veritas, jus aut æquitas magiſtratui non ſubſit, in ejus tamen ditione, ſecundum ipſius voluntatem & judicium docendum eſt. Quemadmodum ad ipſius arbitrium omnia, quæ ad veritatem, jus & juſtitiam pertinent, doceri atque adminiſtrari debent: non quod id proprie voluntas Dei, jus, verum aut æquum ſit, quod magiſtratus tale exiſtimat; & quod ex conſcientia, & ſecundum jus ſibi à Deo conceſſum, propagandum, docendum & adminiſtrandum jubere debet: id enim ad nullam perſonam, vel collegium civile vel eccleſiaſticum pertinet. Atque idcirco nemo in conſcientia tenetur deciſiones iſtas & ſtatuta circa res ejusmodi, ſi animo ſuo repugnent, ultra obſervare, quam cum patientia ferre id, quod magiſtratus contra ipſos fieri è re judicat & utile, ne id quod magiſtratus verum & juſtum eſſe putat, incaſſum & in irritum præſcriptum putetur. Hiſce autem nihil aliud docere volumus præter id, quod in commentariis ſuis in 8 *Cap. Libr.* 1. *Sam.* dicit *Martyr*: *Dices, an magiſtratus etiam imperium habebit in Doctores & prædicatores? Reſpondeo, verbum Dei & Sacramenta nulli ſubjecta ſunt poteſtati, ſed Prædicatores illi duplici ſubjiciuntur*

untur ratione, tam reſpectu vitæ, quam miniſterii: quia ſi pravæ ſint vitæ, aut vocationem ſuam negligant, magiſtratus eos punire & munere exuere poteſt. Magiſtratus igitur jus de doctrina prædicatoris judicandi habet: ipſi igitur ut doctori publico docere non licet, quod magiſtratui diſplicet. Præſuppono receptam religionem, aut regiminis Eccleſiaſtici formam in ſtatu aut regno non eſſe legem fundamentalem: ipſe igitur docere debet id, quod magiſtratus judicat eſſe verum & boni exempli. Verum cum judicium Magiſtratus cum judicio quorundam, aut omnium ſubditorum pugnat, & res tanti judicatur momenti, ut in Magiſtratus religione ſalus conſervari non poſſe putetur, tum uti licet jure illo naturali, quo neceſſitate id exigente, licitum eſt ea curare, quæ ad noſtri conſervationem ſunt neceſſaria. A quo jure manat privatarum jus Eccleſiarum, de quo jam ſæpius dictum eſt.

Hæc ſunt quæ de doctorum & Eccleſiæ poteſtate judico. Sententia quæ mihi nuper non incidit, nec temere, nec per contentionem ſuſcepta, ſed diligenter examinata, atque excuſſa, & ſæpius ad præſtantiſſimorum ingeniorum ſcriptorum quorumdam, qui contrariæ ſunt opinionis judicium, tamquam ad trutinam appenſa. Sed numquam minima mihi dubitandi ratio occurrit, quæ me dubium incertumque ſuper hac re reddidit. Tantam etiam mihi perſuadeo in hac ſententia me videre perſpicuitatem & evidentiam, quæ inveſtiganti norma eſt, utrum veritatem aſſequutus ſit, anſecus, ut hiſce ſuperſedere poſſim: neque magni facere ea, quæ à nonnullis contra in medium adferri poſſint. Si quis tamen iſto me favore proſequi dignetur, ut conſiderationes atque animadverſiones in hunc meum tractatum, ſuas typis communicet, & ut probus moderatuſque Chriſtianus hanc quæſtionem tractet, me ſibi ſummo devinctum reddet officio. Neque hanc etiam ſententiam propoſui, ut ubique introducendam, & in uſum deducendam: minime. Multi Societatis Eccleſiaſticæ rectores libertati ac uſurpato juri ita aſſueverunt, ut potius urbes & regiones everti, quam ſe unguem latum à commentitio iſto jure dimovere paterentur. Aliique cum tanta moderatione iſto jure utuntur, ut nulla magiſtratibus opus ſit cautione, ne ſua ab hac parte authoritas imminuatur. Sed hujus editione Scripti ad nihil aliud collineavimus, niſi præcipiti, impotenti, & imperito quorumdam doctorum & Eccleſiæ rectorum pro Eccleſiæ libertate zelo modum ponere: atque Scoticarum eccleſiarum dogmata circa poteſtatem eccleſiaſticam refutare atque retundere; ſimulque experiri an in hiſce noſtris provinciis Theologi nonnulli poſſent diſcere virtuti ac fidei ſuæ etiam adjungere cognitionem & ſcientiam, & non tam temere, magnaque contumacia pravas & falſas tueri ſententias.

Index

Index Capitum in Tractatu de Munere Paſtorali, &c. contentorum.

CAPUT I. *De Chriſti ac Apoſtolorum in docendo authoritate.* 335

CAP. II. *Quomodo verus à Pſeudopropheta diſcerni poſſit; & de authoritate Sacrarum Literarum.* 337

CAP. III. *De authoritate Doctorum in Eccleſia, qui viros Θεοπνεύστους ſecuti ſunt.* 345

CAP. IV. *Quo jure & authoritate primæva Eccleſia ſub perſecutione, ſibi Doctores, Paſtores, Rectoreſque eccleſiæ elegerit.* 347

CAP. V. *Quemadmodum ad quamvis ſummam Poteſtatem in ſua ditione cura Religionis, ſic & miniſtrorum ejus electio pertinet.* 350

CAP. VI. *In quo oſtenditur, ab hac Doctrina ne latum quidem unguem poſſe deflecti, quin prolabamur rurſus ad Papatum.* 354

CAP. VII. *In quo demonſtratur, quod Eccleſia non tantum in Politia, ſed etiam Politiæ pars ſit.* 359

CAP. VIII. *In quo oſtenditur; unde peculiare, quod Eccleſiæ tributum fuit jus, oriatur.* 363

CAP. IX. *In quo quædam, quæ ex dictis profluunt, exhibentur ſequelæ.* 368

TRACTATUS
DE
IDOLOLATRIA
ET
SUPERSTITIONE.

Cui additi ſunt Libelli Synedrii Belgici Ultrajectini, Magiſtratui Ultrajectino exhibiti, continentes querelam contra Auctorem, & notas in ejus Tractatum: cum Reſponſionibus ejuſdem Auctoris ad eaſdem.

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

Benevole Lector,

A Primis *Reformationis* temporibus hucuſque multa, & recte ſcripta ſunt contra Papiſmi errores; & præcipuè contra *tranſſubſtantiationis* doctrinam: quia iſte error omnium quidem aliorum maximus videtur, quos Pontificii propugnant: præſertim quando probatum, & in confeſſo eſt, erratum illud veram & eſſentialem Idololatriam continere. Multo, mea quidem opinione, facilius eſt docere, Miſſam pugnare cum Verbo Divino, quam probari poteſt, in adoratione conſecratæ *hoſtiæ* idololatriam fieri. Numquam ne minimum quidem dubitavi, quin Papiſtarum de Miſſa opinio falſa foret, non fundata in Verbo Dei; & per ſuperſtitionem excogitata: ſed ante hac non tam clare perſpiciebam falſam eam Religionem Idololatriam comprehendere. Rationem hujuſce rei hanc fuiſſe arbitror, quod Doctores noſtri non ſatis curioſè inquiſiverint, in quo eſſentia Idolomaniæ proprie conſiſtat, & quotuplex eſſet. Saltem in legendis noſtris Auctoribus hac de re non omnino mihi potui ſatisfacere. Sive ingenii mei tarditas fuerit in cauſa: ſeu quod Doctorum auctoritati non nimium tribuens, eorum argumentis etiam non potuerim omnino concedere; & probationem exigere quarundam poſitionum, quæ reapſe quidem veræ ſunt, & de quibus illi judicabant, ulteriorem probationem & explanationem non eſſe neceſſariam, ſed quas ego clarius explicatas, & comprobatas expeterem. Quare ad propriam inſtructionem laborem ſuſcepi, ad quæſtionem hanc penetrandam, & rem tam alte repetendam, ut quarundam poſitionum clariorem demonſtrationem non neceſſe mihi foret inquirere. Conſpicio hanc orationem (Magiſtros noſtros & Doctores omnia penitius nondum excuſſiſſe, quæ in ſummis de Religione diſputationibus ſcitu & creditu ſunt neceſſaria) apud multos Anteceſſores in noſtra Religione male audire: juſtam etiam cauſam & materiam cenſuræ haberi ad librum aliquem condemnandum. Verum probè etiam novi, hoc ex mero tantum odio & invidia dici & fieri. Et omnes eos, qui ſe adeò promtos oſtendunt, ut proximum hac accuſatione onerent, in peſſimam partem acciperent, ſi diceretur, eos non aliquid in concionibus & ſcriptis

ſuis docere, quod eorum præceptores aut obliti fuiſſent, ſeu ignoraſſent, vel iis non occurriſſet ad plene tractandum. Certe non oportet ad dictum hujus vel illius Auctoris quippiam probare: ſed examinare & exquitere, an illud, quod in libro ſuo tradit, adeo ſit vulgare, ut apud alios vulgo reperiatur, & an non multa dicantur & afferantur, quæ haud facile apud alios reperias. Quod ad me, non profiteor multos libros legere, aut eorum helluonem eſſe: verum hoc optime novi, me numquam meum tempus impenſurum, ut ſcriptis aliquid conſignem, quin ante bonos quoſdam Auctores de ea quæſtione legerim, quam tractare conſtitui: nec bonas meas horas unquam collocarem, ut denuo ea conſcriberem, quæ recte ab aliis dicta & tradita ſunt. Et ideo vere poſſum teſtari, ſolum amorem veritatis me impellere, ut animum intendam ad inveſtigationem ejus rei, cujus ea ſcientia & certitudine careo, quam deſiderari arbitror, antequam ſententiam feramus: & hoc facto ſoleo humana auctoritate parum commoveri, aut conſiderare, quid alii de ea dixerint, ut meam opinionem cum eorum ſententia conciliem, qui ante me de eadem re aut dixerunt aliquid vel ſcripſerunt. Quanquam ſummopere mihi placeat, & plurimum me in ſententia confirmet, quod poſt abſolutionem operis videam, cogitationes meas cum doctrina Eccleſiæ, in qua dego, in ſumma conſpirare. Non ignoro multos aliter ſentire: ſed partium ſtudiis non abrepti & propria conſcientia me ab eo abſolvunt. Et modus procedendi, & artes meorum adverſariorum declarant ſatis, quod ipſimet cauſæ ſuæ diffidant; quod ſemper technis & anfractibus inſidiati mihi ſint, nec unquam adverſa fronte pedem conferre auſi, ut id, quod ſiniſtre & perperam de mea heterodoxia quibuſdam ſtudebant perſuadere, defenderent. Non hoc eo dico, quaſi multum mea intereſſet humano judicio judicari, quantum ad tranquillitatem animi, aut etiam ſtatum civilem attinet: verum idcirco hæc tantum profero, ne habear hypocrita: quippe qui aliud ſentirem, ac confeſſio Eccleſiæ, cujus membrum ſum, docet. Res ita ſe habet, me circa munus concionandi, & circa jura & naturam Eccleſiæ, cum iis annexis, quaſdam diverſas opiniones videri fovere, quam multi vulgares Doctores, qui non ſoliti rem aliquam bene expendere, valde confuſe & intricate conſiderant; & de illa ita diſputant, ut fieri non poſſit, ut cauſam noſtram contra Papatum tueamur, ſi illorum dogmatibus inædifices, aut juxta eaſdem adverſæ parti reſpondeas. Et ſemper putavi inde ſperandum aliquid operæ pretium in religionem, ſi ſententiam & opinionem meam ea de re proferrem & declararem. Et nunc eo magis in eo confirmor, quod animadvertam nonnullos Doctores inter Pontificios, videntes quod malâ dictæ quæſtionis tractatione, de Eccleſiæ natura, ab ea parte maxime

patea-

pateamus, & eorum telis expoſiti ſimus, maximam vim illi adhibuiſſe, & arietem admoviſſe. Et res illis, eheu, tam proſpere ſuccedit, ut abhinc aliquot annos nunquam ulli Scriptores Pontificii plus damni Reformatis in Germania intulerint. Et ne hoc videar temere dicere; & ut liqueat, de natura Eccleſiæ mecum loquendum, nec rationes eorum à noſtris debere diſſentire, ſummatim proponam, & ſicut ſpecimen modi argumentationis Papiſticorum iſtorum Scriptorum dabo, & tum infirmitas ſolitarum reſponſionum Doctorum noſtrorum apparebit, ſi argumentis multorum ex illis inhæreas: & quomodo contra, juxta noſtras poſitiones, quæ tamen noſtræ Reformationis fundamentis nituntur, quam facillime per omnia evadas. Et tum eadem opera, ut confido, religionis meæ ſocios, & eâdem fide mecum conjunctos, aliquatenus armabo adverſus ejuſcemodi argumenta noſtrorum adverſariorum, quibus multi ſuccubuere. Et etiam velut brevem apologiam pro iis conſcribam, quæ olim, & etiamnum hac occaſione in hoc tractatu diſputavi, quoniam prævideo ea iterum maxime arroſum iri.

Hæc eſt Papiſmi doctrina circa Eccleſiam, quatenus ad noſtram diſputationem pertinet. Per Chriſtum, & ejus Apoſtolos, in principio, prædicatione Euangelii cœtum quendam & Societatem Eccleſiaſticam eſſe erectam, cui omnes tenentur ſe adjungere; & ſe illius legibus, conſtitutionibus, placitis, & decretis ſubjicere: æque univerſim ac quilibet tenetur Religionem Chriſtianam ſuſcipere; & fidem vitamque ſecundum eam dirigere. Iſti Eccleſiæ à Deo *poteſtatem* & *auctoritatem* eſſe datam (an ea ſit penes unum, num penes collegium aliquod, poſſideaturne ab utroque, *non opus* eſt de eo in præſentia diſputare) ad omnes Chriſtianos docendum, & infallibili judicio declarandum, qui libri, ſcripta, & traditiones voluntatem Dei in rebus ſidei complectantur; & quis iſtorum ſcriptorum & traditionum ſit *ſenſus*. Unicam tantum talem in terris poteſtatem dari; eamque uni ſolum cœtui traditam: ita ut omnes, qui extra illam ſocietatem vivunt, nec eam auctoritatem agnoſcunt, eſſentiali forma (quæ eſt divina auctoritas) eorum ſcriptorum & traditionum, quæ Divinam voluntatem circa res fidei complectuntur, & quibus Catholica Eccleſiæ fides, & conſequenter privatorum nititur, carent; atque ita fidei ſuæ fundamento privantur; nempe Verbo Dei, quod per *Scripturam* aut *traditiones* ad nos pervenit, & jam dictæ *auctoritatis* (nempe iſtius cœtus aut Eccleſiæ) judicio demonſtratum nobis & declaratum eſt; & quod verbum ita iſto teſtimonio, reſpectu hominum, non autem ſui ipſius, ſignatum & ſigillatum eſt, ut pro S. Scriptura recipiatur.

Quocirca illud ſolum objectum & fundamentum Chriſtianæ fidei eſſe, quod ab ea poteſtate & auctoritate nobis indicatur, Sermonem & volunta-

tem Divinam contineri: & idcirco omne proprium & privatum judicium, explicationem & demonſtrationem, quodnam ſit Verbum Dei; & quis illius ſenſus, *fundamentum* Chriſtianorum fidei non conſtituere. Multo minus deciſionibus, decretis, aut placitis privatorum, aut cœtuum extra eam poteſtatem, & ab Eccleſia ſeparatos, in qua Pontificii præſupponunt eam *poteſtatem* vigere, ullam auctoritatem competere; aut eos, cum certitudine quæ ad fidem requiritur, poſſe aſſeverare, ea eſſe credenda, quorum aliquas faciunt deciſiones in ſuis Synodis, Confeſſionibus, & Catechiſmis: quia omnia ea humana ſunt; infallibilitate & Divina auctoritate *deſtituta.* Ideo docent nulla Concilia eccleſiaſtica aut politica, à Romana Eccleſia ſegregata, leges aliquas aut conſtitutiones aliquibus poſſe condere: quod nemo in rebus fidei, alterius humano & fallibili judicio obnoxius ſit. Propterea omnes alias nomine tenus Eccleſias, ab Eccleſia Romana ſejunctas, quemadmodum nullas leges poſſunt figere, etiam neminem, quod eorum prætenſas conſtitutiones, placita,& deciſiones reprobent, poſſe punire: & eapropter, *verè omni eccleſiaſticas pœnas exercendi poteſtate carere*: nullas etiam claves, nec doctrinæ nec regni cœlorum habere. Illi enim de ſua doctrina nullam Divinam & infallibilem certitudinem habent: quia omnes Doctores, qui exierunt è Papatu, uno ore atteſtantur, Deum nulli Eccleſiæ, aut perſonæ, poſt exceſſum Apoſtolorum, & virorum Apoſtolicorum, ullam infallibilitatem in doctrina pollicitum, aut poteſtatem decidendi aliquid cum auctoritate, ita ut aliquis illi non parens, eccleſiaſticæ pœnæ reus foret. Quæ cuncta in Romana ſolum Eccleſia, ob rationes ſupra traditas, reperiuntur.

Quare Papiſtæ etiam cenſent, extra ſuam Eccleſiam non dari eccleſiaſticam diſciplinam: nec ullam ſalutem ſperandam: quod omnes, qui ab Eccleſiæ Romanæ gremio ſunt excluſi, nullum fidei ſuæ fundamentum habeant; & quod eis non obediant, quæ Deus in Verbo ſuo per Eccleſiam nobis revelavit: quodque ſint Schiſmatici; quia ſine ratione, nec juſta de cauſa à corpore veræ Eccleſiæ ſe ſepararunt, & ab illa poteſtate Divina, quæ in iſta Eccleſia reſidet; & ejus judicio & *deciſionibus* ſe ſubtraxerunt. Quod non minus illicitum, ac Judæis deſciſcere à Judaica Religione; & aliud templum ædificare, alium Summum Pontificem, Sacerdotes, & Levitas creare, & operam dare, ut per eos Judaica Religio adminiſtraretur. Et quoniam Pontificiorum Eccleſia etiam peculiarem quandam poteſtatem, auctoritatem, & ſanctitatem ſtatuit in partibus Religionis adminiſtrandis ſub Novo Fœdere, quas aliis ad id non legitime vocatis, *conſecratis*, & ſegregatis, adminiſtrare non licet: & quæ vocatio & confirmatio ab illis ſolum fieri debet, penes

quos

quos poteſtas, *& ſingularis ea Sanctitas viget; & qua nulli poteſt communicari, niſi ab iſtis, qui eo charactere ſunt præditi.* Alioquin dicendum eſſet, in omnibus cœtibus, qua magnis, qua parvis, qui propria auctoritate conſtituuntur, omnes Religionis partes legitime poſſe celebrari, & ab iis Conciliis quoſdam poſſe conſtitui; quibus poteſtas foret prædicandi, Sacramenta adminiſtrandi, & utendi regni Cœlorum clavibus. Et quoniam id (eorum quidem judicio) abſurdum eſt, affirmant, in nullis Eccleſiis, à Romana ſeparatis, aut diſciplinam Eccleſiaſticam habere locum, vel Sacramentorum adminiſtrationem, ſeu Sermonis Divini prædicationem, aut uſum clavium: quod non homines, verum Deus talia miniſteria, & miniſtros eorum in ſua Eccleſia inſtituat: & nemo iſta conſtituere & ſuſcipere poſſit, niſi ad id legitime ſit vocatus; & cui character iſte per alios, qui eum poſſident, communicatur: quæ legitima vocatio, & conſecratio ſive collatio characteris extra iſtam Eccleſiam, cui poteſtas faciendi hoc à Deo ſemel & ſoli eſt tradita, eſſe nequit. Extraordinariam autem vocationem non vulgaribus operibus & miraculis eſſe probandam.

Addunt inſuper: aut nos nobiſmet ipſis contradicere, & dejicere ea, quæ exſtruximus: aut nobis aſſeverandum, nullam non obedientium Eccleſiæ ejuſque decretis culpam, poſſe dari: nullum cœtum pro *ſchiſmatico* poſſe condemnari: & nullam exiſtere viam atque rationem, ad eccleſiaſticas aliquas & Theologicas diſputationes cum auctoritate componendas: quamvis illud videamur per noſtrarum Synodorum & Claſſium concilia & deciſiones velle facere. Nam aut nemo tenetur eis parere, ſi arbitretur, eas S. Scripturæ eſſe contrarias: & tum ſane deciſiones nullius utilitatis aut uſus ſunt ad controverſias terminandas aut definiendas: aut ſi illis obſtringamur, *poteſtas & auctoritas* in Eccleſia agnoſcenda eſt, ad deciſiones in rebus fidei condendas, quibus conſcientiæ hominum ſint obligatæ. Et tunc affirmandum nobis, iſtam poteſtatem in omnibus eſſe cœtibus, qui ſe pro Eccleſiis vendirent. Aut Deum eam poteſtatem uni tantum Eccleſiæ, per externa & viſibilia ſigna notæ, dediſſe. Aſſeverati nequit, eam poteſtatem in omnibus congregationibus, quæ pro Eccleſiis ſe gerunt, reperiri: nam tum cuilibet membro ſententiis & deciſionibus tantum eſſet acquieſcendum anteceſſorum ſuorum in Religione: quæ ipſa eſt abſurditas. Si dicas, poteſtatem eam ſoli ſolum Eccleſiæ eſſe demandatam, tum Pontificii regerunt, nullam poſſe dari rationem, quare non ſit dicendum, ſuæ eſſe Eccleſiæ traditam. Si perhibeas illis eſſe Eccleſiis datam, penes quas exiſtit veritas, eamque docent, illud quidem concedent, ſi externa quædam ſigna ſtatuas, quæ à Deo demonſtrantur, quibus ea Eccleſia, quam Deus pro iſta vult agnoſci, quæ veri-

veritatem docet, poſſit cognoſci: aut alioquin poſitio illa, poteſtatem eam Eccleſiæ competere, nullius eſt uſus; & nihil ulterius operatur, quam ſi quis, poſtquam longe lateque diſſeruit de magno commodo & utilitate pacis & concordiæ humanæ, doceat Deum in terris poteſtatem conſtituiſſe, cui omnes obedire debent, illamque poteſtatem ſapientiſſimo tributam, ſi interea oraculo non edita foret perſona ſapientiſſima, & quæ externis & viſibilibus ſignis pro ea cognoſci poſſet. Hoc enim ſi abſit, ex priori confuſione non expedies te: & ſic iſta Eccleſia controverſias non poterit tollere: quæ ſolum poſt cognitionem veritatis pro vera eccleſia recipitur. Et ſic etiam, ut ajunt, res ſe habet cum poteſtate Eccleſiæ: aut demonſtrandum, cui Eccleſiæ Deus privilegium illud conceſſum voluerit, ut veritatis ſit conſervatrix: aut alioquin agnoſcendum, talem poteſtatem à Deo in terris non deſignatam: quoniam nullius omnino eſſet uſus. *Et ita omnis poteſtas & auctoritas controverſias fidei ejuſcemodi auctoritate decidendi, ut conſcientia eis alligetur, & quibus quæſtiones ita terminentur, neceſſario corruat neceſſe eſt.*

Et ut porrò demonſtrem, vulgaria ſcita Reformatorum circa naturam Eccleſiæ Chriſtianæ, & jura ejuſdem non poſſe conſiſtere (ut Pontificii aſſerunt) verum aut in eorum opinionem deſcendendum, vel omnem *poteſtatem, auctoritatem, gubernationem, &c.* ex Eccleſia tollendam; & omnia privato ſingulorum judicio relinquenda: nos autem Reformati neutrum videmur velle admittere. Cum nos (ut ajunt) adverſus eos diſputamus, omnia noſtra argumenta eo videntur evadere, nempe Deum nullam auctoritatem imperandi aliquid, quo conſcientia ligaretur, & quod pro Dei placito habere circa res fidei teneremur, in terris inſtituiſſe; multo minus Deum illam huic aut iſti Eccleſiæ affixiſſe, eamque in eadem ſtabiliiſſe: veluti fit, ut jus imperii politici in certa familia hæreat, eique annexum ſit. Tantum abeſt, ut concedamus, iſtam auctoritatem Romanæ Sedi ex privilegio datam. Verum nos interim, ipſo facto omni ea poteſtate & auctoritate uti, quam Romanæ Eccleſiæ ereptum imus. Nam quæſo, an non in Eccleſia noſtra poteſtatem conſtituimus, cui humana conſcientia eſt obnoxia, & ad cujus præſcripta conſcientias noſtras ita dirigere & formare debemus, ut eas illi alligemus. Et an tandem Eccleſiam non pro quadam Societate habemus, quæ fundata eſt ſubjectione alterius poteſtati & mandatis: ſunt enim in ea imperantes & obedientes; & vis & fundamentum imperii & obedientiæ in ea aut contractibus nititur, aut promiſſis, & donationibus alicujus juris, aut agnitione cujuſdam poteſtatis à Deo immediate in cœtum Eccleſiæ, cui nos dedimus, tranſlatæ: & ubi pœnæ fundantur inobedientiæ culpa, & defectione à promiſſis illi præſtitis, cui in conſcientias imperium eſt.

Cum

Cum enim nos, ut Papiſtæ clamant, tales fidei formulas, & deciſiones in rebus, quæ ad Religionem ſpectant, cudimus: omnes, qui ab ipſis recedunt, aut eas non recipiunt, ut Judices condemnamus, anathemate & excommunicatione punimus: pro *reis* eos ducimus, quibus *ſeſſio* aut *ſuffragium* in Tribunali Eccleſiaſtico adimenda: ferunt nos inſuper illos *excommunicare*, qui ad aliam Religionem tranſeunt; & eccleſiaſticam pœnam in ſpecie, & cum reſpectu ad conſcientias, adverſus iſtos exercere: nos eos inſimulare & condemnare tanquam *novatores*, & ob id damnare, tanquam novi quid contra doctrinam Eccleſiæ invehentes: nos docere, idque cum magna aſſeveratione, ad controverſias fidei componendas liberas ſynodos requiri: ut ibi judicetur & decidatur, quæ opinio *non ſolum intuitu publici, verum etiam reſpectu conſcientiarum*, valere debeat: ea decreta ad Eccleſias eſſe mittenda, pro formulis & canonibus fidei Eccleſiæ. Nos omnia Membra cogere Confeſſionem fidei omnino, & in forma ſuſcipere; aut ſaltem nihil docere, quod ei ſit contrarium: & ſe docilia præbere: aut alioquin veram & eccleſiaſticam pœnam, *quæ ad emendationem & regimen noſtrarum conſcientiarum in rebus fidei tendat, eapropter perferendam.* Ita ut illo obligemur noſtras opiniones circa res fidei immutare, ſi Doctores in ſynodo congregatos in noſtram ſententiam non poſſimus adducere. Qui omnes modi agendi (inquiunt Pontificii) videntur ſignificare, Reformatos parem poteſtatem ſuis Eccleſiis tribuere ac Pontificii Romanæ Eccleſiæ. Contra cum videmus eos leges ferre, quæ adeo ſint generales, ut illud, quod licitum eſt, etiam prohibeatur cum illicito: ut illicitum juſtius poſſet puniri. Etiam aliquem ob errores, qui non ſunt fundamentales, ab Eccleſiæ communione excludi, ut ulterior lapſus & macula vitetur. Peccata & vitia, quæ aliquem indignum Membrum reddunt, in Membro tolerari, eumque nihilominus ad *Communionem* admitti, ob morum in Eccleſia corruptelam: quæ non permittit, ut tam rigide procedatur, ut tantum vere digni ad Sacram Cœnam admittantur, quia hoc caſu in multis parvis Eccleſiis vix Membra ulla reperirentur, & Sacramenta non poſſent adminiſtrari. Nonne oſtendunt Reformati multos ex illis naturam & gubernationem Eccleſiæ omnino politica facere, ubi res licitæ prohibentur, & illicitæ tolerantur; at quies publica conſervetur? Et certe, ſi liceat aliquem ad Cœnam Domini admittere, quem profanum credunt, ob peccatorum diluvium, & morum corruptelam, de quibus jam ante dictum: quare ergo fraternitatem etiam cum eo non liceret exercere, qui in fundamentali errore verſatur: quando etiam multitudo errorum & hæreſium in regione aliqua graſſatur, dominatur, & quaſi regnum obtinet. Qui praxin noſtrarum Eccleſiarum in

omnibus hiſce recte examinaverit (ut ipſi affirmant) comperiet, nos revera eandem poteſtatem & auctoritatem in noſtris eccleſiis exercere, quam Pontificiorum eccleſiis denegamus; idque contra Reformationis noſtræ fundamenta: aut nos illis rebus mala & perverſa vocabula imponere: & actiones eas Reformatarum Eccleſiarum circa decreta Synodorum & excommunicationem, &c. quoad externa actionibus Eccleſiarum Papiſmi probe aſſimilari; ſed re ipſa, & in ſua eſſentia alius prorſus naturæ eſſe.

Hæc fere ſunt argumenta, quæ Papiſtici Scriptores in medium proferunt, ut fundamenta quædam Reformationis noſtræ labefactent & deſtruant: & mihi videtur quodammodo noſtris aquam hærere, ut recte illa diluamus: ſi ſervemus formas & modos quoſdam dicendi, eorumque ſignificationes, qui à multis in Eccleſia noſtra ſolent uſurpari, cum de natura Eccleſiæ ſermo ſit. Latius hæc diducere ſupervacaneum. Qui præcedentia legit & conſiderat, animadvertet hæc à nobis non gratis dici. Saltem hoc verum, Papiſticos iſtos Scriptores, de quibus fertur, eos ſuis ſcriptis tot Reformatos ad ſe allicere, præſertim iis argumentis uti, quæ ſuperius ſummatim enumeravi.

Nunc lubet eadem brevitate proponere opinionem circa naturam Eccleſiæ, & ejus poteſtatem, quæ mihi maxime placet: & quæ, mea quidem ſententia, cum veritate & fundamentis Reformationis noſtræ optime convenit. Statuimus, poſt adſcenſionem Chriſti in cœlum, & Apoſtolorum obitum, qui in doctrina ſua & ſcriptis errare nequibant, nullam infallibilitatem aut poteſtatem, quæ conſcientias humanas ligat, apud ullum ſingularem hominem, aut collegium aliquod in terris remanſiſſe: ſed S. Scripturam ſolum infallibiliter res comprehendere, quæ ad fidem & revelatam Dei voluntatem pertinent: illam idcirco nobis unicam eſſe fidei noſtræ regulam. Verbum illud Divinum, quantum ad ſalutem ſufficit, ſe proprio lumine ingenio humano pro Divino ſcripto manifeſtare: licet homines, & proinde Eccleſia ſua doctrina & inſtitutione multa adjumenta adferre poſſint, ut lumen illud conſpiciatur. Nullam auctoritatem, aut collegium in terris eſſe datum, ad cujus declarationem, teſtimonium, aut denunciationem atque judicium, aliquid pro Divino Scripto, & pro infallibili illius Scripti explanatione admittendum ſit: verum id cujuſque ſapientiæ, prudentiæ, Chriſtiano & pio zelo, ad perveniendum ad cognitionem veritatis, relictum eſſe, ita ut quivis ſua fide & judicio vivat, & ita docemus, *ſenſum Verbi Divini, privato illo judicio perceptum, conſcientiam ſingulorum adſtringere:* æque ac in omnibus aliis rebus, conſcientiam ſpectantibus, quilibet de ſuis actionibus judicium fert: nec Deum ullam poteſtatem in terris conſtituiſſe, quæ

præ-

æter Deum, conſcientiis noſtris poſſit dictare, præſcribere, aut leges :ere, quibus ea ſit alligata. Ut propterea nulla ſit in Eccleſia poteſtas ndendi quaſdam formulas, confeſſiones, decreta, aut conſtitutiones; æſertim autem nullas novas, quæ aliis tali ſint regulæ, ut conſcientia illis iciatur. Et poſtquam ea decreta ab Eccleſia conſtituta & confirmata ſunt, vis Chriſtiano, reſpectu conſcientiæ, & extra civilem ſtatum conſiderato e quo poſtea diſputabitur) tamen æque liberum eſt canones eos approbare l rejicere.

Obedientiam etiam fidei iſtis decretis, confeſſionibus, &c. à nullo poſ- exigi *ſub forma præcepti*, admonitionis officii ad obedientiam: aut ſub ndamento debitæ cujuſdam *ſubjectionis, quaſi juſſum, adhortatio ad offi- m, &c. oreretur ex poteſtate aliqua, cui conſcientia ſit obnoxia:* non etiam *tute quorundam promiſſorum* Eccleſiæ Anteceſſoribus datorum, cum in quam Eccleſiam inſcribi voluerunt. Quoniam nemo conſcientiam ſuam enus alteri poteſt ſubjicere, ut poſſit polliceri, ſe in hac vel illa opinione conſcientiam pertinente, ſemper *perſeveraturum:* & ad perſeverandum illa ſententia ſe obligare, licet aliter informatus priori ſententiæ nun- m remittendum cenſeret. Quare cenſeo neminem aut fidem, aut omiſſa Eccleſiæ data fallere, qui priori in Religione opinione reprobata, ietatem, cui ſe applicaverat, deſerit. Quapropter æque abſurdum eſſe itror, & cum fundamentis Reformationis noſtræ male conveniens, ali- os, qui eam ob cauſam Eccleſiis noſtris repudium mittunt, *excommuni- e*, per excommunicationem, quæ veræ pœnæ formam habet: ac cum em *fundamentis* pugnat, quemquam *excommunicare*, qui numquam ex tris fuit. Si enim in noſtra Eccleſia nulla ſit poteſtas, cui conſcientia ſit incta, ejuſcemodi poteſtati etiam nemo eſt devinctus. Verum hoc nobis Papiſmo adhæſit, & locum habet, ſi Eccleſiam ſtatuas auctoritate & po- ate præditam, ad præſcribendum, quid ſinguli in conſcientia credere tringantur: atque id eodem jure, eademque auctoritate ab omnibus gere.

Omnia autem hæc clarius apparebunt, ſi demonſtrem quo jure, & qui- fundamentis Religio Chriſtiana ſit conſtituta & in mundum invecta; riſtus, Apoſtoli, & Viri Apoſtolici prædicantes, & annunciantes ngelium, omnes eos pro Chriſtianis habebant, qui Euangelicam m aſſciſcebant. Quibus fidei capitibus aſſentiri & admittere cogeren- , quos inter fideles adſciſcebant & numerabant, mea quidem ſententia facile eſt determinatu. Apoſtolis etiam non ſuffeciſſe, homines ſim- iter ad Chriſtianiſmum traduxiſſe; verum eos in ſocietatem collegiſſe,

quæ ſecundum leges aliquas & canones regebatur: in qua quosdam fuiſſe ductores & rectores, & alios qui regebantur, libenter conceditur: S. Scriptura, & Eccleſiaſtica hiſtoria clare id atteſtantur. Verum, quod à paucis eſt animadverſum, poteſtas illa regendi, imperandi, & obedientiam injungendi, non ex Euangelii natura naſcebatur: nec eſt poteſtas, quæ per Euangelii doctrinam in mundum eſt deducta: ſed procedit ex reliquiis naturalis poteſtatis, quam humanum regimen privatis reliquerat: vel quam ſingulis licet ſibi arrogare, cum civiles Poteſtates Eccleſiam non curant, aut hoſtes ejus & perſecutores exiſtunt. Veluti liberi à parentibus abdicati, eo ipſo jus adipiſcuntur multa expediendi, & faciendi, quæ eis non liceret facere quando pater eorum curam in ſe ſuſcipit. Et hoc regimen Eccleſiaſticum etiam tantum pertinebat, ſaltem poſtquam viri errare neſcii in Eccleſia Dei deficiebant, ad res quaſdam corporales, ordinem, & diſciplinam: verum tamen inſtitutas & directas ad procurationem rerum ſpiritualium. Verum ſpiritualis ille ſcopus non ideo impedit, originem & formam illius regiminis, quatenus imperium in Eccleſia locum ſibi vindicat, civilia eſſe. Hoc enim apud omnes Reformatos certum eſt, nulli Eccleſiæ poteſtatem eſſe vel auctoritatem, ad conſcientiæ leges præſcribendas. Facile etiam concedo, primam formam regiminis Chriſtianæ Eccleſiæ ab initio plurimum unam eandemque fuiſſe; excogitatam ad formam gubernationis Synagogarum Judaicarum. Verum non puto, validis argumentis aliquem probaturum, partes eas Regiminis primitivæ Eccleſiæ, quæ neceſſarium cum Chriſtiani ſpirituali ſtatu nexum non habent, divina auctoritate, & tanquam legem etiam poſteris obſervandam, eſſe inſtitutas. Quemadmodum etiam partes quædam miniſterii in primæva Eccleſia reapſe ſunt exſtinctæ, & in deſuetudinem abiere: & credo Eccleſias Chriſtianas in eis libertate ſua gaudere: &, verbi gratia, ſingulis permiſſum, curare, ut Eccleſiæ aut per Epiſcopos, aut per Synodos & Claſſes, aut alio quovis modo adminiſtrentur. Quemadmodum eadem libertas viget circa omnium civilium Imperiorum formas. Quia gubernatio Eccleſiæ (quod ad formam attinet) etiam civilis eſt: & nulla Eccleſiaſtica adminiſtratio, qua conſcientiis leges feruntur, quæ eas obligent & adſtringant, per homines infallibiles poſſit dari. Etiam ideo exiſtimo partes iſtas Eccleſiaſtici imperii ceſſare debere, quæ in Chriſtianas Eccleſias idcirco venerunt & inſtitutæ ſunt, quod Poteſtates politicæ Eccleſiæ curam abdicarent, eamque perſequerentur.

Itaque omnia decreta & conſtitutiones alicujus Synodi, extra civilem ſtatum conſiderata, nihil aliud ſunt, quam ſimplex confeſſio fidei eorum, qui ibidem congregantur; omni jure, poteſtate, auctoritate deſtituta, ut aliis leges

es ſint, quæ conſcientias ligent. Civilia, vel civilem ſtatum appello omnia a, quæ homines in naturali ſuo aut politico ſtatu conſtituti, in Eccleſiam ad-ērunt: non autem quæ ab Eccleſia, aut ab Euangelio mutuantur; ſed jam nte, quatenus ſunt homines, poſſident: & propter quæ verum imperium oſſint erigere & formare: quod, ſicut in omni ſocietate requiritur, ſic etiam Eccleſia, quatenus ea ſocietas eſt, reperitur; & quod, quantum ad formam ujusdam ſocietatis pertinet, à ſocietatibus politicis non eſt ſejunctum: & leo eo ſenſu Eccleſiaſticum regimen appello civile imperium, quod ad for-nam, quamvis illud juxta Euangelicas Divinas leges ſit adminiſtrandum: ideo ſpirituale regimen poſſit nominari. Præter naturale hoc & politicum, mnia in Eccleſia ſunt ſpiritualia. Et apud eam, ea qualitate conſiderata, on eſt poteſtas ad ita imperandum, ut quis iſti mandato (ſi ita nominare pla-et) ulterius obſtringatur, quam quatenus ſe proprio judicio, quod putat in erbo Dei fundari, obligat. Ex quibus omnibus porro etiam ſequitur, Ec-eſiam, in Spirituali ſtatu conſideratam, neque judices, nec tribunal, neve os, neu accuſatores habere; & ideo nec veram ſpiritualem mandantem po-ſtatem aut imperium habere.

Sed hæc omnia planius apparebunt, quando penitius inſpiciemus, quo pa-o Chriſtianæ Eccleſiæ ſucceſſu temporis in orbe terrarum ſint conditæ. Po-o ſecundum veritatem, & noſtræ Religionis fundamenta, poſt Apoſtolo-m, & Apoſtolicorum exceſſum è vita, nullam *infallibilitatem* in ulla Eccle-remanſiſſe: nec peculiaribus quibusdam Eccleſiis, aut univerſali (ſi forte la exiſtat Eccleſia, quæ nomen id ſibi vindicet) aliquam poteſtatem an-exam, ut ulli privato, nedum Eccleſiæ, quid præſcribant, juxta quod fidem rigant: *& ob quam poteſtatem cenſendum & credendum, illud, quod ab Ec-ſia illa deciſum eſt, verum eſſe.* Sequitur ergo omnes Eccleſias æqualis po-ſtatis & auctoritatis fuiſſe. In excitandis novis Eccleſiis, aut Chriſtianis etibus nullam veniam aut præſcriptum humanum exſpectandum, ſecundum as regulas, aut quibus fundamentis Eccleſiæ illæ erigendæ forent. Verum eo ſolum juxta verbum Dei agendum: quia conſiderandum Eccleſiaſticas cietates primum ab hominibus liberis inſtitui, nullis ſingulorum, aut collegii cujus legibus adſtrictis, ſed qui ſuo & privato judicio certam ſibi Religio-m eligant, atque ita ante ſub nullius omnino poteſtate conſtituti ſint, ad jus leges ipſis vivendum. Et ſicuti nulla Eccleſia ſpeciali privilegio donata t, ut ex ejus præſcripto & mandato alia Eccleſia ædificaretur, nulli Eccle-*jus mittendi* Paſtores affixum eſſe poterat, aut jus illis ad id ſpeciatim au-ritatem præſtandi & *conſecrandi*. Veluti Eccleſiæ Hieroſolymitanæ ante olitum cultum Judaicum, arcte adeo adhærebat poteſtas Doctores illius re-

 ligio-

ligionis creandi, poteſtatem illis & auctoritatem dandi, ad partes Religionis iſtius adminiſtrandas. Ut porro, quidquid in Cultu illo Divino per alios fieret, qui ab Eccleſia illa non erant *miſſi*, *creati* & *conſecrati*, pro non vera adminiſtratione, & Religionis cultu haberetur.

Igitur ex præcedentibus neceſſario ſequitur, aut poteſtatem hujuſmodi in Eccleſia Chriſtiana nullam exiſtere, aut eam huic vel illi Eccleſiæ annexam eſſe, à qua *miſſio* illa, & per conſequens omnis *legitima adminiſtratio partium divini Cultus pendet*: illumque, qui ab aliquo, ſeu Eccleſia ſive privato, miſſus eſt, Religionem eam etiam adminiſtrare debere, ſecundum mandatum ſuum: ita ut tum denuo deveniendum ſit ad probationem *ſucceſſionis* à prima Chriſti Eccleſia uſque ad hodiernam: & ſimul confitendum, ab hac probatione ſummam hanc rem pendere, nimirum, quæ vera ſit Eccleſia, ubi Verbum Dei legitimè prædicetur, & Sacramenta adminiſtrentur, &c. Et tum omnia Papatus fundamenta vim priſtinam recipiunt. Sed quoniam iſta jure à Reformatis ſunt rejecta, eo decurrendum, ut, quemadmodum nulli Eccleſiæ poteſtas *miſſionis* & *creationis* & *conſecrationis* Doctorum ad adminiſtrationem quarundam partium Religionis ſub Novo Fœdere tributa eſt: ita ut omnes aliæ Eccleſiæ miſſionem & conſecrationem Paſtorum Divini Cultus ſub Novo Fœdere ab ea Eccleſia recipere debeant; quemadmodum inquam talis poteſtas miſſionis in particulari aliqua Eccleſia non ita extitit, ut illi affixa & propria eſſet, ita ſtatuendum revera talem miſſionem & conſecrationem ad miniſterium in Eccleſiis Novi Teſtamenti non exiſtere. Et omnia ea, quæ iis aſſimilantur, nihil aliud eſſe, quam inſtitutionem ordinis cujusdam, Chriſtiana prudentia excogitatam, quo miniſteria Religionis ſub Novo Fœdere, & à Deo inſtituta, certis quibusdam conferuntur. Singula Membra (viros nempe) & Eccleſias cunctas in ſe omnes qualitates, facultates, & jus habere, ad adminiſtrationes & officia illa exequenda, & ex ſuis, & in ſuis Societatibus, talia miniſteria ſtabilienda, & ea in Membra, per legitimam vocationem, transferenda: nec ab aliis, vel privatis, vel Eccleſiis, hac in re pendere. Ordo itaque, per Chriſtianam prudentiam repertus, non deſiderat, ut propterea ulla ſpiritualis poteſtas ſive auctoritas in Eccleſia vigeat; aut Spirituales, Sancti, ſeparati, & à Deo conſtituti fingantur, qui vi illius inſtitutionis, & Sanctitatis, quas ſolum à certis perſonis & Collegiis mutuari poſſis, qualitate forent præditi ad partes aliquas Religionis adminiſtrandum: & reliquos, qui ſingulari illa ſanctitate carent, nec prædicare, nec Sacramenta adminiſtrare poſſe. Sed Nos contra ſtatuimus univerſam Eccleſiam hoc tempore ſanctam eſſe: & quemcunque, quatenus ordo (*ſub quo legitima vocatio ſpecialiter numeranda venit*) & perſonæ dexteritas id permittunt, omnia Divini Cultus officia poſſe

ge-

gerere: & quamvis Eccleſiam poteſtate præditam, ad miniſteria illa alicui injungenda. Veluti cuilibet homini libero ſunt omnes qualitates ad officia politica in Repub. adminiſtranda: & quælibet libera Societas poteſtate & ure prædita eſt, ad Magiſtratus, qui à Deo ortum habent, in ſua Repub. inſtituendos & confirmandos.

Ut ergo Verbum Dei canon eſt noſtræ fidei, & eo perſpectum nobis, voluntatem Dei eſſe, ut quiſque Chriſtianus ſalutem proximi procuret: & cognitionem doctrinæ ſalutis ad illud requiri. Cuilibet ergo etiam Chriſtiano ncumbit, proximum docere eam, & inſtituere. Et quamdiu bono ordine nihil aliud foret conſtitutum, & *publicum prædicandi munus, quod etiam à Deo deſcendit*, non eſſet certis quibusdam perſonis ab Eccleſia demandatum, cuiis, qui aptum ſe credebat ad alios imbuendum, jus etiam competebat hoc faciendi. Et quemadmodum ex Verbo Dei patet, & Chriſtianæ doctrinæ naura exigit, ut Chriſtiani (ut cœtus ſuos haberent, ſe invicem ad pietatem excitarent, in Veritatis cognitione exercerentur) aliquanto propius, & velut num corpus congregarentur. Et etiam conſtet nullam poſſe dari ſocietatem ne ordine aliquo & gubernatione; inde ſequitur, ut, quibus in locis aliquot Chriſtiani degunt, ibi etiam apud eos forma quædam gubernationis conſtiuenda, & certus ordo introducendus ſit, qui tenderet ad acquiſitionem ſcopi finis jam memorati: & qui oritur, uti jam dictum, quod ad formam ſpeat, ex naturali hominum jure: & quæ locum haberet, & ſe extenderet ntum ad res, quæ ad naturalem ſeu civilem ſtatum hominum, id eſt, ordiem (ſive ille in Eccleſia, ſive in politia obtineat) pertinent: & quem ſtatum hriſtiana Religio in homine invenit, non autem illi confert. Spirituale enim Chriſtiano nulli imperio aut poteſtati humanæ obnoxium eſt. Conſcienenim leges humanæ non poſſunt præſcribi. Et quoniam omne imperium ram condendi leges poteſtatem complectitur. Et illud etiam pro confeſſo betur in Chriſtiana Eccleſia Regimen aliquod dari. Neceſſario ex his ergo quitur, illud imperium nomen & dignitatem imperii ſpiritualis non poſſe eri. Et non puto in S. Scriptura ultra præſcriptum illius ordinis aliud ges gubernationis, & quod in jure naturæ fundatum eſt, poſſe inveniri: quod idem in circumſtantiis & appendicibus variat, quatenus natura Chriſtianæ eligionis iſtud limitat. Verum omnes ordines, qui ex natura Chriſtianæ eligionis neceſſario non profluunt, & tamen in Dei Eccleſiam per Chrianam prudentiam ſunt introducti, aliis Eccleſiis non ſunt leges, quas imii cogimur. Et cenſeo porro Eccleſias in iis rebus tantam libertatem habecirca formam ſui Regiminis, ac politica imperia habent circa ſuas; illame eſſe optimam, quæ maximum nobis adfert commodum. Illosque ordines

nes idcirco non ex Divino aliquo, ſed ex naturali jure manare, & quod cuivis Chriſtiano competit, non quatenus eſt Chriſtianus, ſed quatenus eſt homo formatus & aptus natus ad ſocietatem: & quod majus minusve eſt, prout imperium, ſub quo Chriſtianus vitam tranſigit, jus ipſi concedit, laxius aut minus laxe eo utendi. Veluti filio jus naſcitur latius aut arctius uſurpandæ naturalis libertatis, pro parte & proportione paternæ curæ pro filio.

Non ulterior ſanctitas, jus, aut poteſtas, mea ſententia, in Eccleſiis Chriſtianis hæret. Ac, cum Deus nullius conſcientiam alterius judicio ſubjecit, cuicunque ergo etiam liberum eſt ſemet ejuſmodi cœtui dedere, in quo ſperat optime ſe ſalutem ſuam operaturum. Vice verſa Membris Eccleſiæ permiſſum, talem confeſſionem fidei componere, de qua inter ipſos convenit: & præterea Doctores ſibi eligere, qui juxta eam confeſſionem in docendo ſe gerent, & porro Sacramenta adminiſtraturi ſunt. Hoc omnino cum natura & origine officii prædicandi pugnat, ut aliquis in Eccleſia quadam Doctor creatus & conſtitutus, poteſtatem habeat contra eam confeſſionem auditores inſtituendi: ac ſi poteſtatem, auctoritatem, & mandatum à Deo haberet, ut tanquam Doctor, & in ea qualitate (quam quis per homines ſolum nanciſcitur,& per eosdem ad certam confeſſionem determinatur) cœtum ad quasvis doctrinas & opiniones ſuſcipiendas adhortaretur, quas Conſcientia ipſi dictabat cum Verbo Dei convenire. Hoc quidem officium eſt cujuſlibet Chriſtiani, ſi conſideretur ut homo liber: atque is illud facit tanquam privatus; & poteſtas, auctoritas, & mandatum illud faciendi, profluit ex teſtimonio ſuæ conſcientiæ, nimirum iſtud, quo alios imbuit, veritatem continere, ſuumque eſſe officium, proximo viam ſalutis demonſtare. Ita ut poteſtas ea cuivis ſit Chriſtiano; non autem Doctori, qua Doctor eſt Eccleſiæ, quæ confeſſionem habet. Sed in cœtu fidelium, cujus nulla exſtat confeſſio, ibi Paſtor liberatur quidem ab ea obligatione: verum is non idcirco alia poteſtate vel auctoritate, ſive alterius generis mandato præditus eſt, ac alii Doctores, qui à Concilio fidelium, ordinis gratia, ad prædicandi munus creantur.

Et quemadmodum ex ante dictis liquet ChriſtianasEccleſias oriri ex libero conſenſu & conjunctione multorum Fidelium. Et nullos Chriſtianos poteſtatem aliquam habere, jus, ſive auctoritatem imperandi alicui in rebus fidei, quid in conſcientia ei credendum ſit: eumque ut non obedientem, errantem, hæreticum, ſub ſententiæ ſpecie, & velut pro tribunali condemnandi, quod ad ſpiritualem ejus ſtatum ſpectat. Verum cuilibet Chriſtiano ad operandam ſuam ſalutem, jus competere ſe ab iis ſeparandi, quibuſcum nullam ſibi communionem fovendam arbitratur. Ergo ſatis ſuperque patet, univerſam Eccleſiam

cleſiam, quatenus eſt Eccleſia, *& in ſpirituali ſtatu (cujus ſtatus reſpectu poteſtas ferendi leges aut cogendi, locum non habet)* conſideratam non majori jure præditam eſſe, ac ſinguli Chriſtiani, antequam ſe cœtui alicui conjunxerunt: eamque Judice, Tribunali, & jure irrogandi pœnam carere. Verum omnia legitima Eccleſiarum acta in ejuſce naturæ rebus, circa peccatorem, aut graviter in quibusdam fidei capitibus errantem, tantum privatarum Societatum operationes eſſe, quæ conſiſtunt in evitatione & ſimplici declaratione, pro qua hæc perſona, aliquando etiam univerſa Societas ſit habenda. Et quando hæc diſceſſio & ſeparatio ob legitimas fit cauſas, bene ſe habet. Sin ecus, iſte peccatum & culpam illius feret, quia citra cauſam & neceſſitatem oncordiam fraternam turbat.

Quæ ad divortium & ſeparationem requirantur cauſæ, haud facile decidi poeſt. Et tamen res hæc recte debet concipi, ſi velimus nobis conſtare bonæ onſcientiæ fructus in Eccleſiis formandis: illis ab aliis ſeparandis & ſejunendis: & legitimis ſeceſſionis noſtræ à Papiſmo cauſis tuendis. Jactitant ontificii nos non poſſe effugere culpam Schiſmaticorum: eoque peccato oſtris Eccleſiis incumbente, illas non poſſe eſſe veras. Cum etiam fundaentalia fidei capita nequeamus enumerare, certo etiam nobis non poſſe onſtare, an in vera vivamus Eccleſia: multo minus, ut noſtrum divortium tot aliis Eccleſiaſticis cœtibus & *ſectis* ratione poſſimus defendere, quibusam nos conjungere recuſamus. Et ex illis concludunt porro, nos Reforationem noſtram, & ſeceſſum à Papatu, & perſeverantiam extra Papiſticæ ccleſiæ communionem non poſſe ut juſtam & æquam defendere: quia funmentalia fidei capita non valentes enumerare; nec in ſingulis erroribus rmam fundamentalis errati, & in quo conſiſtat illud, ſpeciatim indicare: s itaque etiam non poſſe eſſe certos, Papatum in fundamentis fidei errare. iam nunquam nos determinaſſe, quamdiu in Eccleſia, in fundamentalibus rante, perſeverandum ſit, antequam ei repudium mittamus. Quoniam haud otum eſt, non ante Eccleſiam hæreſeos damnandam, eamque relinquenm, ante quam obedientiæ frœnum mordeat, & præ malitia veritatem recire recuſet; atque ita à ſemetipſa ſit damnata. Porro diſputant, quoniam non nia in Romana Eccleſia definita fide explicita neceſſe eſt credere, verum ta ſolum capita, ea tamen lege, ut circa reliqua docilem te præbeas, ideo ſtimant nobis etiam minus cauſæ fuiſſe ad Eccleſiarum Matri vale-dicenn. Et quod ad tyrannidem, in qua nos, & jure quidem cauſæ noſtræ uitatem atque juſtitiam ponimus, regerunt, noſtram Eccleſiam longe maem exercere, quam Romana, quæ nullos niſi male morigeros animadver-

Nos autem illos eccleſia, & cœlo excludimus, qui nunquam ex noſtris

eo pacto fuerunt, ut per promiſſa, & fidem, aut aliquam poteſtatem, quæ penes noſtram Eccleſiam reſidet, eccleſiæ noſtræ obſtricti fuerint, aut eodem quo nos modo credere tenerentur. Porro dicunt, eos præſertim nullam cauſam ſui divortii poſſe allegare, qui tradunt, licere quidem ob magnam morum corruptelam in Eccleſia eum pro Membro illius retinere, quem cenſent nondum pœnitentia duci. Nam ut ajunt, ſi hoc in moribus locum obtineat; quare non æque in rebus fidei. Et ſi Eccleſiæ hoc licet facere ob ſingula Membra, quanto juſtius ut ſingula Membra illa prudentia circa Eccleſiam, & ejus Rectores utantur. Quare arbitrantur illam certitudinem, nempe nos veram eſſe Eccleſiam, & ejus dignum membrum, & omnium Eccleſiæ commodorum participes iſta re niti, quod illius ſimus Eccleſiæ, cui Deus omnia illa privilegia adjunxit, quæ Romana Eccleſia ſibi arrogat. Et ſchiſma & culpam non obedientiæ continere, ſi auctoritate illius Eccleſiæ nos exuamus. Et præter ea fundamenta nihil dari certi, ne ignoremus an verum iſtius eccleſiæ membrum ſimus. Hæ ſunt Pontificiorum objectiones. Nunc videndum nobis quomodo illa diluamus. Certum ſtatuo, difficillimum eſſe fundamentalia fidei capita recenſere. Quare non recte quidem generaliter hoc fundamento puto erigi eccleſias, & ſeparationes ab aliis inſtitui. Credo tamen, certam & claram explicitam notitiam rerum ſupra proxime memoratarum, & à Pontificiis allatarum, ad nos, ut putant, convincendos, quod non legitime noſmet ab eis ſegregaverimus, & novas eccleſias excitaverimus, neceſſariam eſſe, ſi de natura eccleſiæ recte velimus judicare. Et propterea multum nobis ſudandum, ut cauſam noſtram contra Pontificios probemus, ſi illa jura, poteſtatem & auctoritatem Reformatis Eccleſiis tribuas, quæ vulgares Doctores ipſis tribuunt. Verum arbitror inſuper, ſi naturam Eccleſiæ pro merito conſideres, omnes eas difficultates diſparituras.

Si ſtatuas propterea eccleſias nullas erigi, & ab aliis ſegregari, quia credimus illas, à quibus nos ſejungimus, in fundamentalibus errare: aut iſtos, cum quibus in una & eadem Eccleſia non uniti ſumus, à communione Dei, & Filii ejus excluſos. Nec eam eſſe cauſam, quod cum multis Eccleſiis communionem non colamus. Sed differentiam opinionum minoris momenti divortio illi juſtam poſſe dare cauſam. quia infirmitas hominum ejuſcemodi eſt, ut ſæpenumero ob res, quæ ad ſalutem nihil pertinent, non tranquille ſatis poſſint convivere: & idcirco multas factiones, turbas, & confuſiones fieri: ita ut animi, quod ſæpius convenire neceſſe ſit, ex ſententiarum diverſitate (quas quivis ſæpe, humana imbecillitate, & pravo judicio, exiſtimans majoris eſſe ponderis, quam revera ſint, animoſe nimis propugnat) exaſperentur. Ut judicetur, ad tranquillitatem, & ædificandas multorum

con-

onſcientias utilius eſſe, ſi ſeparentur: quam ſi per congregationem in unum orpus, & tractationem rerum communium, quotidie materia ad altercatio- em & animorum exacerbationem ſuggeratur. Quemadmodum hoc ſingu- s diebus circa alias ſocietates ſolet fieri.

Probe novi iſtos, qui per malitiam ad ſchiſma illud perveniunt, pœnam uam laturos. Non tamen ſatis capio, quare Chriſtiana prudentia non injun- at, ad auferendum ſcandalum infirmorum membrorum illius Societatis, quæ um alia propter leviores controverſias quam fundamentales convenere, ut ejungantur. Nec etiam puto omnibus ſegregationibus nomen ejus ſchiſ- atis imponendum eſſe, de quo Apoſtolo Paulo ad *Gal. Cap.* 5. & quod in- er opera carnis recenſet. Verum illorum factum inter opera carnis numera- , qui per malitiam ad ſchiſma ruunt, in eoque perſeverant. Diſſimiles au- em iſtos eſſe, qui ad quotidiana jurgia, & quæ inde ſequuntur, fugienda, ii alios ita vitant, ne tamen vinculum Chriſtianæ charitatis rumpatur.

Cenſeo etiam, magnum debere diſcrimen conſtitui inter diſſidia, quæ poſtolorum temporibus fiebant, & illa quæ noſtra poteſt memoria contin- ere. In primitiva Eccleſia major erat ſimplicitas, major virtus: & perſe- utiones & oppreſſiones in cauſa erant, quod Chriſtiani forent commodio- s & faciliores. Periculum etiam excidii Eccleſiæ, quod ex ſchiſmate orie- tur, majus erat. Quemadmodum etiam omnes ſejunctiones & ſeparationes eformatarum Eccleſiarum in Galliis vix ſine univerſa deſtructione Eccleſiæ oſſent fieri. Et ideo exiſtimo illos, qui auctores ſunt talium ſchiſmatum, qui malunt ut omnia peſſum eant, quam ut paululum concedant, horren- m peccatum committere. Sed longe aliter res ſe habet cum Eccleſiis, qua- m ſeparatio tranquillitatis cauſa fit, & ad meliorem eorum ſtatum, qui ſe- egantur, & ubi periculum diſſipationis & diſperſionis exiguum eſt. Ubi embrorum multitudo, multiplicatio quæſtionum & opinionum circa Re- ionem, minus periculum diſſipationis Eccleſiarum, & magnum commo- m tranquillius vivendi, divortium ſuadent, eo caſu diſceſſio & ſejunctio n ex carne oritur: non magis, quam ſi vitemus ejuſmodi perſonam, quæ rimum à noſtro ingenio diſſidet, & multo uſu ſui magnas occaſiones ad ntroverſias & rixas præbet, inter opera carnis meretur recenſeri: verum ntra Chriſtianum & prudens opus eſt. Sic arbitror diviſionem quorundam llegiorum, qui ob multitudinem eorum, qui ſunt in eis Collegiis, & pro- r ſenſuum & opinionum differentiam, acerrime inter ſemet digladiantur, n illicitam eſſe. Et tales ſeparationis cauſæ poſſunt etiam illam fratrum gregationem approbare; nec tamen eo vinculum charitatis divelli. Quem- nodum illæ Eccleſiæ, claſſes, ſive ſynodi non creduntur communionem

Sanctorum excludere, aut ſchiſma fovere, qui ſibi juſtas putant eſſe cauſas, ne aliis eccleſiis, claſſibus, vel Synodis ſe jungant. Quinimmo noſtrarum Eccleſiarum videtur eſſe doctrina, non licere, ut omnes Eccleſiæ totius Chriſtianiſmi ſe ſubjiciant uni Collegio ſeu Capiti, cum contra Papam diſputantes defendant illicitum eſſe, ut aliquis ſit univerſalis Eccleſiæ Epiſcopus. Non omne ſchiſma aut ſeparatio mala ſunt, ſed rationes & cauſæ quædam reddunt ea mala. Cenſeo, cum in Reformatis Eccleſiis liberæ noſtræ Belgicæ diſſidia & diſcordiæ inter Remonſtrantes & Contra-Remonſtrantes tam alte exarſerant, ut clare conſpiceres, animos illos irritatos non poſſe ſedari: & per congregationem utriuſque factionis in unam Eccleſiam, nihil aliud quam perpetuas lites, factiones, invidiam, & ſuſpiciones in Eccleſia poſſe dominari: illudque ſolum, nullo habito reſpectu, quouſque opiniones factionum extenderent ſe; & quam noxiæ aut pernicioſæ illæ forent, ſuffeciſſe, ut utrique parti ſeparatio & ſeceſſus perſuaderetur. Nec etiam hoc tempore ullum malum in ſeparatione illa viderem, dummodo ab acerbitatibus & contumeliis utrimque commiſſis temperatum foret. Neſcio etiam cujus foret uſus aut commodi factiones illas una Eccleſia includere, & malè convenientes fratres in unam ſocietatem cogere: quandiu antagoniſtæ invicem non benignius de adverſarii doctrina ſentiunt, nec animi pacati ſunt, & veterum malorum etiamnum meminerunt. Putamuſne eo majorem tranquillitatem & charitatem inter partes futuram? Aut an cenſemus concordiam Chriſtianam in eo conſiſtere, ut multi Chriſtiani quoad corpora colligantur; & interim jurgiis & litibus conflictentur? Acerbitas ſcribendi mutua noſtrorum Theologorum, & magnum partium ſtudium in Eccleſia clare oſtendunt, quod non ideo major flagret charitas, quia Membra unius ejuſdemque eccleſiæ ſumus. Quare etiam judico, ſcripta de mutua Chriſtianorum tolerantia, quæ fundantur in diſtinctione capitum, quæ neceſſaria ad ſalutem, & credenda ſunt; & inter ea, quæ non ſunt ejuſdem ponderis, non magni eſſe commodi: & rem nunquam ea via felicem habituram exitum. Nec hæc etiam in conſiderationem venire. Verum Chriſtianis ſpeciatim ſuperſtitionem illam per prædicationes evellendam, omnes errores in fide tanti facere. Et ſimul eos adhortari, ut omni moderatione erga proximum utantur.

Hæc cum ita ſint, clare videmus, omnes difficultates, ſupra commemoratas, evaneſcere, & non requiri, ut ante fundamentalia fidei capita enumerentur, antequam Eccleſia poſſit erigi, aut alteri Eccleſiæ multam ſalutem dicere. Non ſemper neceſſarium eſſe, ut non ante ab alia eccleſia nos ſeparemus, quam cenſeamus, eccleſiam in doctrina aut moribus euſque prolapſam, ut cum ea fraternitas, & arctum vinculum, quod inter Chriſtianos colitur

litur & obſervatur, ſervari nequeat: nec idcirco Sacramentum unitatis cum ea uſurpari poſſit. Ad legitimam ſeparationem per ſe, & extra nullas extraordinarias circumſtantias conſideratam, non multo plura requiri, quam exigitur, ut alter alterius familiaritatem & uſum fugiant, qui ingeniis & opinionibus diſſentiunt, & quibus propterea in ea vitæ conſuetudine multi caſus & occaſiones turbarum occurrunt. Porro deciſionem neceſſariorum & fundamentalium capitum non adeo eccleſiis deſiderandam, ut cauſas ſegregationis ſuper ea fundent, quam quidem Summis Poteſtatibus, ne ignorent, quas religiones in Imperio ſuo propter conſcientiam poſſint tolerare. Nam, ut ante dictum, fundamentalia capita in erigendis & ſeparandis Eccleſiis exiguum ſibi locum vindicant: verum caſus minoris momenti; & qui plerumque ante ex minoribus defectibus & vitiis exiſtunt, juſtas ſejunctionis & ſegregationis cauſas procreant. Et Eccleſias, quibus repudium mittimus, non idcirco damnamus, velut extra ſtatum gratiæ conſtitutas. Si eo accedat, quemadmodum multæ Reformatæ Eccleſiæ ſentiunt, excommunicationem, & à Cœna prohibitionem, non eſſe pœnam eccleſiaſticam: verum non magis aliquem à communione poſſe removeri, quam à ſocietate precum, & auſcultatione prædicationis Verbi Divini, omnia erunt tranſacta. Verum Magiſtratui ſemper iſte ſcrupulus remanet, quo pacto cogni turi ſint, qui errores in Religione tanti ſint, ut exercitium ejus propter conſcientiam non debeant permittere.

Natura ergo eccleſiæ ita explicata, ab una parte hinc ſequitur, nullis eccleſiis ſpeciatim poteſtatem ullam, aut auctoritatem prædicandi, aut mittendi competere, neque characterem aliquem ſanctum quibusdam perſonis imprimendi. Omnes Chriſtianos, qui in Eccleſias & Societates congregantur, ex ſe, & per ſe jus habere, creandi aliquos, qui Verbum Divinum doceant, & Sancta Sacramenta adminiſtrent. Omnes eccleſias natura ſua æquali poteſtate & dignitate eſſe. Alteram in alteram imperium non poſſe ſibi vindicare. Et idcirco omnes eas functiones & actiones, quæ aliis ex capitibus oriuntur, quæque ſupra rejecimus, vere in Eccleſia, qua Eccleſia, non exſtare. Et ideo æque nomina & ſpecies omnium illarum functionum, quæ in Eccleſia Romana cum omnibus ſuis eſſentialibus & formalibus partibus exercentur, vitanda eſſe, ac nomen ipſum.

Ab altera parte omnia Pontificiorum argumenta in fumum abire, quæ ex natura, proprietatibus, & juribus talis Eccleſiæ, qualem ſibi imaginantur, profluunt: & à quorum opinionibus aliquatenus nonnulli noſtrorum Reformatorum non videntur alieni: & ob quorum Doctorum ſententiam, omnia ea argumenta, quaſi communis Reformatarum Eccleſiarum doctrina eſſet, nobis objiciunt. Cum tamen is Eccleſiæ ſenſus Reformationi non adhæreat.

Non ſunt igitur illæ abſurditates, quæ Pontificii Doctores pro abſurditatibus nobis opponunt: nimirum; ſingulas eccleſias pro arbitrio ab aliis ſe poſſe ſeparare. Nos judicibus carere, qui legitime & cum auctoritate judicent de ſingulari Membro, aut Eccleſia, *circa res quæ fidem & conſcientiam ſpectant: ita ut eorum ſententia conſcientias noſtras liget.* Eccleſias iſtas, quæ ab aliis ſeparantur, utraſque hoc æquo jure facere: *quatenus altera alterius judicio non obligatur, nec ſit obnoxia, ut idem cum altera Eccleſia ſentiat: quanquam Dei reſpectu non fiat id pari æquitate.* Nos non habere conſpicuam Eccleſiam, quæ per ſigna viſibilia cognoſci poſſit, ad quam fideles ſe conferre debent. Eccleſias noſtras carere poteſtate, ut cum auctoritate, & judiciorum more controverſiæ ſopiantur. Nos nullas peculiariter conſecratas perſonas habere, quæ per alias ſpecialiter auctoritate ſint donandæ & conſecrandæ ad prædicandum, & Sacramenta adminiſtranda. Quare nobis ejuſmodi poteſtatem ad miſſionem & collationem non eſſe, ac ſacerdotibus ſuis adſcribunt. Nam objectiones hæ eouſque fundamentum habent, ejuſmodi jura, auctoritates, juriſdictiones, privilegia, &c. confitemur in Eccleſiis noſtris non reperiri: verum etiam ea cum natura Eccleſiæ ſubſiſtere nequeunt, & cum ſpirituali ejusdem & omnium Chriſtianorum ſtatu: nempe, ſi poteſtatem eam & auctoritatem ad res fidei & conſcientiarum velis extendere, *ut conſcientia hominum iſti poteſtati obnoxia ſit*, quemadmodum in Papiſmo fieri amat. Alias autem penes omnes eccleſias vis eſt judicandi, mittendi, caſtigandi, remunerandi, controverſias componendi, &c. Verum ea ad conſcientias non pertinet, nec locum habet in rebus fidei, quatenus illæ nulli humanæ auctoritati ſubjectæ ſunt: verum extendit ſe ad res, de quibus pacta & contractus fieri poſſunt rerum ordinem ſpectantium, & quæ corporales ſunt. Quare non ita generaliter dici poteſt (quemadmodum Doctores in Papatu hoc indefinite faciunt, aliter de diſciplina noſtræ Eccleſiæ judicantes, quam neceſſe eſt, & quam è Doctrina noſtra neceſſario ſequitur) ex his poſitionibus nihil aliud, quam meram confuſionem naſci: & nihil inde præter ſchiſmata & multiplicationes diviſarum Eccleſiarum poſſe oriri: & ſi aliquis per eccleſiaſticos quoſdam agendi modos ſe putet onerari, ſtatim ſe ad aliam Eccleſiam conferet, aut ipſemet novam excitabit: & arbitrabitur ſe illud non ſolum bona conſcientia poſſe, verum etiam debere facere. Eumque, qui excommunicatur, tantundem juris ad Eccleſiam excommunicandam habere, ac Eccleſia in ipſum habet: & Deum tantum judicaturum, quis juſtiores habuerit cauſas ad divortium faciendum. Verum nullum judicium ſingularium perſonarum aut Societatum nos obligare ad permanendum in illa Eccleſia; ob cujus lapſum in doctrina & moribus judicamus nos in eadem non poſſe perſeverare. Aſſero ergo

res

res iſtas, quas Pontificii abſurdas judicant, & ſibi invicem contrarias, tales non eſſe cenſendas, neque habendas: & quivis hoc facile capiet, dummodo diſcrimen fiat inter illud, quod Chriſtiana facit Eccleſia; ſimpliciter pro Eccleſia conſiderata, & id quod fit vi alicujus fœderis, & mutuorum promiſſorum Membrorum, quæ naturali ſuo jure poteſtatem habent de rebus quibusdam contrahendi & tractandi. Sed nulla de ſpiritualibus tractatio vim obtinet: quia conſcientiam meam nulli humanæ auctoritati ſubjicere queo: & Deus nullum conſcientiis judicem conſtituit. Sed poſſeſſio cujuſdam juris naturalis & libertatis, quam naturalem libertatem Chriſtiana Religio in homine reperit, concedit, ut in Eccleſia contractus aliqui, promiſſiones, & ſubjectiones habeant locum: quare Eccleſiarum Rectores, judices, & pœnæ eccleſiaſticæ poſſunt conſiſtere. Nam Chriſtiani, qua homines conſiderati, quiddam poſſident, de quo adjungendo ſe Eccleſiæ, contrahere poſſunt, & cum Rectoribus & ſingulis illius Eccleſiæ Membris contractum aliquem inire; quo ſemet obſtringunt, ſe aliquid facturos, omiſſuros, aut paſſuros ut fiat, ſi pareant aut tranſgrediantur leges Societatis. Sed ſicuti fundamentum horum omnium naturale & corporale jus eſt: ita etiam omnes iſtæ Eccleſiaſtici Regiminis partes corporalia ſpectant; quæ tamen ad ſpiritualem finem diriguntur.

Sic privatus aut Eccleſia ſubmittit ſe judicio Eccleſiæ, Claſſis, aut Synodi: & promittit ſe earum judicio ejus Societatis Membrum, aut Doctorem, aut etiam Rectorem permanſurum, aut ab illis ſe relictum & abſciſſum iri. Et cunctorum eſt officium, qui obligationem iſtam contraxerunt, ſententiæ Rectorum & Judicum Eccleſiaſticorum eo uſque parere, ut juſſa exequantur; aut ut eatenus patienter ferant, quod ab Eccleſia, cui ſubſunt, tanquam non parentes, & contra eccleſiaſticas leges peccantes, abſcindantur. Verum, ut quivis facile percipit, hoc neque conſcientiam, nec ſpiritualia ſpectat, quatenus nemo tenetur judicium Ductorum Eccleſiæ pro lege, cui conſcientia ſit alliganda, agnoſcere. Ita ut excommunicatio, verbi gratia, quatenus in Eccleſia, qua Eccleſia, viget, nihil ſit aliud, quam Eccleſiæ declaratio, pro quo excommunicatum Membrum ducat. Verum illius intuitu, quod per fœdus eo accedit, illa declaratio formale & authenticum judicium ſeu ſententiam continet. Et ſimile fere eſt, ac ſi civis ex collegio, propter prævaricationem conſtitutionum Collegii, & cujus tranſgreſſionis culpam agnoſcere, aut emendare nollet, ejiceretur. Et qui putat ſe ſalva conſcientia non poſſe ea facere, ad quæ Eccleſiaſtici judices adigunt eum, is dedecus illud excommunicationis perferre debet. Sed pariter jus habet ad aliam Societatem ſe conferendi, dummodo ſint: aut ipſemet aliam erigendi, quatenus

nus vis armata Principis externum ejus conatum ad formandam Eccleſiam ſit, ipſum non impedit. Et his in rebus ipſius conſcientia nulli Eccleſiæ aut Magiſtratuum judicio devincta eſt. Et iſto ſenſu, & circa ſpiritualia illa quivis Chriſtianus dicere poteſt, ſe nulli hominum judicio ſubjectum. Sed ſolam Dei voluntatem, in Verbo ſuo patefactam, ſibi regulam eſſe, & ſecundum quam die Noviſſimo judicandus erit. Et eatenus verum, penes Eccleſias (ſicuti earum naturam conſideramus, & omnes Reformati, juxta Reformationis ſuæ fundamenta, illud tenentur confiteri) nullam omnino poteſtatem reſidere, ad ſchiſmata, & multitudinem ſeparatarum Eccleſiarum impedienda. Nam qui ſe aliter in conſcientia per Verbum Dei imbutum arbitratur, is certe non tenetur decretis Præpoſitorum Eccleſiæ in rebus fidei (aliud enim obtinet, ſi ſermo ſit de rebus ordinis) acquieſcere. Atque ita nemo ob edicta illa ad iſtam Eccleſiam, quæ tales conſtitutiones fecit, ſe applicare cogitur: & ſic hoc modo ſchiſma non poteſt tolli.

Et abſurdum ſæpius nobis viſum quod multi Anteceſſores & Rectores Eccleſiarum gratiam & defenſionem Principis tam parum curent: & de eccleſiaſtica ſua poteſtate & diſciplina non aliter loquantur, ac ſi eis ſolis, ſine poteſtate civili, Membra ſua & Eccleſias à ſchiſmatibus, ſcandalis, contemptu, &c. poſſent tutari. Cum revera Claſſes & Synodi in hiſce regionibus ne minimum quidem Membrum, aut Paſtorem, aut Synedrium Eccleſiaſticum in pagis ad Officium poſſint cogere eccleſiaſticis ſuis cenſuris & pœnis; ſi Doctori pagano cum Grege ſuo conveniret, & Eccleſia ejus cenſeret, Synodos & Claſſes contra ſuum Paſtorem aut Ovem in eccleſiaſtica cenſura & pœna perperam proceſſiſſe. Adhæc univerſum Regimen Eccleſiaſticum, ut ſupra demonſtratum, ex reliquiis tantum naturalis cujuſdam libertatis oritur: quia Imperium ex naturali hominum jure originem ducit, qui, in cœtum unum coëuntes, ex natura omnium Societatum, ſine Gubernatione aliqua non poſſunt ſubſiſtere. Sed leges, juxta quas cœtus fidelium regendus eſt, ingenium & naturam ſuam mutuantur à Spirituali Eccleſiæ ſtatu, & idcirco ſunt ſpirituales. Et propterea Magiſtratus civibus ſuis eam libertatem, quam jam diximus manare à jure naturali, non potuiſſet concedere, ſi cenſuiſſet, commodum ſuum id exigere: quam libertatem etiam nullæ eccleſiæ ſumere ſibi queunt, ſi Princeps eam curam pro Eccleſia gerat, & omnia largiatur, quæcunque per illud Eccleſiaſticum Regimen, cum ab Eccleſiaſticis adminiſtratur, ſperant ſe poſſe nanciſci. Ut puero à Patre ſuſcepto, & omnis paterni amoris & curæ erga ipſum participi, patriæ auctoritati non licet ſe eximere, & propria curare: quemadmodum illi liberum eſt, ſi pater eum abdicat. Ita ut conſtet publicum & externum jus Eccleſi-

cleſiarum in hiſce regionibus è Magiſtratibus oriri; quatenus ſinguli in civitate, jus & libertatem ſuam naturalem maximam partem Magiſtratuum potentia complectitur: ſicut etiam vigoroſa executio illius juris ab ipſis pendet. Et idcirco Eccleſiaſticorum eſſe inſcitiam, favorem Magiſtratuum, quo fruuntur, tam in jurium poſſeſſione, quam in uſu & exercitio eorum, tam parvi ducere. Et Imperium illud Eccleſiaſticum natura ſua tam infirmum eſt, atque infirmius etiam in hiſce terris, quod hic diverſæ Sectæ & Eccleſiaſticæ Societates tolerentur. Nec magno hic dedecori aut damno ſit extra publicam Eccleſiam vivere. Et ſi ab hac ejiciare, ad illam patebit tibi aditus: quinimmo novos cœtus inſtituere tibi licebit, connivente Magiſtratu. Et condemnatio & excommunicatio totarum Eccleſiarum, & infinitorum Membrorum, quæ poſtea pro non inhoneſtioribus civibus habentur, videntur omni eccleſiaſticæ pœnæ contumeliam & dedecus abſtuliſſe. Quanti ergo omnium Defenſorum Eccleſiaſticarum harum legum intereſt, decreta, edicta, ſententias Eccleſiarum, Claſſium & Synodorum obſervare & magni facere. Nihil perpetrare, aut permittere, quantum in ſe eſt, quo fiat, ut ſingula Membra vel Doctores, aut etiam inferiora Eccleſiaſtica Collegia, vituperent, oppugnent, pro injuſtis & iniquis illa traducant, quæ in Supremis Tribunalibus Eccleſiaſticis deciſa ſunt. Cum enim aliter fit, reverentia eo corruat neceſſe eſt, quæ illis cœtibus, & ipſorum decretis defertur. Et quidam Politici, quibus immoderatus Eccleſiaſtici juris uſus aliquantum diſplicet, optime norunt hoc in commodum ſuum vertere, & eccleſiaſtica decreta eludere, iſtis patrocinium denegando, hoc colore, quod Theologi diſſentiant, atque ita ipſos condemnatos in Eccleſia protegunt, aut concedunt eis ſeparatos habere cœtus. Et arbitror ſententias aut deciſiones Collegiorum Eccleſiaſticorum propterea etiam in contemptum cadere, quod ſæpenumero de rebus frivolis ſententias ſuas, quibus in Eccleſiis ſuis obtemperari volunt, proferant: ut ita fratri illi, cui male volunt, ſtigma aliquod inurant. Vel quod ſpeciales Eccleſiæ & Claſſes plerumque ob eaſdem cauſas, quas ſupra enumeravimus, controverſias aliquas definiant, antequam iſta detulerint ad deciſionem ſuperiorum Collegiorum. Quo ſæpe fit, ut hæc Eccleſia & Claſſis adverſus illam quid decidat; & in ſententiis ſuis & diſciplina Eccleſiaſtica circa capita ea diſſentiant. Et ideo praxis Eccleſiæ Gallicanæ in patria noſtra magna laude digna eſt, qua ſpeciali Eccleſiæ non licet quippiam definire, quod magni eſt momenti, & qui caſus etiam in aliis eccleſiis accidere poteſt. Verum hac de re judicium Synodi ante requiritur.

Semper ab eo abhorrui, quod libertas hominum in exercenda Religione

ſua multum imminuatur. Et judicia & ſententiæ Eccleſiarum ſæpius mihi ſunt ſuſpecta, quod neceſſarias formulas non obſervent, quas ab omni ævo ipſi Chriſtiani Principes & Judices cenſuerunt à legitimo procedendi modo non poſſe abeſſe: & quæ præcipue in omnibus Tribunalibus, qua Eccleſiaſticis, qua ſecularibus, locum habere debent: quanquam aliquot litigioſi ſæpius eo abutantur. Et puto propterea, præcipuum Chriſtiani Magiſtratus eſſe officium, haud facile, antequam ipſemet rem probe cognoverit & examinaverit, eccleſiaſtica decreta, quæ alicujus ſunt ponderis, executioni mandare. Verum etiam quando conſtaret de juſtitia modi procedendi ab Eccleſia; & res, de qua judicatum erat, non tam doctrinam fidei ſpectaret, quam alia quædam delicta & turbas: exiſtimarem Magiſtratus non tantum non debere tolerare ea in Eccleſia Publica, quæ Synedrium Eccleſiaſticum damnaſſet, & cenſuiſſet in Eccleſia non perferenda: verum non facile eis concederem ſeparatos cœtus inſtituere, ut eo omnes leves & injuſtæ ſegregationes vitarentur; & ut hujuſcemodi homines damnum & infamiam ſubirent, quæ juſtum eſt ut his adhæreant, qui à legitimo Collegio condemnati ſunt de culpa non obedientium.

Ab his omnes illos excerno, qui in ſimplicitate ſua, & propter conſcientiam, ſententiam mutantes, confeſſionem Eccleſiæ, in qua vixerunt, approbare gravantur: & idcirco petunt, vel ut tolerentur, vel ut Deum colere ſibi liceat in ſejunctis cœtibus: & qui hoc modo exuunt promiſſa Eccleſiæ præſtita. Hoc cuique liberum, & hac in re nemo peccat contra eccleſiaſticos canones; nec culpam non obedientis incurrit, nec ob id pœnæ alicui aut excommunicationi ſubeſt: quod nemo ultra placitum Membrum Eccleſiæ manere cogatur. Cum nemo conſcientiam, cui ſolus imperat Deus, & quam ſibi Deus ut propriam vindicat, nulli ſingulari homini aut Collegio poſſit ſubjicere. Talibus omnis moderatio & facilitas exhibenda eſt. Sed hæc ſcopum noſtrum excedunt.

Reformatis igitur Eccleſiis nulla prorſus poteſtas competit fidei controverſias decretis terminandi, quæ conſcientias vinciant. Et omnia earum edicta & judicata, reſpectu vinculi conſcientiarum, ſolummodo ſunt declarationes illorum, qui in conciliis præſto ſunt. Sed quod ad ſæcularia, & fœdus Membrorum & Ductorum attinet, qui inter ſeſe de rebus quibusdam corporalibus, quanquam ad ſpiritualem ſcopum collineantibus, contractus & conventiones fecerunt, judicialis poteſtas eſt penes ea collegia, pœnæ & remunerationi in rebus illis, ſuper quibus conventio potuit iniri, locus eſt: nec idcirco ſpiritualia, nec conſcientiam ſpectat, ad eam obſtringendam: quoniam ea non cadit in conventionem. Et cuivis in illa jura intacta ſervan-

vantur: & ſpiritualium intuitu neque Principem, nec Judices agnoſcit: & propterea neque pœnæ ſubjecta eſt, vel remunerationem exſpectat ab ullo homine vel Collegio. Nam obedientem, vel male morigerum ſe præbere legibus, & ex quibus remunerationes & pœnæ profluunt, quæ directè ad ſpiritualem hominis ſtatum atque conditionem pertinent, hic nullum locum obtinent. Quia homines nullas conſcientiis leges poſſunt præſcribere.

Quare affirmamus, Eccleſiæ nullam poteſtatem aut jus competere, ut cum auctoritate aliqua, cum qua conjuncta eſt vis obligationis, qualis penes principem aut judices eſt, ulli quid proponat, juxta quod conſcientia ipſi dirigenda, aut quæ credenda ſint. Nullam excommunicationem agnoſcimus cum auctoritate conjunctam, quæque velut per judices fit, & ſecundum quam quiſque in conſcientia judicare tenetur de ſtatu ſuo ſpirituali: nullas, niſi Doctrinæ, claves: nullam auctoritatem in docendo: nullum *Mandatum*: nullos Apoſtolos & Legatos à Deo poſt mortem Apoſtolorum aut Apoſtolicorum virorum, & Euangeliſtarum cum præcepto aliquo miſſos, ob quod huic, vi hujuſmodi mandati, quam alteri, majorem fidem adhibere teneamur. Ut hoc pacto per mandatum illud ſingulari homini aut collegio ita obnoxii fiamus: ut de recipiendis illis præcepta ſeu leges habeamus, quæ fidei noſtræ ſint canones. Sed probamus quidem ordinem, quo ad confuſionem vitandam, non cuicunque licet, Præconem Verbi Divini agere: quemadmodum certa & ab hominibus profecta lege fit, ut certi quidam regant, alii autem regantur. Nec ideo tamen Magiſtratus officium definit inſtitutio eſſe Divina: idem etiam cenſemus de munere prædicandi. Ac par nobis judicium de Sanctorum Sacramentorum adminiſtratione: nimirum, ad celebrationem iſtorum nullas conſecratas perſonas deſiderari: quales ſub V. Teſtamento Levitæ & Sacerdotes exiſtebant: ſed hoc tempore omnes Chriſtiani ad id qualitate præditi ſunt: quemadmodum omnes cives ad imperandum. Quamvis certi, ordinis gratia, ad illud ſint eligendi. Sed hæc omnia rectè ſeparari & diſtingui debent à poteſtate Eccleſiaſticarum Societatum, ex naturali & corporali jure deſcendenti; & cui Gubernatio Eccleſiæ innixa eſt: quæque mutuis promiſſis & contractibus conſtat: quas mutuas obligationes, & ordinem Eccleſiaſticum, inde promanantem, nemini licet infringere, nec quippiam contra ea facere; nec illa rejicere: ſed permittere, ut poteſtas illa adverſus ipſum uſurpetur: & fateri Eccleſiæ, cujus Membrum exiſtit, & cujus conſtitutionibus aſſenſum præbuit, jus illud in ipſum eſſe. Non itaque verum hoc, non adſtringi aliquem deciſionibus & ſententiis Eccleſiæ, ſi credamus eas Verbo Dei non eſſe congruas, nec ſanæ rationi. Non aliter nos gerentes & loquentes, ac ſi nunquam Membrum Eccle-

cleſiæ, Claſſis, aut Synodi fuiſſemus: & quaſi controverteretur quid in conſcientia faciendum, aut omittendum; & quid pro bono vel malo judicandum foret: quod Synodus aut Claſſis, cui ſubſumus, pronunciavit. Non autem, ſi contra ordinem, leges & canones Eccleſiæ peccaverimus, & ab eorum Judicibus condemnati ſimus: & quos pro noſtris judicibus admiſimus, cum Eccleſiæ adſcribebamur, & illius ordini ſubſcribebamus: oportet itaque in tali caſu & eatenus judices ſuos pro legitimis agnoſcere: & hactenus culpam confiteri, pœnamque ſubire. Multo minus factum illud iſtis convenit, qui alios coram eodem Collegio accuſant & deferunt; & ejus ſententiam expetunt contra illos, quos inſimulant; ſi autem ſuccumbant, infinitas confuſiones in Eccleſia Dei concitant, ut dedecus & damnum fugiant, quod ex Eccleſia ſint ejecti: & à competentibus judicibus in rebus, in quibus ipſos pro ſuis judicibus agnoverunt, & quorum judicio, modo prædicto ſubjicere ſe poterant, damnari; & ejus facti culpam confiteri, ſi velint reſtitui.

Plura hac de re non diſputabimus, nec latius per omnia ſingularia exſpatiabimur, quæ ex his fundamentis profluunt, & quatenus objectiones quædam Pontificiis poſſint concedi, & quomodo vice verſa reliquæ bonis argumentis poſſint refutari. Sapientibus puto ſatis eſſe dictum: quorum tacitis cogitationibus hoc relinquo; confiſus ipſorum cognitione & induſtria.

TRACTA-

TRACTATUS
DE
IDOLOLATRIA
ET
SUPERSTITIONE.

Introductio.

NAturale homini & innatum eſt, ut ſcientiæ ſuæ incremento delectetur, & præſertim in rebus obſcuris & reconditis inveniendis. Ratio hujuſce rei eſt, quod ſcientia boni quid ſit; & hominem idcirco ad majorem ducat perfectionem: unde diſcendi cupiditas in omnibus hominibus exiſtit. Neceſſarium tamen ſtudium hoc ratione, & Verbo Dei regi. Vita hominum eſt brevis, corruptum noſtrum judicium, idque præterea tenue & exile; occupationes in rebus frivolis, & impedimenta multiplicia: & tamen illa, ad quæ nati ſumus, quæque facienda nobis, maxima ſunt: tamen unicum tantum eſſe Scriptura declarat. *Unum eſt neceſſarium*: *fides per charitatem operans*. Ad *unum* hoc requiritur, ut ingenium recte ſit imbutum eis, quæ noſtri ſunt officii: utque recta, ſolida, & inconcuſſa judicia formare diſcamus: quo fit, ut *voluntas* conſtanter bonis adhæreat. Cum neceſſarium hoc curabimus, nec tempus, neque vires animi nobis ſuperant, ad curioſis ſcientiis aliquid inde impertiendum. Quanquam hoc fateor, paucas dari ſcientias, quantumvis etiam curioſæ habeantur, in quibus homo *unum* illud *neceſſarium* non aliquatenus poſſit aſſequi: nimirum, cum ſcientiam ſuam refert & adhibet, ad Deum ſuum in ea colendum, eique ſerviendum. Nulla enim exiſtit ſcientia, natura ſua bona, cujus Chriſtianus non poſſit eſſe uſus. Sicuti contra nulla eſt ars vel ſcientia, quantumcunque divina ſit illa, quin per malam opinionem, & paſſionem ejus, qui utitur illa, in ipſius verti perniciem poſſit. Cum autem horum omnium ea ſit ratio, tamen datur electio, cui potiſſimum rei ingenium & tempus impendamus: quia rerum proprietates tales ſunt, ut una ingenio ſuo & natura aptior ſit ad plus boni producendum altera. Diſquiſitio & explicatio omnium partium veri Cultus Divini ſine dubio opus eſt utiliſſimum. Et cum certum ſit, omnem ſpeciem religionis Deo non placere, non magis, quam obnoxius ſubjecti animus Regi placere poteſt, qui ſtoliditate ſeu malitia abreptus, alterum pro Rege agnoſcit; aut ſtultis & inutilibus obſequiis præter, imo contra Regis mandata, illi ſervit. Ita etiam refert, ne ignoremus, quem pro Deo noſtro recognoſcamus: & quo pacto eum colamus, ut illi placeamus. Verum quemadmo

modum eo non omnino in perſona erramus, quamvis res quædam nobis, quæ ipſi adhærent, ſint ignotæ: nec ideo civis officium Regi diſplicet, nec propterea gratia ſubjectus excidit, quod non examuſſim in omnibus ſenſus præceptorum ejus ſit perceptus. Sic ſimiliter non ideo Idolum pro vero Deo colimus, licet res quædam, quæ Dei perſonam ſpectant, nos fugiant: vel quanquam honor aliquis creaturis quibuſdam tribuatur, qui non convenit ipſis: ſeu licet Religionem nonnullam uſurpemus præter & contra divinam voluntatem. Et idcirco, quemadmodum non omnis Dei & Religionis cognitio æque magni uſus & neceſſitatis eſt: ita etiam opera & labor, quæ adhibentur ad probationem & explanationem quarumdam partium Religionis, non parem laudem merentur. Verum is plurimi ducendus eſt, qui nos maxime neceſſarium docet. Ab omni ævo multum diſputatum eſt de neceſſariis fidei capitibus: & quivis ad probationem, hoc vel illud dogma ad ſalutem requiri, varias rationes & Scripturæ loca allegavit, quæ non omnibus, ut fieri amat, æque ſolida viſa ſunt. Quare etiam de iſtorum capitum numero nunquam convenit. Et ordine & methodo conſideratis, quæ in rei illius inveſtigatione ſervantur, puto, non omnes unquam ad concordiam perventuros: imo ne illos quidem, qui unius & ejuſdem eccleſiæ & confeſſionis ſunt. Et cenſeo, ſalvo meliori judicio, longe aliam ingrediendam viam, quam hactenus trita eſt, ſi res felicem habitura ſit ſucceſſum. Hoc tamen verum, Reformatos aut Pontificios nunquam putaſſe errorem illum, qui facit ut aliquid colamus, quod revera non eſt Deus, non magnum eſſe peccatum. Et formalem idololatriam non eſſe fundamentalem errorem: & qui nos propterea æterna beatitudine privet. Verum diſcrimen inter Reformatos & Pontificios hac in re conſiſtit, an in Papatu formalis Idololatria committatur. Controverſia (ut quivis judicare poteſt) ex difficillimis, quæ umquam poſſunt oriri: nam æterna Papiſtarum ſalus ab ea pendet, ſi enim idololatriæ rei ſunt actum eſt de eorum ſalute. Si vero nos erremus, judicio noſtro ſumma eos afficimus injuria: & unum ex præcipuis fundamentis corruit, ob quæ judicamus, nos legitime, imo neceſſario, noſmet ab ipſis ſeparaſſe. Cauſæ hujus dignitas in me cupidinem excitavit, ut tandem clare hac de re ſententiam ferrem: & ut ſcirem, pro quibus ego, atque etiam alter (in cujus commodum tractatum hunc in lucem edo) Pontificios haberemus, & quæ ipſis cavenda. Ita ut, licet tractatui huic nomen ſit de Idololatria in genere: tamen in eo ſermo fit in ſpecie de iſtis partibus Religionis Papiſticæ, propter quos à Reformatis accuſantur immanis Idolomaniæ & Superſtitionis. Multi utrimque de re iſta ad accuſationem & defenſionem libri conſcripti ſunt, ut facile quis ſit cogitaturus laborem hunc fruſtra à nobis eſſe ſuſceptum. Optarem equidem tanta cum efficacia & ſoliditate, quam quidem verborum & librorum copia, materiam eam eſſe tractatam, ut rationibus & argumentis, ab auctoribus ſuppeditatis, potuiſſem acquieſcere, ad cum evidentia & claritate de Idololatria iſta judicandum; & nunquam libuiſſet mihi laborem ſuſcipere, ad rem hanc ad ſummam recte tractatam, ordinis aut gloriolæ cauſa denuo in medium producere, atque ita nullo cum fructu bonas meas horas perdere. Sed varios auctores, eoſque optimæ notæ, hac de quæſtione evolventi, nihil reperi, quod me ad interiorem illam & perſpicuam notitiam duceret, quam omnes, & præcipue in rebus tanti momenti, debemus affectare. Quia antehac in omnibus quæſtionibus pertractandis, exceptis Mathematicis, argumenta demonſtrativa non ſunt adhibita, ſed quod judicatum ſit, illa ſolum in Matheſi debere ſibi locum vindicare: plu-

plurimum ad cauſam ſuam adſtruendam & confirmandam veriſimilia argumenta ſunt allata. Et quia hic uſus invaluit, omnibus ſatisfactum hiſce: eumque putabant victoriam reportaſſe, qui ultimo reſpondebat. Hoc ævo cum aliis aſſuevimus, & ſolidius quid quærimus, & ſpecie non amplius fallimur, multorum ſcripta non æque placent, & difficultates curioſis veritatis indagatoribus non ita auferuntur, & ideo nimium materiæ relictum, quod plenius & planius elaborandum & excutiendum eſt, antequam perfectum judicabitur. An nos autem aliquid hoc in tractatu produxerimus, quod lectoris tempore dignum ſit; ipſimet de eo judicandum. Mihi operæ & laboris pretium viſum fuit, & gratias ago ob fructus inde perceptos: quia jam majori lumine inſtructus multas quæſtiones, ad hanc materiam pertinentes, intueor.

PARS PRIMA.

De cultu Veri Dei.

UT plene intelligatur, quid ſit Idololatria, ante cognoſcendum, quis ſit Veri Dei *cultus*. Non, inquam, ſciendum eſt, quæ ſit *vera Religio*. Verus enim Deus *coli* poteſt, nec tamen *vera Religio* haberi. Qui credit nos juſtificari propriis bonis operibus; & qui eo intuitu copiam illorum ſibi comparat, iſte non recte Deum colit. Tamen error is non impedit, quo minus idcirco vero Deo adhæreat. Nunquam Sanctus Apoſtolus Judæos accuſat, quod ideo verum Deum non adorarent, aut quod Deum negarent, quia zelum haberent, qui non erat ſecundum *ſcientiam*: licet errorem illorum capitalem & animas perdentem cenſeret, *Rom.* 10. 11. Itaque hic ſolum illi errores in conſiderationem veniunt, quibus illud de Deo ignoramus, nec credimus, quo Ipſe *inprimis poteſt cognoſci*: aut quo id Deo eripimus, quod à Deo ſeparatum, *eſſentiam* Dei, quatenus ſe *manifeſtavit*, *immutat*, ita ut eodem Deo, eademque perſona in poſterum careamus.

Verum quidem, Dei *eſſentiam* & *naturam* à cognitione & fide noſtra non dependere.

Quid de Eo credamus, pro quo Illum habeamus, & quem, qualemque iſtum Deum putemus, nullam mutationem in Deo neque in bonum nec in malum adfert. Semper idem immutabiliter manet. Veluti ne quidem creaturarum natura pro opinionum diverſitate, quas homines de creaturis habent, ullam varietatem recipit. Licet hic Philoſophus credat cœlos ſolidæ, ille autem eos fluidæ eſſe ſubſtantiæ, tamen cœlorum quemadmodum & omnium aliarum rerum *una* tantum eſt *natura*. Quamvis, inquam, hæc ita ſint, nihilominus veritas noſtræ ſcientiæ dependet à natura rei, quam nos cognoſcere affirmamus. Qui ſe naturam *auri* noviſſe aſſerit, *iſtas* auri *proprietates* non ignorare debet, quæ omnibus nationibus ante oculos verſantur; & de quibus cogitant, cum quælibet lingua ſua vernacula exprimit, quod noſtra lingua *aurum* vocamus. Qui ſe *Petrum* vel *Paulum* noviſſe dicit, de *Petro* ſeu *Paulo res* quaſdam *ſpeciales*, quæ Petro ſive Paulo inſunt, eoſque ab aliis diſtinguunt, ſcire debet: nec Petro vel Paulo ea adſcribere, quæ prædictas *res ſpeciales* tollunt, & efficiunt, ne Petro & Paulo poſſint tribui. Affirmare te alicujus patrem noſſe; & quædam etiam de eo referre, quæ in illum quadrent, & ſimul nonnulla adjungere, quæ longe à patre ipſius diſtent, aut quæ peculiariter alteri conveniant, & quibus iſtum à reliquis omnibus diſtinguimus, facit, ut dicere liceat, te patrem illius, quem te cognoſcere profiteris, non cognoſcere. Sic etiam res ſe habet cum cognitione Dei: qui etiam *pro-*

priam habet *naturam*, atque etiam *eſſentiam*: quibus, præter naturam internam, præterea res quædam poſſunt adhærere, quæ inſcitia, quin imo abominando errore, alteri applicata, veri Dei cognitionem deſtruunt, & efficiunt, ut alius pro vero Deo recipiatur. Sic aliquis plene de regia poteſtate poteſt eſſe imbutus, ſed perverſe pariter arbitrari poteſt, eam in alia omnino perſona reſidere, quam qui verus & legitimus rex eſt.

Sed quoniam hic ſumma rei vertitur, rem altius ab origine repetam: natura alicujus rei vel in genere conſideratur; ita ut ab ea ſeparemus omnia, quæ individuam & ſingularem ejus naturam conſtituunt; eaque illi tantum tribuamus, quibus ejus eſſentia continetur: aut eadem natura conſideratur una cum iis, quæ ejus naturam ſingularem reddunt. Aliud quid, naturam *auri in genere* concipere: aliud autem hanc vel illam auri maſſam imaginari. In prima conceptione nullæ circumſtantiæ exiſtunt, quæ auri naturam *limitent*, aut faciant, ut de illo liceat dicere, *hic* aut *illic* illud eſſe: *hunc* aut *illum* poſſeſſorem iſtius eſſe: *magni* aut *exigui* ponderis eſſe, &c. Sed in altera conceptione, qua aurum cum certis circumſtantiis conſideramus, quæ naturam quidem auri non ſpectant, verum hoc vel illud aurum in ſpecie, quod generalem auri naturam determinans, facit, ut hoc vel illud aurum imaginemur, eo aurum peculiarem naturam acquirit, ac hoc vel illud aurum fit in ſpecie. Certum quidem, revera generales naturas non exiſtere. Nullum eſt aurum, quod non hoc vel illud ſit aurum in ſpecie. Nulla humana natura, quæ non huic vel illi homini inſit. Verum hoc non obeſt, quominus hominibus cogitatione omnes ſpeciales circumſtantiæ non poſſint detrahi, atque ita generalis natura formari. Natura Dei differt in hoc ſpecialiter à cæteris omnibus creaturis, quod natura ſua tantum unica poſſit exiſtere: & quæ idcirco non indiget extra eſſentiales ſuas proprietates, ſpecialibus quibuſdam circumſtantiis, ut eis Deum iſtum cognoſcamus, qui nobis pro illo colendus. Quemadmodum contra neceſſe eſt ut patrem meum & matrem ex certis circumſtantiis diſcam agnoſcere, eoſque ab omnibus aliis diſcernere.

Per verbum *Deus* denotamus omnium perfectiſſimam eſſentiam, cujus omnes populi velut unam eandemque habent *ideam*, & quam quælibet natio in ſua lingua diverſis quidem verbis exprimit, ſed de qua cuncti unum & idem ſentiunt & concipiunt: non minus quam omnes homines unam & eandem hominis naturam ſibi repræſentant; quanquam quiſque vernacula ſua lingua naturam hominis diverſis vocibus appellet.

Ac hoc propterea non deſinit eſſe verum, licet plurimi homines multos & varios habeant Deos: & unicam illam Divinam naturam, quæ natura ſua tantum ſola eſt, pluribus adſcribant: hoc enim fit execrando errore & inſcitia, ex zelo ſpiritualis ſcortationis manantibus, quæ ſuperſtitione nititur: qua homo ſummo ſtupore illud arbitratur Deum eſſe, & proinde Divino honore colit, unde bonum vel malum ſibi fieri poſſe credit. Æque ac homo ira incenſus, omnibus fere acerbus & difficilis eſt, & in omnia, quæ parum tantum ei obſiſtunt, iram ſuam evomit. Cum enim homo ſit timidus, & ſimul natura Deitatem cognoſcat, nec ignoret, honore aut dedecore Divinitatem illam affectam placari aut offendi; cuncta pro Deo ducit, & divino honore invocat, à quibus exiſtimat aliquid boni aut mali ſibi poſſe fieri, quod à nullis creaturis ſibi poſſit evenire. Quemadmodum meticuloſus & ſuperſtitioſus ſtatim ſibi miraculum aliquod, aut phantaſma imaginantur, cum nonnihil ipſis occurrit, cujus cauſam non vident aut intelligunt. Et ideo feminæ & pavida ac levia ingenia ut plurimum ſuper-

perſtitioſa ſunt. Et hujuſce farinæ homines ſunt, qui ratione prædiros & cordatos plerumque impietatis accuſant, cum ſtultam eorum ſuperſtitionem nolunt imitari: & illud bonum vel malum eſſe cenſent, quod ignorantia & timor nulla nixus ratione faciunt, ut ipſi pro iſtis habeant.

Omnes ergo homines, prædictis non obſtantibus, idem de Deo ſentiunt: non minus, ac univerſi homines unum idemque per *hominem* denotant. Quod hinc etiam apparet, quod quiſque aliquid de Deo concipit, quod uni Deo convenire cenſet, & creaturæ perfectionem ſuperare. Nullus Gentilis, quantumvis ſtupidus, ea, ob quæ Deum colit & metuit, creaturæ arrogabit: quanquam ſæpius conceptum Deitatis huic vel illi creaturæ adjunget, cum quibus Divinitas non eſt commiſcenda; & ex ambobus illis unum efficiet. In quo etiam forma quædam & ſpecies cultus Idolorum conſiſtit: de quibus poſtea diſputabitur. Nullus Ethnicus, verbi gratia, aſſeverabit creaturam, quatenus mera eſt creatura, per ſe univerſum mundum regere: & omnia ab ea pendere: fœcunditatem aut ſterilitatem producere: futura prædicere: ac voluntatem hominum pro arbitrio flectere: corda & renes ſcrutari. Contra nullus Paganus creaturarum infirmitatem Deo ſuo tribuet, quarum obſervatio docet eum, propterea ab omnibus creaturis recedere, & Divinitatem quærere, quæ largiatur ei, quod à creatura exſpectare nequit. Et hæc cauſa eſt, quod nemo ſemet ipſum pro Deo habeat. Nemo etiam lapidem aut truncum ut lapidem aut truncum, pro Deo ſuo colit. Sic etiam nullus Gentilis credet, Deum ſuum non gubernare mundum: fœcundum aut ſterilem fructuum proventum hominibus non immittere: non bellum aut pacem terris apportare: non hominibus probis bene, improbis male velle. Sic ne Ethnici quidem, ſi recte conſiderent ea, quæ de Deo credunt, concedere poſſunt, illi rei, quam pro Deo ducunt, ullas humanas debilitates ineſſe: non magis ac poſſunt aſſentiri in eo, quod *aurum* eſſe credunt, proprietates quaſdam plumbi eſſe, & imperfectius metallum plumbo eſſe. Et ratio hujus rei evidens eſt: nam Deus, æque ac aurum, propriam & ſingularem ab aliis diſtinctam naturam habet: cui idcirco non poſſunt adſcribi quælibet. Fateor quidem, homines errore, aut voluntaria ingenii ſui occæcatione hanc vel illam Divinam perfectionem creaturæ, aut humanam infirmitatem Deo ſuo adſcribere. Ne ipſi quidem Chriſtiani hoc errore prorſus carent. Multi credunt per conjunctionem Divinæ & humanæ naturæ in Chriſto, humanæ naturæ proprietates aliquas Divinas communicari. Alii in Chriſto duas naturas reprobantes, ſed ſolam humanam admittentes, multas res tamen in Chriſto ſtatuunt, quæ cenſeo ſolius eſſe Dei, & tantæ perfectionis, ut nulli creaturæ poſſint tribui: ſed creaturam eo in Deum immutari. Quod etiam hi ſequuntur, qui mundum ab æterno cenſent eſſe conditum: aut qui docent aliquas creaturas, eſſentias, aut nonnullos ordines ex ſemet ipſis extitiſſe, non autem liberrima Dei voluntate. Alii Deo mutationem voluntatis adſcribunt, pœnitentiam, incrementum ſcientiæ, iram, odium, nova propoſita & conſilia. Ut taceam de Ethnicis, qui de Diis ſuis ferebant, quod ederent, biberent, quinimmo modum in utriſque excederent, carnali modo procrearent, pugnarent, rixarentur, alteri alteros odio & invidia proſequerentur. Verum ne hoc quidem impedit, quominus verum ſit, hominem nulli creaturæ rem aliquam poſſe adſcribere, quare à creatura deflectens, ad Deitatem ſe convertat. Sed perverſæ iſtæ opiniones ſolum in hominibus exiſtunt, quod non recte conceptui,

quem de Divinitate, & creatura habent, inædificantes, Deo, vel creaturæ quid tribuant, quod huic vel illi non convenit. Faciuntque hoc errore mentis, Deo vel creaturæ, ob quaſdam, ut putant, rationes quippiam tribuentes, quod in illos non quadret: neque cum idea, quam de hoc vel illo habent, concordet. Non etiam conſequentias concederent, nec rem ipſam, quam huic vel illi attribuunt, in ea eſſe arbitrarentur, ſi in mentem ipſis veniret, hanc vel illam rem de Deo, ſive de creatura affirmando, ideam quam de Deo ſeu creatura habent, deſtruere: quemadmodum tamen verè fit quando duo aut plura quæ ſunt in diverſo & alieno genere, uni eidemque rei attribuunt.

Ita ut hoc non impediat, omnes homines non unam eandemque de Deo ideam habere: & proinde Deo non convenire quod creaturæ proprium; & vice verſa: ſed ſententiam noſtram potius confirmet. Quia ſtatim rem ipſam, & conſequentias, quæ inde elicerentur, pernegant: ſimulac ingenio illorum illuſtrato abſurditates animadvertunt. Quod ſecus foret, ni *certam, conſtantem, immutabilem,* & *innatam* de Divinitate ideam haberent.

Res paulò latius poſtulat explanari. Quemadmodum Lutherani ex creatura, tanquam creatura conſiderata, non faciunt Deum: numquam conceſſuri ſunt, nec etiam poterunt, illud ex ſua doctrina de *communicatione idiomatum* ſequi. Imo hanc doctrinam de communicatione idiomatum nec poſſent, nec vellent propugnare, ſi ipſis ſuccurreret & viderent, communicationem Divinarum proprietatum humanæ naturæ, per conjunctionem Divinæ & humanæ naturæ in Chriſto, hoc inferre. Sed poſita corporis Chriſti *omnipræſentia* (quæ *omnipræſentia* divina proprietas eſt) inciderunt, vitio debitæ conſiderationis, in opinionem de *communicatione idiomatum*: nihil minus cogitantes quam Deum in creaturam, & creaturam in Deum transformare. Similiter quidam, affirmantes naturam Divinam non eſſe in Chriſto, ſed merum eſſe hominem; & ſimul illi qualitates Divinas tribuentes, poteſtatem, ſublimitatem, ut etiam eum adorent, non ideo credunt hominem poſſe eſſe Deum, aut Deum hominem. Non poſſent etiam putare, *duos* poſſe dari *Deos*: aut alterum Deum *altero* poſſe eſſe *majorem*, dummodo recte id caperent, quod omnes de Deo ſentimus. Etenim hoc non magis fieri poteſt, quam credere, hominem ſimul *hominem & beſtiam* poſſe exiſtere: aut alterum hominem altero *magis* poſſe eſſe hominem. Sed præjudicio occupati, in Chriſto non eſſe Divinam naturam: & tamen è S. Scriptura docti, Deo res adſcribi, quæ in mera creatura non poſſunt exiſtere, faciunt & introducunt, omnibus non pro merito conſideratis, *ſecundum & minorem Deum.* Quod revera nihil eſt aliud, ac ſi diceretur, duorum generum homines dari: unum, quod omnes hominis proprietates haberet: alterum, qui etiam homines forent, ſed beſtiæ proprietates haberent. Nam ſi ideam rectè examinarent, quam de Deo habent, duorum diverſorum Deorum non poſſent amplius meminiſſe, minoris & majoris Dei, quam duarum variarum humanarum naturarum; hujus majoris, illius autem minoris naturæ: aut duarum *ſummarum poteſtatum*; alterius *majoris*, alterius vero *minoris* ſupremæ poteſtatis. Qui Chriſtum pro mera creatura habentes, illum impropriè Deum appellant; ipſis non poteſt tribui, quod majorem & minorem Deum ſtatuant, ſed cenſent quod Chriſto tam eminentia dona, & gradus perfectionis data ſint, illum ideo dignum eſſe, ut religioſo cultu adoretur: quanquam ea dona non ſint infinita, nec etiam Divinæ proprietates. Sed quid veri ſit in hac re, in ſequentibus inquiretur & examinabitur. Sic etiam cum illis comparatum eſt, qui Deo, v. gr. pœnitentiam tribuunt. Nunquam etiam quiſpiam iſtum pro Deo ſuo agno-

agnoſcet, quem alteri ſubjectum credit; nec ſemet ipſum poſſe liberare à malo, quo obrutus eſt: & quo malo is ſtudet privari, qui Divinitatem quandam adorat. Et hæc cauſa eſt, quod nulla creatura de ſe ipſa ſerio poſſit credere, ſemet ipſam eſſe Deum: quia ſenſus ſuarum infirmitatum perpetuo ipſi præſto eſt. Verum ratio, quare quidam Chriſtiani Deo *pœnitentiam* tribuant, hæc eſt, quia cenſuerunt, atque illud vere, quod, ſecundum ordinem à Deo poſitum, hominibus inprimis bona à Deo ſuo erant exſpectanda: at mala ipſis evenire propter peccata: quæ cum Deus noluiſſet, nec prædeſtinaſſet, hinc ſequebatur quidem, hominem per peccatum non conſequi ea, ad quæ ordo à Deo deſcendens, ante ducebat illum, & ad quæ prædicto modo à Deo ordinatus erat. Sed imprudenter, & naturalem ideam non ſatis pro merito expendentes, quam de Deo, & perfectione ejus habebant, putarunt, privationem illorum, ad quæ ordo, qui à Deo promanabat, primum ipſos deducebat, etiam mutationem in Deo cauſari: paſſionem nempe, quæ ſolet in hominibus exiſtere, quum aliter quid ſuccedit, ac ſibi propoſuerant. Eadem ratio eſt, quare multi Deo amorem & odium adſcribant. Ratio docebat eos, peccatorem longe aliter Deum reſpicere, ac vir pius: illaque, quæ hic vel iſte à Deo exſpectaret, plurimum differre. Et quia inter homines bona & mala, quibus alter alterum afficit, ex amore & odio plerumque proveniant, imprudentes, nec Dei perfectionem ſatis ſibi proponentes, etiam Deo amorem & odium attribuerunt. Quare etiam cenſeo, nunquam aliquem ratione præditum crediturum, Divinitatem corporeum quid eſſe: & ſedato animo illa Deo adſcribere, quæ per ſenſus corpori ineſſe videt. Cujus rei hoc clarum eſt documentum, quod homines numquam credant corpus, quod oculis cernunt, & manibus palpant, &c. voluntate aut ingenio præditum eſſe; multo minus Numen eſſe. Sed ſubtilius quid ſemper eis ſubit, quod in craſſo eo corpore velut abſconditum eſt. Et ſubtilius illud non velut vaporem aquæ calidæ aut ſanguinis ſibi ob oculos ponunt: quia proprietates corporis in iſtis vaporibus evidenter nimis occurrunt: ſed ſubtili ei nomen corporis imponentes, non aliter tamen illud comprehendunt, ac Spiritum concipiunt. Sic etiam, qui Deum affirmant eſſe corpus, poſſunt credere, Numen in certo corpore ſpecialiter operari, præſens, imo eſſentialiter conjunctum eſſe: velut anima cum corpore noſtro adunata eſt. Sed nunquam putabunt *corpus*, quantumvis ſubtile ſit; ut taceam, *caput, manus, pedes*, truncum, aut aliquid, quod ex capite, manibus, pedibus, & trunco conſtat, Deum fore. Et propterea inſignis eſt Pontificiorum error, velle tueri, Gentiles & Idololatras eas beſtias, quas exprimebant, aut creaturas & homines, quos adorabant, pro Diis ſuis habuiſſe: atque illud ſub ea *forma* & *conceptu* mentis, ſub qua beſtiam, factum lignum, aut lapidem, argentum ſive aurum, creaturam aut hominem concipimus. Verum Ethnici cum imperfectis illis rebus, auro nimirum, argento, lapide, &c. Numen quoddam copulabant; cujus omnibus hominibus naturaliter una eademque eſt idea. Quamvis alter altero proprietates illius Divinitatis aliquanto propius contempletur.

Signum etiam eſt magnæ ſtupiditatis quorundam, qui tamen ſupra vulgus ſibi ſapere videntur, quod, recolentes Deum in S. Scriptura aliquando appellari Spiritum: eandemque Scripturam etiam manus, & pedes dare Deo: inter ſe altercentur utrum Chriſtiano ſit credendum: & eo inclinare videntur, magis eſſe amplectendum, Deum eſſe corpus, quam Spiritum: quia verba S. Paginæ, ut illi prædicant, quæ Deo corpus arrogant, non minus clara ſunt, quam quæ tradunt eum eſſe Spiritum: & nos inſuper evidentius

corpus quam Spiritum percipere. Et idcirco illa S. Codicis verba, quæ Deo corpus adſcribunt, etiam apertiora eſſe: ex quorum claritate reliqua Verbi Divini loca ſint illuſtranda.

Ab his iſti non longe ſunt remoti, qui negant, nos ideam Dei habere: quia Deus ſit infinitus. Aut qui aperte aſſeverant, ſe non alio pacto Deum poſſe concipere, quam per *imaginationem*, id eſt ſub re aliqua *corporea*: ac id ut propugnent, omnes ingenii nervos intendunt: & adverſariis errorem, aut crimen hæreſis impingerent, qui dicerent, ſeſe *Spiritus* aut *Dei ideam* poſſe formare. Verum quidem nos à teneris ſenſibus magis, & imaginatione, uti ſolitos: & nos ideo, cum animum non attendimus, rem ſemper corporaliter ſolere nobis proponere, Deum,& Angelos inſtar hominum. Quod nullibi rationem reperire ſolemus, quam ubi humanum corpus invenimus: & pro certo ſtatuentes Deum & Angelos rationales eſſe naturas, eapropter anima tam parata eſt Dei & Angelorum rationalitati humanam formam adjungere. Veluti pueri ſolent omnibus corporibus humanæ formæ rationem & vitam addere: & ideo iſtum incurrunt errorem, ut omnes humanæ formæ imagines (quales Pupæ ſunt) pro hominibus habeant, & ita eas tractent. Verum quemadmodum hoc in pueris poteſt excuſari, non ferendum tamen eſt in hominibus, qui jam rationis ſunt compotes, non ſolum puerilis ingenii infirmitatem non emendare, verum perverſa ejus judicia alere & fovere, & uti illis, ad conſequentias & fidei articulos inde elicien dum.

Nihil autem tam promtum, & in quod homo tam facile incidit, quam quod, cum primum res quædam ejus menti occurrit, illam per iſtam *facultatem* & operationem mentis concipiat & ſibi repræſentet, quæ, quemadmodum eâ plurimum uſus eſt, ipſi etiam maxime obvia eſt: verbi gratia; cogitando de pœna Divina, pariter *iram* in Deo ſibi imaginari, qualis in hominibus eſt: recolendo, peccata hominum ſæpe tam diu manere impunita, ſimul *patientiæ* Divinæ meminiſſe, illamque ſibi talem repræſentare, quemadmodum in omnibus mortalibus obtinet, qui injuria irritantur & vexantur, iſtamque moleſtiam patientia ſua ſuperant. Similiter occaſione operum Dei, in quibus mirifica ars ſe prodit, *ingenium* & *voluntas* Divina eis occurrunt: & ſic illa ſibi proponunt, ut in hominibus locum habent. Et quæ porrò hujus ſunt generis: & de quibus ſuperius actum. Primæ hæ cogitationes non carent quidem peccatis; iniquum tamen foret propter cogitationes iſtas non limatas homini adſcribere, quod Deo ſuo mortales infirmitates tribuat, aut credat Divinitatem corporeum quid eſſe. Aliter res ſe habet ſi primo & impolito illi conceptui inhæreas, & conſequentias, quæ inde ſequuntur, admittas & concedas. Hæ cogitationes in ſimplicibus ſunt excuſandæ: quemadmodum ea mentis commotio condonanda erat, qua *Cornelius*, *Petrus*, & *Johannes* Angelum Divino honore volebant proſequi. Sed de primis iſtis cogitationibus, quæ nos opprimunt, caput fidei ſuæ condere, rationibus eas velle adſtruere: alias conſequentias ex illis exſtruere: veros conceptus, quos recta ratio & Sermo Dei nos docent, iſtis deſtruere; abſurdas conſequentias, quæ inde eliciuntur, indicatas potius concedere, quam malum fundamentum deſerere vel abnegare, modum excedit: & tum primæ illæ natæ cogitationes mutantur in errantes opiniones: & pro mali magnitudine in errores, quinimo in hæreſes animas occidentes.

Et cum hic de cognitione veri Dei tractem, quod hoc capite facere propoſui, eorum, quæ dicta mihi, imprimis ratio habenda eſt: ut cognoſcatur, qui errores tales ſint, ut propterea *verum Deum* deinceps non habeamus: & ut porro ſcia-

mus

mus quanti quilibet error circa Dei naturam & proprietates faciendus & æſtimandus ſit. Verum quidem omnes errores, qui faciunt, ut Vero Deo poſtea careamus, nullam Idololatriam ideo in ſeſe continere. Sed neceſſarium eſt, ut pondus & natura talium errorum cognoſcatur, ut ſciamus quando creaturæ aliquid tribuamus quod ſolius Dei eſt: & quomodo hoc fieri debeat, quando factum illud Idolorum cultum in ſe comprehendet.

Quam perabſurdæ opiniones Deo adſcribantur, quandiu abſonas iſtas opiniones applicamus Deitati, cujus naturalem habemus ideam, perverſis illis & falſis opinionibus nihil obſtantibus, ideam, quæ nobis de Deo eſt, revera, licet id non fiat judicio errantis, deſtruunt: & ſi nihilominus hujuſmodi Deitatem Divino cultu afficiant, nullam tamen illi idololatriam committunt. Verum Idolomania in eo conſiſtit, ſi Divinitatem cum creatura ita copules & jungas, (quacum Deitas revera conjuncta non eſt) ut de eis *unam* rem & perſonam facias, illamque poſtea Divino honore colas: aut in iſto etiam, ſi plures inducas Deos, qui vel pares ſint inter ſe, aut quorum alter altero major eſt Deus.

Licet ergo priſcis aliqui fuerint temporibus, & forte etiam nunc ſint, qui affirmant Deum eſſe corpus: credentes, ut puto, Divinitatem eſſe naturam compoſitam ex ſpiritu & corpore. Eos enim exiſtimaſſe, totam Deitatem corpoream eſſe, vix credibile eſt. Hi tamen nunquam idololatræ ſunt appellati. Quanquam de talibus, meo quidem judicio, poſſet dici, eos *verum Deum* non cognoſcere: non magis, quam ego poſſem dicere, quempiam animam hominis noſſe, qui diceret illam corpus eſſe, & omnes ejus operationes corporeas. Sic etiam puto *Epicurum*, qui Deum quidem agnoſcit, verum otioſum eum in Cœlo conſtituit, qui res nullas curet, non proprie Idolorum cultorem poſſe nominari, verum forte talem, qui vero careat Deo. Velut ille quidem non alium Regem in Imperio agnoſcit, qui Regem ſibi proponit, qui nullius rei curam gerit, nullas leges civibus præſcribit: nullas pœnas, nec præmia diſtribuit, ſed quemque ſuo relinquit arbitrio. Hic enim alterum non inducit regem, nec alterum aut ſecundum regem honorat: ſed non habet, nec admittit regem in regno. Illud enim eſt regem in Imperio ejus non agnoſcere, qui neminem agnoſcit, qui nec ipſe, nec cujus nomine alius dominatur.

Similiter qui Deo pœnitentiam tribuerent, fruſtrationem propoſiti, ſpeciem quandam iræ, qualis in hominibus exiſtit, injuſtitiam, mendacium &c. atque hæc omnia ſub *propria imperfectionis forma imbecillitatis, quinimmo peccati*: quemadmodum injuſtitia & mendacium, in quacunque ponantur natura, pro peccatis omnino ſunt ducenda, tales verum Deum non honorarent, licet non idcirco idololatræ exiſterent.

Quomodo ille verum Deum coleret, qui Eum ut invalidam creaturam concipit? Et confitens *imperfectiones illas cum ſuis conſequentiis* in Deo reperiri, nihilominus diceret, ſe Deum cognoſcere. Hoc æque abſonum eſt, ac aſſentiri, *materiam* quandam æris proprietates habere; & tamen affirmare, eam aurum eſſe. Parum refert quo nomine rem appellemus, ſed in ejus idea convenire debemus. Aliud quid, homini *nomen* Dei dare: aliud autem, ipſi ſimul nomen & naturam Dei applicare. Apoſt. 1 Cor. 8: 5. concedit, etiam *in Cœlo & terra eſſe, qui Dei appellentur*: verum denegat tamen plures dari Deos. *Nam licet etiam ſint, qui Dei nominentur, ſive in Cœlo, ſeu in terra (quemadmodum multi Dei, & multi Domini ſunt) unum tamen tantum habemus Deum Patrem: ex quo omnia ſunt, & nos ad illum: & ſolum unum Dominum Jeſum Chriſtum, per quem omnia*

nia ſunt, & nos per eum. Qui ergo Magiſtratus aut Angelos Deum ſuum feciſſet, eosque ita appellaſſet, propterea vero Deo privatus fuiſſet, quamvis ſecundum conſuetudinem Scripturæ Magiſtratui & Angelis nomen Dei tribuiſſet: quia longe alio ſenſu illis creaturis nomen Dei tribuit, quam quidem id in Scriptura fit à Spiritu Sancto. Et quorundam eſt error, qui volentes fugere vituperationem & peccatum Idololatriæ in adorando Chriſto, quem non pro Deo habent, aliam Divinitatis ſpeciem in Deo ſtatuunt. Comminiſcuntur Deum, qui ab æterno, & eum, qui non ab æterno fuerit: unum, qui à nullo; alterum autem, qui ab alio pendeat: unum, qui per ſe perfectus ſit, & alium, qui omnia ſua aliunde habet.

Sed ſicut certum eſt, nullam imperfectionem ſub forma & conceptu imperfectionis, omnibus eis conceſſis, quæ imperfectio involvit, aut cum ea arcte colligata ſunt, Deo poſſe adſcribi. Nihilominus etiam verum eſt, eum propterea non errare in vero Deo cognoſcendo, qui aut ſimpliciter nomen alicujus imperfectionis Deo attribuit, aut confuſas aliquot de Deo habet ideas, quæ quandam imperfectionem quidem in ſe continent, ſed quas tamen non concedunt, quia ſub forma imperfectionum eas non conſiderant. Sic, verbi gratia, magnum eſt diſcrimen, ſi ſubito, vel ſi confuſe, Deum tibi ante oculos ponas *ut corpore prædiŧum*: aut ſi propugnes, Deum eſſe *corpus*, & infirmitatibus iſtis & imperfectionibus obnoxium, quibus accuratiori conſideratione aperte videmus corpora ſubjecta eſſe. Errorem illorum non tam gravem arbitrarer, qui affirmant animam eſſe corpoream, & interim revera omnes qualitates *Spiritus* menti tribuerent. Qui non ſolum crederent animam voluntatem & intellectum habere, ſed de illa reipſa hujuſmodi *conceptum* haberent, qui omnino à natura, proprietatibus, & accidentibus corporis diſtinctus foret, quamvis eum exprimerent *verbis*, quæ corpori conveniunt. Sic etiam illum errorem non magnum judico, ſi per *confuſos* conceptus animam beſtiarum concipiant, tanquam *ſpiritum*: ſed in genere, & per *diſtinctam* ideam de illa credunt, ipſam eſſe *corpoream*.

Sic etiam cum illis res ſeſe habet, qui verbis quidem & confuſis cogitationibus docent, voluntatem hominis à Deo *prædeterminari*. Sed de quo *diſtincti* illorum conceptus longe alio evadunt; & nihil minus credunt, quam voluntatem non eſſe *liberam*: quæ libertas tamen ideam, quæ verbo *prædeterminationis* ſignificatur, tollit. Sed credendum, ipſos per verbum *prædeterminationis* nihil aliud revera denotare, quamvis per confuſas ſuas cogitationes aliud videantur innuere, quam *dependentiam* noſtri arbitrii à Deo; & *validam & irreſiſtibilem gubernationem* & operationem ejuſdem circa voluntatem. Sic contra non oportet etiam nos errorem illorum gravem cenſere, qui hominibus liberum tribuunt arbitrium: & per *confuſas* cogitationes, quæ occurrunt ipſis ex vera illa & generali notitia, voluntatem nimirum non poſſe cogi, videntur verbis *arbitrium* gratiæ præponere; hominemque ante gratiam ſe ad bonum determinare: quanquam per *diſtinctas cogitationes* omnia gratiæ adſcribant, & ſolum *cogentem*, & *voluntatis libertatem tollentem gratiam* negent. Ut adverſarii illorum per verbum *prædeterminationis* arbitrio libertatem non eripiunt, ſed eam potenti Dei *directioni* ita obnoxiam eſſe fatentur: docentque hominem æque initium ac finem, æque velle ac perficere, Divinæ gratiæ debere. Nam qui ita diſputant, utrique recte ſentiunt, male tantum ſenſum ſuum exprimunt. Aliter res ſe habet, ſi hi gratiam omnino abnegent, illi autem arbitrii libertatem tollant.

Sed è diverticulo in viam. Ex his fundamentis judicandum, utrum quorundam

dam

dam error eouſque procedat, ut à vero Deo aberrent, eoque in poſterum priventur. Hinc cuncta pendent,ut examinandum ſit, an generali ideæ, quam de Deo habent, hanc vel illam circumſtantiam addant, vel demant, quare dicendum ſit, eos errare in perſona Dei cognoſcenda. Si ſcire velimus, an illi, qui Divinitatem Chriſti & æternam ejus nativitatem ex Patre negant, eo etiam errent in veri Dei cognitione:tantum inveſtigandum eſt, quæ tandem Deo tribuant, quæ proprie in verum Deum quadrent:& tum examinandum iſtane circumſtantia de æterna Chriſti creatione ex Patris eſſentia ejuſcemodi ſit, ut poſſit dici, eos vero Deo carere. Et hoc fieri debet ſecundum eaſdem regulas, juxta quas fertur, aliquem certam perſonam noſſe, aut eam ignorare. Hæc omnia hoc loco examinare, propoſitum & ſcopum noſtrum excederet. De eo tamen non dubito, quin, ſicuti facile conſentimus, ſi quis hunc vel illum deſcribere incipiat, utrum perſonam eam noverit an ignoret; itidem, ſi eaſdem regulas ſequaris, facilè in eandem conveniremus ſententiam, utrum quis vero careat Deo nec ne.

Similiter non omnia Divina attributa & operationes, quæ homo creaturæ adſcribit, efficiunt, ut idcirco ex creatura Deum faciat: nec error is ſtatim ita eſt interpretandus, quaſi creaturæ illum honorem arroget, qui ſoli Deo debetur. Frequenter enim contingit, ut illud, quod vere Divinum eſt,aut ſolum Divinæ operationis effectus,ſub alia omnino forma conſideremus. Omnipræſentia Deo adeo propria eſt, ut vere nulli creaturæ poſſit communicari. Verum quum Lutherani eam ſub illa forma non conſiderent, injuria ipſos afficeremus, ſi eis hoc objiceremus.

Hoc à nemine in dubium vocatur. Sed hac occaſione quæſtio, quæ nobis cum Socinianis eſt, tractanda venit: quæ hæc eſt. Utrum Deus creaturæ non poſſet communicare qualitates, quæ requiruntur in objecto, quod poſſet adorari, licet invocatione, quæ minor foret ea adoratione, quam ſoli Deo debemus. Et an creatura à Deo non tam alte poſſet evehi, ut omnes qualitates poſſideret *objecti religioſæ adorationis* infra Deum: quum Deus hoc imperaret. Sociniani duas ſtatuunt religioſæ invocationis ſpecies; alteram majorem, alteram minorem. Hanc opinionem falſam eſſe arbitror. Primo, quod commotio & affectus animi, quæ omni religioſæ adorationi inſunt, perfectiſſimam eſſentiam pro objecto habeant. Et propterea exiſtimo æque erroneum eſſe, religioſam invocationem propugnare, cui Deus objectum non ſit: ac abſurdum eſt defendere, objectum iræ rem eſſe poſſe, ab ingenio comprehenſam tamquam nobis commodam & utilem.

Numquam divinus cultus in nobis exiſtit, niſi quum mens noſtra Divinitatem cogitat. Hoc autem Socini ſectatores facile mihi concedent,omnes homines eandem Dei *ideam* habere: & propterea rationem & cauſam religionis in omnibus hominibus eandem eſſe. Sociniani conſentiunt, naturalem religionem non docere nos duplex genus religioſæ adorationis. Si itaque ſana ratio nos imbuat, unam tantum religioſæ invocationis dari ſpeciem, quæ Deum pro objecto habeat; quo pacto Deus aliquid poteſt mandare, quod rationi aut Ethicæ repugnat? An Deus ex malo bonum, & ex bono malum poteſt efficere? Si dicant, ideo per naturalem cognitionem non poſſe perveniri ad duplicem adorationis ſpeciem, quia per naturale lumen nobis non poteſt innoteſcere, Deum alicui creaturæ tam eminentes qualitates, cognitionem, poteſtatem, & auctoritatem voluiſſe indere, quæ ſufficiunt, ut iſti creaturæ religioſe nos ſubjiciamus. Sed porro quæro, an homo per rationem, & per proprietates

ideæ

ideæ de Deo non intelligat & cognoſcat, captum ſimplicis creaturæ non poſſe conſiſtere cum tam ſublimibus & magnis qualitatibus & operationibus Chriſti, quam Divinus Codex & Sociniani ipſi adſcribunt. Putantne illi, qui Socini caſtra ſequuntur, Ethnicos, qui per lumen naturale Deum cognoſcunt, Ethnicos inquam, animadverſione & perceptione aliarum qualitatum & operationum notitiam & ideam alicujus Divinitatis in ſe acquirere, quam iſtis, quas Chriſtiani Chriſto aſſignant, & idcirco per eaſdem cogitationes & conceptus, ſi recte eis utantur, poſſe perveniri ad cognitionem veræ Deitatis, & ſimul illorum, quorum vera iſta Divinitas non eſt particeps: veluti juxta ſententiam Socinianorum Chriſtus Deitatis illius particeps non eſt. Vel an credunt ideam de Deo non proprie in eo conſiſtere, ut excelſas illas & magnas perfectiones, quæ ſub Dei idea continentur, ita concipiat & intelligat, ut is, qui Deus ſit, iſtas omnes à ſe, & ex ſe habeat: non per communicationem, & quod ſuperiori ſubſit. Verum contra recta ratio docet nos, Divinas qualitates & attributa, ut ſunt, verbi gratia, ejus Omnipotentia & Omniſcientia &c. ſic intellectui noſtro ſe offerre, ut credamus ea in nulla alia perſona poſſe reperiri, quam quæ *à ſemet* exiſtat: ita ut cognitio reliquorum attributorum Divinorum *ordine* præcedat, antequam ad attributum, Deum nempe à ſe, & ex ſe exiſtere, deveniamus. Ita ut Omnipotentiam, & Omniſcientiam in ſe comprehendat, idque propter ſuam perfectionem, ut nemo per communicationem eam poſſit poſſidere: ſed ut quiſquis eam habeat, à ſe ipſo illam nactus ſit. Et æque mihi abſonum videtur, Divina attributa Omnipotentiæ & Omniſcientiæ alicui adſcribere, qui non à ſemet ipſo ſit, ac *voluntatem* & *intellectum* ei attribuere, quod eſt irrationale. Si dicas, non talem Omnipotentiam & Omniſcientiam in Chriſto conſtitui, quæ Divinæ Omnipotentiæ & Omniſcientiæ in omnibus, etiam extra conſiderationem eam, quod Chriſto ſint communicatæ, ſit ſimilis: ſupereſt ut quæramus, cujus generis potentia, ſapientia, cognitio &c. ſit, quibus Chriſtus mundum regit? An creatæ ſint perfectiones, an increatæ & Divinæ? Utrum in Chriſto ſint & maneant (quemadmodum id S. Scriptura meo judicio docet) an in Deo, ſed quæ operentur, & vim ſuam exerant ad arbitrium & imperium Chriſti? Poſteriori huic non inhærebo, quod Sociniani, mea quidem opinione, hoc nunquam tradiderunt, & è diametro cum S. Literis pugnet. Ergo creatæ ſunt perfectiones, quæ in Chriſto exiſtunt permanentque. Sed excepto eo quod tum prædictæ difficultates iterum oboriantur, ſcilicet: qui tantæ qualitates, quæ deſiderantur ad totius mundi gubernationem, cum creaturæ natura poſſint conſiſtere: hæc inſuper difficultas in ea opinione reſidet: cum concedi videatur, Divinitatem non requiri in religioſa adoratione, quare in creatura tot perfectiones exigantur ad invocationem religioſam, ac in Chriſto reperiuntur? Nam quum Chriſti poteſtas à Deo pendeat; & Chriſtus propterea non poſſit operari niſi Deo permittente, & per Divinam potentiam: fundamentum adorationis Chriſti nihil aliud eſſe videtur, niſi quod Deus ad voluntatem Chriſti concedat, ut homo plurimum boni accipiat. Et ſi hæc minora forent, & Chriſtus minorem potentiam poſſideret, an tum non eſſet adorandus? Si Chriſtus mortuos non poſſet excitare, nec omnium hominum corda ſcrutaretur, neque in omnibus cuncta operaretur ſecundum beneplacitum. Verum ſi Deus ipſi poteſtatem tantum dediſſet in terris, non autem in cœlo: etiam ſolum in certas orbis terrarum regiones, num Chriſtum idcirco non liceret invocare? Autumo Socinianos juxta axiomata

ſua

ſua mihi rationem non poſſe dare, quare hoc non poſſet fieri. Et ſic ad minorem,& porro ad minorem potentiam & perfectionem deſcendam: atque ita tandem nullum aliud fundamentum adorationis Chriſti reperietur, quam voluntas & mandatum Dei: & ſic nobis liceret etiam lignum & lapidem adorare, dummodo Deus id præciperet. Et poſitiones Socinianorum neceſſe eſt ſequi, Deum hoc poſſe velle & mandare. Quæ ipſa eſt abſurditas. Non ignoro eos reſponſuros, illud, quod adoratione dignum cenſetur, minimum eas perfectiones debere poſſidere, ut corda noſtra noverit, & ſua potentia nobis iſta bona, quæ ab ipſo petimus, poſſit conferre. Nam aliter, ut inquiunt, non cum ratione poſſumus nos creaturæ religioſe ſubjicere. Sed primo, qua ratione confirmabunt, & ſimul fundamentis ſuis inhærebunt, ad *religioſam adorationem* neceſſarium eſſe, ut iſtud, quod invocari poteſt, potentiam in ſe poſſideat? Et quod non ſufficiat, Deum propter Chriſtum, exempli gratia, huic vel illi donare, quod ad ſalutem neceſſarium eſt? Nam certe, ſi putent, ſubjectam, & à Deo dependentem, quinimmo creatam Dei potentiam, non prohibere, quo minus Deus Chriſtum poſſit conſtituere objectum religioſæ adorationis: quæ ratio poteſt dari, quod Chriſtus ut adoranda perſona à Deo nobis non poſſit proponi, licet illam potentiam non per ſe & in ſe habeat, qua ſe religioſe & pie colentibus vitam æternam largiatur: ſed ab alio eam mutuetur, aut per alterum illam exequatur, & quod Deus hoc perpetret Chriſti gratia. Et an in objecto religioſæ adorationis non deſideretur, ut univerſum terrarum orbem gubernet: unde demonſtrabimus, in re, cujus invocationem aſſeveramus, requiri, ut multos homines poſſit ſalvos facere; nec ſufficere, ut unum ſervet. Quinimmo cur exigitur, ut per vim rei iſti inhærentem, ſalutem conferat: & quare non ſufficit, ut Deus Chriſti gratia homini ſalutem largiatur? Et quoniam, ut puto, hujus rei nullæ poſſunt rationes dari, jure concludo: primo, Deum tum etiam poſſe præcipere, ut Sanctos religioſo cultu invocemus. Secundo, *per conſequentias* recte adverſus eos concludi, ex ipſorum opinione ſequi, Deum pro beneplacito objectum religioſæ invocationis poſſe ſtatuere: & propterea jubere lignum & lapidem invocare. Ac hoc etiam adverſus Pontificios militat. Itaque abſurditates hæ non poſſunt vitari, ni veram Divinitatem ſolum ſtatuamus objectum religioſæ invocationis. Hoc inſuper addo, in tota S. Scriptura nuſquam doceri, duplicem ſpeciem religioſæ adorationis dari. Sociniani autem excogitarunt eam, ut opinionem ſuam propugnarent; cum nollent Chriſtum eſſe Deum concedere; & tamen conſpicerent Verbum Dei omnino & ubique invocationem Chriſti injungere, diſtinctionem illam commenti ſunt. Nunc utriuſque partis argumenta reſtant ponderanda. Nimirum, utrum ratio & Verbum Dei clarius nos doceant; ſolum Deum eſſe adorandum, ut inde, ut & ex multis aliis argumentis concludamus, Chriſtum, quod Deus jubeat eum adorari, eſſe Deum: vel, an ratio & loca S. Scripturæ quæ docere videntur Chriſtum tantum *meram* eſſe *creaturam*; & inde colligendum, neceſſario duplex religioſæ adorationis genus eſſe ſtatuendum. Certe, quum S. Litteræ docent Spiritum S. eſſe adorandum, an non potius adſtruendum Spiritum S. eſſe Deum, quam nova commenta fingenda, ut excogitemus adorationis ſpeciem, quæ Deum non habeat pro objecto? Equidem prius verius puto. Sic æque etiam iniquum defendere, Chriſtum, licet non ſit Deus, religioſa invocatione licere & poſſe adorari: ac abſonum eſt, ſi Rex ſuperiorem non agnoſcens à ſubjectis exigat, ut perſonam ſpectabilem in regno ſuo pro Rege colant,

cui tamen regiam poteſtatem neque auctoritatem dedit. Sic etiam inferimus Chriſto, ni Deus exiſtat, divinum honorem non poſſe tribui, cum talis honor *adoratio* ſit. Et quicquid Divinus non eſt cultus, civilis honor eſt. Nullum enim datur medium; non magis, quam inter Deum & creaturam medium eſt.

Nec mihi magis licet dicere, hanc vel illam creaturam mortuos propria virtute excitare, miracula facere, nos regenerare, omnium hominum corda ſcrutari, &c. quam mihi liberum aſſerere Deum creaturam eſſe. Qui ergo creaturæ tantas perfectiones & potentiam adſcribit, & hoc fundamento preces ſuas ad illam creaturam dirigit, is invocat iſtam creaturam ſummo honore Divino, ut ita dicam: quemadmodum etiam revera eam creaturam ſummum ſuum Deum facit. Majores & minores, & plures uno ſtatuere Deos, non minor inter Chriſtianos eſt idololatria, ac inter Paganos. Cœcitas mentis in ethnicis effecit, ut non ſatis magnam *ideæ* rationem habentes, quam de Deo habebant, plures Deos, majores & minores commenti ſint. Quæ fides cum recta Divinitatis idea non poteſt conſiſtere? An Socinianis unquam quidem ſuccurrit, ſpeciem honoris, quo homines proſequimur, in Divinum cultum mutare, quando aliquis hominum in ſanctitate, aut in miraculis faciendis, reliquis hominibus excelluit? Vel an unquam ipſis quidem in mentem venit, ut crederent, quempiam ex hominibus plus conferre ad miraculi perpetrationem altero? Non putem. Quæ autem hujuſce rei ratio? Nulla alia, quam quod natura noverint, ſua potentia miraculum facere opus eſſe, quod ſolius Dei ſit. Cur adverſarii noſtri non idem faciunt circa Chriſtum. Si Chriſtus ſuis viribus miracula patret, quare non eſt altiſſimus ille Deus? Si Chriſtus ea non faciat, ſed ſi tantum in Chriſti favorem fiant, & ad ejus interceſſionem & preces: quare Chriſtum majorem ſtatuunt hominibus, & Divino cultu illum adorant. Hæc dicta ſufficiant de Socinianorum opinione: & quanti error iſte æſtimandus ſit.

Sic contra arbitror, Papiſtam, qui diſtincte credit, atque ita ſe de eo declarat, nempe *corda ſcrutari*, quod mortuis Sanctis tribuit; & opem auxiliumque, quæ exſpectat ab eis in rebus ſuis adverſis; & miracula quæ faciunt, defunctos Sanctos non ſua virtute perpetrare: verum Deum ipſis indicare ea, quæ in cordibus & cogitationibus illorum ſunt, qui ipſos invocant: Deumque ad Sanctorum interceſſionem, & in horum gratiam, auxilium & liberationem operari, & miracula patrare. Dico itaque me non credere Pontificios, qui Sanctos poſt exceſſum eorum ſub *ea forma* colunt, nullam formalem Idololatriam committere; licet magnis erroribus immerſi ſint; aliquid faciant, quod ad Idolomaniam debeat referri, in magna ſuperſtitione vivant: & hominibus illud arrogent, quod vere naturam hominis videtur excedere: nimirum, uno & eodem tempore multorum hominum corda & cogitationes cognoſcere. Verum Idololatria Pontificiorum, quemadmodum poſtea latius indicabimus, in eo ſita eſt, quod Sanctos ſuos *religioſâ mente*, quæ Deum ſolum pro objecto habet, invocent: unde omnia officia, quæ Sanctis præſtant, metienda ſunt. Et ex quo in eorum cultu circumſtantiæ exiſtunt, quem Sanctis exhibent, quæ iſti cultui formam dant *religionis*.

Hoc enim probe intelligendum eſt, quamvis omnes homines unam eandemque de Deo habeant ideam, non tamen ideò ſingulos cuncta Dei attributa pernoſſe. Quemadmodum etiam non omnia Dei attributa æque clara & cognitu facilia ſunt; nec æque promtè judicio hominum ſe offerunt; quanquam om-

omnia Dei attributa ex una eademque idea, quæ nobis omnibus de Deo eſt, probentur Deo ineſſe, & communi iſta idea contineri: ita ut ſi accurate contemplemur & meditemur de iſta idea, ad cognitionem illorum attributorum perveniamus. Æque ac omnes quidem eandem de triangulo ideam habemus: verum non idcirco ſinguli omnes proprietates æque recte intelligunt: licet iſtæ ex communi idea & natura trianguli (quæ cunctis etiam nota eſt) demonſtrentur omnes triangulo ineſſe. Sed de hac re alio loco latius diſputavimus.

Hæc propterea ſolum à nobis allata ſunt, ut eo diſcamus, ne arbitremur, aliquem ſtatim Idolum colere, vel ex creatura Deum facere, quum per errorem hoc vel illud creaturæ attribuit, quod ſolius Dei eſt. Qui credit creaturis, cum primum conditæ ſunt, eam potentiam eſſe communicatam, ut per ſe poſſint ſubſiſtere: Divina *ſuſtentatione* non egere &c. non eo ex creatura Deum facit: nec affirmare poſſumus errores iſtos Idololatriam neceſſariò prodere.

Hactenus diſſeruimus de cognitione veri Dei: & quid ſit illud, quod ad eam deſideretur, quum Deum in & ex natura ſua ſolum novimus: & per lumen naturale, quod ſinguli de eo habemus: quo etiam vere cognoſcitur, ut *unicus* exiſtens: quum omnium creaturarum natura ſit, ut *plures una in ſuo genere* poſſint *eſſe*. Unicus quidem tantum eſt Sol: verum naturæ ſolis non repugnat, ſi duos ſtatuamus. Ergo non abſolute neceſſarium eſt, ad verum Deum cognoſcendum, ut de eo ſpeciales quaſdam circumſtantias noverimus, quibus Deus ſingularis Deus fiat, ut ipſe ab aliis Deis ſeparetur: quia ipſa Dei natura eum unicum facit: illumque à cæteris omnibus Diis, id eſt, idolis diſſociet & ſejungat: eodem modo quo aurum ſua natura ſegregat & dividit ſe ab ære.

Verum etiam altera Dei cognitio eſt, qua Deum dicimur ſpecialiter noſſe ex cognitione nonnullarum circumſtantiarum veri Dei: quæ quidem circumſtantiæ non ſunt de natura Illius: verum res ſunt, quæ libere à Deo ortæ ſunt, & per quas ſpecialiter ſe revelavit: quum quid ſingulariter & libere circa Angelos, homines, & creaturas perpetravit: quemadmodum talia ſunt, quæ de Dei voluntate & libera operatione nobis in Veteri & Novo fœdere patefacta ſunt: & per quas circumſtantias Deus ab iſtis percipitur, qui Verbum illud,& illam inſtitutam & revelatam religionem admittunt. Et hujuſcemodi circumſtantiæ ſunt (verbi cauſa) quod Deus Abrahamo, Iſaäco, Jacobo ſe manifeſtaverit: Iſraëlitas ex Ægypto per magna miracula & ſigna eduxerit: quod Chriſtus in mundum venerit ad redemtionem generis humani; & ad id à Deo ſit miſſus: quod ſit S. Trinitas. Itaque certum eſſe ſtatuo, & ex ante dictis patet, in certis circumſtantiis nonnullos homines verum Deum poſſe quidem noſcere, eique ſervire, licet eum ſub ejuſcemodi ſingularibus circumſtantiis non noverunt, quas proxime ſupra enumeravimus; & quæ ex revelatione tantum hauriuntur. Hoc tamen verum, rariſſime fieri, ut homines priori modo ſimpliciter ſibi Deum proponant, atque ita Eum per attributa naturæ ſolum cognoſcant: ſed plerumque Deum percipiunt per ſpeciales eas circumſtantias, quibus de Deo dicitur, ſe ipſum manifeſtaſſe, cum magni quid & libere, &c. operatus eſt: quanquam alius ſub pluribus, alius autem ſub minoribus circumſtantiis Deum imaginentur: & Deum ſuum ita diſtinguunt à Diis aliorum populorum. Ratio autem hujuſce rei eſt, quod ſinguli, quæ ſolemus circa homines facere, eadem etiam circa Deum uſurpare velimus. Raro contingit, ut quis tam generali cognitioni regis ſui inhæreat, verbi gratia, ut ſolum *in genere* noverit, unicum tantum

 tum

tum Regem in regno eſſe: in eo, omnem regiam poteſtatem agnoſcat; ejuſque placitis & legibus omnem obedientiam præſtet. Sed cognitionem noſtram plerumque paulo latius extendimus, ita ut definiamus regiam illam poteſtatem in tali perſona exiſtere, qui illum patrem habuerit, his vel illas res præclaras in bello geſſerit, talem illuſtrem fœminam uxorem duxerit, in illa urbe aulam habeat, hujuſmodi naturæ & indolis ſit &c. Et caſus poſſunt incidere, ut ab aliquo, cui antea generalis notitia ſufficiebat, major poſtea notitia exigatur: quum nempe diverſi regium nomen aſſumunt, & jus in regnum habere præ ſe ferunt: aut quum à regis partibus ſtandum eſt.

Idem etiam fit de cognitione, qua ſinguli Deum ſuum noverunt. Rariſſime contingit, ut ad *generalem* Dei ideam hæreamus: ſed plerumque ad alias circumſtantias devenimus, quibus generalem Dei cognitionem in hoc vel illo collocamus. Et hoc inſuper maxime fiebat neceſſarium, cum *plures Dii* cœperunt induci, quorum alii ab aliis diſtinguendi erant; & quando veri Dei ſervi ſuum Deum ab Ethnicorum Deo ſejungere debebant. Et error Gentilium, quo ſe reos conſtituebant idololatriæ, in eo præcipue vertitur quod, quamvis in genere Deum verum cognoſcerent, poſtea illam naturam divinam attribuebant rebus, quæ notas idolorum Paganorum circumferebant: & quia carebant particularibus circumſtantiis, generalis eorum cognitio de Deo nullius eſt uſus, quinimmo pro peccato habetur. Sed in ſequenti parte latius de his diſputabimus.

Veriſſima eſſe antedicta ex Apoſtoli Pauli verbis patet *Act.* 17. ubi Athenienſibus dicit, ſe ipſis prædicare *ignotum Deum*. Nam quod Divinitatem multis idolis applicaſſent, quos ſpecialibus iſtis circumſtantiis exprimebant, quæ circumſtantiæ tales erant, ut inde idolum ſtatueretur & naſceretur, & quod ita Athenienſes ideam Dei idolum ſibi feciſſent: ideo omnes Athenienſium Dii, his circumſtantiis depicti, idola erant. Sed quia inſuper unum haberent Deum, qui nullis particularibus circumſtantiis foret præditus, quæ quorundam jam notorum idolorum propria erant: aut quibus etiam idolum fit, Apoſtolus ſuis verbis confirmat, illum verum eſſe Deum, quem ex attributis naturalibus cognoſcimus, & cujus naturalem ideam habemus: quam tum in idolum mutamus, cum ideam illam rei alicui imponimus, quæ non ſit Deus: & quæ per has vel illas circumſtantias creatura eſſe cognoſcitur: aut certa eſſe perſona, quam Gentiles ſuum Deum appellant. Et hoc omnibus nationibus temporibus Veteris Teſtamenti adeo uſitatum fuit, ut omnes, juxta teſtimonium Prophetæ Davidis, Deitatem rei alicui ſpeciali tranſſcripſerint, quæ natura non erat Deus, *Pſalm.* 69: 5: *Omnes enim Dii gentium ſunt idola, ſed Dominus creavit cœlum.*

Atque hæc eſt ratio, quare ipſe etiam Deus, omneſque illi, qui verum Deum noverunt; ut Ipſum diſtinguerent ab omnibus idolis, eum voluerint denotare, deſcribere, & veluti certis circumſtantiis definire, ex natura vel eſſentia Dei non deſcendentibus, ſed ex Divina voluntate profluentibus: quæ circumſtantiæ Deo ita propriæ factæ ſunt, ut nullis idolis debeant attribui; & quas etiam Gentiles nunquam ſuis Diis voluerunt adſcribere; ideo v. gr. *Deum Iſraëlitarum* pro Deo ſuo noluerunt agnoſcere. Quemadmodum ergo Paganorum populorum quiſque ſuum Deum certo nomine nominabant; veluti *Baalis*, *Dagonis*, *Cami*, *Aſterothi*, *Veneris*, *Martis*, *Jovis*: etiam eiſdem certa opera aſſignabant; & ipſos ſub certa forma & imagine, & certa Religionis ſpecie colebant. Sic etiam illi, qui verum Deum cognoſcebant, ſpecialia nomina habuerunt: & ipſi ſpeciales operationes adſcripſerunt, quibus illi ſuum

ſuum Deum, qui verus erat Deus, denotarent, eiſque ab omnibus Ethnicorum Diis diſtinguerent. Aliquando appellatur *Deus Iſraelis*, 2 *Reg.* 19: 15. *Domine Deus Iſraelis, qui inter Cherubim habitas: Tu ipſe, Tu ſolus es Deus omnium regnorum terrarum: Tu cœlum & terram condidiſti.* Ita ut, licet Pagani de ſelectis ſuis Deis credidiſſent, eos cœlum & terram creaſſe, tamen non propterea verum Deum habuiſſent: quia, ut ſupra dictum, Divinum illud opus aſſignarent creaturis, eſſentiis, & perſonis, quæ jam per nomina, operationes, modum religionis, imaginum & ſimulachrorum ſpecies, ſub quibus honorabantur & colebantur, *idolorum ſigna habebant.* Quandoque Deus appellatur *Deus exercituum.* Nonnunquam Deus, qui Iſraëlitas ex Egypto eduxerit. Nonnunquam *Deus Abrahami, Iſaäci* & *Jacobi*; aut aliter *Deus patrum ipſorum.* Sed præcipue Deum ſuum nominarunt & denotarunt voce *Domini Jehovæ. Jerem.* 33: 2. *Hæc dicit Dominus, qui facit, Dominus qui illud format, ut confirmet. Dominus eſt nomen ejus. Hoſ.* 12: 5. 6. *In Bethel invenit eum, & ibi locutus eſt nobiſcum: nempe Dominus Deus exercituum: Dominus memoriale ejus.* Quomodo, & qua occaſione apud Iſraëlitas hæc nomina in uſum venerint, de eo legitur *Exod.* 3. Non dubito, quin hoc cognomen per propriam Dei inſtitutionem Ei ita proprium ſit, ut, primo, numquam ab Iſraëlitis alicui Idolo ſit impoſitum. Deinde, ut numquam creaturæ cuipiam ſit *attributum*: & proinde nomen eſſe, quo non *in genere* Deus ſit denotatus: ſicut omnes homines, quibus, ut Deum noverunt, & natura Ejus ideam habent, etiam nomen eſt, quo iſtam ideam ſuæ mentis explicent. Sed cenſemus verbo *Jehovæ* ſpecialiter Deum Iſraëlis ſignificari: & quæ vox non idcirco eſt uſurpata, nec ut *in genere* Divinitas aliqua exprimeretur, neque ut quippiam in Deo denotaretur, cujus ſimilitudo aliqua inter creaturas reperitur; quemadmodum nomen *Elohim* videtur hoc expreſſiſſe. Illud enim etiam creaturis eſt communicatum, *Pſalm.* 82: 6. *Dixi vos eſtis Dii.*

Nonnulli arbitrantur vocem *Jehovæ*, ſeu *Domini* ſpecialiter *eſſentiam* & *naturam* Dei ſignificaſſe. Verum hoc dixiſſe non ſufficit. Nulla enim datur natio, cui non ſit nomen in promtu, quo eſſentiam Dei exprimat: quoniam omnes homines idea mentis prædıti, etiam neceſſariò ideam eſſentiæ illius habere debent: & tum vocem excogitant, qua eſſentiam illam denotent. Sive dicas vocem *Jehovæ* à verbo eſſe derivatum, quod vel peculiare aliquod attributum Dei ſignificet, vel in genere ejus eſſentiam; idcirco nomen illud non majus arcanum includit, quam ſi Deum appelles *ſummam* & *perfectiſſimam eſſentiam.* Verum dicendum eſt inter Iſraëlitas iſtam vocem ſpeciali ſigno inſignitam, & Deo Iſraëlis propriam eſſe factam: ita ut nulli alii poſſet attribui, quin illud cui applicabatur, pro *Deo Iſraëlis* haberetur. Non quod illi nomini natura ſua potentior ſignificatio, poteſtas, aut ſanctitas ineſſet, quam aliis vocabulis, quibus verus Deus demonſtrabatur, ſed quod Dei inſtituto uſus iſtius ita foret limitatus, ut nec *proprie*, neque *improprie*, ulli alteri rei, quam Deo Iſraëlis, poſſet imponi. Quin immo, ut verum fatear, non admittere *improprium loquendi modum.*

Vera Dei idea natura ſua non permittit, ut ea creatura quædam intelligatur. Sed vox *Dei* apud nos talem non obtinet uſum, nec ita reſtricta, ut nulli alii rei niſi vero Deo poſſimus adſcribere. Itaque Ethnicorum idola appellamus eorum Deos. Quin immo Sacræ Litteræ dicunt, Deus Sidoniorum, Deus Ammonitarum. Sed ut Deum gentilium non nominamus, verbi gratia, Deum & Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti: ſic Sacra Pagina Paganorum Deum numquam appellat Paganorum *Jehovam.*

Sed quemadmodum quædam ſingularia nomina, operationes, &c. ſunt, quæ in verum Deum ſolum quadrent, & ipſum ſecernant ab omnibus idolis; & quod peculiare detur nomen, quo Deus ab omnibus idolis diſtinguitur; ſic etiam vice verſa aliquid reperitur, quod nequaquam Deo convenit: & unde ſimulac id ideæ Divinitatis applicatur, ſtatim idolum exoritur. Atque hoc fit, cum Deum ſub quadam imagine concipimus; ut per eam honoretur, colatur, aut cognoſcatur. Sed quia id proprie idolorum cultum ſpectat, in proxime ſequente parte explicabitur, quomodo hoc ſit intelligendum: & quid ad illud requiratur, ut vere poſſit dici, aliquem idololatriam prædicto modo committere.

Antequam hinc abeamus, unum præterea dubium proponemus, & poſt id caput hoc finiemus. Multum de illis perſonis & populis diſputatur, qui, quum non eſſent ex Iſraëlitis, nec religionem eorum ſuſcepiſſent, tamen in Verbo Dei videntur teſtimonium retuliſſe, quod verum Deum noverint: aut quod quædam fecerint aut locuti fuerint, quæ videntur indicare, ipſos verum Deum coluiſſe. Unde quæritur, quam Dei ideam habuerint; & quatenus idola abnegaverint. Et an de iis potuerit dici, quod veri Dei cultores fuerint. Exempla & perſonæ, de quibus hæ dubitationes incidunt, ſunt, verbi gratia, *Abimelech Rex Gezar, Gen.* 21: 23. *Jethro ſocer Moſis, Exod.* 18. *Bileam, Num.* 10: 29. *Job* 1: 6. *Hiram,* 1 *Reg.* 5: 7. *Regina Sebæ,* 1 *Reg.* 10. *Ninivitæ, Jon.* 3. *Nautæ qui Jonam vehebant, Jon.* 1. *Nahaman Syrus,* 2 *Reg.* 5: 17. *Nebucadnezar, Dan.* 4: 37. *Darius, Dan.* 6: 27. *Cyrus, Ezræ.* 1: 2. *Cornelius, Act.* 10: 2. *Æthiops & Eunuchus Reginæ Candaces.* Cenſeo omnes eos, licet inſtitutam Religionem Judaicam non ſuſcepiſſent, atque ita non fuerint circumciſi, hanc tamen minimum ſcientiam de vero Deo habuiſſe. Primo, Deum, de quo diſſerebant, quemque adorabant, ſibi non ante oculos poſuiſſe, ſub hac vel illa imagine, forma, aut ſimilitudine: multo minus eos hoc feciſſe ſub ſimilitudine aliqua *jam inter Ethnicos nota*: & ſub qua ſimilitudine Deum ſuum noverant, denotabant & colebant. Ratio hujus opinionis ſuperius eſt propoſita. Credo etiam pleroſque eorum, qui ſupra enumerati ſunt, ſpecialiter ſub hoc ſigno Deum noviſſe, *ut illum Deum, quem Iſraëlitæ colebant.* Qui circumſtantias ſupradictorum locorum legerit, facile hoc conſpiciet. Tertio, tamen puto ſuffeciſſe, ut poſſet dici, quod verum Deum cognoverint, cum cogitationes & mentem ſuam ab Idolis abſtrahentes, & ab iis omnibus, quibus idolum ſuum proponebant: & convertentes ſe ad ideam, quam de Deo habebant, ſine ullarum ſpecialium circumſtantiarum, quibus natura Divina ſtrictius limitatur, conſideratione. Nam ſupra clare demonſtratum eſt, ad cognitionem veri Dei non requiri, ut eum nobis proponamus ſub quodam limitato attributo per revelationem tantum cognito. Sed hoc ſolum requiritur, cum Deum, verbi gratia, tam accurate novimus, ut Iſraëlitarum, aut Chriſtianorum Deum dicamur noviſſe.

PARS SECUNDA.

De Idololatria.

Cultus idolorum eſt, *Divino honore aliquid proſequi, quod natura, id eſt, vere non ſit Deus.* Hoc duplici modo fit: aut Divino cultu colitur, quod tamen ore negamus pro Deo agnoſcere: aut pro Deo admittimus & colimus, quod natura non eſt Deus. Prioris peccati omnino rei ſunt Sociniani: qui aperte Chri-

Chriſtum eſſe Deum ab æterno negantes, & unum cum Patre; id eſt, Chriſtum Deum eſſe negantes, tamen profitentur, ſe illum religioſo cultu colere. De hac Idololatriæ ſpecie ſupra latiſſime diſputatum eſt.

Præter hanc etiam alia eſt idololatriæ ſpecies, ſuperiori non diſſimilis, quanquam valde eam ſtudeant excuſare: quæ hæc eſt. Cum creaturam, quæ pro creatura agnoſcitur, & à qua verbis & doctrina declarant, nunquam quippiam alio modo exſpectare, quam quatenus putant à creatura poſſe provenire, per religionem & devotionem colunt. Opinionem noſtram latius declarabimus. Id non eſt è creatura Deum facere, ſi qui putent aliquem Sanctorum in cœlo per Divinam revelationem, conſtitutionem noſtrorum cordium & cogitationum noſſe. Neque etiam tunc ex creatura Deum facimus, quando ejuſcemodi Sancto adſcribimus, Deum per interceſſionem ejus exorari. Hunc vel illum Sanctum ſpecialem curam gerere certæ civitatis vel regionis: nec non certæ morborum ſpeciei mederi: & illum Sanctum ad averruncationem illius Deum peculiariter orare, &c. Non etiam religionis nomen meretur reſpectu illius curæ & gratiæ, quibus pollent apud Deum, iſtos colere, precari & invocare, & animi commotionem erga iſtos Sanctos habere, *proportione* dictæ fidei, quam de defunctis Sanctis habemus. Nec equidem dubito, quin aliquis, dummodo ſibi caveat ne nimis Sancti veneratione affectus prolabatur, aut abripiatur ad illi deferendum cultum religioſum, certam ſpeciem commotionis & alloquii in animo ſuo poſſet *formare*; vel, ſi liceat ita appellare, certum orationis genus (quæ vox tamen periculi plena eſt, quia plerumque ſpeciem Religionis ſignificat) ad mortuos Sanctos: quod quidem *ſuperſtitioſum* eſt, *nec ullo Scripturæ loco ſubnixum*, & ad indirectam idololatriam referri debet, non tamen idololatricum eſt.

Verum cum hac re ita comparatum eſt, ut quidem initio vir cautus & prudens, animumque ab idololatria admodum alienum habens; & qui didicit affectus moderari, iiſque modum ponere, tali per errorem officio defungatur erga Sanctos, (de quo jam proxime loquuti ſumus) quantum ad doctrinam & fidem circa defunctos Sanctos attinet, ab Idololatria liber quidem poſſit eſſe: ſicut etiam de plebe multitudo quamdiu res iſta in ſe conſideratur extra *praxin* & *theoretice*; & de ea loquitur, diſputat, & profitetur; verum uſus docet illam fidem, quæ in theoria formalem idololatriam non complectitur, praxi commaculari formali Idololatria: quia propria forma commotionis mentis, quæ in Religione ſe exerit, vulgus in ea utitur. Doctrina, profeſſio & declaratio non tollunt ab ea praxi Religionem, nec efficiunt, ut idcirco affectus iſte, paſſio & conſtitutio (quocunque ea appelles nomine) animi non eadem ſit maneatque, quando illius forma & eſſentia præſto eſt. Voco autem hic formam & eſſentiam animi religioſam diſpoſitionem: quia non obſtat quod ſcientia & fides, quas de Sanctis Pontificii habent, cum religioſo iſto mentis motu non conveniant, idcirco cognitio illa, nec fides impediunt, ut nihilominus nulla devotio nec Divinus cultus in honore & cultu mortuorum Sanctorum in animis eorum poſſent oriri. Nec cujuslibet eſt praxin moderari pro cognitione ſua: aut eam tantum conſtitutionem & commotionem in animis noſtris excitare, ut ſe contineat intra fines juſti cultus, creaturæ convenienti: aut ita facta noſtra ad fidei noſtræ normam dirigere, ut affectus non præcurrat mentem; & ne aliter agamus quam credimus: habere Sanctos defunctos pro creaturis, & non erga ipſos religione duci. Quinimmo aliquando rem aliquam tales circumſtantiæ comitantur & circumcingunt,

nec

ut non vulgare ſit, ſi *praxis*, & conſtitutio animi ad praxin, ad *theoriam* moderata ſit. Sanctum in cœlo, in habitatione Dei, in tam ſancto loco locare: illi tribuere, quod, remotiſſima illa diſtantia nihil eo obſtante, preces noſtras exaudiat: juvet nos eodem modo, quo Apoſtoli in terra per miracula homines juverunt: qui Sanctus nec civilem, neque corporalem converſationem nobiſcum habet: ipſi templa exſtruere, thura accendere: eo in loco ipſum invocare, quo Deum adoramus: & extrinſecus, & præſertim in pompa, Sancto illi ferme omnia ea officia facere, quæ in Religione reſpectu Dei ſolent fieri: quinimmo in id incumbere, illud docere, & hominibus perſuadere; & animos hominum eo convertere, ne in cultu Sanctorum defunctorum ullum animorum motum habeant, *fundatum* in corporali & civili converſatione, quæ etiam inter nos & mortuos Sanctos non intercedit. Hæc omnia, inquam, circa mortuum Sanctum facere, nec tamen eo abduci, ut religioſe Sanctos colas, rarum eſt, & vix imo ne vix quidem homines hoc poſſunt effugere. Imo veriſimillimum eſt, omnia ea officia & honores, quibus defuncti Sancti in Papatu coluntur, proveniſſe ex animis, qui jam religione & quæ tantum ad Deum pertinet, erga Sanctos imbuti erant; quia fere omnes externæ Religionis ſpecies, quibus Deus colitur, etiam Sanctis adſcripſerunt. Nondum dico, externum iſtum cultum, quo Sancti vita defuncti in Papatu honorantur, Divinum cultum eſſe. De hôc poſtea diſputabimus. Verum hoc aſſeveramus: primo; doctrinam eam & profeſſionem Sanctis nihil tribuendi, quod *Divinum* ſit, non impedire, quo minus idcirco idololatriam adverſus ipſos committant. Secundo, vix milleſimum Papiſtam exiſtere, qui Sanctos non religioſo cultu colat.

Secundum idololatriæ genus eſt, quando quippiam pro Deo colimus, id eſt, Dei ideam alicui rei attribuimus, quæ non ſit Deus. *Idololatria ſemper notitiam & ideam Dei præſupponit.* Ita ut, licet Gentiles pro idololatris habeamus, tamen affirmemus nullam nationem ullibi gentium dari, quæ non agnoſcat eſſe Deum. Supra quam latiſſime diſputavimus & probavimus, non omnis generis errorem circa Deum aut ejus naturam hoc efficere, ut loco Dei idolum habeamus: quidam errores non impediunt, quo minus ideo vero Deo adhæreamus. Quidam ejuſmodi ſunt, ut Divinitatem revera *evertant* & tollant: non tamen *idolum* inducant. Alii tales ſunt, ut proprie quidem Deitatem non tollant, ſed idolum conſtituant. Et in eo certa Idololatriæ ſpecies conſiſtit.

In eo jam res vertitur, ne ignoremus, quæ forma iſtius generis idololatriæ ſit, quando Deus ſub & per imaginem colitur; & in quo eſſentia ejus conſiſtat. Aſſerimus eſſentiam illius idololatriæ in eo ſitam eſſe, *ut Deum extrinſecus exprimamus ſub aliqua imagine vel ſimilitudine, & Ipſum ſub iſta colamus.* Quia hæc res maximi eſt momenti, quæ in Theologia tractatur, ſententiam meam, quæ prædictis verbis continetur, paulo latius explicabo: & deinde opinionem meam rationibus confirmabo. Et tandem demonſtrabo, Verbum Dei illud tam clare docere, ac clarum & notum eſt, ſolem meridie lucere. Cum dicimus illud non vacare idololatria, Deum ſub imagine proponere; non cenſemus in idolorum cultu requiri, ut idololatra externam ſuam *imaginem* ſeu *ſimilitudinem* pro Deo ſuo colat: aut ut externum illud, ſive ſtatua ſit, ſeu vivum animal, Divinitati ſimile ducat. Credo enim nunquam ullum hominem tam ſtupidum, aliquam nationem adeo ſuperſtitioni deditam fuiſſe, qui merum hominem, aut quandam beſtiam, *ſingulis ſub forma ſua conſideratis, & pro talibus habitis:* multo minus

lignum

lignum aut *lapidem*, pro Deo ſuo duxerit. Numquam quiſpiam aliquid pro Deo ſuo honoravit quod ratione & voluntate careret: quod facére & deſtruere poſſet: quod naſci videbat, & paulo poſt denaſci & in nihilum redigi. Numquam homo aliquis illud Deum ſuum eſſe arbitratus eſt, cui nihil ſupra humanum ineſſe credebat. Quare enim illud Deum ſuum, non autem hominem appellaſſet. Cum id Deum nominat, aliud quid iſto ſignificare intendit, quam quod per hominem intelligitur. Quomodo idololatra excellentiam incorruptibilis Dei mutat in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis &c. ſi per Deum hominem intelligat? Sicuti ergo homo cum ſolis hominibus *amicitiam* colit: ſaltem non cum inanimatis aut irrationalibus animalibus: ſic etiam nemo aliquid pro Deo ſuo habet, niſi in quo majus quid exiſtere ſibi perſuadet, quam humanum. Et veluti nemo ulla *devotione* affici poteſt erga id, cui non majorem, quam ſibi, reverentiam exhibet: ſic etiam nullus mortalium quicquam pro Deo ſuo ducere poteſt; quam in quo majus quid homine eſſe credit. Et ut nullus devotionem aliquam præſtare poteſt rei cuidam, quam non in majori habet reverentia, quam ſemet ipſum: ſic etiam nemo aliquid pro *Deo* ſuo colere debet, & per *religionem* ſe illi alligare, qui id, quod Deum ſuum eſſe putat, non aliquid auguſtius eſſe exiſtimat creatura; quanquam mentis cæcitate & idololatria impulſus *cenſeat Divinitatem alibi eſſe, ubi non ſit*: & ſic ex ligno & lapide Deum ſuum fabricet. Sicuti infirmi adeo judicii homines reperiuntur, qui illud amoris genus, quod amicitiam vocamus, animalibus ratione carentibus præſtant. Sed neutrum umquam *ſub formali ligni aut lapidis idea fit*, aut animalis irrationalis.

Et quia inter homines obtinet, & vere etiam dicitur, quod id ex re faciant, quod perverſo affectu illi putant ineſſe: quare S. Apoſtolus *Rom.* 1. inquit, non ſolum vere, verum etiam ex uſu hominum, idololatras lignum & lapides, bruta animalia, & hominem, &c. ſibi Deum fingere: non quod putent eas res ſub propria forma & idea Deum eſſe; ſed quia arbitrantur Divinitatem certo quodam modo (de quo poſtea latius diſſeremus) rebus iſtis adeſſe. Sic dicitur aliquis malum facere de bono, cum pudet eum boni quid feciſſe: ſed quod malum eſſe credebat, & perverſo judicio malum eſſe ſtatuebat. Sic etiam nonnemo rebus inanimatis iraſcitur, quæ tamen iræ *objectum* nequeunt eſſe. Sed hæc ita dicuntur, quod iracundus mentem præcipitans, & à paſſionibus de ſtatu rationis deturbatus, ſe contra res iſtas ita gerit, quaſi ratione forent præditæ: & vere per iræ paſſionem rei ſenſu & anima carenti quaſi bellum indicit.

Sic quis ex privato dominum ſuum & regem facit, quum tali eum afficiat honore, ut omnia in republica exequatur & regat, inſtar principis: cum tamen is non ſit nec nomine, nec poteſtate, ſed per errorem mentis ea ipſi adſcribat. Sic non *proprie* dicimus aliquem de bonis ſuum Deum facere: niſi quiſpiam in pecunia Divinitatem aliquam collocet; quod numquam fit: tum enim omnigenos nummos, & ea, quæ nummis forent vendibilia, in quibus opes avari conſiſtunt, pro Deo deputaret. Verum figuratè hæc dicuntur, nimirum, quod avarus nimium bonis confidat, & poſſeſſione eorum nimium delectetur. Quare nihil facit ad idololatrarum excuſationem, quod dicant, ſe nullam creaturam, non imaginem aut ſimilitudinem, ſub quibus Deum *repræſentent*, pro Deo colere. Verum ſe putare Divinitatem iſti imagini in forma & ſpecie eſſe ſimilem: quare de ipſis non poſſe dici, quod lignum & lapidem &c. ſibi Deum fingant: qui modus eſt loquendi Sacræ Scripturæ uſitatus, quum

idololatriam & idololatras deſcribit. Sed ſufficit quod credant in illis rebus eſſe Divinitatem.

Non etiam intelligimus per *repræſentationem* Dei ſub imagine &c. repræſentationem falſæ Divinitatis: quaſi ante idolum haberent, & illud poſtea exprimerent, & ſub ſimulachro illo honorarent. Sed mens noſtra eſt, per veri Dei *repræſentationem* ſub imagine, & cultum ejus ſub ea, modo ſupra memorato, à vero Deo recedi, & idola conſtitui. Quidam, ut idololatriam ſuam excuſent, aſſeverant, eos ſolum idololatriam committere, aut illam iſtis in verbo Dei objici, & pro talibus haberi, qui *idolum* ſub ſtatua erexerunt, honorarunt, & coluerunt: non autem, quia verum Deum ſub imagine quadam venerati ſunt. Ita ut, juxta ipſorum opinionem, idolorum cultus non conſiſtat in cultu veri Dei ſub quadam imagine, ſed in idolo ſub ſtatua adorando. Quare Scripturam dicere, idolum nihil eſſe, 1 *Cor.* 8: 4. *Et quæ Ethnici Diis ſuis offerebant, ea dæmonibus ſacrificaſſe.* 1 *Cor.* 10: 20. *Deut.* 32: 17. *Immolaverunt dæmoniis, non Deo: Diis quos ignorabant: recentibus, qui ex propinquo venerant.* Quibus reſpondeo certum eſſe, & ex Verbo Divino clare demonſtrabimus, diſtinguendum eſſe inter illam idololatriam, per quam in ſtatua *idolum proponitur* & colitur, ita ut ſub ea ſtatua Deum nobis ob oculos ponamus, *qui per circumſtantias Deus Paganorum factus eſt*: & inter hanc, qua idololatra *per imaginem aut ſimilitudinem Deum colit*, qui per circumſtantias cognoſcitur *Iſraëlitarum & Chriſtianorum eſſe Deus.*

Aliud eſt, in ſtatua *Martem*, *Venerem* & *Jovem* honorare: & per certas circumſtantias, quibus idola illa à vero Deo, & ab aliis idolis diſcernuntur, ea ſibi proponere: aliud autem, ſub imagine & forma Deum quendam colere, eumque ſub ejuſcemodi circumſtantiis ſibi ante oculos ponere, quibus verus Deus ſignificatur. Verum poſterius *idolomaniam* non continere pernegatur: aut illam *imaginem*, per quam Deus Iſraëlitarum aut Chriſtianorum colitur, *idolum* non eſſe. In idololatria committenda verum Deum quidem nobis poſſumus imaginari: & tamen per idololatriam, id eſt, colendo eum per effigiem, idolum ipſum facere: ita ut per *formam* religionis verum Deum *immutemus* in *idolum*: & ut ſub ea cultus forma non amplius habeamus *verum Deum*, ſed *idolum*. Quare etiam idololatria ſpirituale *adulterium* appellatur.

Libenter concedo, ubicunque dicitur *idolum nihil eſſe*, 1 *Cor.* 8: 14. & 12: 20. idololatras non *Deo*, *verum dæmoniis ſacrificaſſe*, ibi de Ethnicorum idololatria verba fieri: qui non per *imaginum cultum* idolum ſibi faciebant: ſed qui adhæc ſpecialiter paganorum idolum ſub imagine ſibi proponebant; & in illo pro Deo colendo occupati erant: quem per certas circumſtantias quarundam operationum & apparitionum ſpeciatim ſibi *repræſentabant*: quæ operationes & apparitiones revera nihil aliud erant, quam opera diaboli: & propterea nihil omnino eorum, quæ ſibi de Divinitate quadam in ſua idololatria imaginabantur. Ipſa S. Scriptura videtur hoc diſcrimen oſtendere, 2 *Chron.* 11: 15. *Et Jerobeam conſtituerat ſibi ſacerdotes excelſorum, & dæmoniorum, & vitulorum, quos ſibi fecerat. Per dæmonia* Ethnicorum idola denotans: & per vitulos idololatriam Dan & Bethel. Nuſquam (quod ſciam) ex S. Litteris patet, idololatriam Dan aut Bethel commiſſam, aut quam Iſraëlitæ committebant cum Vitulo aureo, *Exod.* 32. *dæmoniorum cultum* nominari: aut Iſraëlitas eum pro Deo *alieno* ſuſcepiſſe. Quemadmodum ipſis, occaſione idololatriæ Gentilium, objicitur *Malach.* 2: 11. *Nam Iſraël contaminavit ſanctificationem Domini, quam diligit: nam duxit filiam Dei alieni.* 2 *Reg.* 17: 35.

17:35. *Tamen Deus pactum cum eis percuſſeras, & mandaverat illis; dicens, nolite timere Deos alienos.* *Levit.* 6: 14. Deus inquit, *Ne ſequimini Deos alienos*: & clarius iſtud explicans dicit, *de Diis populorum, qui circum vos ſunt.* Et *Joſ.* 24: 2. de Therach, patre Abrahami dicitur, quod *alienos Deos* coluerit: nempe, quia Deos Paganorum coluerat. *Exod.* 20: 3. *Non habebis Deos alienos in conſpectu meo: non facies tibi ſimulachrum aut ullam imaginem.* Per prius præcepti membrum commode intelligas cultum *Dei alieni*: per poſterius veri Dei ſub imagine aliqua.

Imo contra, quod Iſraëlitæ in ſua idololatria per Vitulorum cultum ſibi non repræſentarent, nec propterea colerent ullum Ethnicorum idolum: ſed verum Deum etiamnum ſibi ob oculos ponerent, quem tamen per Vitulorum cultum in idolum transformabant; Iſraëlitæ conſiderantur, quaſi *verum Deum* adhuc haberent: quia per Vitulorum cultum nullum Deum alienum, nec aliquem ex Paganorum Diis admiſerunt. *Hoſ.* 4: 15. *Si ſcortaris o Iſraël, ſaltem non delinquat Juda: & nolite ingredi in Gilgala, & ne aſcenderitis in Bethaven: neque juraveritis, Vivit Dominus.* 2 *Reg.* 10: 23. *Perquirite & videte, ne hic forte quiſquam vobiſcum ſit de ſervis Domini, ſed ſervi Baal ſoli.* Rex intelligit per ſacerdotes Domini, ſacerdotes in Dan & Bethel: vid. etiam *Pſalm.* 29. Unde ergo clare patet, Iſraëlitas in Vitulorum cultu præ ſe tuliſſe, ſe verum Iſraëlis Deum colere. Ignoro etiam idola in Dan & Bethel ſtercoreos Deos appellari, quemadmodum Gentilium idola ſæpius in Verbo Divino ita appellantur, 1 *Reg.* 21: 26. *Et commiſit res valde abominandas, Deos ſtercoreos ſequens, prorſus ut fecerant Amorræi.*

Ex S. Scriptura etiam clare patet, idololatriam, quæ in Dan & Bethel ab Iſraëlitis committebatur, non tantum peccatum coram Deo fuiſſe, quantum idololatria, quam Iſraëlitæ faciebant in cultu idolorum Ethnicorum, 1 *Reg.* 16: 31. *Et factum eſt ut Achab, an res fuit parvi momenti, ambularet in peccatis Jeroboami filii Nebath, ut etiam Jeſabelem filiam Ethbaâlis regis Sidoniorum uxorem duceret: & abiens coleret Baal, & incurvaret ſe ei.* *Act.* 9: 39. *Et faciebant Vitulum diebus iſtis, & victimas adferebant idolo, & delectabantur operibus manuum ſuarum. Et convertit Deus, & tradidit eos ſervire militiæ cœli.* Peccatum idololatriæ majori illius peccato puniens: vide etiam 2 *Chron.* 27: 2. Et ubicunque Iſraëlitæ clarum mandatum à Deo habebant, ut Iſraëlitam, aut urbem, quæ Diis Gentilium & reliquis Diis ſerviebat, exſtirparent, *Deut.* 13: 1.2.3.4. & 5. *Cum propheta aut ſomnians ſomnium in medio tui ſurrexerit, & dederit vobis ſignum aut portentum, &c. & dixerit tibi, eamus, ſequamur Deos alienos, quos non noveras, & iis ſerviamus, &c. propheta ille aut ſomniator interficietur*: ſic etiam *verſ.* 6. & 13. ſemper ibi ſermo fit de cultu Deorum alienorum, & prohibetur, pœna mortis indicta. Sic Deus vetat filios Juda bellare contra reliquas tribus, qui imperio Rhehabeami ſe ſubducebant, & Vitulorum cultum ſuſceperant. 1 *Reg.* 12: 24. *Sic dicit Dominus: non aſcendetis, neque bellabitis contra fratres veſtros, filios Iſraël.*

Quod autem de Joſia dicitur, quod Samariæ Sacerdotes excelſorum ſuper altaria occiderit, 2 *Reg.* 23: 19. *Inſuper etiam Joſia abſtulit omnia fana excelſorum, quæ in urbibus Samariæ erant, quæ fecerant reges Iſraël ad irritandum Dominum: & fecit eis ſecundum omnia opera, quæ fecerat in Bethel. Et occidit univerſos Sacerdotes excelſorum*, hoc non videtur intelligendum de ſacerdotibus, qui tantum idololatriæ in Dan & Bethel miniſterium præſtiterant & curaverant: verum qui etiam idola Ethnicorum coluerant. Nam

verſ. 9. ejuſdem Cap. habetur, Regem Joſiam Sacerdotibus excelſorum non permiſiſſe, ut ſacrificarent in altari Domini Hieroſolymæ: ſed panes azymos comedebant in medio fratrum ſuorum. Ita ut Sacerdotes excelſorum non ſolum ſemper ſignificent Sacerdotes idololatriæ, quæ in Dan & Bethel committebatur: verum etiam ſpeciatim aliquando eos antiſtites, qui ſine idololatria in excelſis, quibus locis Deus ſacrificari prohibuerat, vero Deo immolaverunt. De quibus in ſpecie legitur, 2 *Chron.* 33: 17. *Sed immolabant etiamnum ſuper excelſis, quanquam Domino Deo ſuo.* Ita ut jure hinc poſſit colligi, etiam Sacerdotes excelſorum in Iſraële fuiſſe, qui ſuper excelſis Diis Gentilium immolarent: & Joſiam ejuſmodi antiſtites excelſorum necaſſe. 2 *Chron.* 11: 15. expreſſe diſtinguitur inter Sacerdotes excelſorum & Vitulorum. *Et Jeroboam ſibi excelſorum antiſtites conſtituerat, & dæmoniorum, & Vitulorum, quæ fecerat.* Vide etiam 1 *Reg.* 12: 31. & 1 *Reg.* 13: 2. Etiam videmus Prophetam Eliam, 1 *Reg.* 18. prophetas Baal jubere comprehendi & occidi. Et ex toto illo capite patet, Sacerdotes Baal, & idololatriam iſtorum longe aliter conſiderari, quam idololatria Vitulorum. Quidquid ſit de pœna: hoc ſaltem verum, idololatriam in Dan & Bethel non tam enorme fuiſſe peccatum, quam *alienorum Deorum.*

Verum licet hæc omnia vera ſint; negatur tamen, non *veram idololatriam* futuram, verum Deum Iſraëlis, aut Chriſtianorum Deum, *ſub imagine colere.* Prædicta S. Scripturæ loca, allegata ad probandum Vitulorum cultum non conſtituere cultum alienorum Deorum, demonſtrant Iſraëlitas in Vitulorum cultu ſibi non aliquod *Paganorum idolum propoſuiſſe*, nec ſimpliciter in genere *Divinitatem quandam*, ſed ſpeciatim Deum Iſraëlis. Hoc comprobat etiam diſcrimen peccati inter idololatriam, quam Iſraëlitæ committebant in omnibus Gentilium idololatriæ ſimilem, & idololatriam in Vitulorum cultu. Quare enim una idololatria major eſſet altera coram Deo, ſi æque in hac, ac in illa, idolum aliquod Ethnicorum ab idololatris repræſentaretur? Excepto, quod Verbum Dei teſtetur, Iſraëlitas in formandis ſuis Vitulis, & in idololatria ſua inſtituenda, Deum Iſraëlis *ob oculos ſibi poſuiſſe, Exod.* 32: 4. *Hi ſunt Dii tui Iſraël, qui te eduxerunt è terra Egypti.* 1 *Reg.* 12: 28. *Quare Rex inito conſilio fecit duos Vitulos aureos: & dicebat eis, moleſtum nimis vobis aſcendere Hieroſolymam; ecce Dii tui ô Iſraël, qui te è terra Ægypti eduxerunt:* ex quibus verbis dilucide apparet, animum Jeroboami non fuiſſe Iſraëlitas nova ſua externi Divini cultus forma ad alienorum Deorum cultum traducere. Expreſſam illius Dei mentionem faciebat, qui Hieroſolymæ colebatur: & is certe verus erat Deus, & Iſraëlitarum Deus. Præterquam quod mentionem injiciat illius Dei, qui Iſraëlis poſteros ex Ægypto eduxerat: quam *circumſtantiam* Deus in ſpecie ab Iſraëlitis voluit uſurpari, ut Ipſe, verus nempe Deus, oppoſitus omnibus Paganorum idolis, eo deſignaretur. *Hoſ.* 13: 4. *Ego ſum Dominus Deus tuus jam inde ex terra Ægypti. Idcirco Deum præter me neſcies. Exod.* 20. *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te ex Ægypto.* 2 *Reg.* 17: 35. 36. *Tamen Dominus pactum percuſſerat cum eis, & mandaverat, dicens: nolite timere Deos alienos, nec incurvabis te iis, neque ſervies eis, neque immolabis iis: ſed Dominum, qui vos ex terra Ægypti eduxit in fortitudine magna, illum adorabitis.* Sed præcipuam conſiderationem meretur locus *Hoſ.* 4: 15. *Nolite ingredi in Gilgal, nec aſcenderitis in Bethaven: neque juraveritis, Vivit Dominus.* Ex his Scripturæ locis evidenter patet, Iſraëlitas præ ſe tuliſſe, ſe Domino, Deo Iſraëlis per Vitulos ſervire, & per nomen Ejus jurare.

Quod

Quod ſi Iſraëlitæ in Vitulorum cultu *Deum aliquem Gentilium* ſibi propoſuerint, quis tandem fuit ille Deus? Quodnam ei nomen erat inter Ethnicos? Qua externarum *cæremoniarum* ſpecie & *cultu* colebatur? Sub qua *imagine* inter Paganos exprimebatur? In multis Sacrarum Litterarum locis idolorum Ethnicorum fit mentio, & præcipue eorum, quibuſcum Iſraëlitæ ſpirituali modo ſcortati ſunt: nuſquam tamen Deus Bethel inter illa recenſetur: quia iſta idololatria, & idolum iſtud, in eo conſiſtebat, quod Deus Iſraëlitarum, verus & æternus Deus, per aureos Vitulos repræſentaretur & adoraretur. *Amoſ.* 8: 14. *Qui jurant per delictum Samariæ, & dicunt, vivit Deus tuus o Dan, & via Berzebæ vivit.* Etiam magna injuria Iſraëlitis fit, ſi ipſis ſine ratione *maximam* Idololatriam adſcribas, ut propriam excuſes. Docere, illud nullam idololatriam continere, verum Deum Iſraëlitarum proponere & colere ſub ſimulachro, & propterea ſe nihil commune habere cum idololatria Iſraëlitarum, quam cum Vitulorum cultu committebant: quem S. Scriptura aperte idololatriam appellat: quia, ut illi prædicant, Iſraëlis poſteritas tam prava foret, ut idolo Gentilinm ſub imaginibus ſuis ſervirent: verum ſe, qui Deum Chriſtianorum ſub ſimulachro colunt, verum Deum Chriſtianorum adorare. Nihil etiam ad rem facit, nec idololatriam Chriſtianorum excuſat, qui Deum per ſignum colunt, quod Iſraëlitæ verum Deum repræſentaverint ſub Vitulo, aut adoraverint illum per Vitulos: verum quod quidam Chriſtiani eundem Deum exhibeant per formam humanam; & per eam ipſum colant. Sciendum eſt Vitulos, quibus Iſraëlis poſteri idololatriam committebant, ſpeciem quandam fuiſſe Cherubim, quibus etiam Deus attributa ſua & operationes, tanquam per Hieroglyphicam figuram, hominibus oſtendebat: & propterea idololatria illa non tam enormis nec craſſa erat, quam quidem multi credunt: nec humana magis figura, ac Vituli, cum Deo congruit. Hoc itaque probato, Iſraëlitas prætexere ſe ſub Vitulorum cultu Deo Iſraëlis ſervire: non amplius opus eſt ex Sacra Scriptura demonſtrare, qui verum Deum per ſimulachrum colit, idololatriæ crimen incurrere: quam ut ex eodem S.S. Verbo Dei probetur Spiritum S. hujuſcemodi ſigna *idola*, & eorum cultum idololatriam nominare, *Hoſ.* 13: 2. *Nunc verò perrexerunt peccare, & fecerunt ſibi de argento ſuo conflatilia, pro intellectu ſuo idola, opus artificum quodque: de quibus tamen dicunt, homines qui immolant, Vitulos oſculabuntur.* Et *Cap.* 8. *verſ.* 5. 6. *Tuus Vitulus, o Samaria te projecit: exarſit ira mea in ipſos: argentum ſuum & aurum ſuum fecerunt ſibi idola, ut interirent. Nam ex Iſraël & ipſe eſt: artifex fecit illum, & Deus eſt: ſed confringetur Vitulus Samariæ.* 2 *Chron.* 13: 8. *Eſtis quidem magna populi multitudo, ſed habetis aureos Vitulos vobiſcum, quos Jeroboam vobis fecit in Deos. Verſ.* 9. *Quilibet qui accedit ad implendam manum ejus, &c. fit ſacerdos eorum, qui non ſunt Dii*: comparatus cum 1 *Reg.* 13: 33. *Poſt acta illa Jeroboam non revertebatur de via ſua peſſima, ſed denuo faciebat ſacerdotes excelſorum ex infima plebe: quicunque volebat, implebat manum ejus, & fiebat ſacerdos excelſorum.* 1 *Reg.* 12: 32. *Et Jeroboam conſtituebat diem ſolennem octavo menſe, quinto decimo die menſis, adinſtar ſolennis diei, qui celebrabatur in Juda: & immolabat in altari: idem faciebat in Bethel, adolens Vitulis, quos fabricatus fuerat: inſtituebat etiam in Bethel Sacerdotes excelſorum, quæ exſtruxerat.* Ita ut ex collatione horum locorum S. Scripturæ clare pateat, quod Sacerdotes eſſe illorum qui non ſunt Dii, 2 *Chron.* 13: 9. ſignificet, Sacerdotes eſſe excelſorum in Bethel: quare Vitulorum cultus mera fuit idololatria. *Act.* 17. *Et faciebant Vitulum in illis diebus,*

& offerebant victimas idolo. 1 Cor. 10: 7. *Ne idololatræ fiatis, ſicut quidam ex illis: ſicut ſcriptum eſt: Sedit populus ad edendum & bibendum, & ſurrexerunt ad ludendum.* Amos 5: 5. *Sed nolite quærere Bethel, nec in Gilgalam nolite intrare: nec in Berſebam tranſibitis*, &c. *Quærite Dominum & vivite.* Unde liquet Religionem in Bethel idolorum cultum fuiſſe; nec revera Deum per illum quæſitum fuiſſe, quamvis hoc jactarent, & ſibi perſuaderent: verum idolum adoraſſe. Quapropter etiam dicitur 2 Chron. 11: 16. *Poſtea veniebant etiam ex cunctis Tribubus Iſraël Hieroſolymam, quicunque dabant cor ſuum, ut quærerent Dominum Deum Iſraël, ut Domino Deo patrum ſuorum, victimas cæderent.*

Ita ut pii Iſraëlitæ, qui ſub imperio Regis Iſraël vivebant, bene perciperent, Vitulorum cultum *idololatriam* eſſe. Eodem nititur fundamento, quod 2 Chron. 15: 13. *dicitur, Iſraël autem multis diebus fuit ſine vero Deo, & ſine docente Sacerdote.* Quod Vitulorum cultus *idolorum* eſſet *cultus*: & Vituli *idola*: & Iſraëlitæ, qui per ſimulachra iſta Deo ſtudebant ſerviro, excidebant eo; quamvis propterea non colerent Deum alienum. Cum tamen illi populi, quos Rex Babyloniæ juſſit tranſmigrare in terram Iſraël, poſt avectionem Iſraëlitarum, dicantur *Dominum* timere: quia Deum Iſraëlis agnoſcebant, Eumque ſine imagine colebant: licet etiam alienis Diis ſervirent, 2 Reg. 17: 25. *Cumque ibi habitare cœpiſſent, non timebant Dominum: ſed unaquæque gens fabricata eſt Deum ſuum: etiam timebant Dominum & ex infimis ſuorum faciebant Sacerdotes excelſorum.*

Quanquam cultus is Deo non placeret, non tamen verum Deum *deſerebant*, quia per *ſimulachrorum cultum* ex Deo Iſraëlis non *idolum* faciebant: quinimo atteſtantibus id S. Literis, Deum adorare per imaginem tam *formalis* idololatria eſt, ut S. Scriptura ea penè omnem idololatriam denotet, 2 Chron. 32: 19. *Et loquebantur contra Deum Hieroſolymæ, ſicut adverſus Deum populorum terræ, opera manuum hominum.* Pſalm. 97: 7. *Confundantur omnes, qui adorant ſculptilia: omnes qui gloriantur ſimulachris.* Ex quibus omnibus evidenter conſtat, tertiam iſtam idololatriæ ſpeciem (qui per repræſentationem & cultum veri Dei ſub ſimulachro, verus Deus in idolum transformatur) formaliter conſiſtere *in adoratione Dei per imaginem.* Et propterea neminem excluſum à populo Iſraëlitico, de quo tamen Verbum Dei teſtatur, quod verum Deum cognoverit & timuerit, &c. Deum ſibi ſub ſimulachro quodam ſic propoſuiſſe, prout Iſraëlitæ in Dan & Bethel per Vitulorum cultum Ipſum colebant. Aliud eſt Deum per certas notas exprimere, & per circumſtantias oculis mentis ita proponere, ut *idolum Ethnicorum* habeamus. Diverſum autem, Deum ſeparare ab omnibus circumſtantiis, *quibus idolum Gentilium cognoſcitur & diſtinguitur; & in tantum verum Deum oculis mentis cernere: ſed per ſimulachrorum cultum Illum idolum facere.* Defendere autem ejuſmodi idololatriæ ſpeciem non dari: nec rationem neque S. Scripturam docere, veri Dei per ſtatuam adorationem idololatriam continere maxime abſurdum eſt: & contrarium ſuperius quam latiſſime adſtruximus.

Jam ulterius & exactius nobis inquirendum reſtat, quid proprie ſit, *Deum ſub ſimulachro aut ſimilitudine, &c. proponere, colere & ſervire*: & quo pacto illud ſignum ſeu ſculptile ſit conſiderandum. Deum ſibi corporaliter repræſentare per *ſubitam* & citam operationem *imaginationis* proprie non eſt idololatria: neque etiam idololatria eſt credere, Divinam naturam *ex ſpiritu & corpore* conſiſtere, & talem ideam Dei formare: quemadmodum ante late id deduximus. Per craſſos ejuſmodi errores aliam quidem de Deo ideam formamus, quam ea revera eſt;

eſt: non tamen *alieni* Dei ideam facimus: nec Illum per ideam illam in *idolum* transformamus: verum naturam Ejus & eſſentiam non recte concipimus. Pagani credebant Reges ſuos poſt exceſſum ſublatos eſſe in cœlum, & Deorum ordinibus adſcriptos, ipſisque ut Deo ſerviebant & colebant: illi quidem magnum idololatriam committebant coram Deo, illud adorantes quod Deus non erat. Sed ob iſtam idololatriæ *formam* illius idololatriæ ſpeciei rei non erant, cujus mentio fit *Deut.* 27: 15. *Maledictus ille, qui facit ſculptile aut conflatile, opus manuum artificum, ponetque illud in abſcondito. & Levit.* 19: 4. *Nolite converti ad idola: nec Deos conflatiles faciatis vobis. Ego Dominus Deus veſter.* De illa enim idololatria Gentilium, qui Regem ſuum pro Deo colebant: vel de iſta, qui Angelum, aut hominem in Deum ſibi aſſumebant & adorabant, non tamen ſub ſimulachro, dici non poterat, quod *lignum*, aut *lapidem*, *Deum* ſibi facerent. Ita ut, vere ut poſſit dici, aliquem hujus ſpeciei idololatriæ affinem eſſe, non ſufficiat, eum credere, Deum eſſe corporeum.

Factum etiam illius idololatriæ non conſiſtit in Deo orando, honorando, & ſerviendo in loco, ubi præſentia Dei ſingularis quibusdam ſignis & ſymbolis exprimitur aut indicatur. Poſſumus quidem Deum noſtrum invocare in Eccleſia, ubi imagines ſunt; nec tamen idcirco iſtas adorare: nec ſervire & adorare Deum per illa ſimulachra; poſito nullum illorum ſimulachrorum erigi ad Deum repræſentandum; aut (quod pejus adhuc eſt) ad illud adorandum. Nec etiam idololatria eſt, effigiem quandam erigere, aram, aut Eccleſiam exſtruere, in ſignum, Deum rei ei ſingulariter adeſſe. Et cum illud ſine præcepto Dei fit, ſuperſtitio quidem eſt, & religio ex proprio animi ductu; non tamen formalis idololatria. Ita Deus Arcam & Templum juſſit ædificari, quæ Judæis erant pro Sacramentis peculiaris gratioſæ præſentiæ Divinæ. Nec idololatriæ ſpecies eſt credere, Deum ſpeciali modo circa adminiſtrationem Sacramentorum præſentem eſſe, Eumque ita ibi adorari, quemadmodum Judæi ipſum in Templo Salomonis invocabant. Non etiam idololatriæ nomen meretur, corpore & animo ſe convertere ad certum locum, aut ad certam rem, ubi Deus ſingulariter per ſpecialia quædam opera præſentiam ſuam manifeſtat. Sic oculos & cogitationes intendimus cœlum verſus, quod cenſeamus Deum ibi peculiari modo præſtò eſſe. Quapropter *Moſes* non peccabat, multo minus idololatriæ crimen incurrebat, cum Deum in ardenti rubo adoraret, *Exod.* 3. Nec Iſraëlitæ rei erant illius peccati, cum Deum in nube, aut in ardente columna, invocarent. Vel cum Deum orarent, oculis in ſerpentem fixis, quem Moſes in deſerto erexerat. Deum in Sole, Luna, aut Aſtris colere, etiam idololatria careret: ſi Deus per ſingularia quædam ſigna præſentiam ſuam in iſtis revelaret.

Nec etiam idololatriæ peccato ſubjacet, Deum adorare, cum corporaliter ſe exhibet, aut in carne manifeſtat. Cum Deus per viſionem præſentiam ſuam Prophetis vellet oſtendere; atque hoc pacto in *phantaſia* Prophetarum operari, corporali ſpecie ſe manifeſtabat. Sic Daniel videbat *Antiquum dierum: cujus veſtimentum candidum erat, ut nix; & capilli capitis ejus, ut lana munda, Dan.* 7: *v.* 9. Nec etiam Abraham *Gen.* 18. idololatriam committebat, cum unum ex tribus iſtis, qui pro viris ſe ferebant, honoraret & coleret pro Deo. Neque etiam in idololatriam incidimus, cum Chriſtum Deum & hominem in una Perſona invocamus. Et naturale lumen ineſt menti noſtræ, quod *dictat* nobis, talem cultum idololatria vacare: nec ullus exiſtit homo, qui ſine longa dubitatione ad

illud non reſponderet, hoc licere: cum tamen plerique (nec ullos excipio, niſi eos, qui præjudicio lumen ingenii ſui occæcarunt) dicturi ſint, Deum colere per ſimulachrum, ſimilitudinem, aut creaturam quampiam, idololatriam eſſe: & ſimulachrum, ſimilitudinem, &c. idolum eſſe. Prius aſſeveramus idololatria vacare. Quod per naturale lumen ingenii cognoſcamus, hujuſmodi naturam & ſpeciem conjunctionis Dei cum creatura quadam non facere idolum, nec creaturam idololatricum ſimulachrum.

Sed contrà naturæ lumine novimus in idololatria, quæ in, & ſub imagine aliqua, aut ſimilitudine fit, has tres præcipue conditiones requiri. Primò, ut Divinitas cum creatura quadam, ſimulachro, & re corporea ita adunetur, ut ſemper ſigno ei inſit & adſit, & in, & per illud operetur. Deinde, ut iſte, qui Deum hoc modo ſub corpore aliquo colit, Divinitatem quaſi per characteres exprimat & ſignet, & iis Deum ſuum à reliquis Diis diſtinguat & ſeparet: atque ita quaſi in ſpecie dicat, hunc Deum ſuum eſſe, quem ſub ejuſcemodi re corporea adorat. Tertia conditio eſt, ut hoc ſine ullo mandato faciat: quæ tertia conditio propterea præcedentibus adjungenda eſt, quod per naturale lumen nobis non conſtet, quod Deus prædicto modo ſe non poſſet conjungere cum aliqua creatura, & hoc pacto mortalibus revelatus ſineret ſe adorari. Quin immo S. Scriptura nos docet, Divinitatem cum humana natura ſe copulantem, ita in humana illa natura eſſe adorandam: & Deitatem cum humana natura ſic unitam, peculiarem Chriſtianorum Deum eſſe, atque ita per conjunctionem eam *certis characteribus expreſſum* ut verum & æternum Deum. Nec ratione naturali pro certo poſſumus definire, num cum veri Dei attributis pugnet, ut ſe cum aliis creaturis copulet, & in illis ſe coli permittat. Verum hoc naturalis ratio docet, non licere mihi Deum pro arbitrio *inſignire*. Et S. Literæ expreſſe tradunt, Deum nulla ſimilitudine, *imagine*, aut externa forma velle denotari. *Tres hæ conditiones*, quæ in *Idololatria* exiguntur, quæ per, & ſub ſimulachro aut ſimilitudine fit, per multas ſubtilitates non ſunt quæſitæ, nec ingenioſe excogitatæ: multo minus *fictæ*, ut ad noſtrum propoſitum & aſſeverationem eas applicaremus. Nulla etiam humana auctoritate nituntur, nec poteſt ulterius earum fundamentum demonſtrari: ſed petitæ ſunt ex contemplatione naturalis illius ſcientiæ, quæ nobis de hac ſpecie, ut & de omnibus aliis *idololatriæ* ſpeciebus innata eſt: de qua cuncti eandem ſententiam ferimus: & cujus univerſi unam & eandem ideam habemus: de quo quilibet periculum poteſt facere, qui res & conditiones, quas poſuimus, ſerio conſiderat, & ſingulari cura eas examinat. Quare uno ore cenſemus, in prædictis caſibus, quibus Deus ſe in corpore oſtendit, & ſic cultus eſt, nullam *idololatriam* fieri: & præſertim non illam *idololatriæ* ſpeciem, de qua nunc diſputamus. Contra, quare ſit *idololatria*, ſi homines alios homines, per quos Deus miracula aliqua facit, adorent: ibi certe etiam Deus ſingulari modo in homine præſens eſt; & in tantum cum homine conjunctus: & tamen omnes uno ore fatemur, poſterius *idololatriam* continere; in prioribus autem caſibus nullam *idolomaniam* fuiſſe commiſſam. Non obſtante eo, quod Deus in corporea forma ſe manifeſtans, ſic etiam invocaretur. Similiter etiam, quare novimus hanc *idololatriæ* ſpeciem, qua homo hominem, quem homine auguſtiorem cenſet, adorat, diſtinguere ab illa *idololatria*, qua Deus *ſub ſimulachro* colitur.

Univerſos homines illud diſcrimen facere; doctos & indoctos; & quemlibet id poſſe conſpicere, dummodo animum intendere velit, ad rem probe conſiderandam; argumento eſt, quod refutari ne-

nequit, mandatum eſſe naturæ, illicitum eſſe Deo ſub, & per imaginem, modo jam prædicto, ſervire: hoc factum ſpeciem quandam eſſe veræ & formalis *idololatriæ*: & idcirco mandatum, *Exod.* 20. non civile, aut ceremoniale præceptum eſſe, ſed legem naturæ: vim ſuam obtinentem, æque ſub Novo, ac ſub Veteri Fœdere. Quum nulla alia ſigna aut argumenta ſint, quibus juſſum Naturæ diſcernamus à *ceremoniali* aut *politico* præcepto.

De quo *naturaliter* judicamus, ac de quo per naturam ideam facimus *boni* vel *mali*, *veri* aut *falſi*, *fidi* aut *infidi*, *honeſti* aut *inhoneſti*, id dicitur eſſe *præceptum naturale*. Etiam utiliſſimum & jucundiſſimum eſſe ſtudium cenſeo, ut veram rationem & fundamenta inveſtigemus, quare naturaliter de re quadam judicium noſtrum proferamus. Deus tantum luminis etiamnum in ingenio humano poſt lapſum Adami reliquit, ut de plurimis rebus, & de naturali bono & malo, præcipue inſtinctu naturalis illius luminis, judicet: cum tamen ſine accurata inveſtigatione *rationem*, quare hoc bonum ſit vel malum, nec etiam *fundamentum* ejus ſciat. Æque ac homines ſexcentas res & actiones faciunt in motione ſuorum, & alienorum corporum, quarum rationem reddere nequeunt; & ſi eas tam *ſpeculative* noſſent, quam quidem *practice* faciunt: id eſt, ſi iſtarum ſuarum actionum æque rationem tenerent, quam prompte quidem illas patrant, innumerarum elegantium rerum notitia in *Mechanicis* fruerentur: quas Mechanici per accuratam inveſtigationem & examinationem ejuſmodi actionum, & fundamentis iſtis ſuperſtruentes, excogitant. Veluti Chriſtiani per exquiſitam examinationem eorum, quæ natura judicamus: & naturali iſto lumine, quod judicia illa ſequuntur, integram Ethicam cogitando poſſunt invenire: & naturam & proprietates omnium noſtrarum paſſionum norunt explicare.

Hoc inſuper addam. An quis ratione prædicus nullum ea in re abſurdum conſpicit: ſi aliquis, qui verum Deum ſe noſſe & profiteri jactat, Ipſum colat & ſerviat ſub quodam animali, planta, arbore, aut legumine, quemadmodum inter Ethnicos tales idololatræ fuerunt. Et an probare poſſumus, ut nonnemo verum Deum colat per *inanimatum ſimulachrum*, quod, verbi gratia, formam habet hominis? An major eſt ſimilitudo inter ligneam ſtatuam & Deum, & inter aliquod animal vivum? An quæſo ratio quædam dari poteſt, cur putemus, Deo magis placere, ut conſideremus Eum *unitum*, eo modo, (quem in Idololatria deſiderari jam probavimus) cum *ſimulachro ligneo aut lapideo*, quam cum animali nonnullo irrationali? Vel an Deus uſquam declaravit, ſe malle eo modo, quem nos *idololatricum* appellamus, cum *imagine lignea* aut *lapidea* ſe jungere, quam cum animali quodam.

Nec obſtat, ſi dicamus, Deum quidem humana forma Prophetis in viſionibus apparuiſſe, *Dan.* 7: 9. 10. 1 *Reg.* 22: 17. Nam *primo*, cum Deus ita ſe manifeſtat, corpus, quo Deus ſe ſic exhibet, eo pacto cum Divinitate eſt adunatum: quemadmodum illi, quibuſcum res nunc nobis, Deitatem humano ſimulachro dicunt ineſſe. Sed an magnum non eſt diſcrimen, Deum tali modo in Hiſtoria oſtendere, quali ſe revelavit: ubi nullum eſt *propoſitum* vel Eum adorandi per *effigiem* illam: nec iſta forma Dei naturam exprimendi.

Diverſum eſſet hiſtoriam apparitionis trium illarum perſonarum, quæ Abrahamo forma humana apparuerunt, exprimere. Aliud autem, humanam ſtatuam formare, ut extra hiſtoriam Deum ea *denotaremus*: & quod pejus eſt, Ipſum inſuper per illam *colere*. *Simulachrum* ita formatum ſine invocationis ſcopo, nullum alium videtur uſum habere, quam hunc; quod velimus Dei eſſentiam & for-

formam per iſtam deſignare. Quod certe illicitum. Quanquam putem hoc nunquam, aut rariſſime fieri: ſed *imaginem* plerumque fingi, ut per eam Deo ſerviamus.

Excepto quod iſti, qui *idololatriam* ſuam & peccatum, quod Deum per *imaginem* colant, excuſare conantur Hiſtoriis Veteris Teſtamenti, in quibus refertur Deus humana forma apparuiſſe, non conſiderent quid diſcriminis ſit aliquid in *viſione*, & nonnihil in pictura, in ligno, & lapide *expreſſum* videre. Res eſt obſervatione digniſſima, & utiliſſimæ *conſiderationis*, quare natura multarum rerum talis ſit, ut quædam poſſint nominari & referri, non autem demonſtrari: nonnullæ propriis verbis poſſint narrari: aliquæ verbis impropriis: alias aperte licet eloqui; quaſdam cum nonnulla *reticentia* ſolum licet exprimere: aliquas effari licet verbis, quæ una cum re etiam paſſionem quandam exprimunt; alias tantum ejuſmodi verbis, quæ rem ſolummodo declarent, ſine excitatione ullius paſſionis in animo. Alio modo loquimur cum *docemus*; alio autem, cum rem latius nolumus explanare, quam prima idea illa percipitur.

Longe hæc differunt, commemorare, Dominum Chriſtum in certa re comparare ſe cum fure nocturno: & Chriſtum in hiſtoria ut furem denotare, qui de nocte & inexſpectato, dominum ædium invadit. Longe diverſa ſunt gaudium cœleſte verbis aſſimilare nuptiali convivio: & epulum connubiale, quod in cœlo celebratur, & ubi Sancti accumbunt, in pictura, aut in *lapide*, & *ligno exhibere*. Separata ſunt partes corporis genitales animo ſuo proponere, aut eas in ſcriptura repræſentare; membra illa proprio, vel tecto nomine appellare. Aliud præterea eſt iſta nominare: aliud autem eadem in ſomnio, aut viſione contemplari. Hæc ſæpius diſtant, verbis quibuſdam, & forma loquendi, alicui nonnihil velle inculcare; aut per corpoream demonſtrationem, id quod verba ſignificabant, exprimere. Non idem eſt Deo manus, pedes, oculos, caput & iram verbis adſcribere, ac Eum ita corporaliter proponere.

Rationem poſtremi hujus effati adjungam, quod materiæ noſtræ ſerviat.

Omnes res, quibus excitamur ad aliquid cogitandum, velut ſigna nobis ſunt, quibus ſolemus quippiam nobis in mentem revocare. Illud tamen diſcrimen eſt inter hæc *ſigna*, ut prius ſimpliciter nobis rem denotet; alterum inſuper aliam cogitationem excitet. Prius primario certum quid nobis ſignat; & per *acceſſionem* etiam aliud quid, nimirum illud, quod additur. Poſterius vero indicat nobis primario, quod alterum nobis per *acceſſorium* ſignificat; & denotat per acceſſionem, quod alterum *primario* notat. Primum multò plura nobis *denotabit*, atque ita hanc vel illam rem in animo noſtro excitabit: ſecundum multo pauciora. Nuda verba, additis iſtis circumſtantiis, quomodo ea in Verbo Dei reperimus, & quæ Deo manus, pedes &c. aſſignant, non tam facile nos eo impellunt, ut Deum velut corpus conſideremus, quam quidem humanæ formæ *ſimulachrum* facit, ſub quo Deum exhibemus. Similiter, corporea Dei expreſſio in hac illave Veteris Teſtamenti hiſtoria, & quæ per viſionem fit, ad peculiare aliquod Dei factum exprimendum, non eo nos deducit, ut ad tam humiles & abjectas de Deo cogitationes perveniamus, nempe; Ipſum corporeum eſſe: quam quidem fieret, ſi Deus in pictura quadam, aut ligno, vel lapide ita exprimeretur. Et minus adhuc homo inducetur ad hoc cogitandum; cum Deus corporeus in hiſtoria quadam peculiaria quædam Ejus opera exprimente, in pictura, exempli gratia, exhibetur: quam cum Deus extra hiſtoriam

riam *ſolus*, ac ab hiſtoria ſeparatus, in pictura proponitur. Nam tum multo facilius eo impellimur, ut credamus Dei naturam eſſe corpoream.

Quemadmodum etiam periculoſius eſt talem *ſtatuam* in loco, ubi Religio exercetur, erigere, quam in loco profano: quia animus tum proclivior eſt ad ſimulachro illo ad idololatriam & *ſuperſtitionem* abutendum. Et propterea prudentiſſime cenſeo fieri, quod ex Reformatorum Eccleſiis omnes imagines amoveantur: & præſertim iſtæ, quæ ſolæ, & nulli hiſtoriæ immixtæ collocantur. Quemadmodum ergo caſtus cavet ſibi quibuſdam verbis uti, quæ turpe quid continent; multo minus geſtus, motus aut figuras uſurpat, quæ impreſſiones aliquas faciant animo, quas honeſtas non permittit. Ita quivis Chriſtianus ſibi caveat quibuſdam ſignis uti, quæ animum noſtrum aut aliorum *diſponant*, & cogitationes in eis ſuſcitent, quæ Deo indecoræ ſint, & omnino in Ipſius naturam non quadrent.

Nec de eo dubito, quin ni animi illorum Chriſtianorum, qui Deum ſub *imagine* repræſentant, aut imaginum cultum committunt, conſuetudine illius peccati, & perverſa ratiocinatione, ſenſum non amiſiſſent, facile viderent & intelligerent, quam parum conveniret Deum ſub humana forma exhibere, aut ſub illa colere Ipſum & adorare: ac parum decorum eſt, illud proprio nomine appellare, quod honeſtas jubet nos tecto nomine nominare, & intra dentes muſſitare. Et utrumque nos à natura doceri arbitror. Sed quemadmodum Philoſophi, etiam celeberrimi, inventi ſunt, qui docebant & propugnabant nulla verba turpia, inhoneſta, aut obſcæna dari: & *ruſticum* eſſe *pudorem* omnia non ſuo appellitare nomine. Ita etiam hoc tempore Chriſtianos reperias, qui non diſtinguunt, utrum hoc illove ſigno utantur ad aliquid de Deo nobis deſcribendum. Sed quemadmodum indocti & ſimplices extra eam *ſectam* & *præjudicium* optime per lumen naturale, quo honeſtum ab inhoneſto ſecernimus, animadvertere poſſunt, non omnia proprio nomine eſſe indigitanda: multo minus licere, cuncta per figuras proponere. Sic etiam ſimplices optime per idem lumen naturæ poſſunt cognoſcere, omnes figuras, quibus aliquid de Deo exhibetur, non unius & ejuſdem naturæ eſſe. Et multum diſtare, quod ſignum, quo pacto & quando uſurpetur. Quod ideo dico, ne quis denuo putet, ſubtiles & abſtruſas eſſe materias, de quibus jam diſputavimus: aut rem idcirco minoris eſſe momenti in religione, quod inter doctos de ea diſputetur: & ideo tolerabilem in Eccleſia, aut in Regimine politico, aut in utriſque. Vulgus etiam ex hoc facile poteſt judicare, eos homines, qui Deum ſub, & per ſimulachrum repræſentant, maxime craſſas & abſurdas opiniones de Deo fovere. Hominibus enim nunquam incidit, ut animam humanam per rem corpoream denotent: qui probe ſciant, quod obſurditas quædam ſit rem quandam per aliam exhibere, quæ nullam prorſus ſimilitudinem cum ipſa habeat. Et ſi forte quiſpiam reperiatur, qui per halitum, aut ſubtile corpus animam definiat: probe tamen cavebit, animabus aliquos colores, olfactum, guſtum, aut quoſdam effectus, qui impenetrabilitatem corporis ſequuntur, aſſignare, ob rationes ſupra memoratas. Verum accuratius hac de re agetur. Hactenus de *imagine* diſputavimus, ſub qua Deus in idololatria colitur.

Supereſt nunc, ut diſputemus de *cultu* & *honore* ipſo: quo aliquid, quod non eſt Deus, vel quo etiam verus Deus ſub ſimulachro *colitur* & *adoratur*. Initio hujus Tractatus nonnihil dictum eſt de illo *cultu* & *honore* data occaſione. Nunc præterea aliquid addemus. Cultus, quo alium colimus, ſive *Deum*, *Angelum*,

aut *hominem*, *vivum* ſeu *mortuum*, conſiſtit in *verbis*, *externis geſtibus*, *officiis*, *operibus*, & præcipue in certa animi *conſtitutione*, qua afficimur erga eum, quem honoramus. Haud ignotum eſt, verba propriâ vi nihil ſignificare, verum ex inſtitutione humana: ita ut non tam conſideretur, quibus verbis quendam colamus; verum quid voces pro uſu temporis, & circumſtantiarum locorum, & perſonarum ratione denotent. Vocabula quæ hoc ævo notæ honoris & dignitatis ſunt, alio ſunt inhoneſta, aut in minori honore. Quo olim utebamur in compellando Domino poſtea id quidem ſervo applicatur. Nomen *Sire* inter Gallos natum eſt à Græco Κύριος, *Kyrios*. Græco verbo ante Deus in liturgiis publicis nominabatur; poſtea etiam Regi aſſignarunt; quin & opifici. Sed pro diverſo perſonarum ſtatu, variam etiam habet notationem, qui eo nominantur. Si tamen vox aliqua inter nationem quandam exiſtat, qua peculiariter Deus, & auguſtius quid creatura ſignificatur, & quæ nondum uſu aut circumſtantiis communicata eſt creaturis, eo vocabulo, ſine illa idololatriæ ſpecie, qua aliquid Divino cultu honoratur, quod non eſt Deus, creaturam appellare non licet.

Nam quoniam verbis cogitationes noſtras exprimimus, cauſa nobis eſt ad credendum, nos pro Deo habere, quod eo vocabulo nuncupamus, quo Divinitatis idea notatur. Etiam tam ſolliciti debemus eſſe, (quod etiam quadrat in omnes actiones, externos geſtus, & officia) ne per ea occaſio detur, ut in hominibus per *accedentem* ſignificationem cogitatio religionis excitetur: quamvis verba, geſtus, & officia, in primaria ſua notatione, & extra certas circumſtantias nullam Divini cultus *impreſſionem* aut cogitationem ſuggerant, nec Divinitatem aliquam notent. Novimus quam ſolliciti homines eſſe, debeant, ne ullas voces, aut geſtus uſurpent, qui inhoneſti quid aut impudici in animis noſtris ſuſcitent. Et probe diſcernere ſcimus, ubi, & in quo cœtu, quibus in libris, certis vocibus, picturis, & figuris utamur; quibus tamen apud alias perſonas, & aliis in libris non ſine turpitudine uteremur. Aliquid quidem in libro de *Anatome* ſcribitur, quod in alio libro non deceret.

Itaque plurimum illa differunt, utrum Magiſtratus, ſequentes in eo uſum S. Codicis, *Deos* appellemus, reſpectu ſecularis poteſtatis: vel ſi *Papam Deum* nominemus, intuitu rerum ſpiritualium. In poſteriori iſta circumſtantia id verbum facile ex certa animi conſtitutione procedere poteſt, aut excitare diſpoſitionem in animis illorum, qui eo utuntur, aut audiunt, quæ in creaturam non *quadraret*. Diſtat multum, num Regia ſtatua colatur in ſuo Palatio, an vero in Eccleſia, ad Religionem ædificata. Sic etiam magnam differentiam ſtatuerem inter eos, qui *Regem* humi proſtrati venerantur, vel qui Papam hoc pacto honorant: quia Papæ ad genua accidere ſpiritualia reſpicit: & hoc ſepoſito, nullus Rex coram Papa ſe humiliaret.

Nunc etiam ex narratis liquet, quæ de verbis diximus, illa etiam factis, geſtibus, & officiis convenire. Multi externi geſtus, facta & officia, quibus Deus, & creaturæ coluntur, communia ſunt, & diſcrimen tantum ex animo deſumi poteſt, unde honor provenit. Quædam nationes adorant ſuum Deum, & etiam ſuum Regem: quidam proni in faciem coram utroque cadunt: & quum aliæ circumſtantiæ non accedunt; tum utrumque etiam eſt licitum: quanquam honor iſte extrinſecus non ſit diſcretus, & tam Regi quam Deo exhibeatur.

Sed duo veniunt hic conſideranda. Unum eſt, ut, licet verba & externi geſtus, & officiorum opera, per liberas.

ras & *arbitrarias* inſtitutiones hominum ſolum quid ſignificent: eorum uſus tamen certis fundamentis, & certa ratione nitatur. Ut vocabulum aliquod certi quid denotet, per hominum electionem fit: verum ut cum illis tantum colloquamur, qui nos exaudiunt & intelligunt, ratio id docet & flagitat. Ut in genua procumbam, aut pronus corruam in aliquo colendo, in eo mores regionis imitor; verum ut honorem iſtum me inferiori deferam, illud ubique ratione caret.

Sic etiam abſurdum eſt, alicui accidere ad genua, de quo ignoramus an noſtram genuum flexionem videat. Quod in precibus ad Deum oculos in cœlum intendam, rationem habet, quod Deus ibi ſpeciali modo ſit: & quia quocunque ſim loco, & in quamcunque cœli partem me convertam, Deus me videat & cognoſcat, & ubique in cœlo indiviſus ſit. Sed ſi id faciam intuitu cujuſdam Angeli, aut defuncti Sancti, qui me ubique non intuetur, aut novit, nec in omnibus cœli partibus exiſtit, omni ratione deſtituitur: & eſt propterea, extra *conſiderationem* idololatriæ, religio ratione carens. Et ſi cenſeam, illum Sanctum me, in quibuſcunque orbis terrarum partibus degam, & in quaſcunque cœli partes me convertam, exaudire, precationem meam intelligere, & animi mei conſtitutionem noſſe: *opinio hujuſmodi* adeo periculoſa eſt, ut plerique homines eo ad Religioſum cultum circa demortuos Sanctos excitentur, atque hoc pacto idololatriam committant. Et quia ſoliti ſumus eo geſtu, *conjiciendi* nempe *oculos in cœlum*, uti, quum Deum invocamus: & ille geſtus adeo ſpecialiter orationi videtur affixus & annexus, qui fit oculorum converſione cœlum verſus: & quod id apud omnes ferme nationes ſit receptum, nullus dubito, quin geſtus ille ex *Religioſa* animi diſpoſitione oriatur: quæ animi *conſtitutio* ſolum Deum reſpicit. Et Angelos, aut mortuos Sanctos ita adorare, ob eas ipſas ſolum rationes (ut multas alias præteream) quæ in idololatria iſta reperiuntur, communionem cum idolorum cultu habet.

Superſunt inſuper alia officia & *cæremoniæ*, quæ tantum in Religione ſolent adhiberi, & quæ veram ex Religione originem habent: ſed quæ perverſo Spiritu, qui ad idololatriam homines impellit, etiam in hominem quadrent: æque ac legitima cupido concubitus, & generationis, per pravos homines immutatur in uſum naturæ repugnantem. Quam ſimilitudinem uſurpare volui, quod Apoſtolus *ad Rom.* utrumque iſtud peccatum conjungat; & in tantum cognationem quandam inter ſe habeant. *Rom.* 1: 22. *Cum ſe dicitent ſapientes, ſtulti facti ſunt: & gloriam incorruptibilis Dei mutarunt in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & reptilium: ideo tradidit etiam eos Deus in deſideria cordium ipſorum ad impuritatem, ut fœdarent corpora ſua in ſemet ipſis, &c.* fundamentum perverſarum harum, & non naturalium cupiditatum, deſiderium erat generandi. Fundamentum omnis idololatriæ & cultus idololatrici naturalis eſt cognitio, quam de Deo habemus, & naturalis zelus, qui nobis eſt ad Deo ſerviendum. Et naturalis ea Religio, ni bene dirigatur, omnem *ſuperſtitionem* & *idololatriam* gignit.

Quare concludimus, Religionem inter alia, externa quædam officia produxiſſe, quæ, cum primum illorum uſum & originem conſideramus, homines ſoli Deo voluerunt applicari. Qualia ſunt, ſacerdotalia miniſteria: thuris accenſio: templorum exſtructio in honorem eorum, quorum Divinitas in illis colitur: precum *formulæ*: & uſus earum certis temporibus, & à certis perſonis factus: feſta, ac dies feriati &c. Inter Ethnicos hæc officia nunquam exercita, niſi circa Deos ſuos. Et quamvis illis majorum

 &

& minorum gentium Dii eſſent: tamen ſemper, etiam in minimis, Deum ſtatuebant. Et malum illius cultus in eo conſiſtebat,ut eo colerent illud,quod non erat Deus. Etiam ſingularem obſervationem meretur, in Veteri Teſtamento nullum externum, nedum internum cultum fuiſſe, niſi qui in ſolum Deum quadraret, conſtat.

Non inquam, quemadmodum etiam ſupra explicavi, illa miniſteria, quæ ſuperius enumerata ſunt, non per uſum, doctrinam, & claram explanationem, ejuſcemodi circumſtantiis potuiſſe denotari: ut hæc officia committere circa aliquid, quod non eſt Deus, non formalis idololatria poſſit appellari. Hoc tamen affirmamus, inſtitutionem omnium eorum officiorum profectam eſſe ex idololatrico & *ſuperſtitioſo* animo, quemadmodum olim ex hujuſmodi animo proceſſerunt inter Iſraëlitas immolatio in excelſis, lucorum fabricatio, ad Religionem ſuam ibi exercendam: conſtructio Ephod, *Judic.* 8: 27. Cultus æneï Serpentis, quondam in Deſerto Dei juſſu erecti,& poſtea per Judæos ad *ſuperſtitionem* & idololatriam male uſurpati. Non quod dicam ædificationem Eccleſiæ, verbi gratia, in honorem alicujus ex Sanctis, cui porro nullus Divinus cultus præſtatur, formalem Idololatriam eſſe. Verum animus Idololatricus talem honoris ſpeciem, qui Sanctis habetur, in uſum deduxit. Quod inde patet, quod fiat in re, quam in Divino cultu ſolemus adhibere. Nec unquam ſacræ ædes ſolebant ædificari, aut nomina eis dari, niſi in honorem alicujus Divinitatis, quæ in illis colebatur & adorabatur. Et Patres, adverſus Arrianos diſputantes, ſemper ea S. Scripturæ loca, ubi dicitur *Corpora noſtra eſſe templa Spiritus S.* 1 *Cor.* 3: 16. *Neſcis te templum Dei eſſe: & Spiritum S. in te habitare, & Cap.* 6: 19. allegarunt ad probandum, Spiritum S. Deum eſſe. Ita etiam illa explicat Bellarminus *Lib.* 3. *de Beatitud. Sanct. Cap.* 9. *Eccleſia per totum terrarum orbem Chriſtum ſemper veneratus eſt ædificationibus Templorum, erectionibus Altarium, invocatione Nominis ejus, inſtitutione dierum feſtorum:* & concludit; *Ergo Chriſtus verus eſt Deus, & dignus iſto honore, qui ſoli Deo competit, honorari &c. Et ſi Chriſtus non verus ſit Deus, nunquam major idololatria facta eſt.*

Verum quæ fiunt per ecſtaſin aut impetum animi idololatrici, conamur corrigere verbis, & doctrinæ profeſſione: ad quam doctrinam animus fere nunquam eſt conſtitutus: ſaltem non apud vulgum. A quo longe aliter fit, ac à Doctoribus docetur. Mauſolæa, ſtructuræ, & urbes exſtruuntur in honorem mortuorum, quorum memoria ſummopere nobis chara eſt. Et in omnibus illis factis nihil aliud nobis occurrit, quam civilis, ut ita loquar, animi conſtitutio. Sed Eccleſiarum ædificatio ſemper oritur ex *Religione* quadam, & animo religioſo erga illum, in cujus honorem templum iſtud ponitur.

Et ideo ſolis vita defunctis Sanctis fit, qui cum multis aliis religioſis officiis coluntur. Quæ nunquam circa vivum Sanctum faciunt: quia frequentes lapſus, qui in quotidiana cum illo Sancto converſatione ſe produnt, impediunt, nec permittunt, ut ejuſmodi religioſæ animi conſtitutiones in ipſis oriantur. Verum inter officia, quæ ſupra memoravimus, unum ab adverſariis noſtris numeratur, quod dicunt ſoli Deo poſſe fieri: quæ eſt *immolatio*, ſumpta in propria ſignificatione. Verum capere non poſſum, quare victimas offerre externum ſit officium, Deo ita proprium, ut circa creaturam citra idololatriam non poſſit fieri. Invocationem autem mortuorum Sanctorum: thura ipſis adolere in Eccleſiis: horarias preces (ſpeciem precationis) obſervare: in eorum laudem cantare, & ad opem ipſorum comparandam: con-

conſtituere perſonas Eccleſiaſticas ad talia officia, &c. circa creaturas ſine idololatria poſſe fieri. Nam ex his non poſſum videre, quare omnia illa officia non æque ex Religione profluant: & ex illis non intelligo, quare is, qui officia illa exequitur, verbis & doctrina non poſſit proteſtari, ſe in illis officiis Sanctos non colere, ut Deos, ſed ut homines: & ſe propterea nullam religionem circa eos committere: ſeque in omnibus illis officiis hominibus omnino nolle adſcribi, quod ſolius Dei eſt. Verum non percipio, quare ridicula iſta excuſatio non æque locum habeat circa hoſtias, quam circa thuris ſuffitum, inſtitutionem precum, dierum, & horarum, & creationem Sacerdotum, quando illi ad mortuorum Sanctorum cultum vacaturi ſint. Hoc certum ſaltem, nunquam apud ullam nationem ejuſmodi officiorum ſpeciem eſſe inſtitutam, niſi cum Divinitatem ea ſe putaret colere.

Sermo mihi eſt de victimis in proprio ſenſu & ſignificatione ſumtis. Vocabulum enim *immolare* & *offerre* Hebraice ex ſuis circumſtantiis denotat aut ſimplicem beſtiæ cæſionem ad naturalem, aut civilem uſum: aut immolationem, quæ per Sacerdotes in ſacrificiis fit. Verbi gratia, 1 *Sam.* 28: 24. habetur, Phytoniſſam vitulum paſcualem domi habere, & quod properaret, & immolaret illum. Vox Hebraica, quæ per immolare exponitur, eadem eſt quæ etiam ſacrificare ſignificat, *Exod.* 22: 20. *Qui immolat Diis, niſi Domino ſoli, occidetur.* Quis non videt, quod in priori textu verbum Immolare aliter ſumatur, quam in poſteriori; ubi verſum eſt per vocem *offerre.* Quia utriuſque loci circumſtantiæ monſtrant, idem vocabulum aliquando ſimpliciter immolare denotare: quandoque immolare victimam, aut ſacrificare in genere. Et ut hoc inſuper addam: quænam illæ ſunt circumſtantiæ, quibus deſcriptionem certarum actionum immolationis nonnunquam vertimus per ſimplex *immolare*: alias, per *ſacrificium facere.* Nonne hæc ratio circumſtantiarum eſt, quod huic nullæ Divini cultus circumſtantiæ adſint: in altero autem illæ circumſtantiæ reperiantur: Et ubicunque circumſtantiæ iſtæ religionis ſunt, ſive Deum, ſeu hominem iis colamus: illud offerre *Religionem* ſapit. Et cum homini fit, mera eſt idololatria.

Sic etiam res ſe habet in *thure adolendo. Thura adolere* civilem poteſt habere uſum: poteſt etiam cæremonia eſſe eccleſiaſtica. Quemadmodum ejuſmodi *thuris* uſus in Papatu reperitur, cum Altari & Templo circumcirca thus adoletur, ad *ſymbolum*, & ſpirituale ſignum boni odoris Euangelii. Verum per ſuas circumſtantias etiam partem formalis Religionis poteſt conſtituere: nec magis quadrare ulli creaturæ, quam *offerre.* Nimirum cum fit ſubſtantiæ & enti ratione prædito. Nam eo per actionem illam cultus Divinus fit: quod ex circumſtantiis percipiendum eſt: quæ facile, etiam ab illis, qui minimo inter homines judicio pollent, cognoſcendæ ſunt. In Veteri Fœdere Deus Iſraëlitis exprobrat ipſorum *idololatriam*, quod aliis, præter ſolum Deum, thura accenderent, 1 *Reg.* 13: 1. 2. 3. 2 *Reg.* 14: 4. *Jer.* 44: 17. 18. 2 *Paral.* 25: 25. *Ezech.* 8: 11. & 16: 18. Et revera *thus adolere* ſub Veteri Teſtamento ſacrificium erat: nec ab aliis, præter Sacerdotes, poterat fieri. 2 *Chron.* 26. Etiam *altare ſuffitus* conſtitutum erat. Etiam Gentiles hoc ſolis ſuis Diis faciebant. Et præcipuum erat, quod Pagani à Chriſtianis exigebant ad confirmationem abnegationis Chriſtianæ fidei, ut Diis Ethnicorum *thura* ſacrificarent.

Idem etiam dicimus de adorandis & invocandis Sanctis ſub forma religionis, non ſub forma civilis alicujus honoris. Quod etiam adeo verum, ut Divinus Codex per ſimplicem vocem *orare*, cum

in

in Religione uſurpatur, nihil aliud denotet, quam orationem, quæ ad Deum effunditur. Vide *Eph.* 6: 18. 1 *Theſ.* 1: 17. 1 *Tim.* 2: 1. & imprimis *Matth.* 6: 5. 6. 7. *Luc.* 11: 1. *Domine, doce nos orare.* Si S. Scriptura, aut Apoſtoli, aliquod diſcrimen noſſent inter utramque Religioſam orationem, generale vocabulum orandi in tali uſu apud eos non celebraretur. Nec Chriſtus ita illis reſpondiſſet, precationis formulam ipſis præſcribendo, quæ ſolum Deum reſpiciebat. Quin immo S. Litteræ per religioſam orationem & invocationem tam abſolute adorationem & invocationem Dei intelligunt, ut decernant, neminem licere adorare, niſi in quem credimus, *Rom.* 10: 14. *Quomodo illum invocabunt, in quem non crediderunt.*

Superius fundamentum reſponſionis jactum eſt ad exceptionem, quam multi faciunt ad excuſationem *idololatriæ*: nimirum, ſe omnia ea officia & honores hominibus facere, & quidem ut talibus, non ut Deo: ſe nullis creaturis, ſive mortalibus, ſeu Angelis aliquid aſſignare, quod Deo *proprium eſt.* Quod nunquam homini aut Angelo tribuant, propria potentia miracula poſſe facere: mundum regere: corda ſcrutari, &c. Itaque externum honorem per geſtus, officia, verba, preces &c. metiendum eſſe juxta confeſſionem ſuæ fidei, conſtitutionem animorum, & intentionem illorum, qui illa faciunt. Ad hæc reſpondeo: primo, diſtinguendum eſſe inter iſta, quæ loquimur & docemus: & ea, quæ facimus. Dicere & docere, quin imo acriter proteſtari, nos Regem noſtrum pro rege ducere; & interim alteri tantum honoris in regno deferre, & tantam reverentiam ipſi exhibere, ut vix inter Regem & ſubjectum diſcernas: ut nomen & regimen civis magis memoretur, quam ipſius regis: ut animum tanto reſpectu & veneratione erga ſubjectum impleverimus, ut ea memoriam Regis penè *aboleant.* Quinimmo civi aſſignare ea, quæ cum ſubjecto non poſſunt conſiſtere, & quæ uni Regi conveniunt, eſt ipſo facto alterum Regem conſtituere.

Diſcrimen etiam faciendum inter illa, quæ docti & literati circa partes cultus iſtorum, qui non ſunt Dii; & quæ homines ſimplices, nec literas edocti, faciunt. Quanquam docti in ſuis cultus partibus, quas Sanctis, & Angelis præſtant, ſatis diſtincte in animo haberent ipſis non adſcribere, niſi ea, quæ creaturis competunt: ſaltem non illud, quod formaliter agnoſcunt Deo proprium eſſe: (nam creaturæ aliquid aſſignare, ſed non ſub ea intentione, nec ſub iſtis cogitationibus in ſpecie, quod ſolius Dei ſit, non facit merum idololatram, ut ſupra demonſtravimus) inde ſequeretur quidem, quod illi docti non eouſque ad *idololatriam* prolaberentur, ut creaturam *formaliter* pro Deo colerent: non tamen idcirco ſequitur, homines ſimplices & *idiotas* illud ita *facere.* Verum ipſis via eſt adeo lubrica: & ſummum malum huic Angelorum & hominum cultui tam prope adjacet, ut idiotarum *devotio* non ita ſcholaſtica diſtinctione terminetur & regatur, ſed idiota tale ſibi *objectum* formet, quod creaturæ ſimplicis dignitatem excedit & ſuperat: quemadmodum ſolet fieri, cum anima humana aſcendens ſupra id, quod civile eſt, illam virtutem & conſtitutionem mentis in ſeſe excitat, quæ natura ſua in Deo deſinit; & Numen aliquod pro objecto habet. Et in ejuſmodi occaſione non minus periculoſum eſt ſimplicibus in formalem & ſummam *idololatriam* incidere in cultu hominum & Sanctorum, quam proclive eſt viro, cui non eſt anima de meliore luto in iram, inimicitias, & vindictam incidere in injuria & vi propulſanda: aut cum acerbitate, ut caſtigatio magis ſeria videatur, aliquem corrigere: & interea ſibi cavere, ne ira & reprobanda aſperitas interveniat.

Sed licet nullus foret, qui per ſpiritualem Angelorum, & hominum cultum non eo uſque ſe ſeduci ſineret, ut ex *Religione* naſceretur: nihilominus illa officia forent peccatum, quod ſub *idololatria* comprehenditur, quodque eo *referri* debet. Licet fæmina cum altero non ſcortetur: ſed tamen eum amet, libenter cum ipſo ſit propter illam paſſionem, *blandule* eum *tractet*, & innumeras blanditias præſtet, quæ naturam ſuam ab amore mutuantes, & inde orientes, ſoli marito ſunt reſervandæ: licet hujuſmodi uxor ab extremo ſibi caveat; non tamen deſinit eſſe peccati ſpecies, quæ ſub illo præcepto continetur: *Non mæchaberis*. Et mariti zelotypia contra talia uxoris facta juſta paſſio eſt. Sic etiam illa officia fructus ſunt immoderatæ & vitioſæ Religionis, & ad *idololatriam* pertinent: & zelus Dei accenditur contra ea, & velut idolomaniam ea puniturus eſt.

An cenſemus nullum *idolorum cultum*, niſi in ſummo gradu, committi? An læſæ Majeſtatis crimen non habet locum, niſi quum directo vitæ regis inſidias ſtruimus; aut cum regiam auctoritatem nobis arrogamus. Qui permittit, ut ipſi, tanquam Regi, ſerviamus: in regali ſolio conſidet: regium ſceptrum & coronam gerit: an is non etiam pœnam meretur, inſtar illius, qui, quæ ſolius Regis ſunt, ſibi aſſumit. Deus non tantum hominibus iraſcitur, cum ſe formaliter ſinunt pro Deo coli & adorari. Quum Herodes ſuperbiret ob acclamationem populi, *Vox Dei, non autem hominis:* & quod Deo gloriam non tribueret, percutiebat eum Angelus, & à vermibus conſumebatur, *Act.* 12: 23. Quum Nebucadnezar ſuperbia elatus dicebat, *An non hæc eſt magna Babylon, quam ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei. Cumque ſermo adhuc eſſet in ore regis, vox de cœlo ruit: tibi o Rex Nebucadnezar dicitur, regnum tuum tranſiit à te, &c. Dan.* 4: 30. Cogitationes hæ procul aberant à voluntate faciendi ſe Deum, quin immo permittendi ſe adorari, & Divinum cultum admittendi: tamen ira Divina tantopere ob id exarſit, ut priorem ſubita morte puniat, & alterum ingenio deſtitutum inter beſtias releget.

Nec idolorum, nec creaturæ cultus erat: cum *Gideon* ex inauribus cæſorum hoſtium fecit *Ephod*, & ponebat illud in Civitate ſua *Ephra*. Tamen Verbum Divinum de eo teſtatur, quod omnis Iſraël *ſcortatus ſit* in eo, quodque *Gideoni*, & omni ejus domui fuerit in ruinam. Rex *Hiskias* æneum Serpentem confringebat, cui Iſraëlitæ *adoleverant*; nuſquam legimus quod Iſraëlis poſteri ullam aliam idololatriam cum eo commiſerint. Sed quia ſuffitus eſt cultus religioſus, *Hiskias* illum Serpentem, ut *idolomaniæ* inſtrumentum, confregit.

Quarto, in peccato *cultus idolorum* non conſideratur, an alicui honorem, ut *unico & vero Deo*; ſed an cuipiam Divinitatem ullam deferamus, numenque aliquod in eo eſſe putemus. Verum quidem, unicum tantum Deum poſſe exiſtere: unam veram tantum Divinitatis ideam poſſe formari. Verum quemadmodum hoc non impediit, ne Gentiles plures ſibi fingerent Deos: majores etiam & minores: majoris & minoris poteſtatis: nihilominus eo ſeduci poſſumus, ut Angelum, & defunctum Sanctum colamus, tanquam Deum minorem: ſummum Divinum cultum ſummo Deo reſervantes: cui Angeli & Sancti ſubſunt. Haud ignotum eſt *Platonem* & Platonicos, ſuas Divinitates, & Religionem, hoc pacto diviſiſſe. Deum ſummum ſtatuebant: huic autem ſubjiciebant dæmones aliquos, qui inter Deum & homines velut mediatores & internuncii forent: quos etiam certo Divini cultus genere colebant: verum cultus erat minoris honoris & dignitatis,

tatis, & qui ad Deum revertebatur, & in ipſum redundabat; à quo omnis bonus ſuarum precationum eventus, quas minoribus illis Diis faciebant, pendebat. Qui cultus, ſi conſtitit in rebus, quæ in homines & in ſpiritus creatos poſſunt quadrare: & Platonici circa eos nihil aliud cogitarint, nec officia ulla uſurparint, niſi ea, à quibus Religio, qua Summus Deus adorabatur, ſeparata erat, & propterea non fuerit Divinus cultus: tamen cultui iſti Angelico id malum inerat, quod Apoſtolus in illo culpat, *Coloſſ.* 2: 18. *Nemo ergo adverſum vos rectoris partes ſibi ſumat, volens in humilitate & cultu Angelorum, gradum inferens in ea, quæ non vidit, & fruſtra inflatus ſenſu ſuæ carnis.* Apoſtolus ibi de idololatria non diſputat: licet inde non ſequatur, idolomaniam non fuiſſe. Nam etiam Johannes, Angelum adorare volens, reprehendebatur: quamvis nullæ circumſtantiæ textus permittant æſtimare Johannem Angelum Dei loco habuiſſe. Sed ut de illis vere judicemus, ſciendum nobis eſt, quomodo illi, de quibus Apoſtolo ſermo eſt, Angelos colerent & ſervirent, & quid ipſis adſcriberent.

Poteſt fuiſſe genus cultus, qui & in animo, & in externis ſuis actionibus omnino ab eo cultu diſcretus fuit, quo Deum adorabant: & idcirco tantum *ſuperſtitio*, non autem *idolorum cultus*. Verum forte Angelis, neque per doctrinam, nec per animi conſtitutionem, majus quid aſſignarint, quam Angelorum dignitas poſcebat. Sed quod tamen Angelis hujuſmodi cultum præſtiterint, qui nihilominus ipſos *idololatriæ* reos faceret. Verbi gratia, certas precationes ad Angelos fuſas habere in Eccleſia, ad illorum gloriam exſtructa; Altaria ipſis erigere: eis adolere. Aut forſitan Platonici Angelos, ut minorum gentium Deos conſiderarunt. Quemadmodum Ethnici Deos Indigetes habuerunt, quos ſub ea forma colebant, ſacrificabant, vota faciebant, adorabant, Templa & Sacella ædificabant, &c. atque ita formalem idololatriam exercebant.

Ut diſputationem noſtram concludamus, & ut ſententiam noſtram de prædicta quæſtione planius explicemus, affirmamus; primo, Nullos externos cultus, ſive illi ſint ſacrificia, thuris ſuffitus, preces, Eccleſiarum exſtructiones, &c. natura ſua tales eſſe, ut non poſſent in veneratione mortuorum Sanctorum uſurpari, ejuſmodi ſenſu & animo, ne illis *formalis idololatria* committeretur: omnia enim hujuſmodi externa tam arbitraria eſſe exiſtimo, quam ſermonem hominum qui tantum ex inſtituto ſignificat. Non cenſeo idolomaniam eſſe, (quanquam animus *idololatricus*, & craſſa *ſuperſtitio* eam introduxerit) templum in honorem Sancti ædificare: nomen Sancti illi imponere. Ergo etiam à vero non aberraret (quamvis hoc ægre mihi poſſim perſuadere) qui exiſtimaret, quod ſapientes & eruditi tales cogitationes poſſint habere, quæ eos in cultu Angelis, aut defunctis Sanctis, exhibito, à formali *idololatria* vindicaret. Secundo, diſtinguimus inter ſpecies honoris, qui Angelis aut mortuis Sanctis defertur, ſeparatas ab alio honore, & officiis, quæ religio aut ſuperſtitio invexit; & inter multos honores, & officia, ad cultum Angelorum pariter, & defunctorum Sanctorum conjunctim & ſimul conſtituta; & quæ pariter à religione aut ſuperſtitione orta ſunt. Externus honor, & cultus, ex ſuis circumſtantiis plus, vel minus poſſent denotare. Et quod *ſeparatum ab aliis* ſæpe neque cultus Divinus, nec Religio eſt, in illa poteſt immutari, cum honor is & cultus cum alio externo honore & cultu conjunctus eſt. *Externo honore & cultu*, inquam: judicamus enim, licet animus non ſit *idololatricus*: tamen quædam officia & honores per *externas circumſtantias* talem naturam poſſe ſuſcipere, ut ſoli Deo conveniant: & qui honor & cultus, externis omnibus circumſtantiis additis, tum nulli Angelo, aut demor-

mortuo Sancto ſine idololatria adaptari poſſent.

Ut ſuperiori exemplo inhæream, longe alia honoris & cultus ſpecies eſt, in laudem Sancti, vel Angeli, Templum ſolum ſtruere; & porro abſtinere ab omnibus aliis externis honoribus & officiis, defunctis Sanctis, & Angelis, præſtandis, quæ homines ex inſtituto, Deo, & creaturis, quantum ad externa, communia fecerunt. Eccleſiam ad gloriam alicujus Sancti ædificare: & ſimul *feſta* in ejus laudem inſtituere: diebus illis certas precum formulas Sanctis adaptatas juxta orationem iſtam, qua Deum invocant, ei Sancto offerre: hocque in Templo, & hora, locoque, quibus Religioni & cultui, quem ſoli Deo deſtinamus, opera datur, quam Deo exhibent: & eodem externi cultus genere, quibus Deus colitur, aut cum parvo diſcrimine, longe aliud eſt, quam ſolum, verbi gratia, Eccleſiam ad laudem alicujus Sancti exſtruere. Hic enim honor, & cultus, ab omni alio honore & cultu, qui Deo exhibetur, adeo disjunctus eſt, ut nullus poſſit dicere, quod ſolus honor is, & circa defunctum ſanctum ſolummodo in uſum deductus, tantummodo honor ſeu cultus ſit, qui quoad externa Deo proprius eſt: Sed alter contra in omnibus ſuis circumſtantiis ejuſmodi eſt, ut nulli homini poſſit tribui ſine ſpecie quadam *idololatriæ*: aut ſaltem ejus generis peccato, quod ad idololatriam referendum eſt.

Multum illa differunt, nuptam feminam ſalutare, & cum oſculo ei valedicere, cumque aliis civilis honoris ſignis: vel eandem oſculari, & illam amplecti talibus in locis, temporibus, & occaſionibus, ut nemo ipſi injuriam faciat, qui affirmat, eam honorem ſuum parum curare. Ac hoc fundamento nititur diſcrimen illud, quod inter diverſos loquendi modos exiſtit, qui in S. Scriptura reperiuntur, ubi Deus & creatura conjunguntur: aut, ubi quædam etiam loquendi formulæ, magnam excellentiam denotantes, & plerumque Deo aſſignari ſolitæ, de hominibus etiam prædicantur, ſine ulla *idololatriæ* ſpecie: & inter iſtam formam precum, & cultus, ubi in Papiſmo Deus & creatura copulantur, *Exod.* 14: 31. habetur, *Populus credebat in Deum, & in Moſem.* 1 *Tim.* 5: 21. *Teſtor coram Deo & Domino Chriſto Jeſu, & electis Angelis, ut hæc cuſtodias ſine præjudicio.* E*zech.* 16: 7. *Ecce Ego Nebucadnezarem Regem Babylonis, Regem Regum, &c.* Modus loquendi, qui Deo, & Chriſto, regulariter adaptatur.

Pontificii argumenta noſtra infirmare conantur, quæ facimus ex ipſorum formulis precum, ubi Deus & Sanctus aliquis in eadem oratione invocantur, & iiſdem verbis adorantur: verbi gratia; *Laus Deo, Virginique Mariæ, &c.* Et reſpondent, ipſos non propterea poſſe *idololatriæ* inſimulari: quod ex prædictis S. Scripturæ locis pateat, Spiritum S. etiam hoc facere. Si dicas, nomen eſſe nimis Auguſtum, quam ut Virgini Mariæ debeat tribui, ut eam appellemus *Reginam Cœli*, reponunt, Regem Babyloniæ quidem *Regem Regum* appellari. Sed Papiſtæ non animadvertunt differentiam, nec noſtrum argumentandi modum. Formulæ loquendi non per ſe, & ſeparatim ſunt conſiderandæ, ſed in omnibus iſtis circumſtantiis, quæ aliquid ad rem faciunt. Plurimum v. gr. ea diſtant, in religioſa precatione nonnullum genibus incumbentem, in Templo, coram Sancto, eo tempore, quo in feria devotione verſamur, & cum factum noſtrum pro religioſo omnino haberi volumus, Sanctum aliquem juxta Deum ipſiſſimis verbis alloqui: hujuſmodi actio, inquam, longe differt ab illa, qua Sanctum precor extra omnes, aut minimum, tot circumſtantias ex iſtis; ut in Deo, inque homine, non amplius eundem honorem denotet.

Ita multum differt, Regem Babylonis in illis circumſtantiis, quibus S. Litteræ de

de ipſo loquuntur; & *propterea* in iſta ſignificatione, *Regum Regem* appellare. Et Beatam Virginem, jam defunctam, in cœlo exiſtentem, nulla adminiſtratione civili in terris amplius præditam, in expreſſa oratione, animo religioſo invocare ad opem ferendam, ut *Reginam Cœli*: ejuſque, quæ nihil amplius humano modo in terra operatur, ſpirituale auxilium implorare. In argumentis, ex Verbo Dei petitis, verba in ſe ſpectata ſæpius parum conſiderantur, ſed ſæpenumero circumſtantiæ, in quibus illa verba proferuntur. Verum progrediamur.

Tertio, aſſeveramus, non ſpectari, quid aliquis de invocatione Angelorum doceat, ſed qui animus ſit *conſtitutus*. Et vix aliter poteſt accidere, quin plerique homines, qui cum omnibus iſtis circumſtantiis ſupra memoratis Angelos, aut Sanctos poſt mortalitatis leges impletas invocant, formalem *idololatriam* exerceant: iſtis circumſtantiis excitantibus in ipſis in iſto Angelorum, & demortuorum Sanctorum cultu, *Religioſam conſtitutionem*, & veram animi devotionem: animo per circumſtantias iſtius cultus extra mentis propoſitum abrepto: nimirum prout mens de cultu iſto extra praxin judicat. Æque ac quum judex ex animi impotentia ad iram & vindictam accenditur contra ſontem: quanquam judex ille extra proceſſum juris noverit & intelligat, juſtitiæ adminiſtrationem non eſſe opus vindictæ: verum hæc judicis cognitio non ideo tamen efficit, ne ejus iracundia, ultionis cupido, & peccans illa animi diſpoſitio contra noxium, non ſit ira & vindicta, & ſic etiam appellanda. *Quarto*, aſſerimus, licet quidam in cultu Angelorum, & Sanctorum, qui fato conceſſerunt, nullam *idololatriam* patrarent: & animum ſuum noſſent ita cohibere, ut ad nullam *Religionem* in eo cultu abriperentur: & officia ea uſu, & vi doctrinæ, qua declarant ſe defunctos Sanctos non colere religioſo cultu ita eſſent definita & circumſcripta, ut his cum omnibus ſuis circumſtantiis, quemadmodum eæ in Papatu uſurpantur, conſideratis, non tamen æſtimaretur amplius cultum eſſe divinum, (quod tamen vix animo poteſt concipi) cultus tamen is horrenda *ſuperſtitio* maneret, ex ſuperſtitioſo animo profluens, Deo ſummopere diſplicens, & formali idololatriæ proxima, plena periculi, *temerariè* ab idololatricis, aut ſaltem *ſuperſtitioſis* hominibus introducta, ſine ulla ratione, aut divina auctoritate; quæ tamen pertinaciter & cum contumacia ab Eccleſia Romana propugnatur.

Nunc reſtat etiam inquirere naturam quartæ ſpeciei *idololatriæ*. De qua idolomania equidem dubito an unquam in uſum deducatur: ſed quam docti Pontificii per *ſpeculationem* excogitarunt, & de qua in libris ſuis ſcribunt. Quaſi *idololatria*, quæ quotidie fit, non ſufficeret: ſed inſuper novæ eſſent fingendæ. Hæc *idololatria* in eo conſiſtit, quod nonnullam imaginem adorent, non per ſe *conſideratam*, neque etiam, quaſi cum eo *ſimulachro* aliqua Divinitas, aut mortuus Sanctus unitus foret, (de qua *idololatriæ* ſpecie ſuperius actum eſt) verum ut imaginem Chriſti, aut cujuſdam Sancti; atque ita precationem, quæ ſimulachro illi offertur, ad Chriſtum, aut illum Sanctum, referentes, cujus imago ſimilitudinem gerit. Et hac diſtinctione nitentes, defendunt etiam, *licere omnes creaturas adorare*, non per ſe, ſed cum *relatione* ad Deum. Sed aut omnia hæc mera ſunt verba, unde nemo ideam poſſit formare: aut quædam idololatriæ ſpecies eſt, quæ in ſola *ſpeculatione* conſiſtit: aut eſt eadem idololatriæ ſpecies, qua ſimulachrum adoratur eo animo, quod Divinitas cum eo conjuncta eſt: illo modo, quem diximus requiri, cum *idolorum cultus* committitur in adorando & colendo Deo per *imaginem*.

Quid enim id ſibi vult, *ſimulachrum colere non per ſe, non quod quædam Divini-*

tas

as certo modo cum iſto copulata ſit, verum *um relatione ad eum, cujus imago eſt.* Sed uid hiſce ſibi volunt? An hiſce verbis lenotant, *occaſione* conſpectus illius *ſimu-acbri*, coram & circa iſtam imaginem, e perſonam eam adorare, cujus ſimula-hrum illud denominatur. Hoc certe non lt ſtatuam venerari: ſed viſu cujuſdam ffigiei coram, & circa eam *imaginem*, Deum, aut aliquem Sanctum colere. Vel, an illud verbis ſupra memoratis ignificant, *ſimulachrum* non per ſe conſi-leratum, ſed quod Chriſti aut alicujus Sancti *ſtatua* ſit, eſſe adorandum. Verum o pacto *imago* per ſe invocatur, quod *ignum* dignitatem, ut adoretur, acquirit, uia *ſimulachrum* eſt Chriſti, aut cujuſdam ancti fato functi. Ac hoc eſt *idololatriam* locere tam evidentem & abominandam, t credam, de tam horrenda idolomania Gentiles unquam ne cogitaſſe quidem. Verum cenſeo idololatras ſemper ſibi Di-initatem aliquam fingere circa illam *ſta-uam*, quam colunt: & ideo ſimulachro la præſentia affecto, ab ipſis honorem eferri.

An cenſent etiam eodem modo omnes reaturas, quatenus eæ aliquatenus *ima-inem* ſui C... oris gerunt, Divino & re-gioſo cultu eſſe adorandas. Illud eſt naxime conſpicuam & horrendam *idolo-atriam* docere, quæ unquam inter ſtupi-iſſimos Ethnicos uſurpata eſt. Si autem er creaturarum adorationem cum rela-one ad Deum, venerationem Dei intel-gant, *coram*, *circa*, & *intuitu* operatio-um & præſentiæ Dei, quæ in omnibus reaturis ſe produnt: quare eam creatura-um invocationem appellant, quæ mera Dei eſt *adoratio*? Ut finiam: arbitror anc doctrinam, & hunc loquendi mo-um, à Papiſticis Doctoribus ficta eſſe, t *idololatriam* ſuam velarent, quam in ultu imaginum committunt: id ſtuden-es, ut homines per hanc doctrinam mi-us averſi ſint ab illa *idololatria*, quaſi in naginum cultu nihil aliud fieret, quam invocatio illius, quem *imago* refert. Et quia multi in Papatu reperiantur, qui etiam ipſas *imagines* colant, formulis lo-quendi uſi ſunt, quibus etiam maxime enormis idolomania, quæ in peſſimo ima-ginum cultu uſurpatur, ſubſiſtere poteſt: & quibus juxta ipſorum opinionem, evi-dentiſſima illa idololatria etiam poteſt excuſari. Et hoc ultimum extra omne dubium præcipuus eſt ſcopus, ad quem collineant in tractanda & propugnanda iſta religione: quod univerſæ creaturæ poſſint adorari, verum cum *relatione* ad Deum.

Non putem etiam hunc errorem di-gnum eſſe, ut laborem ſuſcipiam ad eum refellendum. Aſſerunt, Deum in cunctis creaturis æque poſſe adorari, velut unus è Sanctis, aut Chriſtus, in ſuis veſtibus adoratur: aut quemadmodum Reges & Principes in ſuis ornamentis civili cultu honorantur. Verum *primo*, hoc non eſt ornatum venerari, ſed perſonam, quæ eo induta eſt. *Deinde*, non honor præ-ſtatur veſti, niſi quum ratio hoc poſcit: & tempus, locus, & occaſio ſe præbent, ut Chriſtus, aut Sanctus, in ornamentis ſuis adorentur. Porro fundamentum in-vocationis Dei tamquam hic aut illic præ-ſentis, quapropter ad certum locum verſi ad Deum, preces noſtras dirigamus, non iſta præſentia in cauſa eſt, qua Deus *ubi-que* præſens eſt: ſed *ſpecialis* quædam præſentia, per ſingulares quaſdam ope-rationes & ſigna ſe demonſtrans. Quem-admodum Deus, exempli gratia, Moſi ſe in rubo manifeſtavit. Tunc orationem noſtram ad ejuſmodi locum dirigimus. Alioquin Deus in Spiritu invocatur: nec precatio, & cogitationes, ad certum ali-quem locum diriguntur.

Et ſingulis creaturis preces ſuas offer-re, eo nempe fundamento, quod Deus ubique præſens ſit, & idcirco etiam in qualibet creatura, ad quam me inter oran-dum corpore converto, & cogitationibus, adeo abſurdum eſt; ac ſi ego, ex iſto *fun-*

damento, quod anima rationalis ubique, & in ſingulis corporis partibus exiſtat, alloquium & geſtum meum in aliquo compellando, ad pedem aut ventrem converterem, aut ad dorſum, ne alia corporis membra nominem. Quod certe omnes abſonum eſſe arbitrantur. Quoniam fundamentum alloquii, ad hominem directi, *ea ſpecies eſt præſentiæ animæ, qua ſe in certa corporis parte ſpecialiter per rationem & ingenium præſentem eſſe oſtendit.* Itaque in precatione ſe ad Deum convertere, tanquam in hac vel illa creatura per ſuam omnipræſentiam exiſtentem, non quidem *idololatria* eſt: ſed maxime abſurda & ridicula *actio*, quæ ab hominibus poteſt committi.

Sed his ludibrio dignis actionibus Pontificii Doctores, qui hunc errorem, de quo jam nobis ſermo, defendunt, horrendam *idololatriam* adjungunt. Nam per creaturarum adorationem ſub fundamento Divinæ omnipræſentiæ, non intelligunt *adorationem Dei*, ut præſentis conſiderati in qualibet creatura: ſed eo denotant *venerationem Dei ſub imagine, forma, & re corporea, quacum Deus ita unitus eſt, quemadmodum Deus in tali idolomaniæ ſpecie cum imagine, aut animali, conjunctus eſſe præſupponitur.* Et de quo ſupra quam latiſſime diſſeruimus: & illud etiam *idololatriæ* genus rejecimus. Inſuper hinc ſequeretur, Solem, verbi gratia, Lunam, Aſtra licere adorare: eo ſe convertere: iis ſe incurvare: illa alloqui, &c. Quod tamen tam expreſſe in S. Litteris interdicitur, & inter maximam *idololatriam* recenſetur. Chriſtiani ſemper pro calumnioſa exprobratione duxerunt, cum dicerent ipſos aſininum caput adorare. Sed juxta opinionem quorundam Pontificiorum Doctorum non id pro opprobrio habendum erat, ſed ut licitum propugnandum fuerat. Nolumus negare, quum Deus ſingulari operatione præſentiam ſuam in Sole oſtenderet, non licuiſſe ibi Deum adorare, atque ita illicitum fuiſſe ad Deum ſe convertere. Sed hoc multum à ſententia Pontificiorum Doctorum differt, quam jam refutavimus.

Pars Tertia.

In qua accuratius tractatur de Idololatria Papiſmi.

In ſecunda parte hujus Tractatus de multiplici idolomaniæ genere actum eſt. *Prima* eſt, cum aliquid pro Deo adoratur, quod non eſt Deus. *Secunda* eſt, cum verus Deus adoratur ſub imagine & ſimilitudine. *Tertia*, cum minores Dii finguntur: aut quum hominibus majora humanis adſcribuntur, illique ſpecie honoris aut cultus coluntur, qui ſacer, eccleſiaſticus, auguſtior humano eſt; quique natura ſua ad Deum ſolum referri poteſt. *Quarta*, quum *imagines* ejuſmodi cultu veneramur.

De prima idolomaniæ ſpecie primum dicemus. Doctrina Pontificiorum de *Tranſſubſtantiatione* omnibus nota eſt: clare illam profitentur. Et Religio, quæ ab ipſis in *Miſſa* circa *Hoſtiam* exercetur, præcipua eſt, quæ inter eos in uſu eſt. Illorum fides de iſta *Hoſtia*, quantum attinet ad rem, quæ hic tractanda venit, eſt, ut doceant, confiteantur, & credant, in Miſſæ miniſterio Hoſtiam è farina confectam per verba illa, *hoc eſt Corpus meum*, à Sacerdote *ſolenniter* pronuntiata, commutari in verum Corpus Chriſti: Chriſtumque per ea verba ubique præſentem eſſe, ubicunque *Miſſa* adminiſtratur. Tertio iſtum Chriſtum conſtitutum ex Divina natura & illa humana, quæ corpus humanum habet per tranſſubſtantiationem in Miſſa, cum hoſtia elevatur, adorandum cultu latriæ, & ſummo religionis affectu. Duo hic veniunt conſideranda. Primum, quod Chriſtus vere ſecundum humanam ſuam naturam ſit ubique præſens,

ſens, ubi *Miſſa* rite celebratur. Alterum, ibi præſentem ſtatui *Chriſtum, cujus corpus per Tranſſubſtantiationem ex farina eſſentiam ſuam adeptum eſt*: *atque ita è farina naturale, & quod ex Maria aſſumpſit, & quo modo ad crucem pependit, Corpus Chriſti factum eſt.*

Quod ad iſtum errorem attinet, quod in adminiſtratione Sacri Sacramenti Chriſtus juxta humanam ſuam naturam ibi præſto ſit. Et eo fundamento Chriſtum, tanquam iſto loco præſentem, adorari, non videtur ullam *idololatriam* inferre. Iſta enim doctrina non introducit *alium Chriſtum*. Et oratio, & Religio, ibidem Chriſto facta, qui creditur eo loco præſto eſſe, licet non ſit, non adaptatur rei alicui, quæ non ſit Chriſtus. Si quis miraculo quodam abreptus, crederet Deum ſingulari modo præſentem ſe oſtendere, ubi miraculum illud fieret, quum tamen falſo creditum illud miraculum merum opus naturæ foret: & ſi Deum ita veneraretur, tanquam ſingulariter illic præſentem, is ideo formalem *idolomaniam* non committeret: *quanquam hæc actio enormem ſuperſtitionem, quæque ad idololatriam perducere poteſt, in ſe continere queat: atque id ob prædictas rationes.*

Verum quidem eſt errorem illum, credere nimirum, *humanam naturam* Chriſti ubique præſto eſſe; & præſertim in S. Cœnæ adminiſtratione, graviorem eſſe eo errore, quo credimus *Deum* alibi peculiari modo præſentem eſſe, Ipſumque ibi adorari. Quod alterum poſſit fieri, alterum non item. Prius humanæ naturæ, & creaturæ, Divini quid; poſterius Deo nulla attributa, quæ Ipſi non competant: nec etiam ullam rem, quæ ſua natura cum Attributis Dei non poſſit conſtare, attribuat. Ex priori prædicato *annihilationem* humanæ naturæ Chriſti ſequi: quamvis id ab illis, qui iſtius ſunt confeſſionis, non concedatur, ſed doceant, verum Chriſti corpus, quale à Maria habet, in Miſſa eſſe. Ex poſteriori autem ejuſmodi error nullo modo ſequatur. Quanquam ergo, inquam, hujuſmodi ſit differentia, & unus error tanto gravior ſit altero: non tamen ideo illa doctrina, meo quidem judicio, nec ejus praxis ullam *idololatriam* continet. Aliud eſt in Sacra Synaxi præ ſe ferre, adorare ſe verum Chriſtum, ſed qui corpus ſuum habet ex ſubſtantia panis: aliud eſt verum Chriſtum adorare alicubi, qui tamen ibi non eſt, ſed qui tamen ponitur corpus ſuum naturale habere non per tranſſubſtantiationem ex pane, ſed per generationem ex Maria.

Hæc doctrina tollit quidem natura ſua (licet non juxta profitentium interpretationem, fidem, & opinionem eam propugnantium) humanam Chriſti naturam, & immutat ipſam in Divinam, quia Divinæ naturæ proprium eſſe ubique: non tamen alium Chriſtum introducit. Fides illa, quod homo aliquis *Deus fiat*, non aliam perſonam propterea inducit: multo minus id tum contingit, cum tantum ex doctrinæ alicujus conſequentiis ejuſmodi *Deificatio* elicitur. Certe differunt illa, credere, per quoddam miraculum omnes arbores (exempli gratia) in Petrum & Paulum mutari, illaſque arbores pro Petro & Paulo ducere: ſe adverſus eas arbores, quas falſo credo in homines commutatas, gerere eodem modo, quo homines tractamus. Vel putare, per certum miraculum Petrum aut Paulum, in, apud, ſub, & cum cunctis arboribus præſentem eſſe.

Verum apud me extra omnem controverſiam eſt, Pontificios, hoc poſito, ipſos ſummo (ut verbis eorum utar) cultu & adoratione, quibus Chriſtus in Cœlis colitur, *iſtum Chriſtum*, quem per *Tranſſubſtantiationem* credunt in Miſſa præſentem eſſe, invocare, *formalem idololatriam* committere, quod aliquid Divino honore adorent, quod non eſt Deus: quippiam, quod non eſt Chriſtus, *Deus & homo.* Jam ante dictum eſt, non id in conſiderationem

nem venire, an Chriſtus in Miniſterio Miſſæ ibidem corpore ſuo præſto ſit. Sed hæc eſt ratio *idololatriæ* Papiſtarum in Miſſa: quod loco Chriſti illud adorent, quod non eſt Chriſtus. Chriſtus eſt Perſona, quæ ex Divina, & illa humana natura conſtat, quam ex B. Virgine Maria accepit: quæ humana natura ab omnibus aliis humanis naturis per illam circumſtantiam diſtincta, & eſſentialis pars Perſonæ Chriſti eſt: neque Pontificii iſtam culpam effugiunt; dicendo ſe nihilominus credere corpus Chriſti in Miſſa præſens, etiamſi per tranſſubſtantiationem ex pane fiat, eſſe tamen idem illud corpus naturale, quod à Maria habet.

Nam lumine naturæ ſine ulla argumentatione, aut conſequentia, probe ſcimus, ſingulas res exiſtentes per ſe à reliquis omnibus diſcerni. Hunc eſſe Petrum, illum vero Paulum. Chriſtum eſſe filium Mariæ: Paulum non item. Corpus Chriſti, quod naturam & originem ſuam ex Maria cepit, non poteſt una illud ſpeciale & individuum corpus eſſe, quod per Tranſſubſtantiationem fit, & eſſentiam ſuam acquirit. Corpus ejuſmodi, quod per *Tranſſubſtantiationem* conſtat ex eo, quod ante ſubſtantiale corpus, aut materia panis erat, non eſt Chriſti corpus. Et ſi hoc corpus non ſit, quod originem habet è Virgine *Maria*: cum illo corpore Chriſti anima non eſt conjuncta nec unita. Multo minus ſecunda Perſona Deitatis *iſtam humanam naturam* aſſumpſit. Et propterea in Miſſa non eſt ille Chriſtus, quem Deus nobis donavit; qui nos liberavit; & qui pro nobis paſſus eſt: cuique omnis in cœlo & in terra poteſtas data eſt: ac quocum Divinitas conjuncta eſt. Et propterea is non eſt verus Chriſtus, qui in *Miſſa* adoratur: ſed falſus Chriſtus, & *merum idolum*: tantum diſtinctus à vero Chriſto, & à vero Redemptore, ac illi Chriſti ab eo diverſi ſunt, quos Judæi identidem pro iſto habuerunt. Ac veluti ille Chriſtus ab eo differt, quem etiamnum exſpectant.

Verum quidem, quod *præſupponant*, *eundem Chriſtum* in *Miſſa* eſſe. Sed hoc affirmare, & ſimul quædam ſtatuere, quæ per ſe *immediate*, ſine ulla conſequentiarum *deductione*, illa dicta deſtruant, idem ac ſi negarent eundem eſſe Chriſtum. Eſt notio communis, naturalis nobis omnibus impreſſa cognitio, ſubſtantiam panis non poſſe converti in aliud corpus, quod antea exiſtebat, & *individuam ſuam naturam* habebat. Nec etiam unum idemque corpus eſſe poſſe, quod ex ſubſtantia Virginis *Mariæ*; atque illud, quod per *Tranſſubſtantiationem* ex pane eſſentiam ſuam habet. Quare *Tranſſubſtantiationem* non poſſe fieri: Impoſſibile ergo Chriſtum per Tranſſubſtantiationem in *Miſſa*, prout Pontificii hoc docent, præſentem eſſe. In Miſſa igitur ipſos aliquid adorare, quod neque Deus, nec Chriſtus ſit. Plura non poſſunt addi: quia eſt notionis primæ; quæ per aliam cognitionem neque probari, nec explicari, neve illuſtrari poteſt.

Qui ore profiteretur nos in reſurrectione propria noſtra corpora, quæ ante habuimus, recepturos: & una doceret, illa ex alia materia, ac in quam corpora noſtra *reſoluta ſunt*, quæque materia nunquam pars corporis noſtri fuit, creanda fore: is certe poſteriori ſua poſitione priorem everteret. Et ut illud verum eſſe convincam, nova argumenta allegare nequeo: quia hæc, quæ per ſe clara & nota ſunt, per nullum clarius principium poſſint demonſtrari.

Et ſi anima Chriſti, & ejus Divina natura in Chriſti reſurrectione cum corpore conjunctæ fuiſſent, quod omnino diverſum fuiſſet à corpore, quocum Chriſtus ex Virgine *Maria* natus eſt: non poſſet dici Chriſtum illo corpore, quo ex Virgine *Maria* natus eſt, reſurrexiſſe. Cum ergo ſtatuitur Divinam Chriſti naturam non unitam eſſe cum alia humana natura, quam cum ea, quæ conſtat ex anima, copulata cum corpore, quod ex Maria ſuam ori-

originem ſumpſit: & tamen *aperte* aliud corpus ponitur, & ea propter alia humana natura, ille clare Chriſti corpus facit ex aliqua re, quæ nec eſt Chriſti corpus, neque unquam fuit. Et qui Chriſtum, qui tale corpus habet, veneratur & adorat, is adorat aliquid, quod non eſt Chriſtus. Et hic non eſt quæſtio de ſubtili quadam diſputatione ſcholaſtica, aut ſpinoſa diſtinctione, vel *Metaphyſica quæſtione* de materia, quæ inter eruditos ſolum poteſt decidi.

Verum, uti jam dictum, controverſia eſt de re, de qua quivis lumine naturæ, ſine magna ratiocinatione, judicare poteſt. Nec tamen, de eo inter eruditos non convenire, mirum videri debet. Præjudicium, paſſio, diuturna conſuetudo, honoris cauſa rem propugnare, & eo talia conquirere, quibus noſmetipſos & alios fallamus: & præſertim juſtum Dei judicium, tradens eos in ſenſum reprobum, qui veritatem in injuſtitia detinent: & iſtum ipſis perſuadens, quod veritatem non amarunt, faciunt, ut ipſo meridie ambulent in tenebris.

Præterquam quod maximi idiotæ, & ſimpliciſſimi aptiores ſint, ut *certa* judicii *ſpecie* de re quadam judicent, quam doctiſſimi de eadem re *alia judicandi ſpecie*. Infinita ſunt, quæ nos lumen naturale, & impulſus *conſcientiæ*, quæ peccati prævaricatione nondum excæcata, everſa, & inſenſibilis reddita eſt, docet *dictat*que vera & bona eſſe, ac à nobis facienda: quorum tamen intima ratio non tam facile poteſt reperiri; & ad quam rationem excogitandam etiam eruditiſſimis ſæpius aqua hæret: at idiotæ animum integrum, & vera religione tactum habentes, neque oſtentatione aut vana gloria ducti, neque aliquod compendium ſequentes in æſtimando officio ſuo, facilius recte inſiſtunt in inſtituendo vitæ curſu, quam multi docti, aut alii, quorum animus vitiis affectus, eos in devia rapit. Et cum eo, ut cum multis aliis rebus comparatum eſt. Pueri, verbi gratia, per naturalem cognitionem norunt eo modo ante focum ſe inflectere, & corpori tale libramentum dare, ut nec proni, nec ſupini, nec in alterutrum latus cadant. Et optimo pictori, & ſtatuario, qui per artem hoc vult exprimere, induſtria deficit ad imitandum, & vix aptam corporis conſtitutionem poteſt formare.

Quantum prava hæc ratiocinatio poſſit, ex multis malis *deciſionibus* caſuum conſcientiæ patet, quæ à doctis in Papatu, & præſertim à Jeſuitis factæ ſunt, & adhuc defenduntur. Quid non omittit, & execratur vulgus circa peccata ſeptimi præcepti: quæ delicta etiam doctiſſimi per rationes non poſſunt probare eſſe peccata: & qui tum ſæpenumero malam rationem pro bona recipientes, & naturalem averſionem non conſiderantes, quam ab illo malo habemus: aut pravam rationem naturali illi averſioni opponentes, & ſic naturalem conſcientiæ ſuæ motum extinguentes, aſſerunt malum eſſe bonum, *nigra eſſe candida*: *in actum deducunt ea*: & ſuis exemplis & auctoritate plebem inducunt ad ſui imitationem, & ad ea perpetranda æmulatione & exemplis, quæ eruditi, ſed poſtquam ſeſe ratiociniis ſuis infatuarunt, ratione falſa tuentur. Et præcipue hoc fit circa *idololatriam*, quæ in Papatu committitur.

Naturale lumen noſtræ conſcientiæ nos ſatis docet, inter honorem & cultum creaturis præſtitum, ſub fundamento, & cum relatione officiorum, amicitiæ, & auctoritatis, quomodo illa in terrarum orbe inter homines, & circa homines, qui ibidem degunt, poſſunt uſurpari: & inter illum honorem & cultum, quæ ex virtute, & illa animi conſtitutione, quam *Religionem* vocamus, deſcendit, nullum dari tertium, quem Angelis, aut defunctis Sanctis licet exhibere. Et vix aliquis adeo obeſæ naris reperitur, qui differentiam ſuarum cogitationum, & illorum officiorum non cernat, dummodo

animum intendit; ita ut homines ſimplices, vi naturalis conſcientiæ ſatis percipiant, aut illum cultum meram idololatriam eſſe, aut Jeſuitarum exceptionibus & limitationibus ita illum actum mutari, ut nihil amplius rationis in illo compareat; & ideo hominibus, qui ratione aliqua ducuntur, convenire non poſſit: & tamen eruditi ſed idololatrico ſpiritu perciti, per perverſas ſubtilitates ſemetipſos fallentes, prius illud lumen obnubilant, & novas diſtinctiones fingunt, quæ nullis omnino nitantur rationibus.

Pontificios etiam ſecundæ ſpeciei *idololatriæ* affines eſſe, *qua Deus ſub imagine colitur*, teſtimonio omnium fere ſenſuum externorum notum eſt. Quod Sacroſanctam Trinitatem corporaliter exprimant, patet ex ſimulachris ejus factis, quæque in publicis illorum templis erecta ſunt. Adoratio *Crucifixi* etiam ibidem fit palam. Concilium Nicænum ſecundum, cujus canones & deciſiones etiamnum hodierni Papiſtæ tuentur, præcipit, ut *imagines colantur*. Et Actis illius Concilii inſerta eſt epiſtola *Adriani* Papæ ad *Theraſium* Patriarcham Conſtantinopolitanum, cujus inter alia hæc ſunt verba, *Pergat Sanctitas veſtra in cultu & adoratione imaginum*. Thomas princeps *Scholaſticorum* Doctorum *Summæ parte tertia, quæſt.* 25. *Ergo inde ſequitur quod eadem reverentia exhibeatur imagini Chriſti & ipſi Chriſto. Cum ergo Chriſtus adoretur adoratione latriæ, conſequens eſt quod ejus imago ſit adoratione latriæ adoranda. Gabriel Biel lect.* 4.9. *in canonem Miſſæ. Si aliquæ reperiantur Chriſti imagines, illæ eadem ſpecie adorationis, adoratione latriæ, adorantur, qua Chriſtus ipſe adoratur.*

Hanc opinionem magna turba Doctorum ſequitur, nimirum *Azor*, *Alexander*, *Bonaventura*, *Ricardus*, *Paludanus*, *Capreolus*, *Alphonſus de Caſtro*, *Caniſius*, *Turrianus*, & plures alii. Præterquam quod notum ſit, in ipſorum libro Cærimoniali, in quo ritus eccleſiaſtici deſcripti ſunt, precationum formulas reperiri, in quibus Crux adoratur. *O Crux, unica mea ſpes, ſalve eo tempore, quo nos Paſſionem Chriſti celebramus, auge piorum juſtitiam, & largire ſontibus gratiam.* Et poſtea, *Tu ſola digna habita es portare ſæculi pretium: Crux inter omnes fida: unica nobilis arbor.* Ejuſdem farinæ eſt alloquium Papæ *Innocentii Tertii* ad Chriſti imaginem linteo impreſſam. *Salve facies Chriſti, &c. duc nos ô beata facies ad conſpectum faciei Chriſti.* Vaſques lib. 2. de Adorat. diſp. 8. c. 7. *Eccleſia exigit à fidelibus adorationem imaginum.* Et cap. 1. *Omnes Catholici in eo facile conveniunt, quod ſpecie quadam adorationis imagines ſint colendæ.* Bellarminus lib. de Imag. Sanct. *Imaginibus reverentia eſt præſtanda, non ſolum quatenus imago ſuccedit in locum principalis: verum etiam proprie, & reſpectu ſui.* Sed *Vaſques* ulterius procedit, & probare nititur, imagines licere adorare ſummo religioſo cultu, *lib.* 2. *de Adorat. diſp.* 8. *c.* 7.

Quid in Romana Eccleſia credatur de adoratione *imaginum* etiam inde liquet, quod diſputent inter ſeſe, quo adorationis genere *imagines* ſint colendæ: an eodem cultus & adorationis genere, quo illæ res, quarum *ſimulachra* referunt, adorari debeant, an minori genere. Quidam prius defendunt, alii autem poſterius. Sic etiam inter ſeſe diſputant, an *imagines* proprie per ſe ſint adorandæ, an ſolum ob rem, cujus imago & ſimilitudo ſunt. Ita ut ex his probationibus hæc clare conſtent. *Primo*, quod in Papiſmo imagines colantur & adorentur ſpecie quadam cultus, qui ſeparatus eſt ab omni civili cultu: eaſque adorari cultu *religioſo*. *Secundo*, in Papatu illos tolerari, qui docent, *imaginem* Chriſti eodem cultu eſſe colendam & adorandam, quo Chriſtus honoratur. *Tertio*, Hæc etiam opinio valde vulgaris eſt inter Pontificios, uſu autem propemodum communis, quod Deum, Chriſtum, & defunctos Sanctos *ſub ſimulachro* adorent: quod reſpectu Dei, & Chriſti, me-

ra eſt *idololatria*: quoniam, juxta ſuam ipſorum ſententiam, Deum & Chriſtum colant *ſummo* (ut verbis ipſorum utar) *religioſo* cultu. Et reſpectu Sanctorum, quantum ad externa, etiam *idolomaniam* continet: cum *ſigna honoris*, qui in ſolum Deum quadrat, creaturis communicantur. Præterquam quod idiotæ non diſtinguant inter adorationem Dei, & Sanctorum, per *imaginem*; & Ipſum, & hos, animo religioſo colant.

Pontificios etiam *tertiæ* ſpeciei *idololatriæ* reos eſſe; quæ committitur, quum creatura Divino honore afficitur, *primo* patet ex Religione, quam Virgini *Mariæ* exhibent. Integri libri à Pontificiis ſcribuntur, in quibus ejuſmodi opera, honor, laus, ejuſcemodi genera religioſarum precationum ipſi applicantur, quibus *Maria* non amplius retinet proprietates hominis, ſed in Deum transformatur. Paucula tantum ſpecimina proferemus. In hymno *Innocentii III. Mariæ* imploratur auxilium contra iram ſui Filii. *Poſſevinus tom. 1. poſt libros de myſteriis Miſſæ*, laudat Scripta cujuſdam *Bernardini de Buſtis*, in quo libro multa de Virgine *Maria* dicuntur, quæ S. Scriptura ſoli Chriſto adſcribit. *Aventinus* nominat *Mariam thronum gratiæ*. *Biel lect.* 80. duos ſtatuit thronos: alterum gratiæ, alterum juſtitiæ. Thronum gratiæ *Mariæ* attribuit: thronum autem juſtitiæ Chriſto. Quid Pſalmis illis poteſt addi, qui Lutetiæ Pariſiorum anno 1607. & 1611. cum *approbatione* excuſi & editi ſunt: ubi *p.* 6. de *Maria* dicitur, *Tua ſumma poteſtas, & incredibilis dulcedo infinitæ tuæ miſericordiæ, ad id labia mea obſtrinxerunt, ut nullius laudem, niſi tuam, commemoratura & prædicatura ſint.* Ibidem etiam omnis laus, & gloria, quæ in Sacris Literis de Deo proferuntur, *Mariæ* adaptantur; & loca ex Bibliis in margine annotantur. Anno 1625. Coloniæ impreſſa, & cum *approbationi* vulgata ſunt *Biblia Mariæ*, in quibus omnia ferme, quæ Verbo Dei continentur, Virgini *Mariæ* tribuuntur. *Fornaci* anno 1622. libellus eſt editus cum approbatione, cujus hic eſt titulus, *Virgo Maria cauſa omnis boni, tam corporalis, quam ſpiritualis. Bellarm. lib. 1. de Chriſto*, demonſtrat ex formula Baptiſmi Spiritum S. Deum eſſe. *Baptizo te in nomine Patris, Filii, & Spiritus S.* Inquit enim, Dominus Chriſtus Spiritum S. non conjungeret cum Deo, & Filio, ſi Spiritus S. creatura foret. Sed idem *Bellarm.* concludit ſuum *tractatum de Controverſ. Laus ſit Deo, & Virgini Mariæ. Cathar. cap. 9. verſ. 23. ad Hebræos. Apoſtolus loquitur in numero plurali. Non enim tantum fuit ſacrificium: ſed inſuper auxilium requirebatur, quod ipſi ſimile erat.* Ita Virginem Mariam Servatricem faciens generis humani. *Salmero tom. 3. tract. 3.* plenitudinem gratiæ, quæ in Maria eſt, hoc modo explicat: *Ut eſſet (ſi mihi liceat ita loqui) conſervatrix generis humani: & ad quam, tanquam ad ſpecialem procuratricem, quæ ſemper per reverentiam à Filio exauditur, communi zelo fidei & devotionis omnes fideles, Sancti, & peccatores, ad omnia bona & beneficia, tum ſpiritualia, tum ſecularia, omni tempore, & omni loco cum fiducia accederent, & refugium caperent.* Idem dicit Magos Orientis Jeſum Chriſtum colentes, una etiam *Mariam* coluiſſe. Et ſimul laudat opinionem illorum, qui credunt Magos Chriſto thus dono attuliſſe, *ut Deo:* atque ita eodem tempore, atque eadem *actione*, quantum ad externum cultum attinet, æque *Mariam*, ac Chriſtum, cultos fuiſſe: addens, *nam qui Filium adorat, is etiam Matrem adorat. Qui Filius è Matre oritur ſecundum carnem: veluti Mater è Filio juxta Spiritum. Nam vere Chriſtus, & Maria, duo ſunt in carnem unam. Et quemadmodum nemo, qui Filium non honorat, Patrem honorat: ſic etiam, qui Matrem non honorat, eripit Filio honorem.* Tom. 3. tract. 14. Idem. *Quicquid Filio jure competit: illud etiam gratia & privilegio Matri communicatur.* Et Mariæ id applicat,

plicat, quod habetur *Hebr. 1. Ut omnes Angeli Dei eum adorent.* Auguſtiniani Toloſæ ediderunt opera Puteani: & in præfatione ad Lectorem *Mariæ* adſcribunt, quod Serpentis caput contriverit. Appellant illam etiam *Divam, id eſt, Deam. Lipſius in Diva ſua Hallenſi* idem facit. Et de Æde, in qua Virgo Maria colebatur, loquitur: *Clare comperi, in eo loco Deum, aut Numen eſſe: quod etiam mentibus ignaris influit.* Etiam hymnum ſuum in laudem Virginis *Mariæ* ita finit. *Dea, te omnis ſexus, & ætas prædicabit, & gloriam dicet.*

Gravis, pius, & apprime doctus Rivetus peculiarem tractatum conſcripſit de Virgine Maria, & ex Papiſtarum *approbatis* libris oſtendit turpem idololatriam, quæ in Papatu cum Maria committitur. Quod appellent *eam Reginam cœli: quod omnia poſſit in cœlo, & in terra: quod fons ſit gratiæ: refugium ſalutis: quæ ex ſuo beneplacito omnia temporalia, & ſpiritualia bona largitur. Quæ imperium habeat in omnia temporalia dona Spiritus S.* Qui plura hujus generis ſcire deſiderat, dictum Auctorem conſulat.

Huic *idololatriæ* ſpeciei etiam obnoxii ſunt Pontificii per adorationem Angelorum: quorum auxilium, interceſſionem, protectionem in ſuis precibus in Eccleſia, & in exercitio Religionis ſuæ invocant. Hoc notum eſt, nec ab ipſis negatur: ſolummodo conantur eam excuſare *per diſtinctiones & exceptiones:* de quo in ſecunda parte hujus tractatus quam latiſſime diſſeruimus: ſupervacaneum ut hic iterum repetatur.

Committunt etiam idem *idololatriæ* genus in invocatione & adoratione Sanctorum. Nominant illos *Divos & Divas*, id eſt minores Deos, ſeu conſecratos. Habent *ſuas litanias & formulas precum*: in quibus in exercenda ſua Religione, coram Deo, etiam eodem tempore, loco, & eodem geſtu; quinimmo plurimum eadem animi conſtitutione, ordine ingentem numerum Sanctorum invocant. Templa ipſis condunt, & Feſta celebrant in eorum honorem: thus eis adolent: aperte illos in periculo invocant. Adſcribunt ipſis curam regionum, urbium, regnorum: ſedationem maris, & tumultuum populorum: editionem miraculorum: & in honorem illius Sancti, quem in periculo invocarunt, tabulas ſuſpendunt. Ita ut ex omnibus Pontificiorum factis liceat animadvertere, quod Sanctos conſiderent minimum tanta poteſtate præditos, quantam Ethnici Diis ſuis minorum gentium attribuebant: qui per communicatam, & à Summo Deo conceſſam potentiam, Divina opera patrabant: & quapropter etiam tam Pagani, quam Papiſtæ, eos Divino honore colunt.

Et ſi Pontificii aliter hac de re ſentirent, qui ſe in magno & ſubito periculo, ubi celeri auxilio opus eſt, ad Sanctos converterent. Ad hæc in praxi non poteſt fieri, ut credamus, Sanctos noſtras & omnium aliorum, qui ipſos invocant, preces omnibus locis exaudire, corda noſtra ſcrutari, nos per *miraculoſam* operationem juvare, & liberare in rebus, ubi omnem opem humanam vanam judicamus: & quare cogitationes noſtras ab omnibus viſibilibus creaturis avertimus: & corda noſtra, manus, oculos ad cœlum tollimus: impoſſibile, inquam, eſt credere Pontificios ea omnia circa Sanctos facturos, nec tamen *religioſam* conſtitutionem in animis ipſorum excitatum iri, nec auguſtiora humanis de illis credere. In omnibus illis animi commotionibus, ex tot circumſtantiis quæ religionem nobis inſpirare ſolent, natis, tamen in illo ſtatu mentem ſuam cuſtodire ut non afficiatur religioſo affectu: hoc mihi humanas vires excedere videtur. Et quotidiana experientia aperte nos docet contrarium.

Quarta Idololatriæ *ſpecies*, quæ in Papatu quidem non generaliter propugnatur, ſed à quibuſdam ſolum, quæ etiam, quod

quod quidem ſciam, in nullis Conciliis, aut Pontificiis Decretis eſt deciſa, ea eſt, quando docent, omnes creaturas, quod in iis Deus præſto ſit, idcirco cum illa ad Deum *relatione*, licite poſſe adorari. Fateri cogor me praxin iſtius idolomaniæ in Papiſmo non vidiſſe: & idcirco pro *ſpeculativa* tantum *idololatria* eſſe habendam. *Vaſques* Jeſuita *diſp.* 100. *c.* 2. inquit, *omnes creaturas licite cum Deo invocari: quod omnes creaturæ totius univerſi, Dei opera ſint: & quia Deus iſtis creaturis inſit, ibique operatur: ita ut tam facile nobis fingamus, quod Deus ſit in creaturis, quam quod Sanctus veſte aliqua fuerit indutus, quæ veſtis honorari ſolet.* Verum eſt, quod addat, motionem animi noſtri in ſolo Deo terminandam eſſe, ſed quod ipſi creaturæ ſignum *ſubmiſſionis* per oſculum, aut corporis flexionem demonſtremus, illud non eſt ſupervacaneum, neque *ſuperſtitioſum*, ſed opus eſt magnæ religionis. Hoc etiam concedit primo intuitu, valde abſurdum videri, ſi animalibus ratione carentibus, & ſordidis, aut contemtis rebus *ſubmiſſionis* ſignum exhibeamus: id tamen non ideo efficere illicitum eſſe Deum in ſingulis creaturis adorare. Quanquam periculi cauſa nolit, ut omnigenæ creaturæ adorandæ proponantur: quod tamen extra reſpectum periculi poſſet fieri. Ita ut hanc quæſtionem proponat, an liceat radium Solarem adorare, vel *Crucifixum*, ſub quo Diabolus ſe occulit? Et rejicit opinionem eorum (ut aperte erroneam) qui tradunt, ejuſcemodi apparitionibus ſolum reverentiam & cultum eſſe præſtandum ſub illa conditione: *Si Deus in iſtis rebus ſe oſtendat, non autem Diabolus.* Sed affirmat, apparentem eum radium intrepide licere adorari, ſine iſta conditione. *Lorinus* Jeſuita adſtipulatur *Vaſquio* ad *Pſalm.* 98: 5. Ita ut juxta eorum opinionem, Solem, Lunam, & Stellas liceat adorare. Et Gentiles Chriſtianis nullum majus peccatum, abſurditatem, aut idololatriam objiciebant, quam quum illis exprobrarent, quod caput aſini adorarent. Et Chriſtiani, ex ſententia iſtius Jeſuitæ, peccabant, quod id conarentur excuſare: quoniam ſecundum opinionem Jeſuitarum laudandum eſt univerſas creaturas adorare, cum relatione, & intuitu, quod Deus in ipſis præſens ſit.

Itaque nos probaſſe cenſemus, in Papatu idololatriam doceri & exerceri. Et putamus errorem eum, & ſimul Papiſtarum praxin, ex errore illo provenientem, genus eſſe idololatriæ, ſummè in S. Pagina, tam Veteri quam Novo Fœdere prohibitum: & idcirco Reformatis juſtam cauſam fuiſſe ſeparandi ſe à tali Eccleſia (ubi ejuſmodi doctrina propugnatur: & Membra ejus ad praxin illius doctrinæ adiguntur) & ſeparatos cœtus habendi.

A multis id non ita judicatur, & putant cauſam idololatriæ in ſubtili cognitione verſari: & idcirco eam, à vulgari Chriſtiano incomprehenſibilem, non eſſe fundamentalem articulum fidei: etiam Idolomaniam per errorem, ſed bono propoſito, & animo colendi Deum, factam, non poſſe pro graviori duci, quam pro peccato infirmitatis. Sed eodem fundamento poſſet dici, rejectionem doctrinæ Euangelicæ non eſſe fundamentalem errorem, & tantum peccatum imbecillitatis: quod Judæi, & Gentiles, ſpecioſis rationibus moventur, ne veritatem doctrinæ, quæ ad pietatem ducit, ſuſcipiant. Et Apoſtolus Paulus ſpecialiter de Judæis loquitur, quod bonum zelum haberent, & Deo ſingulariter ſervire putarent adhærendo Religioni per Moſem inſtitutæ, & Religionem Chriſti rejiciendo, *Rom.* 11: 2. Verum quidem, magnitudinem peccati metiendam eſſe juxta magnitudinem malitiæ, cum qua error iſte commiſſus eſt. Sed ſemper magna malitia cum errore eo mixta eſt, cum res magnas negligenter tractamus: & ſi circa illum articulum errorem non ſollicite

vitemus: in quo errore conſiſtit peccatum auferendi alicui eum honorem, eundemque in alium transferendi, cujus maxime zelotypus eſt, & quem propter maximum amorem, quem Deo debemus, obſtricti ſumus Ipſi ſoli reſervare. Sola Religio eſt, per quam Deum colimus, ut Deum: & qua profitemur Deum agnoſcere. Quemadmodum ſolum in iſto affectu & amore, qui includit, & tendit ad corpus mariti & uxoris unum faciendum, ſitum eſt officium, quod maritus & uxor invicem præſtare tenentur, ut maritus & uxor. Et minima incuria in affectu eo bene conſervando; multo magis minima applicatio hujus generis affectionis & amoris ſumme vituperanda eſt: & ideo ait Chriſtus, eum, qui mulierem aſpicit, ut illam concupiſcat; jam adulterium in corde ſuo cum iſta commiſiſſe. Sic etiam minima incuria illius partis Religionis non ſoli Deo reſervandæ: & minima applicatio ejus generis religioſi cultus alii, quam Deo, præſtandi, ſummopere abominanda eſt. Et non excuſat, ad malum hoc minuendum, idololatriam fieri ex communi commotione animi Religioſi, qui reverentia Numinis ducitur. Non magis, quam peccatum inceſtus minoris æſtimandum eſt: quia ille etiam oritur ex communi inclinatione illius amoris, qui tendit ad corpora viri & fœminæ unum facienda. Et Chriſtus teſtatur tempus futurum, ut, qui diſcipulos ſuos occideret, putaret ſe Deo rem gratam facturum, *Joh.* 16: 2. Cenſeo etiam nulla re majus malum fieri, quam ſuperſtitione, & falſa religione.

Concedo equidem peccata, quæ delicta erroris appellant, quod non fiant contra conſcientiam, majora vel minora habenda eſſe quo minori aut majori malitia in eis peccatis hærent. Verum maxime abſurdum credere, id peccatum, quod per errorem committitur, ſemper cum minori malitia conjunctum eſſe, quam illud, quod contra conſcientiam homines committunt. Nulla res in tanto habenda eſſet pretio, quam error & ignorantia, ſi iis malum minueretur: quemadmodum omne vini pretium nimis vile eſſet, ſi illos, qui per ebrietatem peccant, culpa eximeret. Nam eo ſtatum nobis crearemus, quo peccatis minus obnoxii fieremus, quam multi alii, qui moleſtiam & laborem adhibent, ut bonum à malo diſcant diſcernere: ſaltem eo caveremus magna peccata committere. Ac nonne magna eſt pravitas, libenter in ignorantia permanere, atque ita animo adſtipulante per inſcitiam peccare. Nullam moleſtiam velle ſuſcipere, ut diſcas bene judicare: atque ideo vel ſemper male de re æſtimare atque cenſere; aut forte, & *caſu*, recte judicare. Non affectare ſcientiam navigationis, Navarchæ aut naucleri tamen munera exequi; & ideo ſæpe naufragium pati. Illudque malum tum velle extenuare, quod per ignorationem factum ſit, non autem data opera? Quodnam majus peccatum avaritia. Illud tamen verum, pleroſque avaros neſcire ſe illius peccati affines eſſe: quinimmo vitium hoc virtutem nominant, & Chriſtianam curam pro ſe ſuiſque. Idem de ambitione dictum eſto, invidia, ſimulatione, maximè à Chriſto condemnatis & reprobatis. Sermo mihi de ſubtili iſta ſimulatione, cui pro fundamento eſt magna ſui æſtimatio, & nonnullarum parvarum virtutum (in quibus vis pietatis non conſiſtit) & ſimul proximi contemtus, ex odio contra ipſum: quo fit, ut mire nobiſmet ipſis placeamus ob virtutes aliquas ſpecie tenus, quæ deſtitutæ ab anima & eſſentia veræ virtutis (quæ eſt abnegatio ſui, & amor erga Deum & proximum) multis externis ſignis ſe populo jactant.

Et conſideratione dignum, omnem ignorantiam & errorem circa res alicujus momenti in religione (quarum cognitio non idcirco magni eſt acuminis) pro fundamento, vel potius pro fonte habeat

magnum

magnum aliquod peccatum, ſive illud ſit vitium negligentiæ circa res,quæ ſalutem ſpectant: ſeu contumaciæ; vel quod propriam ſapientiam & ingenium maxime ſuſpiciat:aut magnum ſuorum amorem, &c. Ita ut error, iſtis vitiis infectus, æſtimandus ſit, prout ejus generis peccata multum, aut parum cum eo commixta ſint.

Hinc etiam perſpici poteſt, errorem etiam grave delictum eſſe poſſe: quum ferme nullum ſit peccatum, quod amariorem triſtitiam in animo excitet, & quod homo minus poſſit excuſare, cum errore ſuo liberatus eſt, quam peccatum quo in re facile cognitu errore lapſi ſumus. Quia judicium eſt nobiliſſima & præſtantiſſima pars hominis, cujus abuſus neceſſario maximum ipſi dolorem inurit. Verum ſupervacaneum eſt ad probationem hujus rei tot argumenta conquirere, quum S. Scriptura tam clare dicat, Deum homines etiam graviter puniturum ob peccatum erroris, quodque directe non committunt contra conſcientiam. *Rom.* 10. Apoſtolus aperte docet, Judæos perverſo zelo perire. Sic etiam docet Apoſtolus 2 *Theſſ.* 1:8. *Deum in flamma ignis pœnam inflicturum iis, qui Deum neſciunt,nec Evangelio Chriſti obediunt. Matth.* 15:14. inquit Chriſtus, *Sinite illos, ſunt cæci duces cæcorum: ſin autem cæcus per viam cæcum duxerit, ambo in foveam cadent.* Cum Galatæ vellent reverti ad ſuperſtitiones Judaicas,ſeducti perverſa doctrina eorum, qui Chriſtianiſinum cum Judaiſmo miſcere volebant, docet Apoſtolus, *Gal.* 5. *Quod ſi ſe circumcidi paterentur, Chriſtus ipſis inutilis foret.* Itaque is error erat animam occidens error. Et notandum, in hoc errore iſtorum Galatarum nihil aliud videri ſe oſtendere, quam meram Religionem, aut potius nihil quam merum errorem in obſervatione cæremoniarum Judaïcarum: non cum pravis illis paſſionibus conjunctum, quæ in multis Judæis, qui Evangelium omnino rejiciebant, reperiebantur. Et tamen error is tantus erat, ut perniciem illorum, qui errore iſto ſeducebantur, ſecum traxiſſet, ſi in eo perſeveraſſent.

Multi arbitrantur illam idololatriam ſolum tam enixe prohiberi, quæ aut Deum aliquem Gentilium introducebat; vel Deum temporibus Veteris Teſtamenti ſub ſimulachro quodam colebat: quia Deus tam expreſſe poſteriorem idololatriæ ſpeciem in Lege ſua prohibuiſſet: ut nemo in illam poſſet incidere, quam per ſpontaneam malitiam, & contra propriam conſcientiam peccans. Verum conſtare putant cum Pontificiis rem ita ſe non habere, ubi Deus non adoratur ſignatus ſigno alieni Dei: ſed ubi credunt eundem Deum, & eundem Chriſtum, ſe adorare. Et arbitrantur idololatriam in Miſſa niti ſolum ſubtilitate aliqua, & Philoſophica diſputatione, nimirum, *utrum Tranſſubſtantiatio alium Chriſtum inducat.* Addunt etiam Imaginum cultum tam aperte in Novo Fœdere non prohiberi. Tum etiam ad idololatriam excuſandam in medium proferunt, quod cultus Divinus Simulachris non præſtetur: nec defuncti Sancti ullo Divino cultu colantur, ſed minori religioſi cultus ſpecie. Ideo ferunt etiam videri ſolum Philoſophicam diſputationem eſſe, an cultus ille minor Sanctis exhibitus religioſa invocatio poſſit appellari, quum ex Sancto Deum non facimus. Verum docent ſe preces ſuas ipſi ſolum offerre, ut Deum pro nobis oret. Ut tota diſputatio huc ſolum evadere videatur, num Sancti in Cœlis orationes noſtras intelligant & exaudiant. Qui error ſubſtantiam Evangelicæ doctrinæ non ſpectat, ut ipſi prædicant. Addunt præterea, non quemvis in Papatu adſtringi omnia ea dogmata expreſſe credere: ſed *fidem implicitam* in ejuſmodi rebus ſufficere: & de iis licere quantum libet credere, dummodo curam gerant, ne tranquillitas Catholicæ Eccleſiæ eo turbetur.

Reſpondeo: non cenſeo omnigenam ſpe-

ſpeciem Idolomaniæ æque grave peccatum eſſe. Et ſupra hoc etiam probavimus: ſed putamus in Verbo Divino ſub Idololatriæ nomine, præcipue etiam id genus prohiberi, quo aliquid, quod non eſt Deus, pro Deo adoratur. Quod tanquam Deum venerentur illud, in quo nulla Divina attributa, aut perfectiones ſunt; licet iſtud, quod invocatur, non ſit impreſſum charactere *Dei alieni*, aut *Dei* alicujus *è Gentilibus*. Hocque probant omnia illa Scripturæ loca, in quibus tam Judæis, quam Ethnicis, exprobratur, quod horrendam idololatriam committerent, quum Deos adorarent, qui neque bonum, nec malum facere poterant: non futura prædicere: Deos, qui pedibus carebant, quibus incederent, auribus, ut audirent, oculis ad videndum: qui ex ligno, & lapide formabantur: aut ſi quid majus de Diis cogitabant, & ſupra res inanimes extollerent, tales tamen ſibi fingebant, qui omnibus humanis commotionibus & infirmitatibus obnoxii erant: qui neque cœlum nec terram crearant: novi Dii. *Act.* 14: 15. & 10:26. *Jeſ.* 44: 15, 16, 17. *Pſalm.* 114:4. *Jeſ.* 45: 18. *Jer.* 10: 11. *Jeſ.* 41: 22, 23.

Itaque hoc poſito, Chriſtum in Miſſa non eſſe, infallibiliter inde ſequitur, Papiſtas formalem, & maximam Idololatriam perpetrare, adorantes rem, in qua univerſæ illæ imperfectiones in ſummo gradu concurrunt, quæ in Idolis Paganorum reperiebantur; & quapropter Deus, & Prophetæ, idololatras inter Judæos, & omnes etiam Ethnicos irriſerunt, quod in Deos ſibi adſciſcerent tam infirmas, & inanes creaturas.

Quod regerunt, controverſiam eam, an Idololatria in Miſſa committatur, à Philoſophica quæſtione pendere: nimirum, num quidem unus idemque Chriſtus poſſit eſſe, qui per Tranſſubſtantiationem in Miſſa dicitur præſto eſſe, abſurdum eſt. Nam primò, quæſtio, an conſecrata hoſtia ſit Chriſtus, non à Philoſophica quæſtione dependet: nec veritas, aut falſitas ejus rei inde petenda eſt. Sed præſupponimus clara loca Verbi Divini contrarium docere: nec Pontificios ullam omnino rationem habere credendi, conſecratam hoſtiam eſſe Chriſtum: & iſtum ac ejuſcemodi Chriſtum adorandi. Cenſeo Pontificiis multo magis rationes deeſſe ex verbis, *hoc eſt corpus meum*, fingendi Tranſſubſtantiationem: quam omnes Chriſtiani habent adſtruendi Rectores populorum *Deos* eſſe, eoſque Divino cultu honorandos, quod Dii appellentur in S. Pagina.

Nam certe, ſi videamus, & quotidiana nos doceat experientia, Principes eſſe homines, & ſæpius imbecilliores privatis. Videmus, tangimus, & guſtamus, hoſtiam non eſſe carnem & ſanguinem Jeſu Chriſti; & ideo Idololatria illa non poteſt excuſari. Nec ulla ratio tanta eſt, quare non unus & alter S. Scripturæ locus non ſecundum literam ſit intelligendus: & quare eiſdem à Pontificiis æque, ac à Reformatis, alius, quam litteralis ſenſus adſcribitur: quanta militat ratio, quare verba illa, *hoc eſt corpus meum*, non juxta literam ſint interpretanda.

Et mala illa doctrina tantum ex ſuperſtitioſa & idololatrica mente oritur, qua homo ex naturali corruptela deditus, primo, ut in omnibus rebus Divini cultus magna myſteria collocet; idque fit quia ſemper religio conjuncta eſſe debet cum reverentia, timore, &c. quæ paſſiones animi non tam facilè in vulgo excitantur per res, quas novimus, quæque familiares nobis: quam quidem rebus, quas admiramur, quæ nobis latent, & in quibus multa myſteria recondita ſunt. Atque hæc prava animi conſtitutio in cauſa eſt, quare ſuperſtitioſus & idololatricus animus omnia facile in religione credat: & quo mendacium circa Religionem hujuſmodi animo majori myſterio & ſenſu recondito proponitur, eo facilius admittitur: & ſic tandem eo perveniunt, ut pro

pec-

peccato habeant rem aliquam in Religione bene velle examinare : & Divinum cultum putant magna affici injuria, quum multum laboris inſumitur ad probandum, Religionem noſtram eſſe rationalem Religionem. Ac eo ſolum fit, quod in profeſſione omnium pene Sectarum tantæ abſurditates reperiantur. Et nihil datur tam abſonum, quod ſuperſtitioſus non paratus ſit credere.

Secundo, idololatricus & ſuperſtitioſus animus proclivis eſt, ut circa omnes res, quibus myſterium ineſt, cultum Divinum faciant: & ſtatim ſibi imaginentur, Divinitatem iis adeſſe. Et eapropter illi, qui ſuperſtitionem alere ſtudent, in illud incumbunt, ut cunctas res, quas in religione uſurpare ſolemus, iis veſtiant circumſtantiis, quæ aptæ ſunt ad affectus iſtos, quos in religione requirimus, excitandos per ſpeciem veri, & per pompam, quæ ſenſus & imaginationem movet atque impellit. Et inde proceſſerunt omnes illæ miræ cæremoniæ in omni Religionis genere: & ſolum fictæ ſunt,ut Religio pluribus abundaret myſteriis. Et ſic res ſe habet cum omnibus paſſionibus, quæ in hoc vel illo dominantur, eumque ſubegerunt, ut ſtatim efflorеſcant & ſe prodant, cum in re minima tantum ſpecies reſidet illius formæ, quam paſſiones illæ pro objecto habent: & qua excitantur. Et paſſiones illæ cauſæ exiſtunt, quod per errorem aliquid in iis rebus nobis fingamus, quod revera non ineſt.

Nec peccatum Pontificiorum extenuari poteſt, ſi dicas, Philoſophicæ tantum diſputationis eſſe decidere, num in Miſſa Papiſtarum Idolorum cultus fiat. Id eſt: an per Tranſſubſtantiationem Chriſtus non maneat eadem Divina Perſona: pro qua ſententia militare videntur ea, quæ in ſuperioribus tradidimus, eo proprie formalem non contineri idololatriam, ſi quis per errorem cenſeat & credat, verum Chriſtum in certo loco eſſe, quo tamen vere non ſit, ibique eum adoret. Et idcirco multi arbitrantur errorem & idololatriam Pontificiorum non majorem eſſe errore illorum Mennonitarum, qui credunt Chriſti corpus non eſſe formatum ex ſanguine & carne Virginis Mariæ, verum è Cœlo deſcendiſſe, &c. & qui talem Chriſtum adorant. Qui error, ſaltem ſpecie, recidit in Philoſophicam quæſtionem, nimirum, an neceſſarium ſit, ut verum habeas Chriſtum, & ne omnino in Perſona erres, ut ſtatuas & credas, quod corpus ſuum habeat ex Virgine Maria? Et num non eundem habeas Chriſtum, licet credas in eum Chriſtum, qui corpus ſuum non accepit ex Virgine Maria, ſed è Cœlo.

Reſpondeo, primo, malum locatur fundamentum, quum putamus res, quæ etiam per rationem, aut omnino, aut partim decidi poſſunt, non magni eſſe momenti in Religione. Nam cenſeo in omnibus ferme Theologicis controverſiis decidendis, rationem inſignes ſibi partes vindicare, & ad eam multas partes cultus Divini examinandas. Sic noſtra Religio rationalis cultus Divinus appellatur, *Rom.* 12: 1. Et Apoſtolus Paulus provocat ad judicium Corinthiorum, & non vult, ut ſua doctrina, quam ipſis proponebat, non ſine ipſorum propria judicii approbatione ſuſciperetur, 1 *Cor.* 10:16. An poſſumus quidem judicare ſine uſu noſtræ rationis? Probe novi, hoc non poſſe fieri Et diſtinctio, qua utuntur Doctores inter rationem, quæ in rebus Theologicis tanquam *principium*, & eam, quæ ut *inſtrumentum* conſideratur, non in tot Theologicis controverſiis tantum uſum præſtat, ac multi ſibi imaginantur. Plura hac de re poſſent dici, ni intempeſtivum foret, & alibi hac de re quam latiſſime diſputaſſem.

Sic poſſet dici ab Adverſariis, tantum Philoſophicam diſputationem eſſe, utrum homines cum eodem corpore, quod in morte depoſuerunt, an alio ſint reſurrecturi. Philoſophicarum quæſtionum numero

ro accenſendas doctrinas & ſententias Deum etiam corporeum eſſe. In cœlo concluſum eſſe. Majorem & minorem Deum eſſe. Religioſam dari adorationem, quæ Deum pro objecto non habeat. Satisfactionem pro noſtris peccatis per Chriſtum eſſe factam. Quia nempe per rationem poſſet diſputari, & admitti, an una eademque perſona maneret, quum anima cum alio corpore in reſurrectione copularetur. An Deus non omnia attributa habere poſſet ad Deitatem neceſſaria, licet Divinitas cum corpore eſſet conjuncta, veluti anima hominis cum corpore eſt unita. An Deus non per ſuam potentiam omnia opera Divina in Cœlo, & in terra poſſet facere, licet eſſentialis ejus potentia tantum in Cœlo foret terminata. An non id pro Deo poſſet duci, quod majora opera facit, quam quidem creaturæ poſſunt patrare; & an non idcirco illud, quod in tantum omnes creaturas antecellit, objectum poſſet eſſe *Religionis*. Et an non propterea iſtud Divino cultu poſſet & liceret adorare: an cum natura pœnæ quidem poſſit conſiſtere, ut hic pœnam ſufferat, quam alter commeritus eſt: & an ergo vera quidem ſatisfactio pro peccatis noſtris per Chriſtum poſſit fieri. Magnus error eſſet has ſupradictas quæſtiones eo parvi ducere, quod de iis etiam judicetur per quædam fundamenta, quæ in natura habemus: & ea de cauſa per rationem.

Et quod ad doctrinam quorundam Mennonitarum attinet, qui tuentur Chriſti corpus non formatum ex corpore & ſubſtantia Virginis Mariæ, ſed ex cœleſti materia in cœlis formatum, & in Mariam tranſiens per ipſam per partum excluſum, quis definiit iſtum errorem non eſſe exitialem. Deinde etiam multum differunt Chriſtum aliquem adorare, cui corpus eſt è cœlo, non è Virgine *Maria:* quemadmodum nonnulli Mennonis ſectatores faciunt. Vel, ejuſmodi Chriſtum venerari, cujus corpus per Tranſſubſtantiationem è pane conſtat: quique pariter omnibus illis infirmitatibus, quin etiam pluribus ſubjectus eſt, quam unquam idola Ethnicorum obnoxia fuerunt. An unquam quidem quippiam tam vile & abjectum de Idolis dictum eſt, quam à Papiſtis ipſis prædicatur & creditur de glorificato Chriſto, qui in Sacramento Altaris à gliribus & muribus in occultum locum trahi & comedi poteſt, &c. Ac hæc abſurditas non tollitur, ſi dicas, corpus Chriſti non iis indignitatibus affici, ſed externam tantum ſpeciem vini & panis, quæ ſe ſenſibus in Euchariſtia offerunt: corpus autem Jeſu Chriſti in Sacro illo Sacramento inviolatum manere, & defenſum ab omni contumelia, mala & indigna tractatione. Hoc enim effugio æque poſſent omnes idololatræ, qui *lignum & lapidem* adorabant, ac nunc Papiſtæ, uti: prætexentes Divinitatem, quam colebant, & venerabantur ſub *imagine ligni & lapidis*, etiam nullis contumeliis affici, quando eorum ſimulachra facto & vi creaturarum læderentur. Verum Deos ſuos plenam ſuam beatitudinem conſervare: quoniam ipſi non ſint *ligna*, aut *lapides*; non magis quam corpus Chriſti ſit ſpecies panis, id eſt, color, odor, forma, ſapor, &c. Et hoc cenſeo eſſe argumentum peremptorium, ad probandum, quod primi Chriſtiani nunquam Tranſſubſtantiationem crediderint. Qui enim Idololatris auſi fuiſſent exprobrare, ipſorum Deos non habere pedes, quibus incederent; non aures, quibus exaudirent, &c. eos januis & peſſulis eſſe aſſervandos: illos eſſe opera manuum artificum: qui ex hoc trunco Deum facerent; ex illo autem inſtrumenta ad opificium ſuum. Idololatris enim in promptu fuiſſet reſpondere, ejuſcemodi falſitates & abſona quadrare in Deum Chriſtianorum. Et qua ratione Pontificii hoc tempore in Japonia, Sina, Guinea, &c. populis Idololatricis modo dicta abſona poſſunt objicere, quæ ſeſe offerunt in idololatria ſub quodam *ſimulachro*:

chro: quum ipſimet rei ſint talis *idololatriæ*, quæ ſimilibus abſurditatibus ſcatet.

Et eo minus ipſorum idolomania excuſanda venit, quod, licet concederetur Chriſti corpus & ſanguinem realiter & corporaliter per Tranſſubſtantiationem præſens eſſe: tamen ſecundum hujus Sacramenti naturam non alio modo illic præſto eſſet, quam mortuum & vita ſpoliatum; & ſanguinem ejus, ut effuſum: quemadmodum id ex univerſa inſtitutione patet. Sed extra omnem diſputationis aleam poſitum eſt, non licere ſanguinem Jeſu Chriſti, & cadaver ejus, ullo Divino honore adorare. Quod fundamentum Divinæ invocationis perſonæ Chriſti nitatur perſonali conjunctione humanæ Chriſti naturæ cum Divina: quæ forma copulationis cum corpore ceſſabat in morte Chriſti: ac præſertim conjunctio ea deſinebat poſt effuſum ſanguinem Chriſti.

Pergamus porro ad reliqua. Quod dicunt, mortuos Sanctos Divino cultu non adorari, ſed tantum *religioſo* cultu, qui eſſentialiter nihil commune habet cum iſta adoratione, qua Deum veneramur, non excuſat factum. Facta enim Proteſtationi ſunt contraria: & pauci in Papatu reperiuntur, qui eo animo in adoratione Sanctorum defunctorum affecti non ſunt, quo afficiuntur, quum Deum adorant. Quid prodeſt dictum judicis, ſi proteſtetur, ſe non ira, aut odio commotum aliquem punire: ſi tamen omnes ejus geſtus, verba, & facta, odium & iram teſtantur. Actiones puerorum nonne ſunt ridiculæ & ratione deſtituuntur, quas cum pupis faciunt: cum alloquuntur eas, palpant, oſculantur, caſtigant,&c. quum ad ſe reverſi, & rationem adhibentes, probe ſciant, pupas res eſſe inanimatas. Sed animus ipſorum in tractandis eis non ſecundum eam cognitionem ducitur. Latius rationes meas ſuper hac re non deducam, quia ſupra de ea actum eſt.

Sed quia ſenſi quorundam Theologorum ſtudium contra me exarſiſſe, quia non ſatis ſeveram dixi ſententiam contra ceremonias quaſdam, quæ in Eccleſia Anglicana obtinent; ipſisque illis Theologis nihil intolerabilius viſum, quam ipſis vivis & viventibus aliquem Reformatum in urbe, in qua valebant potentia & auctoritate, ipſo Papæ dominatu non multo minoribus, auſum ea proferre, in quibus putabat tantillum præſidii poſitum iſtarum Ceremoniarum patronis, operæ pretium me facturum arbitror, ſi meum ſuper ea re, animi ſenſum prodam: ut ita major fructus capi poſſit ex Tractatu de Superſtitione; in quo ſatis habui digitum quaſi intendiſſe, quo pergendum ſit, ſi velimus nobis recte conſtare rationem & judicium de ceremoniis & ritibus Eccleſiaſticis.

Primum itaque hoc conſtat, cultum Divinum partem eſſe obedientiæ, quam Deo debemus: illam recte diſtingui inter eam, quæ immediate erga Deum eſt occupata, & inter eam, quæ quidem ultimò refertur ad Deum; ſed immediate verſatur erga proximum, & noſmetipſos. *Deinde* notandum, nos non tantum Deo debere obedientiam, quantum ad mentis diſpoſitionem, ſed etiam corporis officium requiri, 1 *Cor.* 7: 20. *Nam empti eſtis pretio, glorificate itaque Deum in corpore veſtro, & in ſpiritu veſtro, quæ ſunt Dei*. *Tertio* animadvertendum inter obedientiæ partes, quæ immediate occupata eſt erga Deum, præcipuum eſſe honorem, quo Deum afficere tenemur; noſque eo honore dupliciter defungi: primo interna mentis de Dei excellentia æſtimatione, deinde externis & in ſenſus incurrentibus actibus, quibus internum mentis affectum erga Deum teſtamur. *Quarto*, nos ad excitandum noſtrum animum & ſtudium ad pietatem, recte uti iis argumentis & mediis, quæ, aut ſua natura, aut ex inſtituto hominis ſtatui, & dignitati, in qua degit convenienti, apposita

ſunt ad jam dictum finem conſequendum: dixi ea debere eſſe convenientia ſtatui & dignitati, in qua homo degit: nam res ludicras, ineptas & infra hominis ſtatum poſitas adhibere, eſt agere contra decorum & honeſtatem; & hominem adultum adſtringere officiis & muneribus, quibus infantes aut pueri officio continentur, aut ad illud excitantur. *Quinto*, omnem actum externum ad cultum Dei relatum, & qui nullum uſum præſtat eorum externorum actuum, ſupra enumeratorum, eſſe actum in cultu, aut temere ſuſceptum, aut ſuperſtitioſum: voco actum temere ſuſceptum, qui fruſtra aut non bene convenienter adhibetur, ſed in quo nullus cultum ponit: voco actum ſuperſtitioſum, qui, præterquam quod temere, & ſine ratione ſuſcipitur, etiam ex hominum opinione partem facit externi cultus: quod tunc fit quando ipſi actui tribuunt aliquam moralitatem, qua Deus delectetur; & qui actus præcipue illi ſunt, de quibus teſtatur Chriſtus, *Matth.* 15: 9. *Fruſtra me colunt docentes doctrinas, quæ ſunt præcepta hominum.* *Sexto*, penes Eccleſiam eſſe actus externos liberos & immunes à vanitate, temeritate, inconvenientia, atque ſuperſtitione, inſtituere, regere atque dirigere; ut omnia decenter fiant in Eccleſia. Sic Eccleſiæ etiam illæ, quæ alioquin ab omnibus cæremoniis admodum alienæ ſunt, inſtituerunt quaſdam cæremonias, quæ à miniſtris Eccleſiæ in celebratione conjugii adminiſtrantur; ita manuum impoſitio in conſecratione concionatoris in omnibus fermè Eccleſiis Reformatis obtinet: ita quidam ſtantes, quidam occumbentes, quidam genibus flexis ſacram Cœnam à miniſtris accipiunt: ita in quibusdam Eccleſiis quidam operto, quidam aperto capite concionantur: ita in Eccleſia Corinthiaca *velamen* ſymbolum erat *ſubmiſſionis*: ſic quondam oſculum pacis viguit in Eccleſia; ut & agapæ, quæ tamen poſtea obſoleverunt: quod argumentum eſt ea non auctoritate Divina, ſed humana prudentia & conſuetudine fuiſſe introducta: ſed hæc à nemine in controverſiam vocantur. Id præcipue in diſceptationem venit, quinam illi ritus, geſtus, cæremoniæ, &c. ſint, quæ à vitio libera ſunt; & qua nota diſtinguantur à vitioſis & culpandis: rejecerunt enim Reformatores quædam; alii inter eos plura, alii minora ſibi reſervarunt, rejicientes tamen multa de ritibus & cæremoniis Papiſtarum. Quæritur an hoc temere factum; an ratione & via certa, an vero res tota quoad formam & numerum rituum & cæremoniarum permiſſa ſit à Chriſto Eccleſiæ Rectoribus? Et ſi prudentiæ Rectorum Eccleſiæ totum hoc negotium commiſſum eſt, ad quod collineare debeant, & quem ſibi finem aut fructum proponere in ritibus illis ſuſcipiendis aut inſtituendis & conſervandis? Exiſtimamus rem totam per ea, quæ ſupra tradita ſunt, facile expediri poſſe. Sunt quidam ritus, cæremoniæ, geſtus, &c. quocunque lubet vocare nomine, qui externe teſtantur internam animi congruam cultui Divino diſpoſitionem: ſuntque illa in duplici differentia; alia naturaliter connexa ſunt cum illa animi diſpoſitione, ita ut rarò animi devota commotio ſine iis ſeſe exerat; alia non ita arcto nexu cum illa animi diſpoſitione connexa ſunt, tamen aliquo modo ab ea manant; & ideo fundamentum rationalis cultus in illa reperiunt. Sic cum quibuſdam precibus ex animo fuſis connexi ſunt gemitus, lachrymæ, vox flebilis, oris & vultus conformatio, quæ teſtatur animi demiſſionem convenientem homini, qui ſuppliciter à Deo aliquid petit, & omnem ſuam ſpem ſalutis in eo ſitam habet: in hujuſmodi geſtibus ordinandis leges Eccleſiæ parum occupatæ ſunt; tum quia ultrò fluunt & manant ab animo debite in precibus compoſito, cum etiam quia continentur præcepto de rite precandi Deo; & non eſt veriſimile aliquem Chriſtianum illos non prodituram

in illo Dei cultu, qui legitimè ſeſe compararit ad precandum Deum. Geſtus autem qui tam arctè cum illa animi diſpoſitione conjuncti ſunt, & in quibus homines ideo facile variant, tum quia ab aliqua ſpecialiore animi diſpoſitione in devotione proficiſci ſolent, cum etiam, quia ſunt teſtes affectionis animi quidem neceſſariæ & debitæ, ſed quæ variis ejuſdem tamen generis geſtibus exprimi ſolent: verbi gratia, alii in precatione genua flectunt, alii ſtant, alii corpus ad terram curvant, alii manus ad cœlum elevant, qui geſtus & ritus videtur viguiſſe tempore Apoſtolorum, 1 *Timoth.* 2:8. *Volo igitur viros orare in quovis loco, puras manus attollentes abſque ira & diſceptatione.* Ita in adminiſtratione ſacræ Cœnæ non ubique inter Reformatos iidem ritus obſervantur, ſicut id ſupra innuimus: at quamvis in hujuſmodi cultus Divini partibus geſtus & ritus variant, tamen omnes ſuum fundamentum habent in cultu naturali, & manant ab eo, quatenus non tam inſtituto & legibus præſcripti ſunt, ſed animi diſpoſitio illos introduxit; quemadmodum gentes cultioribus moribus, & ad decus & honeſtatem magis attendentes, & clariores illorum ideas formantes, quod aulicis peculiare eſt, multas cæremonias obſervant, eaſque indies augent, ad quas ſi intendas animum, eas cognoſces à principiis honeſti & decori manare, & omnes per illa principia inter ſe cohærere; & quamvis aliæ minus moratæ gentes eas non imitantur, non ideo contra decus & honeſtatem agere putantur, niſi quando in medio moratioris gentis verſantur: quia præcepta decori & honeſti, quatenus illud externis geſtibus ſeſe prodere debet, habent ſuam latitudinem. Eadem ratio eſt eorum geſtuum, qui quidem manant & reducendi ſunt ad diſpoſitionem & affectionem animi in cultu neceſſariam, ſed tamen quibus ſine cultus contemptu caremus, ſuum ſpatium, intervallum & latitudinem habent, ſed quos nemo non tantum non contemnat, ſed ne negligat imitari, ſi degat inter Chriſtianos, ubi tales ritus & geſtus obtinent ad teſtandam debitam animi diſpoſitionem in cultu Divino. Et ſi more, ſive inſtituto Eccleſiaſticorum tales geſtus & ritus uſurpentur in Eccleſia, ſtatuo cujuſvis Chriſtiani officium eſſe ſeſe iis accommodare, quia manant à bono & juſto principio, atque lege, qua omnes tenentur, nempe à debita animi devotione & reverentia. In hujuſmodi tamen ritibus & geſtibus ad hoc attendi convenit, ne illi introducantur, qui pro more gentis aut membrorum Eccleſiæ, in qua vivitur, aliquam ſingularem animi diſpoſitionem teſtentur, quæ omnibus Chriſtianis non ita adeſſe ſolet; & qui ideo facile in hiſtrioniam degenerant: qualem tamen nemo abſolute improbare poteſt, & quibus tolerare tenetur, eique accommodare ſeſe, quando conſuetudo obtinet; quia habet fundamentum in aliquo officio & munere ab homine Chriſtiano requiſito, quod eſt animi contractio, dolor, & angor ſuper peccatis. Qualis eſt ille geſtus & ritus, quo quidam Chriſtiani Reformati in confeſſione peccatorum pectora tundunt, qui geſtus eum animi mœrorem teſtatur, qui non ita frequenter in Chriſtianis reperitur, ut ultrò ab illo ille externus geſtus proficiſcatur, eique reſpondeat: non poteſt rejici in numerum rituum ineptorum, irrationalium, aut non congruentium ſtatui Chriſtianorum adulto, qualem Eccleſia Chriſtiana ſtatum in comparatione cum Eccleſia Judaïca adepta eſt: multo minus in claſſe ſuperſtitioſorum rituum ponendus: cum nullus, qui inter Reformatos illum uſurpat, non aliter in eo partem cultus conſtituat, quam quatenus Deum, tam animo, quam corpore colere debemus, eumque honorare, præſertim in cultu publico. In numero talium rituum ponerem illud *Kyrie Eleiſon*, quod in Eccleſia Anglicana in uſu eſt; ut & doxologiam; neque ſtatim tautologiæ inſi-

mulandum, quod repetitur & iteratur; inſpirat enim zelus & mentis fervor ſæpe tales animi motus, qui ad hujuſmodi iterationes nos impellunt: & ita non ad inanes cæremonias, aut ad ſuperſtitionem revocandæ ſunt, ſed eo numero habendæ, quarum inſtitutio aut abolitio permiſſa eſt prudentiæ Eccleſiæ Rectorum.

Sunt alii ritus, qui quidem etiam manant à parte aliqua cultus naturalis, & pariter ad mentis diſpoſitionem referri debent; ſed tamen ab ea remotiora ſunt; neque ita ad animi impetum ſequuntur, ſuntque illi, quibus aliquam reverentiam teſtamur erga res, quibus in cultu utimur, eique conſecratæ ſunt: ſic quidem reverenter habemus panem, calicem, baptiſterium, templum, &c. quæ inſerviunt partibus cultus à Deo inſtitutis; neque eſt ullus Reformatorum, qui eas eodem loco & ordine habeat, quo res profanas, & quæ ad talem ſacrum uſum non ſunt deſtinatæ: ita nullus ſupra nominatas res ſtatim poſtquam adminiſtrationi cœnæ aut baptiſmi inſervierunt, in conviviis adhiberet, aut earum talem uſum faceret, quem nobis præſtare ſolent res ab uſu ſacro alieniſſimæ; & quia illa reverentia etiam ſuam latitudinem habet, nulli ritus, actiones aut conſtitutiones ad teſtandam illam reverentiam adhibitæ, damnandæ ſunt, quando eouſque modum non excedunt, ut etiam adhibeantur erga illas res, à quibus jam nota illius ſacri uſus abeſt: aut quando illæ modum excedunt; & ſigna & teſtimonia quibus noſtram reverentiam erga tales res declaramus, facile ab hominibus non ſuperſtitione captis, æſtimentur pro talibus, quæ non reſpondent æſtimationi, quam pro rebus ſacro cultui tantum inſervientibus, cordati & ex ratione cultum ſuum dirigentes habere ſolent: ita à calice, quo utimur in adminiſtratione cœnæ, abeſt nota ſacri uſus, quando fuſus & inde vas formatum eſt ad alium uſum: vellе itaque reverentiam ſuam etiam extendere ad illud vas, id modum excederet, & omni ratione careret, quæ alioquin reverentia erga res, quibus in ſacris utimur, probatur, & merito uſurpatur: quemadmodum modum excederet, qui cineres & pulverem in locis, ubi cadavera ſepeliuntur, & ex quibus magna pars pulveris merito ſuſpicatur eſſe conflata, tractaret ea reverentia, qua cadavera tractari ſolent apud omnes moratiores gentes. Pariter quivis intelligit, illud externum teſtimonium honoris, delatum rei alicui inanimæ, cultui ſacro inſervienti, modum excedere, quando ſimile teſtimonium in ipſo cultu ad teſtandam erga Deum ſuam devotionem, adhiberi ſolet. Qui itaque genibus flexis ſacram Synaxin recipit, & ſimul menſam in adminiſtrationem cœnæ ſacræ adhiberi ſolitam, & in templo in aliquo loco cancellis ſepto ſepoſitam, eodem externo geſtu genu flexionis veneraretur, ille certe modum non teneret, eâdem veneratione, quantum ad actum externum, Sacramentum Euchariſtiæ, & inſtrumentum, quod illi adminiſtrationi inſervit, colens: quemadmodum noſtri recte, præter alias rationes, quare cultum Sanctorum damnent, etiam illam adferunt, quod Pontificii, in templo cultui ſacro deſtinato, & iiſdem externis geſtibus & honoris, venerationis, imo adorationis ſignis Deum & ſanctos venerentur & adorent; quamvis naſutiores inter Pontificios, quantum ad animi diſpoſitionem, aliter Deum, aliter Sanctos colant. At ſi inter Reformatos conſtet vaſa & inſtrumenta cultui inſervientia ea veneratione digna eſſe, ut ad profanum uſum, quamdiu in illis adhuc hæret nota iſtius ſacri uſus, converti non debeant; & illam venerationem non aliter quam externis rebus teſtari poſſe, pariter hoc dandum eſt iſtam venerationem externis ſignis teſtatam, aliquam latitudinem habere: neque ilico damnandum aliquem ritum, qui aliquantulum plus venerationis teſtatur, quam quidem Eccleſiæ noſtræ conſuetudo permit-

mittit. Non magis enim res illa præciſe limitari poteſt, quam modeſtiæ, liberalitatis, charitatis, & honoris civilis, quem Principi aut Regi debemus, gradus & ſigna præciſe intra aliquot limites cogi poſſunt, ſed ſufficit talibus in rebus cautionem illam adhibere, ut vitemus extrema in utramque partem, de quo vulgus, docti & indocti, modo ne præjudiciis judicium corruperint, judicare poſſunt: ſaltem præcepta, quæ plus quam generales regulas complectuntur, tradi non poſſunt. Et quanquam ego longe tutius eſſe exiſtimem, parciſſime res uſui ſacro inſervientes venerari, quia inde facilis prolapſus eſt, aut ad ſuperſtitionem, quod fit quando plebs in ea cultus partem ponit, aut ad vanam & inanem cæremoniam; exiſtimo tamen eos ferendos, & à ſuperſtitione, aut inani aut vano cultu abſolvendos, qui aliquos ritus & cæremonias circa tales res obſervant, quos communis conſenſus populi non habet pro iis, qui modum excedunt. Provoco hic ad conſenſum & judicium populi, idque merito: quia ejus judicium hic tantum valet, quantum valet in rebus pudoris, modeſtiæ, & honeſtatis. Quamvis ego exiſtimem, templa cultui Divino in Belgio Reformato dicata, communiter ſatis à profanatione vindicari iis inſtitutis, quibus cavetur ne ludicra, comœdiæ, compotationes, aliaque, quæ gravitatem Chriſtianam non decent, in iis fiant, quamvis alioquin iis per occaſionem ad multos civiles & mundanos uſus utantur; non tamen aut ſuperſtitionis, aut vanitatis eos damnarem, qui templa aliquantulo plus ſejuncta haberent à profano uſu, plus eorum nitori operam darent: imo qui ea ingredientes capitis apertione venerarentur. Dato enim, res cultui accommodatas, eique inſervientes aliquibus ſignis quamdiu à religione liberatæ non ſunt, eſſe ſeparandas à rebus profanis, quibus argumentis probabitur apertionem capitis eſſe ſignum venerationis, quod modum excedit; & quod ſignum ſuperſtitione aut vanitate non vacat, quodque non niſi in cultu locum habere non poteſt. Obtinet in quibuſdam regnis, ut quando cubiculum Regis aliquis ingreditur, caput aperiat in ſignum honoris Regi debiti, in aliis Regnis hoc non obtinet. Quis illum morem aperiendi capitis arguet vanitatis aut ſuperſtitionis? In quibuſdam Eccleſiis obtinet ut menſa, in qua ſacra Cœna celebratur, fixa & ſtabilis in aliqua parte templi maneat, & ita nota religionis in illa ferme ſemper hæreat; quis culpet aut damnet morem, quo ab illa, cancellis circundata, vulgus arceatur, ne quid ſpurcities & ſordes eam dehoneſtent.

Sunt adhuc ritus, & cæremoniæ alius generis, quos vulgo incitativos & commonefactorios vocare ſolemus: quando quibuſdam actibus aut rebus externis utimur ad plebem excitandam ad officium, & commonefaciendum ſui muneris. Ad hos ritus refero cæremoniam illam, quâ Genevenſes per Paſtorem utuntur in celebrandis ſponſalibus; quando præter verba, benedictionem complectentia, miſcet de duobus poculis vinum, & ſponſum & ſponſam invitat, ut illud guſtent, innuentes illo ritu animorum conjunctionem & conſpirationem, quæ inter conjuges eſſe debet. Eo etiam refero cæremoniam impoſitionis manus ſuper Paſtore initiando, quod ferme obtinet apud omnes Reformatos, & ab uſque Apoſtolorum tempore originem ſuam trahit. In eandem claſſem rejicio illum ritum impoſitionis manuum puerorum adultorum: qui quidem non ita univerſalis eſt, ſed tamen uſum non condemnandum habet. Pariter in numero iſtorum rituum ponerem uſum ſuperpellicium, cujus uſus obtinet in Anglia, & apud quoſdam Lutheranos; & de quo Presbyteriani & Puritani in Anglia Epiſcopalibus litem movent, & acriter inter ſe contendunt. Ego certe non capio quare penes Eccleſiam non ſit hujuſmodi ritus commonefactorios &

incitativos inſtituere, ad plebem commonefaciendum ſui officii: ſi modo non deflectant à gravitate hominis Chriſtiani, & nimis numeroſi non inſtituantur. Quidam ad hoc genus rituum referunt etiam fractionem panis in adminiſtratione ſacræ Cœnæ: nam quamvis illa ab ipſo Chriſto ſit uſurpata, & Apoſtolus Paulus ab illo ritu argumentum ducat ad commonefaciendum Corinthios muneris charitatis inter ipſos mutuo colendæ, 1 *Cor.* 10: 17. Illi tamen qui eâ utuntur in adminiſtratione Cœnæ, exiſtimant illum ritum fractionis panis non eſſe non tantum de eſſentia Euchariſtiæ, ſed ne quidem talem appendicem, quem ſequi Chriſtiani neceſſe habent, ſed illum tantum uſurpatum à Chriſto per occaſionem cœnæ Paſchalis, & propter formam panis, quo Judæi uti conſueverant in conviviis; qui cum eſſet oblongus, & facile frangi poſſet, à Patrefamilias in partes fractus diſtribuebatur accumbentibus: illam itaque cæremoniam arbitrantur non magis pertinere ad ſacræ Cœnæ eſſentiam, quam circumſtantiam temporis veſpertini, quo à Chriſto, occaſione manducationis agni Paſchalis, ſacra cœna primò fuit celebrata. Ego nunc non definio quorum ſuper hac re diſputantium cauſa potior ſit: ſed hoc ex dictis colligo, ſi fractio panis eſt res indifferens in celebratione ſacræ cœnæ, iis, qui illam uſurpant, eſt ritus ſignificativus & commonefactorius charitatis tuendæ inter eos, qui de eodem pane participant. Ita Eccleſiæ noſtræ receſſerunt ab immerſione baptizandi, & contentæ ſunt aſperſione; quamvis Apoſtoli ab illo ritu argumentum ducunt, & adhortantur Chriſtianos ad delendum veterem hominem, & ad illum ſepeliendum cum omnibus ſuis pravis affectibus, & ad viciſſim induendum Chriſtum, *Coloſſ.* 2: 12. *Galat.* 3: 27. Ad hunc ritum refero conſuetudinem eorum, qui trina inſperſione utuntur in Baptiſmo, in ſignum profeſſionis ſacræ Trinitatis: hos ritus vocare ſolent ritus ſignificativos, ſymbolicos rerum ſpiritualium, & incitamenta ad pietatem; quibus ferme nullæ Eccleſiæ carent, & aliæ plus, aliæ minus iis utuntur. In iis ea cautio adhibenda, quæ in reliquis, ut ſint decentes, graves, numero pauci & congruentes Eccleſiæ adultæ, quæ jam emerſit ex infantili ætate: & qui potius feruntur in Eccleſia, quia antiquitas eos commendat, quam quod magnum præſtent uſum. Non tamen capio, quare hujuſmodi ritus putandi ſunt ſemper manaſſe à ſuperſtitione: cùm apud omnes gentes & nationes ſymbola & emblemata in uſu fuerint; tam in rebus Divinis, quam civilibus. Quanquam agnoſcam periculum prolapſus ad ſuperſtitionem, per eorum uſum in rebus Divinis majus eſſe, quam in civilibus.

Quicunque autem ritus & cæremoniæ ad ſupra numeratas claſſes referri non poſſunt, illæ omnes ſunt aut ſuperſtitioſæ, aut vanæ & inanes; quarum aliquam enumerationem inſtituere non eſt operæ pretium; cum in Eccleſia Romana tantus earum ſit numerus, ut ferme totus rationalis cultus, qui in illa Eccleſia ſupereſt, ab iis obruatur; totaque Eccleſia reducta ſit ad mundi prima elementa; & ad infantilem ſtatum; quem Eccleſia Chriſtiana ſupergreſſa, ideo docendi rationem illi infantili ſtatui convenientem ſine probro aſciſcere non poteſt: & plane perſuaſus ſum iſtam cæremoniarum & rituum farraginem in Eccleſiam Romanam non niſi per ignorantiam & inſignem ſuperſtitionem introductam; imo primitiva Eccleſia non ita omnino caruit quibuſdam ritibus & cæremoniis, quæ ab omni ſuperſtitione aut ineptiis non fuere vacuæ: quemadmodum etiam notum eſt Eccleſiam poſt deceſſum & obitum Apoſtolorum non diu primam ſuam puritatem retinuiſſe, tum ſuperſtitione, tum Philoſophia Ethnicorum, & præſertim Platonicorum eam contaminante, vide *Coloſſ.* 2.

Quan-

Quanquam itaq; ego exiſtimem, antiquitati multum tribuendum eſſe, non exiſtimo tamen rituum aut cæremoniarum exiſtimationem ita ab ea pendere, ut omnes bonæ notæ eſſe putandæ ſint, quæ ab antiquitate commendantur; ſed quemadmodum dogmatum veritas aut falſitas appendenda eſt ad rationem & Sacram Scripturam, ita de rituum & cæremoniarum pretio & probitate ſententia ferenda eſt ex iiſdem principiis: hic tantum cautione adhibitâ, ut nobis ſemper ante oculos verſetur eorum eam eſſe rationem, quæ eſt charitatis, modeſtiæ, pudoris,& pudicitiæ, quatenus actibus & rebus externis illa prodimus & manifeſtamus; quæ latitudinem & ſpatium ſuum, quo definiuntur, habent; & non puncto indiviſibili includuntur. Et quandoquidem Scriptura nobis tantopere commendat pacem & animorum conſenſum, etiamſi non bene ſententiæ de quibuſdam veritatibus religionem ſpectantibus, conveniant; quanto æquius, & rationi magis conſentaneum, manere in eadem conſuetudine charitatis & fraternitatis Chriſtianæ, etiamſi ritus quidam in Eccleſia obtinent, qui nobis minus placent & probantur. Mihi hoc exploratum eſt illos Doctores, quorum zelus adeo ſe extulit contra quoſdam ritus & cæremonias, quæ obſervantur in Eccleſia Anglicana, multas conſuetudines & uſus tolerare in ſuis Eccleſiis, quibus docendo, & regendo præſunt, quas nec probare, nec ratione tueri vellent: & alias bonas & à Synodis commendatas, & obſervari juſſas, abrogaſſe cum bonorum inſigni animorum offenſione, & in dolorem, pacem & ordinem amantium virorum; ut ſatis conſtet non rationem, ſed impetum & temere ſuſceptas opiniones eorum ſtudium moderatas eſſe; & hujuſmodi fervidos & ferocculos Theologos nec ipſos pacem ferre, nec alios quietos eſſe ſinere: & niſi imperio coërceantur, omnia miſcere & concitari ſolent: cujus luculenta teſtimonia præbet Eccleſia Ultrajectina: quæ antequam hujuſmodi Doctores ad paſcendam Eccleſiam eſſent vocati, in ſumma pace degebat, poſtea iſtorum turbonum temerariis auſibus, & artibus ad captandam plebem inſtructorum, ſemper partium ſtudiis, & factionibus laboravit; quæ tandem etiam Magiſtratum & urbis Senatores in partes deduxerunt, totumque Regimen politicum ita labefactarunt, ut tandem eorum molimini ſuccubuerit, & Reipublicæ libertas extincta ſit.

Et cum ea factio contra juramentum & fidem Magiſtratui datam, ſeſe externis, quibus nullum jus aut poteſtas in Republica erat, applicuiſſent; quo ſibi in Reipublicæ tenebris, cæcis nubibus ac procellis viam & aditum ad honores pararent, ad quos, rebus pacatis, aſpirare non poterant, totam perdiderunt Rempublicam. Hoc tamen bene ſe habet, quod cum antea ſemper ſimplici plebi per ſpeciem & ſimulationem pietatis miſere impoſuiſſent, quæ ideo etiam illis adhæſit, tandem nimia honorum & divitiarum cupiditate præcipites acti hypocriſin ſuam detexerunt, & ad extremum omnia illa fucata & perſonata verterunt: ut tota illa factio habeatur tanquam procella Patriæ, & turbo ac tempeſtas pacis; & deterrima omnis ordinis civilis peſtis.

Pars Quarta.

De Superſtitione.

Ut omnis *Idololatria* præſupponit fidem de Divinitate: ita *Superſtitio* ante omnia ſtatuit timorem Numinis. Sed ſicuti in *Idolomania* fides Deitatis non ad rationem, & Verbum Dei dirigitur: ſic etiam metus Dei, qui in Superſtitione eſt, non regitur ſecundum voluntatem Dei; prout Ipſe eam in natura,

vel in Verbo ſuo explanavit. Animus meticuloſus aptus eſt ad omnigenam *Superſtitionem* pro Religione admittendam: velut audax & intrepidum pectus aptum eſt omnem Religionem vilipendere. Docti jamdudum inter ſeſe diſputarunt, utrum animæ vitium, *Impietas* nempe, an *Superſtitio*, pejus, nocentius, & Deo magis diſpliceat. Impietas quam maxime Deum dedecorat, & proximo noſtro peſſimo eſt exemplo. *Superſtitio* immutat Ipſum in irrationalem, inſipientem, &, ut ita dicam, in importunum Deum. Sibimet ipſa, & proximo, infinita imponit mandata: & cauſa eſt omnium perſecutionum & cædium illorum, qui Deo ad modum *Superſtitioſi* non ſerviunt. Facilius liberantur homines ab Impietate, quam à Superſtitione. Impietas non ita velari poteſt nomine virtutis, ac *Superſtitio*: quæ vult, ut vitium ſuum pro ſumma virtute ducatur. Ut homo timidus vult ut ejus meticuloſitas & anxietas, quam omnibus in rebus ſibi fingit, & quare eas non audet ſuſcipere, pro prudentia ducatur. *Superſtitio imperioſa* eſt. Semper præcepta dat proximo; exprobrat, reprehendit, commonet ſemper, ad proximum æque ſtultum reddendum, ac ipſemet eſt. Et quum opinionem ſuam proximo non poteſt perſuadere, paratiſſimus ad eum odio perſequendum, calumniandum; perſecutionem & odium Magiſtratus ac civium ipſi concitanda. Et quemadmodum *Superſtitionem ſuam* Divinam animi ſui *conſtitutionem* eſſe credit; & opera, quæ inde proveniunt, à Deo mandata: quanquam nec Verbum Dei, neque ratio pro ipſo militent: ſed ſolum in ea ſequatur inconſultum ſuum timorem, & cerebrinam ſcientiam: in proximo ſuo, qui ſuperſtitioni ejus non adſtipulatur, nec cognitionem, neque eruditionem, nec omnes reliquas virtutes reſpicit. Cenſet eas nec Divinas, neque legitimas eſſe poſſe: verarum virtutum nomine indignas eſſe: quod proximus illius Superſtitionem, in qua ſummam Religionem collocat, & ſine qua autumat nos Deo non poſſe eſſe gratos, non admittat & approbet. Nulla via potentior eſt & majoris efficaciæ ad ſectatores colligendos in indocta atque ſimplice Plebe, Superſtitione: quoniam qui vera ſcientia caret, & animum timore occupatum habet, facile ſpecie, externo geſtu, ac eo, quo, ſua quidem ſententia, perfectiſſimis in virtutibus ſimiles poſſunt evadere, ſeducitur. Nam quemadmodum Superſtitio nunquam in maſculis, *Heroicis*, & veris virtutibus locum habeat, ſed externis adhæret: ſic etiam ſimplices & inertes animi ſe prius accommodare poſſunt ad humiles ſpecie tenus virtutes *ſuperſtitioſorum*. Sicuti viliſſima ingenia ad externam pompam & ceremoniam ſemper aptiſſima ſunt. Verum ad rem ipſam accedamus.

Superſtitio res eſt cujus natura continetur animi religioſa, ſed falſa diſpoſitione circa Deum: & quibuſdam actionibus externis ejuſdem falſæ diſpoſitionis religioſi animi fructibus; quibus falſo contra rationem aut Dei Verbum, vel utrumque, nos putamus placere Deo, & Ejus favorem adipiſci. *Superſtitio* itaque, ut etiam *Idololatria*, conſtat partim in animo, partim in externis operibus, continentibus Religiones, ceremonias aut diſciplinas Eccleſiaſticas, & geſtus. Superſtitio in animo, in hoc proprie conſiſtit, ut quis credat à nobis aliquid debere fieri ad Deum colendum: quod neque per S. Scripturam, nec per rationem probari poteſt, Deum eo honorari, aut coli.

Omnis voluntarius cultus certo ſenſu non eſt à Deo prohibitus ſub illo mandato Chriſti: *Fruſtra honorant me mandatis hominum.* Multis in rebus cum Religione res ſe habet, ut cum eleëmoſynis, quæ expreſſis Dei legibus non potuerunt definiri: verum quæ, ut cætera omnia opera charitatis, relicta ſunt judicio Chriſtianorum. Generali nobis præcepto dato, ut liberales nos erga pauperes præſtemus: at-

atque avaritiam & immiſericordiam vitemus. 2 Cor. 8:7. *Itaque, ſicut in omnibus abundatis fide, ſermone, cognitione, & omni ſtudio, & charitate in nos veſtra, videte, ut hac quoque gratia exundetis. Non quaſi imperans dico: ſed aliorum ſtudio veſtræ quoque dilectionis ſinceritatem reddens exploratam.* & Cap. 9:16. *Hoc autem dico vobis, qui ſerit parce, parce etiam metet, &c. Unuſquiſque prout deſtinavit in corde ſuo: non ex triſtitia, aut ex neceſſitate.* Sic etiam commune eſt præceptum, *Phil.* 4. *Porro fratres, quæcunque ſunt vera, quæcunque pudica, quæcunque juſta, quæcunque munda, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ: ſi qua virtus, ſi qua laus ſit, hæc reputate.* Hoc fundamento nititur, quod homo multa faciat, ut Deo ſuo placeat; de quibus generale ſolum habet præceptum: ac illa facta non ſunt *ſuperſtitio*, ſed opus Deo quam gratiſſimum. Verum tum cuncta ſingularia *facta* fiunt *ſuperſtitio*, quum reſpectu naturalis Religionis ad *communem regulam* non poſſunt referri: aut quando intuitu inſtitutæ Religionis non expreſſe mandata & inſtituta ſunt.

Naturalis Religio ſunt omnia ea, quæ per rationem, Verbo & Spiritu Dei illuſtratam, reperimus bona eſſe & laudabilia. *Inſtituta* Religio eſt in cujus cognitionem naturali intellectus lumine pervenire non licet, & cujus per idem lumen nobis non conſtat ratio: ſed quam ideo pro bona & Deo placita judicare debemus, quod lex Dei hujuſcemodi peculiarem rem expreſſe imperet. Itaque aſſeveramus in *naturali religione* cuncta illa eſſe *ſuperſtitioſa*, quæ ad communem regulam honeſtæ & laudabilis rei non poſſunt referri; per quod tamen factum ſperamus nos rem Deo gratam facturos; per omiſſionem autem ingratam.

Nuſquam præceptum eſt xenodochia eſſe ædificanda. Sed qui mandat, ut pauperibus ſuccurramus, ipſi gratum eſt, ut egenis in ſenectute & morbo ea ſuppeditentur, quæ tum illis judicamus neceſſaria eſſe. Et notum eſt noſocomia ad id utilia eſſe. Iſte ergo *ſuperſtitioſus* non eſt, qui putat ſe ædificandis & dotandis xenodochiis rem Deo gratam facere. Igitur nec malum, nec opinione aut ſuperſtitione ſuſceptum officium eſt, bona ſua impendere ad exſtructionem domorum piarum, eo animo, quod arbitremur nos aliquid facere, quod Deo placeat. Sed qui autumant, ædificatione noſocomii, verbi gratia, forma quadrata, rem Deo gratiorem fieri, quam alia ſtructuræ forma; is propterea *ſuperſtitioſus* jure poſſet appellari. Quemadmodum etiam *ſuperſtitio* eſt, ſi credas certam ſtructuræ formam Eccleſiæ Deo magis placere, alia Templorum forma. Baptiſmus eſt inſtituta Religio ſub Novo Fœdere: tempus, & locus non eſt definitus. Qui itaque crederet per ſe Deo acceptius eſſe, infantem ante meridiem, quam à meridie baptizari, foret *ſuperſtitioſus*. Et ratio horum omnium hæc eſt; quod reſpectu primi nullum fundamentum in univerſa *naturali* ratione reperiam, quare quadrato xenodochio Deus magis caperetur, quam rotundo: hoc præſuppoſito, utramque ſtructuræ formam æque magni uſus eſſe egentibus. Et reſpectu ſecundi (nempe de tempore Baptiſmi) expreſſum non eſſe mandatum. Et idcirco nec per rationem, neque per legem ullam poſſe demonſtrari, pomeridianum Baptiſmum Deo magis placere, quam antemeridianum. His duabus regulis, & illarum applicatione omnia ea nituntur, quæ de *ſuperſtitione* dicenda nobis.

Sed ut ordine, de *Superſtitione* diſſeramus, diſtincte indicabimus, in quibus, & circa quas res illa committatur. Etiam ad pleniorem inſtructionem demonſtrabimus, quid proprie non ſit *ſuperſtitio*, ſed plerumque per errorem pro iſta habeatur: quæ tamen vel res eſt indifferens, aut ad aliud peccati genus referenda. Et judico neceſſarium eſſe, hoc demonſtrari: quum ignorantia hujus rei multa ſchiſmata.

ta, diſſidia, jurgia; quinimmo perſecutiones, in Eccleſia Dei orta ſint. Primo; *Superſtitionis* ſpecies committitur, quando prædictiones quaſdam hominum, qui vero Spiritu Prophetico non ducuntur, pro veris *Prophetiis* admittimus; iis ſeducimur, & terremur: religioſum ducimus, fidem illis adhibere: & impietatem eſſe credimus, quum quis hujuſmodi prædictiones & Prophetias vilipendit. Quemadmodum etiam iſti ſpecialiter peccato *Superſtitionis* tenentur; qui res aliquas, quæ ipſis occurrunt, pro ſignis ſuſcipiunt, quæ ſibi, aut etiam aliis, nonnihil ſignificent: & eo paſſionem in animo excitant, quæ relationem ad Religionem habeat: & ex quibus homines res quaſpiam futuras volunt prædicere.

Semper nonnulli fuerunt, qui *prædictiones* & *Prophetias* inter homines commenti ſunt: quidam ex *melancholia*, profundis & vehementibus impreſſionibus obnoxii, ſine fraude aut fallacia operationem ſui ſpiritus pro Spiritus Dei effectu admiſerunt: ſemetipſos, & alios ita fallentes, non diſtinguentes ſuum ſpiritum à Spiritu Divino, aut à ſpiritu diaboli; qui mirè novit irrepere in animos hominum, qui ad *Superſtitionem*, & timorem proni ſunt; aut ad bene ſuſpicandum de ſpirituali ſuo ſtatu. Aliorum mera eſt impoſtura, de induſtria quaſdam *Prophetias fingentes*, quas inter homines, quaſi à Spiritu Dei forent inſpiratæ, ferunt, & animos ſimplicium exterrent & perturbant. Alii vaticinia ſua fundant non in *Spiritu Prophetico*, ſed in curſu & conjunctione ſtellarum, & Planetarum; & inde frigus aut calorem; alcedonia aut tempeſtatem; fœcunditatem vel ſterilitatem; bellum ſive pacem; victoriam aut cladem, nativitatem aut obitum virorum illuſtrium canunt. Et hæc prædictionis ſpecies nititur vana illa Aſtrologiæ ſcientia.

Alii hariolationum ſuarum fundamentum petunt ex inſolitis quibuſdam operibus, quæ in cœlo, mari, aut in terra fiunt, & ſe manifeſtant: ut, ſi plures appareant Soles: etiam circuli circa eos: coruſcantes radii: ſtellæ cadentes: ignis ex cœlo decidens; ignes fatui; cometæ. Quidam prædictiones ſuas eliciunt è captura monſtrorum marinorum, quæ nunquam antea viſa ſunt; vel quæ locis inſolitis capiuntur. Alii ex *monſtroſis* ſive hominibus ſive beſtiis. Multi omnia hæc vaticiniorum genera rejiciunt: eoſque omnes *ſuperſtitioni* eſſe addictos ſtatuunt, qui ullam hiſce fidem habent. Aliqui ex quibuſdam horum pendent.

Brevi dicemus, quid nobis de re tota videatur. Non puto clara exſtare Scripturæ loca, quæ nos evidenter doceant, nullos *Prophetas*, aut Divinas *prophetias*, immediata Dei inſpiratione nixas, exſpectandas eſſe. Quare dubito, num eo *fundamento* omnes Prophetiæ, poſt Apocalypſin editæ, abſolute ſint reprobandæ. Sed cenſeo *Prophetam*, & *Prophetiam* poſt *examen* demum rejiciendam aut admittendam eſſe. Hocque examen fieri debet juxta regulas, ex quibus Prophetæ, & eorum ſcripta, in populo Dei probanda erant. De quo alibi latius diſputavi.

Temporibus iis, quibus nulli alii exiſtunt viri, qui pro veris Prophetis agnoſcuntur, & unde reſponſa poſſint peti, *miracula*, eventus, & convenientia doctrinæ ipſorum (ſi aliquam proponant) cum Verbo Dei regulæ ſunt, ad quas Prophetiæ ſint examinandæ. Prophetiæ illius, qui vera facit miracula, fides habenda etiam, antequam tempus impletionis elapſum ſit. Ratio hæc eſt, quod Deus peccatorem non exaudiat, *Joh.* 9: 31. Et quia credendum iſtum à Deo eſſe miſſum, qui hujuſmodi miracula patrat: quoniam Chriſtus ſæpenumero tantum ad ſua miracula provocat, *Joh.* 5: 36. & 10: 38. & 14: 11. &c. Sed periculoſæ plenum opus aleæ, verum miraculum à falſo diſcernere.

Quod ad prædictiones attinet, quas conjectant ex curſu ſtellarum, apparitionibus

nibus rerum inſolitarum in Cœlo, mari, aut terra; hoc cenſemus. Signa illa vel plane *miraculoſa* ſunt, & naturam ſuperant; vel naturalia ſunt: aut multis locis & oris in orbe terrarum eodem tempore cernuntur; aut in una tantum regione: ſive in Verbo Dei jam ante ſignificatum eſt nobis, rem aliquam certi quid nobis indicaturam: aut hoc non eſt ante revelatum. Porro, ſignum illud vel naturalem *connexionem* habet & copulationem cum re ſignificata, aut non. Omnibus his circumſtantiis obſervatis, facile docemur, quid de univerſa hac re ſit judicandum.

Quando res quædam per Dei inſtitutionem & revelationem nobis nonnihil prædicit, magna eſt impietas & incredulitas ſignum hoc pro eo non agnoſcere. Sic Iris, Dei indicio, nobis ſignum eſt, orbem terrarum univerſali diluvio non amplius periturum. Cum ſignum naturalem connexionem cum re habet, quam inde auguramur, ita ut unum alterius ſit cauſa, aut effectus: tunc ex eo cauſam, vel effectum licet conjicere & hariolari. Sic Chriſtus prædictionem illam admittit: cum veſperi aër, vel cœlum rubicundum eſt, tunc poſtero die cœlum ſerenum futurum, &c. Et jure colligi, *æſtatem* inſtare, cum ficus incipit germinare, *Matth.* 24: 32. Quicquid ex aliis generis ſignis prædicitur, mera eſt *ſuperſtitio*: quum ob certam rem in animo noſtro Religionem quandam excitamus; & eo nos aliquid putamus facere, quod Deus à nobis exigit: quod tamen à nobis non poſtulat: atque ita colimus Deum *præcepta hominum*, *ſine fide*. Quicquid autem non fit ex fide, peccatum eſt. Hoc, quantum ſciam, apud omnes extra controverſiam eſt. De illo tantum diſceptatur, an multiplex eventus ad apparitionem certi curſus & *conjunctionis* ſiderum, aut aliorum ſignorum in Cœlo, mari, & terra nobis non ſit habendus pro revelatione Divinæ voluntatis; ut cogitandum ſit nobis, apparitionem hujuſcemodi rerum certi quid nobis portendere. Secundo, quomodo ſcire poterimus, an eventus *præſumptum* ſignum ſit ſecutus. Cum ſemper certus eventus ſequitur quoddam præſumptum ſignum: tunc ratio docet, & propterea naturalis Religio imperat, ut illud in commodum noſtrum vertamus. Et Chriſtiana prudentia requirit, ut cogitationes & officia noſtra eo dirigamus. Quemadmodum eadem prudentia poſtulat, ut ubique illud, quod nobis poſſit eſſe admonitioni, obſervemus. Hoc extra controverſiam eſt. Verum in eo cardo quæſtionis vertitur, qui certo poterimus cognoſcere, eventum, id eſt, ſignificatam & prædictam rem, ſignum ſecutum eſſe. Conditiones aliquas enumerabo, quæ hac in re ſunt conſiderandæ, & quas omnes ratione præditi mihi concedent.

Primo, dici nequit, prætenſum aliquod ſignum prætenſam illam prædictam rem eſſe ſecutam; quum non poſſit demonſtrari, prætenſam illam ſignificatam rem caſu prætenſum ſignum ſecutam eſſe: verbi gratia, certo quodam tempore Cometa apparuit; nec diu poſt magna urbs everſa eſt; aut illuſtris Rex obiit. Itaque apparitio Cometæ excidium potentis alicujus urbis, aut obitum magni Regis portendit. Cum domo egrederer; canis ater, aut homo mancus mihi occurrit, & paulo poſt in publico corrui. Ergo *malum eſt omen*, cum ædibus excedimus, atro cani, aut homini manco occurrere. Nulla certe ratio eſt credendi *connexionem* quandam, aut copulam eſſe inter apparitionem cometæ, & deſtructionem alicujus urbis, aut mortem cujuſdam Principis, aut Regis: inter occurſum atri canis, aut viri manci, & meum caſum. Quia hoc bis terve, vel ſæpius contigit: nam hæc omnia caſu poſſunt fieri. Quemadmodum etiam contingere poteſt, ut eodem anno, quo eclipſis eſt Solaris, magnus Princeps, aut Rex, in quadam iſtarum regionum moriatur, ubi eclip-

eclipſis illa conſpici poteſt: & hujuſcemodi quid eo magis, & ſæpius caſu evenire poteſt, quum ponimus, præſumptum ſignum non in ſpecie hoc vel illud infortunium, aut in ſpecie hanc vel illam calamitatem huic vel illi regioni, &c. portendere: verum ſi mala quædam in genere prædicamus: eaque non certæ cuidam provinciæ in ſpecie: verum certæ oræ; nempe parti dimidiæ, aut duabus tertiis, verbi gratia, orbis terrarum. Quis non videt, hominibus illudi, quum hujuſmodi ſigna ſtatuuntur, & inde *Prophetiæ* quædam fiunt. Ita poſſet *prædici*, Solem nullum Zodiaci ſignum permeaturum, quin eo anno tempeſtas aliqua in Oceano exiſtat. Quod multo ſpecialius eſt: quam ſi dicas, nunquam cometam conſpici, quin eodem anno cuidam regioni, in qua Cometa ille videri potuit, malum aliquod inferatur, quod quovis anno cuilibet ſpeciali oræ non ſolet evenire: quanquam calamitas in genere ſit ſolita humana clades. Veluti non inſolens ſtrages eſt, quum turbines, & procellæ in mari exiſtunt. Ac ſimilitudo hæc melius procedit, quum ſtatuitur, quemadmodum etiam fieri debet; æque naturale eſſe, cometam apparere; quam naturale eſt Solem per ſua ſigna tranſire.

Ut itaque recte judicemus, an non res aliqua caſu ſequatur certum *præſumptum* ſignum, requiritur: ut ſignum certi quid, & ſpecialiter certæ regioni, aut Regno aliquid ſignificet; & ut nunquam fallat, quin res indicata illud aperte ſequatur. Alioquin de talibus ſignis, à quibus tres iſtæ conditiones abſunt, dici poteſt, quod Apoſtolus de illis dicit, qui ignota lingua in Eccleſia loquebantur. 1 *Cor.* 14: 6. *Nunc autem fratres, ſi venero ad vos, linguis peregrinis loquens, quid vobis prodero, niſi vobis loquar, aut in revelatione, aut in cognitione, aut in prophetia, aut in doctrina. Tamen quæ ſine anima ſunt, quæ ſonum edunt, ſive tibia, ſive cithara, niſi diſtinctionem tonis dederint, quomodo cognoſcetur, quod tibia canitur, aut cithara. Etenim ſi incertum ſonum tuba dederit, quis parabit ſe ad bellum?* Similiter ſi prætenſum ſignum rem incertam, & nihil certi peculiari alicui populo ſignificet: quis, & ad quid animum excitabit: quæque ratio, ut hanc potius, quam illam rem pro ſigno admittam. Quare avium cantus, & extorum immolatarum victimarum rationem non habemus; atque ex iis aliquid *prædicimus*. Quare non omnes *Superſtitiones* Gentilium admittimus, & ipſorum auguria. Sine tribus iſtis conditionibus jam memoratis ſignum nihil præſignificat. Et ideo, verbi gratia, inter apparitionem cujuſdam Cometæ, & inſuetam quandam cladem, quæ certæ terrarum orbis parti accidit, in qua conſpicitur, non major erit connexio: quam inter univerſa Ethnicorum ſigna; unde bona, aut mala prædixerunt. Quare non eodem fundamento liceret dicere, maculas Solis nobis diri quid portendere; quoniam eæ etiam nunquam conſpiciuntur, quin cuidam terrarum oræ aliqua calamitas accidat. Sic poſſet dici, nativitatem viri in ſtudiis celeberrimi (qui omnibus ſeculis paucillimi naſcuntur, & ſæpe ſinguli tantum ſingulis ætatibus) portendere, iſto ævo certæ cuidam orbis terrarum parti calamitatem aliquam eventuram: quod nullum ævum prætereat, quo particulari alicui provinciæ non clades quædam contingat.

Chriſtus præmonet quidem, ſigna in Cœlo præceſſura, antequam extremis temporibus graves iſtæ plagæ, de quibus *Luc.* 21: 11. verba fiunt, orbi terrarum contingent. Sed primo; textus ille eſt obſcurus, & à multis figurate intelligitur, & explicatur de *Apoſtaſia* illorum, qui magna lumina Eccleſiæ habebantur. Excepto, quod partim ibi diſſeratur (eſto verba proprie eſſe intelligenda) de rebus ſupernaturalibus; partim de plagis, quæ ſigna ſint appropinquationis diei noviſſimi. Etiam Chriſtus revelatione ſua *connexio-*

nexionem notam facit, quæ intercedit inter hujuſmodi certa ſigna, & plagas: interque ultimi judicii adventum. Ita ut hic ſigna, & res ſignificata *in ſpecie prædicantur.* Et *connexio*, quæ intervenit, per Chriſti revelationem nobis indicetur. Quæ omnia neutiquam in illis ſignis cœleſtibus, juxta quas Aſtrologi falſas ſuas regulas formant, nec in Cometarum apparitionibus, aut pluribus Solibus, &c. reperiri poſſunt.

Conſiderandum etiam eſt, quemadmodum ſigna, de quibus Chriſto ſermo, valde generalia ſunt; quæque per totum terrarum orbem manifeſta fient: ſic etiam rem ſignificatam ad omnes homines pertinere: nimirum, annunciationem appropinquationis extremi judicii. Sed volunt Aſtrologica ſigna, & Cometas, certæ alicui regioni peculiare quid, & quod privatim eos tangat, portendere. Et per cometam poſſe prædici: quinimmo officium eſſe cujuſvis Chriſtiani, credere, illis oris, quibus Cometa ſe conſpiciendum præbet, gravem aliquam calamitatem eventuram. Quanquam dici non poſſit, cui potiſſimum regioni ex omnibus, in quibus cometa ille cernitur, clades aliqua continget: nec etiam cujuſmodi clades. Ita ut ſigna illa ſic dicta ſigna ſint, & etiam non ſint: & eapropter multum differant ab illis ſignis cœleſtibus, de quibus Chriſto ſermo eſt. Præterquam quod Cometæ judicio iſtorum, qui aliter hac de re ſentiunt, ſæpenumero ſpeciem quandam calamitatis portendant, quæ huic populo non poſſit evenire, quin illi genti, cui Cometa etiam apparet, aliquid boni fiat. Si, verbi gratia, Cometes uni genti cladem præſignificet, alteri victoriam portendit. Et quemadmodum cum rebus humanis comparatum eſt: Corruptio unius eſt generatio alterius. Sic etiam ſalus unius nationis vergit in damnum alterius. Sed hæc hac de re ſufficiant. Accedemus jam ad alteram *Superſtitionis* ſpeciem, quæ majoris momenti eſt.

Secunda *ſuperſtitionis* ſpecies eſt, cum in uſu quarundam rerum ſanctitatem aliquam collocamus: & eo ipſo rem gratam nos Deo facturos arbitramur: quæ tamen neque à Deo *expreſſe* mandata ſunt: nec ullam naturalis Religionis partem faciunt. Hujus generis *Superſtitione* Papiſmus ſcatet; & paucæ Eccleſiæ, & homines ea carent. Quanquam etiam multa per errorem pro *Superſtitione* ducantur, quæ ea non continentur. De qua poſtea diſputabimus. Talis *ſuperſtitionis* ſpecies eſt; cum putamus, Deo acceptius eſſe, in cubiculo ſuo, & per ſe conſiderato, Eum ſtantem, vel flexis genibus, quam ſedentem: in Templo, quam in alio ædificio: Orientem, quam Occidentem verſus adorare. Uſum certi cibi Deo per ſe gratiorem eſſe, quam alterius alimenti. Hanc veſtimenti formam Deo acceptiorem eſſe altera. Baptiſmum, & S. Cœnam, celebratam certo indumenti genere, ac certo loco, certiſque temporibus, Deo magis placere, quam ſi aliter fieret. Putare eſſe ſanctitatem, religionem & vim in numero precum, & certo tono & rhythmo. Autumare per ſe Deo eſſe gratius, veritatem ex Præcone Verbi Divini, quam ex altero audire: atque ita majori vertere Religioni audire concionem Paſtoris: quam in ea legenda, aut in prælectione capitis alicujus auſcultanda. Verbum Dei à Doctore prædicatum, qua tali, ſanctius arbitrari, & auſcultationem ejus Deo gratiorem; quam auditionem ejuſdem Verbi Veritatis, quum ab altero provenit: ac ſi ita pietatem collocemus, in Concionibus Sacris aures præbendo: ut arbitremur partem eſſe Religionis ſub Novo Fœdere, Concionibus vacare. Non diſputo de illis, qui deſiderio proficiendi in cognitione accedunt ad Conciones, & eis ſanctas commotiones in ſemetipſis excitant: quæ revera ad Religionem ſpectant: ſed loquor de illis, qui religioſum eſſe putant, Concionibus Sacris intereſſe per ſe: eodem nempe ſenſu, quo apud

Ju-

Judæos quies Sabbatho partem Religionis conſtituebat. Licet concedatur, hujuſmodi abſtinentiam à labore, quando per opera pietatis & miſericordiæ non conſecratur, Deo diſplicere. Quemadmodum etiam ſuſceptio Baptiſmi & Sacræ Synaxis apud nos inter partes Religionis recenſentur: quanquam Deo ingrata, quum non præparati iſtis Sacramentis utimur. Sicuti etiam ſub Veteri Teſtamento pars Religionis erat, in Templo coram Deo apparere: licet ea apparitio Deo diſpliceret, quum irreligioſe illic apparerent. Sic nonnulli aſſerunt, auditionem Concionis alicujus Paſtoris inter partes Religionis numerandam: quanquam etiam nobiſcum agnoſcant illam eſſe Deo ingratam, quando non accedunt debita animi commotione. Ac inde concludunt, ut quemadmodum Deus in legitimo Sacramentorum uſu ſpecialem quandam gratiæ *diſtributionem* facit, quam Deus extra *adminiſtrationem* S. Sacramentorum non ita large tribuit: ſimiliter Deum per verba Doctoris; quamvis verba, neque res, quas ea qualitate loquitur, nihil differant ab illis, quæ alius non in miniſterio conſtitutus, dicit & docet: nec ab iis, quæ ipſemet Doctor in Tractatu aliquo ſcribit, peculiarem quandam gratiam diſpenſare. Hoc mihi quodammodo videtur Superſtitionem ſapere, & doctrinam operis operati in Reformatas Eccleſias intrudere. Hinc enim ſequitur, Doctores ſpeciali auctoritate & poteſtate docere, & ſingulari Sancto charactere, quemadmodum ſacra cœna & baptiſmus, præditos eſſe: etiam ſine & extra illam conſiderationem, quod miniſterium illorum à Deo deſcendat; qui vult, ut homines in Religione inſtituantur, & ad virtutem adhortationibus excitentur; hocque propter ordinem & decorum: idque jubet (quo *doctrinæ auctoritas quædam inſit*, 1 Cor. 14) à viris fieri, qui ad id apti ſint: & quibus ſpecialiter munus illud & cura *ab hominibus ex mandato Dei* imponuntur. Hujuſmodi errorem errore, & ſuperſtitionem ſuperſtitione cumulantes profitentur, opus eſſe peculiaris Religionis, Templa frequentare, ibique Doctoribus commonentibus aures præbere; etiam extra rationem communionis Sanctorum, quæ ex verbi Divini inſtituto in cœtu fidelium colitur; neque etiam in animo habentes cum fidelibus iiſdem precibus intereſſe: neque hoc agentes ut ordinem, quem Deus in Eccleſia inſtituit ad informandos fideles ſancta cognitione & vera pietate, velint ſuo exemplo in pretio haberi: & quæ ſunt hujuſmodi, quæ omnia magnopere laude prædicanda ſunt, & veræ religionis partem faciunt. Inquam quoſdam eo erroris prolabi, ut aſſeverare videantur in Templum venire, ad Paſtorem ibidem audiendum, ſine reſpectu prædictarum rationum, præcipuum noſtræ Religionis eſſe habendum. Ita ut videantur docere, vix neceſſitatem aliquam poſſe incidere, quæ non debeat cedere Concioni Præconis Verbi Divini in Eccleſia. Quinimmo hoc peccatum adeo grave eſſe ducitur, ut, cum honeſtas & pudor inter moratiores populos prohibent, aliquem ſe in publico conſpiciendum præbere, id tamen locum non habeat, quum Concio Paſtoris in Eccleſia audienda eſt. Hinc numerus concionatorum indies augeſcit. Hinc vulgus exiſtimat ſe diem Dominicum prophanaſſe, ſi non à Lucifero donec lux occidat, Concionibus vacaverint: quod putet lectionem ſuam cum fructu & bona animi commotione: & preces ſuas domeſticas recte factas per ſe non tantum religionis continere, quantum Paſtorem in congregatione Fidelium *ſimpliciter* audire prædicantem; *licet religioſæ* animi *commotiones ibi minores ſint*. Atque in illa *Eccleſiarum frequentatione* non tam reſpicitur Communio Sanctorum, & preces publicæ, (in quibus propriè Religio conſiſtit) quam *auditio concionantis Doctoris*. Multique Doctores huic errori

rori album calculum adjiciunt; vel ſaltem, non videtur ipſis diſplicere, quod ita à Cœtu credatur. In exordio ſuæ Concionis Congregationem ita alloquuntur, tanquam viri eſſent, in quorum ore Deus Verbum ſuum, ac *certam indubitatamque explicationem illius Verbi* ſpecialiter collocaverit. Perſuadere nobis volunt, ſuas precationes, ſuas inſtitutiones, ſuas benedictiones, ſuas abſolutiones ab anathemate & condemnatione, ſuas conſolationes, &c. alius omnino eſſe Sanctitatis & certitudinis, extra conſiderationem teſtimonii veritatis, quam in ſuo miniſterio demonſtrant: ac Chriſtiana iſta officia ita magis à Deo corroborari, quam ſi idem ab aliis piis Eccleſiæ Membris fiat. Aſſeverant ſe Dei eſſe *Legatos*, non ſimpliciter ſecundum Dei præceptum ad prædicandum & exponendum Dei Verbum ex animi ſui ſententia, aut juxta receptam fidei formulam, ab illis electos, quibus jus illud competit: ſed hujuſmodi *Legatos*, qui peculiariter à Deo *imbuti ſunt* in illis, quæ Deus nobis vult indicare, ut faciamus aut omittamus: & qui nobis ob munus ſuum & officium (quanquam iidem in omnibus cœtibus & congregationibus eorum, qui Chriſtiani appellantur, reperiantur, & fidei confeſſione inter ſe longe differant) pro iſtis nobis ſint ducendi, & qui auctoritatem illam à prædicatione veritatis mutuari non debent: nec eandem ad eam veritatem privato & *diſcretivo judicio* Membrorum diſcutere, probare, & examinare licet.

Quare etiam jactant ſe per prædicandi munus ſpeciales literas aſſertorias, quas vulgo credentiæ vocant, adeptos. Quare ipſorum verba, minæ, & promiſſa ſunt ſuſpicienda, tanquam Deus per ipſos loqueretur: quamobrem etiam ſibi applicant, & pro concione auditoribus ſignificant, quod Chriſtus ait: *Qui vos rejicit, Me rejicit.* Verum quidem, quod dictum illud hac clauſula limitent; *ſi veritatem doceant.* Sed tunc ipſorum auctoritas à veritate doctrinæ pendet; non autem à munere, ſed à judicio ſingulorum Membrorum: quibus de veritate doctrinæ ipſorum judicandum eſt. Atque hoc pacto auctoritas Doctoris nihil magis operari poteſt in animo privati Chriſtiani ad fidem Divinarum rerum illi perſuadendam, quam auctoritas hominis privati: quoniam legitima ſuſceptio dependet à judicio, quod quivis Chriſtianus ex Verbo Dei facere debet de re aliqua, quæ ipſi à Paſtore credenda proponitur: ac ſecundum quod judicium ſingula Chriſti Membra diſtinguunt inter bonum & malum Verbi Divini Præconem. Ita ut auctoritas Doctoris ſequatur fidem Chriſtianorum, nec eandem præcedat. Secus foret, ſi veri Paſtores per externa ſigna à falſis poſſent diſcerni, quemadmodum in Papiſmo docetur: & ſi non ſingularium Chriſtianorum foret Verbi Divini Præcones examinare ex ipſorum doctrina. Et poſt hoc ſuum examen eos pro Doctoribus ſuis admittere, aut rejicere. Sed quod Doctores ſui forent agnoſcendi, pro illis habendi, & admittendi per ſigna externa: quemadmodum noſtros Magiſtratus, & Præceptores, & miniſtros publicos pro talibus agnoſcimus & admittimus: non autem ex ſinceritate in officio ipſorum (nimirum num bene an male ſe in munere ſuo gerant) judicium de illa re privatis non ita competit, ut à judicio illorum dependeat, qui ſibi pro legitimo Magiſtratu, aut Magiſtro, aut Miniſtro publico ſuſcipiendi ſint. Ita ut auctoritas omnium iſtarum perſonarum privato ſingulorum judicio niteretur. Sed ut è diverticulo in viam redeamus: multi ex his Doctoribus nobis perſuadere conantur longe diverſa eſſe: quum ipſi veritatem docent; aut quando alius eam docet: quum ipſi pœnitenti peccatori remiſſionem peccatorum promittunt; quam cum alius eodem fundamento hoc facit. Ideo multis Paſtori-

ſtoribus mos eſt, ut in precibus ſuis, quas ante, & poſt concionem ſuam habent, verba concionis ſuæ appellent *Verbum Dei*; orantque ut ea in animis auditorum figantur.

Probe novi illos, qui hanc opinionem propugnant, duobus uti argumentis, quibus ſe excuſent. Primum eſt, quod ſibi Propheticam infallibilitatem non adſcribant, & ideo profitentur, prædicationem ſuam nullam fidem *mereri*, niſi quando doctrina ipſorum cum Verbo Divino congruit. Quare etiam volunt, ut ea ad illud examinetur. Ut nullam ſibi auctoritatem arrogent, niſi quum juxta Verbum Dei concionantur. Semper teſtantes, & coram omnibus confitentes, ſe errare poſſe. Alterum eſt; quod *perſuaſi ſint*, id Verbo Dei congruere, quod docent: quare ſe poſſe ac debere doctrinam ſuam Verbum Divinum nominare: quum ſenſus, non autem nuda litera *Verbum Dei* ſit. Ipſi ergo credentes ſe docere ea, quæ *Sacræ Literæ* præcipiunt, doctrinam ſuam *Verbum Dei* poſſunt vocitare. Reſpondeo: abſit ut de hujuſcemodi Doctoribus aſſeverarem, ipſos expreſſis verbis præ ſe ferre, quod infallibiles ſint Doctores; nec doctrinam ſuam examini ſubjiciant. Sed inquam, quod reipſa infallibilitas doctrinæ ſuæ has ipſorum poſitiones ſequi neceſſe ſit: aut ſunt valde impropriæ loquendi formulæ, quibus Paſtores iſti utuntur, ad auctoritatem ſuam Doctoris publici exprimendam. Si enim doctrina ipſorum omnem ſuam auctoritatem mutuetur à Divina veritate. Et ſi nullum Membrum ulterius doctrina Præconis teneatur, quam quatenus ſe proprio judicio (quod juxta S. Scripturam formare ſe credit: non autem ſecundum judicium Doctorum & Ducum) obſtrictum arbitratur: quid tum ad confirmationem & obſignationem veritatis doctrinæ mutuantur Doctores à ſuo munere: quemadmodum hoc fit per qualitatem & Literas Aſſertorias Legati, aut Miniſtri Publici. Ita ut hac ex re alterutrum horum clare ſequatur: aut quod omnes privati æquali auctoritate, ſi obediendi & auſcultandi illius qui audit, officium ſpectes, proximum privatim conſolentur, minentur, admoneant, condemnationem, aut vitam æternam polliceantur: aut utrumque ſine ulla auctoritate, qua auditoris conſcientia conſtringatur, fier. Diſputo de auctoritate in conſolando, minando, cohortando, docendo, &c. non autem loquor de auctoritate Concionatoris publice docendi, & Sacramenta adminiſtrandi, quæ illi, ut confuſio vitetur, ſoli conceditur, qui juxta probatum ordinem aptus ad ea judicatus & electus eſt.

Si enim cauſa & vera ratio, quare dicta Paſtoris ſint recipienda, Verbo Dei nitantur; & ſi auditori de illis, quantum ad regimen ſuæ conſcientiæ attinet, judicandum ſit: nulla omnino auctoritas penes Miniſtros Verbi Divini reſidet quoad doctrinam, (nam de Regimine Eccleſiaſtico nunc nobis non eſt ſermo) ita ut Membrorum judicium poteſtate. iſta conſtringeretur. Quilibet tenetur veritatem, ſive illam nos Natura, ſeu S. Scriptura doceat, admittere, veritatis & Divinæ auctoritatis gratia. Et veritas illa nullam vim arctioris obligationis ab alicujus ore mutuatur, aut à quodam miniſterio eccleſiaſtico: verum omnem illam poteſtatem à Deo, veritatis auctore, nanciſcitur. Ac abſurdum qualitatem *Legati* Dei ſibi arrogare: quia electi ſunt ab iis, quibus ad id jus eſt, ut tempus & ingenium ſuum, juvante Deo, qui eo invocandus eſt, impenderent ad inveſtigationem & cognitionem Divinæ voluntatis; & quid homini juxta illam Divinam voluntatem ſit agendum: atque ſimul docere Legati verbis in expoſitione voluntatis Domini Dei ſui, fidem non eſſe habendam, quia eſt Legatus: ſed tunc tantum, quando illis, ad quos miſſus eſt, aliunde, hoc eſt ex S. Litteris conſtet;

ſtet; idque non Legati, ſed ipſorum ad quos miſſus eſt judicio, Legatum de voluntate Domini ſui bene edoctum eſſe. Ad cujus aures de hujuſcemodi *Legatis*, vel *Literis Fiduciariis*; fando aliquid unquam pervenit? Si vox Legati improprie ſumatur pro eo, cujus officium eſt, idque à Deo inſtitutum, ut ſpecialiter Divinæ veritatis indagationi vacet; & ſingulis Chriſtianis ad acquiſitionem cognitionis veritatis, ſcientiam ſuam communicet, nec non & judicium, ac rationes eo ſpectantes ipſis impertiat: libenter id conceditur. Verum hic modus loquendi tum valde eſt improprius.

Quod ad alterum attinet: Perſuaſio, qua Doctor Eccleſiæ credit ea vera eſſe, quibus alios imbuit, ſufficiens ratio eſt dicendi, quod auditores ſuos illa eodem modo doceat, quo ipſemet ea intelligit; atque ita ex animi ſui ſententia loquatur. Verum non ipſi dicendum, ſua dicta Verbum Dei eſſe: & perverſa eſt oratio, qua nonnulli Paſtores nunc uti incipiunt; *Attendite ad iſta, quæ Spiritus S. Eccleſiæ dicat*: &, *Nobis & Spiritui S. viſum fuit*: & *Arrigite aures ad Verba Domini*. Verbum enim Dei nunquam fallere poteſt: Doctor autem errare poteſt. S. Scriptura per ſe eſt authentica: nec poteſt, vel debet ad aliam rem explorari: quin immo hoc pacto Verbi Divini Miniſtro, omnes illas excellentes proprietates doctrinæ ſuæ liceret tribuere, quæ Verbo Dei adſcribuntur. Nec ipſi etiam licet dicere, ſuam doctrinam veritatem Dei eſſe, propter rationes ſuperius allegatas.

Aliud eſt, provocare ad S. Scripturam, & lectorem vel auditorem eo remittere, ut judicet, num dicta Doctoris cum ea conveniant, nec ne. Aliud autem meditationes ſuas & conceptus de rebus Divinis Verbum Dei; & orationem & doctrinam Spiritus Dei appellare. Verbum Dei, & Verbum Spiritus S. (*id eſt ſenſus illius Verbi*) nulli debet examini ſubjici, ſed ſimpliciter, & ſine ulla diſpenſatione omnes homines obligat. Quum enim ſemel perſuaſi ſumus de ſenſu alicujus loci è S. Scriptura, tum omnis ulterior inquiſitio ceſſat; ac tunc nihil reſtat, quam exacta obedientia. Sed quando ex littera Scripturæ ſenſus & ſententia inveſtigantur: non hoc pacto auctoritas S. Litterarum infirmatur. Nam quandoquidem homo tantum judicat de littera Scripturæ, ut ex ea & per eam percipiat quis ſit ſenſus Scripturæ, & illa littera non ſit Scriptura, ſed litteræ ſenſus; non ideo is, qui judicat de littera, ſe extollit ſupra Scripturam: quia illi abſolute paret, quando ſenſui paret; cui nos abſque ulteriori judicio ſubjicere tenemur.

At de rebus, quarum ſe plenam certitudinem credit habere, Eccleſiæ Doctori licitum quidem dicere, *ſe omnino certum eſſe*. Tunc enim nihil aliud dicitur, quam quod ipſemet non dubitet de iſtis, quæ alios docere & perſuadere conatur. Et hoc privato Chriſtiano non tantum proximo ſuo dicere conceditur, cui ſuam opinionem perſuadere intendit: ſed neceſſario prævia debet ei adeſſe perſuaſio ſuæ ſententiæ, quam alium ut certam & veram opinionem docere ſtudet. Maxima etenim eſt abſurditas, aliis quid pro certo velle perſuadere, de quo ipſimet judicamus nos plena certitudine carere. Ita ut neque hic etiam peculiare quidquam Paſtori occurrat. Nolo jam exponere & docere, quomodo, & quando tam Doctor, quam privatus poſſint dicere, ſe certos eſſe de hac vel illa veritate: & quod veritates quædam ſint tam in naturali, quam in revelata Religione: quarum nonnullæ vel proprio lumine, ſive claris S. Scripturæ locis, tam evidentes & certæ ſint; ut de illis poſſit dici, eas tam claras eſſe: ac evidens ſit, Solem meridie lucere. Alias veritates non cognoſcimus niſi multarum rationum deductione, in quibus errare proclivius

eſt. Quemadmodum facilius accidit, ut in magnæ ſummæ computatione erremus. Ac cenſeo tam Doctori quam privato majori cum *conſideratione* & *cautela* loquendum; humanas infirmitates reputantibus, quibus facile labimur. Nec idcirco in dubitationibus vita tranſigenda eſt. Differunt enim illa; de veritate quadam dubitare: vel meminiſſe nos fluxos & infirmos eſſe homines, qui potuerimus errare. Multi exigunt bona conſcientia debitum aliquod à ſuo debitore, & cum jurejurando teſtantur ſe putare juſtam ſibi eſſe cauſam: qui libentes tamen fatentur, ſe potuiſſe errare. Judexque hanc vel illam fert ſententiam ſine ulla *hæſitatione* aut dubitatione, qui tamen nihil minus cogitat, quam ſe in judicando non *poſſe* hallucinari. Verum reſpondebis: qui errare poteſt, non ſequitur, ut erret. Verum quidem. Qui tamen concedit, ſe in quibusdam rebus errori obnoxium eſſe: ille res iſtas in quibus errorem committere poteſt, pro certis, Divinis, & à Spiritu Dei dictatis dogmatibus ducere non debet; & doctrina, quam nemini in dubium revocare licet. Illud enim eſt ſtatuere, ſe in iis rebus prorſus non erraſſe: & illud idem eſt, ac ſi diceres, te in rebus iſtis non potuiſſe errare. Hoc dici nequit de rebus, quæ per multas conſequentias probantur: & ſeſe propria natura & lumine; aut evidentiſſimo S. Scripturæ loco, noſtro ingenio non offerunt. Ita ut temerarium ſit, abſolute dicere, te non erraſſe: cum certitudo illius dicti nitatur ſolum imbecillitate hominis in ſua ratiocinatione, & rationum deductione. Ob quam imbecillitatem & vitioſitatem, quæ in homine reſident, ad unum ex altero bene *deducendum*, homo peculiariter errori obnoxius appellatur. Et imbecillitas illa æque in Doctore reperitur, ac in auditore & diſcipulo. Et nulla ſpecialia exſtant promiſſa, eos, qui ad prædicandi munus electi ſunt, magis ductu Spiritus Divini in veritate infallibiles fore, quam privata Membra. Imo contra expreſſa ſunt loca & prophetiæ, quæ monent nos de Apoſtaſia & errore Doctorum, *Act.* 20: 29. 1 *Joh.* 2: 19. Quemadmodum etiam talia ſunt, quæ de auditoribus paria docent.

Et ex hiſce poſitionibus non ideo ſequitur, quod ob res, quæ fidem ſpectant, non teneamur pati; ac firmi & immoti iis adhærere, quamdiu rationem non videmus aliter ſentiendi. Magnum eſt peccatum, quinimmo ſpecies abnegationis Dei; caput fidei, de quo perſuaſi ſumus verum eſſe; & de quo nobis putamus rationem eſſe, veritati iſti adhærendum eſſe, ut à Deo revelatæ; & cujus confeſſione Deus glorificatur: abnegant & deſerunt metu periculi, aut ſpe quæſtus, aut incremento honoris.

Unum nobis, tam Paſtori, quam Membro, faciendum, illudque ſtudium promiſſionem habet perveniendi ad ſalutarem cognitionem. *Joh.* 7: 17. *Si quis voluerit voluntatem Ejus facere, cognoſcet de hac doctrina, utrum ex Deo ſit*, inquit Chriſtus. Qui cum humilitate per preces & examen ſui ipſius ſtudet exuere omnia præjudicia & perverſas paſſiones; atque ita Dei Verbo & ratione recte utitur: is in eo ſtatu eſt, ut quam longiſſime in doctrina ſalutifera progrediatur: & in ſeſe maximam doctrinæ ſuæ certitudinem reperiet; deque ea aliis optimam rationem reddet. Hoc ſtudium Concionatoribus magis, quam ſingularibus Membris velle adſcribere, omni fundamento caret.

Sed quoniam prævideo has poſitiones multis, qui apud cœtum fidelium alia re, quam pietate & eruditione, honorem aucupantur, non placituras; & clamorem ſublaturos, quaſi monſtroſa doctrina proponatur: hæc dogmata ex primis principiis Reformatæ Religionis demonſtraturi ſumus: ut quibuſdam, qui de hac veritate perſuaſi non ſunt, omnes dubi-

dubitandi cauſas eripiamus. Quoniam munus Concionatorium apud Reformatos officium eſt, quod verſatur circa Deum & Religionem: utile erit, ut ante de Religione illud proferamus, quod nobis in munere prædicandi lumen aliquod allaturum eſt. Religio duplex eſt; *naturalis*, aut *inſtituta*. Naturalis ea eſt, quam naturalis creatura *ope luminis naturæ* cognoſſe poteſt. Inſtituta autem eſt; quæ ſolum *Divina revelatione* rationali creaturæ indicata eſt: Naturalis Religio oritur ex *contemplatione* Divinæ naturæ, & rationalis creaturæ, auxilio naturalis luminis, quo naturalis creatura prædita eſt. Qui naturam Dei bene contemplatur, comperit eam omnem perfectionem in ſeſe complecti. Quod ſit omnipotens, æterna, ſancta, juſta, &c. quæ mundum; & præcipue rationales creaturas regit: ab iis vult obſervari, coli & pareri, juxta requiſitum rationalis naturalis Religionis. Similiter, quum naturalis creatura ſuam naturam recte contemplatur, comperit, ſe ad rationalem illum honorem, cultum & obedientiam Deo obſtrictam eſſe. Propoſitum noſtrum egrederetur; naturam, & omnes proprietates naturalis iſtius Religionis hic deſcribere: ſolum de ea proferemus, quæ ad materiam ſpectant.

Certum omnino eſt, & ab omnibus receptum; ac poteſt, ſi neceſſe ſit, facile probari: ut minimum in naturali Religione (de inſtituta nunc nobis ſermo non eſt) nemo à Deo ſit conſtitutus, ad alteri cum aliqua auctoritate regulam Religionis præſcribendum, cui conſcientia ſit alligata. Multo minus in eadem naturali Religione partes quædam exiſtunt, quæ per certos tantum homines ſolum debent fieri; non autem per alios. Patri jus & poteſtas competit, ſola naturali Religione exiſtente, familiæ ſuæ certam Religionis formam præſcribendi: ut & idem jus etiam Domino eſt in ſervum: Magiſtratui in ſubjectos ſuos. Verum nullius conſcientia ulterius iſti formæ adſtringitur, quam ut vi non liceat ſe ei opponere. Verum nemo religionem ſuam ſecundum illam regere debet, ſi animus ipſi dictet; religionem illam non rationalem aut veram eſſe. Licet etiam Patri qua Patri; Domino qua Domino, magiſtratui qua Magiſtratui, aliquid religioſe facere: quod alteri, qui eadem qualitate non eſt præditus, illicitum eſt. Inde tamen non ſequitur, in naturali Religione quaſdam partes Divini cultus eſſe, quas per certas perſonas ſolum licet adminiſtrare; ac à quibus reliqui debent ſecludi. Sic etiam filius, famulus, civis, &c. res multas etiam religioſe faciunt, quas Pater, Dominus, Magiſtratus religioſe facere nequeunt. Veluti hujuſmodi res eſt ipſa obedientia, conſcientiæ cauſa, illi præſtita, cui imperium eſt in nos. Parere enim præceptis ejus, qui ſupra nos poſitus eſt, certe bonum & religioſum opus eſt: quod ſolus ſubjectus poteſt facere.

Multo minus ſequitur, in Naturali Religione partes nonnullas iſtius Divini cultus exiſtere, quæ ex natura rei à quibuſdam tantum perſonis licitum eſt adminiſtrari: quod ob juſtas rationes partes quaſdam cultus abdicaverimus, eaſque hoc pacto aliis injunxerimus. Officium eſt Patris, Domini, Magiſtratus, rationem habere ſalutis filii, ſervi, & civis: quare veram Religionem ipſos docere tenentur. Verum quum illud ob magnas rationes facere nequeunt; & ſe ea cura legitime exoneratos cernentes, eam nonnulli mandant: non inde ſequitur, hujuſcemodi religioſa officia in naturali religione per certas tantum perſonas eſſe procuranda: quemadmodum ſub Veteri Fœdere in inſtituta Religione per Sacerdotes & Levitas aliqua miniſteria fiebant, quæ per alios non poterant adminiſtrari.

Etiam non conficitur aut concluditur, certas perſonas ad ſpecialia quædam offi-

ficia eſſe conſtitutas: quod teneamur illis, quos pro ſapientiſſimis & prudentiſſimis in rebus fidei habemus, multum *deferre.* Nam hoc illis, quos verſatiſſimos eſſe ducimus, non ideo jus aliquod in nos dat: ſed contra, ſapientiſſimus à nobis creditur, quod ita judicemus. Ita ut opinio noſtra fundamentum ſit exiſtimationis, quam de eo habemus. Cum autem vice verſa cenſemus; quemquam omnino, aut in nonnullis particularibus rebus ad Religionem ſpectantibus, non ſapere, ſed in iis cæcutire: aut ſi arbitremur juſtas nobis eſſe rationes credendi, quempiam in controverſiis Religionis alicujus Partibus eſſe addictum: non ſolum non obligamur judicium alterius, qui vitæ profeſſione, aut alioquin putatur res Theologicas intelligere, ſequi; ſive ejus *rationem habere:* ſed magna foret imprudentia, quæque ſæpe cum magna injuſtitia conjuncta foret, iſtud inſtitutum ſequi. Præſertim ſi præcedens, & in anteceſſum lata *ſententia* hujuſmodi viri, vel etiam collegii, tale præjudicium rei crearet, ut poſtea deliberatio & concluſio nobis minus foret libera. Ita ut quorundam Theologorum opinio valde ſit abſurda; quaque nihil aliud aucupantur, quam ut omnes omnino controverſias Theologicas ſuis ſubjiciant deciſionibus; quum ſtatuunt, in omnibus rebus, quæ de Religione & conſcientiis agunt, *conſultationem* Theologorum debere præcedere: & hoc jus nec non æquitatem poſtulare. Certe quum Theologorum *conſilium* præceſſit, omnia ea fruſtra fierent, quæ à Magiſtratibus contra *ſtatuerentur:* quando cenſerent Theologorum judicium non ſatis rectum eſſe: & inde malevoli rumores de Magiſtratuum impietate apud Plebem orerentur; ſecus, eos de quæſtione aliqua fidei aut conſcientiæ cenſere, ac Theologi deciderant. Credo equidem Reformatos in Gallia non aſſerturos hanc doctrinam. Si enim Rex conſilium Clericorum in concedendis quibuſdam privilegiis Religionem Reformatam profitentibus ante conſiderare deberet; res eorum ad maximas redigerentur anguſtias. Non credo etiam illis Theologis praxin hujus doctrinæ arridere, quando exiſtimant Collegium Eccleſiaſticum parum ſibi æquum eſſe. Multas alias rationes ſilentio prætereo, quæ jam intempeſtive huc poſſent allegari.

Et quemadmodum in naturali Religione nullæ exiſtunt partes, quin à quolibet poſſint adminiſtrari, aut miniſteria earum *ordinis gratia* huic vel illi, nullo diſcrimine, dummodo aptæ adſint illis dotes, conferri: ita ut ante illorum munerum collationem nullæ ſpeciales perſonæ, familiæ, aut nationes ſint, quæ ad iſta ſolæ poſſint adhiberi. Sic etiam miniſterium aliquod, quod cuivis patet: cui tamen tantum quidam ſe *ordinis cauſa* applicant: eos non reddit ſanctiores, quam omnes reliquos. Quoniam nemo in alium majorem poteſt ſanctitatem conferre, quam ipſemet habet. Etiam in naturali Religione nullæ cæremoniæ poſſint excogitari, quibus alicui peculiaris quædam ſanctitas tribueretur: quoniam in naturali Divino cultu nihil *cæremoniale* poſſit confingi, quod ſanctitatem quandam contineat, extra fundamentum naturalis Religionis, quibus æquitas *cæremoniæ* niti debet. Nullæ ergo *cæremoniæ* in naturali Divino cultu faciunt aliquem ſanctiorem. Et Rex aliquis ſub Novo Fœdere unctus ſit nec ne: non eo tamen magis aut minus ſanctus eſt. Et ſi ſub Euangelio impoſitio manuum ſolum conveniens actus & cæremonia putatur, & à Judæis mutuatus, qui in omnibus benedictionibus; vel etiam in alicujus *inauguratione* in quodam munere, ſolebant manus perſonæ illi imponere, cui benedictio, aut collatio muneris fiebat: & ſi ille actus & ceremonia ſub Novo Teſtamento à Chriſto non eſt inſtituta, tunc in *cæremonia* illa non major eſt ſanctitas, quam in induenda Toga aut Annulo, & in

in Pilei impoſitione: quæ fiunt alicui, qui promovetur. Et ſi fuerit ſingularis quædam ſanctitas tempore cultus Judaïci in manuum impoſitione; *cæremonia illa non recte uſurpatur ſub Novo Fœdere*: aut demonſtrandum eſt à Deo eſſe inſtitutam, ut ſub Novo Fœdere adhiberetur: & *Cæremonialis* Religionis non fuiſſe partem.

Non majori nititur fundamento; quum ex collatione quarundam adminiſtrationum Naturalis Religionis nonnullis perſonis facta, concludere volunt, ſpecialia ea officia, certis Divini cultus functionibus deſtinata; ad quas tamen cuique (ſi naturalem ejus ſtatum ſpectes; quique omnem ordinem præcedit) patet aditus: & quæ tantum *ordinis gratia* quibusdam committuntur. Conſtat in Naturali Religione ſemper in omnigenis Imperiis, & inter omnes populos, diſtincta munera & functiones fuiſſe; & à diverſis perſonis adminiſtrata; quæque eapropter in perſonis confundi non debebant: at non recte inde conficitur, cum muneribus iſtis naturaliter ita comparatum eſſe, ut à ſingulis civibus cauſa ſanctitatis iſtorum munerum ſuſcipi non poſſint. Sic non recte confeceris illis, quibus ſpeciatim mandatum eſt jus & juſtitiam in civitatibus civibus adminiſtrare, etiam non licitum eſſe iiſdem civibus in ſpiritualibus operam ſuam exhibere, ut Religionem ipſos doceant, & ad exercitium ejus excitent. Vel *vice verſa* iſtis, qui Divino cultui vacant, politiam aut juſtitiam nefas eſſe tractare: aut non cuivis, dummodo citra confuſionem poſſit fieri, licere ſuſcipere ea, quæ quibuſdam hominibus ſingularibus injunguntur: non ita tamen, quin etiam idem conceſſum ſit, quum confuſio vitatur. Licet collegio alicui cura adminiſtrandæ juſtitiæ data fuerit; nihilominus cuilibet licet juſtitiam facere proximo, & judicare de ejus controverſiis: dummodo hoc factum non pugnet cum munere judicum; & perturbet illud, aut inutile reddat. Ita etiam, quamvis pauperum diaconi ſint conſtituti: tamen præterea non vetitum eleëmoſynas ſuas inter privatos diſtribuere: & illæ, quæ ab egenorum curatoribus dantur; non ſunt alius naturæ, quam quæ à privatis erogantur. Et quanquam in Imperio & naturali religione certi ſint electi, quibus in ſpecie demandatum eſt, ut Populum Religione imbuant: non inde ſequitur, etiam aliis non licere: & inſtructionem illius, qui provinciam eam ſpeciatim in ſe non recepit; alterius naturæ, & minoris eſſe efficaciæ, quam aliorum: ſi modo utrique idem faciant. Simile enim foret, ac ſi quis diceret, idem pharmacum à pharmacopola ægro datum, minoris efficaciæ & operationis eſſe, quam quando à medico porrigitur.

Ex prædictis clare etiam patet, in naturali cultu Divino nullas conſecratas perſonas, loca, aut res dari: quaſi quædam Religionis partes per certas tantum perſonas; certis locis; perque certa inſtrumenta tantum liceret celebrare. Ubinam naturalis Religio nobis indicat, Deo gratius eſſe, à Petro, quam à Paulo coli? Preces hoc, quam illo loco, Sibi magis placere? Et quod in hac, quam in illa lingua Religionem malit fieri? Hoc apud omnes, qui à Papatu divortium fecerunt, tam evidens eſt, ut ſupervacaneum foret hoc velle demonſtrare. Illud ſolummodo addam; nullam perſonam, nullum locum, nullum factum, & omnino nullam rem rectè *ſanctam* poſſe appellari: ad quæ aliæ perſonæ, loca, facta, & res, etiam ſine ſpeciali diſpenſatione poſſunt adhiberi. Nos nullas agnoſcimus perſonas, aut res ſacras, quam quas Deus in Inſtituta Religione conſecravit. Et ideo de propoſitionis meæ veritate tantum ex S. Scriptura judicari poteſt: ex qua conſtat; nullos homines, loca, aut certas res, à Deo ad peculiarem Religionis partem ita fuiſſe deſtinatas: quin omnes alias perſonas, loca, & res ad eadem

dem

dem officia licitum fuerit adhiberi: & ideo quod Sacerdotes & Levitæ faciebant; aliis non item licebat. Quod in ſolo Templo conceſſum erat fieri, alibi prohibitum erat. Quod igne cœlitus miſſo conſumendum erat; ad illud communem ignem vetitum uſurpare.

Contra, ſi verum id, *quod jam non decido*, cuivis Agnum ſuum Paſchalem licuiſſe immolare: & infantem ſuum circumcidere.: & in Synagogis coram Cœtu verba facere; cum hoc ſine confuſione poterat fieri: cunctæ illæ prædictæ *actiones* eatenus non poſſunt ſanctæ appellari. Atque hæc jam de naturali Religione dicta ſufficiant, quatenus ea noſtro inſtituto atque propoſito poſſunt conducere.

Tranſeamus jam ad inſtitutum Cultum Divinum, qui à Deo conſtitutus eſt: quique non una ex Dei, & rationalis creaturæ proprietatibus profluit, quemadmodum cultus naturalis: ſed ſolum per revelationem cognoſci poteſt, & ex Verbo Divino petendus eſt. Hæc Religionis ſpecies duo complectitur. Primo, Doctrinam, Fidem, & Praxin Cultus Divini, qui cognoſci nequit, niſi per revelationem: veluti eſt redemptio generis humani per ſatisfactionem Chriſti. Deinde, quasdam *cæremonias* & ritus circa eandem Religionem. De priori non opus eſt, ut verba faciamus, & propoſito noſtro non convenit. De poſteriore modo tantum dicemus, quantum materiæ ſufficit. Primum agemus de nonnullis *cæremoniis* ſub Veteri Fœdere: deque ſtatu ejusdem Eccleſiæ, quantum reſpicit miniſtros illius Religionis. Poſtea de ſtatu Eccleſiæ ſub Novo Teſtamento: & de ejus miniſtris; deque cæremoniis iſtius Divini Cultus verba fient: de omnibus tamen non ulterius, quam ſcopus & materia exiget.

Omnes Reformati confitentur, & ex Verbo Dei clare demonſtratur, univerſas *cæremonias* & miniſteria Cultus Divini ſub Veteri Teſtamento uſitata, quæ etiam venturi Chriſti typi erant, adventu Chriſti deſiiſſe. Non hoc brevitatis ergo argumentis adſtruam. Tota Scriptura N. T. ſcatet locis, quæ id probent. Et quid opus eſt in re clara argumentis uti non neceſſariis; & multa allegare ad probandam illam rem, de qua inter partes convenit. Etiam pupillarem Eccleſiæ ſtatum ſub Veteri Fœdere præteriiſſe; ideoque etiam omnia ea miniſteria ceſſare debere, quæ in ſtatum illum quadrant: nec ulli ſub Novo Teſtamento licere iſta denuo introducere, etiam inter omnes Reformatos conſtat. Sub Veteri Fœdere, quando via ad Sancta nondum patefacta erat; & ſacrificium pro peccatis noſtris adhuc offerendum erat, Leviticum Sacerdotium Deus inſtituit. Quod inter alias hanc proprietatem habebat, ut multæ partes Religionis ſolum vel per Summum Pontificem; aut per Sacerdotes; vel per Levitas liceret adminiſtrari. Ita ut, reſpectu ſpecialium illorum officiorum, prædictæ iſtæ perſonæ, & miniſteria, quibus fungebantur, peculiariter *Sancta* appellarentur. Et nulli privato civi Reipublicæ Iſraëliticæ fas erat ſine magno piaculo aut partim, aut omnino adminiſtrationem ejuſcemodi munerum in ſe ſuſcipere, *Num.* 1: 51. & 3: 10. & 4: 15. Deus etiam gravibus & miris pœnis oſtendit, quantopere hæc facta Sibi diſplicerent; & quam acriter hujuſmodi profanationem voluerit prohiberi, 2 *Sam.* 6: 6. *Poſtquam autem venerunt ad Aream Nachon, extendit Uſa manum ad Arcam Dei, & tenuit eam: quoniam calcitrabant boves, & declinaverunt eam. Iratuſque eſt indignatione Dominus contra Uſam, & percuſſit eum ſuper temeritate: qui mortuus eſt ibi juxta Arcam Dei.* & *Num.* 3: 4. Sed hiſtoria de Uſſia inprimis obſervatione digna eſt, 2 *Paralip.* 26.

Inter multa varia & ſpecialia miniſteria, quæ quibuſdam ſacris & exceptis perſonis

ſonis ſolum facere concedebatur, hæc erant. Quod nemini liceret propriam victimam cædere; eamque Deo per ſemetipſum offerre: verum hoc per Sacerdotes faciendum erat: & nulli privato Iſraelitæ licebat cum ſua hoſtia per ſe ad Deum accedere. Sed, quamdiu prius ſtabat tabernaculum, velut profanus, & pollutus erat reſpectu eorum, qui Tabernaculo ſerviebant. Hoc autem ſub Novo Fœdere abolitum eſt & ceſſat. Etiam nulla pars Religionis exiſtit, *quæ in ſpeciali appropinquatione ad Deum conſiſtit*; quæ non à quovis Chriſtiano privatim poſſit, quinimmo debeat adminiſtrari & fieri. Cuncti jam ſumus ſpirituale ædificium, & ſanctum Sacerdotium. 1 *Petr.* 2: 5, 9. *Vos autem eſtis genus electum, regale Sacerdotium, ut virtutes prædicetis illius, qui vos è tenebris vocavit.* Sic Apocalypſi Johannis habetur, Cap. 1: 6. *Quod Chriſtus nos fecerit Reges & Sacerdotes Deo.* & Cap. 5: 10. *Et feciſti nos Deo noſtro Reges & Sacerdotes*, &c. Et ſpecialiter Chriſto adſcribitur, quod fideles ſub Novo Teſtamento Sacerdotes Deo fecerit. Quia per adventum, & per paſſionem & mortem Chriſti, pariter & peccatum; vel potius, meritum peccati, & prototypi ſtatus fidelium ſub illo peccatorum debito per Chriſti ſacrificium ſint ſublati. Ita ut jam vere *totus Cœtus ſit ſanctus*: utque jam omnibus, cuilibet privatim, *introitus pateat ad Sancta Sanctorum.* Quare etiam nunc omnes fideles Altaris & ſacrificiorum participes ſunt, *Hebr.* 14: 16. Ita ut ſub Novo Fœdere certam Religionis ſpeciem, aut Religioſorum munerum velle invehere, ad quæ nonnulli tantum fidelium ſint conſecrati, alii non item: foret *Leviticum Sacerdotium* iterum velle conſtituere: & ſtatuere, *viam ad Sancta nondum eſſe patefactam*: quaſique paſſio & mors Chriſti etiamnum inſtarent. Corporalibus itaque Levitici Sacerdotii ſub Novo Teſtamento omnino abolitis; & ſingulis Chriſtianis ſpiritualibus Sacerdotibus exiſtentibus, nullæ dantur ſanctitates & religiones ſub Novo Fœdere, ad quas quivis Chriſtianus pro rerum & circumſtantiarum merito non habeat aditum: verum etiam non obſtrictus ſit. Ita ut quilibet Chriſtianus per ſe ſatis ſanctitatis habeat ad Eccleſiaſtica miniſteria ſub Novo Teſtamento capeſſenda; quum ad ea vocatur; & ipſe ſe dotibus ſatis magnis inſtructum putet, ad illorum munerum executionem requiſitis. Et ſi confuſionis vitandæ ergo contingat, ut hic Chriſtianus ad hoc ſacrum officium ſpeciatim ſe applicet; alter autem ad aliud: illud non ſtatuit diſcrimen ſanctitatis inter hoc, vel illud opus; aut inter hanc, vel illam perſonam: niſi id, quod ex ordine oritur. Itaque nemo benedicit; nec peccata remittit; nec Sacram Cœnam diſtribuit; ut Sacerdos relativa & cæremoniali aliqua ſanctitate ab aliis Chriſtianis diſtinctus: ſed illo charactere tantum, qui ab electione natus eſt: nec *Sancta Sanctorum* hodie inveniuntur. Omnes Chriſtiani, qui ſe dignos judicant; ad Cœnæ Domini communionem accedunt. Per *Concionatorem* non amplius aditur Deus. Et Præco Verbi Divini, qui jactat, Concioni ſuis precibus, quibus Cœtui præit, Deo eſſe appropinquandum; aut Leviticum Sacerdotium iterum introducit: aut rei ſe immiſcet, quæ ſolius Chriſti eſt. Etiam peccata nunc non amplius Doctori confitemur, quemadmodum olim Sacerdoti fiebat. Neque nunc etiam amplius in dies aliquot immundi ſumus. Nec opus eſt ut mundemur, antequam ad Religionem publicam accedamus; veluti leproſis & puerperis quondam.

Non poſſum etiam conjicere, qualis Sanctitas extra *cæremonialem* (quam tamen omnes Reformati à Paſtore aut Concionatore abeſſe volunt) futura ſit: quam una actio præ altera; vel una perſona præ altera ſub Novo Fœdere haberet. Cæremoniales ſanctitates ſub Veteri Teſtamento vera Chriſti ſanctitate nitebantur:

 &

& hominibus indicabant, ipſos extra Chriſtum immundos eſſe: id eſt, ſub anathemate exiſtere. Idque non poſſe tolli, niſi per paſſionem Chriſti, quæ etiamnum futura erat. Et omnes perſonæ, quæ aliquatenus typi erant, vel in ſua perſona; vel in ſuo munere, eorum quæ in Chriſti perſona, aut Ejus munere futura erant: ſuo modo ſanctæ erant. Etiam per certos ritus & *cæremonias* in ſuis miniſteriis confirmabantur: & circa ejuſmodi actiones verſabantur, quæ eodem modo ab aliis non poterant adminiſtrari. Nota quidem nobis *moralis* ſanctitas, quæ inde oritur, ſi officium facias in eo munere, in quo conſtitutus es: quæque ſanctitas major eſt, quum munus illud circa ſanctas & divinas res occupatur. Verum hac de ſanctitate nobis hic non eſt ſermo. Ac omnes Chriſtiani etiam immediate circa res Divinas verſantur. Atque ego exiſtimo, non majorem moralem ſanctitatem reperiri in Miniſtro, ſive Concionatore, cœnam adminiſtrante, aut ſermonem de pietate & rebus fidei, quam in privato Chriſtiano, qui ſacræ Cœnæ digne communicat; & Verbum Dei reverenter & cum fructu audit. Si Concionator relationem habeat ad concionandum; Membrum relationem habet ad audiendum: & relatio illa in utroque æqualem ſanctitatem producit. Præterea ſub Novo Fœdere nullæ cæremoniæ ſunt inſtitutæ ad aliquem conſecrandum; & ad miniſterium quoddam ſanctificandum. Nulla loca, tempora, aut perſonæ ſunt conſtitutæ, electæ, aut conſecratæ ad certas partes Religionis ſub Novo Fœdere. Et quantum attinet ad *cæremoniam* impoſitionis manuum: in ea ſub Veteri Teſtamento nulla ſpecialis ſanctitas conſiſtebat; ſic ut multi hoc facerent, qui aliis ſanctitate non prælucerent: nec ſpecialem aliquam Sanctitatem in eum conferrent, circa quem *cæremonia* illa fiebat. Vide *Num.* 8: 10. *Levit.* 4: 14. Ecce alterum exemplum. Si benedictio, qua Sacerdos exercitui Iſraëlitico benedicebat ante expeditionem; & poſt reverſionem, cujus *Num.* 6: 23. mentio fit, fuerit benedictio, quæ Sacerdotio, qua tali, annexa erat; quemadmodum ego cenſeo; nemini licebat ex omnibus tribubus Iſraëlis benedictionem iſtam eo modo facere: & profanatio illius actionis fuiſſet, ſi alius ipſam feciſſet. Sed contra, ſi benedictio illa à Sacerdote fieret; non tamen qua Sacerdote; & qua ſpecialiter conſecrata perſona: ſed qua Iſraëlita, ordinis gratia ipſi demandata: tunc in illa benedictione nulla ſingularis Sanctitas reſidebat. Et ſi alius, qui Sacerdos non erat, hoc in ſe ſuſcepiſſet, is non ideo *actionem* illam profanaſſet: quanquam graviter potuiſſet errare; quod illud contra *ordinem & bonas leges* faceret.

Si immolatio Paſchatis; & circumciſio puerorum die octavo, quippiam fuerit, quod cum Levitico Sacerdotio conjunctum erat, quod ego exiſtimo, ſtatuendum eſt; perſonam *conſecratam* ad illam actionem debuiſſe adhiberi: nec ullum alium, ſine *profanatione* iſtarum actionum, id opus potuiſſe facere: quia ſe immiſcebat miniſterio rei ejuſmodi, ad quam non erat ſanctificatus & conſecratus: & ad quam omnes Judæi legitime non poterant vocari; nec qualitate præditi erant, ut ad illam poſſent vocari. Porro, ſi velis affirmare, adminiſtrationem Baptiſmi; & Sacræ Cœnæ etiam ſic per certas conſecratas & peculiares perſonas debere fieri, quæ non ſolum *ordinis gratia* ad Divinum illud miniſterium electæ ſunt: ſed quæ per ſpecialem quandam Dei conſtitutionem conſecratæ & ſepoſitæ ſunt ad Sacramentorum adminiſtrationem: ita ut relativam, aut cæremonialem ſanctitatem obtineant ſupra cæteros Chriſtianos; illius aſſertionis probatio illi incumbit, qui illam ſententiam adoptavit. Negari enim nequit Chriſtianum per vocationem ad concionandi munus, ab aliis Chriſtianis non ſegregari. Hoc enim omnibus ad-

adminiſtrationibus & officiis proprium eſt. Verum diſputamus de quadam ſanctificatione & ſeparatione, quæ doctoribus majorem ſanctitatem (quocunque id ſumas ſenſu) confert; quam in reliquis Chriſtianis reperire eſt. Ergo inquam, ſi, ex. gr. adminiſtratio Sacræ Cœnæ per conſecratas perſonas ſit facienda: loca in Novo Fœdere ſunt demonſtranda, quæ talem explicationem complectuntur. Verum hæc non reperiuntur: & baptizare ab Apoſtolo Paulo minoris fit, quam prædicare, 1 *Cor.* 1: 17. Et adminiſtratio S. Synaxis nihil aliud fuit; quam privatæ, vel *non conſecratæ perſonæ* actio: & non aliis fiebat, nec aliis locis, quam prædicatio, *Act.* 2: 20. 1 *Cor.* 10: 11. Et clarum horum omnium documentum eſt: quod *Convivium Paſchale* adminiſtraretur à quolibet Patrefamilias: atque ita iſti Religionis parti nulla peculiaris inerat ſanctitas. Et celebratio Euchariſtiæ ſucceſſit in locum *Feſti Paſchatis*: ac idcirco ejuſdem eſt Sanctitatis.

Porro actiones ſub Veteri Fœdere, de quibus non dubitatur, quod fuerint *cæremoniales*; aut Levitico Sacerdotio annexæ, omnes illæ potuerunt celebrari à quovis Iſraëlita ſine diſcrimine. Verbi gratia; orationes; jejunia; vota facere; proximum ad virtutem adhortari, &c. De his etiam inter Reformatos nulla eſt controverſia.

Majoris res eſt momenti; & majori diſquiſitione indiget; qualis Eccleſiæ ſtatus fuerit ſub Veteri Teſtamento, reſpectu *Doctorum & Judicum*, *circa regimen & gubernationem conſcientiæ*. Certum eſt, Deum ſub Veteri Fœdere certas perſonas & collegia conſtituiſſe, quæ de Religione & officio cujuſvis Judæi in rebus obſcuris judicarent: in iis ſuo *conſilio* præirent: & ea qualitate alios Religionem docerent: ac in rebus, de quibus expreſſæ non erant leges, ſuas fidei regulas auctoritate & poteſtate confirmarent. Quibus reliqui omnes Judæi ita obſtringebantur, ut deciſiones iſtas cogerentur ſuſcipere. Præſupponitur enim illas directe non fuiſſe contrarias claræ & expreſſæ legi. *Lev.* 27: 10, 11, 12, 13. *Matth.* 23. Et quoniam univerſa Eccleſia ſub Veteri Teſtamento ut pupilla conſideranda erat; quæque tutoribus ſuberat, *Gal.* 4: 2. Eccleſia illa circa Doctores iſtos ſe *gerere* debebat: *ut tyrones* ſe gerere debent circa magiſtros ſuos & doctores: audire; tacere; & pro tempore credere; puerili, quinimmo ſervili ſpiritu affecti, *Rom.* 8: 15. Verum id ſpeciatim huic collegio Doctorum; aut *ſedi Moſaïcæ*, ut eam Chriſtus nominat; annexum erat: ut Deus ſpeciatim certas perſonas, quæ certum collegium conſtituebant, deſignaſſet: quæ Eccleſiam Judaïcam ea *poteſtatis & auctoritatis* ſpecie, de qua jam locuti ſumus, docebant, & decidebant res ad Religionem pertinentes: quinimmo leges & conſtitutiones de ea formabant, quas Eccleſia Judaïca obſervare tenebatur: atque ita ſuum judicium iſtarum perſonarum judicio ſubjicere: cum illud non *directo* & aperte pugnaret cum quibuſdam legibus fundamentalibus Religionis populi Judaici. Ita ut temporibus Veteris Teſtamenti, *clavis ſcientiæ* æque in Scriptura eſſet, ac hodie: ſed tunc Judæi certarum perſonarum demonſtratione, certique Collegii indigebant: ad quod Deus ſub Lege populum ſuum, Iſraëlitas nempe, remittebat. Ita ut in his caſibus Populus Iſraëliticus Doctorum interpretatione & auctoritate indigeret. Cum contra de populo Novi Fœderis dicatur: alterum alterum non imbuturum; ſed omnes à Deo eſſe inſtruendos, *Hebr.* 8: 11, 12.

Ita ut Doctores illi paterna auctoritate in populum Judaicum uterentur. Et eapropter Judæis non licebat Collegium iſtud reprobare; nec auctoritati ejus ſe ſubtrahere; & aliam perſonam ſeu Collegium ſubjicere, qui in Religione ductores ipſorum forent. Sed Deus clavem ſcien-

ſcientiæ ita Collegio ei affixerat: ut, quum errarent, non quidem ipſis parendum eſſet; ſed nihilominus primum jus illud penes id Collegium remanebat: & illud poteſtatem & auctoritatem ſervabat ut leges ſuæ & deciſiones circa Religionem in uſum deducerentur. Et quod obſervatione dignum eſt: quemadmodum Collegium iſtud non ideo cum poteſtate & auctoritate docebat, quod Judæi doctrina & ſinceritate ejus Collegii probata, & approbata, illud Rectores & Ductores ſuos in Religione crearent: verum quod Deus ipſis illud Collegium per externa ſigna notum fecerat: ſic etiam deciſiones ejus Collegii non idcirco vim legis accipiebant; quia Judæi illas legitimas judicarent. Ita ut vis obligationis, quæ legibus illis inerat, non conſiſteret in revelatione æquitatis & veritatis legis & doctrinæ conſcientiis Iſraëlitici populi facta: ſed niteretur poteſtate & auctoritate à Deo Collegio ei datis. Sicuti Patri hujuſmodi poteſtas eſt in prolem ſuam: & Præceptor aliquis in Diſcipulum habet, qui eſt diſcipulo per Magiſtratum, aut parentem conſtitutus. Et is Pater, Magiſterve pro talibus non agnoſcuntur nec admittuntur: quod judicemus eos vera officia Parentis Magiſtrive facere: quaſi ſignum, unde noſtrum Patrem & Præceptorem poſſumus & debemus cognoſcere, foret præſtatio ſui officii. Sed ſignum illud eſt viſibile ſignum. Quemadmodum Pontificii docent; Membra Eccleſiam, & Ductores ejus, per conſpicua ſigna noſcere, non autem per puritatem doctrinæ: de qua Membrorum non eſt judicare: ut illud ſecuti Eccleſiam, & illius Doctores, ſuſcipiant, aut reprobent.

Nam quamvis nulla unquam poteſtas à Deo in terra ſit conſtituta, quæ conſcientias ligaret. Nec unquam homo aliquis, aut Collegium in terris fuerit, quorum doctrinæ alligaremur; excepto Verbo Dei. Nihilominus poſſumus imaginari, & fidelium ſtatum nobis proponere, ut infantum & minorennium ſtatum, quos Magiſtris dedimus: & qui tam parum in cognitione rerum profecerunt; ut nolimus, ut in illis rebus, ad quas præceptores ipſis dedimus, ſuo judicio ita utantur, ut relictis Magiſtris, ſuo Marte ſapiant: aut pro ipſorum arbitrio alios eligant. Quanquam eis ſemper liberum ſit in rebus, quæ aperte cum honeſtate, virtute, & pudicitia pugnant, Magiſtros ſuos deſerere; quinimmo ipſis reſiſtere.

Sed ſicuti ſtatus fidelium ſub Veteri Fœdere ſtatus filiorum minorennium, ſervitutis, & ignorantiæ erat: ſic omnia jam ſunt contraria. Et ideo jam tota illa *œconomia* ceſſare debet, ad ſtatum illum proportionata & ordinata. *Habemus jam unctionem Spiritus Sancti, & omnia novimus*, 1 *Joh.* 2: 20. 27 *Et homo ſpiritualis diſcernit omnia.* 1 *Cor.* 2: 16. docetur quod *omnes à Deo docti ſumus.* Nemo ergo prærogativa gaudet in Eccleſia Novi Fœderis ad alios docendum; aut quippiam Cœtui Fidelium proponendum, quod ſimul non debeat oſtendere clarum & revelatum eſſe. Atque ita clavis ſcientiæ hodie omnibus fidelibus communicata eſt: quod illi omnes ſint Filii & liberi Eccleſiæ: etiam Dei diſcipuli, *Eſaj.* 54: 13. Ita ut etiam id, quod in Eccleſia Dei docetur; ſciatur, ut per revelationem ingenio noſtro factam, *Philipp.* 3: 15. *Quod ſi quid aliter ſentitis, etiam hoc vobis Deus revelabit.* Nec Doctorum auctoritas hic valet, aut locum habet: quodvis doctrinæ animo regenito ſe patefaciens, omnes cogitationes abſorbet, quæ de auctoritate Doctorum in dubium poſſent revocari. Et certe, cujus utilitatis aut fructus humana auctoritas hic poteſt eſſe. Quum credamus Deum ipſum audire loquentem; ac quum ob evidentem illius ſermonis cognitionem credamus. Ubi ergo Deus ita teſtatur; ibi omnia humana teſtimonia ſupervacanea ſunt. Et ideo dicitur, unctionem cuncta ipſos docere, 1 *Joh.* 2: 27. *Et quod ſpiritualis homo omnia judicet.* Hoc

ubi

ubi valet: ibi Magiſtralis doctrina evaneſcit. Et nemo mortalium doctrinam illic obſignat; ubi Divina veritas conſcientiis humanis ſe manifeſtat. Quapropter etiam Deus nullam perſonam aut Collegium ſub Novo Teſtamento indicavit, ad quod nos conferre debemus: ut veritatem ex ejus ore diſcamus, aut intelligamus. Atque illud velle adſtruere, eſt Judaiſmum, aut Papiſmum introducere. Caremus cathedra Moſis, aut Doctorum. Nobis Doctores non dantur, quæ ante noſtram electionem noſtri ſint Doctores: aut cum poteſtate & auctoritate nos doceant: aut quibus non ferendum ſit, ut ipſos etiam doceamus: quique ita viciſſim ſe diſcipulis ſuis ſubjiciant, 1 *Cor.* 14: 30. 31. Itaque omnibus doctrina ſua probanda & corroboranda eſt S. Scriptura, & ſana ratione. Ita ut univerſa ipſorum vis & auctoritas docendi conſiſtat in convincendis animis, & revelatione veritatis conſcientiis humanis manifeſtatæ, 2 *Cor.* 4: 2. *Declaratione veritatis commendantes ſeipſos apud omnem conſcientiam hominum in conſpectu Dei*, ut auditor vi veritatis, non autem Doctoris auctoritate, convictus, pronus corruat; & agnoſcat, Deum in medio illius cœtus verſari; ubi veritas ita proponitur, 1 *Cor.* 14: 23. Et certe nihil ad probationem & confirmationem veritatis facit; an hoc fiat ab aliquo, qui à Cœtu Fidelium ad docendam & regendam Eccleſiam electus eſt; vel per alium quemvis. Et ideo ipſimet Apoſtoli nulla *auctoritate* in docendo uſi ſunt; nec locuti ſunt ut *Magiſtri*, qui cum diſcipulis ſuis non obſtricti diſputare; ipſis tantum facienda præſcribunt & dictant. Sed quemadmodum nullam dominationem exercebant in fidem Sanctorum, 2 *Cor.* 1: 24. ſic etiam non ulteriorem obedientiam doctrinæ ſuæ poſtulabant, niſi quatenus auditores ipſam probarent, verſ. 13. *Non enim alia ſcribimus vobis, quam quæ legitis, aut etiam agnoſcitis: & ſpero vos etiam ad extremum agnituros.* Et 1 *Cor.* 10: 15. *Ut prudentibus hæc loquor: vos ipſi judicate quod dico.* Ideo non imperant in docendo; ſed precantur cum lachrymis, 2 *Cor.* 5: 20. *Act.* 20: 31. Si itaque Apoſtoli nemini ullam doctrinam injunxerunt, forma expreſſi mandati, quanto minus hoc convenit hominibus & Collegiis, quæ erroribus ſunt obnoxia.

Etiam nuſquam legimus; Deum nos ſpecialiter velle regenerare per ſermones hujus aut illius perſonæ, aut Collegii perpetui: in cujus ore ſermonem illum ſpecialiter collocavit. Quod tamen neceſſe erat, ſi Prædicationis & doctrinæ certarum perſonarum talis ratio habenda foret. Aut an quivis Doctorem illius Societatis, in qua educatus eſt, ſequetur: eidemque illas prærogativas adſcribet, quas nonnulli Concionatores Eccleſiæ Reformatæ ſibi vindicant & arrogant. Verum hoc pacto doctores omnium Sectarum eandem poteſtatem habituri ſunt.

Nuſquam in Novo Fœdere docetur: *Huic aures præbe, non autem aliis, ob vocationem*, 2 *Cor.* 10. Apoſtolus cum quibuſdam falſis Apoſtolis diſputat, non peculiari aliqua vocatione aut auctoritate nixus: ſed cognitione, miniſterio, fide, & diligentia. Sic contra falſos Apoſtolos diſputat, 1 *Cor.* 11. Sed nullibi dicit, ipſos indignos eſſe miniſtros, quod non à quapiam ſingulari Eccleſia ſint vocati. Verum quidem, Chriſtum *Joh.* 10. dicere, illum Paſtorem, qui non per veram januam ovile ingreditur, furem eſſe. Sed per januam illam nihil aliud intelligendum eſt, quam vera Euangelii doctrina; de qua Doctor non plene confirmatur per vocationem, aut manuum impoſitionem vulgo, ab hac illave Eccleſia: ſed per vim argumentorum; & lumen veritatis animum ejus illuſtrans. *Qui credit in Filium Dei, is teſtimonium habet in ſemetipſo.* Et ſi nulla Eccleſia, aut Collegium à Deo ſit erectum, cui doctrina veritatis ſit affixa: atque ſi ergo verum

Ovile non aliter poſſit cognoſci, niſi ex doctrina, & alimento, quod Ovibus exhibetur. Non alio modo poſſumus cognoſcere, quis Bonus ſit Paſtor: quæ vera Janua: & quænam veræ Oves, quam per veritatem doctrinæ.

Quum itaque in Doctoribus, quos *ordinis cauſa* inſtitutos cenſemus, (id eſt, Deus voluit; ut nemo ad Prædicationis munus accederet, quam eo vocatus: quamvis Chriſtianis omnibus liceat in id incumbere, ut ad illud idonei fiant. Sed Deo ordinis gratia viſum, ut nemo officium iſtud ſuſcipiat, quam qui ad id vocatur) nihil amplius ſit, quam in reliquis Chriſtianis, *qui Chriſtum agnoſcentes, etiam compacti ſunt charitate, & in omnes divitias plenitudinis intellectus, ad agnitionem myſterii Dei, & Patris, & Chriſti, Coloſſ.* 2: 3. Et ideo ii non tenentur aliorum *diſciplinæ* ſe ſubjicere: quoniam non minus ſancti, & Spiritus Dei participes ſunt. Contraria doctrina illam libertatem evertit, in qua per Euangelium conſtituti ſumus. Jubemur conſiſtere in ea libertate, in qua nos Chriſtus collocavit: nec jurare in aliquorum verba: nec permittere, ut alligemur doctrinæ & beneplacito aliorum. Sic ut hodie nulli perſonæ, aut Collegio jus ſit *dicere*, aut *determinare* auctoritate quadam; hoc vel illud *verum*; aut *ſanctum eſſe, aut Deo placere, Gal.* 5: 1. *Coloſſ.* 2: 18. 1 *Cor.* 7: 23. Et ideo Novi Fœderis ſtatus ubique *Regnum Dei* appellatur. Et promiſſa libertas ſub Novo Teſtamento liberationem complectitur ab omnibus Poteſtatibus & Legiſlatoribus terrenis: & vindicationem Gregis ab illis Paſtoribus, qui cum auctoritate & dominatione Oves paſcunt. Ut ſolus Deus noſter ſit Paſtor, *Ezech.* 34: 10, 11. *Jer.* 31: 33. *Hebr.* 8: 10. 1 *Petr.* 5: 2. Et ideo omnes canones, decreta, deciſiones Claſſium & Synodorum, quatenus *ſpiritualia* & mere Eccleſiaſtica ſunt, & à regimine Politico ſeparata, non majoris apud Chriſtianos debent eſſe ponderis, quam nudæ *declarationes* fidei & ſententiæ iſtorum, qui in Concilio eo præſentes, decretis iſtis aſſentiuntur. Et falſus Propheta à nobis ducendus eſt, & Diaboli ſpiritus; qui urget & inſtat, ſuâm doctrinam, (quanquam etiam vera foret) admittendam eſſe: ni ejus rationes det, aut eandem cum rationibus Cœtui proponat. Hoc enim non eſt docere; nec miniſterium in Eccleſia Dei, ſed Magiſterium ibidem exercere; & conſtitutiones expreſſaque mandata dare. Quivis, ſive ille ſit Doctor, ſive Membrum, de doctrina ſua pro captu ſuo ſtatuat: & eandem tam bene fundatam, & tanti ponderis eſſe judicet, quam de ea in conſcientia convictus eſt: eamque alios doceat, & inculcet, ut doctrinam Dei Verbo conformem: ac eo fundamento demonſtret, alios obligari illam ſuſcipere. Sed per formam *mandati*, quod à majori poteſtate & auctoritate deſcendat, iſtam aliis proponere: in Reformatis Eccleſiis inauditum eſt.

Abſurdum itaque, ne quid gravius dicam, quoſdam inter Doctores tam Magiſtraliter teſtimonia ſua de veritate aut falſitate, Sanctitate aut heterodoxia alicujus doctrinæ, aut libri dare: nullis ibi rationibus, aut S. Scripturæ locis additis. Nec minoribus ineptiis peccant, qui Decretis & deciſionibus Claſſium & Synodorum reliquos Chriſtianos invadunt; volunt eos iſtis ſubjici; antequam ipſos, non dico, convicerint; ſed priuſquam informare de veritate, aut inſtituere ſtuduerint. Quinimmo illi, qui ſine ſuffragio populi dictaturam exercent, ut ipſorum opinio in Eccleſia valeat, hi ſunt: qui omnes collationes fugiunt: & id unice agunt, ut magnas ſibi catervas eorum comparent, qui ineptiſſimi ſunt ad judicium de his ferendum: & ita numero non pondere ſuffragiorum certent. Atque Eccleſia monenda eſt, ut liberum ſuum ſtatum plene addiſcat agnoſcere: nec ſe auctoritati humanæ dedere, ſervorum more

more: ſecundum judicium alterius, ſeu Doctoris, ſive privati Membri, ſententiam ſuam ferre; partibus ſe addicere; proximum iis prægravare: & dignitatem liberi Chriſtiani illa contumelia afficere; ut ſpiritu & ſententia aliorum, quaſi ipſorum magiſtri forent, & in doctrina obnoxii, ſe ſinant circumagi. Multo magis ipſi cavendum, ne per negligentiam excitandi ſua dona, & glorioſum ac liberum illum ſtatum; in quo Deus eam conſtituit, bene perpendendi, tuendi, & conſervandi; in iſtum ſui contemptum incidat, ut fingat ſe nullam cogitationem bonam; aut rectam diſpoſitionem in animo; aut felicem ſtatum apud Deum; aut confirmationem in fide poſſe conſequi: ni Doctorum miniſterium intervenerit. Hæc non eo dicuntur, quaſi ordinem ex Eccleſia velim tollere. Cenſeo, quemlibet, qui Membrum Eccleſiæ ſe adſcribi paſſus eſt, eatenus ſe judicio Eccleſiæ, Claſſis, Synodique ſubjicere; ut ordini & Eccleſiaſticæ cenſuræ, juxta ſententias Doctorum & Moderatorum Eccleſiæ parere neceſſe habeat: ſi de æquitate & veritate judicii ipſorum ſit perſuaſus. Sin aliter ſentiat, ne eidem ordini & deciſionibus repugnet: ſed ſeparet ſe; & iis adjungat, apud quos ſperat ſe melius ſalutem ſuam operaturum.

Etiam in opinione iſta, nimirum in Concionatorum doctrina; conſolationibus; adhortationibus; claudendo, & recludendo Regno Cœlorum; benedictionibus, quæ Cœtui fidelium fiunt, & conjugiis, auctoritatem ullam eſſe, quæ externis ſignis vocationis, & adminiſtrationis ejuſdem muneris nitatur; tanta reſidet abſurditas, ut ſemetipſam deſtruat. Nam ut propius pedem conferam, & preſſius urgeam, primo; quinam ſunt illi Doctores, qui cum auctoritate inſtituant? Nempe *orthodoxi* ſunt. Verum qui illi? Et quis eos deſignavit? Si per doctrinam nobis de auctoritate ipſorum judicandum ſit: & ſi is characterem Legati Dei ad populum habeat; qui Domini ſui & Magiſtri opinionem fideliter proponit. Sequitur inde; nos illius doctrinam prius cognoſcere, quam poteſtatem, & auctoritatem docendi. Atque iſta doctrina Doctoris pro bona æſtimata, & in animum bene demiſſa, efficacius nos afficit, quam omnis poteſtas & auctoritas, quæ ab adverſariis noſtris Doctori ineſſe dicuntur: & qua auctoritate fideles facile carent; quia poſt agnitam veritatem nullius eſt uſus. Deinde num etiam alius Doctor auctoritate illa, de qua jam diſputatur, præditus exiſtit, quam qui Veræ Eccleſiæ Doctor eſt? Ac an penes illos ſolos Doctores poteſtas & auctoritas docendi reſidet. Verum hoc perinde eſt, ac ſi diceres Viro ſapientiſſimo imperium in omnes reliquos homines competere; nec interim aliquem demonſtres, qui ſapientiſſimus ſit; *quique per ſigna externa poſſit cognoſci: quemadmodum ſubjecti Regem ſuum cognoſcunt.* Cujus quæſo uſus eſt, declaraſſe, ejuſmodi poteſtatem Dei in mundo eſſe: cum cujuſvis judicio relinquitur, hunc vel iſtum pro ſapientiſſimo habere: & poteſtas ea non tam in illo præcedit, quem ſapientiſſimum judicamus: ſed illa poteſtas judicium noſtrum potius ſequitur; ac per noſtrum judicium in ipſo collocatur. Si dicas, nihilominus ante jus illud ſapientiſſimo viro competere: non conſiderato, an eum pro ſapientiſſimo habeamus, nec ne. Quale quæſo illud jus eſt, quod nemo in conſcientia agnoſcere tenetur, niſi qui de eo perſuaſus ſit? Quæ illa auctoritas, aut poteſtas in alio, quæ à meo judicio tota pendet? Imo quæ non ſolum à meo judicio pendet; ſed quæ cognita nullum ſum præſtat. Nec enim Doctoris *auctoritas* facit aliquid ad illum convincendum, ſed ſequitur iſtud. Et tum porro quæritur, quouſque, & in quot capitibus & articulis Doctor à nobis orthodoxus ſit judicandus; antequam is pro Doctore cœlitus miſſo habendus ſit. Et quum ſemel

mel ipſum reſpectu illorum articulorum recepimus, ulterius quærendum; quouſque auctoritas ejus & mandatum, ut Legati Dei, ſe extendat, quantum ad multas alias fidei controverſias, quæ quotidie emergunt. Aut etiam propter eos articulos, in quibus noſtra, aut illius, quem ut Dei Legatum admiſimus, fides & ſententia immutatur. Mira quidem Legationis ſpecies, & litterarum aſſertoriarum (quæ vulgo credentiæ vocantur) ubi perſonæ, quibus cum Legato iſto quid tractandum, mandatum Legati, & fidem in negotiatione, non fundant in literis aſſertoriis; ſed in noſtra fide, ipſum omnia emergentia negotia expedire ſecundum Domini ſui inſtructionem & mandatum. Nec cujus poteſtas & character ex mandato profluit, quod ei à Domino ſuo datum: & qui vi illius mandati pro Legato cognoſcitur & agnoſcitur: ſed qui ideo pro Legato ſuſcipitur; quod inſtructionem ſuam, ex cujus præſcripto ipſi agendum, interpretatur & explicat, prout illi explicant, ad quos miſſus eſt. Ita ut pro Legato recipiatur, non ob literas aſſertorias, & alia, quæ extrinſecus cognoſci poſſunt: ſed ex propoſitis, quæ facit. Quum ex aliis ſignis de ejus mandato non liqueat: quaſque propoſitiones quivis facere poteſt, dummodo aditus ipſi ad Regem pateat: ac quem aditum quilibet, (quum omnes Deum in Verbo ſuo loquentem audire poſſimus) æque ac hic, qui pro Legato ſe gerit, nanciſci poteſt.

Velim quidem etiam ulterius illuminari & inſtrui, an Doctoris auctoritas etiam eouſque ſe extendat, ut valeat etiam, quum libros conſcribit: curru, aut navi vectus ad pietatem adhortatur & inſtruit: ægrotis decumbentibus commemoratione juſtitiæ divinæ animum terroribus repleat, aut quidem eos minatur & conſolatur? Quid de auctoritate Doctoris cenſendum ſit, qui in fundamentali errore hæret: aut qui Doctores ſunt Eccleſiarum, quas non poſſe tolerari credimus, & cum ipſis fraternitatem exerceri? Licet enim videatur nullam auctoritatem in talibus eſſe agnoſcendam: ratio tamen nobis eſt credendi, quoſdam Doctores hoc non ita intelligere: quod recenti memoria Doctores Membra quædam cujuſdam Societatis, à Publica Eccleſia ſeparatæ, onerarent; & moleſtias crearent, quod non crederent Excommunicationis fulmen, occluſionem & apertionem Cœli: quod à Doctoribus ſeparatæ iſtius Eccleſiæ fiebat, cum *auctoritate* fieri: nam quidam Doctores, & quædam membra in illa ſeparata Eccleſia non poterant aliis ejuſdem Eccleſiæ Doctoribus & membris ſuffragari, nec credere, apud eos hujuſcemodi jus clavium eſſe. Ob hanc opinionem à nonnullis Doctoribus publicæ Eccleſiæ accuſabatur, quaſi iſthæc ſeparata, & in Republica hactenus tolerata Eccleſia novo teneretur errore; quique inter alios forent reprimendi. Atque ideo hoc expreſſe inter alias quæſtiones relatum erat; ſuper quibus ſuſpecta Membra & Doctores declarare ſe tenerentur. Ita ut Doctores publicæ Eccleſiæ, quibus cura hujus rei erat, crederent, ſingula Membra ſeparatæ illius Eccleſiæ hoc de Paſtoribus ſuis cenſere, obſtringi. Itaque arbitrabantur jus Clavium Doctoribus Eccleſiæ ſeparatæ competere. Quæ enim ratio poſtulandi, ut quidam Doctores & Membra iſtius Eccleſiæ hoc declararent: quum publicæ Eccleſiæ Præſules, qui quæſtiones has nonnullis Paſtoribus & Ovibus Eccleſiæ, quæ divortium à Publica fecerat, proponerent; non putarent, ſeparatam eam Eccleſiam jure illo Clavium carere, idque credendum membris omnibus illius ſeparatæ Eccleſiæ: alioquin illam Eccleſiam impuriorem habendam ſi à fide hujus articuli ſeſe ſejungeret. Si dicas, ipſos jus Clavium habere, quum eo bene utuntur: perinde eſt, ac ſi dicas, aliquem eſſe fide dignum, quando veritati litat. Aut cuidam in alios eſſe imperium; qui ſolum *juſte regendo* poteſtatem

teſtatem iſtam adipiſcitur: & ubi illi, quibus parendum eſt, non ulterius iis obligantur; quam quatenus iſta ſuo judicio legitima ſunt. Quæ peculiaris hæc poteſtas eſt? Et nonne illa ſingulis Membris competit? Excepto; quod hæc reſponſio non conveniat huic caſui. Eſto enim, ſeparatam illam Eccleſiam non eſſe veram Eccleſiam: tunc caſus hic non poteſt fingi; bonum Clavium poſſe eſſe uſum in illa Eccleſia.

Poſſet etiam quæri; quid credendum foret de auctoritate eorum Paſtorum, qui ab Eccleſia tantum electi ſunt: non autem impoſitionem manuum & confirmationem acceperunt? atque ita *conſecrati* non ſunt? An etiam apud eos clavis ſcientiæ & Regni Cœlorum ſit. Si hoc verum foret, dicendum, penes Plebem Eccleſiaſticam & ſingula Membra Clavem illam reperiri. Qui enim per Electionem à Plebe jus Clavium Doctori poſſet dari: ſi apud ipſam jus illud non *reſideret*.

Num forte etiam verum; Deum iſtud jugum Chriſtianis impoſuiſſe, ut per os Præconis in Concionibus ejus ſint docendi: & ejuſmodi Doctrinam ſpecialiter à Deo confirmari; ac ipſos ſpeciali reverentia erga iſtum docendi modum debere affici, quamvis res exigui momenti doceret, & auditor ejus Magiſter & Doctor poſſet eſſe. Videtur mihi æque levi ratione niti: quam ſi quis, qui probe calleret legere & ſcribere, tamen lege obſtringeretur ſingulis diebus adire Magiſtrum, ut id addiſceret, licet ſæpius melius pingeret ſuo præceptore. Cenſeo itaque Chriſtianis curæ eſſe debere, ut quam ſæpiſſime concionibus interſint, ad celebrandam communionem Sanctorum; & ob preces publicas: non autem tam doctrinæ gratia, propter multos; qui jam ſubacti ſunt in diſcernendo bono & malo. Ratio etiam reddenda eſſet; quare magis teneremur Concionem Præconis quam prælectionem Profeſſoris Theologici frequentare: ubi tamen multi raro præſentes ſunt. Adverſarii nullum allegant Scripturæ locum, unde pateat; Deum peculiariter per verbum à Paſtore prædicatum nos velle regenerare, & Spiritum Sanctitatis nobis impertiri. Eſt etiam craſſa & admodum carnalis opinio, doctrinæ, quæ fit ex ſcripto, minorem ineſſe veritatis probationem, quam in eisdem verbis eſt, quum viva voce pronunciantur. Eadem verba à Paſtore prolata magis convincere: quam quando ipſa à privato Chriſtiano pronunciantur. Præterea velim mihi explicari; quid proprie per prædicationem ſit intelligendum. Et an prædicare, ex uſu Verbi Divini, ſignificet Sermonem ad Congregationem Fidelium habitum? Quod equidem non credo. Habetur quidem *Rom.* 10. *Qui credent, quum ipſis non prædicatur.* Sed abſurdum hoc intelligere ea de prædicatione, de qua nunc nobis ſermo. Apoſtolo ſolum animus eſt demonſtrare; vocationem Ethnicorum ad Communionem Euangelii non fieri niſi voluntate Dei, & Ejus mandato. Quare neminem Gentiles ad Communionem Chriſti poſſe invitare, quando Deus id non præcepiſſet. Exprimebat illud Apoſtolus per hæc verba; *qui prædicabunt, quando non ſunt miſſi.* Aut dicendum eſt; verba ibi fieri de miſſione Apoſtolorum: qua cum miſſione vulgarium Doctorum in Eccleſia conſtitutio, eorumque continuata ſucceſſio nihil commune habet. Quum itaque Deo placeat, ut Pagani gratiæ Chriſti eſſent participes: voluntas illa Dei, & Euangelium ipſis erant annuncianda, ſi credituri forent: & ad quam Fidem Deus Ethnicos ab omni ævo prædeſtinaverat. Hocque Apoſtolus ſequentibus verbis exprimit: *quo pacto credent; quum iis non prædicatur.* Per verbum *Prædicare* annunciationem Euangelii ſignificans; ſive ore illud fiat; ſeu per epiſtolas; ſive per privatas admonitiones. Et quod 2 *Cor.* 18. dicitur, *Deum miniſterium propitiationis Apoſtolis dediſſe:* id aut ſingulare quid eſt; & Apoſtolis pro-

proprium: aut omnium Chriſtianorum eſt, *adminiſtrationem conciliationis* hominis peccatoris cum Deo per Euangelii doctrinam in ſe ſuſcipere: ſicuti quemvis decet Chriſtianum proximo viam ſalutis indicare: & Euangelium, quod in ſe miniſterium propitiationis complectitur, annunciare. Licet non quemque Chriſtianum deceat ſe in Eccleſia pro *Doctore* gerere: ſed per legitimam vocationem ad munus illud ſit vocandus.

Quod allegent textum *Act.* 6: 4. *Verum nos Apoſtoli perſeverabimus in precibus, & in miniſterio Verbi:* nullius eſt ponderis. Quoniam non negatur, rationem & ordinem requirere; ut quis, qui aptus eſt ad docendum, in eo ita *vacet*; ne per munera minoris fructus inde *avocetur*. Sed quid facit hoc ad probationem ejus: nempe ſpecialem poteſtatem, auctoritatem, & *characterem* in Prædicandi munere ita ineſſe: ut nihil commune habeat cum docendi officio ſingulorum Chriſtianorum, quo tenentur omnes fratrem & proximum erudire & hortari ad pietatem: quod tam alienum à veritate, quam abſurdum eſt tueri Eleëmoſynarum diſtributionem, quæ à Diaconis fit, nihil commune habere cum illa, qua ſinguli Chriſtiani defunguntur. Privata autem Membra, Paſtorem eligentia, eo ipſo ſe non privant jure docendi alios, & ad pietatem excitandi: non magis, quam ſinguli ſubjecti Magiſtratum eligentes, non idcirco renunciant juri domeſticas res adminiſtrandi; quatenus natura, & jura imperii illud concedunt. Et Imperium Magiſtratuum, & privatorum eſt eadem Regiminis forma: quamvis illa ob certas rationes à Deo dicatur profecta: hæc autem ex hominibus oriri.

Diutius hiſce immoratus ſum: quia *error*, qui circa id negotium in Eccleſiis noſtris Reformatis committitur; & qua Doctorum, qua auditorum, tantus eſt, ut non ſolum religionem in eo collocent: atque ita *opus* iſtud *operatum* pro parte Religionis ſumant: ſed quod videantur eo totam Religionem comprehendere. Atque ita in noſtris Eccleſiis, Paſtores concionando, Membra auſcultando peculiari modo arbitrentur Deum colere. Et ut huic *operi operato* major tribuatur dignitas: Paſtoribus in eo Miniſterio prædicandi verſantibus *Divinam* quandam auctoritatem adſcribere conantur, mandatum & commiſſionem: qua ipſorum verba, qualitate iſta Doctorum prolata, conſideranda ſunt, ut alius omnino *valoris* & effectus: quam quando eadem à privato Eccleſiæ Membro pronunciantur. Quinimmo expreſſe docemur, Membra teneri judicium Doctoris de quæſtionibus fidei ſequi, quum Doctori ſuam opinionem non poſſunt perſuadere. Ac jam eo perventum eſt, ut omnes, qui huic *opinioni* repugnant, pro magnis hæreticis & hominibus *profanis* palam deprædicentur: qui prædicandi munus ex Eccleſia volunt abolere, & ſanctam Dei inſtitutionem, quæ ad exædificationem conſcientiarum tot hominum ſimplicium conducit, evertere: poteſtatem autem & mandatum docendi omnibus communicare: atque ita *confuſionem* & perturbationem rerum in Eccleſiam Dei invehere. Quum tamen illud nunquam nobis in mentem veniat. Ac concionandi officium Divina cenſeatur eſſe conſtitutio (veluti Magiſtratus munus eſt) & maximi fructus in Eccleſia Dei: & præcipue iis utile, qui magis ex auditu concionis ædificantur; quam ex Bibliorum lectione; nec non probati alicujus Scriptoris. Quiſque hac in re ſemetipſum exploret. Præterquam quod docti indoctique; pueri atque viri in Spiritualibus, communionem Sanctorum; & conjunctionem multarum precum obſtringantur exercere. *Hebr.* 10: 25. *Ne mutuas noſtras conventiones omittamus; quemadmodum quibuſdam mos eſt*, &c. Verum hac de re ſatis diſputatum ſit. Porro continuabimus tractationem de *ſuperſtitione*.

Gene-

Generalia jam fundamenta dedimus; unde de *ſuperſtitione* poſſit judicari. Sed quoniam à multis hac in re erratur, & multa *ſuperſtitioſa* habeantur, quæ proprie non ſunt; & quia per ignorantiam illam multa ſchiſmata oriantur: etiam in ſpecie quædam de ea dicemus.

Primo, non eſt *ſuperſtitio*, quum Chriſtiana Eccleſia nonnulla *ſymbola* inſtituit & uſurpat, quibus ſpiritualis aliqua res exprimatur. Veſtis alba Paſtoris, quum concionatur, ut puritas denotetur, ad quam ſpecialiter adſtringitur, proprie & *in ſe conſiderata*, non eſt *ſuperſtitio*. Etiam crux templo impoſita, aut ſepulchro: quum eo tantum indicare volumus; templum Chriſtianis eſſe locum conveniendi: & perſonam, cujus cadaver ibi conditum, in fide in Chriſtum mortuam eſſe. Nec etiam ad *ſuperſtitionem* referendum eſt, per ſignum crucis quidquam benedicere: ſi eo ſigno cogitationes noſtras exprimamus, quas habemus, in perſona in Chriſti nomine benedicenda: ita ut *ſignum* pro *multis* ſit *verbis*. Mille ejuſmodi *ſymbolorum* ſpecies in Papatu vigent, quæ proprie non ideo rejiciendæ ſunt, quaſi *per ſe ſuperſtitioſæ* forent: dummodo in iis Religionem non collocemus; nec facta ſint ſigna, in quibus ac per quæ putamus nos Deum colere: atque ita denuo carnalem Religionem introducamus; quemadmodum in Papiſmo hoc fit. Patriarchæ enim etiam ſub Veteri; & Apoſtoli ſub Novo Fœdere *Symbolis* uſi ſunt: verbi gratia; manuum impoſitione. Hoc autem per ſe malum non eſt: ut quivis concedit; & ratio ipſa dictat. Uſus enim *ſymboli* aut ſigni, ad ſpirituale quid ſignificandum, nihil aliud eſt: quam ſi quis inſcribendo *characteribus* uteretur: & *uno charactere multas res, aut verba exprimeret*. Res autem, uti dictum eſt, malæ fiunt; quum ex carnali Religione deſcendunt; in eam vertuntur; aut ſuperſtitioſe uſurpantur: quum in uſu iſtorum *ſymbolorum* ſanctitatem quandam nobis fingimus; & imaginamur, Deum per uſum eorum *ſymbolorum* peculiariter coli: & ejuſmodi cultum Divinum, qui per multa fit *ſymbola*, Deo acceptiorem eſſe. Periculoſiſſimum eſt multa *ſymbola ſacra* in Religionem introducere: quod Plebs Eccleſiaſtica, per externa duci ſolita, plurimum externis illis ſignis immoratur; & geſticulationibus & geſtibus ſe Deo ſuo ſervire arbitratur. Hoc autem cum fit, mera ſuperſtitio habet locum. Homines ſunt corrupti, & adeo carnales; ut ægre ſe ad iſtam ſpiritualem Religionem, quæ in Novo Fœdere ſola locum habet, attollere poſſint. Quum tamen aliquam Religionem exercere velint, in corporalem & irrationalem cultum Divinum incidunt, qui ab omnibus nondum regenitis facile adhibetur. Et cenſeo cunctos auctores omnium eorum *ſymbolorum ſacrorum* & *cæremoniarum* in Eccleſia hujuſmodi carnali ſpiritu ductos fuiſſe. Et qui à tali ſpiritu impulſi ſunt; plurimum illis ejuſmodi religio arriſit. Sed quoniam iſta cæremoniarum genera per ſe *ſuperſtitioſa* non ſint, non propterea factiones & ſchiſmata in Chriſtianis Eccleſiis, in quibus ea reperiuntur, facienda ſunt: quando nihilominus præcipuum retineri poteſt. Oculos hic conjicio in regnum nobis proximum; ubi propter paucas quaſdam *cæremonias* magna inter Chriſtianos viget aſperitas, animorum, & ſtudiorum diſſenſio, qui cæteroquin in capitibus fidei conſpirant. Ubi hujuſmodi *cæremoniæ* non exiſtunt; non opus eſt eas introduci. Et quum animadvertitur, nonnullos illis abuti, abrogandæ ſunt, quantum commode fieri poteſt. Commode abrogare appello; quum majore cum fructu tolluntur, quam obſervantur. Et hoc pendet à judicio virorum piorum & moderatorum.

Inter *ſuperſtitionem* etiam non numerandæ res corporales, quæ ab hominibus repertæ ſunt ad animos hominum melius ad *devotionem* præparandos, aut in ea detinen-

tinendos. Præſertim quum res iſtæ natura ſua animum hominis ad tranquillitatem, quæ animi diſpoſitio in Divino Cultu deſideratur, adducunt. Exempli gratia, nigræ veſtes; cantus modeſtus & gravis; blandiens, aut mentem commovens vox inter orandum, aut Verbum Dei legendum; certus corporis ſtatus: quæ fere apud omnes nationes modeſtiam & gravitatem exprimunt. Ad has res omnes illæ actiones, & formulæ loquendi referendæ, &c. quæ fere quaſi naturaliter profluunt ex *religioſa* quadam animi *diſpoſitione*; ut ſunt gemitus; genuum flexiones; erectus corporis ſtatus inter preces; femoris, aut pectoris percuſſio præ dolore, quod Deum offenderint. Satius quidem fuiſſet res illas per Eccleſiaſticas conſtitutiones Cœtui Fidelium in publico Cultu Divino non præſcripſiſſe: & id libertati cujuſvis Membri Eccleſiæ reſervare: quum illud non magnam confuſionem; & inde contemptum Religionis deſcendentem inferret: exiſtimo autem Eccleſiæ Rectores non facile eò venire debere, ut externos geſtus in Chriſtianorum cultu legibus moderentur: quia res illæ per leges & conſtitutiones mandatæ, non ſemper cum illa animi Chriſtianorum *diſpoſitione* conjunctæ ſint: unde externas illas actiones ut naturales oporteret procedere, & cujus ſigna ſunt: ita ut res eæ, ab interna mentis diſpoſitione ſeparatæ, tum *actiones* fiant ſine anima: & pro cæremoniis, quinimmo pro parte Religionis habitæ, in præſtigias riſu dignas degenerant. Quemadmodum novimus conductos illos ploratores, qui apud cadaver, quum efferretur, acerbe flebant, tandem abolitos eſſe; quod res foret riſu digniſſima.

Credo tamen bonam intentionem, ad ædificationem Eccleſiæ facientem, & ad defenſionem bene *conſtitutæ publicæ* Religionis, multas hujuſmodi externas actiones & mores in Eccleſiam Dei introduxiſſe; & ibidem adhuc retineri. Et iſtæ potiſſimum ſunt res & actiones illæ, quæ ſunt ſigna diſpoſitionis animi, qui *fingitur* in quovis Chriſtiano eſſe debere, quando cultui Divino vacat: veluti ſunt; reverentia erga Verbum Dei: humilitas, quum inter preces coram Deo comparemus: etiam ſedatus animus & conſideratus, pœnitentia, reſipiſcentia; animus contritus ob peccata, &c. quorum communia externa ſigna non ſine ratione per Eccleſiaſticas conſtitutiones Plebi Chriſtianæ cum fructu præſcribi poſſunt: veluti ſtatus; aut genuum flexio inter orandum: ſi Sacra Pagina legatur, capitis detectio: nullarum ſacrarum cantionum in Eccleſiam Dei admiſſio, quam quæ certam metri & toni ſpeciem contineant, v. gr. tardiores modos & remiſſiores cantus.

Huc allego etiam certas precum *formulas*, quæ in publico Cultu Divino uſurpantur. Multi putant, ſpiritum Doctoris per illas *formulas* nimium adſtringi. Nec etiam omnibus temporibus, occaſionibus, & perſonis poſſe applicari. Ut eis irrationalis & carnalis Religio in Eccleſia Dei exiſtat: per quas à Deo rogantur res non neceſſariæ eo tempore: nec ulla fit mentio rerum, ad quas Dei benedictio ſummopere requiritur. Verum hæc *incommoda* nulla ſunt; aut facillime *vitanda*. Non majus eſt incommodum, Paſtorem formula precum in publico Divino Cultu obligari: quam Auditores orationi Præconis adſtringi. In precibus publicis aliarum rerum non eſt facienda mentio, quam in quibus Cœtus Chriſtiani officii cauſa conſentit, & in quibus unanimis & unius affectus debet eſſe. Ac ideo Doctor vel Ductor de nullis rebus in precibus publicis verba facere debet, ad quas ſingula Membra Eccleſiæ non poſſint dicere *Amen*. Etiam ex animo poſſumus orare, licet Concionatores preces ex propriis cogitationibus non forment. Infinitæ abſurditates fiunt, quum Paſtor nulli formulæ devinctus eſt. Sæpenu-

penu-

penumero orationi ſuæ ejuſmodi res immiſcebit, quæ ſingulares ſolum opiniones in Religione complectuntur, in quibus Membrorum Eccleſiæ libertas confeſſione fidei non eſt imminuta, & quæ opiniones ideo in Eccleſia tolerantur: quæ Eccleſiæ Membra itaque ab illius, qui in precando verba præit, ſententia diſcrepantes cum Paſtore non poſſint orare; nec preces ejus confirmare voce *Amen*. Si aliquid in Formulis reperiatur, quod non ſemper quadret: facile id præteriri poteſt. Et quum Pſalmos Davidis canimus ordine; aut etiam promiſcue: non ſemper etiam ad rem facit, quod hic vel ille verſiculus ejus Pſalmi complectitur. Et qui formulas oppugnant, non gravantur ſingulis vicibus precationem ſuam Oratione Dominica concludere; quæ tamen Formula eſt.

Non etiam *Superſtitioni* adſcribendum eſt; quum ſpiritualis diſpoſitio mentis in metro, aut inſtrumento Muſico, ſive in privato, ſeu in publico Cultu Divino exprimitur, aut juvatur. In ſpirituali ſua Religione quid facere, quo ſpiritus & corpus exhilarentur, & animus ad cultum aptior reddatur, hoc nemo *Superſtitioni* imputare poteſt. Et ipſemet præcipit Jacobus, ut, ſi quis hilaris ſit, Deo Pſalmo canat, *Jacob.* 5. *Coloſſ.* 3: 16. inquit Apoſtolus, *Docete & commonefacite vos mutuo Pſalmis, & hymnis; & ſpiritualibus cantionibus, canentes Domino.* Si cantus in Religione ſit licitus: quare non etiam Organum; ac etiam aliorum Muſicorum inſtrumentorum uſus? Dummodo quiſque ſibi ab errore eo caveat, ne credat, Muſicam velut opus operatum etiam partem Divini Cultus conſtituere; quemadmodum ſub Veteri Fœdere.

Non etiam ſuperſtitionis loco habendum, quando, ut res certa in Religione in magno honore habeatur, & conſervetur, & ſi res id mereatur (nam haud dubie cunctæ Religionis partes non æqualem præparationem, & æqualem ſpiritualem animi elevationem deſiderant) quibuſdam ſingularibus externis ſignis & geſtibus utimur. Secundum naturam eſt, ut pretium illius, quod magnum & ſanctum ducitur, per externas aliquas notas teſtemur. Quia conjugium apud omnes moratiores gentes magni fit: etiam ab omni ævo, apud cunctas nationes moris fuit, ut illud cum nonnullis *ſolemnitatibus* celebraretur. Inauguratio, Coronatio Regum, &c. ſemper etiam magna cum *pompa facta*: & non verbis ſolum ſolemus alicui peculiarem quandam reverentiam exhibere: ſed eo ſemper externi nonnulli geſtus & cæremoniæ accedunt. Sic etiam in Religione ſub Novo Fœdere aliquas externas cæremonias cenſeo non omnino eſſe rejiciendas, quæ indicent magnam exiſtimationem, quam huic vel illi Divini Cultus parti deferimus. In multis Eccleſiis ſolet fieri, ut Verbum Dei ſolum detecto capite exaudiatur legi. Alii hoc faciunt, cum audiunt, vel legunt Decalogum. Sic reperiuntur, qui Sacramentum S. Cœnæ flexis genibus accipiunt: nonnulli ſolum ſedentes: quidam ſtantes. In aliquibus Eccleſiis ſolus Paſtor Panem & Vinum diſtribuit: in aliis autem etiam Presbyteri Vinum diſtribuunt. Non dubito, quin ex illis conſiderationibus, multi alii ritus, &, ut ita dicam, *cæremoniæ* in Chriſtianas Eccleſias irrepſerint, quas non auderem abſolute reprobare. Quanquam putem iſtas Eccleſias, quæ pauciſſimis utuntur, etiam minima pericula adire incidendi in *Superſtitionem*. Quoniam homini corrupto maxime proclive externis nimium inhærere; atque iis adeo occæcari, ut tales *cæremoniarum* ſpecies communiter ſine debita animi commotione fiant. Verum etiam ab altera parte in multis amore pacis conniverem: neque ob hanc vel illam *cæremoniam*, licet non optima ratione, nec fundamento foret nixa; dum vacaret *ſuperſtitione* (quod certe poteſt fieri) ſciſma in Eccleſia facerem: neque à Publicis Eccleſiis me ſe-

ſegregarem. Non plura hac de re dicam; atque ita hanc partem tractatus finiam.

PARS QUINTA.

Utrum peccatum Idololatriæ & Superſtitionis, quæ in Papatu committuntur, ejus formæ & pravitatis ſit, ut Summa Poteſtas Fœderatarum Belgicæ Provinciarum, qualibet in ſuo territorio, eaſdem ob magnitudinem mali, quod Idololatriæ illi & Superſtitioni ineſt, extra rationes Boni aut mali publici, quod ex ea tolerantia in Rempublicam poſſit redundare, non poſſit tolerare.

AD rem hanc in Tractatu ordine, & in meam ipſius, & aliorum inſtructionem, quorum intereſt, deducendam, quædam præmittam. *Primo*; in Papiſmo *Idololatriam* in ſpecie committi. *Deinde*; *Idolomaniam* Papiſtarum non tantam eſſe, quanta eſt Ethnicorum. *Tertio*; Eccleſiæ Romanæ ſectatores revera quidem *Idololatriam* committere: verum ipſos negare iſta *formalia*, quibus aliquid pro Deo colitur, quod revera non eſt Deus: atque ita pernegare aliquid pro objecto *adorationis* ſuæ ſumere, quod *diſtincta* ſigna habeat in Pontificiorum intellectu, quibus à Vero Deo diſtinctum eſt. Quod tamen omnes Pagani in ſua *idololatria* concedunt. Quoniam negant ſe illum Deum colere, quem nos per *certas notas* ſecernimus ab omnibus *falſis* Diis. Pontificii autem in Miſſa ſub intellectu *verorum ſignorum* ejus, quod reipſa Deus & adorabile eſt, quippiam reipſa adorant, quod revera non eſt adorabile: quia ad veras notas illius, quod pro Deo adorandum eſt, *falſa ſigna* addunt, quæ deſtruant (ſine tamen ipſorum intentione) prædictas veras notas; & faciunt, ne poſſint quadrare in iſtud verum Numen, quod adorare præ ſe ferunt. At gentiles præter hoc ſub notis & ſignis falſorum Deorum; & per iſtas notas & ſigna juxta ipſorum Gentilium ſententiam, à Deo Chriſtianorum diſtinctorum, (quia negant illum eſſe Verum Deum, qui ſuis notis & ſignis à Chriſtianis pro vero Deo declaratur) idolum adorant. In prioribus hujus Tractatus partibus actum eſt de rebus iis, quæ enunciatum hoc illuſtrent. *Quarto*, *Idololatriam* in Papiſmo magnum eſſe peccatum, quod quidem per maximum errorem fit: non tamen ita *peccatum* eſt *contra conſcientiam*, ut ſcientes ſe in illo cultu peccare, tamen contra propriam conſcientiam eandem committant, atque in ea perſeverent: quum tamen *idololatria* Judæorum non fuerit ejuſmodi peccatum. Ita ut per contumaciam contra expreſſa mandata; quinimmo contra expreſſa ipſorum promiſſa, probe ab illis intellecta, proque iis admiſſa, *idololatriam* committerent, ac ita per *contumaciam*, & data velut opera peccarent. Non dico hæc, ut peccata Papiſticæ idololatriæ extenuem: ſed alias ob rationes. Ignorantia enim ſæpe peccatum coram Deo auget; quia alias ſtupidi longe feliciſſimi forent. *Quinto*; Deum iſtius regionis incolas velle punire, ubi peccata non convenienter prohibentur & arcentur. *Sexto*; legitimum eſſe morem in Chriſtianiſmo, quaſdam peccatorum ſpecies amovere; corporalibus pœnis & mediis ad id adhibitis: quod Mennonitis opponimus. *Septimo*; Magiſtratuum officium eſſe, non ſolum illa peccata per vim prohibere, quæ *immediate* pacem Reipub. turbant: verum etiam alia commiſſa, quorum frequentia, orta per corporalium pœnarum neglectum contra eadem exercitarum, Deus minatur ſe Terras ob omiſſionem Magiſtratuum puniturum. An peccata *idola-*

latriæ Pontificiorum etiam inter illa ſint numeranda, poſtea diſquirendum erit. *Octavo*; varias rationes & cauſas poſſe exiſtere, quare Chriſtianus Magiſtratus malum aliquod, quod extra illas rationes non liceret tolerare, in ſuo Imperio poſſit non prohibere nec punire: quas præcipuas & ad rem facientes rationes enumerabo.

Primo; Magiſtratus malum aliquod ex neceſſitate impunitum dimittere, & etiam non prohibere poteſt: nempe, cum accidit, ut prævideamus, per pœnam & prohibitionem mali corporalibus mediis gravem & in perniciem Reipublicæ redundaturam calamitatem Statui imminere. Hoc pacto David non puniit cædem Joabi. Et Chriſtus concedit, ut abſtineamus ab admonendo proximo: ac commendat id, ut cum prudentia ad illud munus progrediamur; & tunc ab eo abſtineamus, cum juſtus metus eſt, ne per admonitionem noſtram acerbam ejus iram in nos excitemus. *Ne roſas objicite porcis, ne contingat, ut ſe convertentes vos dilanient.* Jus puniendi propter homines eſt: non autem homo ob pœnam. Ut non ſit Magiſtratus officium, malum per mulctas & alias pœnas prohibere, quum hoc cum interitu Reip. commixtum foret. Nemo ſe obſtrictum arbitratur, ut gubernatorem ob commiſſum ſcelus in mare præcipitem det; quum videt, ſi careat gubernatore, navim ſcopulo illiſum iri. Hæc res alibi latius tractata eſt. Neceſſitates variæ ſunt: unam autem adferam, quæ ad quæſtionem referri poteſt, quam in manibus habemus. Quum, ad nos contra hoſtes defendendum, quibuſdam hominibus, aut locis, & propugnaculis, vel etiam reditibus & emolumentis carere non poſſumus: verum ea neceſſaria judicantur ad noſtram tutelam; licet iſtis commodis nobis frui non liceat: niſi quædam mala permittantur: quæ ſequuntur iſtum commodorum uſum. Hoc in Scholis dicitur *per accidens* legitimum iſtius rei uſum ſequi, quæ per ſe bona eſt. Sic licet opera magni Ducis, quæ ſumme nobis neceſſaria eſt, & quo carere non poſſumus, ni Rempub. velimus in maximum diſcrimen conjicere, uti: licet ejus opera uti non poſſimus, ni ipſi concedamus *exercitium* idololatricæ ſuæ Religionis. Eodem pacto Legatis uſus ſui Cultus Divini permittitur. Sic in urbibus bello ſuperatis exercitium Papiſticæ Religionis toleratur; ſi urbes illas haud aliter, vel ſaltem non tam cito, quam quidem ex uſu & commodo Reipublicæ foret, nequeamus expugnare. Ita etiam admittimus honeſtam mercaturam, *induſtriam*, & emolumentum, quæ in urbem quandam, aut regionem certi homines invehunt, qui Religionem exercent, quam citra neceſſitatem affirmabo non poſſe tolerari: & quorum mercibus & quæſtui, quæ inferunt, Status carere nequit: qui eo tantum virium amitteret, ut hoſtibus non poſſet reſiſtere: nec publicum Cultum Divinum protegere. Atque hæc de neceſſitate ſufficiant.

Quandoque etiam malum aliquod in Repub. ferendum eſt propter *charitatem* erga proximum: ac hoc præcipue locum habet in peccatis, quæ non fiunt contra conſcientiam: qui per errorem peccantes, ſe Deo rem gratam facere arbitrantur: & tamen directe nec contra Rempub. aut proximum peccant: ſed qui perverſo Dei timore, animum ſuum contra leges & Placita Publica *obfirmant*: ut prævideamus, nos levibus pœnis nihil effecturos: verum ut, ad Placita & Auctoritatem Imperantium defendendam, pœnæ ſint aſperandæ: atque ut illi, qui errore peccant, durius ſint tractandi, quam *malum per ſe* meretur. Nec putem maxime fervidos noſtros zelotas hac de re cenſere, Pontificiis exercitium Religionis ſuæ interdicendum eſſe Pœna capitali, & publicatione bonorum indicta. Et nihilominus accidit, ut homines tanto zelo pro *exercitio* ſuæ Religionis ferantur; ut Placita;

cita, & mulctas, quæ variis temporibus Prætori dare coguntur, vilipendentes, malint bonis, patria, ac vita privari: quam id prætermittere, ad quod ſe conſcientia autumant obſtrictos. Ita ut Rectores vel miſericordia duci erga errantes; aut ad auctoritatem ſuam muniendam pœnam aggravare debeant: ſeu in eundem ſæpius animadvertentes, omnino ad inopiam redigere; vel etiam ſi pœna pecuniaria non ſufficit ad illos coërcendos, etiam ad ſupplicium capitale foret progrediendum. Nunc autem quæritur, num Deus velit, ut peccata ejuſmodi naturæ tam rigidè arceantur.

Diſtinguendum etiam inter illud, quod Magiſtratus prohibere tenetur propter mandatum Dei; & magnitudinem peccati per ſe conſiderati: (& hic eſt caſus, quem hac in parte ſpeciatim tractare propoſuimus) & quod impedire obligatur propter rationes boni publici. Diverſium eſt, quod Pontificiis libertas *exercendæ* ſuæ Religionis non poſſit concedi: quod Deus expreſſe hoc prohibeat: aut quod peccatum illud *idololatriæ* Pontificiæ per ſe ita enorme ſit, ut reprimi & puniri debeat, inſtar homicidii, furti, adulterii, ſtupri, &c. Aliud autem id aſſerere; quia ea permiſſione numerus & audacia Papiſtarum creſceret: atque ita Reſpub. detrimenti quid caperet: quod fides eorum nobis ſuſpecta ſit. De poſteriori prohibitione Idolomaniæ Pontificiorum jam non agitur: quod in genere de illa nihil poſſit decidi: & quia hoc à circumſtantiis dependeat. De quibus Magiſtratui *ſoli ac omnibus aliis excluſis* judicandum eſt. Excepto, quod impeditio quarundam rerum, quæ ob circumſtantias Politicas non poſſunt tolerari, non ſolum nonnulla ſubjectorum peccata reſpicit: verum etiam res adiaphoras. Sic ſæpius Magiſtratus ſub pœna prohibere debet, ne cives poſt decimam veſpertinam ædibus egrediantur, v. gr. ad tranquillitatem publicam; & ad meliorem civitatis defenſionem: nihil tamen mali per ſe verſatur in illo facto civium, quo poſt decimam ædibus egrediuntur. Et non magis Theologum, vel alium privatum in Republ. decet de facto Rectorum in tolerando vel prohibendo exercitio Papiſmi propter conſiderationes Status, publice judicare: quam convenit ipſis judicare de legibus & conſtitutionibus Regiminis Politici circa res, quæ ob circumſtantias Politicas, quarumque judicium Magiſtratibus commiſſum eſt, bonæ aut malæ ſunt.

Qui itaque affirmat, à Magiſtratibus in liberis fœderatis Provinciis noſtræ Belgicæ exercitationem Papiſticæ Religionis bona conſcientia non poſſe tolerari: ipſi probandum, S. Scripturam, aut rectam rationem nos docere; idololatriam, quæ in Papatu fit, tantum eſſe peccatum, ut id per temporales pœnas ſit reprimendum: & ſub Novo Fœdere Chriſtianos Reformatos Magiſtratus mandato aliquo ad id teneri. Ita ut peccatum illud idolomaniæ Pontificiorum per ſe non uſque eo excuſandum ſit: ut, veluti multa alia commiſſa, v. gr. avaritia, odium, invidia, ingratitudo, &c. in Republica feruntur: ſed pœnis ex ea ſit exterminandum. Alia eſt quæſtio (quæ hic ex profeſſo non examinatur: de qua tamen data occaſione etiam diſputabitur) eſto, peccatum idololatriæ & ſuperſtitionis Papatus tam enorme ſit peccatum, ut per ſe conſideratum à Rectoribus foret prohibendum; velut blaſphemia, cædes, adulterium, &c. an tum neque neceſſitas, nec charitas, quam proximo debemus, non poſſint id excuſare. Etiam omnia promiſſa & contractus initos in Republ. condenda, jam ceſſare: nec legitime de iſta exercitationis libertate potuiſſe contrahi.

Cenſeo nulla argumenta aut probationes, in quibus animus Chriſtiani acquieſcat, poſſe allegari, quibus negativa utriuſque caſus aut quæſtionis poſſet demonſtra-

ſtrari. Conjecturæ, dubitationes, veriſimilitudines, &c. nihil omnino hic valent: ſed clara, accurata & apodictica argumenta; nimirum illud peccatum, per ſe conſideratum, in Republ. non poſſe perferri: nec circumſtantias charitatis, neceſſitatis, boni publici, id in noſtro Statu jam tolerabile facere: nec hujuſmodi charitatis officium poſſe ſibi locum vindicare; neque ejus rationem ducendam, cum deliberatio de toleranda Pontificiorum idololatria inſtituitur. Nec ipſos poſſe convenire ad deliberationem, ut conſulant, an Pontificiis moderata Religiónis ſuæ libertas poſſet concedi: quemadmodum hoc in quibuſdam Patriæ noſtræ civitatibus fit. Ergo, inquam, qui hoc affirmare vult, ipſi argumenta apodictica ſunt afferenda.

Quum res quædam ad noſmetipſos ſpectant, minima dubitatio nobis firmum eſt argumentum, nos illam rem non debere aggredi. Qui dubitat, utrum ad bona alterius jus ſibi competat: an hæc vel illa vitæ profeſſio: an hoc vel illud factum licitum ſit, vel Deo placeat: ab iſto abſtinere debet: quod non faciat ex fide; id eſt, non cum plena animi perſuaſione, rem Deo gratam eſſe, *Rom.* 1':4. Nam certe is Deum non veretur, qui aliquid audet committere & ſuſcipere, de quo incertus eſt, an Deo arrideat. Multo magis igitur, quum res proximum tangit, minima dubitatio nobis pro valido debet eſſe argumento; ne circa proximi perſonam, libertatem, & bona aliquid faciamus, quod ipſi moleſtiam affert. Si non omnino certus ſim, illa, quæ proximus poſſidet, mea bona eſſe, non debeo proximo ea eripere. Si non plene perſuaſus ſim, Deum velle, ut *idololatriam* Pontificiorum per pœnas corporales arceam: intrepide affirmo illam dubitationem mihi ſatis cauſæ eſſe, quare conſtituam, quamdiu in dubitatione hæreo, mihi fas non eſſe exercitium Pontificiæ religionis pœnis corporalibus arcere. In omnibus certitudo eſt ſequenda, quatenus natura rei patitur. Verum error in *theoria* & in ſcientia *ſpeculativa* nullatenus tantæ eſt conſequentiæ, quam in praxi, qua proximus magnis incommodis afficitur. Multum hæc differunt; error in judicio, quod *Papatus nullam committat idololatriam*: & erratum mentis; nos rem gratam Deo facturos, quum per pœnas corporales Pontificios propter eorum errorem, aut exercitationem falſæ ſuæ Religionis vexamus. Etiam Judici in judicando non plena adeo certitudine opus eſt, ut poſſit dicere, ſe in ferenda *ſententia*, qua huic civi rem aliquam addicit, illi autem aufert, non poſſe falli: quum lites ſæpenumero ejus ſint naturæ, ut niſi per multas deductiones & argumentorum conſequentias poſſint probari. Ita ut cauſæ æquitas vel iniquitas prima ſpecie, & per ſe non ita pareat: ut, verbi gratia, hæc clara ſunt, adulterium & furtum peccata eſſe; idque verum eſſe, quod oculis noſtris perfecte & ex propinquo videmus.

In rebus, quæ natura ſua non ita conſpicuæ ſunt, Judex errare poteſt: licet tamen ipſi jus dicere, prout æquum ſibi videtur. Judex enim præcipue non eſt conſtitutus, ut omnino pronuntiet & diſcernat, quid reipſa æquum vel iniquum ſit: nec ut eos, inter quos eſt controverſia, quid juſtum vel injuſtum ſit, doceat: (ſententia enim lata, licet mihi adhuc putare, male eſſe judicatum) ſed ut per ipſorum ſententiam, ut neutri partium addictorum, & qui idcirco apti ſunt ad judicandum de æquitate, vel de injuſtitia cauſæ, illos, qui inter ſeſe ambigunt, componant, jura reddentes, prout animus ipſis ſuggeſſerit. Æque ac Apoſtolus Paulus de jurejurando loquitur; illud eſſe ad confirmationem inter homines repertum, & finem omnium contradictionum. Etiam maxime abſurdum foret, ſi à Judice *Jusjurandum* exigeretur, quo declararet, id, quod judicaſſet, tantum jus & æquum eſ-

Rrr ſe.

ſe. Nec ullus Judex paratus foret hoc morte confirmare, omnes ſententias, quas definiiſſet, juſtas omnino & æquas fuiſſe. Verum hoc non refugimus morte corroborare, ea quæ vidimus vera eſſe; nec non furtum & adulterium peccata eſſe: illosque furti & adulterii reos eſſe, quos oculis noſtris vidimus ea committere. Sed Magiſtratui non licet ſubjectum; nec privato proximum ob res *injuſtas* aut peccata onerare, quum non plene & infallibiliter perſuaſus eſt, injuſtitiam & peccatum eſſe commiſſum: Deumque velle, peccatum illud per pœnam averti. Si vel minimum dubitemus, verbi gratia, an aliquis error aut peccatum corporali pœna ſit plectendum: tunc corporalis pœna omnino illicita eſt. Si non æque nobis certa ſint, ac vera ſunt Sibyllæ folia; propter conſcientiam & mandatum Dei adulterum occidendum eſſe: non licet ipſum eo fundamento è medio tollere. Licet propter rationes politicas idem peccatum, v. gr. adulterii, data occaſione, & bono publico illud exigente, ultimo ſupplicio quidem poſſet vindicari. Sic etiam hic ſeſe res habet: ſtatuendum Rectores infallibiliter noviſſe Deo placere idololatriam Pontificiorum corporalibus pœnis caſtigari; vel non licet pœnam imponere, quæ fundata ſit in magnitudine mali per ſe, nec aliquo bono publico, & de quo præcipue hic non agitur, ut ſuperius dictum eſt: quandoquidem etiam res adiaphoræ, nec per ſe malæ, ob ſalutem Reipub. ſub magna pœna poſſint prohiberi. Et ideo hac in diſputatione nunc non quadrat, argumentari de periculo, quod Reip. impenderet, quum Pontificiis permittitur palam Religionem ſuam exercere.

Peccatum, de quo nunc diſputatur, delictum eſt *idololatriæ*: non *idolomaniæ* Gentilium; qui non ſolum Verum Deum non colebant: verum etiam alium, quam Deum, certis & *diſtinctis* notis (quæ pro eo habebantur & agnoſcebantur) à Vero Numine diſcretum adorabant. Ut populus Iſraëliticus talem *idololatriam* committebat, quum Baalim, Dagonem, Aſtarotum, &c. colebant. Nec etiam de ejuſmodi *falſo Numinis Cultu* controvertitur, quem idem populus Iſraëlis faciebat in Vitulorum Cultu in Dan & Bethel: qui tunc temporis Verum quidem adorabant Deum; verum ſub *ſimulachro*, quæ altera eſt *idololatriæ* ſpecies, natura pariter & Verbo Dei Iſraëlis poſteris interdictæ. Non etiam de *idolomania* iſtorum, qui Chriſtum pro Deo non agnoſcentes, nihilominus confitentur, Ipſum Divino Cultu proſequendum eſſe. Quod tertium *idololatriæ* genus eſt. Sed hic agitur de *falſo* quodam *Numinis Cultu*, ubi præſupponitur Chriſtus Deus & Homo coli. In hoc errantes, quod non ſit Chriſtus, quem Chriſtum arbitrantur: credentes eum eſſe Chriſtum, quem per *tranſſubſtantiationem* in Miſſa præſto eſſe putant. Speciatim mihi de illa *idololatria* ſermo eſt, quæ in Miſſa fit; & de qua omnes Romanæ Eccleſiæ ſectatores idem docent: & ideo in tantum communem ipſorum doctrinam fundamentum eſſe iſtius *idololatriæ* dicendum ſit; quod mea quidem opinione illa idololatria minus diſputationibus obnoxia ſit: & graviſſima pariter & maxime conſpicua ſit omnium reliquarum *idololatriæ* ſpecierum, quæ à Papiſtis exercentur: ac in quam Theologi noſtri in concionibus ſuis maxime invehuntur, quamque maxime amovendam cenſent. In ſuperioribus dictum & probatum eſt, Pontificios in Miſſa ideo *idololatriam* committere, quod Chriſti corpus ex Virgine Maria natum, non poſſit eſſe illud corpus, quod per *tranſſubſtantiationem* in Miſſa dicitur eſſe præſens. Ut *idolomania* Pontificiorum in Miſſa non conſiſtat in *adoratione Panis aut Vini*: quod intenderent Panem & Vinum colere. Credunt enim ſe ea non adorare: nec ipſorum opinio eſt, ut preces ſuæ in eo terminentur. Neque illa etiam conſiſtit in adorando Chriſto in loco quodam, quo vere

vere præſto non eſt. Hæc enim non eſt *idololatria*. Verum ipſorum idolomania in eo ſita eſt, quod Divinam naturam & animam Chriſti conjungant cum ficto corpore, ex Pane & Vino formato per *tranſſubſtantiationem*, quod naturale corpus Chriſti eſſe credunt. Ut error ipſorum ferme ſimilis ſit errori iſtorum, qui ex. gr. putarent, ubicunque regalis veſtis in ſolio regio, quæ multa & varia diverſis locis poſuerunt, collocaretur; ibi ſtatim ex aëre, qui throno illi incumbit, Regis proprium & naturale corpus formari: ac qui ita autumarent; ut, ubicunque Regia ſedes eſt, illic etiam Regem eſſe: & quod ipſum ideo illic venerentur. Hoc differt ab eo, quum alterum Regem ſibi eligunt: aut quando famulum aut ſubjectum honore Regi proprio proſequuntur.

Præterea conſiderandum eſt, *idololatriam* Papiſtarum peccatum eſſe, quod per errorem committitur; non autem delictum eſſe contra conſcientiam; quo etiam proximo nihil damni infertur: ut quidem illi per errorem peccabant, qui diſcipulos Chriſti necantes, ſe rem gratam Deo facere credebant. Verum is ejuſmodi error erat, quo directe proximum graviſſimo malo afficiebant. Non hæc eo proferimus, quaſi nullus error, qui non in incommodum proximi vergeret, à Magiſtratu poſſet vetari; neutiquam. Primo enim contumax eſt error, quum homines dedita opera malis paſſionibus & affectibus abrepti, ingenio ſuo nebulas obducunt; & oculos mentis quaſi eruunt. Sicuti videmus Paganos in magnis & horribilibus peccatis viventes, quæ tamen ipſi non putant eſſe crimina: de hiſce vide *Rom.* 1. Multo minus cenſeo Magiſtratibus jus non eſſe per pœnas & mulctas illud arcere, quod alii impulſu conſcientiæ ſibi faciendum putant; & quo tamen proximo immediate non nocetur: nec Magiſtratum illa cogendæ conſcientiæ ſpecie poſſe uti. Nam etiam per malitiam ad ea vitia homines poſſent pervenire. Verum nos arbitramur, dari quandam errati ſpeciem, quæ pravitate careat: quodque etiam in illis reperitur, qui omnibus ſuis actionibus oſtendunt, Religionem ſibi cordi eſſe: quique multum diligentiæ adhibent ad veritatem detegendam: quanquam præjudicia, & callidæ hominum ſeductiones, aliaque impedimenta, aditum ad veritatem ipſis obſtruant. Nec dubito, quin hoc à multis Pontificiis in Patria noſtra etiam fiat. Non puto aliquem ullam rationem, aut quædam loca S. Scripturæ adferre poſſe, quæ probent, ejuſmodi erroris ſpeciei per plagas corporales ita obviam eſſe eundum: nec ullas ejuſmodi rationes in vulgo Papiſtarum concurrere, in exercenda ſua *idololatria*, quare Reformato Magiſtratui non liceret illæſa conſcientia ipſis modicam libertatem concedere, eamque adeo temperatam, ut videatur errorem illum non vilipendere, aut favere.

In omnibus Imperiis cuivis licet, qui putat ad rem aliquam jus ſibi natum, judicem adire, proximumque in jus vocare. Nec unquam mulcta ei imponitur, aut pœna irrogatur, quamvis cauſa cadat, & judicetur ipſum erraſſe: niſi conſtaret per malitiam illum erraſſe, & proximo litem moviſſe; non quod exiſtimaret juſtitiam cauſæ à ſua parte ſtare; ſed animo vexandi eum, & impenſas moleſtiasque inferendi. Sub Veteri Fœdere Deus expreſſe præcepit, ut is, qui alterum per errorem occidiſſet, inſons & impunitus eſſet, *Joſ.* 20. Judices illi, qui per errorem injuſte quendam morti addicunt; ſic ut condemnatus in judicio appellatorio abſolvatur, inſontes habentur, omniſque pœnæ ſunt immunes. Cum Reſpublica in factiones dividitur, quum diſputatur de jure Regis & Parlamenti; omnes ſimplices, ac qui per ignorantiam labuntur, omni omnino pœnæ eximuntur. Quare hoc in ejuſmodi erroris ſpecie in Religione locum non habebit? Aut quis Textus adverſatur? Ac quare *idololatria* Papiſtarum

itarum non talis error ſine malitia poteſt eſſe, qui per Magiſtratum non ſit puniendus, quemadmodum aperta, gravia, & nota peccata, contra conſcientiam commiſſa: quanquam ipſi graviter errent; quinimmo forte in æternum per iſtum errorem, & ſubſequentem praxin, pereant. Antiquitas etiam aliquot ſeculorum pro ipſis facere videtur: adhæc multitudo Doctorum à Pontificiorum parte ſtantium, illos potuit impuliſſe ad doctrinam Pontificiorum amplectendam. Præterquam quod res per multas diſputationes adeo intricata ſit, ut ſingularis animi attentio ſit adhibenda, antequam æquum ab iniquo, ac verum à falſo dignoſcas. Vita civilis in Chriſtianis Statibus ſufficit, ut quis civis in Repub. maneat, quanquam tot vitiis ſcateat, ut nullus per eam beatus ſit futurus. Quare de Pontificio non par ferimus judicium; & exiſtimamus illum euſque vitioſum & perditum hominem non eſſe; quia Reſpublica quæ tot peccata in civibus tolerat, etiam eorum errores in cultu tolerare poſſit.

Generalis eſt opinio, ac idcirco fundamento ſuo nixa eſt, *Deum neminem in terra conſcientiæ alterius Judicem conſtituiſſe.* Nihilominus operæ pretium eſt, ut tandem inquiramus, quis generalis illius dicti ſenſus ſit. Ex præcedentibus patet, hoc non ita generaliter eſſe intelligendum, quaſi Deus nulli Magiſtratui poteſtatem dediſſet imperandi, quid ſubjectis circa res quaſdam Religionem & conſcientiam ſpectantes, faciendum aut omittendum eſſet. Fac enim jam aliquem conſcientiæ cauſa Paganiſmum in medio Chriſtianiſmo velle promovere: nonne Magiſtratibus jus eſſet hoc pœnis prohibendi? Non equidem dubito. Nec tamen ideo cenſeo, poteſtatem Magiſtratuum tam late in conſcientias ſe extendere, ut ipſorum præceptum conſcientiis lex ſit: utque civis facere teneatur, quicquid Magiſtratus in caſibus conſcientiæ juſtum & æquum eſſe cenſeat. Hoc enim nec à Pontificio, nec à Reformato unquam affirmatum eſt: itaque eſt extra controverſiam. Papiſtæ quidem hoc Papæ, vel Concilio adſcribunt: nunquam tamen ulli Magiſtratui. Reformati talem poteſtatem nulli omnino homini tribuunt. Quia nullam in terris perſonam, aut collegium agnoſcimus, cujus ſententia poteſtatem Verbi Divini poſſit habere: cui Verbo, utpote declaranti voluntatem Dei, conſcientiæ hominum tantum, tam ſecundum Pontificiorum quam Reformatorum doctrinam, ſubjectæ ſunt. Sed Papatus in eo à nobis diſſentit, ut Papæ, aut univerſali Concilio poteſtatem & auctoritatem arroget infallibiliter nobis explicandi, quid ſit Verbum Dei, quiſque ejus ſenſus. Ita ut ne ipſi quidem conſcientiam Papæ aut Concilio ſubjiciant, quatenus homines ſunt fallibiles: ſed quatenus credunt iſtos à Deo electos & conſtitutos eſſe, ad infallibiliter, quaſi Deus ipſemet loqueretur, homines ex Verbo Dei docendum ac explicandum, quæ Dei ſit voluntas, & quid de rebus fidei dicendum ſit.

Quare cenſeo generalem dictam opinionem, nimirum, neminem conſcientiis noſtris judicem eſſe conſtitutum: atque nemini, niſi ſoli Deo, fidei noſtræ rationem eſſe reddendam, docere, nulli privato vel Magiſtratui, politico, aut Eccleſiaſtico, à Deo poteſtatem eſſe datam, ut in controverſiis Religionis, & conſcientiam ſpectantibus, ac ubi error ſine malitia locum habet, definitive ita quid determinent, ut alii per pœnas corporis (etiam nulla tranquillitatis publicæ habita ratione) quæ hanc controverſiam non ſpectat, impediantur & prohibeantur ſuam fidem publice profiteri; & contrariam fidem amplecti conſtringantur.

In rebus Politicis ad judicandum quid ad tranquillitatem & ſalutem Reipub. requiratur, Magiſtratibus poteſtas competit definitive judicandi; & ſententiam ſuam pro *lege* omnibus ſuis ſubjectis præſcri-

ſcribendi; & ipſos pœnis coſtringendi in Regimine Politico ea facere, quæ ad otium & ſalutem Reipub. neceſſaria judicat. Sed extra res iſtas & conſiderationes proximum & ſubjectum vexare, quod in controverſiis Fidei, *animo religioſo*, per errorem, Deo ſuo aliter conetur ſervire, *deque Religione aliter ſentiat*, ac Magiſtratus, cenſetur eſſe *abuſus ſuæ poteſtatis*. Ratio autem hujuſce rei eſt: quod natura Imperii doceat, ut uni perſonæ, aut Collegio deferatur ſummum judicium de bono publico, deque legum interpretatione: & quis ex ſententia iſtarum legum dominus, aut non dominus ſit alicujus rei. Et privati iſti, extra Societatem conſiderati, ſuorum bonorum domini, ſub tali conditione Societati adſcribi poſſunt, ut declarent, ſe nullam proprietatem in poſterum in bona ea ſibi arrogaturos, quæ ſententia iſtius perſonæ aut collegii alteri adjudicata ſunt. Ac hoc faciendum erat, ſi tranquille & ſecure in orbe terrarum viveretur. Sed nullus unquam ſe Societati alicui addixit, in qua uni homini, aut Collegio delata erat poteſtas animadvertendi in errores, vitia, defectus, qui non ex *malitia* oriuntur, nec ullum incommodum in Repub. ſecum trahunt (hic enim caſus fingendus eſt). Certum ſaltem eſt, in nullo Imperio in erroribus & vitiis hujuſce naturæ fieri: & crudelitas tyranniſque appellaretur. Verum in multis Statibus circa errores & opiniones in Religione fit. At hoc factum (meo judicio) nihil aliud eſt, quam fructus *ſuperſtitionis*, quæ ſemper acerba & crudelis eſt: quaque homo ſibi fingens, ſuam opinionem de Religione mire Deo arridere: utpote qua ſe ſolum Deo acceptum arbitratur: Eumque omnem contrariam opinionem ſummopere reſpuere, & à Magiſtratibus puniri velle.

Qui in duram hanc ſententiam inclinant, præcedentia quidem concedent: putabunt tamen, hoc in idololatrica doctrina Papiſtarum locum non reperire: quod ea tam execrandum ſit peccatum; & quicum etiam neceſſario *malitia* concurrat. Pontificiorum *idololatriæ* malum extenuare nolo. Verum peccata avaritiæ, defectus charitatis, ingratitudinis magna etiam ſunt: & aliæ ſuppetunt rationes de commiſſis iſtis dicendi, quod cum *malitia* conjuncta ſint, quam quidem de *idolomania* multorum Papiſtarum poſſit affirmari. Qui prædictorum delictorum avaritiæ, charitatis defectus, ingrati animi, &c. affines ſunt, de illis teſtimonium perhiberi nequit, *Eos habere zelum Dei, ſed non ex notitia*, *Rom.* 10: 2. *Quod in bona conſcientia coram Deo ambulent*, *Act.* 22: 3. *Quod Deo ſerviant in pura conſcientia*, 2 *Timoth.* 2: 1. *Quod honeſti & religioſi viri ſint*, *Act.* 13: 50. Quæ omnia de incredulo Judæo dicuntur, qui Chriſtianam Religionem adhuc rejiciebat, ſed *per errorem abſque malitia*: non cum contumacia conjunctum; non nutritum, nec fotum, nec originem ſuam habentem ex peculiari amore ſui, avaritia, &c. ſed ex communi quadam corrupta natura, in maxima parte hominum ejuſmodi errorem producente: quique non niſi per ſpecialem Dei gratiam ſuperandus ſit. Si infideles Judæi, ut jam dictum eſt, errantes, prædictas cognominationes etiamnum meruerunt: quare etiam multis Pontificiis eædem non poſſent tribui; quum etiam ſic ſine malitia errare poſſent; quemadmodnm Paulus ante reſipiſcentiam. Certe cenſeo multos Papiſtas extra talem contumaciam, odium, invidiam, ſuperbiam, & philautiam in errore ſuo vivere & mori. Et quorum error ideo etiam tali malitia vacat: quam Deus à Magiſtratibus per corporales pœnas vult prohiberi. Et ſi avaritia, arrogantia, charitatis defectus, ambitio per pœnas corporum in Repub. non coërceantur: quanto minus Pontificii ob errorem ſuum in Religione puniendi ſunt. Verum qui per malitiam errant, ſemper puniendi ſunt: non ob *errorem*, ſed

ſed ob malitiam, quæ comitatur illum. Et de eis, qui ſic per malitiam errant, quique tales deprehenduntur, non loquimur. Ac unus idemque error in altero pœna dignus; quinimmo *hæreſis* eſſe poteſt: in altero autem ſecus. Atque abſurdum eſt credere, omnes Papiſtas pertinaces eſſe: quia, frequentibus prædicationibus & inſtitutionibus Reformatorum Doctorum non obſtantibus, nihilominus in errore ſuo perſeverent. Nam certe hodie non multa adduntur ad Papiſtas convertendos, quam in Reformationis initio. Verum non tam exacte hæc inquirere neceſſe eſt. Conſideremus modo, an inter Papiſtas nulli probi, moderati, humiles, & veritatis amantes reperiantur. Et quamdiu illas virtutes poſſident, tamdiu non errant per *malitiam, quæ à Magiſtratibus ſit vindicanda.*

Reliquos Pontificios, quorum error cum malitia concurrit, quique pertinacia & cæteris vitiis ſemetipſos & alios ſeducunt, licet quidem coërcere: non quod Papatui adhæreant; ſed quod pravi ſint, & per malitiam errent. Et hoc locum habet in omnibus erroribus, qui cum pravitate concurrunt. Quemadmodum etiam in Regimine Politico vitilitigatores, & improbos litium machinatores per pœnas reprimere norunt. Verum ſicut iniquum eſt ob factum iſtorum lites & formam procedendi abolere: ſic etiam injuſtum, ob quorundam Papiſtarum malitiam, etiam omnes ſimplices, ob Religionis ſuæ profeſſionem, corporalibus pœnis vexare.

In Papiſtica idololatria punienda circumſtantiæ illius etiam conſiderationem merentur, qui pœnam ſuffert: ut & natura mali, ob quod in eum animadvertitur. Hic ita comparatum eſt, ut perſona per pœnam non emendetur; quinimmo ut malum forte non eo magis coërceatur: utque interim fiat, ut pœna ſub manum aggraveſcens, modum noſtro ipſius judicio excedat. Nonne cenſemus nimiam pœnam fore, Pontificiis exercitationem Religionis ſuæ interdicere, indicta pœna publicationis omnium bonorum, vel exilii? Et ſi tamen Pontificiæ Religionis exercitatio coërceri debeat: & Papiſtæ putent ſe propter conſcientiam obſtringi Religionem ſuam exercere: inde ſequi neceſſe eſt, ut aggravatione pœnarum, quæ neceſſario exaggerantur propter perſeverantiam Pontificiorum in uſu exercendæ ſuæ Religionis; aut variis minoribus mulctis, tandem omnia ipſorum bona ad Prætorem perveniant: aut ut illis Patria excedendum ſit. Si dicas, te nolle tam acerbe agi: ſed *licentiam* eorum te aliquatenus velle conſtringere. Reſpondeo; optime. Verum hæc reſtrictio fit aut ex rationibus Politicis: aut ex Divinis: quæ moderatam quidem Papiſticæ *idololatriæ* exercitationem permittunt; licentioſam tamen nimis prohibent. Quantum ad rationes politicas, de iis in hoc Libro non agitur: nec etiam ad Pontificiam *idolomaniam* ſpectat: quum ob cauſas politicas etiam exercitatio Divini Cultus aliorum, qui *idololatriæ* affines non ſunt, poſſit impediri. Et ſi aliæ Sectæ, quæ in noſtris Regionibus tolerantur, potentes haberent Principes, quorum patrocinium poſſent reſpicere, & qui libenter forſan ipſis opem ferrent, ut templa publica, aut Curiam occuparent: non ipſis major, quam iis, qui ab Eccleſia Romana ſtant, libertas poſſet concedi. Quinimmo Magiſtratibus poteſtas competit etiam res per ſe adiaphoras, ob rationes boni publici vetandi. Ut rationes illæ non magis in Papiſmum quadrent, quam infinitæ aliæ res. Quæſtio ergo de permittenda, aut prohibenda exercitatione Pontificiæ Religionis ſub forma jam memorata conſiderata, *mere* politica eſt, & ſolum Rectores tangit, quibus hoc reſervatum, ut & omnia alia, quæ ſpectant ad Regimen Politicum.

Itaque dicendum, leges Divinas & rationes, quæ non reſpiciunt nec deſumuntur ex ſalute aut detrimento Reipublicæ, mo-

moderatam quidem Pontificiæ idolomaniæ exercitationem in Imperio poſſe concedere: verum nimiam licentiam eſſe cohibendam. Verum *primo*, & ante omnia demonſtrandum erat, quid licentioſum ſit, quid non. *Deinde*, politicum cum Eccleſiaſtico denuo non erat confundendum. Propter bonum publicum certa mali ſpecies, quum nimium graſſatur & ſe diffundit, vetanda eſt: & extra conſiderationes eas poteſt permitti. Sed res aliqua, quæ ſua natura, & propter conſcientiam non debet concedi, omnino non toleranda eſt: & ſimulac quippiam ob nonnullas circumſtantias, quæ rei eſſentiæ non inſunt, non permittendum eſt, tum hoc ſit politicum. Et ſic cum Papiſtis res ſe haberet: ac tum etiam conceditur illud, ad quod hæ meæ rationes etiam tendunt: nempe, ut ſaltem reſpectu charitatis, quam proximo debemus, & neceſſitatis, Reformati Magiſtratus Pontificiis aliquam Religionis ſuæ libertatem poſſent largiri; ni majores boni publici rationes id impedirent. Sed an ſolidiores rationes Status hoc prohibeant: illud inquirere non fert animus. Diverſum eſt, quod quædam delicta ob legitimas, politicas, & neceſſarias cauſas liceat non punire. Aliud autem, quod eadem poſſint permitti, ſi non nimium exuberent, & pluribus affricentur. Quum videmus, aut res intra certos terminos manentes, bonas aut indifferentes eſſe: verum ſi modum excedant, malas fieri: & jam ad ejuſmodi exceſſum perveniſſe, ut malæ factæ ſint; ut tum coërceantur: & Magiſtratus ſe adverſus eas arment. Vel etiam quod minora peccata, aut quorum pauci affines ſunt; quæque jam pro luſu incipiunt haberi, & valde diſſipari, novis remediis cohibeantur, hoc ratione nititur. Sed hi caſus non militant in *idololatria* Pontificiorum: quum iſta tam prava res per ſe ſit (loquor ex ſententia eorum, quibuſcum jam velut diſputamus) ut toleranda non ſit: & de qua etiam Papiſtæ, non obſtante acriori prohibitione, non aliter ac ante ſentiunt. Quinimmo cenſeo *idolomaniam* Pontificiorum, quamvis acerbis & rigidis edictis aut legibus prohibeantur, non eo minus exerceri: quod magni ipſorum cœtus plerumque ob Concionem fiant, ubi nulla aut exigua *idololatria* committitur: & tum præterea ejuſmodi illius ſpecies, quam quiſque Pontificiorum quotidie domi ſuæ facit. Sed maxima idololatria in Miſſa fit; & in Invocatione Sanctorum, Imaginum & Crucifixorum: quod in faciendis precibus pro animis defunctorum, ac in extrema unctione: & à privatis in exercitiis domeſticis plurimum fit. Ita ut licentioſa *idololatriæ* exercitatio per corporales & temporales pœnas, quæ in libera noſtra Belgica apud multos Rectores in uſu ſunt, coërceatur. Sed forte hac pœna animus ipſis adimitur, ne ſenſim majora auſint; quod directo quidem in damnum Reipublicæ poſſet erumpere: & tunc non iniquum foret, ſi Papiſtarum magna & frequentia concilia inhiberentur. Verum hoc politicum eſt: nec pertinet ad quæſtionem, quam jam tractamus.

Examinandum eſt etiam, an in prohibenda Pontificiorum *idololatria* per corporales pœnas, generalis regula charitatis & moderationis non veniat etiam in conſiderationem: quæ præcipit; *ne alteri fecerimus, quod nobis fieri nolumus*. Et hoc Chriſti præceptum commune remedium eſt adverſus *omnia prava & perverſa judicia*: quæ plurimum ex malis paſſionibus & philautia oriuntur. Nonne multi putarent, indecoras & duras procedendi formas adverſus ipſos fieri; quum ſimplex illorum zelus, ex religioſo animo profluens, (arbitrantium ſe ſalutem ſuam aliter non poſſe operari,) per pœnas corporis impediretur. Certe Majores noſtri temporibus *perſecutionis*, in omnibus ſuis ſcriptis & libellis ſupplicibus pro injuſto, & eo quod Chriſtianos dedeceret, duxerunt, quod homines per pœnas vellent

cogere ſententiam ſuam mutare: aut conſcientiam vi cogere, ut quis omittat, ad quod ſe Dei mandato obligatum credit. Nunquam etiam credidere, illa peccata, quæ per ſimplicem, ſed errantem zelum committuntur, juxta præceptum Dei à Magiſtratibus punienda eſſe. Non etiam juſtitiam cauſæ ſuæ allegarunt, aut veritatem Religionis, quam profitebantur: quaſi Reformatis, quod credant ſe bonam Religionem habere, alias Religiones ut falſas liceret prohibere. Sed Pontificiorum contra Magiſtratuum eſſe Reformatam Religionem permittere; non autem coërcere: quod verum & purum Cultum Divinum profiterentur. Dicimus itaque abſurdiſſimum eſſe, ſi quis majores noſtros libertatem religionis ſuæ à Pontificio Magiſtratu petentes, ita argumentantes introduceret. Tunc enim Majores noſtri non ſolum adverſarii & judices eſſe voluiſſent, quod nunquam locum habet, niſi cum inter duas ſummas poteſtates controverſia eſt: aut, cum nulli exſtant judices: & legitimi Magiſtratus jus judicandi deſeruerunt. Sed Majores noſtri pro judicibus ſe geſſiſſent in propria cauſa, cum excluſione, quinimmo rejectione aliorum, quibus ſecundum omnia Divina & naturalia jura; & ipſammet Reformatorum confeſſionem, *judicium* de re illa competebat. Qui dominus & moderator eſt bonorum ſuorum, æque jus habet illa dilapidandi, ac alter cum fructu impendendi. Quanto minus tenetur is, qui prodigit iſta; putat tamen ſe bene collocare, alterius judicio ſe ſubjicere, boniſque uti ex ſententia & judicio aliorum. Et ille, qui rerum ſuarum arbiter eſt, ei eatenus liberum eſt iſtis uti: ut uti non obligetur ex arbitrio alterius: licet ſemper reſpectu Dei in rerum ſuarum uſu poſſit peccare. Et qui vult, ut ſibi judicium deferatur de alieni facti æquitate: permittere etiam debet, ut alter de facto ejus judicet. Certe extra omnem eſt controverſiam, omnibus Magiſtratibus jus competere judicandi de Religione ſuorum ſubjectorum. Qui enim aliter Religionem, quam veram eſſe cenſet, curabit; contrariam autem reprobabit. Magnum ergo paradoxum Majorum noſtrorum fuiſſet, iſto præſuppoſito, quod veram Religionem haberent, fundare: Pontificios idcirco Magiſtratus jure ſuo excidiſſe judicandi de Reformatorum Cultu Divino, aut obligatos fuiſſe de ipſorum Religione judicare ex opinione & fide Reformatorum. Illud enim æque abſonum eſt: ac ſi ad defenſionem mei facti in occupanda poſſeſſione quorundam bonorum (quæ revera quidem mea ſunt; ſed quæ alius per legitimum & *competentem* judicem obtinuit, & in quarum *poſſeſſione* eſt) dicerem juſtitiam cauſæ pro me ſtare: ac mihi ideoque concedendum eſſe invadere poſſeſſionem meorum bonorum: *me ita Judicem Judici conſtituens.* Privatum tuum juſtum judicium, quod æquitas & veritas pro te militent, juſtificat in rebus fidei omnia tua facta, quæ vera & rationalis Religio à te exigunt; ſed nullum jus creat, ad inde colligendum, legitimum tuum Dominum & Judicem *contra proprium judicium* teneri tuam opinionem pro bona & vera eligere. Juſtitia & æquitas nuſquam ſunt judices. Sed judices de rebus judicant, quibus jus aut injuſtitia; veritas aut falſitas adhærent: deque iis pronuntiant, quatenus qualitates illæ rebus iſtis inſunt. Et Magiſtratibus Pontificiis non ſolum idem jus eſt de noſtra Religione ſententiam ferendi: quod Reformatis Magiſtratibus competit, ad judicandum de Pontificiorum Cultu Divino. Verum ipſa noſtra veritas ne in minima re quidem, quæ adminiſtrationi & jurisdictioni Magiſtratus ſubjecta eſt, minimum jus tribuit ad quid amplius à Papiſtico Rectore exigendum: quam error Pontificiorum in religione dat Pontificiis reſpectu Reformatorum Magiſtratuum. Ergo Majores noſtri æquitatem permittendi exercitationem Religio-

gionis ſuæ in ſimplici ipſorum zelo & religioſo animo fundarunt, & errore, qui malitia vacabat: qui ſolus in nulla Republica bene conſtituta ſolet puniri.

Hoc obſervatione dignum eſt, nullam legem Iſraëlitis datam eſſe, qua illius Reipub. ſubjecti ullius temporalis pœnæ rei erant, ob errorem malitia vacuum. Vel, ut clarius dicam: nulla lex ipſis lata eſt, quæ jubet erratum puniri; ſed tales quidem, quæ *pravitatem* puniant: ſive per malitiam illam in errorem incidamus: ſeu aliud quid ea committamus. Sed contra comperiemus, Iſraëliticam legem velle ea demum delicta vindicari, quæ aut naturali rationi expreſſe adverſantur: vel quæ aperte revelatam voluntatem Dei, pro ea à Judæis habitam & ſuſceptam, oppugnarent: ſeu quæ *expreſſis promiſſis* contrariabantur, quæ ipſi fecerant. De hoc omnia loca Veteris Fœderis conſulantur, quæ de omnibus pœnis agunt adverſus morale malum, *Exod.* 22: 11. 19. 20. *Levit.* 5: 16. 18. 20. & *Cap.* 19: 20. & *Cap.* 26. & *Cap.* 24: 16. *Deut.* 6: 1. 6. 12. *Ezech.* 16: 38. *Neh* 9: 38. & *Cap.* 10: 29. *Joſ.* 1: 10. *Eſr.* 10: 8.

Verum quidem, Deum præcipere, ut Iſraëlita idololatra ultimo ſupplicio afficiatur. Sed *primo* lex illa agit de eo, qui idola Gentilium colebat. Non patet enim *idololatricum* cultum Vitulorum morte eſſe punitum. *Deinde*, mandatum iſtud non poteſt conſiderari, ut *naturale morale* præceptum: vel alioquin à nobis etiam omnis *idololatria* morte foret plectenda. Etiam lex illa tam late ſe extendebat: ut, ſi quis *idolum* in occulto modò erigeret, idque coleret, mortis reus eſſet. Et ſi quis proximum cognatum, aut intimum amicum, tantum alloqueretur & adhortaretur, ut alienis Diis ſerviret, lapidibus obruebatur, *Deuter.* 13: 6, 7, 8, &c. Et hoc noſtri nolunt puniri: quum Pontificiis domeſticam & clam commiſſam idololatriam permittant. Verum, quod maxime conſiderandum eſt: *idolomania*, quam populus Iſraëliticus faciebat, in ipſis non erat *error*, ſed contumax malitia adverſus conſcientiam: adverſus clare revelatam voluntatem Dei, quam pro ea agnoſcebant, & ſuſcipiebant: adverſus propria ipſorum promiſſa, *Exod.* 24. *Deuter.* 5: 27. Sed præſertim vide *Deuter.* 29: 10, 11, 12, &c. & *Deut.* 27: 15. *Maledictus, qui faciet ſculptile, aut conflatile; ponetque illud in abſcondito.* Etiam juſſum de *idololatris* evidens eſt Judæis. Cum Papiſtis in omnibus longe aliter comparatum eſt: & idcirco pœna illa, quæ adverſus ſubjectos Judaici Imperii, qui idololatriam committebant, conſtituta erat, alterius omnino naturæ, quam ea foret, qua volunt in Reformatis Statibus Pontificiam *idololatriam* puniri. In Republica Iſraëlitarum pœna contra idololatras erat *jurisdictionis*: id eſt, Magiſtratibus Judaicis licebat, & reipſa à Judæis civibus ſibi parentibus exigebant, ut Domini à Deo ad hoc conſtituti, *obedientiam* ſuis præceptis, ne *idololatriam* committerent: & contrarium factum erat aperta inobedientia: pœnaque erat vindicta illius *contumaciæ*: quod non paruiſſent mandato Religionis, quod Magiſtratus dederat, quodque præceptum erat Magiſtratus. Nam licet etiam juſſum foret Dei: tamen clarum eſt; mandatum Divinum nos non aliter reos facere in *Foro Politico*, niſi quatenus Magiſtratus in ſe ſuſcipit curam, ut præceptum illud Dei in ſuo Imperio obſervetur, & hoc jubet: atque ita eam *legem faciat ſuam*. Sed nullus Magiſtratus Reformatæ Religionis poteſtatem & auctoritatem ſibi arrogat in iis fidei controverſiis, de quibus inter Chriſtianos diſputatur, alicui *formas legis* præſcribendi, quid ipſi credendum ſit de controverſis capitibus fidei: nec etiam pro contumacia civium ſuorum habet: quum quoad fidem ejus eunt in alia omnia. Nec Magiſtratus putat eam electionem, quam facit de certis capitibus

fidei in Religione; quamque vult publice doceri, legem eſſe ſubjectis. Et ideo pœna illa, quæ Papiſtis infligitur, non eſt pœna *inobedientiæ*; ſed pœna *averruncationis mali*, quod veremur Reipublicæ ira Divina eventurum, quum idololatriam Pontificiorum per pœnam non coërcemus, atque ita hoc pacto in iſto malo connivemus. Et ideo cum eo comparatum eſt, ut cum principe, qui ſuperiorem non agnoſcit, cui cum alia ſumma Poteſtate bellum exoritur. Alteri bellum non infert, ut non parenti, quaſi ſe præberet immorigerum: quod aliter de ipſius jure, cauſa, & injuria, qua affectus eſt, judicet, quam ipſemet facit: ſed pœna eſt *repulſionis mali*. Quid eo denotemus, alibi in alio Tractatu quam latiſſime demonſtratum eſt: *quodnam malum ſummæ Poteſtates in Imperio ſuo poſſint tolerare*. Etiam probe novimus, Magiſtratus Reformatos alio omnino modo per punitionem coërcere *idololatriam*, errores, & heterodoxias in Religione; ac adulterium, homicidium, ſodomiam, &c. prohibet & vindicat.

Atque hæc pœnarum diverſitas, ac hoc opinionum diſcrimen, quod ille Magiſtratus Reformatus facit inter jus puniendi adulterium, homicidium, & inter jus pœnis coërcendi & prohibendi falſas religiones ex cauſa jam tradita oritur, (quod diligenter animadvertendum eſt) & ex cognitione qua æſtimat, quod homines in judicando de *quibuſdam fidei controverſiis* facile errare poſſint: & quod nos de omnibus illis rebus per lumen naturale judicemus, quod in iis ſine malitia errare poſſimus: ſive in judicio ipſius rei; ſive in examine rationum, quæ nos impellunt, ad rem rectè animadvertendam. Et idcirco noſtrum judicium de hujuſcemodi rebus alteri obtrudere nolumus *pro præcepto*: nec diſſentientem à nobis ut impium condemnare, ac pro tali ducere. Ita ut præcedentibus irrefutabile argumentum videatur ineſſe ad probandum, quod omnes uno ore cenſeamus *idololatriam* Papiſtarum vulgo errorem ſine malitia eſſe poſſe. Si enim aliter res ſe haberet, plane aliter inſiſteremus in exigendis pœnis à Pontificiis propter cultum falſæ eorum religionis. Inquam autem Pontificiorum errorem in conſtituendo ſibi ſuas religiones ſine malitia eſſe poſſe: non autem ea ſemper vacare. Unus enim idemque error in hoc poteſt eſſe hæreſis, & cum malitia conjunctus: in illo ſine pravitate, & liber ab hæreſi.

Et neceſſarium eſt, ut res hæc probe conſideretur; quia magni eſt momenti, & ſingularis uſus in hac, ac multis aliis quæſtionibus, nec non caſibus conſcientiæ circa tolerantiam; tam conſideratione regiminis Politici, quam Eccleſiaſtici. Credo ambas haſce res in materia Religionis certas firmaſque eſſe. *Primo*, magnitudinem mali ignorantiæ, incredulitatis, errantiſque opinionis ſolum æſtimandam eſſe ex magnitudine pravitatis; per quam in illa ignorantia, incredulitate, & erronea opinione verſamur. Et quod ideo errores exitiales reſpectu ſingulorum Chriſtianorum non ſemper, aut tantum, conſiderandi ſint ut neceſſarium medium ad ſalutem acquirendam; quam etiam ex malitia, qua veritatem aliquam ignoramus; aut in errore quodam hæremus. Ita ut, quod in altero fundamentale caput fidei eſt; in altero non ſit. Aliud Chriſtianis eſt credendum: aliud Patres ſub Veteri Fœdere credere tenebantur. Major à Chriſtiano fides exigitur: (qui adultus in fide debet eſſe; habita ratione temporis, quo fuit diſcipulus) quam à tyrone diſcipulo. Deinde neminem Deo acceptiorem eſſe ob ſcientiam & fidem veritatis, quum bono fundamento caret, & ignorat, quare ita credat, & veritati iſti credat. Lubet mihi ambas haſce poſitiones clare tandem demonſtrare: quod omnes deciſiones iſtarum quæſtionum his duobus nitantur: quomodo Magiſtratus ſe gerere debeat in tolerandis diverſis ſectis. (Sectas appello omnia illa con-

ven-

venticula, quæ à Publica Eccleſia ſeparata ſunt) Et quomodo Eccleſia formanda & erigenda ſit. Et quinam in illam ſocietatem ſint admittendi, aut ab ea excludendi: quis fundamentaliter ac capitaliter erret, vel non. Apoſtolus docet nos, eum, qui ex ſimplicitate & citra culpam errat, non mereri pœnam, *Rom. 2: 12. Nam quotquot etiam ſine lege peccarunt, etiam ſine lege peribunt.* Et Gentiles, quibus Euangelium nunquam eſt prædicatum, non ſunt rei, quod Euangelio non crediderint: *Quomodo enim in eum crederent, de quo nihil audiverunt, Rom.* 10: 14. Qui ergo partem Euangelii non poſſunt cognoſcere: ignorantia & incredulitas iſtius partis ipſos etiam non poteſt obnoxios facere ob prædictas rationes. Et quoniam Deus Judæos Veteris Fœderis exigua de Chriſto cognitione, & ejus officiorum ſalvos fecit. Jam autem ſub Novo Teſtamento infantes fidelium, omni cognitione ſalutiferæ doctrinæ deſtitutos, pro ſuis ſuſcipit. Ac multis variisque ſub generali valde confeſſione ſalutem promiſit. Hinc ſequi videtur, Deo liberum & arbitrarium eſſe homines magna, vel parva notitia viæ ad ſalutem ſervare. Sed undique videmus, Deum malitiam, quæ exerit ſe in homine, quare minus ſciat & credat, ſemper accuſare & punire. Hinc recte ergo colligitur, aliquem Deo poſſe placere, licet magna immerſus ſit ignorantia: dummodo *malitia* non accedat. Atque homines etiam ideo propter ignorantiam in Religione Deo minus aut magis diſplicere, pro modo malitiæ majoris aut minoris, qua in inſcitiam eam delapſi ſunt. Prout habetur *Luc.* 12: 14. *Cuicunque multum datum fuerit, ab eo multum repetetur.* Et *Luc.* 11: 32. *Viri Ninivitæ ſurgent in judicio cum generatione hac: quod ad prædicationem Jonæ reſipuerint: & ecce, plus quam Jonas hic.* Quo Chriſtus aperte indicat, peccatum incredulitatis eo majus eſſe, quo malitia ipſorum major erat, qua Chriſtum rejecerant, *Luc.* 13: 47. *Is ſervus, qui voluntatem Domini ſui novit, nec ſe paravit, nec ſecundum voluntatem ejus fecit, multis plagis concidetur. Hebr.* 5: 12. *Et facti eſtis ii, quibus lacte opus ſit; non ſolido cibo.* Et 1 *Cor.* 3: 1, 2, 3. *Et ego, fratres, non potui vobis loqui, quaſi ſpiritualibus; ſed quaſi carnalibus, tanquam parvulis in Chriſto: lac vobis potum dedi, non eſcam; nondum enim poteratis.* Ut ergo ratione caret, infantibus ſolidum cibum dare: tam iniquum eſt ab aliquo fidem & ſcientiam ejuſmodi rerum exigere, ad quas percipiendas etiamnum ineptus eſt; & ingenium tardum nimis & puerile habet. Et hæc ingenii pueritia non ſolum ex annis vitæ metienda eſt; ſed præcipue ex annis & tempore, quibus in cognitione ſalutifera potuerunt progreſſum facere: pro ingenii docilitate, proque occaſionibus, quas habuerunt, puerilem imbecillitatem ſuperandi. *Luc.* 5: 36. inquit Chriſtus, *Nemo panniculum novi veſtimenti indit in veſtimentum vetus: alioquin & novum rumpit: panniculus novi non convenit veteri &c.* demonſtrare volens, ut, licet adulti forent corpore, tamen admodum tyrones eſſent diſcipuli, reſpectu ſpiritualium; & iniquum eſſe ab ipſis exigere opera virorum ac magiſtrorum. Et ideo ignorantia errorque pueri longe aliter conſideranda ſunt, quam viri.

Qui in medio ſeductorum etiamnum verſantur, & præterea bona inſtitutione carent, minore cum peccato per *multos annos* in pueritia manere poſſunt: quum contra alii; quibus cunctæ adſunt occaſiones in cognitione proficiendi, ne *menſes* quidem aliquot poſſint perſiſtere ſine malitia & negligentia non excuſanda. Miſeri Judæi, quibus temporibus Chriſti clavis ſcientiæ adempta erat: & quorum Doctores nec ipſimet inde utilitatem capiebant; nec aliis permittebant, ut inde lucrifacerent, *Luc.* 11: 52. magis excuſandi erant in ignorantia ſua & incredulitate, quam reliqui; quibus omnia ſup-

peditabantur, ut in ſcientia adoleſcerent, & incredulitatem ſuam ſuperarent. Et ideo Chriſtus ait, *Væ tibi Chorazin, væ tibi Bethſaida; ſi enim in Tyro & Sidone eæ virtutes editæ fuiſſent, quæ in vobis editæ ſunt: olim in ſacco & cinere ſedentes reſipuiſſent. Ideo Tyri & Sidonis tolerabilior erit conditio, quam veſtra*, Luc. 10: 13. Ita ut omnino appareat, inſcitiam, incredulitatem, & errores in fide pro majoribus vel minoribus delictis, ipſius Dei judicio haberi; prout malitia, per quam in eo ſunt ſtatu, major minorve eſt. Etiam inquit Chriſtus *Joh.* 15: 22 *Si non veniſſem, & locutus eſſem eis; non haberent peccatum: nunc autem non habent, quod prætexant peccato ſuo*: innuens ob occaſionem, quam quidam Judæi habebant, per doctrinam Chriſti Euangelio credendi: nec tamen fructum inde perciperent, idcirco in magnis peccatis hærere. Vide etiam *Joh.* 9: 41. Nec conſideratur, an quis ſimpliciter in ignorantia aliqua verſetur: vel an etiam affectata errans opinio in ipſo ſit. Quandoquidem malitia, in ſimplici rei ignoratione, tam enormis poſſit eſſe, quam in prava aliqua opinione admittenda. Quinimmo ſæpenumero ea major eſt: quia cupido res ſublimes in Religione cognoſcendi; & quæ tantum viris conveniunt, (quorum ſtatum quivis tamen affectare debet) facit, ut ingenium ſe affigat & applicet illis rebus, quæ multa conſideratione & inquiſitione indigent: in quibus hallucinari, ceſpitare, & errare pronius eſt; quam in cognoſcendis doctrinæ principiis: & malitia minor eſt, quam ſi in ſimplici ignorantia præ ignavia perſeverarent, contemptu ſcientiæ ſalutaris; vel præ metu in errorem incidendi, deſiderio inveſtigandarum rerum ſublimiorum. Nunquam potui animum inducere, errorem ejus, qui Religione impulſus, ſtudet altum ſapere in myſteriis noſtræ ſalutis, & vir in eis fieri: & veritatem legitime inveſtigat: & tamen, prout humana eſt infirmitas labatur, deviet, & erroneam opinionem admittat, majorem eſſe, quam nudam inſcitiam. Aut illum Deo acceptiorem eſſe, qui partem quidem veritatis novit, iſtamque confitetur: verum etiam in principiis & elementis cognitionis Theologicæ acquieſcens, per ignaviam, aut timorem præpoſterum conſiſtit in illis principiis, nec ſibi gradum parat ad myſteriorum fidei cognitionem altiorem. Quæro ergo, an hujuſcemodi perſona Deo magis placeat: quam iſta, quæ legitimis viis, & ad pium finem, ad altiorem ac utiliorem ſcientiam aſpirans, titubet: non ita tamen, ut fundamentalem aliquam veritatem ideo neget. Exiſtimo poſteriorem Deo gratiorem eſſe.

Quemadmodum itaque in cognitione rerum naturalium, is, qui Ignem calidum, Glaciem autem frigidam eſſe affirmat; nec porro ſcire curat, in quo proprie natura ignis aut glaciei conſiſtat: & cur hic calidus, altera autem frigida ſit: atque ita hactenus, quamdiu cognitionem de ignis & glaciei natura tam contractam habet, non erret: non ideo majoris eſt ducendus, quam iſte; qui fervorem ignis, & frigus glaciei etiam concedens: ſed præterea labore intendens plura de natura ignis & glaciei addiſcere, circa illa hallucinetur: quamvis prior in ſimplici ignorantia quarundam proprietatum ignis & glaciei verſetur; poſterior autem in errore aliquid affirmante: præſertim ſi ſtatuatur, ulteriorem inquiſitionem à Deo mandatam eſſe. An ille nauclerus pluris æſtimandus eſſet, qui præ timiditate & metu naufragii ſemper oram littoris legit: quam is, qui navigationi operam dans, & notitiam illius adeptus, altum audet petere: & novas terras, vias, & freta inveſtigare, licet ſpe ſua excidat, & bis terve naufragium patiatur. Hujuſmodi enim magnum navigationi lumen adfert. Cenſeo priorem nautam comparandum eſſe cum malo illo ſervo, qui talentum ſuum in terra defodiebat, metu ne ſi impenderet,

ret, id amitteret. Et poſteriorem navitam iſti ſervo eſſe ſimilem; qui talentum ſuum impendebat: & in gaudium Domini ſui ingrediebatur, *Matth.* 25. Sic puto etiam cum cognitione rerum Religionis comparatum eſſe: ac de iis ſecundum eaſdem regulas judicandum eſſe. Ita ut modus agendi ſit maxime abſurdus, quod proximum, qui in omnibus actionibus oſtendit, ſe veritati ſtudere, & fidei controverſias velle penetrare, quique eas illuſtrare conatur, & clare proponere; ſugillare velit, quaſi magnæ foret hæreſis affinis: quod non omnino loquatur, ut illi, qui prioribus ſeculis vixerunt, loquuti ſunt: aut rem aliter proponat; aut altius repetat; ac nova de ea proferat. Hi, quantum in ipſis eſt, clavem ſcientiæ amovent: ipſimet ingredi nolunt; & alios introire prohibent.

Sed iterum ad rem accedimus. Videmus S. Scripturam idem pronunciare de nuda ignorantia, & errore aliquid aſſerente, prout illa hicve minori aut majori cum malitia concurrant. Ignorantia Diſcipulorum, Chriſto pro peccatis moriendum eſſe; nec Ejus Regnum eſſe de hoc mundo: & erronea ipſorum opinio; Chriſtum non moriturum: Ipſumque terrenum Judæorum regnum inſtauraturum eſſe, in illis pro tempore excuſata eſt, & habita pro peccato imbecillitatis. Vide *Luc.* 9:44. etiam *Luc.* 24: 11. Sic etiam in Paulo, & in multis Diſcipulorum Chriſti error, quo exiſtimabant uſum cæremoniarum Judaïcarum perpetuum eſſe debere, condonatus fuit: quemadmodum ille error, quo putabant Gentiles non eſſe vocandos ad communionem Euangelii. De quibus conſule *Act.* 10: 12, 13. 15. *Act.* 9: 22. Atque ubique in Verbo Dei videmus, quomodo etiam graviſſimi errores, quamdiu eo nulla pertinacia accedit, excuſentur. Unum exemplum obſervatione dignum eſt. 1 *Cor.* 15. docet nos Apoſtolus, quoſdam in Eccleſia Chriſti eſſe, qui reſurrectionem negarent: & demonſtrat hujuſmodi opinionem, & ejus conſequentias rejectionem omnis Religionis ſecum trahere. Sed quod error is cum contumacia non comitatus foret: Corinthios illos etiamnum *fratres ſuos* appellat. Idem videmus in Epiſtola ad Galatas circa illos, qui etiam per legem juſtificari volebant: Apoſtolum iſtum errorem reſpectu doctrinæ ſalutaris magni quidem ducere, & pro fundamentali habere: ſed tamen nonnullos, qui ejus rei erant, fratres ſuos vocabat: quod ſeducti erant doctrina falſorum aliquorum Apoſtolorum, qui per *malitiam* in opinionem illam inciderant, in eaque perſeverabant. Itaque hallucinatio iſta minus aut majus erat malum, prout minor aut major *malitia* cum ea conjuncta erat. Verum quidem, videri neminem iſtorum omnium, quorum incredulitas & inſcitia circa ſublimia illa capita ſalutis jam memorata ſunt non diu in ejuſmodi errato aut ignorantia hærere potuiſſe; quin mutata fuerit in lethalem ignorantiam & mentis obnubilationem. Sed eadem capita etiam tam arcte juncta & nexa ſunt cum primis principiis Chriſtianæ Religionis, & veluti inſerta: ut Chriſtianiſmus revera non potuerit ſuſcipi: & ſimul *explicite* & clara cum ſcientia errori illi circa eum articulum aſſenſum præbere: ita ut incredulitas vel ignorantia eorum capitum non diu ſine malitia in homine ſint, ob illorum claritatem & evidentiam. Quemadmodum omnes articuli fundamentales iſtas proprietates habent. Sed quam multa ſunt fidei capita, de quibus jam diſceptatur: & ob quæ alii alios proſequuntur; quæ non ſunt ejus naturæ. Præterquam quod jam ejuſmodi infallibilibus Doctoribus careamus; quemadmodum in initio prædicationis Euangelii fuerunt: ita ut tum aliquanto citius ad claram deciſionem, quid de re aliqua credendum foret, perveniri poſſet.

Hoc certe quiſque aſſentiri cogitur, delictum infirmitatis multo magis locum ſibi vindicare in cognitione rerum Cultus

Divini, quam in vitæ praxi, & virtutibus moralibus. Quum fere omnis vitæ praxis naturali noſtræ conſcientiæ lumine nitatur: quo omnes parvi & magni; docti indoctique de bono ac malo judicamus; honeſto inhoneſtoque; juſto atque injuſto. Ita ut, *primo*, errores judicii de bono & malo non tam obvii ſint: quam hallucinationes in judicando de fidei capitibus. *Deinde*, eodem naturæ lumine multo paratiores ſumus, multoque certiores, quæ peccata in actionibus vitæ pro delictis infirmitatis; quæ autem pro illis non ſint habenda: quam quidem apti ſumus ad judicandum, quis, & quando in errore per imbecillitatem verſetur: ac quando quis per *malitiam* ad eum errorem ſe ſeduci ſinit. Quod iterum conducit ad nos docendos cum omni moderatione, & juxta naturam charitatis, de errore proximi noſtri judicare.

Sed ut ad præcipuam quæſtionem revertamur, & examinemus, an contra Papiſtas propter illorum errores inſurgere teneamur: quemadmodum Judæi contra populares ſuos facere cogebantur; & alios, qui lares ſuos inter eos conſtituerant. Præterea enim etiam conſiderandum eſt; alia omnino ratione nixum eſſe, Judæum ob *idololatriam* punire, quam Chriſtianum. Quod Iſraëlita ad falſorum Deorum Cultum delaberetur, non ſolum ut *immorigerus*: verum etiam velut *apoſtata*. Quorum neutrum in Pontificio, reſpectu *Reformatæ* Eccleſiæ & Magiſtratus locum habet. De priori jam actum eſt. Poſterius hinc apparet: quod Reformatæ Eccleſiæ in hiſce Regionibus poſt Papatum emerſerunt, ita ut diſcuſſis idololatriæ & ſuperſtitionum tenebris veritas & puritas Religionis Chriſtianæ ab iſtis tenebris liberata, enituerit: quem ſplendorem eadem veritas, tot tenebris tanquam craſſis nubibus obducta in Papatu non poteſt diffundere: non enim novam Religionem profitemur, ſed veræ Religionis erroribus conſpurcatæ depurationem: & ita quidem ipſi agnoſcimus quod ita *priſca* noſtra *veritas* hinc *recens* docta & ſuſcepta ſit: ſicque poſt veterem Papiſtarum errorem, quæ diu hic regnum obtinuerat. Ita ut Pontificii, quantum ad Reformatos, non ſint *apoſtatæ*; quamvis Apoſtatarum numero habendi ſint reſpectu doctrinæ Euangelicæ & Apoſtolicæ, à qua deſciverunt. Omnibus conſideratis, Papiſtici Magiſtratus aliis omnino nituntur fundamentis ad Reformatorum Religionem arcendam: quanquam rationes Pontificiorum Magiſtratuum etiam non ſint ſolidæ; nec factum ipſorum juſtificari poſſit. Fides Papiſticorum Magiſtratuum aſſeverat, *deciſiones* Papæ, aut univerſalis Concilii (hac etenim in re Romanæ Eccleſiæ propugnatores diſſentiunt) vim legum habere; etiam contra alios Chriſtianos. Itaque diſſentire à Romana Eccleſia, crimen eſſe animi *non obedientis*. Verum de his ſuperius diſputatum eſt: licet, ut dixi, rationes Pontificiorum non ſtringant. Quia Reformatus non tenetur credere infallibilitatem *Romani Pontificis*, vel univerſalis *Concilii*. Et idcirco recte cenſemus, dure eos tractari, quum vi hujuſmodi fidem nobis injungere volunt: & deciſionibus Eccleſiæ Romanæ non aſſentientes tractare ut inobedientes, contumaces & rebelles; quia auctoritati Papæ & Conciliorum non paremus. Nos enim talem auctoritatem derogamus Papæ & Conciliis, & tantum Sacræ Scripturæ intellectum illuminanti; & ad hominis conſcientiam veritates ſuas, quas continet, manifeſtanti illam auctoritatem tribuimus. Et Pontificii demonſtrare nequeunt (fac nos hallucinari) nos per *malitiam* errare; quum non credimus, Romanam Eccleſiam ea poteſtate eſſe præditam, quam ſibi ipſa arrogat.

Si nobis opponant, Judæos etiam mandatum habuiſſe, ut omnes populos, qui Terram Canaän inhabitabant, delerent ob horrendam ipſorum *idololatriam*: qui

tamen etiam nunquam Membra Reipub. Judaicæ fuerant: quorumque *idolomania* neque *inobedientia* erat: nec *defectio* à Deo Iſraëlis. Reſpondeo hiſce. Hoc præceptum peculiare fuit: ſolum ſpectans incolas terræ Canaän. Non etiam *naturali* quadam *æquitate* nixum eſſe: quamvis ei non repugnet. Cujus etiam nulla alia ratio reddi poteſt; niſi *Deo ita viſum eſſe*. Et ſi ulla ratio in Verbo Dei reddatur: tamen illa in hanc quæſtionem non quadrat. S. Literæ affirmant, Deum hoc feciſſe, ne Iſraëlitæ malo exemplo ſeducerentur. In noſtra Patria, ſeu Pontificiorum ſacra turbentur, & *exercitatio* Religionis ipſorum impediatur, in medio tamen noſtrum habitare perſeverant: & Reformati non minus periculum incurrunt prævaricationis per Papiſtas, ſive eorum cultum turbes, ſive illius uſum illis concedas. Præterea dummodo caveatur, ne munera ulla aut beneficia poſſint dare aut accipere in Republica: periculum ſeductionis nunquam magnum erit. Nam dicendum quod res eſt: ſi recte introſpiciamus ſenſum atque mentem eorum, qui propter religionum & ſacrorum diſcrepantiam in proximum duriores aut implacabiliores ſunt, cognoſcimus illorum zelum præcipue exardeſcere, quia metuunt ne priventur mundanis quibusdam commodis; & illos hoc primum ducere, ut à ſe diſſentientes muneribus & honoribus excludantur: quamvis illa hujuſmodi ſint, ut cum Republica nihil commune habeant, non magis quam privatorum poſſeſſiones. Sed ad inſtitutum. *Levit*, 26. alia enumerantur delicta, quare Deus populos illos voluerit exſcindi.

Hoc juſſum non poſſe etiam latius extendi, hinc quoque patet; quod alios populos extra terram Canaän, quum forte bellum iis cum ipſis oriretur, iſtosque ſubigerent, non cogerentur evertere: ſed ſufficiebat, ſi ſtipendium illis imponerent; permittentes ipſos idola colere. Atque hoc conſideratione dignum eſt. Nam Pontificii ut peſſimæ conditionis conſiderati, & ut iniquiſſimo jure, non pejus in noſtra Repub. debent tractari, ac *tributarii* Imperii. Omnes tamen noſtri Theologi Pontificios æquiori jure eſſe autumant. Si itaque Reges Iſraëlis nihil peccarunt, quum devictos hoſtes *tributarios* facerent: formam Regiminis ſui & Religionis ipſis relinquentes: durum eſſe cenſentes utroque illos privare. Quare Magiſtratus Reformatus per leges, quæ ex Veteri Fœdere contra permiſſionem *idololatriæ* Papiſtarum allegari ſolent, obſtrictus foret Pontificiam *idolomaniam* inhibere: & propter conſcientiam teneretur eam omnino exturbare. Ita ut idololatria illa aut per ſe ita mala foret, ut Chriſtianus Reformatus Magiſtratus nullo modo ad illam poſſit connivere: nec moderata quædam libertas ipſis concedi; ni major boni publici ratio illud imperarit: quemadmodum ſcelera Naucleri impunita tranſmittimus, quando vectores ejus arte carere non poſſunt: aut quod rationes, ex charitate deſumptæ, quam proximo debemus: nec quas à neceſſitate mutuamur; eam permiſſionis ſpeciem juſtificare poſſint. De quibus duobus poſtremis caſibus jam non ex profeſſo agimus. Verum de primo ſolum: in quo peccatum, quod Pontificii per ſua falſa ſacra & religiones committunt, æſtimatur ex ſe, & ex inſito & inteſtino ſuo, non ex appendicibus & circumſtantiis, ut vulgus loquitur.

Licet enim Papiſtæ, de quibus diſputamus, hujus Reipub. ſint ſubjecti: nec *tributarii* populi cives appellentur. Et Reges Iſraëlitarum legem haberent, nullum *idolorum cultum* in ſuo Imperio tolerandi. Hoc tamen immotum manet; Reges populi Iſraëlitici vi conſcientiæ obligatos non fuiſſe, in devictis regionibus, quaſque tributarias fecerant, *idololatriam* exſcindere. Itaque concludendum eſt, legem, qua prohibebantur ullam *idolomaniam* in ſuo Imperio tolerare, ſpecia-

cialibus, & iſti Reipub. propriis fundamentis niti.

Hactenus de *idololatria* & *ſuperſtitione* Pontificiorum actum eſt; ac examinatum, an Reformatus Magiſtratus propter læſionem & offenſionem conſcientiæ; & quod Dei voluntas & mandatum ſint; cogatur *idolomaniam* & *ſuperſtitionem* dictorum Romanam Religionem profitentium per pœnas & mulctas coërcere, propter magnitudinem mali: quemadmodum tenentur blaſphemiam, homicidium, adulterium, &c. ob magnitudinem iſtorum criminum: & non ſolum quod ea ſua natura & proprietate ſocietatem humanam perturbare & debilitare poſſint, per pœnas & mulctas impedire. Nam caſus nunc ita ponitur, ut per falſa Pontificiorum ſacra Reipublicæ nullum periculum immineat, quam illud, quod à Deo illi immitti poſſit propter neglectam Magiſtratui illius mali pœnam. Et concluſimus nullis firmis & claris rationibus poſſe probari, ſæpius dictum peccatum ejus malitiæ, atque tanti mali eſſe: ut ſolum conſideratione criminis, quod illi ineſt, prædicta illa delicta modo ſuperius narrata poſſent inhiberi. Etiam data nobis illa occaſione demonſtravimus, præter illam rationem, adhæc alia concurrere in Papiſtis noſtrarum regionum, quare ipſis maxime ſit parcendum; ni major boni publici intuitus, & metus imminuendi illud, hoc impediret. Et illæ rationes petuntur à circumſtantiis, quæ tam Reipublicæ noſtræ, quam ipſis Pontificiis adhærent, inter quas jam commemoranda circumſtantia non eſt minima.

Vulgo notum eſt, Rempublicam non poſſe ferre ea onera, quæ & pacis & belli temporibus ei ferenda ſunt, ſine magna incolarum turba, quæ undique confluxerunt: ac per quos opificia, piſcatio, & mercatura exercentur. Unde vectigalia & tributa procedunt ad ſuſtentationem Reipublicæ & Eccleſiæ. Porro nemo diffiteri poteſt, ſi is regnandi modus in Repub. non obtinuiſſet, ut eo tam illi Pontificii, qui ſub juriſdictione noſtræ Reipub. remanſerunt; quam hi, qui propter mercaturam, & res ſatis ex voto nobis fluentes, huc delati ſunt, moderatam quandam libertatem exercendæ ſuæ Religionis promittere ſibi potuiſſent; non ita in hiſce terris remanſiſſent, aut aliunde huc delati conſediſſent. Si autem hoc non contigiſſet; Patria noſtra ad tam florentem ſtatum nunquam perveniſſet: nec in eo, quantum mens humana conjectura poteſt aſſequi, conſervari. Quo etiam neceſſario imminui debuiſſent bona, ad publicam conſervationem miniſterii Eccleſiaſtici, Regiminis politici & militaris requiſita. Ita ut is caſus poſſet exiſtere, quo non minor neceſſitas ſuaderet, Papiſtis permittere *libere exercere* ſuam Religionem: quam erat, quum ea fuit concedenda nonnullis civitatibus bello ſuperatis. Sed fateor hanc quæſtionem eſſe politicam, quam in medio relinquimus. Quum ergo Rectores judicant, hujuſmodi neceſſitatem præſto eſſe: & ſe propter eam neceſſitatem nonnullam libertatem *exercitationis* permittere: *exercitatio* Pontificiæ Religionis eo non incurrit in aliquam offenſionem aut culpam. Et Papiſtis eodem fundamento libertas conceditur: quo etiam Legatis, & externis *militibus*; quibus utriſque ſæpius Imperia indigent, ſi Statum in conſtanti otio & pace conſervare velint. Et puto inter multas alias rationes (per quas facta Rectorum in multis noſtræ Patriæ Civitatibus, in quibus Papiſtis modica exercendi Cultum ſuum Divinum libertas conceditur, à turpi nota vindicantur) hanc non è minimis eſſe. Eo fundamento in exercendo Cultu Divino Judæorum connivetur: nimirum quod eorum negotiatione carere nequeamus. At aliquis facile arbitretur, multo magis nos incolatu Pontificiorum indigere. Qui, ni legibus quibuſdam adſtricta libertas *exercitationis* Religionis ſuæ relinquatur: & ſi perpetuis mulctis conſumantur; aut

ad

ad pernicioſa conſilia confugerent; & prima quaque occaſione ad Pontificium Reipublicæ hoſtem deſciſcerent, aut dilaberentur: vel adeo inopes fierent, ut Imperio ſolum oneri forent: ſub quo tandem deficeret. Sed, ut ſuperius indicatum eſt, hoc mere politicum eſt: nec ſpectat ad Theologiam neque Theologos: quoniam ex natura Imperii profluit: quod judicium illius, quid Reipublicæ neceſſarium aut ſecus ſit, Regimini Politico omnibus aliis remotis competat. Quemadmodum contra etiam alia argumenta illius naturæ ſunt, quæ ex Politicis conſiderationibus deſumuntur; quæque impedirent, quare Pontificiis libertas Religionis ſuæ non poſſit concedi. Sed de hujuſcemodi rebus ſententiam ferre nec magis Theologorum eſt, quam jus ipſis eſt definire; quantum exercitum terreſtrem Rectores alere debeant: & quot naves bellicæ quotannis ſint ædificandæ. Quapropter quum Magiſtratus Romanam Religionem profeſſis nonnullam libertatem impertit ex rationibus Politicis: non decet Theologos aperte ei repugnare; & valorem iſtarum rationum examinare. Et quum illæ (quia ſunt, aut arcana Reipublicæ, aut talia, de quibus nullus ferat judicium, niſi de omnibus circumſtantiis, quas ponderare tamen politicorum tantum eſt) non revelantur ipſis, vel diſplicent; tunc iis ſeſe opponere.

Adhæc aliud plerumque ab iis, qui in hac quæſtione à nobis diſſentiunt, adfertur argumentum; quodque aliquatenus à Paſtorum munere ducitur: nempe, cohabitatione Pontificiorum nobiſcum multos Reformatorum ſeduci: & eo tantam turbam Sacerdotum & Papiſticorum Doctorum Reformatis ſeſe commiſcere, ut numerum Reformatorum Doctorum in eiſdem locis longe ſuperent.

Reſpondeo: ſi aliquod ſit periculum, ut per commixtionem Pontificiorum cum Reformatis, nonnulli Reformati à vera fide avertantur: vice verſa omnem ſpem illos Papiſtas, qui in noſtris terris degunt, convertendi, tolli: ſi è medio noſtri eliminentur; & in Papiſticas regiones expellantur. Non quod putem, idcirco exteros Pontificios ad nos eſſe invitandos: ut ſic occaſio nobis naſcatur melius ipſos inſtruendi. Quamvis cenſeo ejuſmodi occaſionem poſſe incidere: ut æque officium Chriſtiani fieret, errantem in fide tecto recipere, ipſumque invitare, ut in Patria ſua, & domi ſuæ commoretur, quo ſubducatur multis periculis & incommodis, quibus ejus ſalus in diſcrimen venit, & quæ ſubire neceſſe habet, ſi in Patria ſua & inter ſuos peſſimis erroribus affectos ætatem agere debeat: quemadmodum quidem Chriſtianum decet, aliquos omnibus afflictos caſibus, & omnium egenos exteros ad nos allicere. Verum non opus, ut huic quæſtioni nos immiſceamus. Sed prædictum noſtrum propoſitum eo nititur, quod pro Pontificiis civibus noſtris magis ſit nobis enitendum, quam quidem pro exteris.

Et maxime conſiderandum eſt; an bona conſcientia errantem Papiſtam, in quo nondum contumacia conſpicitur, ita liceat in illas terras amandare, ubi error ipſorum tantum fulcimenti & alimenti recipit: & occaſio convertendi ſe adeo exigua eſt. Et certe deliberationem meretur; an rectum ſit, maleficum, poſtquam punitus eſt, extemplo rurſus ad malorum gregem remittere: quo facile iterum poterit corrumpi. Sic etiam non minus ratione ſubnixum videtur, nos parum manere in noſtro officio, ſi Papiſtam in eas terras relegemus, ubi veritatem non poterit audire. Et quî hæc conveniunt: præ zelo prædicandi munus in ſe ſuſcipere, ad veritatem inter Pontificios & Gentiles annunciandam: & Romanæ Eccleſiæ aſſeclas è medio noſtri expellere; ut poſtea denuo in aliis terris inveſtiges, ad eos convertendum? Adhæc ſi argumentum à ſeductione deſumptum procedit: ſequitur inde, ut etiam iſtos, quos à Pa-

patu, aut Paganiſmo ad noſtram Religionem convertimus, ex medio illorum errantium ad nos transferamus, ne ſeducantur. Fertur etiam multiplicationem Papiſticorum Doctorum poſſe quidem prohiberi: ſi Pontificiis certus numerus concederetur: iſti autem, qui ſine notitia Rectorum, & ſupra numerum terras noſtras ingrederentur, aliquanto durius tractarentur. Præterquam quod recta & Chriſtiana ratio ad Reformatos adverſus Pontificios muniendos ſit, noſtram doctrinam clare proponere: & honeſta vita proximum noſtrum in fide ſua confirmare. Quoniam omnes aliæ viæ ut plurimum à charitate abſunt, ac multas confuſiones, turbas, deſolationes atque vaſtationes in orbem terrarum inducunt: quibus facile & Imperium Religioque ſimul pereunt: ac ad paucas animas contra errorem muniendas, infinitæ in temporalem & æternam perniciem corruunt. Tum etiam ad dictum hoc ſeductionis malum vitandum non ſufficeret, Pontificiam *idololatriam* & *ſuperſtitionem* prohibere: ſed omnes Pontificii eſſent ejiciendi in exilium, & aqua & igne interdicendi; & una vetandum ne ulli libri Pontificiorum hic diſtraherentur: quinimmo ne adverſus eos aut doceretur, aut ſcriberetur: & Pontificiorum doctrinæ, nec argumentorum, quæ pro illa afferuntur, uſquam in Reformatis Terris mentio fieret: ne quiſquam ex auditu iſtorum argumentorum ſeduceretur. Licet enim apud Reformatos nunquam Pontificiorum argumenta in medium proferantur, quin ſimul etiam refutentur: tamen facile fieri poteſt, ut ei, cujus animus eſt argumenta adverſarii ſui refellere, idipſum non feliciter ſatis procedat; & ut eo contraria doctrina recipiatur; vera autem reprobetur. Etiam ſatis muniti videmur adverſus ſeductionem: quod in his regionibus ubique Doctores, & libri, qui noſtram Religionem propugnent, reperiantur: quoſque quivis conſulere poteſt, qui circumſpecte in Religione ſua vivit, & æquo veritatis amore ducitur.

Et qui tam facile ſeduci ſe patitur, ut laborem nolit ſuſcipere rationes, quæ pro cauſa aliqua, vel contra eam militant, bene examinandi; & adjumenta illa Doctorum & librorum in ſuum commodum convertendi, quos in promptu habet: quique ad inveſtigationem, & bene de veritate judicandum, multum conferunt: horum aberratio vix vitari poteſt: ac facile de eis crederem, ipſos impetu potius, quam judicio; & caſu magis, quam accurata diſquiſitione Reformatorum cauſam elegiſſe: ac magis obedire Nutricis præceptis in Religione, quam parere rationi & Scripturæ. Et ideo Religionem talium vaniſſimam eſſe; atque hujuſmodi veritatis profeſſionem Deo diſplicere.

Quicquid ſit: cenſeo illi, qui veritatem amat, eique ſtudet, non ferendum, ut facile ipſi occaſio eripiatur, utriuſque partis argumenta de controverſiis fidei examinandi: nec ſe facile in iſtas anguſtias compelli ſinat, ut parte tantum altera audita de controverſis capitibus in Religione ſententiam ferre neceſſe habeat. Me meos injuria affecturum arbitror; ſi illis injungerem in rebus Religionis ſuos ſenſus ad meum conferre arbitrium: & ut illud efficerem, hac ratione uterer, ut ipſis omnes occaſiones auferrem opiniones aliorum etiam cognoſcendi, ac examinandi. Certe hi nimium dictaturam exercent in ingenia aliorum, qui volunt, ut alii in rebus Religionem ſpectantibus ipſorum ſolum ſequantur Cynoſuram. Atque exiſtimo per hujuſmodi inſtitutum majus periculum adiri, ne revera alia religio habeatur, quam quæ ex uberibus nutricis nobis hauſta eſt, (quæ vera non eſt cognitio, nec Religio, quæ Deo grata eſt) quum quis in eam ſervitutem redigitur, ut alterutram tantum partem poſſit audire: quam quidem periculum, ut ſeducatur; quum utriuſque partis argumenta de re aliqua licet cognoſcere.

Pro-

Probe novi Verbum Dei ſe propria virtute à tenebris diſtinguere: idque neutri partium addictum eſſe. Ac ſi illi adhæreamus, idque probe meditemur, nos aliis quidem ſcriptis poſſe carere: & ita de quibusdam opinionibus & dogmatis judicari recte poſſe, etiamſi adverſarum partium argumenta audire non contingat. Tamen negari nequit, per lectionem annotationum in S. Scripturam, quæ à multis conſcriptæ ſunt, multum luminis lectori ſuppeditari, ad melius de ſententia locorum quorundam controverſorum judicandum. Et de hujuſmodi textibus & Theologicis poſitionibus hic nobis ſermo eſt. De erroribus enim & hæreſibus, quæ omni rationis aut probationis ſpecie carent, altum hic nobis ſilentium. Et prorſus inutile eſt, multo minus neceſſarium, ad veritatem bene penetrandam; rationes iſtorum hæreticorum, qui data opera errant, & in quorum opinione primo intuitu malitia & impietas ſe produnt, cognoſcere. Et hoc genus hominum, æque ac malefici, prohibendum eſt. Scio equidem nonnullos dicturos; tum veteres difficultates iterum remanſuras. Et quod unus parvum ducit errorem, & ab omni malitia ſejunctum; alter pro impia habet opinione. Atque tum ita januam ad perſecutionem ob differentias in Religione denuo aperiri. Reſpondeo; hoc tamen fundamento ſervato; nempe de hominum erroribus judicandum, eorumque pondus æſtimandum, prout malitia magna aut parva eſt, qua in iſto errore verſantur. Et tùm omni moderatione & ſano judicio, & præcipue charitate adhibitis; in actionibus noſtris, quæ charitas in omni vitæ noſtræ curſu primas partes ſibi vindicare debet, ac præcipue in vitæ officiis dirigendis atque moderandis ſectemur auream à Chriſto traditam regulam, ut ipſi faciamus aliis, quæ nobis vellemus fieri: cenſeo multum obſtaculi amotum eſſe, & multa imperia minus laboratura ab iniquis juſſis & legibus.

Verum etiam, fidem donum Dei eſſe: & per gratiam Divinam nos credere. Sed ſi id verum; idque ita accipiendum, quemadmodum illi videntur capere, qui hoc argumentum uſurpant: quare ergo ita iraſcimur; quod aliquis in rebus fidei diverſam à nobis foveat ſententiam. Fides tunc certe non poteſt obtrudi; quandoquidem ex iſtorum hominum ſententia, inſtitutione atque diſciplina comparari non poſſit. Cum autem fides donum Dei eſſe dicitur; & gratia Numinis aliquem credere: id non denotat, Deum immediate homini veritatem patefacere, aperire, & menti ejus inſtillare: aut fidem *chariſma* eſſe: aut Numen Divinum fundamenta & rationes noſtræ fidei, quibus de veritate ejus perſuaſi ſumus: quibusve illam contra alios propugnamus, nobis infundere: ut nulla diſquiſitione opus ſit: neque ponderatione rationum utriuſque partis. Credo Deum ſæpenumero immediate, & uno quaſi ictu ingenium hominis liberare à ſuo præjudicio. Cenſeo etiam multos homines repente & citiſſime ad veram converſionem perduci. Sed non video, nec animadverto, iſtum hominem ideo ſtatim ſapientiorem eſſe ad textum quendam explicandum: aut objectionem diluendam; aut aliquod fidei caput melius cognoſcendum, vel explanandum. Verum autumo etiam tum circumſtantias illius perſonæ, quæ adeo repente convertitur ſine prævia multorum capitum fidei cognitione, ejuſmodi eſſe: ut pauci fidei articuli pro eo tempore ad ſalutem ipſi ſint neceſſarii. Et converſionem tamen ejus veram & ſinceram eſſe. Ita ut talia exempla non demonſtrent, notitiam capitum fidei plerumque alio modo comparari, quam ſancta, pia, & ſeria inveſtigatione veritatis. Sub quibus officiis etiam examinatio argumentorum adverſariorum continetur.

Sed reponet nonnemo; an non maxime conſiderandum, tam multos infirmos Chriſtianos in periculum conjicere, ne

per falſos Doctores, Sophiſtas, & fallaces decipiantur: ſi illud urgeas, ut utroſque audias; & ne præjudiciis devies, libertatem commorandi in noſtris terris; *exercendi* ſuam Religionem, atque editionem ſuorum librorum eſſe permittendam. Reſpondeo rurſus non agi hic de manifeſtis & apertis impoſtoribus, ſeductoribus, qui notis ac ſua ſponte ſe prodentibus veritatibus repugnant: & apertis fallaciis, vana gloria & malitia inducti, ejuſmodi veritates ſubruere conantur. Et hujuſmodi fallaces & perverſos Doctores Scripturæ loca puto reſpicere, *Tit.* 3: 10. *Philip.* 3. 2 *Tim.* 1: 20, *&c.* Deinde hic tantum ſermonem inſtitui de eo, quid in comparatione æquius ſit, & rationi convenientius; quid antiquius alicui eſſe debeat: aut errantes, præ metu, ne aliquos infirmos & imprudentes, qui temere volunt credere, nec adjumentum ſumere rationum, quas ad manum habent, conſulendi ſuos Doctores, & bonos libros, à vera fide averterent, noſtris Placitis gravare, inclementer à nobis haberi, & efficere, ne noſtra via & exemplo in veram viam deducantur: Vel potius permittere, ut zizanium cum tritico una creſcat in diem meſſis: utque Deus tum bonam herbam à mala ſeparet. Verum dicat forte aliquis ex hac poſitione ſequi videtur; ut, ſi ad perveniendum ad veritatem, & ne ingenium ullo præjudicio occupetur, neceſſarium ſit utriuſque partis argumenta cognoſcere: tum etiam cautio adhibenda ne juventus iis Doctoribus & Magiſtris tradatur, qui eam in præjudicia præcipitent: ſed tum etiam omnes inſtitutiones & methodos, quæ pueris & adoleſcentibus dantur in omnibus ſcientiis inutiles, quinimmo noxias eſſe, quia Magiſtrorum, aut Doctorum nullus eſt, cujus mens cognitione illius diſciplinæ, quam profitetur, non imbuta putetur; & quam etiam ſuis diſcipulis tradit: qui tamen id ætatis aut ejus uſus non ſunt, ut veritatem ipſam à ſpecie ejus diſtinguere norint. Reſpondeo, id non ſequi. Verum quidem, omnes tam juvenes, quam ſenes, eſſe docendos pro captu ipſorum, & ingenii modulo. Et cavendum ne ab ipſis in rebus ad notitiam & fidem ſpectantibus aliquid exigamus: ſi non ſciamus ingenium illorum hæc capere poſſe. Et capita fidei, quibus Eccleſia aliqua fundatur, ab omnibus, qui pro Eccleſiæ Membris habentur, intelligi debent. Præterea omnis ſcientiæ principia, ſive ea ſit Divinarum, ſeu humanarum rerum, per ſe clara eſſe debent; alioquin non ſunt prima fundamenta: & circa hujuſmodi res non requiritur, ut aurem præbeamus argumentis, quæ pro cauſa quadam, vel contra eam militant, quia res clare & diſtincte percepta nota non indiget, qua à falſa diſtinguatur. Sed in omni occaſione opus eſt, ut diſcipuli moneantur, ne in omnibus jurent in verba Magiſtri: verum cuncta diligenter inquirant & probent, bonum conſervantes, 1 *Theſſ.* 5: 21. Ac hoc pro certo habeant, non eſſe fidei, aut religionis; aliquid credere, & confiteri quoddam Fidei caput, in quo nulla *evidentia* & claritas in noſtro intellectu, per nonnullum Scripturæ locum, poſt diligens examen, bene & clare intellectum: vel bona ratione, rectis & firmis principiis, & irrefutabili naturæ lumine elaborata conſpicitur. Quicquid autem alio modo creditur, Deo diſplicere: nec in eo nos ullam Religionem; vel bonum & ſanctum opus collocare poſſumus. Vel dictum noſtrorum adverſariorum approbandum foret: Fidem rectius per ignorantiam, quam per ſcientiam definiri. Et licere quidem *Amen* dici ad illa, quæ non intelligimus: ac licere quidem dici, nos quædam credere: quamvis cauſam ignoremus: fidemque implicitam in Eccleſia Dei valere. Atque aliena fide nos poſſe ſervari: ac alteri mandare curam inquirendi, quid mihi credendum ſit: & tunc ad ejus ſententiam credere: ſicuti privati in Regimine Politico inquiſitionem, quid ſalus populi deſideret,

deret, Magiſtratibus: quid autem juris ſit, Judicum Religioni relinquunt.

Probe novi quoſdam dicturos, ex hujuſmodi poſitionibus magnas confuſiones eſſe orituras: partim quod homines nihil Doctoribus ſuis & Magiſtris deferentes; & de omnibus ipſimet judicare volentes; cunctaque ſecundum jam dictas regulas probare, antequam ſententiam ſuam ferant. Vel ſaltem, de longe maxima parte articulorum noſtri Catechiſmi, dubitabunt, vel quod tum alius aliud ſequetur, ſecundumque animi ſui ductum credet: admittentes opiniones in Religione; ac Doctores eligentes; atque libros legentes, prout cuivis Chriſtiano videbitur. Quibus ad minimum tantum abſurdi ineſſe videtur: quam quando adoleſcentibus nullos apponimus rectores in legendis Magiſtris, qui ipſos docebunt, quæ illis ad notitiam opificiorum, & aliarum vitæ profeſſionum neceſſaria ſunt: & libertas eis conceditur illico de inſtitutione ſuorum præceptorum judicandi: atque ita magiſtris omnem auctoritatem eripimus. Quod tamen omni rationi videtur adverſari.

Reſpondeo: abſurditates hæ fortaſſe aliquanto latius extenduntur, magisque exaggerantur ad invidiam & odium libertatis in religione, quam jam urgemus, quam neceſſe eſt: ac inter abſurda etiam numerantur, quæ longe inde remota ſunt; & forſan fundamenta ſunt noſtræ Reformationis. Nam primo charitatis opera non tolluntur; per quam quivis tenetur proximum docere & imbuere iis, quæ vera, ipſique neceſſaria & utilia arbitratur.

Etiam iſtius eſt officium, cui hujuſmodi admonitiones & inſtitutiones fiunt, quum eas probat, ſuſcipere. Nec etiam auctoritas & poteſtas illorum removetur, qui in alios imperium habent, conſtituendi ipſis præceptores, quos aptiſſimos cenſent ad alios inſtruendum. Sed affirmatur illam inſtitutionem fieri debere, procaptu eorum, qui erudiuntur, id eſt, ne quid ipſis proponatur, quin apti ſint quodam lumine, & quibusdam *principiis*, quæ ipſis inſunt, rationem comprehendere; veritatem vel æquitatem, exiſtentem in re, quæ ipſis proponitur: & inſuper requiro, ut illis, qui jam aliqua diſciplina edocti ſunt, permittatur libertas matureſcente ætate ea, quæ altioris ſunt indaginis, nec primorum principiorum aut proximorum a primis dignitatem ſua perſpicuitate tueri poſſunt, de novo ad examen vocare, neque illis eripiantur auxilia, quibus indigent ad illud examen juxta prudentiæ regulas inſtituendum. Hic enim nobis non eſt ſermo de linguis, aut opificiis docendis. Dicimus porro, neminem in rebus, quæ conſcientias ſpectant, alterius ſententiis alligari. Ratione prorſus carere, homines ſemper ut pueros conſiderare, qui inepti ſint ad bonos præceptores eligendos: & ad judicandum de inſtitutionibus & fundamentis ipſorum; præterquam quod ea poſitio fundamentum ſit totius Papatus. Etiam Doctores Pontificii optime in rem ſuam nôrunt vertere hoc argumentum; quum auctoritatem Papæ & Eccleſiæ ſcriptis ſuis defendunt: & docent ipſis fidem eſſe habendam, nullo examine inſtituto: quandoquidem etiam nobis, ut ajunt, neceſſario eo deveniendum ſit, ut in rebus fidei nonnulla credere debeamus, abſque ulteriori argumento aut ratione. Quoniam in omnibus ſcientiis, nedum in iis, quæ Religionem ſpectant, *principia* quædam præſupponantur, quorum nulla probatio exigitur; ſed quæ ex dicto & auctoritate alterius credenda ſunt: quod omnino, ut ferunt, juſtum ſit, ut diſcipulus, qui primum incipit, magiſtro ſuo credat. Majoris eſſe prudentiæ, juxta conſilium & regulam ſapientium fidem & vitam regere, quam ſuo judicio vivere. Credendum eſſe, antequam rationem fidei noſtræ ſciamus: & quum etiamnum inepti ſumus ad rationem intelligendam. Providentiam Dei in

in omnibus rebus conſtituiſſe certam auctoritatem, per quam nos veluti per gradus ad Deum, & ad fidem deducamur. Auctoritatem Eccleſiæ ſucceſſiſſe in locum miraculorum. Credendum nobis, inquiunt Pontificii Doctores, ante ullum examen, ſed tanquam principium, dari Religionem: Chriſtum, nec Deum poſſe mentiri: Scripturam eſſe Divinam, nec nos altioribus *principiis*, tanquam rationibus & argumentis ad iſtam fidem duci deberi: alioquin hujuſmodi religionis partes non eſſe ponendas inter religionis prima principia; quæ ſua evidentia non argumentatione aut ratiocinatione fidem inveniunt apud Chriſtianos. Aut alias homini tamdiu licet dubitare, & judicium inhibere, num Deus non quidem fallere poſſet homines: donec rationem, quare hoc non poſſit fieri, recte percepiſſemus. Eſt igitur abſurdum, inquiunt, nullam auctoritatem, vel prima *principia* in Religione agnoſcere, quibus ſimpliciter credendum eſt ob ipſorum auctoritatem. Auctoritatem Eccleſiæ etiam ejuſdem eſſe naturæ. Quibus omnibus nodis & argumentandi modis repugnare nec reprobare poſſumus: quum approbamus doctrinam & ſcripta nonnullorum Doctorum in Reformatis Eccleſiis; quando apertis verbis pro concione docent, *multa rogare & inquirere; nec non multas formare quæſtiones, & dubia movere, eorumque ſolutionem expetere, Membra non decere. Licitum eſſe adverſarios adoriri Doctorum auctoritate in Eccleſia: ipſiſque Doctoribus Reformatis jus eſſe mandata & leges præſcribendi, quid nobis credendum ſit: atque non parentibus inſcitiam & inobedientiam exprobrare: & veris pœnis, quamvis ſpiritualibus, iſtam obedientiam, & contumaciam, ut vocant, vindicare.* Quum tamen ſecundum fundamenta noſtræ Reformatæ Religionis, quando de *veritate* diſputatur, dicendum foret; hoc vel illud cum ratione, vel cum Verbo Dei convenire aut non convenire. Aut quando quæſtio eſt, an quis *doctrinam Eccleſiæ* ſequatur: ut tum ipſi demonſtretur, illum in quodam capite ab ea aliquid ſejunctum docere: ac tum loca quædam ex Confeſſione noſtra allegentur: ac oſtendamus, illa non convenire cum doctrina iſtorum, quibuſcum nobis negotium eſt. Quo probato, adverſarium recte novitatis reum agimus; nondum tamen erroris damnare licet: niſi confeſſiones fidei noſtræ velimus ad illam auctoritatem extollere, ut eas pro canone & regula veritatis velimus haberi.

Inquam ergo, maxime nos cautos eſſe debere in docendo circa auctoritatem Eccleſiæ Doctorum; ut & in ſuſcipiendis aliquibus fundamentis doctrinæ ejuſdem: quum tamen inepti ſimus, & libertate careamus, diſtincte judicandi de deciſionibus atque decretis Synodorum: illaque admittendi vel reprobandi, prout quivis judicat, ex Verbo Divino ad alterutrum obligatum ſe eſſe. Cauti, inquam, eſſe debemus, ne aut temere opiniones, aut ſententias quaſdam amplectamur, aut in rebus fidei aliorum arbitrio pareamus aut obediamus. Quoniam Pontificii illico inde colligunt: ſi non eſt illicitum, nec cum fide, nec ſpirituali hominis ſtatu pugnat, in quæſtionibus fidei alterius auctoritati, judicio ac fidei ſe ſubmittere. Nulla dari ratio poteſt; quare non etiam cuidam collegio aut perſonæ poteſtas decidendi concedi poſſit, quid in conſcientia ſit credendum: quemadmodum Regimen Politicum & Juſtitiæ, perſonæ certæ, vel Collegio committitur. Ita ut ipſorum judicium, quoad externa, civibus pro lege ſit, juxta quam vita eis dirigenda eſt. Ideo omnes deciſiones, decreta & conſtitutiones eccleſiaſticæ de rebus fidei, ſecundum fundamenta noſtræ Reformationis omni illa poteſtate ac auctoritate carent, qua *alicui, per formam legis & mandati præſcribitur, quid ipſi credendum ſit* (*de iis, quæ ad ordinem ſpectant, altum nobis ſilentium*) quum tantum contineant declarationem opinionis eorum,

quæ

qui jus cognoſcendi & judicandi de illis habuere: quamque opinionem arbitrantur quidem Verbo Dei niti: eamque idcirco in ſuis quique Doctores Eccleſiis & Membris poſſunt quidem proponere, ut rem, de qua omnino perſuaſi ſunt, fundatam eſſe in Verbo Dei: quamque ideo etiam plebs Eccleſiaſtica, dummodo probet eam, recipere tenetur. Sed tum ſententia Synodi non eſt lex conſcientiis Membrorum, ſed ſenſus verborum Scripturæ ad conſcientiam manifeſtatus homini Chriſtiano lex eſt. Et cenſeo illum agendi modum, quo à nonnullis quædam fidei capita cuduntur; & dein ad Eccleſias mittuntur, ut Membris ſint confeſſio fidei, cuique vi conſcientiæ obſtricta ſint, ad nos ex capitali Papatus errore perveniſſe: nempe poteſtatem aliquam & auctoritatem penes Eccleſiam eſſe; quibus leges, ordinationes, & decreta circa res, quæ fidem ſpectant, & quibus *conſcientias ligent*, poſſit condere; ac quas reliqua Eccleſiæ Membra credere & recipere tenentur: ſive *fide implicita*, *ſeu explicita*. Exiſtimantes cum rebus fidei ita comparatum eſſe, quemadmodum cum legibus politicis: quas Magiſtratus plurimas condit, & contra quas nemini quidem licet quid facere; quas tamen non cuivis civi opus eſt noſſe vel intelligere: quod vix duæ ſint leges ſæpius ex infinitis, quæ maximam ſubjectorum partem ita ſpectent; ut neceſſe ſit ipſis eas directe *cognitione explicita* perſpectas habere. Sed ſufficit illis, quod poteſtatem agnoſcant, quæ leges ferre poſſit, cui obnoxii ſint, & parere cogantur: quum eorum ſtatus & vitæ profeſſio in Politia ab ipſis exigit, ut leges illas cognoſcant: quibus ipſorum vitæ ratio, & quæſtus, quo vitam tenent, circumſcribitur. Hujuſmodi enim leges & decreta quemadmodum in commodum Reip. tantum inventa ſunt: ita illa ſcire eorum tantum intereſt, quorum munus & officium, vitæque ratio, & ſtatus in Republica illis modus ponitur.

Sic etiam in Papiſmo agitur. Confundentes eccleſiaſtica cum ſecularibus, quotidie novas leges & canones cudunt: has vel illas opiniones ut hæreticas proſcribunt, prout neceſſarium arbitrantur ſeductionem falſorum Doctorum prævenire, Eccleſiamque ab illa labe liberare, aut contra eam munire: & ſatis habent, ſi vulgus generatim poteſtatem leges ferendi, quæ conſcientiam obligent, in Eccleſia agnoſcat; cæterum ea tantum fide explicita cognoſcat, quæ religionis ipſorum capita ſpectant. Atque ut cuncta omnibus numeris abſoluta eſſent; eccleſiaſticæ pœnæ repertæ ſunt: nempe excommunicatio. Docentque in Eccleſia ſpiritualem eſſe jurisdictionem; ſive clavem internæ jurisdictionis in conſcientias, ſacerdotibus competentem.

Et Pontificii ad fundamentum hujus erroris falſa utuntur hypotheſi; quod putent, communionem ſeu congregationem Chriſtianorum in Eccleſiam, in alia qua re conſiſtere, quam in voluntario conſenſu quorundam fidei articulorum; & in conjunctione quadam animorum in fide & bonis operibus; & in quadam regiminis forma, ſine ulla omnino poteſtate cogendi in ſpiritualibus, & *conſcientias obſtringendi in rebus ad fidem pertinentibus*, quæ eſt doctrina Reformatorum. Verum Papatus arbitratur communionem Sanctorum, qua talium, & conſideratorum ſub forma Chriſtianorum, quodam conjunctionis genere niti, quæ in Regimine Politico reperitur: ubi ſunt imperantes & parentes: ubi poteſtas & fundamentum imperandi & obediendi nititur contractibus, promiſſis, traditionibus alicujus juris: ac ubi pœnæ fundatæ ſunt inobedientia, & imminutione juris alterius: aut ſaltem in conſervatione Societatis civilis. Et ubi imperans illud facit ex eo jure, quod Dominus & moderator ſit iſtorum, in quos imperium exercet: & poteſtatem coactivam habet aut ipſos ſub ſuis legibus & jurisdictione retinendi:

vel

vel etiam eos, qui imperium hoc non agnoſcunt, ſub illud redigendi. Quæ omnia è diametro pugnant cum vera Eccleſiæ natura, in ſpirituali ſuo ſtatu conſideratæ. Nemo illic conſcientiam ſuam, fidem, judicium, &c. alterius judicio & poteſtati ſubmittit: nemo per promiſſa quædam proximo ſe obligat, aut ſuperiori, ad rem aliquam faciendam, quæ ita conſcientiam ſpectet, ut eam hominum judicio aut poteſtati ſubjectam putet. Verum ut libere conſentiunt in quædam fidei capita, atque ita aliis Chriſtianis ſe conjungunt: quod judicent, impulſu conſcientiæ, ſic faciendum ſibi. Ita etiam liberum ipſis ab ea recedere, quum putant ſe in ejuſmodi conſenſione & conteſtatione arctioris ſocietatis, conſcientia id ipſis ſuggerente, non amplius poſſe manere. Etiam in Eccleſia nullæ feruntur leges; nec Eccleſiaſtica pœna exercetur, quæ quidem propter quædam Membra ſolum conſtituitur: & quarum violatio quosdam tantum reos facit. Atque ex erronea intelligentia naturæ Eccleſiæ deſcendit, quod nonnulli ex Reformatis doceant, in magna corruptela morum inter Membra in Eccleſiaſtica diſciplina licere aliquid relaxare: eosque ad Cœnam admittere, quos indignos judicant, ut eò accedant. Hic agendi modus in Regimine Politico locum obtinet: non autem in Eccleſia.

Communio ergo Sanctorum vel Chriſtianorum, cum proprie loquendum erit, quam *Eccleſiam* appellamus, nihil aliud eſt, quam voluntaria hæc animorum conjunctio. Et nullum *Regimen* in Eccleſia, qua Eccleſia, locum reperit: quod Eccleſiaſtica ſeu ſpiritualia ſolum conſcientias conſiderent: quæ certe nullius imperantis imperio ſubjectæ ſunt. Sed Imperium adhæret Eccleſiæ, quatenus illa Societatem aut Collegium conſtituit: omnis enim collegii & ſocietatis, ſive Eccleſiaſticæ, ſive Politicæ, ea eſt natura atque indoles: ut ſecundum leges quasdam regi debeat: & quanquam leges ſint diverſæ, forma tamen regiminis tantum una eſt, ejusdemque naturæ, tam in Eccleſia, quam in Imperio Politico. Et ubicunque Imperium eſt; ibidem poteſtas eſt jubendi, leges præſcribendi, & transgreſſores puniendi." Et forma omnium illarum rerum ubique in omnigena Imperii forma eadem eſt: quanquam materia legum & pœnarum multum differat. Atque ita *Imperium* in Eccleſiam pervenit, per ea, quæ mutuata eſt à Magiſtratibus: vel per naturalem ſuam libertatem: quatenus Magiſtratus illam libertatem privatis Chriſtianis voluerunt concedere, vel quatenus eam uſurparunt ex jure conſervationis ſui. Et eatenus Imperium illud Eccleſiaſticum proprie non eſt ſpirituale: verum *civile* & *ſecular*e. Quum omnia Imperia, eo excepto, quod conſcientiis imperat, & ſoli Deo competit, ab hominibus procedant. Nec Imperium ideo civile eſſe deſinit, licet circa Divina & ſpiritualia occupetur, ſi modo alicui imperio non tribuatur poteſtas obligandi & conſtringendi conſcientias: tunc enim imperium ceſſat eſſe civile, & migrat in imperium ſpirituale. Quoniam itaque forma Imperii ab Imperio ſeparari nequeat: juxta easdem regulas in praxin deducenda eſt. Ac ideo etiam in vero Imperio Eccleſiaſtico poteſtas imperandi, leges ferendi, & violatores illarum puniendi adeſſe debent. Atque quemadmodum tum omnis vis regendi ſub Magiſtratuum poteſtate comprehenditur: (adinſtar poteſtatis parentum in ſuos liberos; dominorum in ſervos) ſic etiam vis Imperii, quod in Eccleſia eſt, fundata eſt in eodem jure, quo poteſtas civilis. Quanquam Eccleſia ſecundum alias leges dirigenda eſt, quam quidem aliæ Societates, quæ in Statu reperiuntur. Verum hoc non impedit, quo minus illud imperium civile vocandum ſit; & ad imperium Magiſtratus referendum. Vel pro-

probandum erat, Deum aut poteſtatem Magiſtratuum per Euangelii prædicationem imminuiſſe: quod nullus Reformatus Doctor ſtatuet. Vel illud Imperium, quod ex Divinis legibus moderandum eſt, civilis Regiminis eſſe impatiens. Sed tum nullum imperium locum haberet: quandoquidem omnia Imperia ſecundum communes regulas juris & æquitatis, quæ à Deo derivantur, dirigenda ſint. Et generalia illa fundamenta & regulæ juris & æquitatis ſunt jus Divinum. Præterquam quod Rectores quotidie poteſtatem & auctoritatem ſuam uſurpent, ut Divinis legibus in ſuo territorio pareatur: nec ullus unquam Reformatus Theologus aſſeveravit, hoc excedere officium Magiſtratuum: vel Deum alias perſonas, vel collegia in terra conſtituiſſe, prædita poteſtate imperandi, quæ ſeparatim occupata forent in Divinis mandatis in praxin deducendis. Si itaque omnia Regimina (eo excepto, quod in conſcientias eſt) civilia ſint: etiam juxta regulas iſtas, quibus continetur forma Politici regiminis, adminiſtranda ſint: eique ſubjectio, vis cogendi, & pœnæ debeant adeſſe: debent & porro reliqua omnia adminicula, quæ faciunt ad executionem hujusmodi Regiminis, adeſſe. Sed hoc Imperium, quod nos aliquo modo in Eccleſia agnoſcimus, proprie non eſt ſpirituale: quamvis ad ſpiritualem ſcopum uſurpetur. Proprie etiam Magiſtratibus competit, ſi ejus velit curam ſuſcipere. Longe veriſimillimum eſt, Regimen, quod in Primitiva Eccleſia fuit, ſe ad Judaici Regiminis formam accommodaſſe, quomodo id exercebatur in Synagoga Judaica. Sed quis non intelligit & animadvertit, hoc civile fuiſſe? Sed quid pluribus opus: certe fieri nequit, dari aliquod Imperium, in quo nulla ſit ſubjectio. Nullam autem dari ſubjectionem Chriſtianorum (quoad conſcientias) ulli omnino homini, inter Reformatos Chriſtianos conſtat. Ac ideo Eccleſia, qua Eccleſia, in ſpirituali ſuo Statu conſiderata, & quatenus reſpicit vinculum conſcientiarum, nullam pœnam aut præmium habet, nullum Judicem, nec forum: nullas leges aut ordinationes: nimirum, quatenus illæ à Ducibus Eccleſiæ (à miniſtris imperii civilis diſtinctis, imo iis oppoſitis) circa res, quæ ad Religionem ſpectant (de rebus quæ ad ordinem pertinent ſilemus) procedunt. Et omnia Chriſtianorum officia (ſive eos ſingulatim conſideres, ſeu per conſpirationem in unam fidem, & per charitatem unum corpus factos) privatæ ſunt actiones. *Ipſorum docere, eſt leges ferre: ipſorum admonere, & judicium Dei hominibus annunciare, eſt punire: improbos vitare, & immodeſtos; nec eorum conſortio velle adeſſe: ac hoc eo comprobare, quod nolint cum ipſis Sacramentis Communionis uti; hoc apud illos eſt à cœtu ſuo arcere.* Sed hac de re ſæpius diſputatum eſt: & idcirco non neceſſarium latius explicare eam rem. Quæ hactenus à me prolata ſunt, eo præcipue collineant, eoque animo à me conquiſita ſunt, *Primum*, ut me tam privatum, quam perſonam publicam informarem, quali animo in cives meos eſſe debeam, qui non malitia, ſed errore curſus lapſi, in idololatriam & multas ſuperſtitiones inciderunt. *Deinde*; ut aliis etiam oſtenderem qualem ſimiliter iisdem errantibus animum debeant. Ne ſeu ſponte noſtra moti, ſeu aliorum zelo impulſi, aliquid gravius in eos ſtatueretur, qui nobiſcum onera Reipublicæ portantes, interea omnibus ferme utilitatibus prohibentur per ſpeciem tuendæ Reformatæ Religionis & Reipublicæ: ſed ut recte de officio edocti eos tam æquo jure inter nos vivere ſinamus, quam pietatis ſtudium & charitatis leges nobis imperant. Denique ut illi ipſi errantes æquitate & benignitate imperii illecti & ita in ſinu

communis patriæ quiete & jucunde conquieſcentes, preces, vota, ſtudium & operam in unum nobiscum conferant ad Patriam tuendam, ornandam, & omnibus commodis cumulandam.

LIBELLUS SUPPLEX
SYNEDRII ECCLESIÆ BELGICÆ ULTRAJECTINÆ,
Continens querelam & notas in Tractatum DE IDOLOLATRIA:
Oblatuſque Nob. Ampl. D. D. Conſulibus, & Supremi Conſeſſus Aſſeſſoribus Urbis ULTRAJECTINÆ.

SYnedrium Belgicæ Eccleſiæ hujus urbis intelligens, tres Claſſes hujus Provinciæ expendiſſe Librum quendam hic Trajecti ad Rhenum editum, cui titulus eſt *Tractatus de Idololatria & Superſtitione*, ac hoc propter varias periculoſas poſitiones, quæque offenſioni ſint; cum communi doctrina atque Ordine Eccleſiaſtico pugnantes, quæ eo dicuntur contineri: dictum Synedrium, conſiderans Concilium Claſſium longo demum poſt tempore habitum iri: & *interim* hunc librum, Belgica lingua conſcriptum, ac hac in urbe à multis emtum, Eccleſiæ ſuæ maxime nociturum, non potuit, non etiam ejus curam habere: quare neceſſarium ac utile cenſuit, ut certi ex ſuo Corpore Delegati memoratum Tractatum perlegerent: qui Cætui narrarunt & demonſtrarunt ſe in dicto Opere multas periculoſas & ſcandalo plenas poſitiones adverſus communem Doctrinam & Ordinem Eccleſiaſticum pugnantes, reperiſſe: atque inter alias has ſequentes.

Primò, publicum prædicandi munus, & miniſterium S. Sacramentorum, Baptiſmi nimirum ac Euchariſtiæ, à quolibet, dummodo aptus ſit, adminiſtrari & exerceri poſſe. Vide *Præfationis Pag.* 6. atque in Tractatu *Pag.* 450. quæ contrariantur 30. 31. art. Belgicæ Confeſſionis; atque publicæ Liturgiæ, ut inferius videre eſt in Excerptis ſub Litera A.

Deinde, neque Eccleſiaſticum Regimen, neque pœnam dari: univerſum Eccleſiæ

cleſiæ Imperium Magiſtratibus compete-re, *Pag.*489. *Tractatum.* quæ adverſantur 30. 31. art. Belgicæ Confeſſionis, & 82. 83. quæſt. Chriſtiani Catechiſmi: nec non publicæ Liturgiæ, & formulæ Excommunicationis ab Eccleſia. Vide inferius Excerpta ſub Litera B.

Tertio, Illum agendi modum, quo quædam Fidei capita ſtatuuntur, ac dein ad Synedrium Eccleſiaſticum mittuntur, ut Membris ſint fidei confeſſio, ex maximo Papatus errore ad nos perveniſſe, *Pag.* 486. Quæ pugnant cum ſententia & laudabili praxi omnium Reformatarum Eccleſiarum; quæ compoſitionem & admiſſionem Confeſſionum Fidei omni tempore neceſſariam atque utilem judicarunt ad vinculum concordiæ: ac ad detectionem & averruncationem omnium heterodoxorum. Ut videre licet in *Corpore Confeſſionum* omnigenarum nationum Chriſtianarum.

Quarto, Magiſtratus ſolum propter cauſas politicas, non autem conſcientiæ, vel præceptum Divinum teneri idololatriæ Papiſmi politicis pœnis & rationibus obviam ire & coërcere. *Pag.* 464. & 480. Quæ repugnant Libellis Supplicibus ac Querelis communium Eccleſiarum harum regionum: nec non Placitis & Decretis piorum, & Divino zelo accenſorum Reip. Rectorum, tum Ordinum Generalium, tum cujuſque Provinciæ; quæ ſæpenumero & præcipue fundantur rationibus conſcientiæ, atque ex Verbo Dei deſumptis. *Vide inferius Excerpta ſub litera* C.

Quinto, Cruces ſtatuere in ſepulchris: ac ſigno Crucis aliquid benedicere, non eſſe ſuperſtitioſum, *Pag.*459. Quæ pugnant cum ſententia communium Eccleſiarum & Synodorum, nec non Placitis Nob. ac Pot. hujus Provinciæ Ordinum, quæ edita ſunt ad libellos ſupplices earum contra id exhibitos, (Vide Placitum Ordinum Ultraj. adverſus abuſus & quaſdam Pontificias ſuperſtitiones, quæ offendiculum præbent circa ſepeliendos mortuos, anno 1636.) quæ proinde tendunt ad reprehenſionem & violationem iſtorum Placitorum, & notabilem confirmationem Papiſtarum circa ſolennia iſta ſuperſtitionum ſuarum inſignia.

Porro, Adorationem Sanctorum defunctorum; & ædificationem Templorum in ipſorum honorem non eſſe idololatriam. *Pag.*410. Quæ etiam contrariantur communi opinioni Reformatarum Eccleſiarum ac Theologorum. Atque plures ejuſmodi poſitiones, nimis multæ, ut Libello Supplice commemorari poſſint.

Ac quoniam tales poſitiones receptæ Doctrinæ, Ordinique Reformatarum Eccleſiarum repugnent, atque à communibus Eccleſiis condemnatæ ſint: ut numerandæ inter errores *Socinianorum, Eraſtianorum, Pontificiorum*, aut aliorum heterodoxorum: & omnem illius Libri tenorem procedere & collineare, ad noſtros Theologos, ac communem Doctrinam ignominia afficiendam; nec non ad contemptum publici miniſterii Eccleſiaſtici, & exiſtimationis illius apud homines: contraque multas exceptiones ac conſiderationes cudere, quibus idololatræ ſe purgaturi & confirmaturi ſint: dictum Synedrium à Vobis, Nob. Ampl. D. D. petit, ut tanquam Eccleſiæ Dei patroni Reformatæ Religionis, memores veſtri officii atque jurisjurandi ad defenſionem religionis præſtiti (ut inferius videre eſt ſub litera D) veſtra auctoritate ejuſmodi proviſionem faciatis contra memoratum Tractatum, ejusque venditionem, prout ex veſtra ſapientia & zelo pro honore Dei, ſalute Reformatæ Religionis, ædificationeque Eccleſiæ conducere cenſebitis. Idque eo magis, quoniam Veſtra Nob. Ampl. juxta alios harum Provinciarum Rectores in nuperrimis literis decretæ ſupplicationis proteſtata eſt, atque ita Deum Eccleſiamque Ejus teſtata, ſcopum Veſtrum, poſt Dei gloriam, eſſe: ut

Reformata Chriſtiana Religio illæſa conſervetur: quod ergo etiam factis & remotione iſtorum, quæ tam graviter eam oppugnant, oportet oſtendi, ſi coram Domino ſinceri velitis reperiri.

Nec Synedrium confidit, contemplationem perſonæ Auctoriſque modo dicti Libri remoram Veſtræ Nob. Ampl. injecturam aut impedituram: verum zelum pro gloria Numinis, & ſalute Religionis Eccleſiæque Dei; nec non vinculum jurisjurandi pro Religione præſtiti, ac honorem Imperii Veſtri pluris apud Vos futura: & imitaturam zelum pii Regis Aſæ, qui matri ſuæ, quum idololatriam protegeret atque foveret, imperium abrogavit, 1 *Reg.* 15: 13. Aut alioquin metuendum, ſi veritas Doctrinæ & Religionis, quæ Patriam ad proſperitatem ac gloriam evexit, patrocinium apud Rectores amittat: quinimmo ab ipſiſmet Summis Poteſtatibus refutari & conculcari incipiat: Deum has Terras & Rectores earum ob contemptum & oppugnationem ſuæ veritatis quandoque forte ad vilem & abjectum ſtatum redacturum, juxta comminationem Sacerdoti & Judici Eli factam, conniventi in peccatis filiorum ſuorum, 1 *Sam.* 2: 30.

Quare dictum Synedrium etiamnum petit ob rationes ſupra deductas, ut veſtra Nob. Ampl. hac in re talem prudentiam adhibere dignetur, ut ab una parte triſtitia ac ſcandalum Eccleſiarum, piorumque Membrorum in iis, hoc Libro excitata, ceſſent atque evaneſcant: & ab altera Sectariis adimatur animus ac triumphus, quæ alioquin ex hiſce celebraturi ſunt: utque ita Doctrina in ſua puritate intacta conſervetur: Eccleſia in bono ſuo & ſtabilito Ordine; publicumque miniſterium in debita ſua dignitate. Amen.

Confeſſio Fidei.

„ *Lit. A. Art.* 30. Credimus veram
„ hanc Eccleſiam regendam eſſe juxta
„ Spirituale Regimen, quod nos Domi-
„ nus noſter in ſuo Verbo docuit: nempe
„ Servos atque Paſtores requiri, ad Ver-
„ bum Dei prædicandum, Sacramenta-
„ que adminiſtrandum, &c.

„ *Art.* 31. Credimus Miniſtros Ver-
„ bi Divini, Presbyteros & Diaconos ad
„ Munera ſua eligendos eſſe legitima Ec-
„ cleſiæ electione, cum invocatione Di-
„ vini Numinis, ac bono Ordine, prout
„ S. Scriptura docet. Itaque cuivis pro-
„ be cavendum eſt, ne ſe indebitis me-
„ diis ingerat: ſed tenetur exſpectare,
„ donec à Deo vocetur.

Nota, In articulis illis clare haberi, Deum in Verbo ſuo nos docere, Miniſtros vel Paſtores requiri, à Deo per intermediam Eccleſiam ſuam vocatos: eiſque commiſſam eſſe prædicationem Verbi, atque S. Sacramentorum adminiſtrationem.

Liturgia in Formula confirmandi Miniſtros Verbi Divini.

„ Quare tu N. cunctique qui hic ad-
„ eſtis, ante omnia auſcultabitis ex Ver-
„ bo Dei brevem explanationem inſtitu-
„ tionis ac officii Paſtorum vel Miniſtro-
„ rum Verbi Divini. Ubi primo vobis
„ obſervandum eſt, Deum Patrem no-
„ ſtrum Cœleſtem volentem ex corrupto
„ genere humano Eccleſiam convocare,
„ & congregare ad vitam æternam, ex
„ ſingulari gratia, ad id uti opera homi-
„ num. Hanc ob rem dicit Paulus Do-
„ minum Chriſtum dediſſe quoſdam ad
„ Apoſtolos, aliquos ad Prophetas, non-
„ nullos ad Euangeliſtas, alios ad Paſto-
„ res ac Doctores ad perfectionem San-
„ ctorum, ad opus miniſterii, nempe
„ ad ædificationem corporis Chriſti. Ibi
„ videmus Beatum Paulum inter alia di-
„ cere, Paſtorum munus eſſe inſtitutio-
„ nem Chriſti.

Nota, ibidem dici, inſtitutionem atque munus Paſtorum peti ex Verbo Divino,

vino. Item, eſſe ordinationem Chriſti, eosque Verbi Miniſtros appellari: ſcilicet, quia ipſorum officium eſt, juxta Chriſti inſtitutionem, illud publice prædicare.

Confeſſio Fidei.

„ *Lit. B. Art.* 30. Credimus veram „ hanc Eccleſiam gubernandam eſſe ſe„ cundum ſpirituale Regimen,quod Do„ minus noſter nos docuit in ſuo Verbo.

Nota, Confeſſionem dicere, S. Scripturam docere, ſpiritualem gubernationem dari, quod Auctor negat.

„ *Art.* 28. Eccleſiæ diſciplina adſcri„ bitur. Et

„ *Art.* 32. Excommunicatio, quæ fit „ juxta Verbum Dei. ac

„ *Art.* 30. habetur, Prævaricatores „ ſpirituali modo puniendos eſſe: & exe„ cutionem hujus pœnæ per Miniſtros „ faciendam eſſe, alioſque Eccleſiæ in„ ſpectores.

Nota, Ergo etiam Eccleſiaſtica pœna datur: & executio ejus non Magiſtratui; verum Miniſtris & Curatoribus Eccleſiæ competit.

Catechiſmus.

„ *In reſponſione quæſt.* 82. Ideo Chri„ ſtiana Eccleſia tenetur hujuſmodi juxta „ inſtitutionem Chriſti ac ſuorum Apo„ ſtolorum, (donec vitæ emendationem „ oſtendant) per claves Regni Cœlorum „ excludere.

„ *Quæſt.* 83. Quæ ſunt claves Regni „ Cœleſtis?

„ *Reſp.* Prædicatio S. Euangelii,Chri„ ſtianaque Excommunicatio vel exclu„ ſio ex Chriſtiana Eccleſia: per quas „ binas claves Regnum Cœli fidelibus „ aperitur, infidelibus autem clauditur.

Nota ibi agnoſci claves Regni Cœleſtis, ac eaprópter Eccleſiaſticum Imperium & poteſtatem: unam harum clavium dici Chriſtianam Excommunicationem vel excluſionem ex Chriſtiana Eccleſia; uſum iſtarum clavium non Magiſtratibus adſcribi, ſed Chriſtianæ Eccleſiæ: atque hoc agnoſci pro inſtitutione Chriſti & Apoſtolorum ejus.

Liturgia Formula Excommunicationis vel excluſionis ab Eccleſia.

„ Quare nos Miniſtri atque Patroni „ Eccleſiæ Dei hujus loci, congregati in „ nomine & poteſtate Domini noſtri Je„ ſu Chriſti, declaramus coram vobis „ omnibus, N. ex prædictis cauſis ex„ cluſum eſſe, ac excludi hac actione ab „ Eccleſia Domini: & abdicatum eſſe à „ Communione Chriſti, S. Sacramen„ torum, omniumque benedictionum „ ſpiritualium, & beneficiorum Dei, „ quæ Eccleſiæ ſuæ promittit ac præſtat, „ quamdiu contumax eſſe perſeverat, nec „ peccatorum ſuorum pœnitentia duci„ tur: ac idcirco à vobis habendus eſt „ pro Ethnico publicanoque juxta man„ datum Chriſti. *Matth.* 18: 18. qui „ dicit *in Cœlo ligatum eſſe, quidquid Ejus* „ *Miniſtri in terra ligant.*

Nota, ibi aperte Eccleſiaſticam poteſtatem agnoſci, eccleſiaſticam pœnam, executionemque illius competere Miniſtris & Patronis congregatis in nomine & poteſtate Domini noſtri Jeſu Chriſti; quæ omnia hic Auctor negat ac rejicit.

Reſolutio D. D. Ordinum Generalium 3. *Martii* 1644. *ad Propoſitionem factam à Domino Legato Comite* d'Avaux.

In qua hæc verba reperiuntur.

„ *Lit.* C. Eoſdem Rectores ab altera „ parte nunquam eo potuiſſe impelli, ut „ Pontificiis permitteretur exercitium „ ſuperſtitionum contra S. Dei Verbum, „ actionem aperti ſcandali, &c.

„ Item à Celſ. Pot. Ordd. judicari, „ propoſitas mutationes ac falſo dictam „ moderationem, è diametro adverſari„ tum

„ tum ſaluti veræ Reformatæ Chriſtianæ „ Religionis: fundamentis & inſtitutioni „ Status: nec non tranquillitati Chriſtianæ Eccleſiæ, & bonorum incolarum harum Provinciarum, ac proinde cum „ Status conſtitutione, &c.

Ordines Zelandiæ Conſultatione ſua 21. Ianuarii 1647. in Conſeſſu Nob. Præpot. D. D. Ordinum Generalium exhibita.

In qua hæc verba legas.

„ Reformatam Religionem, prout ea „ in publicis Eccleſiis harum regionum „ docetur, quamque Nob. Pot. Zelandiæ Ordines profitentur, ſalutiferam „ eſſe veritatem Dei: ac memoratam „ Reformatam Religionem animam eſſe „ hujus Status, fundamentum, ſuper „ quo florens hæc Reſpub. fundata „ eſt, &c.

Et quod attinet ad petitum temperamentum, moderationem, aut diſpenſationem circa exercitium Papiſticæ Religionis.

„ Nob. Pot. Ordines non aliter hoc „ poſſe capere, quam eo *Palladium* Sta„ tus, ac una benedictionem Dei ave„ ctum, fundamenta Reipub. ſubrutum „ iri, &c.

Placitum D. D. Ordinum Generalium 26. Febr. 1622.

In quo hæc verba apparent.

„ Quum certo doceamur, quotidie „ multos Sacerdotes ſe conferre & ma„ nere in Fœderata Belgica, ubi abſurda „ ſua dogmata diſſeminant & docent: „ etiam inculcant varias, ac in S. Pagina „ prohibitas Superſtitiones, &c.

„ *Item*, Quoniam Jeſuitæ aliique Sa„ cerdotes has Regiones intrare ſuſti„ nent, in urbes ac pagos, ut bonos in„ colas falſa ſua doctrina ad idololatriam „ impellant.

Nota, Ex iſtis Reſolutionibus & Placitis patere, Nob. Præpot. D. D. Generales, reliquoſque Ordines nunquam potuiſſe induci, ut Pontificiis publicum Religionis ſuæ exercitium concederent, aut circa illam permitterent, aut uterentur ullo temperamento, moderatione aut diſpenſatione, non ſolum ex conſiderationibus & rationibus Status: verum etiam ac præcipue, quod abſurda dogmata inter bonos incolas diſſeminent & doceant: inculcent quoque diverſas, atque in Verbo Divino vetitas ſuperſtitiones, ac idcirco bonos incolas falſa ſua doctrina ad idololatriam impellant: hoc è diametro pugnaturum cum ſalute veræ Reformatæ Chriſtianæ Eccleſiæ, eoque benedictionem Dei ex noſtra Patria avectum iri, &c. Quæ omnes rationes deſumptæ ſunt ex Verbo Dei, Religione, & conſcientia.

Iusjurandum præſtandum à Senatore coöptato in Conſilium Publicum hujus Urbis.

„ *Litera D.* Juro me ſumma ope omni „ tempore, & tantopere defenſurum ve„ ram Chriſtianam Reformatam Religio„ nem, prout illa in *Synodo Nationali* „ *Dordracena Anno* 1619. habita, con„ firmata eſt: ac ſecundum eam ubique „ in publicis Eccleſiis harum Provincia„ rum prædicatur doceturque: quam „ etiam omni animi ſinceritate profiteor: „ nec unquam quantum in me eſt, patiar, „ ut per ullum in ea mutatio quædam „ fiat.

Nota, An jam cum hujuſmodi promiſſa protectione & conteſtata Profeſſione poteſt conſiſtere, vel ſaltem convenire, ut aliquis, qui jurejurando obſtrictus eſt, eandem Religionem in tam multis Notabilibus partibus libris in vulgus editis oppugnet? Ac an reliqua Membra eodem juramento obligata, impune poſſint illud præterire ac permittere? hoc Vobis, Nob. Ampl. Viri, ſerio conſiderandum relinquimus.

APO-

APOLOGIA I.

Pro TRACTATU de IDOLOLATRIA ET SUPERSTITIONE,

Contra poſitiones quaſdam Venerandi Synedrii BELGICÆ ECCLESIÆ ULTRAJECTINÆ.

Nob. & Ampliſſ. D. D. Conſulibus & Senatoribus Urbis Trajectinæ.

CUm mærore comperio materiam & editionem Tractatus mei de Idololatria & Superſtitione tam ſiniſtre contra bonum meum & Chriſtianum ſcopum excipi ac explicari. Quum tamen in ſcribendo & edendo eo nihil aliud mihi propoſuerim, quam primo informationem propriæ conſcientiæ: utque me armarem contra errores Pontificiorum circa Idololatriam & Superſtitionem, quæ inter ipſos fit. Deinde, ut civibus meis ſuppeditarem & communicarem rationes & argumenta, quibus jam imbutus exiſtimo me paratiorem & aptiorem ad judicandum de illa quæſtione.

Præfatio (in qua de Idololatria & Superſtitione agitur) præcipue conſcripta eſt propter duos Pontificios Theologos Belgas fratres, in Germania tamen habitantes: de quibus teſtantur, quod multos Reformatorum ſeducant, & à fide avertant.

Comperiebam dictos Theologos præſertim uti eo argumentorum genere, quod à poteſtate & auctoritate Eccleſiæ deſumitur; & jure ſucceſſionis: quæ argumenta ſummatim in præfatione enumeravi: quæque cenſebam non recte poſſe refutari, ni natura & proprietates Chriſtianæ Eccleſiæ, fundamentis noſtræ Reformationis ſervatis, accurate & clarè demonſtrarentur, & oſtenderetur omnia optime cohærere; licet Papæ neque Concilio ea poteſtas & auctoritas tribueretur, quam Pontificii ipſis tribuunt.

Ac animadvertebam ſenſus meos de natura Eccleſiæ, quos olim in quodam Tractatu expoſueram, & ut puto probaveran

veram: quum tamen à nonnullis Theologis Reformatis (ut conjicio quod auctoritatem Magiſtratuum circa res Eccleſiaſticas paulo latius extenderent) reprobarentur & oppugnarentur, magnam mihi facilitatem dare refellendi illud argumentorum genus, quod prædicti Pontificii Doctores ex proprietate Eccleſiæ ducebant.

Quosdam viros doctos conveneram, ut adhortarer eos ad brevem memoratorum Papiſticorum Doctorum argumentorum refutationem. Sed conſpiciens nihil ab ipſis exſpectandum eſſe: nec alias occupationes mihi permittere, aliquid aggredi, ad quod multum temporis & laboris requirebatur; viſum mihi fuit totam quæſtionem breviter pertractare: ut aliis quaſi digito indicarem, quomodo cum illis Theologis circa narratam argumentorum ſpeciem facile poſſet decidi. Idque eo promtius faciebam, quia in Tractatu meo de ea ipſa re obiter aliquid dictum erat: nec latius explicatum facile per errorem perverſe poſſent interpretari, aut detorqueri in pravum ſenſum.

Hæ veræ ſunt rationes, quare modo dictum Librum compoſuerim & ediderim. Eaſque adeo honeſtas, legitimas, & Chriſtianas eſſe cenſeo, ut nemo illas improbare poſſit, cui cognitio noſtræ religionis cordi eſt: ac certis & ſolidis fundamentis (quemadmodum hoc quemlibet Chriſtianum, tum privatum, tum Magiſtratum decet) judicia ſua, actiones, & modos procedendi cum Papiſticis incolis Fœderatarum harum Provinciarum ſuperſtruere velit.

Et quanquam ſperaveram tam bonum propoſitum generali applauſu, aut ſaltem æquo animo exceptum iri: tamen alios omnino eventus habuit, & contrarium operatus eſt apud Venerandum Synedrium Belgicæ noſtræ Eccleſiæ; & talem offenſionem, impetum & zelum in Membris ejus excitavit: ut eis (ſicuti præ ſe ferunt) impulſi fuerint Libellum Supplicem, Nob. Ampl. D. D. Conſulibus & Senatoribus Urbis Ultrajectinæ exhibere: in quo oſtendere conantur, me in Scripto meo de Idololatria & Superſtitione propoſuiſſe ac defendiſſe diverſas Socinianorum, Eraſtianorum, Pontificiorum & aliorum heterodoxas opiniones. Petentes porro, ut Nob. & Amplif. Rectores hujus Civitatis, jurisjurandi ſui memores, eo pacto contra dictum Tractatum provideant, prout ex ſua ſapientia, & zelo pro gloria Dei, ſalute Reformatæ Religionis, Eccleſiæque ædificatione conducere arbitrabuntur.

Cenſeo me per exhibitionem memorati Libelli Supplicis multimodis maxime læſum atque injuria affectum eſſe: ac præſertim, quod mihi ejusmodi perverſas opiniones (quales Venerandum Synedrium enumerat, & præ ſe fert ex meo Libro excerpſiſſe) adſcribat. Nullam illarum pro mea agnoſco: omnes etiam rejicio. Nec puto me ullam dediſſe occaſionem ad ſiniſtram adeo verborum Scripti mei interpretationem. Nec perferre valens (ſine neglectu honoris mei, bonæque famæ; nec non veſtri Nob. Amplif. Collegii, cujus Membrum eſſe dignor) talem labem mihi inuſtam: officii mei eſſe judicavi Vobis, Nob. Ampl. Viri, oſtendere, quanto cum errore Venerandum Synedrium aſſeveret, dictas illas heterodoxas opiniones in Tractatu meo reperiri. Ac in eo eundem ordinem & methodum ſervabo, quibus Honorandum Synedrium mihi præiit.

Ante omnia ſincere declarans, & ſancte atteſtans, opiniones, quas in ſequentibus ponam contra illas Venerandi Synedrii, meas eſſe, atque eaſdem, quas in dicto meo Libro expreſſi, propoſui, & propugnavi: nec me, ne in minimo quidem, eas detorquere aut immutare. Me etiam excerptis meis, cuique articulo ſubjectis, non alium tribuere ſenſum, nec alium in finem allegare, quam iſtorum ſenſus & ſententia fuit; quando

ad

ad exprimendum & declarandum animi mei ſenſum primum eas in Scripto meo poſui.

Poſitiones Venerandi Synedrii.

Primò, publicum prædicandi munus, & S. S. Sacramentorum miniſterium, Baptiſmum nempe ac Euchariſtiam, à quovis, dummodo aptus ſit, poſſe adminiſtrari & exerceri. vide *Præfationis Pag.*6. & *Tractatus Pag.* 450. Quod pugnat cum 30. & 31. art. Belgicæ Confeſſionis, & publica Liturgia: ut inferius conſpici poteſt in excerptis ſub littera A.

Antitheſes.

Affirmo Prædicandi munus à Deo originem ſuam ducere: ut & Magiſtratuum.

Paſtores non eſſe ſacras ſeu conſecratas perſonas: quemadmodum Summus Sacerdos ac Levitæ. Quare non credo Concionatores, vi alicujus ſanctitatis, ſolos eſſe qualitate prædítos, partes quaſdam Divini Cultus exequendi; verum quemque Chriſtianum ad hoc velut conſecratum eſſe: quum adminiſtratio Verbi & Sacramentorum legitime ipſi injungitur.

Publicum Prædicandi munus, id eſt miniſterium officii Præconis Verbi Divini, à nemine licere adminiſtrari, quam ab eo, qui ad illud vocatus ſit.

Affirmo ergo, miniſterium Sacramentorum Novi Fœderis per ſanctas ſive conſecratas perſonas non fieri. Verum nullum etiam Sacramenta iſta in Eccleſia aliqua procurare poſſe, quam qui ad illud electus ſit, ut ea in Eccleſia illa adminiſtraret.

Excerpta.

*Pag.*458. Ac res eo pervenit, ut, quiſquis huic opinioni repugnet, is publice habeatur pro magno hæretico, & veluti homine profano, qui Prædicandi miniſterium ex Eccleſia Dei velit abolere: & ſanctam Numinis ordinationem, quæ ad ædificationem conſcientiarum tot hominum ſimplicium facit, deſtruere: atque poteſtatem mandatumque docendi cuilibet communicare: atque ita confuſionem in Eccleſiam Dei introducere. Quum tamen hoc nunquam cogitaveram: & Prædicandi munus cenſeam eſſe ordinationem Divinam, velut Magiſtratuum; magnique uſus in Eccleſia Dei, & præcipue iis, qui auditione alicujus concionis magis ædificantur; quam ex Bibliorum lectione, &c. Præterquam quod docti ac indocti; pueri & viri in ſpiritualibus, communionem Sanctorum; atque ſuarum precum cum multorum conjunctionem in Eccleſia Dei teneantur obſervare, *Hebr.* 10: 25. Ac ubi Doctores jure ſui miniſterii ſpiritualia illa exercitia dirigunt; ac in precibus reliquis præeunt. Vide etiam pag. 441, 442. & ſequent. atque 458.

Pag. 11. *Præfationis.* Et ſicuti nulla ſeorſim ſingularis Eccleſia ſpeciali privilegio dotata fuit, ad ſecundum ſuum præſcriptum, & ex ſuo mandato Eccleſiam ædificandum. Ita nulli Eccleſiæ jus mittendi Doctores annexum eſſe poterat: aut jus ipſos ſpecialiter ad id auctoritate inſtruendi ſeu conſecrandi: veluti Eccleſiæ Hieroſolymitanæ Doctores illius Religionis creandi ſic affixum erat, poteſtatem & auctoritatem illis conferendi, ad partes illius Divini Cultus adminiſtrandum. Ita ut, quicquid illius Religionis ab aliis fieret, qui ab Eccleſia illa non miſſi, creati, vel conſecrati erant, non vere miniſterium aut exercitium illius Divini Cultus eſſet.

Pag. 12. *Præfationis.* Verum quum iſta Papatus fundamenta: quod ſoli in ſua Eccleſia jus habeant conſecrandi, creandi ac mittendi Doctores, &c. à Reformatis merito reprobata ſint, huc neceſſario deveniendum eſt; quemadmodum

nulli Eccleſiæ ſingulari, cæteris excluſis, poteſtas miſſionis data eſt; creandi & conſecrandi Doctores ad miniſterium quarundam partium Religionis ſub Novo Teſtamento (nempe, prout Eccleſia Romana putat, jus illud ſibi annexum: ac Clericis ſuis ſpecialem ſanctitatem ineſſe) ſic etiam revera *hujuſmodi miſſionem* & *conſecrationem* ad miniſterium in Eccleſia Novi Fœderis non reperiri: ac omnia, quæ illis ſimilia ſunt, nihil aliud eſſe, quam inventionem certi ordinis, Chriſtiana prudentia excogitati, &c. Verum contra totam Eccleſiam ſanctam eſſe: & quemvis, quoad ordo & aptitudo perſonæ ſuæ permittat, omnes Religionis partes poſſe curare: (quatenus nulla ſpecialis ſanctitas ad illud requiritur) & quamlibet Eccleſiam poteſtatem habere adminiſtrationem eam alicui mandandi.

Pag. 450. *Tractat.* Si immolatio Paſchatis, & circumciſio puerorum octavo die quippiam fuerit, quod Levitico Sacerdotio annexum erat, ſtatuendum eſt, conſecratam perſonam illi negotio debuiſſe eſſe præpoſitam: nec aliam ullam, quæ non foret illius conſecrati ordinis, ſine profanatione ejus actionis, iſtud potuiſſe facere. Et ſi velint propugnare, miniſterium Baptiſmi & S. Cœnæ per quaſdam conſecratas ac ſegregatas perſonas debuiſſe fieri: quæ non tantum ordinis gratia quem omnino inculcamus, ad hoc electæ ſint; ſed quæ per ſpecialem ordinationem Divinam conſecratæ ſeparatæque ſint ad Sacramentorum adminiſtrationem: loca ſunt indicanda, quæ talem declarationem continent. Verum ejuſmodi nulla ſunt. Et Baptizare ab Apoſtolo Paulo minoris fit, quam prædicare: ſi itaque ad prædicationem nulla ſpecialis ſanctitas requiritur; multo minus ad Sacramentorum adminiſtrationem, 1 *Cor.* 1: 17. Et miniſterium Euchariſtiæ nihil aliud fuit, quam actio privati, oppoſiti conſecratæ, ſanctæ, & publicæ perſonæ in Republica Iſraëlitica. Et clarum horum omnium argumentum; quod Paſcha immolaretur à quolibet patrefamilias. Ac ita in illa Religionis parte nulla erat ſanctitas. Et celebratio S. Cœnæ ſucceſſit in locum Feſti Paſchatis: ac idcirco ejuſdem eſt ſanctitatis.

Quanquam celebratio Feſti Paſchatis non fiebat per conſecratam perſonam; atque idcirco privata foret actio: nemo tamen, præter patremfamilias, iſtius actionis caput eſſe poterat, & formalia illius cæremoniæ facere. Et nihilominus illud factum jure & proprie privata actio appellatur: quum vox *privata* opponatur voci *publicæ*. Eodem pacto etiam tota Eccleſia privata Societas eſt: & omnia munera in eadem Eccleſia privata ſunt officia & miniſteria; quamdiu ea voluntate, poteſtate, atque auctoritate Reip. Rectorum non acquirit qualitatem publicæ Eccleſiæ. Et quidquid tum in publica illa Eccleſia fit, ex auctoritate Summarum Poteſtatum exoritur, perque illam ſubſiſtit. Sed inde jure non poſſet colligi, cuivis baptizare, & ſacramenta in Eccleſia, quæ non eſt publica, licere adminiſtrare: quod velut privata ſint officia: cum verbum *Privatum* opponitur verbo *publico*: nec ſumitur pro eo, quod cuique facere licet.

Quid ex his verbis elici poteſt ad probationem paradoxæ poſitionis, cuilibet volenti licere Sacramenta adminiſtrare: quamque Honorandum Synedrium mihi in Libello ſuo Supplici tribuit: ac ad quod hunc locum allegat? Reliqua verba à dicto Synedrio ad idem citata, quæ habentur *P.* 6. & *ſeq. Præfat.* non meam poſitionem aut doctrinam comprehendunt; ſed objectionem Pontificiorum: quam poſtea etiam refuto & ſolvo. Hoc nimiam feſtinationem (ne quid pejus dicam) Venerandi Synedrii indicat.

Pag. 13. *Præfat.* Sed contra, quod tota Eccleſia nunc ſancta ſit: quodque quivis, quatenus ordo & aptitudo perſonæ id concedit, omnes Religionis partes poſ-

ſit

ſit adminiſtrare: ac quod cuique Eccleſiæ poteſtas ſit miniſteria illa alicui committendi. Ergo non cuilibet licet prædicandi munus exercere; nec Sacramenta adminiſtrare. Sed ante omnia, perſonam oportet eſſe idoneam. Deinde ad illud juxta ordinem eſt promovendus; & ſpeciatim ad id eſt eligendus: atque hoc munus ipſi eſſe mandatum à cœtu Eccleſiaſtico. In citato hoc loco dico; *vocationem* ab Eccleſia eſſe faciendam: quod ibidem Eccleſiam conſidero, velut in naturali ſua libertate: & ſine illo reſpectu, quod Eccleſia collecta & condita ſit in Statu aliquo, ubi Rectores profitentur doctrinam Eccleſiæ.

Pag. 14. *Præfat.* Etiam Membris ejus Eccleſiæ liberum eſſe, talem fidei confeſſionem cudere, in quam univerſi deſcendant: atque ad iſtud ſibi Doctores creare; qui ſecundum confeſſionem Prædicandi munus dirigant: ac porro Sacramenta adminiſtrent. Itaque ante omnia exigo electionem ad miniſterium Verbi & Sacramentorum.

Pag. 19. *Præfat.* Omnes Chriſtianos, qui in Eccleſiis & cœtibus congregantur, per ſe jus illud habere, ut quoſdam Doctores, atque ad Sacramentorum miniſterium creent. Ergo non cuivis licet id ſuſcipere.

Pag. 25. *Præfat.* Verum agnoſcimus quidem ordinem, quo, ad confuſionem vitandam, cuique non permiſſum ſit prædicandi munus capeſſere. Idem etiam aſſeveramus & ſentimus de Sacramentorum adminiſtratione; ad miniſterium eorum nullas conſecratas perſonas deſiderari. Si conſecrata perſona non requiratur: nihil certe præter ordinem ſupereſt: quo huic Chriſtiano prædicandi munus & Sacramenta licet curare; alteri non item. Vide etiam *Pag.* 441, 442. *Tractatus.*

Quid porro de Paſtorum munere ſentiam, ſpecialiter patet ex Libro meo de Munere Paſtorali, ubi quæſtionem illam *data opera & quam latiſſime* tracto: cujus Operis in publicis ſcriptis me auctorem profeſſus ſum; contra quod nonnullæ quidem querelæ à Claſſe Ultrajectina factæ ſunt: verum nunquam rem perſecuta eſt. Et quum Deputatis memoratæ Claſſis à Rectoribus hujus Provinciæ injunctum eſſet, ut capita accuſationis ſuæ componerent: & extractis dicti Scripti confirmarent. Tamen dicti Claſſis Deputati nunquam capita accuſationis, nec non excerpta quæ ea probare dicebant, exhibere auſi fuerunt: ut in conſeſſu Procerum legerentur & examinarentur. Sed per aliquem ex Magiſtratibus Domino Præſidi porrigi curarunt, addita exactione promiſſorum & magna obteſtatione, ut accuſationes illæ, ac annexa excerpta vi jurisjurandi præſtiti tegerentur. Nobil. Domino Præſide autem defuncto, quum eadem excerpta in manus jam pervenerint illorum, qui promiſſis iis non tenentur, ut ſecreto aſſerventur: nunc arcanum illud, ac eo magnum myſterium revelatur. Et exemplum accuſationum earum nactus ſum, atque excerptorum, quæ iſtas quaſi confirmarent. Si Deputati Claſſis juſtitia cauſæ omnino confiſi fuiſſent; non hoc velut lucifugæ in abſcondito egiſſent. Et quid nonnullorum Paſtorum accuſatio mihi multum metuenda erat, qui tantum noti ſunt illis Eccleſiis, quibus Verbum Dei annunciant: quum Domini Profeſſores primariæ & celeberrimæ Academiæ noſtrarum Regionum in ſuo conſilio ſuper memorato Scripto de Munere Paſtorali, illud noluerint damnare. Idque merito: quum doctiſſimus ille & Reformatus *Anglus Seldenus* etiam fuiſſet condemnandus: qui tamen hanc ob opinionem nulla unquam moleſtia affectus eſt: ac charus nec non honoratus inter ſuos ad diem noviſſimam permanſit.

Excerpta ex Tractatu de Munere Paſtorali.

Pag. 335 & 336. Deus etiam Paſtores &

& Doctores conſtituit: procurans ut per Apoſtolos, & viros Apoſtolicos Epiſcopi crearentur, *Act.* 14: 23. & 20: 28. 1 *Petr.* 5: 1. *Tit.* 1: 5. Ac porro variis argumentis probo, miniſterium illud in Eccleſia ſemper permanere debere.

Pag. 352. Et ſic eſſe Divinum præceptum, quemadmodum egomet credo; homines etiam per prædicationem Euangelii, quæ viva voce fit, ad ſalutem imbuendos eſſe.

Poſitiones Venerandi Synedrii.

Deinde, nullum imperium Eccleſiaſticum aut pœnam eſſe. Univerſum Regimen Eccleſiæ Magiſtratui competere. *Pag.* 488 & 489. Quæ pugnant cum *art.* 30. Belgicæ Confeſſionis; & 82. 83. quæſt. Chriſtiani Catechiſmi: nec non cum publica Liturgia & formula Excommunicationis. Vide Excerpta inferius ſub Lit. B.

Antitheſes.

Statuo nullum dari Regimen Eccleſiaſticum, quod in conſcientias vim ſuam exerat, ac cum aliqua leges ferendi poteſtate dominetur. Atque hodie nullam eſſe poteſtatem in terra, quæ leges quaſdam poſſit condere, quibus conſcientia teneatur: ac proinde nullam pœnam poſſe dari, quæ ab ulla perſona aut Collegio ob violationem ejuſmodi legum poſſit infligi.

Evidenter agnoſco Eccleſiaſticam pœnam & Imperium; quæ ſpiritualem hominis ſtatum ejuſque fidem ſpecteut: quæque natura Chriſtianæ Religionis limitentur, & ab ea naturam ſuam mutuentur, quod ad formam attinet.

In eadem eſſe jus faciendi leges. In illa Eccleſia exiſtere, qui regant: alios autem, qui regantur. Ac quod pœnæ & præmia ibidem habeant locum.

Verum exiſtimandum hæc omnia oriri ex fœdere & mutuis promiſſis & obligationibus Membrorum: nec in iis aliquid eſſe ſpirituale, quum proprie loquemur: quoniam nemo de ſpiritualibus poſſit contrahere.

Quamvis cenſeam Eccleſiam eſſe gubernandam ad naturam & indolem Chriſtianæ Religionis, qua talis conſideratæ. Quæ quandoquidem ex cœlo deſcendat; nec ex Regimine Politico profluat: forma Eccleſiaſtici Imperii in tantum etiam non ex Politia orta eſt. Sed hoc non prohibet, quare non ipſe regendi modus civilis ſit. Veluti ea pars Politici Regiminis non deſinit eſſe civilis, quæ occupatur circa executionem revelatarum Divinarum legum.

Et arbitror idcirco contradictionem implicare; in ſpiritualibus, & in illis, quæ immediate conſcientiam ſpectant, Regimen Politicum conſtituere. Quum nullus exiſtat Status Politicus, in quo non jus imperandi, & obſequium obediendi vigeat. Quod certe in ſpiritualibus fieri nequit.

Quare aſſero cum Eccleſia, qua Eccleſia, id eſt, in ſpirituali ſuo ſtatu conſiderata, nullum imperium, jus, legiſlationem, remunerationes & pœnas poſſe conſiſtere: quum reſpectu ſpiritualis illius ſtatus, & conſcientiæ nulla poteſtas ſit in orbe terrarum, cui homo ſpiritualis, quantum ad ſpiritualia, quaſi poteſtati alicui obnoxius ſit. Igitur fateor, me Eccleſiaſticum regimen non appellare ſpiritualem politiam: quomodo verba Confeſſionis id vocant.

Verum autumo magnam eſſe abſurditatem, credere, Confeſſionem noſtram vocabulis ſemper in propria ſua ſignificatione uti: & contrarii exempla poſſent quidem allegari, ſi modo res illud expoſceret. Demonſtrandum mihi, me in re errare, atque ita contrarium quid Eccleſiæ docere: nec ulla me moleſtia afficere propter voces iſtas, Spirituale, Civile, Eccleſiaſticum, &c. quæ tamen me puto recte

recte & naturæ rei convenienter uſurpaſſe: quibuſque ſæpius aliqui Theologi imprudentiſſime abutuntur in præjudicium doctrinæ Reformatorum; ac quibus, ut & actionibus ſuis, oſtendunt, ſe de natura Eccleſiæ, & Regiminis ejusdem confuſos tantum conceptus habere.

Porro cenſeo, Eccleſiaſticum Imperium, memorato fœdere fundatum, natura ſua civile eſſe. Quum duo Regiminis genera tantum poſſint dari: alterum ſpirituale, quod conſcientias tangat, ſolique Deo competat: alterum civile; oriens ex quodam fœdere, ac verſans circa res, de quibus contrahere licitum eſt. Venerandum Synedrium demonſtret mihi tertium.

Fundamentum hujus meæ poſitionis eſt: quod Chriſti Regnum non ſit hujus mundi. Prædicatione Euangelii jus & poteſtatem Magiſtratuum non eſſe imminuta. Verum & formale Regimen ſine poteſtate aliqua cogente non poſſe conſiſtere; necnon jure ferendi leges: & obedientia ipſis præſtanda metu pœnæ, nec non ſpe remunerationis. Hoc Imperium civile eſſe. Per Euangelium nullas alias adminiſtrationes invectas eſſe, quam quæ mere miniſteriales ſint: ac quæ quidem indicant ſecundum quas *leges Divinas* Eccleſia ſit regenda: verum obedientiam legibus iis exhibendam à nullo per modum Imperii poſſunt exigere. Cum autem in illa adminiſtratione miniſteriali ſeſe prodit aliqua auctoritas; & conduntur leges, earumque flagitatur obedientia; id ex confœderatione fit: & quando πολίτευμα conſtituitur, quo illæ leges executioni mandentur, id non fit ſine opera & applicatione juris naturalis: quodque Chriſtianis non qua Chriſtianis competit; verum qua hominibus naturalibus: ac ex quo jure univerſum civile regimen deſcendit: atque idcirco ipſum etiam corporeum & politicum eſt. Præter hoc imperium ſolum Regimen in conſcientias ſupereſt; quam ſibi ſoli Deus vindicat: in hanc tamen Papa Romanus per ſacrilegium dominationem ſibi uſurpat: & quam cuncti Sacerdotes delegata Romani Pontificis poteſtate ſibi competere præ ſe ferunt; atque etiam uti in abſolvendis & ligandis privatis Chriſtianis, quorum confeſſionem exaudiunt. Ac hæc tam eminens Papæ poteſtas; ut & delegatorum Sacerdotum, unanimiter à Reformatis rejicitur.

Hoc fœdus in eo conſiſtit, ut privata Membra ſe Imperio & legibus diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſubjiciant. Et Rectores vice verſa obſtringuntur juxta easdem leges Eccleſiam adminiſtrare. Atque hoc munus & officium Paſtorum & Rectorum Eccleſiaſticorum, non eſt miniſteriale. Quum ſint contradictoria: uno & eodem reſpectu regere; leges condere; forum habere; punire & remunerari: & intuitu eorundem munerum proprie miniſtrum in Eccleſiaſtica illa Societate eſſe.

Verum paſtores merito ſemetipſos miniſtros nominant, quantum ad ſpiritualem ſtatum pertinet: ac reſpectu miniſterii Verbi: & occluſionis atque apertionis Cœli, quæ per miniſterium illud fiunt; & in proponenda doctrina Euangelica conſiſtunt: annunciando credentibus & pœnitentibus peccatoribus per meritum Chriſti vitam æternam: incredulis autem & pœnitentia non ductis ſempiternam perniciem: ac quorum praxin videmus in formula celebrationis S. Cœnæ; ab hiſce verbis incipiente. *Omnes igitur, qui ita conſtituti ſunt*, &c. Atque hæc excommunicatio eſt *miniſterialis*: & multum differt ab illa, qua immorigerum Membrum, per formam veræ pœnæ, ex Eccleſia relegatur: ac de qua *Excommunicationis formula* loqui videtur. Hæc relegatio non eſt miniſterialis; verum cum auctoritate fit.

Prior excommunicatio Paſtoribus ita propria eſt, & ita ipſis ſolis competit: veluti ipſis per legitimam electionem prædicandi munus in Eccleſia quadam cœpit com-

competere. Atque hoc officium, quod ſolum *miniſteriale* eſt, Confeſſio noſtra appellat *paſcere & regere*. Quod argumento ſit, abſurdum eſſe ex verbis Confeſſionis, non autem ex re, argumentari, an poſitiones quædam cum Confeſſione pugnent, nec ne.

Si ergo omnia Imperia civilia ſint, quantum ad eſſentiam & formam Regiminis attinet: & ſi in Eccleſia verum ſit imperium, quemadmodum ego concedo. Si etiam congregatio in quandam Societatem, quam Eccleſiam appellare ſolemus; ut & gubernatio illius Societatis quoque civilis ſit, quanquam ſecundum Divinas leges adminiſtranda: & ad Divinum finem tendat. Ac ſi Magiſtratibus ſit jus Regiminis omnium Collegiorum, quæ civilia, & proprie per *Regimen* aliquod adminiſtrantur: & ſi ea Magiſtratus revera poſſint regere, quum illud conducere arbitrantur: (dummodo quamlibet Societatem ſecundum ſuam naturam, mores, leges, ac formam regant) qui negari poteſt, Regimen Eccleſiaſticum prædicto modo Magiſtratibus competere: eoſque Presbyteratum, nec non & Regimen Eccleſiæ poſſe ſuſcipere. Aut, quum ob rationes certas non conducere arbitrantur ipſoſmet ea munera obire, aliis iſta committere. An Nobiliſſ. Ampliſſ. Ordines non quotidie Paſtores in agris ad Prædicandi munus eligunt, juxta hunc tenorem. *Quare creavimus, & hoc noſtro decreto creamus honorandum, pium N. N. ad Eccleſiaſticum miniſterium.* Quanto majus Nobiliſſ. memoratis Dominis Ordinibus jus competit, ad aliquem Eccleſiæ Regimini præponendum. Ergo univerſa diſciplina Eccleſiaſtica, quemadmodum in publicis Eccleſiis hujus Provinciæ uſurpatur, ordo quidem eſt à Deo inſtitutus; ſed muneri Magiſtratus adjectus, illudque includens; & quod ita à Magiſtratibus promanat: atque is ipſorum nomine ipſorumque auctoritate exercetur.

Licet Collegio alicui jus ſit, ut ſecundum Divinas leges adminiſtrari & regi debeat: illud non obeſt, quo minus Magiſtratui hoc regimen, juxta leges Dei gubernatum, competat.

Quæ pars Eccleſiaſtici Regiminis quæſo exercetur, quæ in Magiſtratus ipſos non quadraret: quum ſuſceptione officiorum Eccleſiaſticorum ipſimet Rectores Eccleſiæ fierent?

Nondum allegabo Doctrinam & praxin Eccleſiarum Genevenſis & Palatinæ: ubi politici delegati conjuncti cum Membris Synedrii Eccleſiaſtici omnia exequuntur uſque ad ſuſpenſionem & excommunicationem. Sermo mihi eſt de ſuſpenſione & excommunicatione, quatenus illæ ut *Eccleſiaſticæ pœnæ* conſiderentur; quæ hac in re conſiſtunt: ſi aliquis legibus Regiminis Eccleſiæ puniatur, prohibendo ipſum ab uſu cujuſdam rei, ad quam reliqua Membra ejuſdem Societatis, quæ nihil deliquerunt, admittuntur. Atque iſto munere nemini fungi licet, quam qui in Eccleſia legitime ad id vocatus ſit.

Excommunicatio enim, conſiderata velut *pœna*, qua quis ſententia judicis, & in ſpecie cum ea poteſtate, judicialiter privatur poſſeſſione regni cœleſtis, ſolius Dei eſt. Atque ad id neque poteſtas, nec auctoritas in minimo vel maximo Eccleſiæ, aut Collegio alicui in terris tributa eſt: nec in pœna ea, ac in hac excommunicationis forma Paſtor, aut Synedrium Eccleſiaſticum partem ullam habet: quoniam ſpirituale eſt, & ſoli Domino Chriſto competit. Nec ad eam excommunicationem in Eccleſia ullum eſt miniſterium, quo aliquis Chriſtianus judicialiter obligetur, aut ſolvatur. Ac Doctori aut Rectori Eccleſiæ circa excommunicationem hanc nihil aliud commiſſum eſt, quam propoſitio Doctrinæ Euangelicæ, & *miniſterialis* ejus applicatio: iſtum, nempe, non participem fore Regni cœleſtis, qui immerſus eſt hæreſibus & peſtiferis erroribus: vel qui in profana vita pergit.

Ve-

Verum hoc merum eſt *miniſteriale*: nec ullam omnino poteſtatem habet cum *poteſtate aliqua Eccleſiaſtica aut Regimine*. Et hoc Paſtoribus eatenus privatim proprium eſt, quatenus ipſis, per electionem ad prædicandi munus, ſpeciatim miniſterium Verbi creditum eſt. Sed Presbyteri ſive ſeniores, qui non vacant Verbi prædicationi, hujus ſunt exſortes.

Verum Excommunicatio etiam alio modo conſiderari poteſt: ſcilicet, velut fuga & ſeparatio ab hac vel illa perſona, aut Societate & Collegio, quæ lethalibus malis infecta putamus: ac quibuscum non licet nobis arctam illam ſpiritualem Communionem ſervare: neque ſymbolis, quæ faciunt ad teſtationem illius Communionis, cum ipſis uti: ac quapropter nos ita à perſona iſta, aut Collegio ſeparamus, ut Sacramenta cum ipſis uſurpare nolimus. Hæc Excommunicatio omnino eſt *privata actio*: etiam eatenus, ut unica perſona integram Eccleſiam eodem jure excommunicet, quo Eccleſia ſingularem hominem excommunicat.

Cenſeo ad hanc Excommunicationis ſpeciem illam Excommunicationem referendam eſſe, de qua *Georgius Hornius* verba facit in *Hiſtoria ſua Eccleſiaſtica & Politica*, *pag.* 61. 62. ubi exemplis demonſtrat etiam inferiori licere ſuperiorem excommunicare. Non aliter poſſum capere, qui minor jus habeat in majorem. Sed ideo ſtatuendum eſt, excommunicationem illam & ſeparationem non ſolum actionem eſſe ſine ulla poteſtate aut auctoritate: ſed quæ prorſus ſejuncta ſit ab omnibus *Eccleſiaſticis adminiſtrationibus*.

De hac diſputo *Pag.* 15. *Præfat.* & *Pag.* 457. *Tractatus mei.* Eaque nihil aliud eſt, quam ut cuivis Chriſtiano, ad operationem ſuæ ſalutis, jus ſit ſe ab iis ſegregandi, quibuſcum autumat nullum commercium eſſe habendum.

Quid in omnibus hiſce poſitionibus habetur, quod cum Confeſſione, Catechiſmo, aut Liturgia Eccleſiæ pugnet. An non rei natura docet verba hæc, *Spirituale Imperium*, quæ in Confeſſione habentur, non proprie eſſe accipienda? Quum alioquin manifeſtam contradictionem implicent: quod conſcientia ſeu ſpiritualis ſtatus hominis nulli *Regimini Politico* obnoxius ſit: aut ullus homo vel Collegium in orbe terrarum ad Imperii illius adminiſtrationem ſit conſtitutum. Verum cenſeo verba Confeſſionis reſpicere revelatas Divinas leges, juxta quas illud Collegium etiam moderandum eſt: eamque idcirco dicere, hanc Eccleſiam *Spirituale Regimen* habere. Quod libens concedo, ac credo etiam. Sed non idcirco tale *Regimen*, quando proprie loquemur, *ſpirituale* nominari poteſt: neque ob iſtam rationem jus ad illud Regimen Magiſtratibus ſubducendum eſt. Aut ſtatuendum eſt talem differentiam exiſtere inter revelatam legem Divinam: ac legem, quæ à Deo cordibus conſcientiiſque noſtris inſcripta eſt, ut Imperium, quod ſecundum priores leges regitur, ſpirituale ſit habendum: alterum autem humanum atque civile. Ac Imperium, quod gubernatur juxta prioris generis præcepta, Magiſtratibus prorſus non; ſed poſterius Magiſtratibus competere. Atque ita Magiſtratus nullum *directum* haberent imperium in rebus, quæ per Divinas revelatas leges determinatæ ſunt, quæque juxta eaſdem adminiſtrandæ ac regendæ ſunt. Itaque ex eorum ſententia, nulla ipſis competit adminiſtratio in inſtituta Religione: quod à doctrina Eccleſiarum Reformatarum alieniſſimum eſt. Dici etiam nequit, Eccleſiaſticum Regimen & politiam ideo *proprie ſpiritualem* eſſe, Magiſtratuſque ab ea excluſos, quod occupata ſit ac tendat ad ſpiritualem hominis ſalutem. Tum enim etiam Regimen, quod in Chriſtianis familiis eſt, ſpirituale foret: quum illud etiam tendat ad ſpiritualem finem, ſimulque æternam & temporalem liberorum ſalutem propoſitam habet.

Ac quare ergo univerſum civile Imperium

rium non jure ſpirituale poſſet appellari: quandoquidem id non minus ſpiritualia quam temporalia curare debeat, & ad utraque tendat, 1 *Tim.* 1:2. Vel dicendum foret, Imperium Politicum tantum occupatum eſſe circa res hujus vitæ: quod non ſolum S. Scripturæ adverſatur; verum etiam Confeſſionis noſtræ *Art.* 36. Atque tum inde etiam ſequeretur; curam gubernationemque Patrisfamilias eo tantum collineare, ut domeſtici temporalibus hujus vitæ affluerent: at excedere ejus munus ſpiritualem œconomiam curare inter ſuos per ſe vel per alios. Hoc multum recedit ab opinione D. *Riveti* piæ memoriæ in Decalogum. *Optimum Religionis ante omnia Magiſtratibus mandatum eſt: inde adminiſtratio Reipub.*

Dicendum ergo eſt, aut verbum *ſpirituale* improprie ſumi. Aut domeſticum & Politicum Regimen ſpirituale quoque eſſe: ac ſpiritualem illum ſtatum non impedire, quo minus Magiſtratibus liceat ſpirituale illud Imperium capeſſere.

Ac quum Rectores hoc faciunt, gubernationemque Eccleſiæ ſuſcipiunt, & ſemetipſos delegant, aut delegari patiuntur, ut ſint Rectores Senioresque Eccleſiæ: nam presbyteratum gerentes, nomen etiam atque titulus jure ipſis competit; ac ſolum differunt à Senioribus Belgicæ Eccleſiæ hujus loci in forma modoque nominationis atque electionis.

Non rejicio etiam nec diſciplinam Eccleſiaſticam, neque Excommunicationem, neve claves Regni Cœleſtis: quemadmodum ex præcedentibus poſitionibus, & ſequentibus excerptis patet.

Etiam concedo, violatores Eccleſiaſticarum legum puniendos eſſe: verum cenſeo vocem, *ſpiritualem pœnam* improprie uſurpari; cum propter rationes ſupra allegatas, tum ſpecialiter quoque, quod nulla ſit legiſlativa poteſtas, neque forum, nec Judex, neu pœna, neve præmium in Eccleſia, quæ conſcientiam immediate ſpectent.

Aſſentior etiam, Miniſtros & Paſtores debere conſtitui, ipſisque Eccleſiaſticam pœnam competere: ac omnes illi, qui ad adminiſtrationem, miniſterium, functionem Eccleſiaſticorum illorum munerum, quæ Miniſtri Paſtoresque in Eccleſiis adminiſtrant, vocantur, eamque vocationem ſuſcipiunt, illi ſunt tum Paſtores, Miniſtri atque Epiſcopi.

Excerpta.

Pag. 8. *Præfationis.* Statuimus ſolam S. Scripturam infallibiliter continere res, quæ fidem & revelatam Dei voluntatem ſpectent, quæ idcirco ſola noſtræ fidei ſit regula, &c. Nullam auctoritatem ulli perſonæ aut Collegio in terris datam eſſe, cujus indicio, conteſtatione vel confirmatione aliquid pro Divino Scripto admittendum ſit: verum id cujuſvis ſapientiæ, prudentiæ, & Chriſtiano pioque zelo ad perveniendum ad veritatis cognitionem relictum eſſe: ita ut quiſque ſuo judicio ac fide vivat, veluti in omnibus reliquis rebus conſcientiam ſpectantibus, quilibet de ſuis actionibus judicet: nec Deum Poteſtatem quandam in terrarum orbe conſtituiſſe, quæ juxta Deum conſcientiis noſtris poſſit dictare, præſcribere, ſeu leges ferre, quibus ſubjectæ ſint. Non eſt itaque ulla in Eccleſia poteſtas aliquas formulas, confeſſiones, decreta aut conſtitutiones faciendi: præſertim autem nullas novas, quæ aliis ſint regula fidei. Et poſt Decreta Synodi cuivis Chriſtiano, contemplatione conſcientiæ, ac conſiderato extra ſtatum civilem, de quo poſtea diſputabitur, æque liberum eſt decreta illa admittere vel reprobare.

Pag. eadem. Etiam obedientiam fidei eis decretis, ac confeſſionem à nemine poſſe exigi, per formam *mandati*, admonitionis ad officium obedientiæ, aut reſpectu debitæ alicujus ſubjectionis; quinimmo non ſub fundamento promiſſorum: quum nullus alteri conſcientiam ſuam ca-

eatenus ſubjicere poſſit, &c. Ac ſi Eccleſia hujuſmodi leges non poſſit condere, nec aliqua præcepta, quibus conſcientia devincta ſit, dare; qui ergo quendam ut immorigerum tranſgreſſoremque earum legum plectere poteſt? Et ideo *Pag.* 14 *Præfationis* dico nullos Chriſtianos poteſtatem, jus, auctoritatemve habere in res, quæ religionem ſpectant: ac aliquem velut non parentem, errantem, hæreticum ſub forma ſententiæ à Judice aut Domino imperandi poteſtate prædito, profectæ, condemnare quoad ſpiritualem ſtatum, &c. Vide etiam *Pag.* 20 *Præfationis.*

Pag. 10 *Præfationis.* Ita omnia Decreta alicujus Synodi, extra civilem ſtatum conſiderata, ſimplex tantum declaratio fidei illorum ſunt, qui ibi congregati fuerunt, omni Jure deſtituta propter quod Chriſtianus iis parere, obſequi, aut aſſenſum præbere neceſſe habeat.

Pag. 11 *Præfationis.* Apoſtolos etiam non contentos fuiſſe homines ſimpliciter ad Chriſtianiſmum adduxiſſe: verum ipſos in unam Societatem collegiſſe, quæ ſecundum quaſdam leges conſtitutionesque gubernabatur; libenter concedimus, &c. eaſque conſtitutas eſſe ad procurationem ſtatus ſpiritualis.

Pag. 13. Ac quemadmodum ex Verbo Dei apparet, naturaque Chriſtianæ Religionis fert, ut Chriſtiani (ad obſervandos ſuos conventus; ad invicem ad pietatem excitandos; in veritatis cognitione progreſſum faciendum; communionem Sanctorum celebrandam) paulo propius, ac velut ad unum corpus cogerentur: nullamque poſſe conſiſtere ſocietatem ſine Imperio: ergo hinc ſequitur, ut ubicunque nonnulli Chriſtiani forent, ut illic inter eos forma quædam Regiminis, ac certus ordo conſtitueretur, quæ facerent ad conſequendum ſcopum ſupra memoratum, &c. *Pag. eadem.* Et non puto in S. Pagina ulteriorem præſcriptionem illius ordinis (formæ videlicet Regiminis) reperiri, niſi quatenus natura Chriſtianæ Religionis eum limitet. Verum omnis ordo, qui non neceſſario è natura Chriſtianæ Religionis profluit, ac nihilominus per Chriſtianam quandam prudentiam in Eccleſiam Dei invectus eſt, aliis Eccleſiis non eſt lex ad imitandum. Ergo Eccleſiaſticum Imperium concedo, quod etiam juxta naturam Chriſtianæ Religionis, juxtaque officia Chriſtianorum (in unum corpus congregandorum) formari debet, & à qua non licet recedere.

Pag. 20 *Præfationis.* Sed alioquin in omnibus Eccleſiis poteſtas eſt judicandi, mittendi, puniendi, remunerandi, controverſias componendi. Verum hæc conſcientiam non reſpiciunt, nec res fidei, quoniam illæ nulli auctoritati humanæ ſunt ſubjectæ.

Pag. 21 *Præfationis.* Sic perſona ſingularis, aut Eccleſia, ſententiæ alterius Eccleſiæ, Claſſis, aut Synodi ſe ſubjicit, ut ipſe earum judicio illius Societatis Membrum, aut Paſtor, vel etiam Rector manſurus ſit; ſeu eum ab illa relictum ſeu abſciſſum iri. Ac omnium eſt officium, qui confœderationem & obligationem illam inierunt, ſententiæ Rectorum Judicumque eatenus parere, ut imperata faciant: vel ut æquo animo ferant, ut ab Eccleſia, cui ſubſunt, pro contumacibus, contraque Eccleſiæ leges peccantibus, abſcindantur. Eoque ſenſu omnes partes Eccleſiaſticæ diſciplinæ concedo, quomodo in noſtris Reformatis Eccleſiis exerceantur. Vide etiam *Pag.* 24. & 25. *Præfationis.*

Pag. 454. *Tractatus.* Hoc non dicitur, quaſi ordinem ex Eccleſia vellem tollere. Cenſeo eum, qui ſe Membrum Eccleſiæ adſcribi paſſus eſt, ſe eatenus judicio Eccleſiæ, Claſſis, ac Synodi ſubjicere, ut ordini, Eccleſiaſticæque pœnæ parendum ſibi ſit, &c.

Et quod ad locum à venerando Synedrio allegatum, *Pag.* 489 *Tractatus,* directo pugnat cum eo, ad quod citatus eſt: quum illic clare Regimen Eccleſiæ agno-

 ſcam;

ſcam; nec ullum aliud Eccleſiæ denegem, quam quod in conſcientias dominatur. En ipſiſſima verba. Ergo, quum proprie loquemur, communio Sanctorum vel Chriſtianorum, quam Eccleſiam appellamus, nihil aliud eſt, quam ſpontanea hæc animorum conjunctio: nec ullum Imperium in Eccleſia, qua Eccleſia, locum habere poteſt. *Nota*, quod Eccleſiaſtica & ſpiritualia tantum conſcientiam concernant, quæ certe nullius Principis poteſtati ſubjecta eſt. Itaque intelligo hic per verba, *Eccleſia, qua Eccleſia*, cœtum, pure in ſpirituali ſuo ſtatu conſideratum, quem Deus & Chriſtus ſoli per Spiritum S. regunt: atque reſpectu ſpiritualis illius ſtatus *Pag.* 489. docere Eccleſiæ ac Paſtorum dico, eſſe leges ferre: ipſorum admonere, Deique judicium hominibus annunciare, eſſe punire, vitare improbos ac immodeſtos, nec ullum cum iis velle habere commercium; hocque demonſtrare per vitationem uſus Sacramenti unitatis cum illis; illud apud ipſos eſt *ſuſpendere atque excommunicare*.

At Eccleſiæ, alio modo conſideratæ, in citatis paginis formale Regimen tribuo; nolo tamen eam proprie ſpiritualem appellari; ſtatuoque eſſe civilem: propter poteſtatem regendi, quæ tum in ejuſmodi Eccleſia viget: ac Magiſtratibus illam competere cenſeo. Quid in hiſce reperitur, quod 30 *Art Confeſſionis* adverſetur. Certe ſuperius demonſtravi, ipſos adminiſtrationem ſpiritualis ejuſmodi politiæ etiam poſſe ſuſcipere, aut alios ad eam delegare: quemadmodum revera id à multis Reip. Rectoribus in diverſis Reformatis Regionibus fit.

Muſculus in *Locis ſuis Communibus*. In Synedrio ipſimet Magiſtratus non ſedent quidem ut Judices: ſed qui à Magiſtratibus ad id conſtituti ſunt, Paſtores nempe. Summum tamen de his omnibus imperium non penes Paſtores, ſed Magiſtratus reſidet.

Rivetus in *Decalogum, Pag.* 1376. *ſitorum Operum*. Paſtores nullas poſſunt leges conſtituere, niſi à Magiſtratibus confirmentur.

Idem eod. Lib. Paſtores, quatenus ſunt Paſtores, ſubjecti ſunt Summarum Poteſtatum: quare tandem à ſubjectis, ipſorumque ſententia non liceret appellare Summas Poteſtates: & quare ipſis ſententiam ſuorum civium non liceret revidere: ac ſi bene judicatum ſit, illam confirmare; ſin autem perperam, eandem reſcindere. Hoc pacto etiam *Polyander* loquitur *diſputatione quinta Synopſis*. Qui poteſt genus regendi, puniendi, remunerandi, quod à Synedrio uſurpatur, differre in ſua natura ac eſſentia à civili; quum Magiſtratus, qua Magiſtratus, ſententiam Eccleſiæ revidet examinatque, confirmat, ſive retractat?

Camero in 18. *Cap. Matth. verſ.* 15. Non contrariantur invicem, hunc & illum imperare Eccleſiaſtico Collegio, ac una eidem ſubeſſe. Magiſtratus imperium habet in illud, quemadmodum Rex in Medicum ſuum: atque ſubeſt illi, veluti Rex Medico ſuo: *qui ipſum conſilio juvat, non autem poteſtate regit*.

Paræus in *Commentariis ſuis in* 13. *Cap. Epiſt. ad Rom.* Non ſolum Chriſtiano Magiſtratui competit de Religione judicare, judicio, quod ſolum diſtinguit bonum à malo, quod appellat *judicium diſcretivum & apprehenſivum*: ſed judicio, quod decernit quid pro bono vel malo ſit habendum, *judicio definitivo*.

Excerpta ex Ordine Eccleſiaſtico Genevenſi.

Quod ad Paſtores attinet, & quos S. Scriptura etiam nonnunquam Epiſcopos, Presbyteros Diaconoſque appellat. Eorum officium eſt Verbum Dei prædicare tam publice, quam privatim docere, monere, adhortari, caſtigare, Sacramenta adminiſtrare: ac fraternas caſtigationes cum Senioribus vel delegatis exercere. Vide

15. *Cap.*

15. *Cap. Ludovici Molinæi adverſus ædificatores imperii in imperio, de uſu in Palatinatu.* Tandem Excommunicatio etiam in Palatinatum invecta eſt: verum nihil aliud erat, quam ſententia Senatus, qui conſtabat ex Paſtoribus, Senioribus, Viriſque Illuſtribus, ac Conſiliariis Principis eo Deputatis, & inſtructis auctoritate atque poteſtate coactiva; quæ à Comite Palatino dependebat: ac ideo Collegium illud magis Civile erat, quam Eccleſiaſticum.

Poſitiones Venerandi Synedrii.

Tertio, Modum illum agendi, quo articuli quidam fidei conſtituuntur, qui deinde ad Eccleſiam mittuntur, ut ſint Membris regula & Confeſſio Fidei, ex capitali Papatus errore ad nos perveniſſe. *Pag.*457. Quod pugnat cum ſententia laudabilique praxi omnium Reformatarum Eccleſiarum, quæ compoſitionem ac ſuſceptionem Confeſſionum Fidei utile neceſſariumque judicarunt ad vinculum unitatis, & ad detectionem ac expulſionem omnium heterodoxorum; ut videre licet in *Corpore Confeſſionum* omnigenarum nationum Chriſtianiſmi.

Antitheſes.

Cenſeo à Synodo, Claſſe, vel Synedrio quædam capita fidei per formam Confeſſionis compoſita, ad Membra non poſſe mitti pro lege, canone, aut præſcripto, quibuſcum Membra iſta, vi eorum decretorum ac decisionum, ſenſum animi ac conſcientiæ ſuæ conformare tenentur: vel ſi recuſent, pœnam perferre, quam Eccleſiaſtici Cœtus, qui ejuſmodi jus ſibi arrogant, ſtatuerunt adverſus contumaces. Quoniam à Deo nulla poteſtas in terra conſtituta ſit, quæ ulli homini leges aut præſcripta poſſit facere, quibus conſcientia obſtricta ſit. Verum credo perſonas, in Synodo, Claſſe, aut Synedrio congregatas, atque illic articulos quoſdam fidei decidentes, revera, ac ſecundum fundamenta noſtræ Reformationis, nullam aliam vim deciſionibus ſuis dare, quam ut ſuam ſententiam declarent, reliquiſque Membris ſuam opinionem ſuppeditent, quum tamen privata Membra iſtis conſultationibus minime teneantur. Non puto etiam aliquem ad ejuſmodi Concilia poſſe delegari cum ejuſmodi litteris aſſertoriis, (vulgo credentiæ) & mandato, ut Membra Eccleſiæ, quæ in eo concilio non comparent, deciſionibus Synodi ſe ſubjiciant. Quoniam nemo eatenus Dominus eſt conſcientiæ ſuæ, ut illam alteri poſſit ſubmittere. Ita ut non ſolum rejiciam ſententiam Papiſmi, contra quam in Præfatione mea ex profeſſo diſputo: verum etiam opinionem iſtorum, qui deciſiones controverſiarum fidei Concilio vindicant: ſed præcipue Scotorum Presbyterianorum Theologorum, qui aperte aſſerunt, *jure Divino* ſummo Eccleſiaſtico Imperio competere, decernere, definire ac ſtatuere, quæ Religio in Regno obtinere debeat.

At omnia decreta, deciſioneſque Synodorum, quæ ordinem aliquem ſpectant, pro legibus poſſunt haberi à reliquis Membris, vi fœderis. Quid in hiſce habetur, quod pugnet cum laudabili uſu Eccleſiæ: qui poſſumus aliter loqui, ni Papatum rurſus introducere velimus?

Locus, qui ab Honorando Synedrio è Libro meo allegatur, directo ipſis adverſatur: quare erit mihi pro Excerpto, ad probationem poſitionis meæ producto.

Excerpta.

Pag. 486 *Tractatus.* Ideo omnes deciſiones, decreta, conſtitutiones Eccleſiæ, quæ juxta fundamenta Reformationis noſtræ omni poteſtate & auctoritate carent, nullius auctoritatis eſſe debent, quantum ad conſcientias, ac ſpiritualem ſtatum attinet: quum ſolum contineant declaratio-

nem opinionis illorum, qui illic præſunt. Ac ille agendi modus, quo ab aliquibus articuli nonnulli fidei cuduntur, ac poſtea ad Eccleſias mittuntur, ut Membris ſint Confeſſio Fidei, ad nos ex capitali Pontificiorum errore deſcendit: nimirum poteſtatem & auctoritatem in Eccleſia dari, quibus leges, conſtitutiones, decretaque de rebus fidei poſſit condere; quæque credenda vel admittenda ſint, ſive *implicita*, ſeu *explicita fide*.

Pag. 9 *Præfationis*. Ut nulla ergo poteſtas in Eccleſia ſit ad quaſdam formulas, confeſſiones, decreta, aut conſtitutiones fabricandas: ac præſertim non novas, quæ aliis *debeant* eſſe regulæ.

Etiam obedientiam fidei decretis iſtis, confeſſionibus, &c. à nemine poſſe exigi per formam *mandati*, *adhortationis ad officium obedientiæ*, *&c*.

Pag. eadem Præfationis. Itaque omnia decreta Synodi, extra civilem ſtatum conſiderata, nihil aliud ſunt, quam ſimplex declaratio fidei illorum ſolum, qui illic congregati ſunt, privata omni jure, ut aliis vel minima poteſtas vel auctoritas ſint legis, quæ conſcientiam concernat, &c.

Pag. 14. *Præfationis*. Vice verſa Membris liberum eſſe, ejuſmodi confeſſionem fidei condere, in qua conſentiunt: præterea Paſtores ſibi adſciſcere, qui juxta confeſſionem iſtam in docendo ſe gerent, ac porro Sacramenta adminiſtrabunt. Omnino enim cum natura & munere prædicandi pugnat, ut quis in Eccleſia Paſtor electus conſtitutuſque, poteſtate præditus foret docendi contra eam confeſſionem. Ergo non rejicio confeſſiones. Quinimmo cenſeo, impoſſibile eſſe Eccleſiam formare ſine Confeſſione; ſive eam præſupponas, ſeu in ſpecie facias. Licet una Eccleſia minores, alia plures articulos poſſit condere ad Eccleſiæ erectionem.

Mareſ. Coll. Theol. loc. 16. § 77. Paſtores in Synodo congregati, non tam quidem repræſentant collegium Judicum in Senatum convocatorum; quam quidem Collegium ſapientum ac peritorum Doctorum, convocatorum, ut conſilio ſuo juvent.

Idem ego etiam ſentio: verum hoc directe Scotis Presbyterianis Theologis adverſatur, (quorum doctrinam huc voluerunt introducere) qui ſtatuunt eſſe quadruplex judicii genus. I. *Judicium apprehenſivum*. II. *Diſcretivum*. III. *Definitivum*. IV. *Peremptorium & infallibile*. Primum eſt laïcorum: ſecundum Regis: tertium (quod definit, atque finaliter concludit & ſtatuit, quæ potiſſimum Religio ſequenda ſit) Paſtoribus Rectoribusque Eccleſiæ competit. Quartum ſolius Dei eſt. De hiſce memoratum conſule librum *Ludovici Molinæi*, Cap. 8. eamque opinionem oppugno in Tractatu meo de Munere Paſtorali, *Pag*. 361.

Poſitiones Venerandi Synedrii.

Quarto, Magiſtratus tantum ob rationes Politicas; non autem propter conſcientiam, vel mandatum Divinum, teneri idolatriæ Papiſmi Politicis pœnis ac mediis obviam ire atque coërcere. *Pag*. 464. &480. Quæ pugnant cum Libellis Supplicibus ac Deprecationibus Communium Eccleſiarum in hiſce Provinciis: ut & cum Placitis & Reſolutionibus piorum ardentiumque Reip. Rectorum, tam Generalium, quam Particularium Ordinum, quæ plurimum ac principaliter fundantur rationibus conſcientiæ, atque ex Verbo Dei deſumptis. Vide inferius Excerpta ſub Litera C.

Antitheſes.

Quæſtio, quæ capite quarto tractatur, hæc eſt: an etiam in Pontificiis, qui in Imperio Fœderatarum Provinciarum degunt, ac conſcientiarum libertate fruuntur, non ejuſmodi circumſtantiæ concurrant,

rant,

rant, ut Rectores, illæſa conſcientia, malum limitatæ libertatis exercitii Pontificiæ Religionis poſſent permittere atque tolerare: hoc eſt, num malum idololatriæ ſuperſtitioniſque Pontificiorum non ejusmodi ſit, ut non poſſemus inire ſocietatem civilem, & unam Rempublicam conſtituere; in qua Pontificii partem facientes damnatis ſuis ſacris uti liberè poſſent: an vero Pontificiorum ſacra ea laborent deformitate, ut præſtet omnibus ſe bonis privare, quæ homines ex ſocietate civili percipiunt, quam in unam ſocietatem cum iis coaleſcere. Vel etiam an jam conſtituta Republica non liceat Magiſtratui Reformato ad amolienda magna incommoda à Republica, Pontificiis largiri jus civitatis una cum libero ſuæ Religionis exercitio. Denique an Pontificiis in noſtra Republica natis, & ſua ſacra jam ante conſtitutam noſtram Rempublicam profitentibus, non liceat liberum ſuæ Religionis permittere exercitium, ut vitemus damna, quæ in Rempublicam redundatura ſunt, ſi Pontificios extorres patria faciamus. Ultimo, num etiam permiſſioni falſorum ſacrorum locus eſſe poſſit, ſolummodo propter miſericordiam & benevolentiam, qua debemus eſſe affecti erga proximum, qui zelo Dei, quamvis non vero, impulſus, mavult omnia perdere, & ſinere mulctis exhauriri, quam in cœtu cultui non intereſſe. Atque ego ad id in Tractatu meo inter alios multos hunc caſum fingo, qui facit ad illuſtrationem ejus, quod tractabatur: quod poſſimus nobis proponere, Rempublicam illud periculum incidiſſe, ut cenſeremus bona conſcientia licere, exercitui Papiſtico, ad Patriæ defenſionem neceſſario, propter illud diſcrimen, exercitationem Pontificiæ Religionis concedere.

Ad hanc quæſtionem reſpondeo, licere: verum iterum declarans me non definire, an conſiderationes Status, ac graves boni publici rationes vetent, ut Papiſtis harum Regionum illa libertas concedatur; quæ alioquin extra iſtam contemplationem, quod ad conſcientiam attinet, licita foret: ita non ἁπλῶς concludo, Pontificiis harum Provinciarum libertatem Religionis ſuæ eſſe permittendam. Sed utilitates, quas capimus ex Pontificiorum habitatione inter nos, & quibus carere non poſſumus, unam cauſam de multis eſſe poſſe, quare moderata exercitii religionis libertas iis concedatur.

Ratio caſum hunc conſcientiæ tractandi illa erat, quod fere generalem offenſionem apud omnes viros prudentes conſpicerem, quia nullum medium excogitari poſſet, exercitium Papiſticæ Religionis ita coarctandi, ut officio Chriſtiani Reformati Magiſtratus, ſimulque ſcopo Imperii, in procuranda ſecuritate ac tranquillitate Status, ſatisfieret: nec tamen Papiſtæ ſubjecti noſtræ Patriæ mulctis vexarentur.

Cenſebam hanc rem commode expediri non poſſe, niſi hi duo caſus conſcientiæ ante definirentur. Primo, an Pontificia idololatria, per ſe conſiderata; ac ita, prout privatim (ſecundum libertatem, Romanæ Eccleſiæ ſectatoribus conceſſam) ſolet celebrari, ex præcepto Dei, per corporalem pœnam à Reformato Magiſtratu prohibenda foret. Quod nego: ac propugno negativam: argumenta proferens, quæ ad aſſertionem libertatis conſcientiarum faciunt.

Deinde, an eiſdem fundamentis, quibus libertas conſcientiarum nititur, Pontificiis etiam non limitata aliqua libertas exercitii Religionis ſuæ poſſet permitti? Si non: an ergo nullæ circumſtantiæ in Papiſtis harum Regionum concurrant, quare eiſdem, niſi majus bonum publicum hoc prohiberet, illæſa conſcientia moderatum exercitium Religionis ſuæ concedi poſſet propter conſiderationes ac rationes, quæ permiſſionem alicujus mali ex neceſſitate, ad bonum quoddam conſequendum, ac ad pejus prævertendum (quæque in Tractatu meo enumero) juſtificare poſſint.

Hanc quæſtionem ita tracto, non adhærens argumentis, quæ duci poſſent à libertate conſcientiæ, & conceſſione privati cultus Pontificiorum, ad ex iis probandam cultus publici Pontificiorum libertatem: ut concludam, ex aliis capitibus, aliiſque rationibus (deſumptis nimirum ex neceſſitate, &c.) permiſſionem memorati exercitii publici Papiſticæ Religionis eſſe demonſtrandam: quum neceſſitas ejuſmodi conceſſionem excuſare poſſit. Ac concludo argumenta deſumpta *à neceſſitate* limitatam libertatem Pontificiæ Religionis in hiſce Provinciis excuſare poſſe. Sed non decido, num conſideratio boni publici permittat, ut fiat, quod alioquin illæſa conſcientia poſſet fieri. Quare nuſquam in Libro meo aſſevero, Pontificiis exercitium Religionis ſuæ eſſe concedendum. Etiam maxime temerarium foret in re tanti ponderis, quæque à tot circumſtantiis dependet (quæ in diverſis Provinciis, Locis ac Civitatibus variant) definire, quid bonum Publicum cujuſvis Provinciæ ferat.

Quid tandem in hac opinione tanta reprehenſione dignum eſt? Ac quare tanti criminis reus arguor, quod cenſeam Chriſtianos Magiſtratus per conſcientiam poſſe quidem concedere, ut, ad præcavendum magna incommoda, quæ Pontificii perferunt per acerbam Placitorum executionem, ipſis nonnulla libertas tribueretur? Quum tamen hæc opinio reipſa in tot Civitatibus liberæ noſtræ Belgicæ vigeat: ac vix ullus moderatus Reipub. Rector inveniatur, qui tranquillitatem animi non præ ſe ferat, dummodo licentioſa nimiſque ſoluta congregatio Papiſtarum prohibeatur ac impediatur. Unde patet, quod ipſis non veniat in Religionem, quo minus moderatam celebrationem Cultus Divini Pontificiorum largiantur: quodque idololatriam illam non tantam per ſe ducant, ut ſolum ob malitiam, quæ ipſi ineſt, per corporales pœnas ex Repub. debeat exturbari. Secus Reformatus Magiſtratus non tranquillus foret permiſſione limitati uſus Papiſticæ idololatriæ: verum eam nullo modo in Imperio ſuo toleraret, ſed omnino prohiberet, quo modo homicidium adulteriumque prohibentur. Ac Reipub. Rector hac in re conſcientiæ ſuæ ſatisfaciens, una etiam poſitiones meas admittit: quin immo facto ſuo oſtendit, quod nondum auſus ſui decidere. Verum id prudentiæ Rectorum relinquat; penes quos eſt æſtimatio utilitatum aut damnorum, quæ ex permiſſione alicujus mali in Rempublicam redundare poſſint.

Verum an ergo in ſententia iſtorum, qui arbitrantur, nullum Divinum præceptum, nec rationem conſcientiæ; verum politicas ſolum rationes exiſtere, quare Chriſtianus Magiſtratus idololatriæ Pontificiorum Politicis pœnis remediiſque obviam ire poſſit, tantus error exiſtit?

Qui ejuſce ſunt opinionis, aſſeverant, libertatem conſcientiæ, ac eapropter conceſſionem domeſticæ idololatriæ Pontificiorum naturali æquitate niti; quæ docet, illos homines, qui jam aliquandiu in territorio tuo domicilium conſtituerunt, qui ſine *malitia* errant, nec ullum periculum tranquillitati ac ſaluti Reipub. creant (ita etenim caſus hic fingendus eſt) nulla moleſtia afficiendos eſſe per politicas pœnas ac remedia: ipſiſque ob unas eaſdemque rationes, æque illæſa conſcientia publicum ac privatum Religionis ſuæ uſum poſſe permitti. Et ideo contra ſtatuunt, nullis jus civitatis cum libertate conſcientiarum poſſe dari, qui talem Religionem profitentur, cujus illis publica profeſſio exercitiumque ob caſus conſcientiæ non poſſet tribui.

Atque idcirco officium eſſe ferunt Chriſtiani Magiſtratus, politicis pœnis ac mediis curare, ne in ſua juriſdictione, nec privatim, neque publice, ſtuprum, adulterium, concubinatus, Pagana idololatria, ac alii magni errores, in quos homines per malitiam incidunt, in iiſque per-

perſeverant, &c. committantur, vel protegantur: Summis Poteſtatibus non licet illa tolerare, niſi propter neceſſitatem contemplationemque iſtarum circumſtantiarum, quæ permiſſionem alicujus mali juſtificant. Et qui hanc ſententiam tuentur, eam niti putant generali æquitate; nempe Rectores Reipubl. non teneri, nec à Deo ſtatutum eſſe, ob actiones, quæ oriuntur ex innocentibus erroribus, quæque ſine malitia fiunt, cauſa conſcientiæ punire: quaſi aut ratio, aut Dei præceptum expreſſum juberet mali alicujus ab errore ſine malitia profecti, exercitium domeſticum permittere; cujus mali publicum exercitium interdicere neceſſe habent. Verum quum res hæc non ita me ſpectet, ut aſſeveratio mea unico illo argumento nitatur: ſed omnis diſputatio inter me & Synedrium hac de re in eo conſiſtat; an in permiſſione Papiſticæ Religionis, prout in multis fœderatarum Provinciarum civitatibus toleratur, iſti Rectores poſſint acquieſcere: tantum, quia malum, quod in exercitio dicti Cultus Divini reſidet, hujuſmodi malum eſt, quod quia ab errore ſine malitia profectum Magiſtratus debeat tolerare; quia illud munus Magiſtratus à Deo conſtitutum non eſt, ut infirmitates humanæ ab iis pœnis vindicentur: cum alioquin nulla civilis ſocietas diuturna eſſe poſſit; & plerumque in hujuſmodi infirmitatibus pœnis vindicandis aut ſuperſtitio, aut vitioſa paſſio totam rem moderetur. Vel an tranquillitas animi Magiſtratui etiam in Bono Publico, in neceſſitate, ac in charitate quærenda ſit, quam errantibus in certis circumſtantiis debet. Synedrium adſcribit mihi, quod tolerantiam eam ſolum ob primum fundamentum defendam, eoque adſtruit, me aliquid defendere contra communem Reformatorum Doctorum, & Reipub. Rectorum opinionem. Ego contra affirmo, me etiam reliquis argumentis uti ad eum finem: ac tum illam ſententiam non adverſari communi opinioni Reformatorum Doctorum, &c. Cæterum quum Synedrium opinionem; quod ſolum ob naturam mali, quod in Pontificia idololatria exiſtit, eadem in Reformatis Statibus non ſit prohibenda: ſpecialiter oppugnare geſtiebat, illudque argumentum à reliquis ſeparare; non praxi Doctorum ac Rectorum ipſis erat evincendum: ſed directo infirmitas mearum conſiderationum demonſtranda erat, quas protuleram, ut cuivis Chriſtiano Rectori conſiderandum darem, quanti idololatria Pontificiorum, per ſe conſiderata, ac propter malum, quod illi ineſt, ipſis ducenda ſit, quatenuſque iſtam eo reſpectu prohibere teneantur.

Verum porro: finge poſitiones meas contrariari opinioni noſtræ ætatis Theologorum in hiſce Regionibus: ſimulque pugnarent cum Placitis, Decretis ac ſtatutis hujus Reip. contra Papiſticam idololatriam editis, &c. an etiam is pœnam, aut ignominiæ notam meretur, qui aliquid contra communem Theologorum opinionem docet, quamvis Confeſſionem non impugnet? Non putem. Atque officium omnium Chriſtianorum, qui ſunt erectioris animi, eſſe arbitror non pati, ut ejuſmodi ſervitutis jugum Eccleſiæ imponatur.

Ac ſi tantum ſit crimen in Politico arguere, quod aliquid contra communem Theologorum ſententiam propugnarit: qui factum Venerandi Synedrii excuſari poteſt, qui contra communem opinionem praxinque Eccleſiarum, Trapezitas, eorumque miniſtros, quibus à Magiſtratibus uſurarum modus definitus eſt, à S. Cœnæ communione arcent. Denique mirandum nunc Synedrium in decidendo caſu conſcientiæ tantum tribuere Magiſtratui, ut ipſo tanquam judice & arbitro utatur, cum alias, quando ſuis judiciis ipſi minus favet, Magiſtratum tanquam profanum vulgus arceat à judiciis iſtorum caſuum.

Ac quod Honorandum Synedrium aſſeveret, meas poſitiones pugnare cum Libel-

bellis ſupplicibus Querimoniiſque communium Eccleſiarum; atque cum Reſolutionibus Placitiſque piorum Reip. Rectorum contra idololatriam ac ſuperſtitionem Papiſtarum, quæ plurimum fundantur rationibus à conſcientia, Verboque Divino petitis. Reſpondeo: primo ludi vocibus *rationibus à conſcientia petitis*: cum ambiguum ſit utrum Synedrium iis velit Magiſtratum Pontificiorum publica Sacra interdicere, quia tam grave per ſe peccatum eſt, ut religio ipſi eſſe debeat illud tanquam alias infirmitates in Republica tolerare: an vero illis ſupra memoratis vocibus velit ſolummodo teſtari officium ſuum eſſe; & ita *conſcientiæ cauſa* teneri, Pontificiis publicum ſacrorum uſum interdicere: quamvis officii illius ratio ab aliis, quam à pondere mali in ſe conſiderati, duci poſſit. Sed miſſis hiſce omnibus factis: an quæſo unquam abſurdior ſententia audita eſt; quam ut ſinguli Rectores, vel Magiſtratus quilibet in ſuis Civitatibus; aut Reformati ſubjecti obligentur credere, admittere, nec diſſentire à rationibus, quæ in limine ac Præfatione Placitorum ac ſtatutorum habentur?

An non ſufficit, quum Placitis paremus, ac ſecundum ea vitam inſtituimus? Et ſi Venerandum Synedrium adeo offenditur, quum non eadem ſentimus ac illi, à quibus Placita præceptaque emanant? Quare factum D. *Telingii* tam alto ſilentio præteribant, qui pro concione aliquot centenorum è ſuggeſtu dicebat, epiſtolam indictæ ſupplicationis à Summo Magiſtratu Eccleſiæ Paſtoribus miſſam, mendaciis ſcatere; nec publicabat aut prælegebat eam Eccleſiæ: quia cum in illa Epiſtola commemorarentur beneficia à Deo Reipublicæ impertita, ille æſtimabat contrà Rempublicam graviter afflictam fuiſſe: & ideo falſo in illa epiſtola mentionem fieri beneficiorum: quia cum forma Reipublicæ, quæ tunc obtinebat, non delectaretur, non poterat æquo animo ferre iſtius formæ Reipublicæ ullos bonos effectus, & eventus prædicari; aut Deum eam ullo favore amplecti. Quare etiamnum ſolita verba *Gratiarum* ac *Supplicationis* vel *Jejunii dies* ipſis adeo diſplicent, quæ ſolennia ſunt in litteris, quibus Gratiarum ac Supplicationum dies indicuntur: ac quoniam Synedrium autumat ea verba ſibi mutuo contrariari; quare libenter illa ex litteris indictionis Supplicationis eliminata videret: ad quod omnem lapidem movet, ut verba indictionis mutentur: ac contra ea palam è cathedra docent prædicantque. Si itaque Synedrium arbitratur ſibi fas eſſe niti contra Magiſtratum ſuum, cur mihi vitio vertitur ſi ipſum factum Magiſtratus laudans omnes tamen rationes mihi non probantur, quibus profitetur ſe inductum ad aliquod decretum formandum, præſertim ſi illæ rationes fuerint petitæ non à ratione ſtatus, ſed à Religione & Conſcientia.

Cui bono etiam à Synedrio refertur ſententia Rectorum; nempe exercitium Pontificiæ ſuperſtitionis idololatriæque non poſſe conſiſtere cum ſalute veri Reformati Cultus Divini, ac otii Chriſtianarum Eccleſiarum, bonorumque incolarum harum Regionum.

Num ego decido, uſum Papiſticæ Religionis cum ſalute noſtræ Reipub. poſſe conſtare. Vel, an ego determino Rectoribus ad eam permiſſionem eſſe deveniendum? Minime. Atque ex ſuperius narratis hoc clare patet.

Quapropter puto, me in Tractatu meo nihil decidiſſe aut aſſeveraſſe, quod cum noſtra Confeſſione, Catechiſmo, aut Liturgia noſtræ Eccleſiæ pugnat.

Ac fac me aliquid docuiſſe (quod tamen nego, nec unquam probabitur) quod Confeſſioni noſtræ adverſatur: tamen hoc valde abſurdum ac injuſtum cenſeo, aliquem onerare, contraque eum graves criminationes proferre: quia opinio ejus in minutis quibuſdam & leviuſculis non conſentit cum Confeſſione & Catechiſmo, &c.

Aperte oporteret aliquid cum quibuſdam articulis fundamentalibus pugnare, priuſ-

priuſquam tantus fieret ſtrepitus. Sed contra, quæ Venerandum Synedrium ſpecialiter hic affert, tantum quædam accuſationes ſunt, me quippiam docuiſſe contra nonnulla capita Confeſſionis, quæ agunt de Eccleſiæ gubernatione; ac de jure Paſtorum Synedriique. Qui ſunt articuli, de quibus in quavis fere regione Reformatorum Statuum ac Rerumpubl. variæ conſuetudines opinionesque exiſtunt. Quinimmo Angli Theologi, qui etiam Membra Synodi Dordracenæ fuerunt, omniaque fidei capita noſtræ Confeſſionis ſuſceperunt, eaque approbarunt laudaruntque; excipiebant tamen 31 Articulum ejuſdem, quod declarat, *Præcones Verbi Divini, in quibuscunque ſint locis, una eademque poteſtate ac auctoritate eſſe præditos:* quod Epiſcopale Regimen Eccleſiæ pro Divino atque legitimo agnoſcerent. Unde licet colligere, quum de defenſione Chriſtianæ Reformatæ Religionis ſermo fit, prout illa in Nationali Synodo Dordracena confirmata eſt, hoc reſpicere articulos fidei; non autem formam Eccleſiaſtici Regiminis; quod in Anglia Palatinatuque multum à noſtro differt. Itaque quam maxime abſurdum eſt, arrepta occaſione, quod contra ejuſmodi articulos quicquam doceatur, fiat, vel permittatur, ut iis obviam eatur. Chriſtianis Reformatis Reip. Rectoribus ſtatim jusjurandum ſuum in memoriam revocare, quo obſtricti ſunt doctrinam & Religionem Publicarum Eccleſiarum, quemadmodum ea in Synodo Nationali Dordracena confirmata eſt, propugnare. Quæ enim veriſimilitudo eſt, illud jusjurandum etiam reſpicere articulos Confeſſionis, qui agunt de jure Eccleſiæ ac Paſtorum; nec non de forma Eccleſiaſtici Regiminis: quæ (ſicut jam dixi) propemodum in quaque Civitate variat diverſaque eſt.

Quinimmo ſi omnia accurate examinarentur, comperiremus, ipſas Eccleſias non obſervare Confeſſionem in rebus Gubernationem Eccleſiæ ſpectantibus.

Triceſimus Articulus noſtræ Confeſſionis dicit, Epiſcopos Diaconosque cum Paſtoribus, *velut Senatum Eccleſiaſticum conſtituere: ut hac ratione vera Religio conſervetur, ac procuretur, ut vera Doctrina propagetur: ut etiam tranſgreſſores Eccleſiaſtico modo puniantur coerceanturque.* In quam paucis Eccleſiis Synedrium etiam ex Diaconis conſtat. Hic ſaltem Ultrajecti in Eccleſia Belgica nullo modo.

Præterquam quod ex hoc articulo, ac ex praxi Eccleſiæ noſtræ pateat, nos non credere, jus Eccleſiaſticæ diſciplinæ claviumque, tam *ſpecifice* ac peculiariter quibuſdam perſonis competere, unique adminiſtrationis generi affixam eſſe; ut ab aliis, non ejus generis atque adminiſtrationis, idem jus non poſſet uſurpari: quoniam in quibuſdam Eccleſiis etiam Diaconi Collegium componunt, quod Eccleſiam regit; Membra ejuſdem ſuſpendit, vel excommunicat. Si Eccleſiaſtica officia ita confundantur: ac ſi uni Collegio liceat officia facere alterius, pro rei temporiſque occaſione: quare non eadem extenſio, communicatio ac cumulatio diverſorum Eccleſiaſticorum munerum in Politico poſſent locum habere.

Articulus 31. noſtræ Confeſſionis ait, *Miniſtros Verbi Divini, Seniores, ac Diaconos ad officium ſuum eſſe eligendos per legitimam electionem Eccleſiæ.* Hic certe Eccleſia opponitur Præconibus Verbi Divini, Senioribus, nec non Diaconis; ac ideo per verbum *Eccleſia* plebs Eccleſiaſtica intelligenda eſt. Hoc hodie nuſquam fere fit: & plebs ab illa electione plane excluditur. Et quum ad Eccleſias in Indiam Orientalem Occidentalemque Paſtores mittuntur, an hoc tum fit juxta Confeſſionem? Et quum Magiſtratus in Civitatibus ſibi Paſtores Urbis: ac Legati, & Rectores Xenodochiorum, proprios ſibi Præcones eligunt, nonne illi etiam contra Confeſſionem peccant? Adhæc hinc etiam apparet, noſtros Theologos,

 logos,

logos judicare illud eſſe indifferens, per quem aliquis ad miniſterium Eccleſiæ mittatur, delegetur, & auctoritate inſtruatur.

Articulus 35. noſtræ Confeſſionis, ut & formula Cœnæ declarat, ad hujus Sacramenti uſum tantum illos admittendos, de quibus creditur eos eſſe in ſtatu gratiæ. *Credimus ac confitemur, Servatorem noſtrum Jeſum Chriſtum Sacramentum Cœnæ ordinaſſe ac inſtituiſſe, ad alendos conſervandosque illos, quos jam regeneravit.* Sic etiam Catechiſmus loquitur 30. die Dominica, 81. Quæſt.

Atque in Formula confirmationis Seniorum dicitur; Synedrio incumbere curam, ne Sacramenta profanentur, id eſt, ne illa præſtentur indignis.

D. Gentman Eccleſiaſtes hujus urbis, nuper Libellum edidit: In eo declarat ac docet *Pag.* 15. quando Eccleſia in moribus ſcientiaque plurimum defecit: tum quidem licere illas perſonas ſuſcipere, atque ad uſum Euchariſtiæ admittere, quæ creduntur in eo eſſe ſtatu, ut nullam cum Chriſto partem habeant. Quî hæc poſitio cum noſtra confeſſione conſentit?

Ac hoc quibusdam Theologis videtur eſſe res magni ponderis, nihilque minus, quam diſputatio de *lana caprina*. Memini enim me in Libro cujuſdam Theologi Angli legiſſe; ipſum malle, ut manus ſibi abſcinderetur, (Sed ipſi præſens tam grave malum non imminebat) quam ea uti ad dandum alicui Sacramentum S. Synaxis, de quo perſuaſus erat, iſtum indignum eſſe. Ac vinculum ad hoc faciendum, quodque aſſerebat ſequi ex ſuſceptione & ſubſignatione formulæ, quæ vulgo *Non-conformitas* appellatur, huic Anglo unum erat ex argumentis, quibus juſtitiam cauſæ Non-conformiſtarum in Anglia tuebatur.

Non capio etiam, quo pacto hæc ſententia *D. Gentman*, cum illa doctrina conciliari poſſit; nimirum, ut Paſtores in uſu clavium, ac applicatione Verbi, Miniſterioque Sacramentorum Membris facto, certum ſignandi genus, atque propioris confirmationis adhibeant, ut illa (Membra nempe, quibus id præſtant) uſu S. Cœnæ non ſint indigna. Poteſtne Paſtor credere, ſupra dictam ſuam adminiſtrationem Membro alicui factam, quod judicat Regni Cœleſtis non eſſe particeps, pro arctiori conſignatione haberi? Et quo pacto eo caſu nullus miniſterii ſui ac conſignationis abuſus exiſtit?

Ac quomodo in hoc viſibile verbum; id eſt, in adminiſtrationem S. Euchariſtiæ nonnulli exhibitæ, quem indignum cenſemus: cuique Paſtor Eccleſiæ, qua Paſtor, S. Cœnam dat, verba quadrare poſſunt, quæ quibuſdam Miniſtris Belgicæ Eccleſiæ in ore ſunt, cum in concionibus auditoribus dicunt: *Audite quid Spiritus Eccleſiæ dicat.* Verba, quæ uſurpant applicantque ſuis meditationibus, quas ad Cœtum fidelium in Concionibus ore proferunt: illud viſibile verbum quod in adminiſtratione Sacræ Cœnæ indigno, ex ipſa adminiſtrantis S. Cœnam ſententia, non poteſt eſſe profectum à Spiritu Sancto. Et quamvis hæc verba à multis exiſtimentur magis convenire Papæ Romano, quam noſtris Paſtoribus; non tamen tantum pergunt in illo agendi modo: verum inſuper defendere conantur, rectè hoc legitimeque fieri: tantopere cavent ne videantur erraſſe, & aliquid retractaſſe, ut ipſis ſarta & tecta maneat auctoritas docendi, & æſtimatio errorem à ſuis ſententiis & inſtitutis ſemper longe abeſſe.

Quanquam etiam non intelligam, qua ratione poſſit credi; docere, admonere, conſolari, quæ à Paſtore fiunt, majoris auctoritatis eſſe, ac à Deo peculiariter confirmari & benedici, (hæc Adverſariorum meorum ſententia eſt) quam quando per alium fiunt: atque ſimul curare, ut Proponentes cathedram conſcendant, ac toties Conſolatoribus ægrorum

rum uti: quorum miniſteria tamen, utpote Paſtorum charactere carentium, cum ſpeciali illa Divina benedictione non ſunt conjuncta. Quomodo hoc convenire poteſt cum illo ſtudio laborandi pro ſalute proximi; & cum promiſcuo illo amore, quo tam divites & pauperes æque charos habent? Eſt enim Conſolatorium munus præcipue occupatum circa pauperes & pullatam plebem, quæ ita deſtituitur efficaci illo Paſtorum in conſolandis moribundis munere.

Quinimmo ſi 30 Articulum Confeſſionis noſtræ cum Formula confirmationis Seniorum conferas, reperias ea ſibi invicem adverſari. Articulus 30. dicit, *etiam Diaconos Concilium Eccleſiaſticum conſtituere.* Formula autem dictat; *ſolis Paſtoribus Senioribuſque gubernationem Eccleſiæ competere.* Evidens documentum articulos Confeſſionis, agentes de Regimine Eccleſiaſtico, non plurimi fieri, quum de orthodoxia vel heterodoxia diſputatur.

Articulus 36. noſtræ Confeſſionis inquit, officium Magiſtratuum non ſolummodo conſiſtere in cura vigiliiſque pro Politia: verum etiam tueri ſacrum miniſterium Eccleſiaſticum, ad prohibendam ac exſtirpandam omnem idololatriam falſumque Cultum Divinum; ad regnum Antichriſti evertendum; Regnumque Jeſu Chriſti propagandum: curandum, ut Verbum Euangelii ubique prædicetur: ut Deus à quovis honoretur ac colatur, quemadmodum in Verbo ſuo præcipit; ut ſubjecti tranquillam ac ſecuram vitam degant in omni pietate pudicitiaque. Abhinc paucos tantum menſes N. N. unus ex meis *Cenſoribus*, in Templo B. Martini concionabatur, ac doctrinam Remonſtrantium rejiciebat, qui Eccleſiam Regimini Politico ſubjiciunt: & defendunt, ipſis jus poteſtatemque in Eccleſiam competere, in illius gubernationem, ac in claves: quia alioquin (eſt argumentum Remonſtrantium) Politicis, ni Magiſtratibus hoc jus concedatur, corporalia tantum curanda forent.

Huic Remonſtrantium argumento ita hic Paſtor reſpondebat: Summis Poteſtatibus tantum externam, corporalem, ac temporalem civium tranquillitatem eſſe procurandam, nec ipſorum, qua Magiſtratuum, munus ac officium eſſe, Divini Cultus, ac rerum ad fidem ſpectantium, curam gerere. Hanc etiam rationem allegabat ad probationem hujus paradoxæ, & Magiſtratibus maxime ignominioſæ poſitionis: Si Politicis, qua Politicis, etiam ſpiritualia gubernanda forent: etiam media ipſis ſuppetere debere, quibus fine ac ſcopo ſuo potirentur. Verum Rectoribus, qua Rectoribus, naturalia tantum media data ſunt ad executionem poteſtatis juriſque ſui. Itaque vel Pelagianiſmus revocandus eſt, ac docendum, naturam ſatis potentem eſſe ad homini ſpiritualem ſuum finem procurandum. Aut ſtatuendum Magiſtratui, qua Magiſtratui, non competere ſpiritualium & Religionis curam gerere. Quapropter hoc pacto Eccleſiaſtes concludebat: Eccleſiam quoad corporalia Magiſtratibus tantum ſubjectam eſſe: ſed contra Rectores in ſpiritualibus Eccleſiæ obnoxios eſſe. Paſtorque porro iis addebat: curare ſpiritualia non eſt Politiæ, ſed Politicorum: (quaſi quis ob aliam cauſam Politicus appellaretur, quam quod Politiam adminiſtraret) dicebat porro; ita ergo Eccleſia, Poteſtaſque civilis differunt. Primum in objecto: hæc corporalia procurat; illa ſpiritualia. In forma: imperium hujus corporale; illius autem imperium ſpirituale eſt. In fine ac ſcopo: hæc externam tantum tranquillitatem propoſitam ſibi habet; illa vero cœleſtem.

Hæc doctrina primo directo adverſatur memoratis confeſſionis verbis. Deinde, equidem non credo, vel ipſum *Bellarminum* tanto cum contemptu de poteſtate Reip. Rectorum auſum fuiſſe loqui.

Præterquam quod abſurdum ſit eos, qui pro jure Poteſtatum Summarum in rebus Eccleſiaſticis diſputant, accuſare de errore Pelagianorum. Tanto minus, quando illud ſine omni omnino ratione fit. An non Magiſtratuum eſt officium, cives ſuos tam juxta naturales, quam revelatas Dei leges regere: juxta modum cognitionis, quam vel per naturale ingenii lumen, vel per revelatum Verbum adeptus eſt, imperium ſuum moderari? Sic puto. Verum ſecundum opinionem hujus Paſtoris Magiſtratus functus eſt ſuo officio, quum ſolum operam dat, ut ſubjecti ſui temporali proſperitate ac otio fruantur, licet hoc non fiat per viam juſtitiæ, quemadmodum nunc pyratæ Algerii ac Tuneti proſpere vitam agunt. Nam nec virtus, neque beatitudo æterna ſubditorum ſpectat ad curam Rectorum, ut Rectorum: neque illi de rebus iſtis ſpiritualibus ullas leges aut conſtitutiones facere poſſunt. Hoc enim facerent, qua Magiſtratus: atque id (juxta Doctrinam hujus Paſtoris) excederet juriſdictionem Magiſtratuum. Sed qui hæc opinio conſentit cum facto Ordinum Generalium in approbandis canonibus Synodi Dordracenæ, ubi declarant, ſe velle ac ſtatuere, ut ſententia quinque articulorum, prout in dicta Synodo deciſi ſunt, ſola in Eccleſiis doceatur. Ac ibidem Paſtoribus publicarum Eccleſiarum præſcribunt, quid docturi & prædicaturi ſint.

Ac quoniam Venerandum Synedrium, ob ſubſignationem Eccleſiaſtici Ordinis, tenetur eum in omnibus ſuis partibus obſervare: tamen nonnulla Membra illius conati ſunt, tam publicis concionibus, quam aliis mediis obſervationem Feſtorum, Natalis Chriſti, Paſchatis, ac Pentecoſtes abolere, atque in deſuetudinem deducere. Mutatio ſtatorum temporum ad celebrandam S. Cœnam eo etiam collineavit: quod expreſſe excogitarunt, ut indirecte, quantum fieri poterat, impedirent, ne memoratis Feſtis adminiſtratio S. Euchariſtiæ celebraretur. Quæ omnia ſcandalo & offenſioni ſunt multis Membris Eccleſiæ, directeque contra Eccleſiaſticum Ordinem, Art. 63. & 67.

Excerpta.

Pag. 463. *Tractatus.* Octavo; varias rationes ac cauſas poſſe exiſtere, quare Chriſtianus Magiſtratus malum aliquod, quod extra illas rationes non liceret tolerare, in Imperio ſuo poſſit non prohibere, nec punire. Quarum præcipuas, ac ad rem facientes rationes enumerabo.

Primo, Magiſtratus ex neceſſitate quoddam delictum poteſt nec plectere, nec impedire; nimirum cum prævidet, ut pœna ac prohibitione illius mali per corporalia media, gravis, quæque perniciem Regionis ſecum vehat, peſtis, Statui incumberet.

Pag. eadem Tractatus. Neceſſitates ſunt variæ: ſed unam recenſebo, quæ referri poteſt ad quæſtionem, quam in manibus habemus. Cum ad tuendum nos contra hoſtes noſtros, quibuſdam hominibus, vel locis, aut propugnaculis, ſive etiam reditibus ac lucris carere non poſſumus, verum ſi ea neceſſaria judicemus ad noſtram tutelam tum ob commodum illorum hominum, locorum, propugnaculorumque, aut nonnullorum redituum, aliquod quidem malum tolerare licet, quod accidit naturali legitimoque uſui iſtorum hominum, locorum, redituum, &c. Hoc *per accidens* ſequi in ſcholis appellatur legitimum uſum iſtius rei, quæ per ſe bona eſt. Sic opera magni alicujus ducis, qua maxime indigemus, quaque carere non poſſumus, ni Remp. in magnum periculum conjicere velimus, uti nobis licet; quamvis ipſum adipiſci nequeamus, ni ei permittamus exercitationem idololatricæ ſuæ Religionis. Sic Legatis exercitium Religionis ſuæ permittitur. Sic admittimus honeſtam mercaturam.

turam, induſtriam ac reditus, quæ Civitati alicui aut Regioni quidam homines adferunt, qui Religionem ſequuntur, (quam cenſemus citra neceſſitatem non eſſe tolerandam) quorumque mercibus, quas important, Reſp. carere nequit, quia eo vires ipſi deficerent ad hoſtibus ſuis reſiſtendum, aut ad ſuppeditandum ſumptus, quos Reſp. ferre debet in curando cultu.

Pag. eadem Tractatus. Aliquando etiam malum aliquod in Statu permittendum eſt ob amorem erga proximum: ac hoc præcipue locum habet in peccatis, quæ contra conſcientiam non committuntur: qui per errorem peccantes putant ſe rem Deo gratam facere; & tamen directo contra Remp. vel etiam proximum ſuum non delinquunt: ſed qui perverſo Dei timore animum contra leges Placitaque Imperii obfirmant: ita ut prævideamus nos levibus pœnis nihil acturos: ſed ad Placita atque auctoritatem defendenda, pœnas fore exaggerandas: ac ita illis, qui errantes peccant, majus damnum inferendum fore, quam malum per ſe meretur. Ita ut miſericordia nos impellere debeat, ut potius conniveamus ad ſuperſtitioſum & idololatricum cultum, quam pertendo contra homines culpa humani erroris male inſiſtentes omnibus fortunis per mulctas eos punire; & tandem ultimo ſupplicio afficere, ſi ſuo cultui nuncium mittere nolint.

Pag. 480. *Tractatus.* Verum etiam alia reſtat conſideratio, quare cenſeam ratione non carere, legitimeque fieri; ut moderata libertas Pontificiis concedatur: ac tum ratio neceſſitas eſt.

Pag. eadem Tractatus. Ita ut ille caſus poſſet incidere, quo non minor foret neceſſitas Papiſtis libertatem Divini ſui Cultus dare: quam erat, quum illa quibuſdam Civitatibus bello victis largienda fuit. Sed fateor hanc quæſtionem eſſe politicam, cui nos non immiſcemus.

Quum ergo Rectores judicant talem exiſtere neceſſitatem; ac quum illius neceſſitatis reſpectu libertatem nonnullam exercitationis concedunt: exercitium Pontificii Cultus Divini eo omni vitii nota carere probatur. Ac Papiſtis eo fundamento libertas Religionis datur; quo Legatis, externiſque militibus eam largimur: quibus utriſque ſæpenumero Reſp. noſtra eget, ſi Statum in ſtabili otio ac pace conſervare velimus.

Pag. 464. *Tractatus.* Differunt hæc: Pontificiis libertatem exercitationis ſuæ non eſſe permittendam, quod Deus expreſſe illud prohibeat: ac peccatum illud idololatriæ Papiſticæ per ſe tantum eſſe, ut impediendum plectendumque ſit. Vel, hoc aſſeverare; quia illa tolerantia, numero ac audacia Pontificiorum accreſcentibus, Reſp. in periculum conjiceretur; quandoquidem iis non ſit confidendum. De poſteriori idololatriæ prohibitione nunc non diſputatur; quod ingenere nihil de ea poſſit ſtatui, reſque à circumſtantiis dependeat. Sed tuemur tales caſus exiſtere poſſe in noſtra Republica: & ad quos talium caſuum æſtimatio pertinet hortamur, ut eos bene expendant, ne duplicis peccati ſe reos faciant: plectendo proximum, ubi non eſt opus; & mulctando civitatem multis malis.

Pag. 470. *Tractatus.* Quod ad Politicas conſiderationes ſpectat: de iis hoc in Libro non agitur. Ita ut exercitatio idololatriæ magna cum licentia per corporales temporaleſque pœnas, quæ in libera noſtra Belgica apud multos Rectores in uſu ſunt, non impediatur. Sed forte per pœnas ipſis animus adimitur, ne paulatim majus quid audeant; unde tandem Reſp. detrimenti quid caperet. Ac tunc ratione niteretur, ſi Pontificiorum magni ac multiplices cœtus coërceantur. Verum hoc Politicum eſt: nec pertinet ad quæſtionem, quam nunc tractamus. Vide etiam *Pag.* 481.

Poſitiones Venerandi Synedrii.

Quinto, Cruces imponere ſepulchris: ac ſigno crucis aliquid benedicere, non eſſe ſuperſtitionem, *Pag.* 459. *Tractatus.* Quæ pugnant contra ſententiam communium Eccleſiarum ac Synodorum: nec non contra Placita Nob. Pot. noſtrorum Ordinum, ad libellum ſupplicem Synodorum contra illas edita: (vide Placitum Ordinum Ultrajectinorum contra abuſum, & quaſdam Romanas ſuperſtitiones, quæ aliis ſcandalo ſint in ſepeliendis ſuis mortuis, Anno 1636.) ac idcirco vergunt ad reprehenſionem atque violationem eorundem Placitorum, notabilemque confirmationem circa ſolennia inſignia ſuæ ſuperſtitionis.

Antitheſes.

Statuo, inſtitutionem ac uſum quorundam Symbolorum in Chriſtiana Eccleſia, per ſe nullam ſuperſtitionem includere.

Quod tamen ut plurimum per ſuperſtitionem excogitentur uſurpenturque. Eas Eccleſias optime conſtitutas eſſe, quæ minima habent. Quæſtionem hanc tracto occaſione controverſiarum in Eccleſiis Anglicanis. Cenſens quoſdam uſu nonnullarum cæremoniarum plus æquo offendi; nec rationem ſatis juſtam habere, ſe ideo ab Eccleſia ſeparandi. Ac demonſtro formam cæremoniæ ac *Symboli* in ſe nihil ſuperſtitionis continere.

Inter alia ſtatuo; in faciendo ſigno crucis; in eâ templis, aut tumulo imponenda, nullam proprie dictam ſuperſtitionem exiſtere, quum hoc factum per ſe conſideratur: verum in praxi ea utplurimum cum ſuperſtitione conjuncta eſſe: ac iſtum abuſum abolendum eſſe. Qui uſus horum Symbolorum æſtimandus ſit in Papatu, de eo in Tractatu meo non diſſero: verum ex Excerptis ſatis conſtat, inferius productis, me putare in iis formalem ſuperſtitionem comprehendi. Quo pacto hæc opinio adverſatur Placitis hujus Provinciæ?

An hæc opinio etiam cenſuræ obnoxia eſt, ac cum noſtra Confeſſione pugnans; vel an ita recens & inaudita eſt inter orthodoxos? Doctiſſimus *Salmaſius* in *Apparatu ſuo ad libros de Primatu Papæ*, *Pag.* 83. docet demonſtratque jam à principio Chriſtianæ Eccleſiæ ſignum crucis uſurpatum fuiſſe in multis & variis rebus Eccleſiaſticis: atque inter alia allegat *Tertullianum*, qui teſtatur quod ſuis temporibus Chriſtiani in exordio omnium ſuarum actionum caput ſuum *tere-bant ſigno crucis*.

Excerpta.

Pag. 459. *Tractatus.* Primo, Non continet ſuperſtitionem; quando Chriſtiana Eccleſia *Symbola* quædam inſtituit, ac uſurpat, quibus aliqua ſpiritualis res exprimatur.

Alba veſtis Paſtoris, quum prædicat, ad exprimendam puritatem, ad quam peculiariter obligatus eſt, proprie ſuperſtitio non eſt: neque etiam crux impoſita Templo aut monumento, ad deſignandum, Eccleſiam locum eſſe conventionis Chriſtianorum: eumque, cujus cadaver ibi conditum jacet, in fide Chriſtiana mortuum eſſe. Etiam illud ſuperſtitione caret; ſi per ſignum crucis quippiam benedicas: hoc ſigno exprimens illas cogitationes, quæ in benedictione nobis in mente verſantur, quando perſonæ in Chriſti nomine benedicimus, ita ut ſignum loco ſit multorum verborum.

Infinita hujuſmodi *Symbola* in Papatu reperiuntur, quæ non idcirco proprie rejicienda ſunt, quaſi ſuperſtitioſa forent: dummodo in iis Religionem non collocemus: nec ea ſigna facta ſint, in quibus, ac per quæ nos Deum arbitramur colere: atque

atque ita denuo carnalem Religionem introducamus. Nam etiam Patres in Veteri; ac Apoſtoli in Novo Fœdere *Symbolis* uſi ſunt: verbi gratia; impoſitione manuum. Et hoc per ſe malum non eſt: ut quivis id concedit, resque ipſa dictat. Uſus enim alicujus *Symboli* ad rem quandam ſpiritualem denotandam, nihil aliud eſt; quam quaſi quis in ſcribendo characteribus utatur: ac per unum characterem multam rerum vel verborum exprimeret. Sed res hæ, uti dictum, malæ fiunt, & ſuperſtitionis vitio laborant, quum ex animo ſuperſtitione & carnali cultu affecto procedunt: in eum commutantur, aut ad ſuperſtitionem uſurpantur: quum in uſu iſtorum *Symbolorum* ſanctitatem aliquam collocamus: nobisque fingimus, Deum uſu eorum *Symbolorum* eximie coli: talemque Religionem, quæ per multa illorum Symbolorum fit, Deo acceptiorem eſſe.

Maximo cum periculo conjunctum eſt multa Symbola ſacra in Religionem introducere: quia Plebs ſolita externis capi, utplurimum in externis illis ſignis hæret, arbitraturque ſe Deo ſuo per geſticulationes geſtusque ſervire. Atque cum id fit, vera ſuperſtitio iis continetur: hominibus exiſtentibus tam corruptis, ac adeo carnalibus, ut ægre ad ſpiritualem iſtum Divinum Cultum, qui in Novo Teſtamento ſolus locum habet, ſe poſſint erigere: ac volentes tamen ſemper aliquos Religionis actus & partes exercere, facile in corporalem irrationalemque Cultum Numinis, qui hominis corrupti ingenio accommodatior eſt, incidunt, qui ab omnibus non regenitis facile celebratur.

Ac exiſtimo conditores omnium illorum ſignorum ſive ſymbolorum ſacrorum & cæremoniarum in Eccleſia, plurimum ejuſmodi carnali ſpiritu impulſos fuiſſe. Eisque, qui tali ſpiritu ducuntur, maxime ejuſmodi Religionem placere. Verum, quoniam illud cæremoniarum genus per ſe ſuperſtitioſum non ſit: non idcirco factiones, ſchiſmata, vel partium ſtudia in Chriſtianis Eccleſiis, ubi eæ reperiuntur, facienda ſunt; quum quoad cætera præcipuum retinetur. Hic in Regnum nobis proximum mentis oculos conjicio, ubi ob paucas quaſdam cæremonias animi illorum Chriſtianorum valde exaſperati ſunt, qui cæteroquin in doctrina conveniunt.

Ubi ejuſmodi cæremoniæ non ſunt, eo non ſunt invehendæ: ac quum videmus eas in abuſum converti; tunc illæ, quoad commode fieri poſſit, abolendæ ſunt. Appello commode abolere; quando majore cum ædificatione abrogantur, quam retinentur. Ac hoc pendet à judicio piorum ac moderatorum virorum.

Poſitiones Venerandi Synedrii.

Porro. Invocationem mortuorum Sanctorum; ac ædificationem Templorum in honorem ipſorum non eſſe idololatriam, *Pag.* 410. *Tractatus.* Quod etiam oppugnat communem ſententiam Reformatarum Eccleſiarum ac Theologorum: ac plures poſitiones hujus commatis, nimiæ, quam quæ Libello Supplice memorentur.

Antitheſes.

Statuo, unam tantum religioſam adorationem poſſe dari: ac ideo diſtinctionem Pontificiorum rejicio inter *latriam, douliam, & hyperdouliam.*

Adorationem Defunctorum Sanctorum, & religioſi animi affectionem erga eos, iisque aliquod numen attribuere, formalem idololatriam continere.

Ulterius doceo, ex circumſtantiis illorum, qui preces ſuas ad Sanctos vita functos dirigunt, ac in honorem eorum ſacras ædes exſtruunt, illisque Sanctorum nomina imponunt; manifeſtum eſſe, ipſos hoc animo idololatrico facere, inque eo idololatriam committere.

Aſſe-

Aſſero, verbum *orare* vel *adorare* non eſſe applicandum quibuſdam actionibus, in quibus nulla Religio reſidet.

Cenſeo tamen, nonneminem ad mortuum Sanctum poſſe ſe convertere; nec tamen idololatriam committere: ſcilicet, cum Sanctis nihil Divini adſcribit; nec religioſam aliquam in animo conſtitutionem excitat: verum illa tum civilis, non autem religioſa actio foret.

Similiter arbitror, etiam per ſe idololatria vacare; ſi quis in honorem alicujus Sancti Templum vel Sacellum exſtruat: non magis, quam in Primitiva Eccleſia idolomaniam continebat, ſuper, ac circa monumenta Martyrum cœtus Chriſtianorum ad Cultum Numinis habere: communionem ibidem celebrare, &c. Noſque omnes à ſuperſtitione ac idololatria non eſſemus immunes; quoniam etiamnum Baſilicas noſtræ Civitatis nominibus Sanctorum diſtinguimus, in quorum gloriam per ſuperſtitionem ſtructæ ſunt.

Excerpta.

Pag. 383. *Tractatus.* Sociniani duplex genus ſtatuunt Religioſæ adorationis: alteram majorem, alteram minorem. Cenſeo hoc Socinianorum dogma non poſſe conſtare. Primo, quod motio ac inclinatio animi, quæ in omni *religioſa adoratione* exiſtit, ens ſumme perfectum pro objecto habeat: atque propterea æque erroneum eſſe, ponere religioſam adorationem, quæ Deum non habeat pro objecto: quam abſurdum eſt ſtatuere, objectum iræ poſſe rem eſſe, à mente comprehenſam judicatamque ut bonam nobis ac utilem.

Pag. eadem. Sociniani concedunt, naturalem Religionem nos non docere duplicem religioſæ adorationis ſpeciem. Si ergo recta ratio doceat, unicum tantum religioſæ adorationis genus dari, quæ Deum pro *objecto* habeat. Qui Deus aliquid poteſt præcipere, quod contrarium eſt rationi aut Ethicæ? An Deus facere poteſt, ut malum ſit bonum; bonum autem malum?

Pag. 385. *Tractatus.* Ac quoniam, mea quidem opinione, ejus rei nulla ratio reddi poteſt: jure concludo, ex dogmate Socinianorum velut abſurdum ſequi; Numen Divinum tum etiam poſſe mandare, ut Sancti Religioſa adoratione invocentur, &c. Itaque hæc abſurditas vitari nequit: aut concedendum eſt, verum Deum tantum objectum eſſe religioſæ adorationis.

Pag. 391. *Tractatus.* Præter hanc etiam alia idololatriæ ſpecies eſt, quanquam ſummopere eam excuſare conentur: quæ hæc eſt; quum creatura, quæ pro creatura habetur; ac de qua verbis doctrinaque declaratur nunquam aliquid alio modo ab ea exſpectandum eſſe, niſi quod exiſtimant à creatura poſſe provenire, colitur per religionem atque devotionem.

Pag. eadem. Sed hoc verum; primo, quantum ad dogma ac fidem ſuperius memorati facti circa mortuos Sanctos attinet, nos poſſe quidem ab idololatria eſſe immunes, quamdiu rem illam per ſe theoretice & extra praxin conſideramus: ac de ea loquimur, diſputamus atque profitemur: verum in praxi, quæ in ſe affectionem ac diſpoſitionem animi complectitur, nos veræ idololatriæ reos fieri atque commaculari: quia propria forma affectionis aut commotionis Religioſæ in ea utimur.

Pag. 392. *Tractatus.* Doctrinam ac profeſſionem defunctis Sanctis nihil tribuendi, quod Divinum ſit, non prohibere, quo minus ideo circa illos idololatriam committant. Vide etiam *Pag.* 405 *in verbis*, ergo dicimus, &c. & *Pag.* 406. Hoc tamen affirmamus conſtitutionem omnium officiorum (quæ in Papiſmo defunctis Sanctis fiunt) ex idololatrico ſuperſtitioſoque animo natam eſſe. Quemad-

admodum olim ex ejuſmodi animo inter Iſraëlitas nata ſunt immolatio in excelſis: conſitio lucorum, ut ibi Deum ſuum colerent, &c. cultus æneі ſerpentis, quondam in deſerto juſſu Dei erecti, quo poſtea Judæi ad ſuperſtitionem ac idololatriam abuſi ſunt.

Pag. 407. *Tractatus.* Idem ſentimus etiam & dicimus de adoratione atque invocatione Sanctorum, ſub forma Divini Cultus; non ſub civilis honoris ſpecie. Quod etiam eo uſque ſe extendit: ut Scriptura per nudum verbum *orare*, in Cultu Numinis uſurpatum, nihil aliud intelligat, quam illud orare, quod ad Deum fit. Vide *Epheſ.* 6: 18. 1 *Theſſ.* 1: 17. 1 *Tim.* 2: 1. & præſertim *Matth.* 6: 5, 6, 7. *Luc.* 11: 3. Si Scriptura vel Apoſtoli ullam differentiam inter religioſam ac non religioſam orationem noviſſent, generale verbum orandi apud eos non in tali uſu conſpiceremus; neque Chriſtus etiam ita reſpondiſſet, formula orationis ipſis præſcripta, quæ ſolum Deum reſpiceret. Quinimmo Scriptura abſolute adeo per religioſam orationem & invocationem, eam intelligit, quæ ad Deum fit: ut ſtatuat, neminem invocare licitum eſſe, niſi in quem credimus, *Rom.* 10: 14. *Qui eum invocabunt, in quem non crediderunt?*

Pag. 411. *Tractatus.* Nimium differt in formali religioſa oratione, genibus nixum in Eccleſia, coram Sancto, eo tempore, quum ſerio animus in Religionis & cultus officiis verſatur, ac quando omnem actionem non pro civili haberi volumus, verum pro religioſa: Sanctum, juxta Deum, unis eiſdemque verbis alloqui, &c. Vide etiam *Pag.* 410. *in verbis.* Secundo, diſtinguimus, &c. Ac *Pag.* 406. *in verbis*, Verum capere non poſſum, &c. Et *Pag.* 392. *in verbis.* Sanctum in cœlo, &c. *Pag.* 405. *in verbis.* Quare concludimus, &c. Atque *Pag.* 409. *in verbis*, Quarto, in peccato cultus idolorum non conſideratur, &c.

Pag. 391. *Tractatus.* Non dubito de eo, quin vir ſapiens ac prudens, quando præſenti eſt animo, in mente ſua formare poſſit certam commotionis ac alloquii ſpeciem: vel, ſi ita appellare liceat, quoddam precationis genus (quæ vox tamen periculoſa eſt, quod plerumque aliquam Divini Cultus ſpeciem denotet) ad defunctos Sanctos, ſine ulla tamen idololatria: quanquam hæc actio ſuperſtitioſa, ac à vera norma deflectat, & ad directam idololatriam referri debeat.

Pag. 405. *Tractatus.* Ac quia ſolemus illo geſtu, attollendi oculos ad cœlum, uti quum Deum adoramus; atque oratio tam peculiariter videatur annexa ac affixa geſtui, qui fit converſione oculorum cœlum verſus, idque apud omnes nationes uſitatum ſit: non dubito ideo, quin geſtus iſte ex religioſa animi diſpoſitione proveniat: quæ diſpoſitio ſolum reſpectum ad Deum habet. Itaque concludo verbum *orare* ſeu *adorare* non eſſe aptandum ullis actionibus, in quibus Religio locum non habet.

Pag. 409. *Tractatus.* Sed fac neminem eſſe, qui ſpirituali Angelorum ac hominum cultu, eouſque ſe impelli patiatur, ut non ex Religione oriretur: tamen officia illa peccatum forent irregularis Divini Cultus; atque idololatria continentur: ac zelus Divinus accenditur ob illa; eaque ſe inſtar idololatriæ punitum minatur. Putantne nullum falſum Dei Cultum poſſe committi, niſi in ſupremo gradu, in quo nullus ei poteſt accedere cumulus, &c. Quando Herodes ſuperbiebat ob acclamationem populi; vox Dei, non autem hominis: nec Deo honorem daret, percutiebat eum Angelus, ac à vermibus comedebatur. Et deinceps, uſque ad verba: *Quarto.*

Quarto, In delicto falſi Cultus Divini non conſideratur, an aliquem colamus velut unicum verum Deum: verum an alicui Divinitatem quandam tribuamus. Verum quidem, unicum tantum Deum

poſſe exiſtere. At ut hoc non impedit, ut Gentiles plures Deos habuerint; majorum etiam, ac minorum gentium Deos. Sic etiam Angelus, ac defunctus Sanctus, ut minor Deus coli poteſt: ſummo Divino Cultu Supremo Deo reſervato. Notum eſt Platonem, Platonicoſque, qui ipſum hac in re ſequebantur, Divinitatem ac Religionem ſuam ita diviſiſſe. Summum Numen ſtatuebant, ipſique ſubjiciebant Dæmones nonnullos, qui velut Mediatores inter Deum hominesque erant, & quos etiam certo Religionis genere colebant: verum cultus erat minoris honoris ac dignitatis, quique ad Deum referebatur; ita ut in Sanctis ultimum non terminaret. Hac in re Pontificios quoad religioſa ſua officia, quæ defunctis Sanctis præſtant, comparo cum Platonicis.

Pag. 406. *Tractatus.* Animus idololatricus exſtructionem Eccleſiæ excogitavit in honorem alicujus Sancti: imo eam conſecravit non tantum ad memoriam ſed etiam ad religionem Sancti. Quod inde patet: quia fit in re, quæ in Religione locum habere ſolet: nec unquam Templa ædificari ſolebant, iiſque nomina dari, niſi in honorem alicujus Dei, qui in illo honorabatur ac colebatur. Ac Patres contra Arrianos diſputantes, ſemper iſtum textum, *Corpora noſtra templa eſſe Spiritus Sancti*, 1 *Cor.* 3: 16. allegarunt, ad probandum Spiritum S. Deum eſſe, &c.

Pag. eadem. Sepulchra, Structuræ ac Urbes ædificantur in defunctorum honorem, quorum memoria nobis valde chara eſt: ac in tota actione illa nihil aliud nobis ſuccurrit, niſi civilis quædam, ut ita loquar, animi conſtitutio. Verum Sacrarum ædium exſtructio ſemper ex religioſo animo naſcitur erga Deum, in cujus honorem Baſilica illa ædificatur: ac ideo ſoli mortuo Sancto fit, quem una cum multis aliis religioſis officiis colunt, quæ nunquam vivis ſanctis præſtant, &c.

Verum videre nequeo, quare ſacrificatio externum ſit officium, Deo ita proprium, ut creaturæ non poſſit fieri ſine idololatria: adorare autem vita functos Sanctos: ipſis thura in Eccleſiis adolere: preces ſuas horarias facere: canere in ipſorum honorem, ac ad opem ab iis conſequendam: conſtitutionem ſpiritualium perſonarum ad ejuſmodi officia, &c. (inter quæ etiam Templorum ædificatio in honorem mortuorum Sanctorum recenſeri debet; quum proximo loco ante de re ea in ſpecie dictum erat, hoc fieri ex Religione, *Pag.* 406.) ſine idololatriæ crimine poſſe fieri. Ab hac etenim parte conſpicere nequeo, quare omnia illa officia non æque ex religioſo animo procedant. Ac ab altera parte non intelligo, quare is, qui officia illa facit, non verbis ac doctrina teſtari poſſit, ſe officiis iſtis Sanctos non ut Deos colere, ſed velut homines: & ſe idcirco non religioſum cultum iis præſtare: ac ſe in omnibus iſtis actionibus hominibus nolle adſcribi, quod ſolius Dei eſt. Verum non capio, quare ridicula illa excuſatio non æque locum habere poſſit in ſacrificando; quam in thure adolendo; in inſtitutione precum ad Sanctos, &c. Certum ſaltem eſt, nunquam apud ullas nationes ejuſmodi officiorum genus introductum fuiſſe, niſi cum Numen aliquod ſe iis colere crederent.

Pag. 410. *Tractatus.* Angelici cultus ſpecies fuiſſe poteſt, quæ & animo, & externis ſuis actionibus omnino diverſa fuerit ab illo cultu, quo Deo ſerviebant: ac idcirco tantum ſuperſtitio, non autem idololatria. Fieri etiam poteſt, ut Angelis neque doctrina, nec animi conſtitutione amplius quicquam attribuerint, quam dignitas ipſorum requirebat: verum quod tamen eiſdem talia officia præſtiterint, quæ illos idololatriæ affines redderent: v. gr. recitatio quarundam precum in Eccleſia ad honorem ipſorum exſtructa: in altaribus illis ædificandis: thure accendendo, &c.

CO-

COROLLARIUM.

Ac quia de me ſpargitur, accuſorque, quod errorem idololatriamque Papiſmi tantum peccatulum eſſe doceam, eamque valde elevem; non incongruum erit, ſi ſuperius allegatis Excerptis loca quædam ex meo Libro annectam, quæ judicium meum de magnitudine illius peccati continent.

Statuo ac aſſevero quadruplex idololatriæ genus in Papatu committi. Primo, quia verum idolum in Miſſa adoratur. Deinde, quod Deum ſub ſimulachro, unaque ſimulachra adorent. Tertio, quod defunctos Sanctos adorent. Quarto, quod nonnulli Pontificii Doctores doceant, omnes Creaturas cum relatione quadam ad Deum adorabiles eſſe, *Pag.* 415. 416. 418. 419. 420. & 421.

Quantum hoc peccatum æſtimem, ſequentia Excerpta indicant. *Pag.* 421. Itaque putamus nos probaſſe, in Romana Eccleſia idololatriam doceri ac committi: atque cenſemus iſtum errorem, ſimulque praxin Papiſtarum, ex errore orientem ſpeciem eſſe idololatriæ graviſſime in Verbo Dei, pariter in Veteri ac Novo Fœdere, prohibitam: ideoque Reformatos juſtam cauſam habuiſſe, ſe ab ejuſmodi Eccleſia, ubi talis doctrina propugnatur; ac Membra ejus ad praxin illius dogmatis obligantur, ſegregandi, ac ſeparatos cœtus faciendi. *Pag.* 422. ſtatuo fundamentalem errorem eſſe.

Pag. 422. *Tractatus.* Concedo quidem, peccata, quæ delicta erroris appellantur, quod non fiant contra conſcientiam, majoris vel minoris eſſe ducenda, prout majore vel minore malitia in errore illo hærent. Verum maxime abſurdum eſt, putare illa peccata, quæ per errorem, hoc eſt, non contra conſcientiam, fiunt, ſemper cum minori malitia conjuncta eſſe, quam ea, quæ contra conſcientiam fiunt. Nulla res tanti foret ducenda, quam error ac ignorantia, ſi malum iſtis extenuaretur. Per id enim nos in ſtatu collocaremus, quo peccatis minus eſſemus obnoxii multis aliis, qui curam diligentiamque adhibent, ut diſcant bonum à malo diſcernere. Licet ergo ſtatuam, multos Pontificios per errorem, non autem contra ſuam conſcientiam idololatriam facere: non ideo deſinit magnum eſſe peccatum.

Pag. 424. *Tractatus.* Præſuppoſito igitur, Chriſtum in Miſſa non exiſtere: irrefutabile hinc ſequitur, Papiſtas veram maximamque idolomaniam committere: rem adorantes, in qua omnes illæ imperfectiones in ſummo gradu concurrunt, quæ in Idolis Ethnicorum reperiuntur: ac ob quas Deus, nec non Prophetæ, idololatras inter Judæos, atque etiam omnes Gentiles irriſerunt, quod tam infirmas ac caducas creaturas Deos ſibi facerent. Vide etiam *Pag.* 426. & 427.

Pag. 466. *Tractatus.* Specialiter ago de idololatria, quæ in Miſſa committitur, & de qua omnes Papiſtæ idem docent, ac eatenus communis ipſorum doctrina illius idololatriæ fundamentum eſt: quod, mea quidem opinione, idolomania ea minus diſputationi ſubjecta ſit; ac ſimul graviſſima, quæque maximæ ſit offenſioni, omnium reliquarum idololatriæ ſpecierum, quæ à Pontificiis committuntur: & in quam noſtri Paſtores in concionibus ſuis maxime invehuntur.

Pag. 467 & 468. *Tractatus.* Ac quare idololatria Pontificiorum non poteſt eſſe error carens malitia, qui non ſit puniendus à Magiſtratu? Quatenus à quolibet domi fit, ac comprehenſa eſt libertate Conſcientiæ; quamvis graviter peccent, quinimmo forte in æternum per illum errorem, conſecutamque praxin pereant.

Fateor me *Pag.* 467. dicere, neminem rationes, aut Scripturæ loca allaturum, quæ probent, licere quandam erroris ſpeciem, quæ malitia vacat, quaque multi

ti Papiſtæ doctrinam credunt ac profitentur, quæ idololatriam continet, corporalibus pœnis prohibere. Sed quis non videt, me ibi agere de idololatria Romanæ Eccleſiæ per ſe conſiderata: non autem addita illa circumſtantia publici exercitii ejus in noſtra Republica. Ac quis reperitur, qui conſcientiarum libertatem propugnare ſtudens hoc poſſit negare? Aut quis eſt, qui cenſet ac docet, Magiſtratum ex mandato Divino conſtringi, Pontificium ſine malitia errantem, ac idololatriam ſuam exercentem, punire ob commiſſum illud malum: quemadmodum idem Magiſtratus furem, adulterum, &c. plectere tenetur? In illas Reſpub. in quibus nulli Papiſtæ reperiuntur, extra rationes neceſſitatis aut charitatis, &c. non ſunt ii alliciendi, aut admittendi. Et quum Chriſtiani Magiſtratus officium ſit moderatiſſimum Imperium affectare, oportet ipſum ab infligendis pœnis abhorrere, & ad eas non progredi, niſi ubi ipſi clariſſime ratio conſtet illius, & aut Dei Præceptum aut Reipublicæ ſalus pœnarum inflictionem flagitet. Ac ubicunque Pontificii contra Placita Reip. peccant, ibi poſſunt puniri, ſed Dei pœnam Magiſtratus non effugiet, qui temere proximum damnis mulctat, eique vitam acerbam præſtet. Verum illud non ſpectat ad hanc quæſtionem.

Puto ergo me probaſſe, errores, qui à Venerando Synedrio mihi tribuuntur, non eſſe meos; nec in Tractatu meo reperiri: neque à me ullam occaſionem datam, ut tam mala præſumptio ac præjudicia contra me ſuſciperentur: nedum ut ob errores eos, quaſi probati eſſent, inauditus condemnarer. Ita ut maxime dubitandum ſit, num ſpiritus moderationis ac Juſtitiæ inter Auctores exhibiti Libelli Supplicis in illo conſcribendo, præſederit: verum an non omnino alia in iis cauſa extiterit zeli, quem præ ſe ferunt. Quare confido, Nob. Ampl. Viri, Vos (non commotos præpropero injuſto judicio Venerandi Synedrii, in propria ipſorum cauſa facto, ac pro honore ſui ordinis, ad imminutionem auctoritatis poteſtatisque Reip. Rectorum in rebus Eccleſiaſticis) juſte magis acturos, meque ab accuſatione Honorandi Synedrii abſolute, procuraturos, ut exiſtimatio mea læſa mihi reſarciatur. Quod, Nob. Ampl. Viri, veſtræ ſapientiæ ac moderationi poſt examinationem hujus meæ defenſionis, conſiderationemque ſinceræ declarationis à me hic factæ, committam.

Interea Vos Nob. Ampl. Viri, pro ſolita Veſtra Sapientia optime conſiderabitis, quo ſpectent ejuſmodi agendi modi contra Rempub. ejuſque Rectores. Ac an ii non ex iiſdem fundamentis procedant: quibus varia Synedrii Membra ex Cathedra, ac in publicis Scriptis, tot invectivis ad imminutionem legitimæ auctoritatis Reip. Rectorum per aliquod tempus continuò uſi ſunt.

ADMO-

ADMONITIO SYNEDRII ULTRAJECTINI

Adverſus quandam

APOLOGIAM

Contra

LIBELLUM SUPPLICEM SYNEDRII

Exhibitam.

Nobiliſs. Ampliſs. D. D. Conſulibus ac Senatoribus Urbis Trajectinæ.

QUoniam Apologia quædam pro Tractatu de Idololatria ac Superſtitione ad Synedrium miſſa eſt; in qua Auctor dictæ Apologiæ queritur, per Libellum Supplicem Synedrii multimodis maxime læſum ac injuria affectum eſſe: præcipueque in eo, quod ipſi perverſæ ejuſmodi opiniones (quales Synedrium in ſuo Libello Supplice enumerat) adſcribantur. Quare Synedrium ad ſemet purgandum, ac amoliendum à ſe injuriam illam, quam ſibi factam fingit, neceſſarium cenſuit ſequentem Admonitionem Vobis, Nob. Ampl. Viri, offerre.

I. Synedrium probe gnarum ſui eſſe officii, pro puritate doctrinæ, ac conſervatione boni ordinis Eccleſiaſtici curam gerere & excubare; quemadmodum ipſi, ſinguli in adeundo miniſterio ſuo Eccleſiaſtico, votis & promiſſis ſeſe obſtrinxerunt. Quapropter illud ſuum eſſe officium etiam putavit, ſolito ac decenti modo iis obviam ire, quæ bona conſcientia arbitrabatur iſtis adverſari: & petere condemnationem Scripti in lucem editi, quod autumabat varia dogmata quæ offendiculo forent, ac periculoſa continerent, cum communi & recepta doctrina ordineque Eccleſiæ pugnantia. Ac idcirco teſtatur ſe nulla alia, quam muneris & conſcientiæ ratione impulſum ad oblationem memorati Libelli Supplicis.

II. Synedrium partim lætatur quidem, quod Auctor dictæ Apologiæ *Pag.* 496. dicat, *ſe nullam pravarum iſtarum opinionum*,

quas Synedrium præ ſe fert ex Libro ejus ſe excerpſiſſe, pro ſua agnoſcere: ſed cunctas illas rejicere. Sed tamen, venia ſit dicto, non poteſt non ab altera parte mirari, qui memoratus Auctor hoc teſtari & præ ſe ferre poſſit.

Quantum enim ad primam poſitionem attinet, *publicum prædicationis munus, & S. Sacramentorum Baptiſmi ac Cœnæ adminiſtrationes à quovis, dummodo aptus ſit, poſſe expediri ac exerceri.* An Auctor non clare proponit eam in Præfatione ſui *Tractatus Pag.* 12. atque in Excerptis ſuis *hac* in *Apologia, Pag.* 498. dicens, *Univerſum Cœtum ſanctum eſſe: ac quemvis, quatenus ordo aptitudoque perſonæ ſuæ permittit, omnes Religionis partes poſſe capeſſere, &c.* Verum quidem, in Extractis in Apologia allegatis, hæc verba addi (ad limitationem aut excuſationem, ut videtur, præcedentis poſitionis, ante in Præfatione abſolute propoſitæ) *quatenus ad ea ſpecialis ſanctitas non requiritur.* Quæ verba ſi illud ſignificent, ut quis legitime ſecundum Chriſti inſtitutionem vocatus, omnia miniſteria Divini Cultus in Novo Fœdere adminiſtrare poſſit, licet Levitica aut Papiſtica conſecratione careat; poſitio illa vera quidem eſſet, nec cum communi doctrina pugnaret: ſed tunc Auctor (adſit reverentia dicto) cum umbra ſua digladiaretur; quum nemo inter Reformatos Theologos ac Eccleſias hoc tueatur aſſeveretque.

Verum clarum atque evidens eſt Auctorem per peculiarem ſanctitatem, quam cenſet non deſiderari, intelligere ſanctitatem, quæ ex ſancta vocatione oritur, nixa ſpeciali Chriſti inſtitutione: quum talem in Novo Teſtamento non agnoſcat, dicens in *Præfatione Pag.* 12. *In Novo Fœdere nullas ſpirituales, ſanctas, ſeparatas ac à Deo inſtitutas perſonas eſſe, quæ virtute illius inſtitutionis, illiusque ſanctitatis, ſola qualitate præditæ forent, ad partes aliquas Religionis adminiſtrandas.* Ac negat, *eas, quæ ſpeciali iſta ſanctitate carent, prædicare, aut Sacramenta adminiſtrare poſſe:* ac tantum abeſt, ut ſingularem quandam ſanctitatem ad illa requirat, ut dicat, *revera ejuſmodi miſſionem ac conſecrationem ad miniſteria Eccleſiarum ſub Novo Teſtamento non dari: ac quicquid ſimile illi reperitur, nihil aliud eſſe, quam inventum certi ordinis, per Chriſtianam prudentiam excogitati.* Quum ergo locis, à Synedrio citatis ac indicatis, illud tam expreſſe habeatur: Synedrium tam acrem non merebatur cenſuram, quam Auctor *Pag.* 498 *Apologiæ* I. exercet, dicens, *Reliqua verba à dicto Synedrio eò citata, quæ habentur* Pag. 6. & ſeq. *Præfationis, non complectuntur meam poſitionem ac doctrinam; verum Pontificiorum objectionem, quam poſtea etiam refuto ac diluo. Hoc magnam properantiam arguit (ne quid pejus dicam) Venerandi Synedrii.* Synedrium enim non allegaverat *Pag.* 6. *Præfationis*, ubi hoc per formam objectionis habetur; quemadmodum Auctor per errorem putat: verum *Fol.* 6. *Præf.* ubi Auctor propriam opinionem refert.

Primam etiam poſitionem juxta veritatem eſſe propoſitam, apparet ex *Pag.* 450 *Tractatus*, quæ in *Apologia Pag.* 498. narratur: ubi Auctor diffitetur, *Loca in S. Pagina reperiri, quæ indicent, miniſteria Baptiſmi & Euchariſtiæ per conſecratas quaſdam ac ſeparatas perſonas debuiſſe fieri; quæ non tantum ordinis gratia ad illa electæ ſunt: ſed quæ per ſpecialem Dei electionem ſanctificatæ ſepoſitæque ſunt ad Sacramentorum adminiſtrationem.* Ac eodem loco inquit, *Adminiſtrationem S. Synaxis nihil aliud fuiſſe, quam privatæ perſonæ actionem:* ac hoc probare conatur ſimilitudine adminiſtrationis Paſchatis, & circumciſione liberorum in Veteri Teſtamento per Patresfamilias facta. Illud ergo eſt, quod ipſemet Auctor in propriis Excerptis etiamnum ponit ac repetit, nec aliud quid Synedrium Viro Ampliſſimo attribuere vult: cenſetque illud cum communi doctrina, Confeſſione ac Liturgia pugnare,

quæ

quæ declarant prædicandi munus eſſe *ſanctam Dei ordinationem, Chriſtique inſtitutionem*: nec ſolum actionem per prudentiam inventam, ſicuti hic Auctor ſtatuit. Atque iſta poſitio, *Quemlibet, quatenus ordo & aptitudo perſonæ ſuæ concedit, omnes Religionis partes poſſe gerere*, a Theologis vulgò oppugnatur ac damnatur in Socinianis. Ac Synedrium paratum eſt ſuam ſententiam opinionemque deferre ac ſubmittere judicio omnium aliarum Reformatarum Eccleſiarum, Claſſium & Synodorum, tam intra, quam extra hanc Diœceſin.

Ac proinde quum Auctor inquit, *Pag.* 497. *Apologiæ*, *Statuo prædicandi munus à Deo oriri, veluti Magiſtratus. Paſtores non eſſe conſecratas perſonas, ut Summus Sacerdos ac Levitæ, &c. Publicum Prædicandi munus, id eſt miniſterium muneris Paſtoralis, à nemine poſſe adminiſtrari, niſi ab eo, qui ad id vocatus ſit*, &c. Hæ poſitiones ſunt tantum generales, quas Auctor fortè ſingulariter explicat.

Si notus Auctor circa miniſterium Paſtoralis muneris & S. Sacramentorum ejuſdem ſit opinionis cum publicis Eccleſiis ac Theologis; facile ipſe certe ingenua declaratione hoc fateri poteſt; eoque omnis ſuſpicio, qua Auctor putatur in aliquo errore verſari, ceſſabit. Vel ſi Vir Ampl. hac in quæſtione à communi opinione Reformatarum Eccleſiarum ac Theologorum recedat; juſta ipſi certe querelarum cauſa deeſt, Synedrium ipſum injuria afficere, modeſte illud indicando.

Quod autem Auctor *Pag.* 499. *Apologiæ* refert; *Deputatos Claſſis Ultrajectinæ nunquam capita accuſationis, ac Excerpta ex Tractatu ſuo de Munere Paſtorali, &c. quaſi confirmarent, auſos fuiſſe exhibere, ut in Concilio Ordinum legerentur examinarenturque; ſed eos procuraſſe, ut per aliquem ex Magiſtratibus D. Præſidi traderentur, exactis ante promiſſis ac magna obteſtatione, ut criminationes iſtæ ac adjuncta Excerpta ab Ampl. Viro tegerentur.* Ad hoc Synedrium reſpondet, Deputatos interrogatos ea de re, aſſeverare, ſe nihil horum ſcire: ſed contra Excerpta exhibuiſſe; ut in Concilio Ordinum legerentur.

Quod Auctor ibidem etiam dicat; *Dominos Profeſſores primariæ ac celeberrimæ Academiæ Fœderatæ noſtræ Belgicæ in Conſilio ſuo de memorato Tractatu de Paſtorali Munere illum noluiſſe condemnare, &c.*

Hiſce Synedrium reſpondet, Eccleſias & Synodos Meridionalis ac Borealis Hollandiæ Librum de Munere Paſtorali improbaſſe; atque ſuper hoc apud Ordines ſuæ Provinciæ eo tempore conqueſtos eſſe. Ac proinde non novum aut abſurdum judicandum eſt, Synedrium Ultrajectinum ad exemplum cæterarum proximarum Eccleſiarum Synodorumque idem facere; quum Auctor eaſdem opiniones in alio Tractatu denuo inculcet & renovet. Quantum autem ad judicium Profeſſorum primariæ celeberrimæque Academiæ noſtrarum Regionum, de quibus Auctor hic aſſerit, ipſos Tractatum ſuum, cujus modo mentionem fecimus, condemnare noluiſſe: quoniam illius mentionem injicit, ac eo quaſi gloriatur, quaſi iſtum approbaſſent laudaſſentque; quod tamen non evenit. Inferius ſubjungimus (ſub littera A) judicium dictorum Profeſſorum datum ad petitionem Ordinum Hollandiæ contra duos ex tribus Libris, de quibus Synodi conqueſtæ fuerant. Priori titulus erat *Lucius Antiſtius Conſtans de Jure Eccleſiaſticorum*: Alteri autem nomen erat; *Tractatus de Munere Paſtorali, ac jure Eccleſiæ*: unde videre licebit, quam ſententiam Profeſſores iſti ferant de Scriptis illis ac Auctoribus, qui adinſtar Remonſtrantium omnem poteſtatem atque jus Eccleſiæ eripiunt, ac ad Reip. Rectores deferunt: & per ejuſmodi novas nec non abſurdas opiniones Eccleſias turbant. Quamvis enim ſententiam ſuam ferentes, alterum Tractatum, nempe *Lucii Antiſtii*

Con-

Conſtantn, ſolum ſpecificent, expreſſeque nominent: nullo modo tamen alterum excipiunt aut abſolvunt; nimirum illum de *Munere Paſtorali*. Sed notantes res in utroque Libro comprehenſas, ſc. quod omnem poteſtatem, jus ac Regimen Eccleſiæ auferentes, Politiæ Magiſtratuumque velint propria facere. Ergo ipſorum judicium eatenus in hunc æque ac in illum quadrat.

IV. Quantum ad ſecundam poſitionem; *Nullum Imperium Eccleſiaſticum, aut pœnam dari: omne Eccleſiæ Regimen Magiſtratibus competere.* Iſta certe propemodum propria Auctoris verba ſunt in citatis locis, ut videre licet: atque idcirco nullo modo negari poteſt.

Quod autem Auctor in *Apologia ſua*, *Pag.* 500. ad ſui defenſionem inquit: *Aſſevero nullam Eccleſiaſticam gubernationem exiſtere, quæ in conſcientias imperium habeat, & poteſtate quadam ferendi leges prædita ſit, &c.* Horum primum ambiguum. Si etenim per hæc verba *Conſcientiis imperat*, intelligat, dominationem exercet in conſcientias: rectum ac Reformatorum doctrinæ conſonum eſt. Ejuſmodi enim Imperium dominans, aut regnum in conſcientias Eccleſiæ non competit: neque ipſi etiam à Reformatis Eccleſiis tribuitur. Si vero his adminiſtrantem poteſtatem intelligat, per uſum clavium Regni Cœleſtis; etiam circa conſcientias humanas: deflectit hoc à communi doctrina. Ac quod ad poſterius attinet; *Imperium cum poteſtate faciendi leges*, nunquam Reformati Doctores Eccleſiæ adſcripſerunt: verum oppugnant illud in Papatu. Quod Auctor ibidem etiam dicat; *Expreſſe ſtatuo Eccleſiaſticam pœnam & Regimen, quæ ad ſpiritualem finem tendant, &c.* verum id. Sed reſpectu originis ejus Auctor ait: *Regimen in Eccleſia natum eſſe, per ea quæ Chriſtiani mutuati ſunt à Magiſtratibus, aut à naturali ſua libertate: quatenus Magiſtratus libertatem iſtam privatis Chriſtianis conceſſerunt.* Reformata Eccleſia Theologique cenſent, illa ex inſtitutione Chriſti oriri: ac uſum clavium, quas Dominus Chriſtus Doctoribus atque Ducibus Eccleſiæ dedit, *Matth.* 16. ac Catechiſmus *Quæſt.* 82. *ordinationem Chriſti Apoſtolorumque ſuorum nominat.*

Atque in proxime ſequentibus idem Auctor etiam repetit (rurſus ſibi ſumens quod ante adverſæ parti erat largitus) *Quare fateor cum Eccleſia, qua Eccleſia; id eſt in ſpirituali ſuo ſtatu conſiderata, nullum Imperium, poteſtatem, remunerationem ac pœnam proprie dictam, poſſe conſiſtere, &c.*

Ac Auctorem in hiſce à communi confeſſione recedere ipſemet expreſſe confitetur, *Pag.* 500. *Apologiæ*, inquiens, *Fateor ergo, quod Eccleſiaſticum Imperium non vocem ſpiritualem politiam: quemadmodum Confeſſionis verba ſonant.* Quamvis videri velit ſolum à verbis; non autem à ſenſu Confeſſionis deflectere: quum tam clarum ſit; ipſum & verba ac ſenſum pariter repudiare: nolentem regimen Eccleſiæ ſpirituale nominare, ob inſtitutionem, quemadmodum Confeſſio facit, illud ſpirituale appellans, quod Dominus id in Verbo ſuo nos docuit.

Quod Auctor *Pag.* 501. *Apologiæ* dicat; *Duplex tantum Imperii genus poſſe exiſtere: alterum ſpirituale, quod conſcientias ſpectat, ſoliuſque Dei eſt: alterum autem civile, oriens ex fœdere, ac vim ſuam in illas res exercens, quarum commercium eſt.* Illis Synedrium reponit, hoc ambigue dictum eſſe; additque iis ad clariorem explanationem, communes Reformatas Eccleſias ac Theologos ſentire, illam partem ſpiritualis Regiminis, quæ conſiſtit in conſcientiis imperio vinciendis, atque internis operationibus formandis, vel gratia ac ſpiritu implendis, Deo Chriſtoque ſolis competere. Verum etiam partem ſeu ſpeciem ſpiritualis Regiminis eſſe, quæ ſit *miniſterialis*; conſiſtens in uſu clavium Regni Cœleſtis; ac Chriſtum

eas

eas Doctoribus Epiſcopiſque Eccleſiæ commendaſſe: eandemque etiam occupatam eſſe circa conſcientias humanas. Verum ut breves ſimus; ac ne in diſputationem cauſæ principalis incidamus: quod alii antehac contra *Eraſtum*, *Utenbogardum*, *Grotium*, *Vedelium*, aliosque fecere: quoniam Synedrium neque in primo ſuo Libello Supplici, nec in hac Admonitione in animo habet refutationem noti Libri, neque etiam ſubſecutæ hujus Apologiæ conſcribere; ſed tantum periculoſas quaſdam ac oſtendiculi plenas poſitiones oſtendere. Cardo quæſtionis in eo vertitur. Aut Auctor hic quantum ad doctrinam Eccleſiaſtici Regiminis, poteſtatis, diſciplinæ, uſumque utriuſque clavis Regni Cœlorum cum Eccleſiis publicis ac Theologis conſentit: vel ab iis diſſentit. *Si prius verum*: petimus ut Auctor hoc ſolummodo declaret: atque hoc facto omnis ſuſpicio & querela ceſſabunt. *Si verum poſterius*; quam cauſam habet ergo conquerendi Auctor, hoc à Synedrio dici indicarique.

Ad Excerpta ex quibuſdam Auctoribus citata *Pag.* 506. *Apologiæ*. Synedrium nihil reſpondebit: utpote quod, uti dictum, non ſtatuerit refutationem conſcribere.

V. Quantum ad tertiam poſitionem attinet: *Illum agendi modum, quo quidam fidei articuli conſtituuntur, ac poſtea ad Eccleſias mittuntur, ut Membris ſint confeſſio fidei, ad nos perveniſſe ex capitali Pontificiorum errore.* Hæc etiam ſunt ipſiſſima Auctoris verba: ac idcirco etiam illa poſitio nulla ratione negari poteſt. Auctor etiam eandem opinionem in Apologia ſua repetit ac confirmat *Pag.* 507. *Apologiæ*, inquiens: *Affirmo à nullis Synodis, Claſſibus aut Synedriis aliqua fidei capita per formam Confeſſionis compoſita, ad Membra mitti poſſe, velut legem, canonem, aut exemplar, quibuſcum Membra iſta, vi iſtorum decretorum ac deciſionum, conſentire debent: vel, ni pareant, pœnam perferre, quam Concilia Eccleſiaſtica, quæ ejuſmodi jus ſibi vindicant, adverſus contumaces ſtatuerunt.*

Ad hæc Synedrium reſpondet, Reformatas Eccleſias atque Theologos contra Papiſmum docere quidem, nulla Concilia aut Doctores in doctrina infallibiles eſſe; quod Pontificii de ſuis Papis ac Conciliis aſſeverant; ac proinde fidem noſtram ipſorum deciſionibus abſolute, ac velut infallibili fundamento & principio niti non debere. Verum Reformatæ Eccleſiæ Theologique tamen ſentiunt, Duces Eccleſiæ in Claſſe & Synodo congregatos, ex, atque juxta Verbum Dei, quæſtiones aliquas ad fidem ſpectantes poſſe decidere: & quæſtiones iſtas ex S. Scriptura deſumptas, ac cum ea convenientes, Eccleſiis, Doctores Membraque comprehendentibus, præſcribere ac præcipere: qui in iis etiam tenentur Ducibus ſuis obedire, ni poſſint demonſtrare, ipſorum judicia cum Verbo Dei pugnare. Ipſis etiam licitum eſſe inobedientia, atque in errore perſeverantia Membra Eccleſiaſticæ Cenſuræ ſubjicere; atque hoc ſecundum Verbum Dei, *Hebr.* 13: 17. *Matth.* 18: 17. *Tit.* 3: 10.

Atque hanc eſſe communem opinionem Reformatæ Eccleſiæ ac Theologorum, clare apparet ex judicio atque praxi Synodi Nationalis Dordraci habitæ Anno 1619, in ſententia ſua adverſus Remonſtrantes, edita in Poſt-actis ejuſdem Synodi: ut inferius videre licet ſub Litera *B*.

Res itaque huc iterum redit. Aut hic Auctor cum communibus Reformatis Eccleſiis & Theologis, quantum ad vim vinculumque deciſionum Synodorum (ac peculiariter Synodi Dordracenæ Anni 1619.) in rebus fidei, aut compoſita approbataque Confeſſione ejuſdem eſt ſententiæ: aut ſecus. *Si affirmet*: quare hoc non breviter ac aperte declarat ac teſtatur? *Sin neget*: quare queritur de injuria ſibi illata, quod Synedrium hoc modeſte dicat ac demonſtret.

 VI. Quod

VI. Quod ad quartam poſitionem: *Magiſtratus tantum ex politicis conſiderationibus, non autem ex rationibus conſcientiæ, ſeu præcepto Dei obligari idololatriam Papatus politicis pœnis mediiſque inhibere ac coercere.*

Synedrium adhuc videre nequit, hoc ab Auctore in citatis locis non doceri. Quum tamen Auctor in hac Apologia, *Pag.* 510. dicat. *An ibi libero conſcientiam à peccato ob tolerantiam Pontificiæ ſuperſtitionis, ex aliis rationibus, quam ex rationibus neceſſitatis, &c.? Omnino non.* Hoc pro lenimento atque excuſatione præcedentium poſſet admitti (nam etiam Reformati Theologi concedunt, magnam neceſſitatem, aut politici regiminis infirmitatem, aut fractum & debiliratum Reipublicæ ſtatum, id prohibere: tum etiam conſcientiam non requirere) niſi Auctor, *eadem Pagina* in fine præcedentem quæſtionem rurſus aliquatenus propugnaret, dicens; *Verum fingite me ſentire cum illis, qui arbitrantur nullum Dei mandatum, aut rationes conſcientiæ: verum ſolum rationes politicas exiſtere, quare Magiſtratus politicus idololatriam Papiſtarum politicis pœnis ac mediis poſſit cohibere. Num hæc opinio tantus error eſt?*

Auctor *Pag.* 512, 513. *Apologiæ* ait, *Cum ſermo ſit de protegenda Chriſtiana Reformata Religione, quemadmodum ea in Synodo Nationali Dordracena confirmata eſt: hoc capita fidei reſpicit; non autem formam Eccleſiaſtici Regiminis.* Sed ſperare nolumus, Nob. Ampl. hujus Urbis Senatores hac exceptione uſuros, nec hoc obtentu ſe abſolvere velle jurejurando; quum caput de ordine ac Regimine Eccleſiaſtico in Confeſſionem etiam aperte influat, & illius partem quoque faciat.

Quod Auctor affirmat de exceptione & reſtrictione, quam Angli Theologi adhibuerunt in approbatione & adſtipulatione noſtræ Confeſſionis, hic parum quadrat. Theologi enim atque Rectores noſtræ Regionis illa reſtrictione uſi non ſunt: verum Confeſſioni abſolute ac generaliter aſſenſi ſunt; ac proin omnino ſine ulla limitatione receperunt. Etiam Angli Theologi reſtrictionem iſtam haudquaquam ei addiderunt; quod cenſerent, Confeſſionem noſtram Eccleſiæ ac Doctoribus circa gubernationem Eccleſiarum nimium tribuere: verum quod omnes Doctores pares faciat. Et quæcunque tandem ſit differentia in ordine Regimineque Eccleſiarum in Reformatis Regnis ac Regionibus: tamen omnes fatentur Munus Prædicandi ſpecialem eſſe ordinationem Dei, Chriſtique inſtitutionem: ac juxta eas ſolis Paſtoribus competere, Verbum Dei prædicare, atque Sacramenta adminiſtrare, quod hic Auctor negat. Nulli etiam ſunt, quantum quidem ſciamus, qui ſua Confeſſione ac doctrina (quod enim praxi ob rationes permittunt, hic non conſideratur) ita univerſum miniſterium Eccleſiaſticum, Regimen, poteſtatem, pœnamque Eccleſiæ eripiunt, Regiminique Politico vindicant, ſicut hic Auctor: univerſum ſtatum, naturam ac proprietatem Eccleſiæ tollens: in Tractatu ſuo de *Munere Paſtorali* aſſerens *Pag.* 359. *Eccleſiam non ſolum in Imperio Civili exiſtere: verum eam etiam politicam quandam ſocietatem eſſe: ſicuti omnia alia Collegia, Corpora, Confraternitates, &c.* Ac idcirco *diſtinctionem inter Eccleſiam ac Imperium Politicum malam ac falſam eſſe, cauſamque multorum errorum.* Vide Tractatum de *Munere Paſtorali*, *Pag.* 363.

VII. Quantum ad quintam poſitionem; *Cruces imponere ſepulchris: ac ſigno crucis aliquid benedicere, non eſſe ſuperſtitionem.* Hæc ſunt expreſſa Auctoris verba: ac ideo poſitio illa ſecundum veritatem excerpta eſt. Quod ad limitationes reſtrictioneſque, quas Auctor in Excerptis ex Tractatu ſuo citat, illæ cauſam judicio Synedrii, non poſſunt juſtificare, nec poſitionem illam liberare à ſcandalo.

VIII. Quantum ad ultimam quæſtionem;

ſtionem; *Adorationem defunctorum Sanctorum, & Eccleſiarum ædificationem in ipſorum honorem non eſſe idololatriam.* Illa poſitio etiam memorato loco reperitur: putatque etiam Synedrium Auctorem inde additis ſuis diſtinctionibus ac limitationibus non omnino ſcandalum iſtarum poſitionum tollere: ut tam ſuper hac, quam proxime præcedente quæſtione latius rationibus poſſet monſtrari: ni hoc omitteremus, ne nimis prolixi ſimus.

IX. Auctor tandem Apologiam ſuam concludit, *Pag.* 524. hiſce verbis: *Exiſtimo ergo me probaſſe, errores mihi à Synedrio attributos non eſſe meos; nec in Tractatu meo reperiri: neque à me ullam occaſionem datam, ejuſmodi pravas præſumptiones ac præjudicia contra me formandi: nedum me ob errores illos, quaſi probati forent, inauditum condemnandi, &c.*

Quod Auctor dicat ſe dictos errores rejicere, ac declarat non eſſe ſuos, Synedrium libenter eatenus admittit. Verum memoratum Auctorem in Libro ſuo nullam occaſionem præbuiſſe illud ſuſpicandi; in eo, cum bona venia, ab Auctore diſſentit; ac quantum ad illud libenter ſe judicio ſapientum ſubmittit.

Quod Auctori placeat dicere, Synedrium Ipſum ob errores illos inauditum condemnaſſe, erroneum eſt: quum nunquam vel minimum judicium de perſona ejus ſit ſuſceptum vel latum: ſed ſolum periculoſæ poſitiones annotatæ, quæ in Tractatu conſcriptæ reperiebantur.

X. Quod Auctori etiam collibitum ſit dicere, *maxime quidem verendum eſſe: an ſpiritus moderationis ac Juſtitiæ inter Auctores exhibiti Libelli Supplicis, in conſcribendo eo, præſederit: verum an non aliæ omnino conſiderationes hunc zelum in ipſis excitaverint.* Super hoc Synedrium etiamnum teſtatur Deum, cordium Scrutatorem, ſe neque ira, nec vindicta, neve contentionis amore, aut ullis carnalibus affectibus aut contemplationibus, eo adactos: verum tantum ut doctrinam & ordinem Eccleſiæ à violatione, ex officio ſuo, conſervarent; ac id Vobis Nob. Ampl. Viri, commendarent: non autem ad Auctoritatem & poteſtatem Imperii circa Eccleſiaſtica imminuendas, ut Apologiæ Auctor perſuadere conatur. Teſtantes, ut ſupra, ſe contentos eſſe iis, quæ Formulæ Concordiæ, Confeſſio, Catechiſmus, atque ordo Eccleſiaſticus, Eccleſiaſticis perſonis & cœtibus, in materia ordinis ac gubernationis Eccleſiæ tribuunt: ac contra Vobis, Nob. Ampl. Viri, lubentes etiam relinquere ea, quæ Vobis prædictis formulis dantur: nequaquam ſtudentes veteres proferre limites; Vosque, Nob. Ampl. Viri, humiliter rogantes, ut hoc nunquam etiam Vobis perſuaderi ſinatis: Deumque venerantes, ut ab ejuſmodi malo Eccleſiam protegat. Ulterius Vos, Nob. Ampl. Viri, orantes, ut admonitionem præcedenti libello ſupplici contentam, ac quam hac *admonitione* perſequi voluimus, & ſolummodo animo ſatisfaciendi noſtro muneri procul ab omni aliquem lædendi ſtudio (ſecundum ſuperiorem proteſtationem) exhibitam, etiam ita conſideretis atque acceptetis: & pro certo credatis, Synedrium ex animo propoſuiſſe in omnibus Vobiſcum pacem colere; & conſpiratione animorum & ſtudii quietum Reipublicæ ſtatum tueri: ac Nob. Ampl. Viri, Veſtram dignitatem & exiſtimationem doctrina exemploque propugnare: tranquillitatem Imperii civilis ac eccleſiaſtici procurare.

Ac ideo Synedrium in Apologia præteriit nec refutavit, quicquid cenſebat ad ſuum priorem Libellum Supplicem non pertinere, aut quod ſolummodo ſtomachum moveret, aut vindictam & acerbitatem proderet: ac modeſte tantum attigit atque refellit illud, quod neceſſarium erat ad ſe purgandum ab eo, de quo Apologiæ Auctor conqueritur: & optaſſet, Auctorem hac publici juris facta, ac ad

iis ſos miſſa Apologia, non cauſam ipſis ac neceſſitatem impoſuiſſe; ut ad ſui defenſionem, ad Veſtramque, Nob. Ampl. Viri, informationem, hanc Admonitionem denuo cogeretur conſcribere, ac Vos, Nob. Ampl. Viri, ea detinere. Quare videre nequit, quod pro doctrina ac ordine excubantes, atque ita fidelem curam adhibentes, ipſis *ex officio* impoſitam, atque Vobis, Nob. Ampl. Viri, modeſte indicantes ea, quæ cum iis pugnare judicabant, notum Auctorem læſerint aut injuria affecerint. Sed contra cenſent (adſit venia dicto) per Tractatum memorati Auctoris communem doctrinam ac ordinem in diverſis poſitionibus oppugnari ac lædi, ad dolorem & ſcandalum multorum: atque nullo modo dubitat, quin omnes Eccleſiaſtici cœtus, tam hujus, quam aliarum Provinciarum, ipſorum ſententiæ accedent, quibus ſe hac in re libenter ſubjiciunt acquieſcuntque. Ac porro exſpectabunt, ut Vos, Nob. Ampl. Viri, hac in re ita ſtatuatis, quemadmodum utile erit ad gloriam Dei, tutelam puritatis doctrinæ, & ſtabiliti ordinis, ac ædificationem Eccleſiæ. Ad quæ Deus Vobis, Nob. Ampl. Viri, ſapientiam, zelum, gratiamque largiatur. Amen.

Nob. Præpot. D.D. Ordinibus Hollandiæ VVeſtfriſiæque.

» *Litera A.* Quoniam Vobis, Nob. » Ampl. Viri in Annotatione quadam » Marginali (vulgo Apoſtillam vocant) » 14 Decemb. Anni 1666. data *ad Li-* » *bellum Supplicem Deputatorum Synodo-* » *rum Meridionalis ac Borealis Hollandiæ,* » *contra tres editos Libros, qui ſpectant ad* » *doctrinam, diſciplinam, & ordinem Re-* » *formatarum Eccleſiarum in hiſce Regioni-* » *bus*; placuit, ut ea tradantur Profeſ- » ſoribus Theologicæ facultatis, in ve- » ſtra Academia Lejdenſi, ad eadem, » libroſque in iis citatos examinandum, » & juvandum ſuis cogitatis, atque con- » ſilio. Itaque nos ſubſcripti, nihil » magis curantes, niſi juxta debitum no- » ſtrum officium Veſtris, Nob. Pot. » Viri, mandatis obedire exſequi- » que; ſimulac de eo paucos ante dies » Veſtrum, Nob. Pot. Viri, placitum » nobis ſignificatum eſt, noſtra de his » judicia libris ſcriptoque conſignare, » Veſtroque, Nob. Pot. Viri, acerrimo » judicio quam humillime ſubjicere.

» Quod ergo primò ad Librum, cui » titulus eſt, *Philoſophia S. Scripturæ in-* » *terpres, attinet*, &c.

» Quantum autem porro ad duos reli- » quos Tractatus pertinet: quorum prio- » ri, Latine conſcripto, titulus eſt, *Lu-* » *cius Antiſtius Conſtans de Jure Eccleſia-* » *ſticorum*: Alteri, Belgice ſcripto, » *de Munere Paſtorali, & Jure Eccleſiæ*: » quorum neuter Auctoris nomen habet » publice editum: quare non ceſſamus » Vobis, Nob. Ampl. Viri, indicare, » quomodo nobis non ſine admiratione » abſurdæ iſtæ ſcandaloſæque poſitiones » ac fundamenta ab hoc prædicto *Lucio* » *Antiſtio* poſita, atque à quibuſdam aliis » antehac tam civibus quam exteris in » Patria noſtra oppugnata: in quibus » proponendis ſeſe ita gerunt, quaſi con- » ſtrictos ſe ſentirent, *ad ſeſe ſponte ſua* » *non vocatos, Advocatos Patronoſque* » *Veſtræ, Nob. Pot. Viri, auctoritatis at-* » *que jurisdictionis circa Eccleſiam ac res* » *Eccleſiaſticas, & perſonas Religioniſque* » *conſtituendum. Quaſi ipſorum doctrina* » *atque dogmata, quibus Summis Poteſtati-* » *bus ampliſſima jura attribuunt, & contra* » *maligne Eccleſiaſticis omnia adimunt, re-* » *gula ac norma conſtituenda forent, ad quæ* » *cuncta in Regimine civili & Eccleſiaſtico* » *exigenda forent: aut quaſi de jure Summis* » *Poteſtatibus hac in re competenti Vobis,* » *Nob. Pot. Viri, hiſce in Regionibus lis* » *moveretur, & illud eriperetur. Quæ* » *ideo ſolum eo tendunt, ut Eccleſiæ apud* » *Vos, Nob. Pot. Viri, invidiam concilient,*

ac

,, *ac perverſa ſuſpicione & æmulatione ad-*
,, *verſus Eccleſiaſticos imbuant, eamque*
,, *alant: quaſi ipſi non contenti ſolito ſuo*
,, *ordine, Eccleſiaſticoque Regimine, qui-*
,, *bus hactenus ſub patrocinio Veſtro, Nob.*
,, *Pot. Viri, pacifice fruuntur, juri nec non*
,, *jurisdictioni Veſtræ aliquid detraherent:*
,, *atque ita jus ſibi arrogarent, quod longe à*
,, *noſtris Eccleſiis abeſt.*

,, Quæ criminatio, ſi ullo nitatur fun-
,, damento, quadraret, aut in ordinem,
,, quo Eccleſiæ in his regionibus utun-
,, tur: quaſi Civile Imperium pacificum
,, ejus exercitium non poſſet ferre. Aut
,, turbulenti quidam ex ipſis, non con-
,, tenti illo ordine, aliquid amplius ſibi
,, vindicarent in præjudicium Summæ
,, Poteſtatis. Quum tamen de priori,
,, quantum quidem ſcimus, nulla con-
,, troverſia unquam mota eſt, quin ea ope
,, pacificarum quarundam perſonarum
,, utriuſque partis componi potuerit:
,, aut per ordinem pro tempore conſtitu-
,, tum tolli. De poſteriori autem ejuſ-
,, modi proviſio à Vobis, Nob. Pot.
,, Viri, poſſit fieri; quæ & diverſis oc-
,, caſionibus facta: ut etiam illo quidem
,, reſpectu nulla juſta querendi cauſa
,, poſſit dari. Ut autem Vos, Nob.
,, Pot. Viri, aliquando tandem recte de
,, univerſa hac re judicetis, utile erit, ut
,, tandem originem, neceſſitatem, utili-
,, tatemque Eccleſiaſtici ordinis hiſce in
,, Provinciis uſitati, verbo indicemus,
,, ut eo melius *de injuſtitia hujus accuſa-*
,, *tionis, & Eccleſiarum innocentia inſtrua-*
,, *mini, ne hujuſmodi ſcriptorum adulatio-*
,, *ne ad aliquod Eccleſiæ damnum ſeduca-*
,, *mini.*

,, Res ergo ita ſeſe habet, ut poſt tem-
,, pora primæ Reformationis, Eccleſia
,, Belgica, ſanguinolentis perſecutioni-
,, bus, atque efferâ tyrannide nihil ob-
,, ſtantibus aut impedientibus, quibus
,, premebatur, præter omnium homi-
,, num exſpectationem ita creverit, ac
,, in omnibus oris numero profitentium
,, multiplicata ſit, inque fide confirmata,
,, & cognitione, pietate & zelo aucta,
,, ut coacta fuerit ad Religionis ſuæ puri-
,, tatem omnibus probandam & decla-
,, randam; & pacem concordiamque in-
,, ter ſeſe conſervandam, fidei ſuæ con-
,, feſſionem in lucem edere, ac poſtea
,, etiam ſibi proſpicere componenda bo-
,, na regiminis forma, atque diſciplina
,, Eccleſiaſtica: ejuſmodi nimirum,
,, quam optime cum Verbo Dei conve-
,, nire cenſebat, ac cum praxi Apoſtoli-
,, cæ, ſecutarumque Eccleſiarum: etiam
,, attemperata ad indolem, nec non
,, conditionem nationis: in iis iſtius
,, Apoſtolicæ regulæ & admonitionis
,, maxime rationem ducens, 1 *Cor.* 14:
,, 40. *Ut omnia honeſte & ordine fiant.*
,, Nam quum illo tempore à Principe
,, non protegeretur, qui in omnibus ipſi
,, adverſabatur, & omnibus rationibus
,, ortum ejus atque progreſſum impedire
,, conabatur: conſtringebatur velut coa-
,, cta hoc opus per ſeſe aggredi: tam ut
,, divortium ſuum ab Eccleſia Romana
,, eo magis ſtabiliret, quam ut Eccle-
,, ſiæ ſuæ in concordia conſervarentur:
,, omneſque irrepentes errores, apoſta-
,, ſiæ, ſchiſmata, ſcandala, quantum
,, fieri poſſet, caverentur reprimerentur-
,, que. Unde etiam, gratia Dei, hunc
,, tulit fructum, ut *quamdiu ipſis licuerit*
,, *ſine ullo impedimento hunc ordinem inter*
,, *ſeſe ſervare, experta fuerit diſciplinam*
,, *ſibi fuiſſe velut liberum & aheneum mu-*
,, *rum, à quo omnes artes machinationeſque*
,, *Diaboli, ac hominum improborum, ab*
,, *Eccleſia depulſæ fuere, ſtultæ & imbecil-*
,, *les redditæ, Eccleſiæque in bona concor-*
,, *dia conſervatæ.* Cumque poſtea per
,, benedictionem Numinis res Patriæ in
,, meliorem ſtatum deductæ ſunt, ac
,, Magiſtratus poteſtatem, quam à Deo
,, ſibi cenſebant datam, uſurpare incipe-
,, rent; & cum libertate corporis, etiam
,, conſcientiarum ac Religionis liberta-
,, tem ſubjectis ſuis largiri cuperent.

„ Contigit etiam, ut illi, qui puriori „ atque Reformatæ Religioni dediti „ erant, utpote fidiſſimi ſuis Magiſtrati- „ bus, & maximo Religionis ac liberta- „ tis ſtudio flagrantes, quibuſque etiam „ rebus in adverſis maximè confidebant, „ tutelam protectionemque Rectorum „ Reip. nacti ſint: ad quod etiam pluri- „ mum momenti conferebat, quod Rei- „ publicæ Rectores, per doctrinam ty- „ rannidemque Papatus oppreſſi, & per „ Eccleſiaſticos præcipua ſua poteſtate „ privati, ac cæci executores decreto- „ rum Papæ, atque cleri, Ipſi ſub pote- „ ſtate eorum redacti; ſed jam per do- „ ctrinam Euangelicam meliora docti „ de poteſtate & auctoritate ſua, eam rur- „ ſus capeſſerent: ac plebs à Miniſtris „ Verbi Divini admonita, ut omni hu- „ manæ poteſtati obedirent propter Do- „ minum, 1 *Petr.* 2:13. *Tit.* 3:1. Ac illud „ non ſolum ob pœnam, verum etiam „ propter conſcientiam, ut ſervi Dei, „ *Rom.* 13:5. lubenter illam auctorita- „ tem & poteſtatem in Magiſtratu agno- „ ſceret. Quod in principio valde amabi- „ lem pacificamque harmoniam & mu- „ tuum conſenſum inter Magiſtratus ac „ Eccleſiam peperit. Quiſque ſine con- „ troverſia juris ſuum procurantes, cun- „ ctaque contribuentes, quæ ad ſalutem „ Civilis & Eccleſiaſtici Imperii neceſ- „ ſaria atque utilia forent.

„ Verum quum jam Summæ Poteſta- „ tes Reformatæ Religioni & Eccleſiis, „ velut cum Statu connexis, præ cæte- „ ris omnibus publicum exercitium Re- „ ligionis ſuæ conceſſiſſent: & velut al- „ terum ſui Status columen, juxta liber- „ tatem ſuſcepiſſent defendere. Accidit „ etiam, ut Eccleſiaſtici hinc originem „ atque incrementum Eccleſiarum, quæ „ ſecundum puritatem doctrinæ bonus „ ſuus ordo ipſis procurabat, eadem plu- „ rimi fecerint, omnibuſque rationibus „ conſervare ſtuduerint: ac multi for- „ ſan ex ipſis nimio impetu, ſtudio ac tu- „ multu & importunitate; illinc Magi- „ ſtratibus, quorum memoria etiamnum „ recens erat, quantam violationem & „ imminutionem ſub Papiſmo poteſtatis „ auctoritatiſque ſuæ paſſi forent: ac „ præcavere volentibus, ne tale quid „ ipſis eveniret, hoc Eccleſiaſticorum „ ſtudium, conſervandi jus ſuum, ſuſpe- „ ctum fieri cœpit. Ut tum quidem fit, „ quum à ſuſpicionibus & timore noſtro „ abripimur, ut omnia, etiam ubi nullas „ ſuſpicionis cauſas oporteret exiſtere, „ ſuſpecta habeamus. Ac quoniam ipſi „ præcipue ordinem Eccleſiaſticum, ut- „ pote ſine ipſorum conſenſu compoſi- „ tum (nam illud gravibus illis perſecu- „ tionibus fieri non poterat) nondum ap- „ probatum, atque auctoritate ſua confir- „ matum, ut aliquid, quod ipſorum au- „ ctoritati poteſtatique aliquando nocere „ poſſet, metuerent. Ægerrime po- „ tuit evitari, ne, minima occaſione na- „ ta, ſtatim offenſio aliqua inter partes „ naſceretur. Verum infelicia illa Li- „ ceſtrianæ factionis tempora multum „ eas foverunt, quibus is Princeps lau- „ dabile veſtrum, Nob. Pot. Viri, im- „ perium evertere ſtudens, ac auctorita- „ tem veſtram debilitare, ut ſcopum „ ſuum attingeret; Eccleſiaſticorum in „ primis operam affectavit: quorundam „ ſimplicitate, contumacia autem alio- „ rum eo abutens: cuncta propemodum, „ quæ Eccleſiaſticus ordo peteret, ipſi „ tribuit. Hoc utrinque alta mente re- „ poſtum eſt: ac diſcordiarum fons inde „ natus ſequentibus temporibus, multas „ diſſenſiones inter Magiſtratus atque „ Eccleſiaſticos excitans: illis eandem „ poteſtatem tam in Eccleſiaſticum, „ quam in Civile, ſibi vindicantibus: his „ contra aſſeverantibus ſpirituale Eccle- „ ſiæ jus, utpote à Jeſu Chriſto ejus Ca- „ pite, cujus Regnum non eſt hujus mun- „ di, ortum deſcendenſque, ac idcirco „ diſtinctum ſeparatumque à civili pote- „ ſtate; non eſſe eo modo iſti ſubjicien-

„ dum

,, dum. His ſemper ſe aliquot turbu-
,, lenti & factioſi immiſcuerunt, qui hac
,, occaſione peſſime abuti noverunt, quo
,, Eccleſiæ odium apud Reip. Rectores
,, concitarent, tanquam ipſis poteſtatis
,, juriſdictionisque ſuæ litem intenden-
,, tes: atque ita aliis Sectis majorem li-
,, bertatem procurantes, ac Reforma-
,, tis Eccleſiis plus detrimenti inferen-
,, tes. Atque *hoc ſubtiliſſimum Satanæ*
,, *inventum exiſtimandum eſt, qui, quum do-*
,, *ctrinam non poſſet oppugnare, hac via co-*
,, *natus eſt Eccleſiæ præcipuum ſuum colu-*
,, *men eripere; maximos ejus amicos infen-*
,, *ſos ipſi reddens: ut ita favore amicorum*
,, *orbata facilius hoſtibus ſuis prædæ foret.*
,, Quemadmodum id eo tempore evi-
,, denter apparuit: *quum Remonſtrantes,*
,, *ut cauſa vincerent, quod apud Eccleſias*
,, *propter regiminis formam ipſarum non po-*
,, *terant conſequi, omnem poteſtatem &*
,, *auctoritatem circa Eccleſiaſtica Summis*
,, *Magiſtratibus detulerunt; nihil prope-*
,, *modum Eccleſiaſticis relinquentes, illud-*
,, *que inſuper valde coactum in anguſtum:*
,, *nam præter Prædicandi miniſterium, nec*
,, *non officium viſendi Membra Eccleſiæ,*
,, *ægrosque, illis nihil reliqui fecêre.*

,, Verum Deo ſit gloria, qui Vobis,
,, Nob. Pot. Viri, aliam mentem dedit,
,, quæ æquum inter utrumque teneret;
,, nec inter nimis arctos limites conſtrin-
,, gendo Eccleſiæ regimen, ejuſque Re-
,, giminis facultatem: neque ab altera
,, parte laxiſſimas habenas dando, ſa-
,, pienter ita medium tenetis inter im-
,, modicam juris uſurpationem, & inde-
,, coram illius abdicationem, ut æqua
,, utriuſque ordinis tam Politici quam
,, Eccleſiaſtici conditio ſit. Quippe qui
,, pro magna veſtra ſapientia probe judi-
,, care poſſitis, hanc nimis liberalem tra-
,, ditionem illorum Scriptorum, qui præ
,, ſe ferunt laborare pro amplitudine ve-
,, ſtræ auctoritatis, magis ex ſuſcepto
,, odio contra Eccleſiam procedere;
,, quam è vero ſtudio ac amore erga ve-
,, ſtram dignitatem: ac ſcrupuloſitatem
,, horum ex ſollicito metu & reverentia
,, erga Vos, Nob. Pot. Viri: ne nimium
,, ſibi arrogando peccetis; *Sanctum*
,, *nempe devorando, quod homini fit laqueus,*
,, *Prov.* 20:25. Ut &, *ne Eccleſiis per*
,, *labefactationem Ordinis atque diſciplinæ*
,, *(quæ Deus, ut Deus ordinis, non autem*
,, *confuſionis, præ omnibus Eccleſiæ ſuæ*
,, *commendat) vires deficiant, ad ſeipſas*
,, *iniquis temporibus, veritatemque tuen-*
,, *dam.* Ergo etiam noſtro judicio, hæc
,, res graviſſima ultro citroque hujuſmo-
,, di ſcribendi modo non eſt componen-
,, da. Quoniam hic, quomodo res jam
,, ſeſe habet, nulla litis deciſio niſi ab
,, ipſismet adverſariis poſſit exſpectari:
,, nec ſententia, quæ effectum ſortiatur,
,, poſſit ferri; niſi ab eo, qui judicati
,, exequendi habet poteſtatem. Quo-
,, rum prius fruſtra foret: quolibet hac
,, de re ex animi ſui ſententia judicante,
,, ac prout alterutri parti addictus eſt,
,, illiusque cauſæ implicatus. Poſterius,
,, quum in Eccleſiæ detrimentum ver-
,, geret, quoniam ægre ſine magna lucta
,, & pugna ad exitum perduci poſſet,
,, quod non poſſet non eſſe *magno dolori*
,, *maximæ parti fideliſſimorum veſtrorum*
,, *civium, atque nunquam delendo ſcandalo*
,, *Reformatarum Eccleſiarum in hiſce Re-*
,, *gionibus, quibus adhuc ſuus ordo, ſub ſa-*
,, *pienti Veſtro Moderamine, Nob. Pot.*
,, *Viri, feliciter adeo evenit.*

,, Ita ut in omnibus hiſce expediendis
,, nulla melior ratio excogitari poſſit;
,, quam ut Eccleſiæ in tutelam veſtram
,, receptæ horum alterum obtineant.
,, Aut ut Reformatis Eccleſiis ordo qui-
,, dam Eccleſiaſticus daretur à Vobis,
,, Nob. Pot. Viri, approbatus, veſtra
,, auctoritate munitus: ſive ut is in Na-
,, tionali Synodo Dordracena Anno
,, 1618. & 1619. compoſitus eſt: ſeu
,, ut ille mutuo conſenſu communique
,, *συγγνώμῃ* revideri atque conſtitui poſ-
,, ſet. Quod ſemper Eccleſiarum vo-

tum

SECUNDA APOLOGIA Pro TRACTATU de IDOLOLATRIA ET SUPERSTITIONE, VEL CONTRARIA ADMONITIO,

Oppoſita Admonitioni Venerandi Synedrii Reformatæ Eccleſiæ Belgicæ Ultrajectinæ, compoſitæ adverſus primam APOLOGIAM.

Nobiliſs. Ampliſs. D. D. Conſulibus ac Senatoribus Urbis Trajectinæ.

MAximo meo cum dolore evenit, quod Vos, Nob. Ampl. Viri nuper detinere coactus fuerim lectione Apologiæ meæ pro Tractatu meo de Idololatria ac Superſtitione, contra Querelas & Libellum Supplicem, à Venerando Synedrio Belgicæ Eccleſiæ hujus Urbis Vobis, Nob. Ampl. Viri, exhibita. Sed juſtus læſionis ſenſus, honori ac nomini meo factæ ad hoc hortabatur, cogebatque me illam ingredi viam.

Atque Veſtra, Nob. Ampl. Viri, attentio in audienda lectione memoratæ Apologiæ, animum mihi addit ad etiam hanc *Anti-Monitionem*, adverſus admonitionem Venerandi Synedrii Vobis, Nob. Ampl. Viri, tradendam, ut Vos, Nob. Ampl. Viri, accurate omnia edocti, magis æquo & compoſito animo de tota re judicare poſſitis.

Et Vos, Nob. Ampl. Viri, clare poteritis intelligero, Apologiam meam adverſus Venerandum Synedrium tantam vim obtinuiſſe, ut nunc fere in omnibus flexerit & mutaverit ſermonem, aliumque ſe mihi præbeat; ita ut cauſæ apud ſapientes, nec partium ſtudio abreptos, longe alia appareat facies: quum Venerandum Synedrium nunc nuſquam amplius *elenchum* aut oppoſitionem contra poſitiones meas ac excerpta (ad poſitionum

illarum probationem adducta) faciat. Sed vel circa opiniones & *dogmata vagetur*, quæ quæſtionem non tangant: nec comprehenſa ſint in primis accuſationibus adverſus me exhibitis: aut evidenter oſtendat, ſe poſitiones ſuas mutare, palinodiamque canere.

Ac ne Vos, Nob. Ampl. Viri, diu morer Præfatione, eoque, quod caput rei & arcem cauſæ non ſpectat; debita cum reverentia, atque cum Veſtra, Nob. Ampl. Viri, bona venia breves meas annotationes lectione auribus, animiſque veſtris ſubjiciam.

Lubens concedo, (quod Synedrium ad excuſationem, vel potius ad juſtificationem ſui inſtituti contra me jactat) Venerandi Synedrii officium eſſe; ut & omnium proborum Chriſtianorum, puritatem doctrinæ, ac conſervationem juſti Eccleſiæ Regiminis, bonique ordinis conſervare. Verum hoc inprimis Reip. Rectoribus competere aſſevero: ut etiam ipſis jus & poteſtas eſt judicare, expendere atque ſententiam ferre, an quis contra publicam doctrinam, à Summis Poteſtatibus publice confirmatam, doceat quid aut ſcribat.

Etiam æque Synedrium, ac reliqui Chriſtiani obligati ſunt, ſequi æquitatem atque moderationem: & dare operam, ut zelus ſuus ſit ſecundum ſcientiam: ac ut primo ſemetipſos recte probent; an illud, quod ex Chriſtiano ſtudio oriri arbitrantur, non ex perverſa animi commotione in ipſis oriatur.

Synedrio etiam conſiderandum fuerat, an ipſos quidem deceret alios inſimulare, quin immo condemnare de rebus, quarum ipſimet tam manifeſte rei ſunt.

Cenſeo etiam quam longiſſime aberratum eſſe ab officio & munere ipſorum ea agendi ratione, qua erga me uſi ſunt: dum de *variis periculoſis, quæque aliis maximæ ſint offenſioni, poſitionibus, cum communi doctrina ac ordine Eccleſiæ pugnantibus me accuſant.* Hæc ſunt verba Admonitionis.

Primo etenim: qui poteſt eſſe Synedrii officium (finge poſitiones meas tales eſſe, quales Synedrium illas odioſe appellat) contra poſitiones, quæ Confeſſioni aut Catechiſmo non adverſantur, licet ipſorum judicio in vicinia periculoſorum & offenſionum plenorum dogmatum verſentur, illam rationem agendi contra me capeſſere, eaque viâ inſiſtere.

An quicquid ipſis *ſcandalo* atque *periculo* eſſe videtur, tam duriter tractari meretur; quemadmodum meus Liber, & ipſe per Librum exceptus ſum. Quod ipſis offenſionem ac periculum parere viſum eſt, non etiam aliis idem viſum eſt: quemadmodum experientia idipſum in ſuo ipſorum Collegio docuit.

Putabam etiam illos à criminatione oportere eſſe immunes, qui non peccant contra leges. Verum quas leges Reformatus Chriſtianus tranſgreditur poſitionibus ſuis atque doctrina, quum cum fidei noſtræ Confeſſione non pugnant? Ac quæ ratio ad Magiſtratus contra Tractatum meum concitandos, iratioreſque reddendos meæ cauſæ, quum certe nihil contineat, quod Placitis contrarietur? Si Membrum forem Eccleſiæ ipſorum, ratione aliqua niti videretur, ſi Synedrium ſibi jus arrogaret me cenſuræ ſuæ ſubjiciendi. Sed quo obtentu contenditur, ut Scriptum meum contumelioſe tractetur, quod contra Placita noſtræ Regionis non eſt editum: & ab aliis, qui non ſunt illius Eccleſiæ, edita, palam poſſent vendi. Ac quomodo aliquis ſatis caute & circumſpecte inſiſtere poteſt ut offenſiones vitet aperiendo quædam axiomata, cum nonnulli homines, quinimmo Collegia invenirentur, quorum officium foret omnes, qui quippiam dicunt, docent, aut agunt, quod illi Collegio non arridet, ignominia notare: nec ulla regula haberetur, ex qua poſſet judicari, quid eas perſonas, aut iſtud Collegium videretur poſſe offendere.

Etiam, quod nunc alicui periculi plenum

num videtur, aut offendit eum, paulo poſt eidem maxime utile & admittendum videri poteſt. Aliæ methodi, conceptus; imo verba, quibus non aſſuevimus, faciunt ut res aliqua nobis inviſa minuſque probata videatur: (quemadmodum nova veſtimenti forma ſenſus & imaginationem lædit) ſed diligens veritatis indagatio hæc omnia facile expugnat & ſuperat. Et experientia antedicta nos docet hac in controverſia. Cuncta quæ primum in Scripto meo maximæ ducebantur *offenſioni*, atque *occaſionem* dabant Claſſibus accingendi ſe, opiniones meæ erant de idololatria Papatus, ac tolerantia illius, omnino aliter intellectæ & explicatæ, ac ego ſentiebam. Hæc jam omnia evanuerunt: ac Synedrium mecum ſentit. Hoc ſolum cum diſcrimine: quod idololatriæ Pontificiæ exercitium urgente *magna* neceſſitate poſſit concedi. Quum ego doceam propter neceſſitatem bona conſcientia poſſe tolerari.

Huc accedit: hoc agendi modo, quem Synedrium erga me uſurpat, Reformatos Chriſtianos in majorem ſervitutem redigi; quam illi ſunt, qui in Papiſmo degunt: ubi omnia ſunt *problematica*, quæ non deciſa ſunt à Papa aut Concilio univerſali. Neſcio etiam quid tum relinquatur libertati vaticinandi, quando Paſtores ſibi jus vindicant proſcribendi & damnandi omnes opiniones, quæ ipſis minus probantur, quia autumant aliquem cum diſcrimine in iis verſari: nam per eam ſpeciem in omnes dictaturam exercere poſſunt. Capere etiam nequeo, quid communis doctrina aut ordo Eccleſiæ poſſit cenſeri, quod non Confeſſione fidei, aut decretis alicujus Synodi, à ſingulis Eccleſiis, ac Membris illius diœceſios approbatæ, comprehenſum ſit. Niſi Membra quædam Synedrii ſuam opinionem pro publica Reformatarum Eccleſiarum doctrina velint haberi. Quemadmodum ſolent ſe, eaque Membra, quæ ipſorum opinionibus ac conatibus dedita ſunt, Eccleſiam appellare; & reliqua Eccleſiæ Membra eo honore privare, & rejicere in gregem hominum profanorum: clamantque Eccleſiam florere vel ſecus, prout ipſorum conatus proſpere, vel contra ſuccedunt. Vulgo etiam dicitur generalem Doctorum atque Profeſſorum Theologicorum doctrinam unius ejuſdemque Religionis, communem Eccleſiæ doctrinam conſtituere, cui ſententiæ non ita ſuffragari poſſum; ut exiſtimem eum aliquâ notâ dignum, qui Confeſſioni adhærens nihilominus quædam doceat, quæ antiquis noſtris Theologis non ita percepta & cognita fuêre. Verum hæc Venerandi Synedrii ſententia parum mihi probatur, quod docet auctoritatem & poteſtatem docendi non *Theologiæ Doctoribus*, verum Paſtoribus competere. Ac ut ſenſim majorem auctoritatem ſibi parent; incipiunt vulgares Paſtores, in Parochia ſua vix noti, etiam judicia & *teſtimonia* ſua de Tractatibus atque Scriptis editis erudito mundo exhibere. Si hoc modo porro pergatur, ut res ire cœpit, prævideo futurum ut Paſtores qui in pagis degunt, non diu moraturi ſint, quin illud imitentur.

Quod Synedrium *lætetur ob declarationem Auctoris, quod nullam ex pravis iſtis opinionibus, ipſi à Synedrio adſcriptis, pro ſua agnoſcat*; id eatenus Chriſtianum eſt. Sed Auctor optaſſet quidem, ut ea majorem charitatem erga ipſum in nonnullis Synedrii Membris, hujuſque moleſtiæ auctoribus, concitaſſet: *atque ita non admirarentur, qui hoc poſſim dicere*, & præ me ferre, atque ex animi ſententia loqui: hoc enim eſt me inſimulare hypocriſeos, ne quid pejus dicam. Verum temperantia oris ſtylique multorum illius Collegii in ſermonibus & ſcriptis univerſæ Belgicæ ſatis ſuperque nota eſt. Atque mea *Apologia* & hæc *Antimonitio* declarant, me, quæ in Apologia poſui, abſque fraude profiteri. Ac contra Synedrium reſiliens à prima ſua accuſatione, oſtendit, ſe jure

non potuiſſe illud mihi adſcribere, de quo in Libello ſuo Supplice dicam impingit.

Ante omnia itaque Synedrium amoris erga veritatem, proximumque, cauſâ, ingenue illud teſtimonium meis poſitionibus, in Apologia contentis, ac quibus opinionem meam de controverſis capitibus declaro, perhibuiſſet: quod illum ſenſum in verbis mei Tractatus ineſſe oſtenderim, ut eum ferendum & immunem ab errore eſſe exiſtimarit; meque ita abſolviſſet, miſſumque feciſſet.

Ac tum etiam ſimplices rerumque parum periti conſpicere potuiſſent, controverſiam inter Synedrium & me hac re contineri: an per verba, quæ in Tractatu meo de Idololatria ac Superſtitione reperiuntur, juſtam cauſam dederim mihi attribuendi ejuſmodi heterodoxas opiniones, quas in eo Libro exprimi propugnarique à me perhibet: & tum cito finis diſputationibus imponeretur. Atque excerpta poſt Apologiam producta me ſtatim innoxium probaſſent.

Venerandum Synedrium etiamnum vult tueri ſe legitime ex meo Tractatu de Idololatria & Superſtitione; ac præſertim ex Pag. 11 *Præfationis* perverſam hanc opinionem elicuiſſe: *publicum Prædicandi munus, atque adminiſtrationem Sacramentorum Baptiſmi ac S. Cœnæ à quovis, dummodo aptus ſit, adimpleri atque exerceri poſſe.* Primo: ſi hoc tam evidenter in Tractatu meo haberetur, Synedrium hæc paradoxa axiomata meis ipſius verbis proponere debuiſſet. Deinde in citandis verbis eo candore uſum fuiſſet, ut illa, quæ ante ac poſt in iiſdem proxime à me dicuntur; quæque conjuncta ſolum ſenſum meum exprimunt, etiam jam pariter conjunctimque produxiſſet: ac non neceſſe quidem fuiſſet hanc Antimonitionem Ampliſſimo Magiſtratui exhibere. Quum vere profiteri queam, in omnibus allegatis Libri mei locis (unico ſolum excepto) paulo ſuperius aut inferius ea verba reperiri, quæ non ferant ut ſenſus ille, quem Synedrium ex iſtis locis colligit, eis adaptetur.

Porro qui hoc legitime ex citatis verbis exſculpi poteſt: cum illic, atque alibi, ut ex meis Excerptis patet, tam aperte ſtatuam; *ordinem* prohibere, ne quilibet prædicandi munus atque Sacramenta adminiſtret: eoſque ſolos illa poſſe exercere, quibus mandantur ab eis, quibus hoc jus competit. Vide *Pag.* 498, 499. *Apologiæ I.*

Et contra Pontificios diſputans: & ſpecialiter argumenta ipſorum evertere ſtudens de ſucceſſione ac jure Romanæ Eccleſiæ, rejicio omne diſcrimen perſonarum Eccleſiarumque, quo Deus cuidam perſonæ aut perſonis, aut Eccleſiæ tribuiſſet, eique ſpeciatim jus quoddam aut poteſtatem contuliſſet; à qua reliquæ Eccleſiæ vel perſonæ ſolum cogerentur accipere ſua officia, miniſteria, ac doctrinam, quibus forent obſtricti. *Pag.* 497 *Apologiæ* I.

Quare affirmo omnes privatos Chriſtianos (viros nempe) eadem qualitate ad prædicandi munus & Sacramentorum adminiſtrationem præditos ſatisque ſanctos eſſe: dummodo donis ad illa munera explenda inſtructi ſint; & legitima vocatio accedat. Atque ita aſſero *univerſum Chriſtianorum Cœtum ſanctum eſſe: & quemque, quatenus ordo atque aptitudo perſonæ ſuæ id permittit, omnes Religionis partes implere poſſe. Pag.* 12. *Præfationis.* Ac propter iſtas rationes ſtatuo: *ſub Novo Fœdere nullas ſpirituales, ſanctas, ſeparatas, ac à Deo conſtitutas perſonas dari: quæ vi illius inſtitutionis, illiusque ſanctitatis, ſolæ qualitate præditæ forent, ad partes quaſdam Religionis adminiſtrandum. ibidem.* Quaſi peculiaris quædam ſanctitas, quæ à certis tantum perſonis, certaque Eccleſia procedere poteſt, perſonas, quæ in illa adminiſtratione conſtitutæ ſunt, ab omnibus reliquis ſeparet: *non autem officium ſolum.* Ejuſmodi ſanctitatem rejicio: ac eo ſenſu dico, *revera ta-*

lem miſſionem, & conſecrationem ad miniſterium in Eccleſia Novi Teſtamenti non exiſtere: cunctaque, quæ in ſimilia ſunt, nihil aliud eſſe, quam inventa quorundam ordinum, per Chriſtianam quandam prudentiam conſtitutorum.

Alioquin propugno, ac ſpecialiter in Præfatione mea, jus vocandi, mittendique, ac perſonam aliquam ad Eccleſiaſtica officia ſeligendi, omnibus privatis Eccleſiis competere: omnesque Chriſtianos ſatis ſanctos eſſe, ut Paſtores poſſint fieri: dummodo alioquin ſatis idonei ſint, eoque vocentur. Atque juxta ordinem in Eccleſiis obtinentem munus, quod à Deo ac Chriſto inſtitutum cenſeo, in hunc & illum conferatur: quemadmodum in Magiſtratus officio fit. Non magis arbitrarium eſt, ut Chriſtiana ſocietas aut Eccleſia ſine miniſterio Verbi Sacramentorumque relinquatur: ac voluntarium eſt populum aliquem ſine moderatoribus ſinere agere. Hancque meam eſſe opinionem, ex omnibus circumſtantiis mei Tractatus patet, in quibus ejus rei fit mentio. Vide *Pag.* 12. *Præfationis.* ac porro Excerpta mea. Etquum tam clare in *Tractatu meo Pag.* 458. dicam, *Prædicandi munus ſanctam eſſe conſtitutionem Dei,* Vide *Pag.* 497. *Apologiæ.* quo pacto mihi poteſt adſcribi, quod Prædicandi munus conſiderem, velut rem, quam Chriſtianorum prudentia, prout tempora & occaſiones ſe darent, excogitaverat atque conſtituerat?

Synedrium mihi regerit, me, non autem ipſos, vitium nimiæ feſtinationis in judicando committere, exprobrando ipſis, quod, quum ego loquar de Papiſtarum opinione, ipſi illam opinionem mihi, quaſi mea foret, in admonitione ſua attribuerant. Verum eſt, quod pro verbis *Pag.* 15. 16. (qua voce Synedrium regulariter utitur) poſuerint *Fol.* 15. 16. atque ita eo deceptus ſim. Ac qui hoc mihi poterat ſuccurrere, quum notum ſit, vocabula Folium & Paginam ſæpenumero promiſcue uſurpari.

Quod autem ad ſanctitatem attinet, quam Venerandum Synedrium illis in eſſe dicit, qui Eccleſiaſticis miniſteriis funguntur: de eo ſententiam meam dixi *Pag.* 449 uſque ad *Pag.* 454. *mei Tractatus.*

Ac quum Venerandum Synedrium opinionem in allegata *Pag.* propoſitam non oppugnet; nec ulla verborum illorum, in quibus ibidem agitur de Paſtorum, ac ſingularium Membrorum ſanctitate, ex paginis illis citet, quæ ipſis periculoſæ offenſionemque præbere videntur: juſtam cauſam habeo ſuſpicandi Synedrium illam opinionem probare.

Quod Honorandum Synedrium dicat, evidenter conſtare, me negare, quod in Paſtoribus quædam ſit *Sanctitas*, quæ ex ſancta vocatione, ſpeciali Chriſti inſtitutione fundata, oritur. Vere poſſum dicere, me in omnibus locis à Venerando Synedrio; vel à me etiam citatis, ne cogitaſſe quidem de eo, quod Synedrium ſanctitatem appellat, ex vocatione ad officia Eccleſiæ deſcendentem. Quoniam omnino propoſitum exceſſiſſet dictis Præfationis locis de aliqua ſanctitate diſputare, quam aliquis ſimpliciter vocatione ad Prædicandi munus conſequitur: cum revera tota illa diſputatio eo tantum recidat, utrum Paſtores muneris ergo, perſonæ ſacræ & ſanctæ appellandæ ſint, quia Eccleſia illas ad id munus vocavit, ad quod omnes veri Chriſtiani ſatis ſanctitatis habent, dummodo ad illud vocentur.

Diſputatio inſtituta erat contra Pontificios, nimirum, an non apud omnes Eccleſias, quæ per liberam congregationem privatorum Membrorum formantur, jus ac poteſtas foret procurandi, ut unus vel plures, legitime eo vocati, omnibus Religionis officiis, in Novo Fœdere imperatis, fungerentur: nec ab alia Eccleſia aut perſonis cogerentur aliquid accipere, quod Deus aliis quibuſdam perſonis vel Eccleſiis ita affixerat, ut aliæ Eccleſiæ

jure ſeu poteſtate illa carerent, ad Eccleſiaſtica illa officia ac inſtitutæ Religionis partes per ſe exercendum. Itaque non diſputo nec pugno cum propria umbra: (quod Synedrium mihi objicit) ſic patet etiam ex loco *Pag.* 450. me illic de eadem ſanctitatis ſpecie agere: atque eo ſenſu nego, loca in S. Scriptura reperiri, quæ demonſtrent, *adminiſtrationem Baptiſmi Cœnæque S. per certas conſecratas & peculiares perſonas debere fieri.* Verum non nego miniſterium illud adminiſtrari debere per *certas* perſonas ad id *electas.*

Iiſdem fundamentis nitens, affirmo, functionem S. Synaxis *privatam* eſſe *actionem*: veluti etiam *privata actio* erat, quum Paterfamilias in celebratione convivii Paſchalis (non loquor de *circumciſione*, quemadmodum Honorandum Synedrium per errorem, ac directa contra verba textus *Pag.* 450 mihi adſcribit) caput illius actionis erat; & præcipuas ejus partes explebat.

Atque ex citato illo loco, quem Synedrium adeo in rem ſuam vertere geſtit, aperte conſtat; quod ibi privatam actionem opponam actioni ejus, qui conſecratus eſt ad publicam Religionem in Repub. Iſraëlitica: non autem actioni perſonæ ad miniſterium Eccleſiaſticum legitime vocatæ. Iſtas enim actiones etiam privatas nomino: quod quælibet privata Eccleſia poteſtatem illam per ſe habeat, ad munera iſta, Paſtoris nempe, vel Epiſcopi conſtituendum. Non poſſum non, quin hac occaſione indicem, Synedrium hic in Admonitione ſua non bona fide agere. Aſſerit me velle probare, adminiſtrationem Euchariſtiæ tantum privatam eſſe actionem, per ſimilitudinem adminiſtrationis Paſchatis, & circumciſionis infantium: quum tamen tam clare *Pag.* 450. diſtinguam inter circumciſionem, ac immolationem agni Paſchalis, & inter convivium Paſchale, quod dico à Patrefamilias eſſe adminiſtratum; & ad cujus exemplum & imitationem Sacra Synaxis conſecrata eſt.

Sed quoniam Synedrium jam ſpecialiter incipit propugnare, ac hanc quæſtionem caput controverſiæ faciat: ſcilicet, *num Paſtores vocatione ſua, quod à Chriſto conſtituti ſint, non peculiarem ſanctitatem conſequantur*: dicendum mihi, Synedrium quæſtionem jam valde mutare: ac à prima ſua accuſatione diſcedere. Quæ hæc erat, quod docerem; *cuivis licitum eſſe prædicandi munus Sacramentaque adminiſtrare, quamvis legitime non eſſet vocatus*: nec ad illa ſpecialem vocationem requiri.

Nunc *ſpecialem ſanctitatem* urget, quæ reperiretur in Paſtoribus; deſcendens ex vocatione ad ſanctum miniſterium, à Chriſto ſpecialiter inſtitutum: atque ajunt, poſteriori probato; tum (ſcilicet) primam accuſationem, cui vere non audent inhærere, etiam conſtare. Sed fac me peculiarem ejuſmodi ſanctitatem negare: ſuper qua me non poſſem declarare, priuſquam Venerandum Synedrium illam ſanctitatis ſpeciem (ſitne cæremonialis an moralis, tertiam enim nulla cogitatione conſequi poſſum) mihi paulo planius explanaſſet; ſuaque dicta ab ancipiti vindicaſſet. An ideo verum eſſet, me propterea etiam docere, ad miniſterium prædicandi atque Sacramentorum *vocationem* non *eſſe neceſſariam*: verum quemque privatim miniſteria iſta in ſe poſſe ſuſcipere.

Eodem modo etiam Synedrium per novum poſtulatum, quod facit, ſtatum noſtræ controverſiæ immutaſſe mihi videtur. *Si notus Auctor* (inquit) *quoad miniſterium prædicandi, atque S. Sacramentorum ejuſdem ſit opinionis cum communi doctrina Eccleſiarum ac Theologorum: certe facile hoc aperta declaratione profiteri poteſt.* Venerando Synedrio juxta criminationem demonſtrandum erat, me aliquid in Tractatu meo aſſeruiſſe, quod Confeſſionem oppugnaret: non autem inquirendo captare accuſandi cauſas. Et quandoquidem Synedrium inquirendo ex me diſcere vult quid ſentiam de dogmatibus

matibus & opinionibus, quæ mihi ex ſuo jecore proponit; & quæ non vocibus Confeſſionis exponuntur, ſed iis, quæ ſuum ſuper vocibus Confeſſionis ſenſum exponunt, cur non potius à me exigit, *an quoad prædicandi munus cum Confeſſione noſtra, Catechiſmo, &c. conſentirem. Ac Auctor hoc ingenue ac ſine hæſitatione affirmaſſet.*

Et ſi Synedrium aliquid amplius à me exigere velit, extra, vel præter Confeſſionem: primo ſuam opinionem proponere debet; ac tum probare, eam cum communi ſententia Eccleſiarum Theologorumque conſentire. Verum equidem dubito, num Venerandum Synedrium hoc incepto ſibi conſuleret: ac an non prudentius faceret, ſi expreſſiones eas formulasque loquendi, quæ in Confeſſionibus Formulisque confirmationis Paſtorum reperiuntur, non excederet.

Quoniam primò, præterea, quæ in memoratis iſtis Scriptis, de prædicta re habentur, nulla communis Eccleſiarum ac Theologorum opinio poſſet reperiri. Atque Honorando Synedrio fortaſſe (adſit reverentia dicto) aqua hæreret ulterius claros evidentesque conceptus de prædicandi munere, eique annexis edere. Quum enim quaſdam loquendi formulas atque verba expendo; quibus Synedrium hac in Admonitione utitur; arbitror me certo aſſeverare poſſe, ipſorum conceptus de univerſa re valde implicatos ac confuſos futuros: pluſque verborum inanium, quam rerum comprehenſuros.

Quid eſt *adminiſtrans* clavium *poteſtas*? Quid eſt *ſpiritualis pœna* in Regimine Eccleſiaſtico, quod caret poteſtate ferendi leges: ac idcirco alterius leges alicui tantum proponit, & Doctoris atque adhortatoris tantum perſonam gerens homines ad obſervantiam Divinarum Legum inducere ſtudet? Quo pacto ejuſmodi ancillans adminiſtratio *pœnam* exercet? Quid eſt *Eccleſiaſticum* & *Spirituale Imperium*, quod tamen conſcientiam *non liget*. Quod cum legiſlativa poteſtate non eſt conjunctum, neque ratione ipſius conſcientiæ; nec ratione rerum, quæ tendunt ad regimen conſcientiæ? Quid eſt *Eccleſiaſticum Regimen*, quod caret poteſtate imperandi conſcientiis: quod veri imperii naturam habens, tamen non ſit *civile*? Quid eſt *ſanctitas* Paſtoris, quæ neque *cæremonialis*, nec *moralis* ſit, ex moralium virtutum exercitatione profluens, ad quas Paſtor ex natura officii ſui obligatur: & ubi Paſtor in prædicando & adminiſtrando Sacramenta in majori ſanctitate verſatur, quam auditor verbi, & qui de Sacramentis participat? Si Synedrium per ſanctitatem Paſtorum Eccleſiæque miniſtrorum, ſeparationem illam ad Eccleſiaſticorum officiorum adminiſtrationem, per vocationem ad Eccleſiæ miniſterium ipſis competentium, quibuſque muneribus alii, qui vocatione ea deſtituuntur, fungi nequeunt, intelligat: hujuſmodi ſanctitas à nemine negatur.

Servile miniſterium novi quidem; ut etiam poteſtatem in Eccleſia: non tamen uno eodemque reſpectu. Probe novi *ſpirituale miniſterium* (non autem *ſpirituale imperium*) quod circa conſcientias humanas verſetur. Novi Regimen, quod ob leges, ſecundum quas Societas illa gubernanda eſt, *Spirituale Imperium* poſſet appellari. Sed nullum agnoſco Regimen, circa Divinas leges occupatum, quod non *civile* ſit: quia Divinæ illæ leges in uſum non poſſint deduci per imperium ac poteſtatem cogentem, ac objectum ejus fieri, niſi applicatione *naturalis* aut *civilis* poteſtatis: quæ certe non ex Eccleſia, ſed à naturali vel civili hominum ſtatu manat. Vide *Pag.* 501. *Apologiæ meæ.* Ac Divinæ leges, juxta quas Eccleſia regenda eſt, non impediunt, quo minus Imperium occupatum circa Divinas iſtas leges, non verum atque civile Imperium foret.

Ve-

Verum indicandum hic mihi eſt, quo pacto Synedrium iterum ſtatum quæſtionis mutet; malaſque antitheſes inter meas ipſorumque quæſtiones conſtituat. Ego ſtatuo duplex tantum Imperii genus dari: alterum *Civile*: alterum *Spirituale*, quod conſcientias reſpiciat. Quum Synedrio illud erat vel approbandum, vel rejiciendum: de ſpecie quadam miniſterii Eccleſiaſtici agit, quod forma Imperii caret, ac *poteſtate faciendi leges*; quaſi eo demonſtraſſet, dari inſuper tertiam Regiminis in Eccleſia ſpeciem: quamque ego nego.

Quî hoc pertinet ad noſtram quæſtionem: aut quî Synedrium antitheſin contra meam theſin ſtatuit; quum dicunt præterea aliquid in Eccleſia eſſe; quodque ipſi *imperium* (at improprie) appellant, quod non poſſit ad *Spirituale Imperium in Conſcientias* referri, neve ad civile: ac interim per vocem *imperii* aliud omnino, ac ego intelligunt. Certe non de eo diſputamus; an Synedrium rei alicui, quæ in Eccleſia exiſtit, & quam ego etiam non diffiteor in Eccleſia reperiri, nomen *Imperii* poſſit imponere. Si ipſis enim hoc libeat, *per me licet*, faciant; Candida de nigris, & de candentibus atra. Verum de *rebus* diſputamus; nempe, an plures *imperii* ſpecies exiſtant duabus: altera *ſpirituali* in conſcientias: altera civili.

Quod porro venerandum Synedrium dicat, hæc verba (quæ mea ſunt) *Statuo prædicandi munus à Deo eſſe inſtitutum; ut Magiſtratuum. Paſtores non eſſe conſecratas perſonas; veluti ſummi Sacerdotes ac Levitæ, &c. erant. Publicum prædicandi officium, id eſt, miniſterium muneris Paſtoris, à nullo geri poſſe, quam qui eo vocatus ſit.* Adde me dicere; *ſanctam eſſe ordinationem Dei, Pag.* 458. valde generalia eſſe. Eo oſtendunt, ſe non poſſe probare, quod Confeſſioni adverſentur: ſeque ex iis nihil poſſe elicere, quod illam oppugnet. Ac illud eſt omnem cauſam tradere adverſario: faterique temere me accuſare, quod docuerim *cuivis licere prædicandi munus gerere, atque Sacramenta adminiſtrare.* Nam præterquam quod ex prædictis pateat, quod Præconum Verbi Divini munus ſanctam ordinationem Dei nominem; nunquam inſuper in Libro meo de Idololatria verba facio de miniſterio muneris prædicandi, & adminiſtratione Sacramentorum: quin ſemper Chriſtianorum libertatem ad iſtarum rerum miniſterium per *aptitudinem* ipſorum ad illud munus, ac per *vocationem* limitem: quemadmodum Excerpta mea indicant: ad quæ me refero, *Pag.* 499. *Apologiæ.* & *Pag.* 25. *Præfationis.*

Quod ad hiſtoriam, quæ ad Deputatos Claſſis reſpicit, pertinet; atque de qua *Pag.* 499. *Apologiæ meæ* loquor: ac quam Deputati Claſſis teſtantur ſe prorſus ignorare. Rem ſummatim & per compendium narrabo; & tum porro Veſtro Nob. Ampl. Viri, illam committam judicio: & verene an falſo eam in Apologia mea narraverim.

Præteritis omnibus illegitimis procedendi modis, qui ante, ac in Claſſicali decreto formando, exſtitere (ſi ita illud liceat appellare) ad aliquos ad Nob. Pot. hujus Provinciæ Ordines delegandos: atque petendum, ut venditio Tractatus de *Paſtorali Munere* interdiceretur. Res itaque ſic ſe habet. Cum Claſſis hoc jam moliretur, & tota in eo eſſet ut per decretum Nobiliſſimorum Ordinum obtineret, ut Tractatus meus de *Munere Paſtorali* proſcriberetur, ſatis habuit ore & verbis, & non exhibitis Excerptis apud Deputatos Ordinum illum peſſimis notis inurere. Verum Nob. Pot. Ordines injunxerunt ipſis, ut excerpta ex præfato Libro exhiberent, quibus de fide capitum accuſationis conſtare poſſet: exiſtimantes injuſtiſſimum eſſe agendi modum, librum aliquem condemnare ad nudam Deputatorum Claſſis criminationem. Poſt longum temporis intervallum

lum, poſtque multas ac repetitas admonitiones Deputatis Claſſis per Membrum ex Nob. Pot. hujus Provinciæ Ord. etiamnum in vivis exiſtens, factas per occaſionem quod Deputati Claſſis ſæpius ipſum convenire, & de multis rogare neceſſe habebant, tandem per quendam ex Magiſtratibus excerpta quædam D. Præſidi exhibuerunt: qui adeo officioſus in me fuit, ut ſuo ore mihi narraverit; ut quidam ex Reip. Rectoribus, cujus nomen mihi ſuggerebat, quique mihi nondum excidit, ipſi prædicta excerpta tradidiſſet: verum Dominus hic ſimul etiam ipſum magnis obteſtationibus obſtrinxerat, ne ulli ea communicaret.

Hoc D. Præſes mihi indicabat: ut id ſub debita ſilentii fide in commodum meum verterem. Illico illud fidelibus quibusdam amicis notum feci, qui probe adhuc rem iſtam meminerunt. Ac cum maxime mea referre cenſerem, ut excerpta in concilio D. D. Ordinum, aut Nob. Pot. Deputatorum exhiberentur: denuo privatim adii Dominum quendam ex collegio Ordinum, ab ipſoque petii, ut ſubinde ab ipſis illis Deputatis Claſſis excerpta exigeret: ut ipſi Deputati Auctores iſtorum excerptorum habiti, ea etiam ut bona fide excerpta tueri neceſſe haberent. Quod is Dominus etiam præſtitit, occaſione quod Deputati Claſſis ipſum ſæpius convenirent petitum res ſibi à Claſſe demandatas. Verum Deputati Claſſis hunc ſermonem defugientes, ſtatim de aliis Mandati ſui capitibus orationem inſtituebant.

Ac quum dictus D. Præſes interim vita exceſſerit, & eo præviderem, tradita excerpta hactenus abſcondita facile peritura: omnem diligentiam adhibui, ut per Reip. Rectores procuraretur, ut excerpta cum reliquis munimentis domi D. Præſidis beatæ memoriæ exiſtentia recte ac tuto in Cameram Ordinum transferrentur. Quod etiam quidam Domini probe meminerunt.

Vos, Nob. Ampl. Viri, pro veſtra ſolita prudentia judicare poteſtis, quid de tota hac re credendum ſit. Quæ veriſimilitudo, D. Præſidem beatæ memoriæ quippiam mihi dicturum, quod falſum foret: vel me data opera amicos meos decepturum: aut à D. D. Reip. moderatoribus petiturum, ut ipſi curam illam adhiberent, ut excerpta in concilio exhiberentur, nec perirent, ni putarem me probe ſcire, eum animum Deputatorum Claſſis eſſe, ut ſilentio premerentur. Ac qui rationis color, per D. Præſidem, aut alios ex Rectoribus ſtetiſſe, quo minus excerpta in concilio Ordinum ſint exhibita; quum tamen primariis Ordinum Membris optime notum ſit, me ab ipſis petiiſſe, ut excerpta in concilio Nob. Pot. Ordinum traderentur.

Quæ autem cauſa Deputatis Claſſis fuerit, quod excerpta D. Præſidi curarint exhiberi; nec tamen hactenus in concilio Ordinum tradi voluerint, hujusce rei juſtæ cauſæ dari poſſent. Verum natura ac ratio controverſiæ noſtræ non patitur, ut eas enarrem.

Quod à me dictum ſit: quod *Profeſſores primariæ atque celeberrimæ Academiæ noſtrarum regionum, Librum meum non condemnaverint*; hoc ex verbis D. D. Profeſſorum patet.

Vos, Nob. Ampl. Viri, latius perſpicitis, quo pacto Venerandum Synedrium rem hanc tractet. In Apologia mea aſſerui, memoratos D. D. Profeſſores Tractatum meum de *Paſtorali Munere non damnaſſe*.

Synedrium ad hoc reſpondet ex reſponſione Profeſſorum Theologiæ Academiæ Leydenſis ad poſtulatum Nobiliſſimorum Ordinum Hollandiæ non liquere eos Tractatum meum in ſuo conſilio *probaſſe aut laudaſſe*. Hoc non dixeram. Præterea cum Theologicum conſilium dictorum Profeſſorum eo modo ſit exaratum, ut ſtudio caverint meum Tractatum in numerum eorum, quos damnant

innant, referre, non temere me efferrem, ſi dixiſſem illum tractatum à dictis D. Profeſſoribus laudari in ſuo conſilio. Sed quicquid de hac re ſit parum refert: verum hac in re controverſia noſtra poſita eſt; nimirum an eum condemnarint, quod nego.

Ac certe, à quo poſtulatum eſt de variis Tractatibus Scriptisque judicium ſuum proferre: atque qui tum ſpeciatim de uno tacet, is non ſolum non condemnat iſtum: ſed ſilentio ſuo teſtari videtur, ſibi non diſplicere ea, quæ libro illo continentur. Quod honorandum Synedrium dicat, D. D. Profeſſores condemnatoriam ſententiam ferre de illis Scriptis ac Auctoribus, qui ad exemplum Remonſtrantium omne jus atque poteſtatem Eccleſiis eripiunt, Magiſtratibusque tradunt: quodque ita me non *excipiant* aut *abſolvant*.

Hoc longe petitum eſt: tum ob rationes ſupra memoratas: cum etiam quod tradita meo Libro de *Paſtorali Munere* comparent cum axiomatibus *Lucii Antiſtii Conſtantis*, qui à D. D. Profeſſoribus eſt æſtimatus malæ notæ. Librum illum nunquam legi: tamen vidi excerpta nonnulla ex illo libro, quæ mihi non arridebant. Ideoque Auctor is alias omnino ac ego opiniones fovere debet. Etiam pernego, me omne jus poteſtatemque Eccleſiæ auferre, atque Magiſtratibus adſcribere. Eccleſiæ tantum imperantem poteſtatem derogo, ac *verum imperium*, quod ſine poteſtate ferendi leges locum non habet: illud Reip. Rectoribus vindico. Ac hoc Synedrium etiam Eccleſiæ non tribuit: at ludit ſemper in vocibus *poteſtatis* atque *imperii*; Eccleſiæque hoc ſenſu quodam adſcribit, quod concedo.

Facile etiam homines indocti in errorem inducuntur, & injuria malè erga quoſdam exardeſcunt; quando opiniones, quæ jus Summarum Poteſtatum propugnant, Arminianiſmi nomine ſuſpectæ redduntur: quaſi iſta opinio Arminianorum foret propria; & etiam in Synodo Dordracena condemnata. Ita etiam Synedrium in ſua Admonitione inquit, meas opiniones *inter errores Socinianorum, Eraſtianorum, Papiſtarum, aliorumque heterodoxorum eſſe referendas*. Quaſi controverſia noſtra foret de præcipuo quodam fidei capite, quod inter dictos heterodoxos ac me controverſum eſt. Nullus iſtorum heterodoxorum adeo devius fuit, ut nihil integri in eorum religione reperiatur.

Verum quid fieri poteſt, quod majus damnum Summis Poteſtatibus crearet: quam ſi libri, qui jus Reip. Rectorum tuentur, ſupprimantur; Auctoresque eorum invſis agendi modis raperentur in odium: ac permittatur Paſtoribus, ut quotidie in ſcriptis ac concionibus ea doceant, quæ auctoritatem, jus, poteſtatemque Summarum Poteſtatum in magni momenti rebus imminuunt. Quemadmodum ejuſce rei in Apologia mea exemplum commemoravi. Quare arbitror Reip. Rectores non eouſque deceptum iri, ut ad illorum immodeſtiam, qui contra ipſorum legitimam poteſtatem ac auctoritatem ſingulis diebus ſcribunt ac concionantur, conniveant: patiantur autem ut alii, qui ipſorum jura defendunt, tam inclementer habeantur.

Accedo jam ad ſecundam Venerandi Synedrii poſitionem: *Quod*, nempe, *doceam, Imperium, aut pœnam Eccleſiaſticam non dari: quodque omne Eccleſiaſticum Regimen Magiſtratibus aſſignem.* Ad hæc Synedrium inſuper in ſua Admonitione dicit, haſce ſuas poſitiones propemodum ipſiſſima mea eſſe verba. Verum, primo, multum adhuc differt, propriis meis verbis, vel *propemodum* propriis meis verbis uti. Non ſufficit etiam verba alicujus Scripti uſurpare, ut inde ſenſum ac opinionem Auctoris demonſtres: verum etiam præcedentia ſequentiaque verba conjungenda ſunt, quæ ad ex-

explanationem ſenſus Scriptoris momentum habent: ac ante omnia ex toto libro de opinione Auctoris judicandum eſt.

Quum hoc non fit; & ſi quis loca tantum quædam excerpat, ut iis Auctoris ſenſum exprimat: nullus liber, etiam ab inſigni ſanctitate commendatus, eſt, quin ex illo per excerpta aliqua ſententia poſſit elici, quæ profana; quin immo blaſphema ſit. In S. Pagina habetur: *Faciamus malum, ut inde eveniat bonum:* &, *edamus ac bibamus, cras moriemur.* Verum ex hiſce verbis velle concludere, Apoſtolum hoc docere, horrendum foret.

Agnoſco me quandam Eccleſiaſtici Regiminis ac pœnæ ſpeciem negare; nempe quæ *conſcientiis imperet:* at illud imperium Paſtoribus eripiens ideo Magiſtratibus non adſcribo, quum ſolius Dei ſit. Si Synedrium veram theſi meæ vellet opponere antitheſin, probandum ipſi foret, *Imperium Eccleſiaſticum* in conſcientias dari, quodque à Deo immediate inſtitutum eſt. At Synedrium ab hoc, ſi ſapiet, ſibi cavebit.

Quod attinet ad *miniſterialem adminiſtrationem* Eccleſiaſticorum officiorum circa atque ad informationem conſcientiarum, iſtam ubique concedo: ac ſi adminiſtrationem illam *Regimen* libeat appellare, fiat. Verum hic loquendi modus valde improprius eſt; ita ut non ſit uſurpandus: quique tamen eo uti volunt, oſtendunt ſe valde confuſos conceptus ea de re habere: & quod hierarchiam Papalem in conſcientias humanas, quæ in Papatu obtinet, ſibi non vindicantes, tamen umbram ejus ac ſpeciem volunt amplecti.

Gratum porro mihi, Venerandum Synedrium agnoſcere, quod alio ſenſu eccleſiaſticum regimen pœnamque admittam: nimirum quod circa Divinas leges verſatur; ac juxta Dei Chriſtique leges inſtitui debet. Verum quum hoc ſit *proprium, atque proprie dictum imperium: ac quod tamen nullum jus habet in conſcientias:* (verum enim imperium nunquam poteſtate caret imperandi, legeſque condendi) illud civile appello: atque idcirco ſtatuo, illud imperium (non dico leges illius imperii) originem ſuam ex iiſdem originibus ducere, ex quibus civilis poteſtas profluit.

Ac quum Synedrium inquit, Reformatas Eccleſias Theologoſque credere Eccleſiaſticum regimen ex inſtitutione Chriſti oriri, atque ex uſu clavium Regni cœleſtis, quas Dominus Deus Doctoribus ac Ducibus Eccleſiæ dedit; longe à controverſia diſcedit. Etiam probandum ipſis erat, Reformatas Eccleſias Theologoſque hoc de imperio intelligere; non autem de *imperii* objecto. Præterquam quod negem, communem Eccleſiarum opinionem eſſe, Chriſtum claves regni cœleſtis Doctoribus ac Ducibus Eccleſiarum dediſſe. Multi Reformati Doctores cenſent Chriſtum *Eccleſiæ* illas dediſſe: doctoreſque eas ab Eccleſia accipere, ipſiuſque nomine adminiſtrare. Etiam in Apologia mea demonſtravi Genevæ & in Palatinatu politicos qua politicos cum Eccleſiaſticis in unum collegium coalitos atque conſociatos, etiam excommunicare.

Leges, juxta quas regimen illud adminiſtrandum eſt, à Chriſto deſcendere, concedimus. Verum nuſquam Catechiſmus aut Confeſſio docent, imperium proprie ſumtum, nec quod in conſcientias vim ſuam exerit, & quod nos in gubernatione Eccleſiæ & ædificatione conſcientiæ fidelium obtinere debere agnoſcimus, immediate ex Chriſti inſtitutione ortum eſſe; non autem ex imperio civili.

Libenter alioquin concedo, miniſterialem clavium adminiſtrationem, in docendo ac declarando, alicujus doctrinam aut vitam ejuſmodi eſſe, ut paſtor illum non poſſit habere pro tali, qui regni cœleſtis particeps ſit, Paſtorum per voca-

tionem ad illud miniſterium à Chriſto conſtitutum, propriam eſſe. Verum in eo *jure clavium* nullam poteſtatem imperandi aut regendi agnoſco: quia nulli mortalium imperium in conſcientias datum eſt: eoque ſenſu dico; *cum Eccleſia qua eccleſia, id eſt, in ſpirituali ſuo ſtatu conſiderata, imperium, legum lationem, remunerationem ac pœnam, non conſiſtere.* Non autem, quod omne Eccleſiæ imperium eripiam. Imperium enim ex fœdere profluens agnoſco.

Hic iterum, Nob. Ampl. Viri, ſi placeat animadvertere, denuo nihil directò contra meam theſin opponi: ac audeo dicere, totam diſputationem de tribus prioribus poſitionibus à Synedrio in Libello ſupplici, ac præſertim in Admonitione ſua contra me ſuſceptis, nihil aliud eſſe, quam continuum *ſophiſma*, ſemper verbis meis alium ſenſum tribuens; atque in ſpecie aliquid mihi objiciens, quod revera non facit elenchum.

Nihilominus Synedrium inquit, memet ipſum fateri, me à communi Confeſſione recedere, quia in Apologia mea dico: *ergo confiteor, quod Eccleſiaſticum regimen non appellem ſpirituale imperium, ut verba Confeſſionis ſonant:* & quoniam in Apologia mea dixeram; *me à verbis quidem, non autem à ſententia Confeſſionis deflectere*: Synedrium jam probare conatur, me & à ſenſu, & à verbis Confeſſionis deviare; quod Eccleſiæ Regimen *ſpirituale* nolim appellare.

Sed hæ rurſus nihil aliud ſunt (ſalva Synedrii reverentia hoc eſto dictum) quam meræ cavillationes ac ſophiſmata: nec Synedrium directò meis theſibus aliquid opponit. Expreſſe enim in *Apologia mea* dico Pag. 500. Eccleſiam *regendam eſſe ſecundum naturam Chriſtianæ Religionis, quæ ex cœlo; non autem ex imperio civili deſcendit.* Pag. 501. *Eccleſiam ſecundum Divinas leges gubernandam eſſe.* Verum ſtatuo eas per Eccleſiam, hoc eſt per fideles nullo ſpeciali fœdere junctos in Eccleſiam induci: nec in praxin poſſe deduci per formam veri imperii: ita ut per poteſtatem cogentem obedientia iſtarum legum à Membris Eccleſiæ poſſet exigi. Alioquin concedo, in Eccleſia miniſterium eſſe inſtitutum, ad per inſtitutiones, admonitiones, promiſſiones ac minas, ex Verbo Dei petitas, adducendum homines ad obedientiam Divinis legibus præceptiſque debitam. Ac in eo jus utriuſque clavis conſiſtit, quas Eccleſiæ non eripio.

Atque arbitror me majori cum ratione Eccleſiæ regimen nominare *civile*, quod forma ejus *civilis* ſit: quam Synedrium, quod *ſpirituale* illud appellat: quia ſcilicet objectum, circa quod *civile* iſtud *regimen* occupatur, leges ſint à Deo & Chriſto conſtitutæ. Nam quum de Eccleſiæ imperio diſputetur: res illa à forma; non autem à materia denominanda eſt. Plura hiſce non attexam, quia in prima Apologia quam latiſſime ea de re actum eſt.

Præterquam quod praxis uſuſque totius terrarum orbis à me ſtet, qui imperium nihilominus civile vocat, licet circa res Divinas verſetur. Verbi gratia: quum Magiſtratus lege, ſecundum Scripturam, blaſphemiam, Diei Dominicæ profanationem, ac doctrinam heterodoxarum opinionum prohibet: hoc certe civile factum, & juſſum nominatur.

Nunc Synedrio probandum erat, horum, qui Confeſſionem conſcripſerunt, eam opinionem fuiſſe, ut Eccleſiaſticum regimen vocent *ſpiritualem politiam*, ob formam regiminis; non autem propter materiam, circa quam illa verſatur: veluti in *Apologia mea* declaro hoc me ſentire.

Verum etiam eſſe poſſet, Auctores confeſſionis Eccleſiæ, Imperium illud *ſpiritualem politiam* appellare, *miniſterialis adminiſtrationis* ratione habita, quæ vere ſpiritualis eſt: verum ſicuti adminiſtratio illa ſpiritualis eſt; ita etiam omni po-

poteſtate caret: ac propterea, quum proprie loqui volumus, nihil omnino cum vero imperio commune habet. Ac ſic tum vox *politiæ* in Confeſſione improprie uſurpatur.

Utut ſit, fieri non poteſt, ut imperium aliquod politicum ſit ſine poteſtate *ferendi leges*, ac ſine iis, quæ inſeparabiliter cum illa conjuncta ſunt. Itaque verba illa *ſpiritualis politia* improprie ſumuntur; etiam ex opinione Synedrii, quod in imperio ſuo (quomodo id appellat) vim *condendi leges* non novit: quodque ideo cenſet, vocem *politiæ*, quæ in confeſſione habetur, improprie uſurpari. Ac ſic etiam Synedrium priorem ſignificationem verborum Confeſſionis non admittit.

Verum Synedrium (ut brevis ſim) exigit à me, *ut declarem me, an de regimine Eccleſiaſtico, poteſtate, diſciplina, uſuque utriuſque clavis regni cœleſtis, cum communibus Eccleſiis ac Theologis idem ſentiam.*

Sed hic venerandum Synedrium iterum mutat ſtatum quæſtionis: quam Synedrio incumbat probare; in dicto meo Tractatu, aut Apologia aliquid poſitum eſſe, quod cum Confeſſione vel *Catechiſmo* pugnet: non autem novis interrogationibus hoc ex me expiſcari, quum me jam in anteceſſum maximorum errorum reum pronunciarit. Hoc ipſo oſtendunt aquam ſibi hærere, & perſonis accuſatorum depoſitis, percunctatorum vice eos fungi.

Deinde, aperte profiteor, me circa memoratas quæſtiones cum Confeſſione, Catechiſmoque ſentire.

Atque quod ad *communem Theologorum opinionem* attinet, ut declarem me, an cum ipſis in controverſis capitibus conſentiam: primo dico me nullo meo merito notari, aut cenſuræ aut pœnæ ſive Eccleſiaſticæ ſive civili ſubjici, etiam ſi à communi Theologorum opinione diſſentirem in rebus, quæ in Confeſſione ac Catechiſmo noſtro non ſunt deciſæ.

Deinde, æquum fuiſſet, ut Venerandum Synedrium prius ſententiam ſuam de notis capitibus accurate ac aperte verbis, non ſenſu vacuis, propoſuiſſet; atque tum probaſſet, ſuam opinionem cum communi noſtrorum Theologorum ſententia convenire: & tunc per aliquam æquitatis ſpeciem à me petere potuiſſent declarationem, utrum conſpirarem in eundem cum illo ſenſum ſuper capitibus, de quibus lis eſt. Quod numquam factum ſunt. Cenſeo enim Theologos noſtros circa eam rem non ulterius convenire, niſi quatenus verba noſtræ Confeſſionis ferunt. Nec ulterius ipſorum opinioni adſtringor.

Quantum ad tertiam Synedrii theſin: *iſtum*, nempe, *agendi modum, quo fidei quædam capita conſcribuntur, ac deinde ad Eccleſias mittuntur, ut Membris ſint pro fidei confeſſione, ad nos ex capitali Pontificiorum errore tranſiiſſe*: perſeverat, vere ex Libro meo adductum eſſe, eo ſenſu, quaſi docerem: *conſcriptionem Confeſſionum* (*ut in Cœtu fidelium pro declaratione fidei Eccleſiæ ſint, quamque illi, qui Eccleſiæ adſcribuntur, ſuſcipiunt*) *per maximum Papatus erratum ad nos manaſſe*: & probare conantur, me in Apologia mea veritatem ſuæ affirmationis ex Tractatu meo, ut præ ſe ferunt, excerptæ, hiſce meis theſibus confirmare. *Statuo à nullis Synodis, Claſſibus, aut Synedriis ullos fidei articulos per formam confeſſionis compoſitos, ut legem, canonem, aut exemplum ad Membra mitti poſſe; cui Membra vi iſtorum decretorum & deciſionum ſe ſubjicere debeant: & ni pareant, pœnam perferre, quam Eccleſiaſtica concilia, quæ ejuſmodi jus ſibi arrogant, adverſus recuſantes conſtituerunt.* Quî verba hæc confirmant, me *confeſſiones, ut declarationes fidei Eccleſiarum, rejicere*: quum tamen tam evidenter hic dicam, me confeſſiones à Synodis, Claſſibus, aut Eccleſiis conditas reprobare, atque Eccleſiis propoſitas

ſitas, *ut ipſis pro lege & regula ſint fidei. Quoniam a Deo nulla poteſtas in terris conſtituta eſt, quæ ulli homini leges poſſit præſcribere, quibus conſcientia devincta ſit.* Si placeat Vobis, Nob. Ampl. Viri, conſulite *Pag.* 507. *Apologiæ meæ*, atque Excerpta illud confirmantia: ac Vos, Nob. Ampl. Viri, comperietis, me illic apertiſſime loqui de *Confeſſionibus*, atque *decretis* alicujus Synodi, conſideratis pro *legibus*, qui *conſcientiam ligent*; meque eas eo ſenſu rejicere: quod etiam Synedrium facit. Simulque intelligetis, Synedrium non poſſe excuſari, aut à maxima negligentia, aut in hoc negotio non debita fide verſari.

Verum ad rem revertamur. Synedrium rurſus ſtatum controverſiæ mutans, aſſeverat: *Synodis licere deciſiones ex Verbo Dei petitas Eccleſiæ præſcribere: nec ulli ex cœtu licitum eſſe illas reprobare, niſi perſuaſus ſit, eas S. Scripturæ adverſari.* An unquam hac de re in Libello ſupplici Synedrii dictum eſt? Aut an in Tractatu meo, vel *Apologia* pro, aut contra hanc opinionem aliquid diſputatum eſt? Et qua æquitatis ſpecie caſus tamen ita proponi poteſt atque immutari, quaſi hoc caput controverſum foret? Aſſevero Synodos nullas poſſe facere deciſiones, quibus conſcientia obligetur. Synedrium hoc etiam concedit. Sed inquit, nemini licere à deciſionibus Synodorum, quæ Verbo Dei nituntur (quæ hic diverticula & flexiones Synedrii) recedere. Quid hoc ad quæſtionem? huic doctrinæ etiam aſſentio: aut alioquin aſſeverandum mihi eſſet, mihi licere Sacræ Scripturæ dictatis non obedire.

Quod venerandum Synedrium hic iterum declarationem à me exigat, *de poteſtate obligationeque deciſionum Synodorum; ac inprimis Synodi Dordracenæ* 1619. Paratus ſum hoc apertiſſime ac ſincere facere, quum Synedrium ſuam ac communem Theologorum opinionem ante propoſuerit, ut aliquis, qui nuda ſibi verba non ſinit obtrudi, inde certi quid conſtituere poſſit. Verum animadverto ex poſitionibus illis, quas Synedrium in hac Admonitione circa quæſtionem hanc facit, ipſos iterum verbis ambiguis uſuros, & quibus nihil *ſolidi*, in quo veſtigium ſtabile ponere liceat, inſit, & conceptus formaturos, qui frontibus adverſis contrarii erunt.

Quid hoc ſignificat, *penes decreta atque deciſiones Synodorum in rebus fidei vinculum & obligationem eſſe reſpectu Membrorum, quæ Synodis ſubjecta ſunt: ac Synodos iſtas deciſiones, ex Verbo Dei deſumtas, & cum eo convenientes, tam Paſtoribus, quam privatis Membris, quæ Synodis illis ſubſunt, poſſe præſcribere atque injungere; ac Membra teneri eas admittere, quum opinantur S. Scripturæ non adverſari?* Hoc certe tantundem eſt, ac ſi dicas, Membris incumbere decreta iſta ſuſcipere, cum ipſa membra, non autem, quia alius judicant, ea cum Verbo Dei convenire.

Hæc certe magna obligatio eſt *à Synodis profluens*, cum nullus ea teneatur, quam qui privato ſuo judicio ſtatuit deciſiones Synodi ſuis ſenſibus de religione congruere. Etiam Synedrio dicendum & declarandum erat, quas Synodos, particulares an generales intelligeret. Ac quid illud ad rem facit, deciſiones Synodorum prædicto modo obligatorias eſſe, *reſpectu Paſtorum atque Membrorum, quæ illis Synodis ſubjiciuntur.* Si obligatio ex *fœdere* exiſtat, & mutua conventione ac contractu cujuſque Membri Paſtoriſque in ſua Eccleſia; tum Synedrium mecum ſentit. Solum *obligationem* majorem facio, ac magis adſtringentem, quam Synedrium: quoniam cenſeo Membrum Eccleſiaſtici illius cœtus legibus ac canonibus (quatenus occupati ſunt circa res, de quibus paciſci licet) teneri vero contractu: nec Membri eſſe judicare, utrum canones iſti obligent ipſum, nec ne: verum judicio rectorum Eccleſiæ relictum

ctum eſſe: ita ut ipſi judicio eorum parendum ſit; aut pœna perferenda. Vide *Pag.* 22. *Præfationis.* Synedrium poteſtatem Claſſium Synodorumque non eo uſque extendit. Statuit enim neminem conſtringi decretis Synodorum atque Claſſium ſe ſubmittere, quum cenſet ea Verbo Dei non niti. Quamvis alibi alio omnino modo vice verſa loquatur; & deciſionibus Synodorum atque Claſſium, &c. tantam poteſtatem tribuat, & ipſa conſcientia illis etiam devincta ſit.

Sed ut præcedentia perſequar: ſi obligatio non ex fœdere naſcatur; verum ex jure clavium: tum deciſiones Synodorum juxta Synedrii fundamenta, omnes obligant: ac cuncti tenentur poteſtatem iſtam in Synodis agnoſcere. Atque ita diſcrimen inter perſonas, quæ Synodis obnoxiæ vel non ſunt, hic locum non habet.

Etiam vellem doceri, quodnam fundamentum obligationis deciſionum Synodorum ſit; an auctoritas Synodorum: an verò Divina veritas, quam Membra decretis iſtis ineſſe cenſent? Prius cavebit ſibi Synedrium aperte dicere. Poſteriori poſito; omnis vera obligationis poteſtas corruit, quam Synedrium Synodis adſcribit: *ac omnia Membra ſe ſuo ſolum judicio obligant.* Etiam clare, Nob. Ampl. Viri, poteſtis cognoſcere, denuo verbis illis; *poteſtati, obligationi, præſcribere, injungere,* manifeſtum ineſſe æquivocationem. Si etenim Synedrium vocabula in propria ſignificatione ſumat, manifeſte Papatum profitetur: ſi improprie capiat; indicandum ipſi erat quis ſenſus iſtis vocibus ſubjaceret: quæque obligationis ſit ſpecies; qua quis ulterius non obligatur, quam quatenus aliquis privato ſuo judicio exiſtimat in decretis veritatem Divinam eſſe, cui propter auctoritatem Divinam obediendum eſſe agnoſcit, non autem propter autoritatem Synodi. Sincere coram Vobis, Nob. Ampl. Viri, atteſtari poſſum, me neſcire, quid Synedrium per ejuſmodi verba poſitioneſque velit. Non credo etiam (ſalva ipſorum reverentia) quod ipſimet de iſtis conceptum aliquem habeant: poſtulant tamen ut me ſuper ea re declarem.

Membra Eccleſiarum Synodos Claſſeſque, & earum decreta decere revereri (quamdiu illæ erroribus, ac pravis affectibus, atque iniquis agendi modis, qui ſæpenumero in illis dominari poſſunt, ſe ipſas ea reverentia non indignas reddunt) concedo. Verum eiſdem *poteſtatem* quandam attribuere ferendi *leges* de religione: vel illis in ſpiritualibus arrogare, quod Magiſtratibus in ſecularibus competit (quibus certe poteſtas eſt *leges condendi*) quemadmodum Scotis Presbyterianis Theologis ea ſtat ſententia; quos, ac eorum Scripta Membra nonnulla Synedrii maxime commendarunt: hoc certe longe à Confeſſione communique Eccleſiarum doctrina recedit.

Alioquin omnes quæſtiones, in Synodo Dordracena deciſas, approbo; concedoque me illis obſtrictum eſſe: idcirco ſolum, quod ipſemet cenſeam, quod Verbo Dei nitantur: quodque me ejuſmodi Eccleſiæ meâ ſponte adjunxerim, ubi talis doctrina docetur.

Quod ad quartam theſin attinet, *exercitationem Pontificiæ Religionis ex neceſſitate bona conſcientia poſſe tolerari*; Synedrium teſtatur in eo mecum conſentire; tantummodo adjungens, ob *magnam* neceſſitatem hoc licere: liceat igitur ob *magnam*, quin imo ob *maximam* neceſſitatem, ut hac cautione omne effugium præcidatur: cum ea tamen exceptione ac cautione, ut judicium de *magna illa neceſſitate* Magiſtratibus ſolummodo competat: Eccleſiaſticorum autem judicium ea in re nullo modo conſideretur.

Synedrium porro dicit, me ſtatuere; *cum ſermo ſit de protegenda Chriſtiana Reſor-*

formata Religione, quemadmodum ea in Synodo Nationali confirmata eſt, hoc reſpicere fidei articulos; non autem formam regiminis Eccleſiaſtici. Fateor me credere, quum de propugnanda Chriſtiana Reformata Religione mentio fit, hoc ad fidei capita pertinere; non vero formam Imperii Eccleſiaſtici eo denotari. Hoc non dico mea cauſa: quum non putem aliquid in meo Tractatu contineri, quod Confeſſioni adverſetur: verum id, præter alias rationes, etiam eo credere cœpi, quod videbam nec ipſum Synedrium neque in doctrina, neque in praxi articulis confeſſionis, qui de Regimine Eccleſiæ agunt, ſeſe aſtringere: ac poſtea ea in opinione magis confirmatus ſum, quod Profeſſor *Voetius Parte tertia ſelect. Diſp.* aperte doceat, canones Synodorum non omnes unius eſſe generis; nec æque obligare: ac diſtinguit inter decreta, quæ *dogmata* quædam fidei continent; atque iſta, quæ de regimine Eccleſiaſtico agunt. Etiam magnum numerum caſuum & conſtitutionum regimen Eccleſiæ ſpectantium, & Confeſſione contentorum recenſet, quæ nonnullæ Eccleſiæ rejiciunt.

In Apologia mea non dixi, Anglos Theologos abſolute Confeſſionem noſtram fidei reprobare; quod ea Eccleſiæ Paſtoribusque circa gubernationem Eccleſiæ nimium tribueret: *ſed quod omnes Paſtores pares faciat, Pag. 513. Apologiæ.* Atque hoc etiam Synedrium in Admonitione ſua facit. Quid ergo Synedrium reprehendit? An unum idemque in meo ſcripto malæ eſt notæ, in ipſorum autem bonæ.

Forſan Synedrium hoc indicat, Epiſcopos Angliæ, qui etiam in Synodo Dordracena comparuerunt, Articulum 31. noſtræ Confeſſionis excepiſſe: non eo, quod ipſa Magiſtratibus non ſatis auctoritatis deferret: verum quia omnes Paſtores æquales conſtitueret. At non ideo *factum* Anglorum Epiſcoporum allegavi; ſed ſolum ad demonſtrandum; quum Confeſſio, Catechiſmus, Ordo Eccleſiaſticus, Decreta, &c. alicujus Synodi admittuntur ac ſubſignantur: illud non ita reſpicere omnes articulos, ut etiam minimis teneamur. Alioquin ſatis etiam conſtat, Anglorum Epiſcopos cum Synedrio non conſentire, quantum ad poteſtatem juſque regis in rebus Eccleſiaſticis: atque ipſi agnoſcunt poteſtatem illam Regis multo majorem eſſe, quam Synedrium noſtris Magiſtratibus attribuit. Statuta Henrici Octavi, Eduardi Sexti, Reginæ Eliſabethæ, ac Regis Jacobi, Reges Supremos Judices ſtatuunt tam in Eccleſiaſticis, quam in ſecularibus rebus. Et *Petrus Martyr* in Commentariis ſuis in 8 *Cap.* 1 *Sam.* tuetur, Regem Angliæ merito ſuſcepiſſe titulum Capitis Eccleſiæ.

Synedrium concedit mihi, diſcrimen eſſe in Imperio atque Ordine Reformatarum Eccleſiarum: verum cenſet hoc me ab eorum cenſura immunem præſtare non debere; quod longe nimis à via aberrem. In omnibus Reformatis Eccleſiis docetur (ut ajunt) *Prædicandi munus ſpecialem ordinationem Dei eſſe, inſtitutionemque Chriſti: ac juxta eadem ſolis Paſtoribus jus eſſe Verbum Dei prædicare, atque Sacramenta adminiſtrare.* Quod me negare Synedrium ait.

Sed hoc à veritate alienum eſt, ſalva Synedrii reverentia. Notus meus Tractatus, Apologia, ac imprimis Libellus meus de *Munere Paſtorali*, ad quem Synedrium in conſcribenda accuſatione mea provocavit: quemque etiamnum ad partes vocat, cum res ita fert, omnino contrarium oſtendunt. Legatur Pag. 335 & 344. dicti Tractatus.

Quod univerſum miniſterium Eccleſiaſticum, regimen, poteſtatem atque pœnam Eccleſiæ eripiam, eaque ſolis Politicis attribuam: partim hoc æquivocum eſt, partim longe à mea ſententia abeſt. Partes atque miniſteria Eccleſiaſtici regiminis

minis omnino Eccleſiæ largior, nec ipſi ne unam quidem demo: at cenſeo, Magiſtratum ad illa officia ac miniſteria in publica Eccleſia nonnullos poſſe delegare; atque Seniores Rectoreſque Eccleſiæ creare. Ita ut in tantum tota forma Eccleſiaſtici Regiminis integra & illibata maneat; nec hac de re majorem cum Synedrio controverſiam habeam, quam circa jus *vocationis*, *commiſſionis miſſioniſque*. De hiſce vide *Pag.* 504. *Apologiæ meæ*.

Verbi Divini Præconibus etiam *miniſterium Verbi relinquo*; *cœlum claudere & aperire*: ac idcirco jus utriusque clavis, *quod illa adminiſtratione* exercetur. Vide *Pag.* 501. *Apologiæ*. Verum in miniſteriali iſto officio proprie loquendo nullum *imperium* agnoſco: ſed tantum prædicationem Verbi Divini doctrinæque Euangelicæ, cum applicatione ad conſcientiam membrorum Eccleſiæ, cum munere declarandi & aperiendi quid quiſque Chriſtianus de ſuo ſpirituali ſtatu ſentire debeat, qua ſpe ſalutis æternæ duci, quo terrore interni angi.

Omnis controverſia huc redit. Primo, quod jus aliquem ad Eccleſiaſtica officia delegandi Magiſtratibus arrogem: ac hoc juxta uſum Nob. Pot. noſtrorum Ordiuum: qui omnes Paſtores in Agris ad Prædicandi munus *delegant*, ſicut liquet ex formula delegationis: ac ubi jus *Patronatus* viget, Domino *electio* competit. Atque Eccleſia ad omnem illum actum nihil aliud confert, quam externam cæremoniam impoſitionis manuum; quæ non eſt de eſſentia Muneris Prædicandi.

Deinde; *Imperium*, *legumlationem*, *punitionem*, *remunerationem*, *quatenus illa Rectoribus & Judicibus competunt*, *Imperio Civili vindico*: quemadmodum illa etiam ſecundum omnium Theologorum opinionem, politici Regiminis propria ſunt. Et quidquid ejus generis in Eccleſia reperitur, id civile eſt, & ab hominis ſtatu naturali, aut civili profectum. Ac Synedrium declarare ſe debebat, an cenſeret, verum imperium ſine *poteſtate ferendi leges* poſſe conſiſtere. Si non: nonne humanum regimen cum poteſtate faciendi leges politicum ſit. Atque tum demum ad examen vocandum erit, an ejuſmodi imperium in Eccleſia ſit: ac unde id oriatur: & utrum is, qui ejus generis regimen in Eccleſia ſtatuit, tale jus clavium amoveat, quod imperio, proprie ſumpto, careat. Non dubito, quin hiſce probe intellectis, omnis etiam controverſia propediem ſit ceſſatura.

In Apologia mea Synedrium provocavi, ut demonſtraret mihi tandem plura, quam duo imperii genera: unum, quod conſcientias regat, atque ſpirituale ſit: alterum, quod civile ſit; verſeturque circa res, de quibus licet contrahere. Verum Synedrium in hac ſua Admonitione, quum hoc ipſis admittendum, aut negandum erat, ejuſque probatio ſuſcipienda, declinat illud: ac concedentes Eccleſiam carere *imperio* in conſcientias, quod Papiſtica Eccleſia ſibi ſumit: nec tamen imperium Eccleſiaſticum (ſermo mihi eſt de vero imperio) *politicum* regimen appellare volens, valde perverſe ac improprie *miniſterialibus* Eccleſiæ *officiis* (quæ *Pag.* 501. *Apologiæ* agnoſco) *imperii* nomen tribuit: ac tradit contra omnem rationem, atque univerſam Scripturam, in *miniſterio* proprie ſumpto *poteſtatem eſſe*: atque Miniſtrum, *qua Miniſtrum*, atque ea in re, ubi miniſtrat, *pœnas ac præmia* poſſe diſtribuere.

Non ergo Eccleſiæ eripio, quod Synedrium ipſi dat, nempe miniſterialia officia: ac do Magiſtratibus, quod Synedrium arbitratur in Eccleſia non reperiri, nimirum *verum regimen* Eccleſiæ, cum poteſtate condendi leges conjunctum: ſine qua nullum verum imperium exiſtit. Ac hoc ex *naturali* atque *civili jure* oriri aſſevero, circa Divinas leges occupato, juxta quas imperium illud gubernandum

Ergo nequeo, ex opinione quam Synedrium de regimine Eccleſiæ habet, Eccleſiæ *ſubtrahere*, quod Synedrium arbitratur ad Eccleſiam, neque ad ejus Rectores *pertinere*. Ita ut conſpiciamus, hanc iterum meram eſſe Synedrii cavillationem: ipſosque doctrinam meam ac theſes directo non oppugnare.

Requiro ut legiſlativa poteſtas in Eccleſia ſit, quæ ex fœdere Membrorum oriatur; eamque civilem eſſe affirmo. Synedrium negat poteſtatem ferendi leges, qua Eccleſia *in conſcientias humanas imperium exercet*: illam etiam rejicio. Non admitto aliud Eccleſiæ imperium, (verum nempe) quam quod ex fœdere deſcendat. Synedrium *miniſteriale regimen* ſtatuit, quod proxime à Deo exiſtat: ſed verbum *imperii* improprie ſumit; nec cenſet imperium, quod ex fœdere naſcitur, immediate à Deo deſcendere: Synedrium enim illud imperium in Eccleſia non agnoſcit. Quæ oppoſitio eſt igitur inter ipſorum measque theſes circa originem ac naturam unius ejusdemque rei quoad ſpeciem & formam extrinſecam, ſed quam diverſimode ſumimus.

Verum nihil eſt, quod Synedrium minus poſſit ferre, quam quod in Tractatu meo de *Paſtorali Munere* aſſeram, *Eccleſiam non ſolum in imperio ſeculari eſſe*: *verum etiam eſſe ſocietatem civilem*, *Pag.* 359. & 363. Revera ſunt mea verba: ſed illic ago de Eccleſia *publica*: atque hæc ſententia adeo vera eſt, ut aut Politicis Rectoribus, qua talibus, jus ſit adimendum curandi per civilem ſuam poteſtatem legesque, ut ex præcepto Dei, Verboque ſocietas quædam, quæ ob propriam ac ſpecialem formam, quam à Deo Chriſtoque habet, *Eccleſiaſtica* nominatur, erigatur: (quod Membrum aliquod Synedrii in ſuggeſto palam auſum eſt docere) aut concedendum, me eodem jure Eccleſiam etiam appellare *ſocietatem* civilem: quo in *Corpore juris*, & in Statutis alicujus Civitatis omnes leges de rebus Divinis, juxtaque Dei Verbum conſtitutis (veluti v. gr. ſunt leges connubiales, de celebrando Sabbatho, edictum D. D. Ordinum Generalium, quo mandant, ne alia doctrina in Eccleſiis fœderatarum Provinciarum, aſſociatarumque Regionum doceatur, quam quæ in Synodo Dordracena approbata eſt) *civiles leges* vocantur.

Quemadmodum etiam univerſum imperium, *quo Divinæ iſtæ conſtitutiones* in Republica vim naturamque legis acquirunt, & in uſum deducuntur, civile regimen dicitur. Nam qui ſolum principia naturæ civilis imperii novit, is probe ſcit, legem Dei non eſſe legem civilem, qua cives ut cives tenentur, antequam Magiſtratus eam legis vim habere voluit in ſua civitate.

Porro, quum pater magnæ atque numeroſæ familiæ parens officio ſuo, *ut paterfamilias*, operam dat, ut ex Dei Chriſtique placito domeſtici ſui boni Chriſtiani fiant; atque procurat, ut Doctorem habeant, qui domi ejus officium ſuum exerceat, ac ut inter domeſticos ſuos omnia religioſa & pia opera vigeant, quæ Chriſtus jubet in Chriſtiana Societate fieri: an non omnia ea, quæ ex cura illa ac patria poteſtate deſcendunt, domeſtica ſunt? Num domeſtici iſti, quibus Paterfamilias muneris & officii cauſa, & quatenus eſt Paterfamilias, illa media ſuppeditare debet, quibus ii domeſtici formam Eccleſiæ accipiant, pars familiæ ſunt. Nunquam enim mihi in mentem venit docere, illud, quod Eccleſiæ intrinſecum atque inteſtinum eſt, domeſticum eſſe, vel ex paterno jure deſcendere: non magis hoc mihi in mentem venit, Chriſtianam Religionem atque internam Eccleſiarum adminiſtrationem, legesque ſpirituales, ſecundum quas Eccleſia regi debet, ex regimine civili profluere. Sed non ideo Eccleſia definit corpus eſſe politicum, parsque politiæ: quan-

quanquam ſecundum leges à Chriſto præſcriptas regenda ſit.

Licet enim Magiſtratibus per ſe prædicare, atque S. Sacramenta adminiſtrare vetitum ſit: tamen officium atque jus eſt eorum curare, ut Verbum Dei pure prædicetur, & S. Sacramenta pure ac ex præſcripto Divino adminiſtrentur juxta articulum 36. noſtræ Confeſſionis: atque res illa non ideo minus eſt regiminis politici, quod per alios ſit expedienda ad normam legum cultûs revelati. Magiſtratus enim Chriſtiana mutua officia, quæ maritus uxorque qualitate ea invicem debent, per ſeſe exequi non poteſt: attamen politicæ adminiſtrationis pars eſt, operam dare, ut Divinæ leges circa conjugium obſerventur, ac ut caput Imperii de eo leges ac præſcripta condere.

Quantum ad quintam poſitionem, *Cruces*, nempe, *in ſepulchra erigere; ac ſigno crucis aliquid benedicere, non eſſe ſuperſtitionem*. Hæc quidem mea ſunt verba. Sed Synedrium non meminit reliqua verba, quæ opinionem meam latius explicant, ac in *Apologia mea*, Pag. 518. & 519. allegata habentur, eis adjungere, quo me refero.

Iterum mihi indicandum eſt, quo pacto Synedrium (ſalva ipſorum reverentia) hic non ea agat modeſtia, quam cenſeo eos decere. Theſis hæc erat, an quibusdam *ſymbolis* uti: per ſignum, verbi gratia, crucis quippiam benedicere, *per ſe* ſuperſtitio foret? Non autem an hoc factum per circumſtantias & abuſum in ſuperſtitionem converti poſſit? In meo enim *Tractatu* doceo, vide *Pag.* 518. *Apologiæ* (ubi verba Tractatus mei continua ſerie citata ſunt) uſum, ſigno nempe crucis rem quandam benedicere jam in Papatu per ſuperſtitionem fieri. Ita ut Synedrium hic iterum ab accuſatione ſua recedat.

Synedrium non audet aſſeverare ſignum crucis in actu aliquo religioſo uſurpatum per ſe malum eſſe; at hoc ipſi affirmandum erat, ſi elenchum facere vellet; verum jam cum ſuperſtitione fieri dicit, ac notam eſſe Papiſmi. Idem etiam aſſero, atque ita omnia limito, ut nullus Reformatorum Chriſtianorum majore cautione in ea re poſſet inſiſtere: quemadmodum etiam Synedrium nihil in iis reprehendit. Tantum inquit, cautiones meas, poſitiones meas non liberare ab errore & offenſione. Verum Synedrio ergo indicandum erat, quid vitii continerent: at præterit hoc; quod aqua ipſi hæreat: ac nihilominus inquit theſes iſtas offenſione non carere

Quod porro Synedrium ad excuſationem modi agendi, ac condemnationis Libri mei, me inaudito, afferat, *nunquam judicium* aliquod de perſona mea ſuſceptum eſſe *aut habitum, verum tantum enumerationem factam poſitionum mearum, quas culpandas; & cum offenſione plurium publici juris facta Synedrium exiſtimat*. Hæc jocoſa magis, quam ſeria videntur. Quis ejuſmodi excuſationem pro legitima admittere poterit? Quid! an non de me ſententia fertur, quum judicium pronuntiatur de libro, cujus Auctorem titulo libri, & inſcriptione nominis me profiteor? Eodem pacto poſſet dici, non etiam de ſceleſto vel fure ſententiam ferri, qui furti damnatur: verum tantummodo judicium de furto ejus cum probationibus eo ſpectantibus, orbi terrarum manifeſtari, & cœlo terraque oſtendi.

Quibus muneribus aliis poterat Synedrium defungi, & quas alias ſibi vindicate partes, ut dux & auctor ſententiæ alicujus erga me (qui ipſorum Eccleſiæ membrum non ſum) latæ merito vocari poſſit? Si Liber meus ab alio foret conſcriptus; atque diſputaretur, an paradoxæ ejuſmodi theſes, quales Synedrium mihi tribuit, illic invenirentur: liber poſſet condemnari, ac etiam theſes, me tamen eo non condemnato. At nunc aliter res ſeſe habet. Quoniam enim me Auctorem eſſe memorati Tractatus publicè

blicè præ me fero, quum Synedrium præſupponat, heterodoxas poſitiones in Libello ſuo Supplici exhibitas, eo in Libro reperiri: certe de perſona mea ſententiam inviſam tuliſſe neceſſe eſt. Quin immo credo, ſi perſona mea ſententiæ ipſorum de Tractatu meo implicita non fuiſſet, & non ita cum eo conjuncta ut illud judicium præcipue in me non redundare debuerit, eos nunquam animum inducturos fuiſſe cenſuram illius libri aggredi.

Puto ergo me demonſtraſſe, Venerandum Synedrium tam parum probaſſe in *Admonitione* ſua æquitatem Eccleſiaſticæ ſuæ condemnationis ac criminationis Vobis, Nob. Ampl. Viri, exhibitæ: quam eam primo in Libello ſuo Supplici Vobis, Nob. Ampl. Viri, demonſtrare potuit & probare. Non cenſeo me quippiam prætermiſſe, quod refutatione aliqua indigebat. Velim etiam ut Synedrium itidem ad omnia illa, quæ à me ad cauſam pertinentia in Apologia mea allata ſunt, reſpondiſſet. Verum inter alia multa, quibus nihil repoſuit, omnino ſilet de cunctis iis, quæ ipſis *retorquendo crimen* objeceram, de multiplici uſu in factis, doctrina, concionibus ac ſcriptis Synedrii, aut Membrorum ejus contra Confeſſionem noſtram, & communem Eccleſiarum Theologorumque opinionem: atque peculiariter de concione illius Paſtoris, qui tam expreſſe Chriſtianis Magiſtratibus omne regimen circa religionem eripit: ac nihil amplius illis relinquebat, niſi ut, *qua Chriſtiani* ſubjectis ſuis, data occaſione, & reſpectu officii privati Chriſtiani, nonnihil de Chriſtiana Religione proponere deberent; veluti præceptor, aut artifex diſcipulum ſuum vel novitium in arte, ſcientiam ſive opificium docere debet, quod in ſe recepit: verum qua Chriſtianus tenetur, occaſione nata, & ſi caſus ita ferat, excitare ipſum ad virtutem. Quis ferat Magiſtratum Chriſtianum cum privato Chriſtiano in memorato caſu componi: & Magiſtratus & privati Chriſtiani officia & jura in eo caſu paria facere, eſt talia docere in quibus omnes, qui Chriſtiani Magiſtratus poteſtatem circa Sacra juxta Confeſſionem Reformatarum Eccleſiarum cognoſcunt, obſtupeſcere debent.

Sic etiam doctrina D. *Gentmanni*, Cœnam poſſe ei dari, quem Paſtor non credit conſtitutum eſſe in ſtatu gratiæ, ejuſmodi eſt naturæ, mea opinione, ut adverſetur doctrinæ noſtrarum Eccleſiarum circa hoc Sacramentum: ac univerſum miniſterium Paſtoris circa illud evertat.

Synedrium dicit, *ſe ea prætermittere, tanquam nihil ad præcedens ſuum monitum pertinentia: aut quæ tantum iram excitarent, vel vindictam aut acerbitatem proderent*: ſcitum eſt conferre ſilentii cauſas in hujuſmodi caſus, cum quid reſpondeas non habeas. An non etiam ad ſuperiorem ipſorum Libellum Supplicem ſpectat, objectiones diluere, à Synedrii doctrina factiſque deſumptas contra Confeſſionem atque communem Theologorum ſententiam; illud nemo concedet, qui noverit eos, qui ſub eodem imperio ac legibus vivant, etiam pariter ſecundum leges iſtas judicandos eſſe. Abſurdius adhuc, ſi quis facta ſua & doctrinam, quæ cum Confeſſione ac ordine Eccleſiaſtico pugnant, Religionis & pietatis nomine ventitat. Quemadmodum hoc in abolendis Feſtis aſſeritur: & eos, qui contrariæ ſunt opinionis; ac doctrinam praxinque noſtrorum Theologorum in Synodo Dordracena congregatorum tuentur, palam in Cathedra concionatoria *beſtialis ſtupiditatis* accuſant: atque tamen doctrinam adverſam, ut ipſi præ ſe ferunt, Confeſſioni ac bono ordini, gravibus criminationibus perſequuntur, quaſi diſſolutionem *boni ordinis Eccleſiaſtici* importantem: cujus dicunt ſibi curam eſſe commiſſam. In hos optime quadraret illud --- *Quis cuſtodiet ipſos cuſtodes?*

Si

Si Synedrium offenſionem & vindictæ ſuſpicionem effugere voluiſſet, in initio majori moderatione uti debuiſſet. Si vel obiter indicatum fuiſſet, theſes quaſdam in Tractatu meo reperiri, quæ ipſis *offenſionem periculumque* videbantur *allaturæ*: nunquam me difficilem præbuiſſem in offenſionibus ac periculis, quæ Synedrium poſitionibus iſtis ineſſe putabat, tollendis. Et quoniam jam ſex hebdomadæ exierant, quod liber meus in lucem prodiiſſet, priuſquam in ullo cœtu Eccleſiaſtico de eo aliquid eſſet deliberatum. Atque in Claſſe quadam caſu ſolum in manus incideret, atque hoc etiamnum falſa hypotheſi, *quaſi cenſerem, Pontificiis libertatem Religionis eſſe concedendam*, non neceſſe erat ita properare: verum via & ratio tentari potuit, ut cum minori famæ meæ læſione ſcandalum ſeductioque, ſi per Tractatum meum metuenda forent, ſiſterentur. Eo magis, quod in eadem urbe habitem: atque Membris Synedrii, præſertim Paſtoribus conveniendi me facultas erat; ac quibuſcum revera de Tractatu meo fide inter amicos uſitata collocutus ſum: verum qui ad iſta tacuerunt.

Sed nunc tanta cum feſtinatione egerunt, ut, re die Lunæ prima vice propoſita, illico decretum fieret excerpta ex Libro meo extrahendi: & inſuper nonnullos delegarent, quorum quilibet partem Tractatus mei legeret. Die Veneris proxime ſequente non ſolum cum excerptis parati fuerunt: verum inſuper Libellus Supplex etiam conſcriptus fuit, qui die Lunæ proxime ſequente exhibebatur. Nunquam animum inducam, hoc ſtudium ex conſideratione officii amorisque erga veritatem in illis Auctoribus Libelli Supplicis natum eſſe.

Vobis, Nob. Ampl. Viri, qui ſtatum Eccleſiæ ac imperii politici veſtræ urbis non ignoratis, notum eſt, quod abhinc aliquot annos ſcopus acerbi zeli nonnullorum Membrorum Synedrii fuerim, quo jacula ſua deſtinarent: ac quo pacto me ſemper, opiniones meas hæreſes & errores appellando, ac velut Eccleſiæ hoſtem deſcribendo, inter cives meos ſuſpectum reddere ſtuduerint, eoque perſonam meam ac fortunas lædere. Sed Deo gratia (in Cujus nomine, & ad Cujus gloriam bonam cauſam pro ingenioli mei modulo juvi) quod etiamnum ſalvus ſim, ac infra me conſpiciam illos, qui me perditum volunt.

Itaque præſentem agendi modum non aliter conſidero, quam fructus exigui amoris quorundam Membrorum Synedrii erga me. Qui non crevit, poſtquam aliquot decreta & juſſa Senatus ad Synedrium miſſa ſunt, ut nonnulla ejus Membra modum in ſermonibus ſuis tenere diſcerent.

Non dubito etiam, quin Synedrium conetur hoc agendi modo tantum pavoris metusque mihi atque reliquis omnibus incutere, ut in poſterum nulli animus futurus ſit aliquid aggredi, quo ſe in Synedrii offenſionem incurrere poſſe ſuſpicetur. Ac ſi hoc ipſis ex voto ſucceſſerit, in poſterum multo majora molientur.

Verum eſt, Synedrium in Admonitione ſua valde proteſtari contra ea, quæ in Apologia mea dixi. *Summopere verendum eſſe, ſpiritum moderationis juſtitiæque inter Auctores exhibiti Libelli Supplicis aut Admoniti non præſediſſe: atque coram Deo teſtatur nullam perverſam animi libidinem ipſos ad dictum procedendi modum impuliſſe.*

Eſto, Synedrium nihil facere contra conſcientiæ dictamen: verum non poſſum mihi perſuadere, debitam ipſos curam adhibuiſſe, ad (accingentes ſe ad examinandum ac judicandum de meo Tractatu) animum liberandum ab omnibus præjudiciis praviſque paſſionibus, quibus acies mentis obtuſa, veritatem alicujus rei perſpicere nequit. Sub ejuſmodi proteſtationibus maximum fit malum. Atque

que omnes hæreſes perſecutioneſque hac veſte in theatro, ſub ſpecie Religionis, conſpiciendas ſe præbent. Ac ideo ſtudium ejuſmodi Theologorum mihi ſemper maxime ſuſpectum eſt; qui in omni vita, ſcriptis, atque concionibus nihil aliud, quam perpetuam accuſationem contra fidei ſuæ conſortes faciunt, fratrum accuſatores exiſtunt, & cuncta exaggerant ac ſuſpicionibus onerant.

Satis etiam Vobis, Nob. Ampl. Viri, notum eſt, quam acria partium ſtudia in Collegio Synedrii abhinc aliquot annos viguerint; quæque à Synedrio velut flamma omnia obvia obiens, ad Cœtum fidelium graſſando etiam tranſierunt. Atque hæc omnia etiam nomine zeli ac curæ pro Religione velarunt. Et ille zelus ſub iſta perſona toties in Theatro comparuit, ut nemo his amplius decipiatur.

Quod Venerandum Synedrium, ad clauſulam veniens, dicat ea, quæ in Libello Supplici & Admonitione facta ſunt, habenda eſſe, ut facta, ad doctrinam atque ordinem Eccleſiaſticum à violatione defendendam: nullo modo autem ad imminutionem auctoritatis & poteſtatis Reip. Rectorum, aut ad jus ipſorum invadendum, ac falcem in eorum meſſem mittendam: cum ſint contenti illis, quæ formulæ concordiæ, Confeſſio, Catechiſmus, atque ordo Eccleſiaſticus concedunt Eccleſiæ, perſoniſque Eccleſiaſticis: Cæterum certi pacem & concordiam Vobiſcum, Nob. Ampl. Viri, colere. Atque ipſos quidem optaſſe, ne per editam, ac ad eos miſſam Apologiam, non neceſſariam cauſam dediſſem, ut ad ſe purgandum, ac ad Vos, Ampl. Viri, informandos, atque de tota edocendos, Vobis ipſorum Admonitionem exhiberent. Arbitrantes judicium omnium Eccleſiaſticorum conventuum, hujus atque aliarum Provinciarum, concordaturum cum ſententia Synedrii. Ac porro à Vobis, Nob. Ampl. Viri, bonum quoddam ac ſalutare decretum exſpectant, quod tendat ad Dei gloriam, conſervationem puritatis doctrinæ, ac confirmati ordinis, & ædificationem fidelium. Ac porro conſueto more ſanctus ordo Vobis, Nob. & Ampl. Viri, benedictionem impartit.

Nequeo hæc ita ſilentio præterire, ſine ulla examinatione ac conſideratione ſuper hoc epilogo Admonitionis. Quodnam ipſorum ſit officium circa curam pro *doctrinæ puritate & bono ordine*, de eo ſuperius actum eſt. Hoc factum ad Reip. Rectorum contemptum non tendere nemo concedet, cui Imperii Majeſtas curæ ſit.

Synedrium viliſſimum ex ipſorum grege majori reverentia tractaſſet, quam me jam tractat; cui honor contigit Membrum eſſe Veſtri, Nob. Ampl. Viri, Collegii (hoc dico quia Vobis, Nob. Ampl. Viri, factiones ac diſſidia, atque acerbi agendi modi inde orti noti ſunt.) Quæ legationes, quæ cura, quod ſtudium non adhibetur, ut fama eorum, quos favore proſequuntur, illæſa tandem conſervetur? Ad peregrinum quendam, eundemque impoſtorem, ac merum hypocritam, plus vice ſimplici nonnulli mediatores mittuntur: licet Synedrii Deputatos, perque ipſos univerſum Collegium æquivocationibus ſæpius eluſerat. Quid non excuſant, atque ad quæ in ſuis non connivent, quin immo quæ non tuentur; imo ſanctis operibus accenſent, quæ probra & ſcelera ab æquis rerum æſtimatoribus putantur: viros inhoneſtos, fallaces, non ſolum protegunt; verum omnes ſuos conatus eo conferunt, ut honor ipſorum ſartus tectus maneat. Illis, qui peſſime audiunt ob enormia flagitia; aliis, qui tam vehementibus onerantur ſuſpicionibus, ut inde maximum vulgo ſcandalum toti fidelium cœtui datum ſit, nullum exhibent negotium, imo eorum patrocinium ſuſcipiunt: nec illa magis ad animum revocant, quam ſi nullius malæ famæ iſtorum hominum auditiuncula aſperſi fuiſſent: nec

Syn-

Synedrium curat vel minimum de eo inquirere. Quæ in concionibus, ſcriptis actionibusque multorum ex ipſorum collegio, cum magno ſcandalo & dolore piorum, & cum Rectorum Reip. contumelia facta ſint, Vobis, Nob. Ampl. Viri, ſatis notum eſt. An non concionator quidam publice in cathedra, Nob. Rectoribus audientibus, falſo auſus eſt dicere, in veſtra urbe *publice tolerari cœtum & Eccleſiam Socinianorum.*

Non ſpecialem porro horum enumerationem faciam; partim, quod multi è Veſtro, Nob. Ampl. Viri, Collegio iſta etiamnum in recenti habeant memoria: partim etiam ne prolixus ſim.

Verum quum Synedrium occaſionem aliquam ſibi jam putabant natam, ac ſimul tempus maturum eſſe irruendi tandem in me, in quem tamdiu aliquid erant machinati, & dentes acuerant, tanta cum acerbitate rem tractat, ut, ſicut ex omnibus circumſtantiis patet, non tam correctionem & inhibitionem erroris, aut vindicationem Eccleſiæ à ſcandalo meditentur, quam tale pondus addere ſuis monitis, ut etiam pernicies & fortunarum everſio una illud ſequantur.

Et quid, an non ad contemptum diminutionemque auctoritatis Reip. Rectorum vergit, quum illi, qui pro auctoritate ac dignitate Magiſtratuum pugnant, tam duriter tractantur: ut inde manifeſtum ſit Synedrium maxima hac vexatione huic rei operam dare, ut reliquis omnibus tantum terroris injicere conentur, ut cunctis poſthac animus opponendi ſe ipſorum dictatis deſit? Et ut contra illis adulando, palpando, & amplexando animum adderent, qui Veſtram, Nob. Ampl. Viri, poteſtatem quam arctiſſimis limitibus circumſcribunt.

Quod Synedrium dicat, ſe *contentum eſſe iſtis, quæ Formulæ concordiæ, Confeſſio,* &c. ipſis tribuunt: hoc parum cum ipſorum doctrina factisque convenit. An Confeſſio ipſis tam multum in rebus Eccleſiaſticis, Magiſtratibus autem tam parum largitur, ut hi *ſolum externa, corporalia, ac temporalem ſubjectorum quietem procurare teneantur?*

Sed quid certi ejuſmodi declaratione iſtius Synedrii Rectoribus datur, de quo ſibi gratulari poſſint, aut modeſtiam Synedrii laudare; quum *interpretationem* formularum concordiæ, Confeſſionis, Catechiſmi ita ſibi vindicet, ut in eos irruat, ac gravium errorum arguat, qui non ita illa intelligunt, ac Venerandum Synedrium. Et quandoquidem omnes novæ orientes quæſtiones & dubitationes Nationali Synodo reſervatæ ſunt. Et optandum erat, ut iſti decreto Synedrium pareret; utque in ejuſmodi Theologicis controverſiis ab omni deciſione in Claſſibus abſtineretur, uſque dum Ordinibus Generalibus conſtaret ex uſu Reipublicæ & Eccleſiæ fore novam generalem Synodum convocare. Qua etiam Reſpublica & Eccleſia carere poſſet, ſi veritatis & amoris juxta ratio haberetur: nec non tam odio errorum quam libidine diſputandi & vincendi, res Theologicæ ad examen vocarentur: & non tam odio criminum ad accuſandum, quam accuſandi ſtudio ad crimina deſcenſum eſſet.

Etiam de quæſtione ea, nempe de poteſtate Summarum Poteſtatum circa ſacra, tam pauca in Confeſſione, Formulis, &c. dicta ſunt, ut fieri nequeat, ut determinationes juris utriuſque partis ex iſtis libris eruantur. Atque tam abſurda fundamenta à quibuſdam Theologis locantur; ac uſus ad iſta fundamenta accommodatus, ita viget in iis locis, ubi Eccleſiæ illis fundamentis ædificantes, auctoritatem ac poteſtatem adeptæ ſunt, & venerationem ſui in animis hominum excitarunt; ut exemplis probe cognoſcamus, in *Confeſſionibus, Catechiſmis,* &c. non ita ea definita eſſe, quin Juris Eccleſiaſtici pomœria ita ordo Eccleſiaſticus dilatare noverit, ut nihil Magiſtratui de civili Poteſtate reliqui faciat. Si Vobis, Nob.

Nob. Ampl. Viri, quendam Tractatum evolvere placeret, Anglice conſcriptum per Doctorem *Baillium*, atque, ut ferunt, opera alicujus Profeſſoris Veſtræ, Nob. Ampl. Viri, Academiæ, in Belgicam linguam verſum, ac hac in urbe apud *Waesbergium* impreſſum; comperietis, vera me dicere. Ac Doctor ille natione Scotus jactat, ſe eadem fundamenta ponere, quæ noſtræ Eccleſiæ in confœderato Belgio amplectuntur: ſeque communem Reformatarum Eccleſiarum doctrinam propugnare. Et credo illos, quorum opera ac cura libellus hic Belgice tranſlatus impreſſusque eſt, eadem fundamenta adoptare; eaque pro communi Eccleſiarum doctrina velle obtrudere: & ideo laborem curamque in ſe ſuſcepiſſe, ut egregium illud opus ſcilicet lucem adſpiceret.

Utut ſit: idem eſt Eccleſiaſticum Collegium, quod nunc adeo proteſtatur ſe ſatis habere ſi iis, quæ Confeſſio, Catechiſmus, &c. ipſis largiuntur, frui liceat: teſtaturque ſe Vobiſcum, Nob. Ampl. Viri, concordiam & pacem omnibus officiis tueri velle. Eſt tamen idem illud Synedrium, quod non ita pridem tam parum modeſtum ſe præbuit erga ſummas Poteſtates, ut multi ex illo Collegio partim duces & auctores ſe præſtantes dictorum & factorum ſeditioſorum, partim ad ea conniventes, nullis Eccleſiaſticis mediis ad ea prohibenda adhibitis, quorum factorum ſeditionem & turbas olentium & clamantium Nob. Pot. hujus Provinciæ Ordines in Præfatione ſui decreti, quo effrænatam licentiam Paſtorum reprimere intendit, mentionem faciunt.

Hoc idem eſt Collegium, quod Veſtris, Nob. Ampl. Viri, civibus atque Paſtoribus (quos per Nob. Pot. Ordines, ac Vos, Nob. Ampl. Viri, tanquam ſeditioſos & contemptores Veſtræ, Nob. Ampl. Viri, auctoritatis ex Urbe atque Provincia juſſeratis excedere) teſtimonium authenticum dedit, eos eſſe pios ac diligentes viros, quique fideles ſe in munere ſuo geſſerint. Nonne hi mirabiliter Vobiſcum, Nob. Ampl. Viri, conſentiunt: qui quos Vos propter oris & linguæ intemperantiam, non propter dogmata & opiniones in Religione, ex Urbe faceſſere juſſiſtis, laudibus ornant.

Membrum iſtius Collegii auſum eſt publice in cathedra judicare de publicis Reipub. conventionibus cum aliis Principibus initis; atque iterato aſſeverare, Reip. Rectores non ſtetiſſe promiſſis. Ex eodem Collegio nonnulli emerſerunt, qui tenorem Imperii, qui hac in Provincia obſervabatur, *ingratitudinis* accuſabant.

Idem eſt Collegium, quod nuper adhuc in cœtu ſuo nonneminem *à crimine falſi* præjudicio ſuo abſolvere auſum eſt, atque ita liberare ab eodem *facto*, de quo lis pendebat, ac propediem erat terminanda. Atque hoc ſolum faciebat, ut *intimum* ſuo judicio ac Eccleſiaſtica ſententia ante abſolutum, contra deciſionem judicum armaret, quam metuebat, atque hoc merito, contra ipſum pronunciatum iri. Atque hujuſmodi hominem ex urbe dimiſerunt tali cum teſtimonio, (clam dato, contraque Eccleſiæ uſum) ut Sancto Apoſtolo melius non poſſet dari.

Singulis quibuſque referendis non ulterius immorabor, ne prolixus nimis ſim. Et quum illud aggrederer, pateret, ſat cito probatum iri ſcilicet de bona ipſorum cum Reip. Rectoribus concordia; ac de moderatione circa iſta, quæ judicant ſui juris eſſe, Et quum ipſorum fundamenta, quæ firma ſtatuunt, recte examinarentur; ac conſequentiæ inde profluentes bene deducerentur, comperiremus, politicum ab eccleſiaſtico difficillime poſſe diſtingui: verum omnia facile reductive, ut mos ipſis eſt loqui, ad Eccleſiam poſſe referri.

Quod accuſant me, quod Apologiam meam in lucem ediderim. Hoc non con-

contigit, priuſquam Libellus Supplex Synedrii jam publicatus foret. Veſtra etiam, Nob. Ampl. Viri, voluntas fuit, ut fieret, quo labori deſcribendi parceretur: & probe noverant illud brevi per alios effectum iri: quoniam neque Synedrii Libellus Supplex, nec Apologia celabantur.

Quod impreſſa exemplaria ad Synedrium miſerim, hoc juſſu Rectorum factum eſt.

Synedrium affirmat theſes meas, ut communi doctrinæ ac ordini Eccleſiaſtico adverſantes, *dolorem ſcandalumque in multis excitaſſe*. Poſſet quidem verum eſſe nonnullos ex cœtu fidelium, ab inimicis meis, Synedrii Membris, prave de opinione mea imbutos, aut alioquin ineptos ad judicandum de dicti libri argumento, putaſſe ſe aliquid in eo reperiſſe, quod ipſos offenderet.

Sed etiam omni cum candore ac veritate poſſum aſſerere, quum Urbem falſis rumoribus de Tractatu meo compleverant, nullam mihi opinionem aut doctrinam aſſignatam eſſe, cujus me reum comperiebam. Ac dicta judiciaque adeo differebant, tam abſurda, & ſibi invicem contraria erant, atque tanta cum inſcitia conjuncta, ut jure iis non commoverer: ac *ſcandali errorisque ejusmodi perſonarum parvam rationem haberem*.

Et ſi quibuſdam Liber meus offenſioni ac dolori fuerit: contra alii eo ſunt lætati, atque egregios fructus ſe ex eo percepiſſe profeſſi ſunt. *Difficile eſt omnibus placere*.

An omnes eccleſiaſtici tam harum, quam aliarum Provinciarum, ſimilem ſententiam laturi ſunt, ac Venerandum Synedrium hic facit, tempus docebit. Synedrio gratiſſimum id futurum facile equidem credo: & id enixe curaturum, ut ejuſmodi judicia cudantur: atque ad id Synedrium laboraturum, idque per amicos executurum, fixum mihi immotumque eſt.

Verum ignoro, an res ita ſit integra, ac erat, quum Synedrium eam ſuſciperet. A tribus accuſationibus, ut ſuperius eſt dictum, Synedrium recedit. Circa duas reliquas inter Synedrium & me hæc ſolum ſupereſt differentia, an præter jus utriusque clavis, quod Synedrium concedit, ut etiam ego, vero imperio ac poteſtate ferendi leges carere, inſuper in Eccleſia *verum* ſit *regimen*; & an illud *civile* ſit, an *eccleſiaſticum*.

Deinde, *quousque poteſtas Summarum Poteſtatum circa Sacra occupata eſſe poſſit*. Non puto aliquem probaturum theſes meas circa dictas controverſias noſtræ Confeſſioni, Catechiſmo, &c. adverſari.

Nonnulla etiam Membra Synedrii hujus loci, ac alibi quidam factionis ipſorum, exemplo ſuo me docuerunt, judicia Claſſium Synodorumque floccipendere. Quoniam auſi ſunt privata ſua judicia ac ſententias judicio Gallicanæ Synodi de libro quodam, quem Synodus illa orthodoxum eſſe pronunciaverat, opponere; atque excerptis, velut è dicto libro collectis, Auctorem tot ac tam gravium hæreſium accuſarunt; ut non credam unquam à primis Reformationis temporibus aliquem in hiſce terris repertum fuiſſe tot hæreſium affinem, quot Auctori illius libri aſſignant. Atque etiam præ ſe ferunt, ſe id in ſimplicitate & ſinceritate facere.

Non ignoro judicem, qui de ſtillicidio aut parietum jure judicaturus eſt, multo majorem adhibere curam, plus certitudinis ac probationum conquirere, ne civis injuria afficiatur: quam à multis Eccleſiaſticis perſonis ac collegiis fit, in proximis de gravibus erroribus condemnandis. Præterquam quod ignorantia, factiones, ambitus, atque ſimilia humana vitia partes ſuas etiam ſtrenue in ipſorum Collegiis agant, æque ac in multis aliis.

Ex omnibus præcedentibus, Vos, Nob. Ampl. Viri, facile cognoſcetis, errores illos, qui à Synedrio mihi tributi

ſunt, in Tractatu meo non reperiri: ac propterea Vobis plene conſtare de injuria mihi, parum æquo ſuo judicio, ac monito ſuo illud ſequuto, Vobisque, Nob. Ampl. Viri, exhibito, facta. Itaque etiamnum eaſdem, quin immo majores habeo rationes, quam antea, de eo querelas meas Vobis offerendi, petendique, ut Vos, Nob. Ampl. Viri, à Synedrii criminibus me abſolventes, ea mihi tribuetis, quæ ad reſarciendum honorem meum neceſſaria judicabitis. Quare perſiſtens in eadem petitione, cuncta Veſtræ, Nob. Ampl. Viri, ſummæ ſapientiæ, juſtitiæ, moderationique commendo.

SECUNDA ADMONITIO SYNEDRII ULTRAJECTINI,

Ad. Nob. Ampl. ejus Urbis SENATORES, CONTRA SECUNDAM APOLOGIAM Pro TRACTATU De IDOLOLATRIA AC SUPERSTITIONE Exhibitam.

Nobiliſ. Ampliſ. D. D. Conſulibus ac Senatoribus Urbis Ultrajectinæ.

QUoniam Auctori Tractatus de *Idololatria* ac *Superſtitione* denuò viſum fuit exemplaria nonnulla *ſecundæ* ſuæ *Apologiæ* Synedrio exhibere, ac ſuper eo conſiderationes Synedrii exſpectare videtur: eo *ſecundam* hanc *Admonitionem* Vobis, Nob. Ampl. Viri, omni cum debita reverentia offerre adigitur.

Superiori proteſtatione repetita, nos non ſtatuiſſe (uti in prima Admonitione etiam

etiam dictum) plenam reſutationem omnium ordine contra eandem *ſecundam Apologiam* conſcribere ; ac propterea omiſſa pro concellis non eſſe habenda; ad ea tantummodo reſponſuri ſumus, quæ proprie ad rem pertinent, vel quæ majoris ſunt momenti.

Pag. 573. ait Auctor , *Synedrium in omnibus pene partibus ſtatum controverſiæ mutare.* Ad hoc reſpondet, longè id à vero aberrare: verum ſe theſes in Libello ſuo Supplice poſitas, in Admonitione ſua repetiiſſe, & ſufficienter defendiſſe contra exceptiones in prima ejus Apologia allatas. Verum eſt, in quibuſdam locis *primæ & ſecundæ Apologiæ* Auctoris, Synedrium eatenus acquieſcit ; quatenus Auctor limitationibus, excuſationibus, vel aliis modis theſes ſuas in *Tractatu de Idololatria* poſitas immutat aut mitigat. Sed iis tamen ſemper juſtæ querelarum cauſæ non tolluntur , quas Synedrium Vobis, Nob. Ampl. Viri, obtulit de periculoſis poſitionibus in dicto *Tractatu de Idololatria* comprehenſis, ac à nobis in *Libello Supplici* notatis: licet Auctor poſtea mutatus, atque ſaniorem ſententiam amplexus fuerit.

Pag. 538. Auctor inquit , *quod ipſis viſum fuit periculoſum eſſe & ſcandalo ; de eo alii ſecus judicarunt : quemadmodum experientia id ipſum in ſuo ipſorum collegio docuit.*

Reſp. Quaſi magna diſcordia & diſſenſio in Synedrio hac de re fuiſſet: quum tamen quicquid de ea conſtitutum ac compoſitum eſt , ejuſmodi conſenſu factum ſit, quod raro in tantis collegiis contingit: ita ut unus ſolum diſſenſerit.

Pag. 542. Auctor ait, *Non poſſum non hac occaſione notare, quod Synedrium hoc loco in Admonitione ſua non agat bona fide. Dicit me conari probare, adminiſtrationem S. Cœnæ privatam tantum actionem eſſe; ſimilitudine deſumpta à miniſterio Paſchatis & circumciſionis filiorum : quum tamen tam clare,* Pag. 450. *diſtinguam inter circumciſionem ac immolationem agni Paſchalis, atque convivium Paſchale, ut aſſeverem à patreſamilias adminiſtrata fuiſſe.* &

Pag. 542. eadem de quæſtione dicit, *non loquor de circumciſione, quemadmodum Venerandum Synedrium pererrorem, directoque contra verba textus,* Pag. 450. *mihi objicit.*

Reſp. Synedrium maximopere miratur, Auctorem negare ſe ſuperius narratam rem ſtuduiſſe probare ſimilitudine adminiſtrationis Paſchatis, circumciſionisque liberorum: ac aſſerere ſe de convivio Paſchali tantum locutum eſſe, ac dixiſſe illud à patreſamilias fuiſſe adminiſtratum: quum tamen *Pag.* 450. ne verbum quidem fiat de convivio Paſchali: niſi Auctor hoc per verbum *Feſtum Paſchale* Pag. 450. denotet atque ſignificet, quod alias etiam immolationem Paſchatis exprimere poteſt; vel ſaltem etiam continere & includere. Verum finge Auctorem eo convivium Paſchale ſolummodo intelligere: non tamen de illo tantum locutus eſt ; nec hoc ſolum cuivis patrifamilias attribuit, licitumque eſſe docuit: ſed etiam de Paſchate immolando, & filiis circumcidendis octavo die, *Pag.* 450. inquiens: *Si immolatio Paſchatis, ac circumciſio liberorum octavo die aliquid fuerit, quod Levitico ſacerdotio annexum erat: ſtatuendum eſt , neceſſe fuiſſe, ut conſecrata perſona illi operi præfuerit: nec ullam aliam ſine profanatione iſtarum actionum opus illud aggredi potuiſſe.* Quod autem Auctor propoſitione ea voluerit innuere ac concludere , conſecratam perſonam ad opus illud requiſitam non fuiſſe, nec cum Levitico Sacerdotio fuiſſe connexam; ſed unicuique patrifamilias liberum ; id liquet non ſolummodo ex continuatione diſputationis ejus, quemadmodum quivis prudens clare conſpicit ; verum etiam abſque omni contradictione ex iis, quæ Auctor *Pag.* 448. dicit. *Contra, ſi verum eſt, cuique licuiſſe agnum ſuum Paſchalem immolare, filium-*

que circumcidere, atque in Synagogis ad cœtum verba facere, quum illud ſine confuſione fieri potuit: ergo omnes illæ prænominatæ actiones in tantum ſanctæ actiones non potuerunt appellari. Quum igitur Auctor, ut ex præcedentibus liquet, tam aperte de utriſque illis actionibus; mactatione nempe Paſchatis, ac infantium circumciſione diſputaverit, atque utraſque iſtas actiones à quolibet patrefamilias poſſe fieri cenſuerit, eaſdemque ad prædictum finem allegaſſet, nimirum ut inde idem de adminiſtratione Cœnæ probaret (dicens *Pag.* 450. *Celebratio Cœnæ ſucceſſit in locum Feſti Paſchalis; ideoque ejuſdem eſt ſanctitatis*) an non admirandum Auctorem hoc non ſolum hic negare: verum inſuper Synedrio exprobrare audere, *in Admonitione ſua ipſos non agere bona fide.* Omnes judicent, utri hoc loco candor aut ſinceritas deſit. Ac hac occaſione una dicimus, Auctorem in pluribus locis Synedrium injuria afficere: quum ipſis objicit, multas illorum theſes & argumentationes *meras eſſe cavillationes ac ſophiſmata*: de quibus ſapiens atque æquus lector judicet.

Porro: licet loca allegata ad defenſionem *primæ theſis*, bonis rationibus videantur docere ſenſum à Synedrio poſitum: ſcilicet, *publicum prædicandi munus, & miniſterium S. Sacramentorum à quovis, dummodo idoneus ſit, poſſe adminiſtrari ac exerceri*, uti etiam Auctor expreſſis verbis declarat in Præfatione *Tractatus* ſui de Idololatria Pag. 13. dicens; *Si quando bono ordine nihil aliud foret definitum; unicuique, qui ſe aptum putabat ad alios docendum, etiam jus erat faciendi illud.* (unde patet ordinem, quem etiam juxta aptitudinem exigit, intelligendum eſſe, non proprie ad jus, verum ad executionem ejus requiri.) Quum tamen Auctor in *ſecunda Apologia Pag.* 542, 543. candide fateatur, quantum ad adminiſtrationem muneris prædicandi, *ſe conſentire cum iis, quæ Catechiſmus & Confeſſio, &c. de illis docent.* Synedrium in iſtis acquieſceret: dummodo *primo*, prædictæ formulæ non ſecundum privati alicujus ſingularem opinionem explicationemque intelligantur: ſed prout eædem in publicis harum regionum Eccleſiis docentur ac explicantur, uti hoc jusjurandum Senatorum Supremi Conſeſſus hujus Urbis exigit. Et *deinde*, ſi ea, quæ in Auctoris ſuperioribus ſcriptis aliud docent, ad hanc ultimam declarationem explicentur corriganturque.

Pag. 544. Auctor iterum fuſe narrat hiſtoriam, ut ipſe eam appellat, quæ ſpectat ad Deputatos Claſſis. Ad quæ à Synedrio in prima Admonitione reſponſum erat; *Deputatos ſuper eo interrogatos, reſpondiſſe, ſe id bona fide ignorare: verum contra excerpta obtuliſſe, ut in conſeſſu legerentur.* Et quoniam Auctor in hac ſecunda Apologia præcedentis ſuæ aſſertionis nullam probationem affert; ſupervacaneum eſt plura addere: ſecundum communem regulam, *Actore non probante, reus abſolvitur.*

Pag. 546. quod Auctor dicat: *facile etiam idiotæ in errorem inducuntur, quum opiniones, quæ pro jure Summarum Poteſtatum pugnant, Arminianiſmi inſimulantur.*

Reſpondet ad hoc Synedrium, ſe iſtam ſimilitudinem mutuatos eſſe ex conſultatione Theologicæ facultatis Leidenſis, ad quam Auctor provocaverat: ac idcirco non debet cenſeri, quaſi Synedrium eam ad odium concitandum finxiſſet. Qui Profeſſores etiam ad jactantiam ejuſmodi Scriptorum, quod tueantur poteſtatem Principum, dicunt, *aſſentatorum* tantum eſſe *ſermonem*; ac eorum factum *magis ex innato contra Eccleſiam odio procedere, quam ex vero ſtudio & amore erga Rectorum & Magiſtratuum faſtigium.*

Pag. eadem Auctor inquit; *Verum quodnam majus Summis Poteſtatibus præjudicium creari poteſt, quam ſi libri, qui patrocinium juris Principum ſuſcipiunt, prohibeantur, ac Auctores eorum odioſis procedendi mo-*

modis onerentur, &c. Quare cenſeo Patriæ Rectores non eo ſe ſeduci paſſuros, ut illis, qui contra legitimos ſuos Magiſtratus quotidie concionantur ſcribuntque, parcant: ac patiantur alios, qui ipſorum jus propugnant, tam indignis modis excipi.

Reſp. Quodnam ſit judicium Profeſſorum Leidenſium in conſultatione ſua ad D. D. Ordines Hollandiæ de prætextu ejuſmodi Scriptorum, proxime præcedenti loco dictum eſt, nempe, *aſſentatorum ſermonem* eſſe, &c. Quare Synedrium ſentit & ſperat, Rectores (quorum deceſſorum majorumque magna pars ejuſmodi amatores atque vindices Reformatæ Religionis ac Eccleſiæ fuerunt: & qui ipſi non ſolum *protectionem veræ Chriſtianæ Reformatæ Religionis, prout illa in Synodo Nationali Dordracena, Anno* 1619. *habita, ſancita eſt: utque ubique in publicis harum Provinciarum Eccleſiis prædicatur & docetur,* ſolenni jurejurando promiſerunt: verum inſuper eodem jurejurando teſtati ſunt, ſe *illam Reformatam Religionem omni animi ſinceritate profiteri*) non euſque ſeductum iri, ut unius viri gratia; & ad unius opinionem, cuncta illa prænominata vincula confringant: à bonis rationibus atque fundamentis ſapientium ſuorum ac piorum majorum (quibus Deus Patriæ Eccleſiæque benedixit) recedant: ab unitate in fide ac ordine, in quibus huc uſque cum aliis Eccleſiis & Rectoribus harum regionum ſteterunt, abſtrahi ſe patiantur; vel apud ipſos ſuſpectos ſe reddant: atque per *adulatorios calamos* hujuſcemodi ſcriptorum inſtigari ſe ſinant, ad *ſancta devorandum, quod hominibus laqueus eſt, Prov.* 20: 25. (ſicuti Profeſſores Leidenſes in conſultatione ſua loquuntur) nec ſolum procurationem ſibi vindicent: verum etiam per ſe eccleſiaſtica officia poſſe exequi, contra opinionem totius Chriſtianiſmi. Etiam quantum in nobis eſt ad exonerationem noſtri muneris & conſcientiæ, Ampl. noſtros Magiſtratus, quorum jura (quicquid etiam hi Scriptores aſſerant, ut Eccleſiam odio & ſuſpicionibus ipſa indignis ſubjiciant, Reip. autem Rectoribus æmulationem adverſus eam concilient) ſecundum præcedentem noſtram proteſtationem minime imminutum imus, non ſolum amabiliter ſuppliciterque rogatos volumus; ſed etiam ſerio in nomine Chriſti admonitos ac teſtatos, ut *cuſtodiant depoſitum ipſis creditum, atque averſentur prophanos illos de rebus inanibus clamores, & oppoſitiones falſo nominatæ ſcientiæ: quam nonnulli præ ſe ferentes, circa fidem aberrarunt à ſcopo.* Et ut *pugnent pro fide, quæ ſemel ſanctis tradita eſt.* Vide 1 *Tim.* 6: 20. & *Judæ Verſ.* 3.

Pag. 547. Auctor à Synedrio probationem exigit, *Reformatas Eccleſias ac Theologos, Eccleſiaſticum Regimen ex Chriſti inſtitutione originem habere cenſentes, hoc de ipſo Regimine, non autem de objecto Regiminis intelligere.*

Reſp. In prima ſua *Apologia Pag.* 500. ipſemet fatetur, *verba Confeſſionis hoc inferre.* Ac idcirco Auctor contra id excipiens, exceptionem ſuam probare tenetur; non autem contrariam probationem à Synedrio exigere.

Ibid. inquit Auctor: *Præterquam quod negem communem eſſe Eccleſiarum doctrinam, Chriſtum claves Regni Cœlorum Doctoribus & Ductoribus Eccleſiarum tradidiſſe. Multi Reformati Doctores cenſent, Chriſtum eas Cœtui fidelium tradidiſſe.*

Reſp. Diſtinctio illa parum ad rem facit. Hoc ſufficit, omnes Reformatas Eccleſias Doctoreſque uno ore affirmare, claves regni cœleſtis Eccleſiæ ac Eccleſiaſticis Ducibus: non autem imperio civili, & civilibus Rectoribus datas eſſe.

Pag. 548. inquit Auctor: *Cenſeo me majori cum ratione Eccleſiæ regimen civile appellare; quod forma ejus civilis ſit: quam Synedrium illud ſpirituale appellat; quia objectum illius civilis imperii leges ſint à Deo Chriſtoque latæ.*

Reſp. Eccleſiaſticum regimen reſpectu formæ ſuæ non eſt civile, ſed ſpirituale. Atque Reformatæ Eccleſiæ non ab objecto ſolum hoc ſpirituale vocant, quemadmodum Auctor tradit; verum etiam ab ejus *materia*, *forma*, *efficiente*, *mediis*, *fine*, &c. quemadmodum Auctores, qui controverſiam hanc ex profeſſo tractant, fuſe demonſtrant.

Porro, licet loca à Synedrio citata ad *ſecundæ theſis* probationem, aliud viderentur adſtruere, quam Auctor nunc aſſeverat: quoniam tamen jam in *ſecunda* ſua *Apologia*, Pag. 549. *candide declarat*, *ſe circa dictas quæſtiones* (nempe circa capita de Eccleſiaſtica poteſtate, diſciplina, ac uſu utriuſque clavis regni cœlorum, de quibus ante diſputatum erat) *doctrinam Confeſſionis & Catechiſmi amplecti*: Synedrio placuit declarationem iſtam admittere, ſub duabus conditionibus ſuperius, *Pag.* 528. memoratis. Verum de clavibus regni cœleſtis inferius probabitur, quam directe Auctor opinionem Catechiſmi oppugnet: & propterea ſummopere admiratur, ipſum hic tam *aperte* auſum *profiteri* ſe Catechiſmo ac Confeſſioni aſſenſum præbere.

Quantum ad *tertiam theſin*, quæ tractat de vi atque obligatione deciſionum Synodorum circa quæſtiones fidei, Synedrium affirmaverat: *Reformatas Eccleſias ſtatuere, duces Eccleſiæ in Claſſibus ac Synodis congregatos, quæſtiones de fide poſſe decidere ex, & juxta Verbum Dei: eaſque deciſiones ex S. Scriptura deſumptas, ac cum illa convenientes, Eccleſiis, Doctoribus, Membriſque ipſis ſubjectis, præſcribere atque injungere: qui etiam tenentur Ductoribus ſuis in iis obedire: ni demonſtrare poſſint ipſorum judicia cum Verbo Dei pugnare. Etiam ipſis licere non parentia, ac in erroribus perſeverantia Membra cenſuræ ſuæ ſubjicere, &c.* Et Synedrium Eccleſiaſticum theſin hanc ſuam probaverat judicio ac ſententia *Synodi Nationalis* contra Remonſtrantes pronunciata. Ad hoc notandum eſt, Auctorem opinionem Synedrii Eccleſiaſtici narrantem ſecundam partem poſitionis ſuæ præterire, nimirum, ubi inquit: *jus etiam ipſis competere immorigeris, atque in erratis perſeverantibus membris notam inurere, & pœna Eccleſiaſtica mulctare.* Quum probe animadverteret, eo theſin ſuam in Præfatione *Tractatus* ſui *de Idololatria*, Pag. 10. propoſitam everti; cujus hæc ſunt verba. *Quare cenſeo neminem fidem aut promiſſionem, Eccleſiæ factam, violare, qui opinione ſua in Religione mutata, Societatem, quam ante elegerat, deſerit. Quamobrem arbitror æque abſurdum eſſe, ac æque parum cum fundamentis noſtræ Reformationis convenire, illos, qui ob iſtam rationem Eccleſiam noſtram deſerunt, excommunicare excommunicatione, quæ pœnæ formam habeat: quam eiſdem fundamentis repugnat aliquem excommunicare, qui nunquam è noſtris fuit. Verum hoc à Papatu ad nos promanavit, &c.* Vide etiam Præfat. *Pag.* 24. 25. Quæ poſitio expreſſe repugnat doctrinæ Catechiſmi, quæſt. 82. dicentis: *Ideo Chriſtianæ Eccleſiæ officium eſt juxta inſtitutionem Chriſti atque Apoſtolorum ejus, hoſce* (qui confeſſione & vita ſua inſtar infidelium ac profanorum vivunt) *quoad emendationem vitæ demonſtrent, per claves regni cœleſtis excludere.* Nec non quæſt. 85. *Si admonitionem floccipendant, ab ipſis per prohibitionem à Sacramentis ex Chriſti Eccleſia excludi.* Qua de cauſa iterum miramur, quomodo Auctor ſuper ſecunda theſi, de diſciplina Eccleſiaſtica tractante, libere declarare potuerit, ipſum cum Confeſſionis ac Catechiſmi doctrina conſentire.

Synedrium Eccleſiaſticum poſt Admonitionem ſuam ſub lit. B. excerptum Synodi Nationalis adjungens, in eodem per *N. B.* aliiſque literis annotaverat, Synodum ſententiam ſuam pronunciantem, declarare, ſe hoc facere *ex Auctoritate, quam ex Verbo Dei in omnia membra Eccleſiarum ſuarum habet*: ac iterum: *ſe*

ex

ex Verbo probe edoctam de poteſtate ſibi conceſſa, &c. Unde Auctor (ſi animum ad ea adjeciſſet, vel non ignorans omiſiſſet) conſpicere potuiſſet, Eccleſias Reformatas non cenſere jus, poteſtatem, atque auctoritatem Eccleſiarum ac Synodorum aut ex naturali ſolum libertate profluere, ſive ex imperio civili, veluti hic Auctor ſtatuit; verum *ex S. Litteris*.

Inſuper ulterius notandum eſt, Auctorem verba Synedrii Eccleſiaſtici referentem, verba ejus immutare: ac quum in *Admonitione*, Pag. 529. haberetur; *quod teneantur ſuis ductoribus obedire: ni docere poſſint ipſorum judicia à Verbo Dei diſcrepare*. In *ſecunda* ſua *Apologia*, Pag. 550. (idque juxta præcedentia diverſis characteribus, quaſi Synedrii Eccleſiaſtici propria forent verba) *quum ea cum Verbo Dei non pugnare arbitrantur*. Cum tamen multum illa differant, hoc ſecum judicare; vel aliis poſſe perſuadere ſuum judicium cum veritate convenire: quæ Synedrii Eccleſiaſtici verba erant.

Pag. 551. Duobus *dilemmatibus* vel argumentis Auctor utitur. Primum hujuſcemodi eſt: *Si obligatio* (Synodorum nempe, & deciſionum illarum) *ex Fœdere atque mutua conventione inter ſingula cujusque Eccleſiæ membra paſtoresque oriatur; ergo Synedrium Eccleſiaſticum mihi adſtipulatur. Si non ex fœdere deſcendat, verum ex jure clavium: ergo Synodorum deciſiones juxta Synedrii Eccleſiaſtici fundamenta omnes homines obligant: omnesque in Synodis poteſtatem illam tenentur agnoſcere: atque ita diſcrimen inter eos, qui Synodo ſubjecti, vel non ſunt, hic non quadrat.*

Reſp. Hoc *dilemma* ſeu argumentum non procedit; quod partes ejus non è diametro oppoſitæ ſint. Obligatio enim Synodorum atque Synodalium decretorum neque omnino & ſolum ex jure clavium naſcitur; neque etiam prorſus ac omnino ex Fœdere: verum partim è jure clavium, atque Divina inſtitutione; partim ex fœdere mutuoque contractu. Synodalis poteſtas in *abſtracto* conſiderata è jure clavium profluit, ſeu ex inſtitutione Dei, qua in Eccleſia ſua conſtituit, ut mala ſeu dubia de doctrina per conjunctos paſtores ac duces Eccleſiæ, ex & juxta Verbum Dei dirimantur: *ſpiritusque Prophetarum Prophetis eſſe ſubjiciendos*, 1 *Cor.* 14: 32. Quemadmodum in Apoſtolica praxi conſpicimus, *Act.* 15: 1. 2. 22. 23. 24. 28. 29. quam Reformatæ Eccleſiæ earumque doctores pro Synodorum exemplari habent. At Synodalis poteſtas in *concreto*, ac certæ alicui perſonæ applicata, *proxime* è fœdere, mutuoque contractu ſingulorum cujuſque eccleſiæ membrorum deſcendit: per quod fœdus & contractum quis ſe membrum hujus vel illius Eccleſiæ, Claſſis, Synodique conſtituit: quum ante fœdus illud ipſi liberum erat alteri Eccleſiæ, Claſſi, aut Synodo ſe adjungere. Res optime per ſimilitudinem poterit explicari; verbi gratia, auctoritatis mariti in uxorem. Auctoritas illa *in genere ac in abſtracto* ex Dei inſtitutione oritur; Qui voluit, ut vir ſit caput mulieris; & ut voluntas mulieris viro ſit ſubjecta: verum *in concreto*, atque de fæmina quadam in ſpecie dicta; maritale illud jus naſcitur, peculiaremque matrimonii contractum pro proximo fundamento habet, quo hæc mulier iſtum virum maritum ſibi elegit, ſeque ei ſubjecit. Similiter per poteſtatem magiſtratuum in ſubjectos: Auctoritas Magiſtratuum in *abſtracto*, ac in genere à Deo atque ordinatione Divina deſcendit, *Rom.* 13: 1. verum *in concreto*, atque ad certas aliquas perſonas ſubjectoſque applicata, civilem conventionem pro proximo fundamento habet, qua quis ſe ſubmittit ac obligat huic vel illi Magiſtratui. Quemadmodum autem in præcedentibus exemplis non licet ita argumentari: *ſi poteſtas mariti in uxorem; & magiſtratuum in cives aliquatenus ex peculiari fœdere atque contractu deſcendat; ergo præcipue, omnino ac ſolum* ex

ex illis: non autem ex Dei conſtitutione. Aut vice verſa; ſi ex Divina ordinatione; ergo poteſtas viri exerit ſe ad omnes fœminas, etiam iſtas, quæ ſe illi per matrimonii vinculum non ſubjecerunt: atque poteſtas Magiſtratus ad cunctos homines ſe exerit, etiam iſtos, qui per domicilium & jusjurandum civium aut contractum eum non agnoverunt. Ergo non licet etiam ita argumentari de Synodis: ſi jus ipſarum ac poteſtas ex conventione, mutuoque membrorum contractu profluat: ergo præcipue, omnino, ac ſolum ex iſto fœdere. Vel, ſi eorum poteſtas & jus, atque eapropter obligatio illorum, qui ipſis ſubſunt, ex jure clavium ac Divina inſtitutione naſcuntur: ergo tum poteſtas, jus ac obligatio ad univerſos homines ſe extendunt; etiam ad iſtos, qui ſe illi Synodo non ſubmiſerunt, nec adſtipulati ſunt. Proptereaque diſcrimen inter perſonas, quæ obſtrictæ, vel non ſunt Synodo, optime hic quadrat. Quibus itaque primum dilemma ſeu argumentum ſolutum ac enervatum eſt.

Alterum *dilemma* hujuſmodi eſt: *Libenter etiam docerer, quodnam obligationis in decretis ſynodalibus fundamentum ſit: auctoritas nempe Synodorum, an Divina veritas, quam membra deciſiones eas continere cenſent? Primum aperte aſſerere cavebit ſibi Synedrium. Ultimo conceſſo, omnis vera obligationis poteſtas corruit, quam Synedrium Synodis adſcribit: omniaque membra ſe ſuo tantum judicio obſtringent, &c.*

Reſp. Hoc *dilemma* etiam ob eaſdem modo ante memoratas rationes omni vi deſtituitur, quod membra ejus non è diametro ſibi ſint oppoſita. Fundamentum enim ſeu ratio obligationis in decretis Synodalibus, neque omnino aut ſola eſt ſynodorum auctoritas: neve (illic eaque occaſione) prorſus ac ſola Divina veritas rerum in illis deciſionibus: verum primum alterumque conjunctum, quodque in ſuo gradu ac ordine. Primum, ſummum, præcipuum, abſolutum, & infallibile fundamentum ſeu ratio Deus eſt, Verbum Ejus, ac Divina veritas in eo revelata & contenta. Verum alterum, inferius, minus principale, dependens, limitatum atque fallibile fundamentum ſeu ratio eſt auctoritas ſeu dignitas miniſterii ductorum Eccleſiæ, Conciliorumque ipſorum, à Deo atque Chriſto inſtitutorum, per quæ Chriſti ſervi ſunt conſtituti, ac diſtributores myſteriorum Dei: præterea legati à Chriſto miſſi, ad in Ejus nomine docendum, monendum, caſtigandum: quoſque vult recipi, magni fieri, obediri ipſis, dicens *Maleach.* 2:7. *Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem ex ore ejus requirent: ipſe enim eſt angelus Dei exercituum.* Ac *Luc.* 10:16. *Qui vos audit, Me audit: & qui vos rejicit, Me rejicit, &c.* Et *Hebr.* 13:17. *Parete ductoribus veſtris & obſecundate: excubant enim pro animabus veſtris*, &c. *Matth.* 18:17. --- *Quod ſi etiam eccleſiam audire neglexerit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus.* Atque plura ejuſmodi loca, de dignitate miniſterii Eccleſiaſtici, miniſtrorum ac Eccleſiarum tractantia. Quibus itaque etiam alterum *dilemma* ſolutum eſt: atque ita omnes illæ incommoditates corruunt, quas Auctor inde inferre volebat. *Primum*, inquit Auctor, *Synedrium omnino effugiet palam aſſeverare.* Non veremur id cum ejuſmodi limitatione affirmare, quam modo diximus: nimirum eſſe minus principale, fallibile, dependens à primo, juxtaque idem limitatum, &c. ac proinde non ulterius nec diutius durare, quam miniſtri & Eccleſiæ primum illud atque principale fundamentum ſive rationem obligandi, S. nempe Paginam & veritatem ſequuntur conſervantque; ac ſe pro fidelibus paſtoribus gerunt. *Poſteriori admiſſo*, inquit, *omnis vera poteſtas & obligatio concidit, quas Synedrium Eccleſiaſticum in Synodos transſcribit: atque omnia membra ſe ſuo ſolummodo judicio obſtringunt.* *Reſp.* Nullo modo: Homines enim obligati manent ad creden-

dendum ac obediendum Divinæ veritati, in Verbo ejus patefactæ, atque per Synodos ut Dei miniſtras, & ductrices Eccleſiæ ſuæ, ſecundum Dei conſtitutionem, ipſis propoſitæ atque injunctæ. Atque licet *hinc* cœca obedientia non debent ſe duci ſinere; verum inquiſitione, probatione, judicio præcedentibus judicium ſit ferendum: ita vice verſa *illinc*, ſi forte contingat, ut Divinam veritatem non viderent nec caperent; ſed errante conſcientia perverſe de ea judicarent, veritas nihilominus manet veritas, ejuſdemque dignitatis atque auctoritatis: & idcirco homines ad fidem atque obedientiam obligat; ac errantes tenentur erroneam ſuam conſcientiam opinionemque deponere, ac Ductoribus Eccleſiæ Dei, qua miniſtris illius veritatis, licet eandem ignorantibus atque errantibus non ſolum proponere: verum etiam in nomine Dei Chriſtique præſcribere & injungere. Et ſi errantes pertinaciter in infidelitate atque contumacia ſua perſeverent, eos eccleſiaſtica cenſura notare, ac velut hæreticos rejicere, ſecundum Textum *Tit.* 3; 10. Ac proinde falſum eſt, quod Auctor dicit: *Poſteriori poſito, omnis vera obligationis vis corruit, quam Synedrium Eccleſiaſticum Synodis adſcribit: omniaque membra ſe tantum ſuo judicio ligant.*

Pag. 551. ait Auctor: *Quantum ad quartam theſin attinet; exercitium nimirum Papiſticæ Religionis ex neceſſitate illæſa conſcientia licitum eſſe tolerare: Synedrium teſtatur ſe mecum opinionem illam approbare.*

Reſp. Ad quartam poſitionem Synedrium in Libello ſuo Supplici annotaverat: ſecundum ſententiam Auctoris, *Magiſtratum N. B. ſolum ex civilibus rationibus, non vero conſcientiæ, ſeu mandato Divino teneri, idololatriam Papatus civilibus pœnis ac viis coërcere & inhibere.* Verum quum Auctor in *prima* ſua *Apologia* prædictam theſin reſtringeret & molliret, ac diceret ſe hoc tantum affirmaſſe *in caſu neceſſitatis*: Synedrium excuſationem iſtam eatenus admiſit; ſed neutiquam poſitionem, quam Auctor in *Tractatu* ſuo *de Idololatria* defendit: ibi enim docet Magiſtratum non obligari Pontificiam idololatriam civilibus pœnis cohibere: quod illa *cum ejusmodi malitia* non ſit conjuncta, quæ civilem pœnam mereatur.

Pag. ead. De eadem materia etiamnum diſputans, inquit Auctor: *Eſt iterum hic quod conquerar, Synedrium verba mea mutilare, eaque non allegare, quæ clare indicent, me in illa non eſſe opinione, quum à quæſtione diſcedens dico: verum quum res ad me non pertinet, ſupervacuum eſt me ſententiam horum (qui prædictam opinionem tuentur) rationibus conari adſtruere. An apertius loqui poſſumus*, inquit Auctor, *ad demonſtrandum nos nullum cum ea ſententia habere commercium? &c.*

Reſp. Modus iſte loquendi non clare id indicat: verum contra magis iſtum, qui ſic loquitur, ab illa non eſſe alienum, ſaltem eam probabilem ducere. Verbi gratia, finge aliquem, de ſcortatione verba facientem, dixiſſe: *ſed fac me eſſe in opinione eorum, qui arbitrantur ſimplicem ſcortationem non eſſe peccatum; an is error tantus eſt?* Ac quæſtioni finem imponentem, orationem ſuam hiſce verbis concludere: *ſed quum res me non ſpectet, non opus eſt ſententiam talium virorum (qui præmemoratam opinionem propugnant) rationibus adſtruere.* Quid videtur, an hujuſmodi vir evidenter demonſtraret, ſe nihil commercii ea cum opinione habere? An potius ſe aliquatenus iſti addictum eſſe; ſaltem pro probabili habere.

Pag. 552. Auctor falſum eſſe dicit, ipſum negare; *Munus Prædicandi peculiarem eſſe Dei Chriſtique inſtitutionem; juxtaque illam ſolis Paſtoribus competere Verbum Dei annunciare, ac Sacramenta adminiſtrare.*

Reſp. Si Auctor neget hoc, bene ſe res ha-

habet, ac exhilaramur ob declarationem iſtam: verum in ipſius præcedentibus Tractatibus ac ſcriptis loca & poſitiones reperiri, quæ eo tendant, breviter ex excerptis à nobis allegatis, ac latius ex ipſis Tractatibus cognoſci poteſt.

Pag. 552. inquit Auctor: *quod univerſum miniſterium Eccleſiaſticum, regimen, poteſtatem ac pœnam Eccleſiæ ſubtraham, & civilis imperii propria faciam: partim ambiguum eſt, partim à vero alienum. Partes atque officia eccleſiaſtici regiminis omnino Eccleſiæ tribuo, ac in ea relinquo; nullamque prorſus ipſi adimo: verum cenſeo Magiſtratibus licere ad illa munera ac miniſteria in publica Eccleſia quoſdam delegare; & presbyteros atque Eccleſiæ rectores creare, &c.*

Reſp. I. An non omnia illa tollit: quin imo univerſum ſtatum, naturam & proprietatem Eccleſiæ, quum ipſam ſtatuit politicam eſſe ſocietatem, ſicut alia collegia, &c. Vide *Tractatum* de *Munere Paſtorali*, Pag. 359. & 361.

II. Quapropter quum dicit, *ſe partes officiaque omnino Eccleſiæ tribuere, inque ipſa relinquere*; nihil prorſus dicit, aut concedit: Eccleſia enim ex illius opinione pars eſt imperii civilis.

III. Aſſerit Magiſtratibus licitum eſſe ad illa miniſteria quoſdam delegare, & presbyteros rectoreſque eccleſiæ conſtituere (hoc etiam ad Paſtores extendens Pag. 553.) atque ita expreſſe communi noſtræ Confeſſioni adverſatur, dicenti Art. 31. *Credimus Verbi Divini miniſtros, ſeniores & diaconos ad munera ſua legitima eccleſiæ electione eſſe eligendos, cum invocatione Divini Nominis, & bono ordine, prout S. Scriptura docet.* Imo alibi dicit ac ſtatuit, Magiſtratibus etiam ſemetipſos eo licere delegare, aut illa munera ſibi reſervare, ac per ſe adminiſtrare atque exequi, quæ alioquin plerumque aliis injungunt, inquiens, *Pag.* 502. *primæ Apologiæ. Qui negari poteſt Eccleſiaſticum regimen, prædicto modo Magiſtratibus competere, ipſoſque munia presbyterorum ac Eccleſiæ Rectorum poſſe ſuſcipere. Aut quando ob certas rationes diſplicet ipſis per ſe munera iſta capeſſere, aliis illa committere.* Atque ibid. Pag. 504. *Et cum Reip. Rectores id faciunt, & gubernationem eccleſiæ in ſe ſuſcipiunt, ac ſemetipſos delegant, vel permittunt, ut rectores & Eccleſiæ ſeniores conſtituantur: tunc etiam in ſpecie ſunt ſeniores atque præpoſiti Eccleſiæ, &c.*

Aſſeverationem ſuam, Magiſtratibus nempe jus ac poteſtatem eſſe paſtores creandi, aut ad miniſteria ea delegandi, eo loco probare ſtudet praxi Nob. Pot. hujus Provinciæ Ordinum: *qui* (ut ipſe inquit) *omnes Paſtores in agris ad concionandi munus conſtituunt; ac ubi jus Patronatus viget*, ait ille, *domino jus eligendi competit: atque Eccleſia ad munus illud nihil aliud confert, quam externam cæremoniam impoſitionis manuum, &c.*

Reſp. I. Hæc conſequentia, ipſiſmet Remonſtrantibus judicibus non probaretur, ut patet ex Tractatu *Utenbogardi de Imperio Summarum Poteſtatum*, dicentis, *Pag.* 125. *Licet Princeps ſummam poteſtatem habeat circa ſacra: non tamen idcirco poteſtas illa ſubalternis minoribus Magiſtratibus competit aliter, niſi ſpeciali mandato, aut generali lege ſupremæ Poteſtatis: ſed utrique, Paſtores in Eccleſiaſticis, ac ſubalterni Magiſtratus in civilibus collaterales cenſendi ſunt ſubeſſe Summis Poteſtatibus.*

II. Mentem, ut videtur, intendit in litteras Mandati, quas Nob. Pot. Ordines hujus Provinciæ dant Paſtoribus in agris: in has vox *committere* influit. Sed ad hoc quod attinet, ſciendum eſt epiſtolam iſtam ex Remonſtrantium temporibus reliquam eſſe, quum vocationes tam in Urbe & oppidis, quam in agris hujus Provinciæ alio omnino modo fierent, ut videre licet ex ordine eccleſiaſtico anni 1612. Quæ forma vocationis, atque ſecutarum literarum mandati, quantum ad creationem paſtorum attinet,

per

per poſteriorem & meliorem ordinem Eccleſiaſticum à Nob. Pot. Ordinibus approbatum ſancitumque, abrogata *eſſe putandum* eſt: quoniam juxta noviſſimum Eccleſiæ ordinem anni 1619 Nob. Pot. Ordines nihil amplius exigunt nec uſurpant, quam mutuam concordiam circa vocationes, & approbationem ejus modo ibidem expreſſo; Eccleſiis ſynedriiſque nominatione atque electione libera relictis.

III. Quantum ad *jus Patronatus*; Reformatæ Eccleſiæ illud non probant, verum reſtringunt, quatenus poſſunt: & Deputati Synodi Nationalis in interpretatione ſua ad 5. Artic. ordinis eccleſiaſtici in eo requirunt, *ut iſti eccleſiæ jus electionis ſalvum maneat, ac legitima repudiatio.* Quapropter Auctor hic male diſputat: ubi jus Patronatus viget, *eccleſiam ibi ad omne illud miniſterium nihil aliud conferre, quam externam impoſitionis manuum cæremoniam.* Nam etiam illic, quanquam patrono jus ſit præſentandi perſonam, eccleſia tamen jus vocationis habet, veluti quotidiana experientia docet atque confirmat.

Pag. 553. inquit Auctor; *Paſtoribus etiam miniſterium Verbi Divini reſervo, jus claudendi reſerandique cœlum, ac idcirco poteſtatem utriusque clavis.*

Reſp. Omnibus notum eſt, Catechiſmum & communem doctrinam duas claves regni cœlorum ſtatuere, nimirum, *prædicationem S. Euangelii, & Chriſtianam excommunicationem, ſeu excluſionem ex Chriſtiana Eccleſia*: & utramque illarum clavium duplicem operationem habere; claudendi nempe, ac recludendi. Auctor contra ex gemina prioris clavis operatione duas cudit claves: quemadmodum etiam *Pag.* 548. facit, ajens: *concedo alioquin, in eccleſia miniſterium eſſe inſtitutum, quo præceptis, admonitionibus, pollicitationibus ac minis, ex Verbo Dei petitis homines ad obedientiam mandatorum perducantur. Ac in iis conſiſtit jus utriuſque clavis, quod eccleſiæ non eripio.* Tacitè ita alteram clavem auferens, excommunicationem nempe, ſive excluſionem ab eccleſia: ſicut etiam evidenter facit in *Præfatione* ſui *Tractatus*, *Pag.* 10. dicens, ſe *nullam excommunicationem agnoſcere, quæ cum* auctoritate, *niſi per judicem fiat; nullas claves niſi doctrinæ.* Et nihilominus Auctor iſte aſſeverat *Pag.* 552. ſe *putare nihil in Libro ſuo propoſuiſſe, quod cum Confeſſione pugnaret.*

Verum quidem, ipſum in Eccleſia, quum ut civilis ſocietas conſideratur, vi naturalis corporaliſque juris, ac cujuſdam fœderis & mutuorum promiſſorum, poteſtatem atque jus agnoſcere puniendi abſcindendique immorigera membra ſuæ Societatis, Præfat. *Pag.* 21. Verum de excommunicatione verba faciens, quæ in Eccleſia, qua eccleſia, exiſtit, ſpiritualis juris vi, ac divinæ inſtitutionis; non illam *in excluſione ex Chriſtiana Eccleſia per prohibitionem à Sacramentis* collocat, quemadmodum Catechiſmus ac doctrina Reformatæ Eccleſiæ ita ſentiunt: ſed in nuda *improborum ac immoderatorum vitatione, atque in ſuga omnis cum illis commercii: atque id eo demonſtrare, quod nolimus cum ipſis Sacramento unitatis uti.* Tract. *Pag* 489. ac *Præfat. Pag.* 14. & 15.

Pag. 523. Auctor ait: *In Apologia mea à Synedrio petii, ut mihi plura, quam duplex imperii genus (alterum quod in conſcientias vim ſuam exerit, & ſpirituale eſt: alterum quod civile ſit, ac verſetur circa res, de quibus contrahere licet) monſtraret. Sed Synedrium in hac ſua Admonitione; quum hoc ipſis concedendum vel negandum fuiſſet, & probatio ejus ſuſcipienda, declinat illud, &c.* Vide etiam *Pag.* 543 & 544. ubi idem ferme dicit.

Reſp. Iſtius diviſionis, num duplex, an triplex imperii genus ſtatuendum ſit, ratio hic non habenda: re conceſſa (ut Auctor ſe facere profitetur) de duplici vel triplici diviſione Synedrium non contendet: ſed Auctori concedet, duas tantum

tum imperii formas dari; unam ſpiritualem; alteram autem civilem: ea conditione; ſi prior, ſpiritualis nempe, ſubdividatur in duas ſpecies, ſeu partes, aut operationes; quarum prima mere ſit ſpiritualis, interna, ac in conſcientias imperium exercens; quod ſoli Deo Chriſtoque competit: altera in miniſterio conſiſtat, in diſpenſatione externorum mediorum, & uſu clavium regni cœleſtis circa conſcientias; quæ ad primam relationem habet, ipſi ſubordinata ſit, eidemque ſerviat: quam Deus Eccleſiæ ducibus commendavit, ac Confeſſio noſtra hanc ſpiritualem politiam ſeu imperium appellat.

Pag. 555. Auctor inquit; *nam quamvis ipſis Magiſtratibus prædicare, neque S. Sacramenta adminiſtrare liceat: tamen officium & jus eſt Magiſtratuum curare, ut Verbum Divinum pure prædicetur, atque S. Sacramenta pure atque ex Dei præſcripto adminiſtrentur, juxta Artic.* 36. *noſtræ Confeſſionis, &c.*

Reſp. I. Auctor dicit hic; *Magiſtratibus per ſe non licere Euangelium annunciare, nec S. Sacramenta adminiſtrare.* At in prima ſua Apologia *Pag.* 502. & 504. inquit, *illos etiam ſemetipſos ad Eccleſiaſtica munera officiaque* (Prædicandi munere non excepto) *delegare poſſe*: ut ſuperius etiam dictum eſt: quî conciliabit hæc?

II. Magiſtratuum, qui Chriſtianam Religionem profitentur, & nutritii Eccleſiæ Dei ſunt, *officium eſſe, non ſolum curare & vigilare pro imperio ſeculari: verum etiam S. Miniſterium Eccleſiaſticum protegere: ac omnem idololatriam ac falſum Dei cultum prohibere & evertere, regnum Antichriſti extirpare, Regnumque Chriſti propagare; operam dare ut Verbum Divinum ubique prædicetur; ut Deus à quovis honoretur ac colatur; ut in Verbo ſuo imperat*, juxta 36. Artic. noſtræ Confeſſionis, libentes concedimus; atque optamus, ut in id incumbat. Qui opinionem Reformatorum Theologorum latius cognoſcere deſiderat de quæſtione; An, ac quomodo, ſacrorum cura Magiſtratui competat, is legat *Apoll. de jur. Majeſt. circa Sacra, part.* 1. *ſect.* 1. *Cap.* 3. & 4.

Pag. 555. inquit, *Quod porro Synedrium ad facti ſui excuſationem, librique mei condemnationem me non audito allegat, nunquam ullam ſententiam de me eſſe latam: verum tantum quaſdam poſitiones, quæ offenſioni poſſent eſſe, annotatas, quæ in Tractatu contentæ reperiebantur. Hæc magis joca eſſe, quam ſeria videntur. Quis hujusmodi excuſationem pro legitima admittere poterit?*

Reſp. Synedrium non ſolet in rebus ſeriis jocari. In eo pronuntiavit ex animi ſententia; atque etiam, prout juxta rationem cenſet, *directe* tantum judicium tulit de theſibus, quas in libro comprehenſas eſſe inveniebat: ſin autem illud per obliquum, vel per conſequentiam, etiam perſonam ejus tangat, probe id percipit, verum cavere id nequit; ac arbitratur id fieri *per accidens*: atque putat hanc excuſationem apud omnes prudentes, aut aliquorum partibus non addictos, valituram & admiſſum iri.

Pag. 556. ait Auctor: *Vellem Synedrium Eccleſiaſticum ſimili modo omnibus iis, quæ à me in Apologia mea ad rem pertinentia allegata ſunt, reſpondiſſet. Verum inter alia multa, quibus nihil repoſuit, cuncta illa prorſus præterit, quæ per formam retorſionis ipſis impegeram de multiplici uſu in factis, doctrina, concionibus, & ſcriptis Synedrii Eccleſiaſtici, aut membrorum ejus contra Confeſſionem noſtram, communemque Eccleſiarum ac Theologorum opinionem: & ſpeciatim de concione iſtius Paſtoris, qui clare adeo Magiſtratibus omnem circa ſacra poteſtatem eripit, &c.*

Reſp. Synedrium in Admonitione ſua cauſam allegavit, quare multa in Apologia prætermiſerit, nec refutaverit; *nonnulla* nimirum, *quod cenſebat, ea ad præcedentem ſuum Libellum Supplicem non ſpecta-*

ſpectare: alia autem, quia ſolum offenſioni forent, vel vindictam aut morum acerbitatem olerent. Atque hoc etiam in hiſce imitatur: nec non in ſpecie quantum ad illa, quæ Auctor jam iterato ex quadam Verbi Divini Miniſtri concione notat, facta de jure ac cura Summarum Poteſtatum circa Sacra: atque *D. Gentmanni* poſitione de Cœna Domini: quia *particularia* ſunt, quæ ſpeciales reſpiciunt perſonas, quarum defenſio huic communi non convenit ſcripto, atque id mole nimium aggravaret: neutiquam autem, quod cauſæ diffidant: quolibet eorum Fratrum, ut hac occaſione offerunt, parato, ſuam ſententiam contra quemvis tueri, ſive is ſummi, ſeu imi ſit ſubſellii, cui dubium aliquod vel ſcrupulus iſtis de rebus oboriretur, jam, aut poſthac.

Pag. 557. inquit Auctor: *Quocirca præſentem hunc agendi modum ſolum ut fructum exiguæ charitatis nonnullorum Synedrii Eccleſiaſtici membrorum erga me interpretari queo, &c.*

Reſp. I. Synedrium in priori Admonitione Deum cordium ſcrutatorem teſtatus eſt, *ſe neque ira, nec vindicta, neve contentionis ſtudio, ullave carnali paſſione vel conſideratione eo impulſos fuiſſe: verum ſolum ad doctrinam ac ordinem Eccleſiæ à violatione conſervanda:* atque hoc etiamnum facit. Si hoc Auctori non ſufficiat, non noſtra eſt culpa, nec majus quid præſtare poſſumus.

II. Ut Auctor judicium & querelam Synedrii Eccleſiaſtici de poſitionibus ejus ſuſpecta reddat, iiſque vim adimat, huic operi nomen atque ſpeciem dare ſtudet, quaſi odii peculiariſque vindictæ quorundam Synedrii membrorum erga perſonam ipſius fœtus erat. Contra quæ non ſolum præcedens tam ſolennis ac ſeria proteſtatio à Synedrio conjunctim, ac ejus membris ſingulatim facta, atque hic iterum repetita ac renovata, militat, quod ſolum ſufficere debet; ſed inſuper non ignorandum eſt, omnia, quæ hac de re à Synedrio conſcripta remonſtrataque ſunt, tam unanimi totius collegii conſenſu facta eſſe, ut, veluti ſupra dictum eſt, una tantum ſententia diſſenſerit. Nec ſoli Synedrio Ultrajectino poſitiones iſtæ offenſioni ſunt: verum idem etiam tres reliquæ iſtius Provinciæ Claſſes faciunt; idemque etiam de Tractatu hujus Auctoris, cui titulus eſt *Munus Paſtorale*, jam abhinc aliquot annos Meridionalis ac Borealis Hollandiæ Deputati fecerunt: & Synedrium Ultrajectinum pro certo novit, cunctas Claſſes Synodosque fœderatarum noſtrarum Provinciarum idem facturas: quinimmo univerſas totius Chriſtianiſmi Eccleſias, ad quarum judicium libenter hac in re provocant ac ſe referunt. Et propterea Auctor hanc culpam ſine ulla ratione in nonnulla Synedrii Eccleſiaſtici membra confert, ut eo factum, uti dictum, ſuſpectum redderet.

Pag. 555. 557. 559. aliiſque locis Auctor de defectu charitatis & moderationis in Synedrio queritur, ipſiſque odium atque vindictæ cupiditatem contra ſuam perſonam objicit.

Reſp. Utrius ſcripta prædictis virtutibus careant; aut contra modo dictis vitiis, paſſionibus, conviciis ac ſcommatibus abundent, cujuſvis judicio permittimus.

Pag. 559. Auctor dicit; *& à Theologis quibusdam tam abſurda fundamenta locantur, &c.*

Reſp. A Reformatis Theologis non tam abſona fundamenta Dei gratia ponuntur, quam quidem ab *Hobbeſio*, ejuſque ſectatoribus, ex quorum principiis multæ periculoſarum harum theſium nobis naſcuntur: quæ ſi obtineant, Eccleſiam & Rempub. non parum commotturæ videntur. Dominus Deus noſter protegat nos ab aliis, quæ in illius viri ſcriptis reperiuntur, ac præſertim in Libro, cui titulus eſt *Leviathan*, quas Deputati Synodi anno 1667. per excerpta Nob.

Pot. hujus provinciæ Ordinibus indicarunt, atque idcirco prohibitionem illius libri petierunt. Qui Auctor ob horribiles ſuas theſes in ipſis patriæ ſuæ Academiis jam fœtere & reprobari incipit; quemadmodum nuper ex quadam *revocatione* & *recantatione* alicujus ex diſcipulis ejus conſpeximus, typis vulgata.

Specialibus iſtis, quæ Auctor acerbo ſtylo *Pag.* 560. proponit ob rationes ſupra memoratas, ac quod judicet, Vobis, Ampl. Viri, ingrata futura, ſi iterum excitentur, quæ tam diu jam ſepulta fuerunt, atque ea neutiquam ad tranquillitatem ac pacem Eccleſiæ Reipublicæque fore. Unum tamen præterire nequit (utinam Auctor aſpera ſua exprobratione hoc nobis non extorqueret!) Auctorem nempe affirmare, Nob. Pot. hujus Provinciæ Ordines, ac Vos, Nob. Ampl. Viri, Præcones Verbi Divini, quos Urbe provinciaque juſſiſtis cedere, pro ſeditioſis ejeciſſe, &c. atque eapropter Synedrium Eccleſiaſticum accuſare, quod ejuſmodi perſonis *authenticum dederit teſtimonium, ipſos eſſe probos & zelo Dei ductos viros, quique ſe fideliter in officio ſuo geſſerint.* Quum tamen ex *Actis*, quibus paſtores illi juſſi ſunt excedere, illud non pateat; at conſtet iſtis Verbi Divini miniſtris nullo *procedendi* modo, delictorum ac criminum accuſatione, atque præcedenti ob ea condemnatione, exceſſum ex urbe eſſe injunctum: ſed *modo politico*, ſine ulla cauſarum expreſſione, niſi in hiſce terminis generalibus, *ob rationes nos ad illud commoventes*: quale mandatum, ſubſecutuſque diſceſſus quum judicio omnium peritorum juriſconſultorum atque politicorum neminem *infamem reddat*; ſed requiſita ad omnia munera ac officia conſervet: & quum viri illi eo tempore apud nulla Ordinum collegia, aut hujus Provinciæ Magiſtratus, de ullo *crimine*, nec etiam in ſpecie de *ſeditione* inſimulati, multo minus condemnati erant; illius temporis Synedrium cenſebat, ſe nulla ratione impediri, quare perſonis illis non fidele teſtimonium perhiberet.

Quum anno 1589. Ultrajectini Magiſtratus omnibus concionatoribus urbanis munus ſuum abrogaſſent, cum mandato, ne amplius in Urbe, aut territorio ejus conciones haberent, *ob rationes quæ Curiæ Urbanæ Aſſeſſores eo impellerent*; ſine ullis aliis rationibus: nihilominus non ſolum Eccleſia & Claſſis ipſis fidele largiti ſunt teſtimonium: verum ipſemet Conſul *Theodorus Canterus*, aliique Domini, qui tum temporis utriuſque Curiæ Senatores erant, veluti *Utenbogardus* commemorat in Vita ſua, edita in quarto, *Cap.* 1. *Pag.* 10. 11. 12. 13.

Itaque omnium prudentium judicio committimus, an Auctori huic ratio fuerit id Synedrio Eccleſiaſtico poſt tot annos tam contumelioſe objiciendi. Quin immo arbitramur, quamdiu Auctor crimen ſeditionis, quod hoc loco concionatoribus iis impingit, nulla ſententia Ordinum, ſive Magiſtratuum hujus Provinciæ probet, quemadmodum noſtra quidem opinione nunquam probaturus eſt, ipſum viros illos magna injuria afficere.

Pag. 560, 561. Auctor inquit; *Quod ad editionem Apologiæ meæ attinet: hoc non factum eſt, antequam Synedrii Libellus Supplex typis vulgatus eſſet.*

Reſp. Quaſi Synedrium præiviſſet Libellum ſuum Supplicem typis committendo: quum tamen Synedrium hic proteſtetur, nec *per ſe*, neque *per alios* Libellum ſuum Supplicem prælo commiſiſſe; verum hoc ipſis omnino inſciis contigiſſe: quum Auctor Apologiæ ſuæ impreſſionem ipſemet procuraverit, ac etiam ante Libellum Supplicem cœpta ſit imprimi, licet uno propemodum tempore lucem adſpexerint: quod Auctorem non ignorare putamus.

Pag. 561. inquit Auctor: *An omnia Eccleſiaſtica concilia, tum hujus, tum*

tum aliarum provinciarum, idem cum Synedrio judicatura ſint, tempus docebit, &c.

Reſp. Tempus jam id docuit: anno enim 1665. Auctoris Tractatus de *Munere Paſtorali ac jure Eccleſiæ* à Deputatis Synodorum Meridionalis & Borealis Hollandiæ jam condemnatus eſt. Atque noviſſimus hic de *Idololatria ac Superſtitione* liber ab omnibus tribus hujus Provinciæ Claſſibus reprobatus eſt, ut apparet ex ipſarum conjuncto libello ſupplice, conſcripto, ut Nob. Pot. hujus Provinciæ Ordinibus porrigeretur, quo petunt ut prohibeatur.

Pag. 561. Auctor dicit: *A tribus accuſationibus (ut ſuperius narravi) Synedrium Eccleſiaſticum reſilit, &c.*

Reſp. Neutiquam ab accuſationibus in primis ſuis poſitionibus allatis Synedrium recedit, ut ex priore, & ſequenti hac Admonitione patet.

Ut ergo concludamus, Synedrium cenſet, ſeſe priori, ac poſteriori hac Admonitione poſitiones in Libello ſuo Supplice contentas, copioſe explanaſſe, eaſque ab exceptionibus Auctoris vindicaſſe, non animum inducens pluribus hinc inde ſcriptis ulterius ea in re procedere, niſi ob magnas rationes: cauſam porro Veſtro, Nob. Ampl. Viri, omniumque prudentium judicio committens. Atque inhærens ſummæ poſtulatorum præcedenti noſtro Libello Supplice & Admonitione facta, etiamnum rogat, ne Vos, Nob. Ampl. Viri, ſpecioſo prætextu hujuſmodi ſcriptorum *ſeducamini*, nec per ipſorum invectivas incitemini, ad Eccleſiam odio proſequendam; & ipſorum fideles monitiones ad ſalutem & conſervationem communis doctrinæ ordinisque factas reſpuendas: verum contra ut juxta ſeriam ac ſinceram proteſtationem Synedrii omnem candidam ὁμόνοιαν, officiaque ab ipſo exſpectetis. Hiſce finientes Veſtrum, Nob. Ampl. Viri, imperium perſonaſque Deo ac Verbo gratiæ ſuæ commendamus, qui Vos atque nos in ſancta ſua veritate ducat & confirmet. *Amen.*

TER-

TERTIA
APOLOGIA
Pro TRACTATU De
IDOLOLATRIA
ET SUPERSTITIONE,
Qua reſpondetur
SECUNDÆ ADMONITIONI
VENERANDI
SYNEDRII BELGICÆ ECCLESIÆ ULTRAJECTINÆ.

Nobiliß. Ampliß. Viris D. D. Conſulibus ac Senatoribus Urbis Ultrajectinæ.

QUoniam Veſtrum, Nob. Ampl. Viri, placitum fuit, ut exemplum Reſponſionis meæ ad Libellum Supplicem Venerandi Synedrii ad idem Synedrium mitteretur; utque ea etiam, ad operæ parcendum, prælo committeretur: quumque etiam Synedrium præ ſe ferat per miſſionem narratorum exemplorum ſe ad reſponſionem fuiſſe adactos, non ex privato meo facto aut inſtituto manat, quod in Veſtro, Nob. Ampl. Viri, Collegio hæc ſcripta hinc inde, forte ad nauſeam uſque exhibeantur; verum æquitas Veſtra hanc mihi legem impoſuit: noluiſtis enim de ſcriptis meis Apologeticis decernere, antequam Synedrio, cujus etiam intererat, ea communicata eſſent. Itaque Synedrium mihi vitio dare non poteſt, (ut tamen facit) quod Apologiæ meæ in lucem ſint editæ: nec mihi adſcribere, per factam ſcriptorum meorum communicationem, me ſcriptis hiſce mutuis occaſionem præbuiſſe.

Major tamen ratio eſt putandi iniquitatem Synedrii locum dediſſe edendi hæc mutua ſcripta: noluit enim claris locis Tractatus mei de *Idololatria* ac *Superſtitione* æquum,& ſcopo atque inſtituto meo convenientem ſenſum tribuere, quemadmodum illa eo animo in nominato Tractatu propoſueram, idque magnis aſſe-

aſſeverationibus proteſtatus eram, me eo ſenſu in Libro meo illis uſum eſſe, quemadmodum in prima mea Apologia iſta explico, & profiteor. Sed difficile eſt cum ſemel cauſam aut ſpem ingreſſus fueris, illam deſerere, præſertim cum agitur de æſtimatione atque honore.

Verumtamen gratum mihi videre eſt, quod, quæ per ingenuam Venerandi Synedrii confeſſionem impetrare non potui, veritas ea ipſis extorſerit: ac jam nullam alia de re controverſiam inter ipſos & me reſtare intelligam, niſi de *poteſtate & auctoritate Doctorum, Synedriorum Eccleſiaſticorum, Claſſium atque Synodorum in quæſtionibus fidei decidendis.*: ac quatenus *a* t *cuncti omnino homines ſimul, aut ſinguli quæque ſuarum Eccleſiarum, Claſſium, aut Synodorum Membra deciſionibus & doctrinæ ductorum Eccleſiæ, tam Præconum Verbi Divini, quam ſeniorum (ex quibus modo dicta Collegia conſtituuntur, & quorum nulli ſtudio Theologico operam dederunt, & maxima eorum pars, non dico labiis ſed nec digitis ullum diſciplinæ genus attigerunt) obſtringantur.*

Quintum accuſationis ſuæ articulum in Libello ſuo Supplice propoſitum Synedrium jam in *Admonitione* ſua non amplius urſit, quum inquit, de crucibus in ſepulchris erigendis verba faciens; deque re aliqua ſigno crucis benedicenda: *Quantum ad limitationes atque reſtrictiones, quas Auctor excerptorum ex Libro ſuo profert, illæ meam cauſam ex ſententia Synedrii culpa liberare nequeunt: ac poſitiones ab offenſione abſolvere,* Pag. 530. *Admonitionis*; nulla ratione addita, quamobrem reſtrictiones iſtæ limitationesque meam innocentiam non probent. Quare in ſecunda mea *Apologia* Synedrium provocavi, ut indicaret quid deeſſet: quibus quum Synedrium in ſecunda ſua Admonitione nihil repoſuerit; major mihi ratio nata eſt ad dicendum, Venerandum Synedrium criminationem illam miſſam facere, utpote ratione non firmatam: quod facile contingit, ubi judicium præcipitatur, & affectibus indulgetur.

Quod ad tertiam accuſationem attinet, *quæ ſpectat permiſſionem Papiſticæ ſuperſtitionis & idololatriæ citra neceſſitatem, &c.* de ea Synedrium in ſecunda ſua *Admonitione* Pag. 569. fatetur, me id non docuiſſe: verum me proponendo opinionem illorum, qui eam propugnarent; ac ſimul inde recedendo, ut aliquem, qui errorem iſtum non magni faceret, *ab opinione ejuſmodi non alienum videri; ac rem ducere probabilem.*

Concedit ergo Synedrium, me illud non tradidiſſe. Longiſſime enim diſtant aſſentiri alicui opinioni, vel negare eam, nec tamen errorem illum gravem ducere. Profecto multi majorum noſtrorum initio noſtræ Reformationis, *temporibus perſecutionum*, & cum Magiſtratu ſibi adverſario & offenſo uterentur; cenſebant, Summis Poteſtatibus profeſſionem diverſarum Religionum, ex jure & æquo ſine offenſione animi licere permittere; eo fundamento, ad ſimulationem quidem homines cogi poſſe, non autem ad religionem. Nec Deum à Principibus exigere, ut errantes ſine malitia, & qui à turbanda Republica abſunt, (de ejuſmodi enim erroribus, ita conſideratis, hic diſputatur) punirent, aut homines idcirco moleſtia afficerent. An hoc autem tantum crimen eſt, quod non alienus ſim ab ea opinione? Ac an Venerandum Synedrium arbitratur ſibi cauſam ſatis juſtam eſſe, Nob. Ampl. hujus Urbis Rectoribus Libellum ſuum Supplicem ſuper eo porrigendi?

Quod ad duas priores accuſationes; me nempe aſſeverare, *publicum prædicandi munus & Sacramentorum adminiſtrationem à quovis, qui modo aptus ſit, exerceri poſſe: nec ullum eccleſiaſticum regimen aut pœnam dari: ac univerſum Eccleſiæ imperium Magiſtratibus competere*: illæ jam in eo conſiſtunt, ut uterque agnoſcamus, nullam peculiarem, multo minus *Leviti-*

.*am* aliquam aut cæremonialem ſanctitatem ante omnia in Ductoribus Eccleſiæ ſub Novo Fœdere requiri. Eatenus omnibus Chriſtianis *facultatem* & *qualitatem* ineſſe,ut Eccleſiæ Ductores fiant. Eccleſiaſticorum miniſteriorum inſtitutionem à Deo procedere: miniſteria illa non ex jure naturæ deſcendere, nec etiam ex civilis imperii natura: Eccleſia enim Chriſtiana, qua Eccleſia, non oritur ex ſtatu naturali aut civili hominis, ſed ex cultu inſtituto & revelato. Communem iſtam facultatem & qualitatem Chriſtianorum, ut creari poſſint Eccleſiæ ductores, miniſteriaque eccleſiaſtica celebrare, reipſa Chriſtianos aptos non conſtituere ad eorum officiorum adminiſtrationem, niſi per legitimam ad iſta vocationem. Quemadmodum communis facultas ac qualitas incolarum cujuſdam urbis, ad imperium in populares ſuos, vim ſuam obtinere, nec ad jus re ipſa imperandi extendi poteſt, quam per legitimam vocationem.

In Venerandi Synedrii Admonitione apparere videbatur, quaſi nonnulla mihi controverſia cum eo futura fuiſſet circa *ſanctitatem*, quam ex ordinatione Dei naſci putabat; ac objectum, circa quod eccleſiaſtica ea officia occupantur. Sed quoniam in ſecunda mea *Apologia* dicebam in adminiſtratione iſta nullam aliam ſanctitatem (ſi illam ita velimus appellare) me poſſe percipere aut ſuſpicari, niſi eum Chriſtianum, qui ad munus aliquod Eccleſiæ vocatus eſt, quod ex Divina inſtitutione originem habet, (quemadmodum univerſa Chriſtiana Religio proxime à Deo ortum habet) vocatione illa poteſtatem ac auctoritatem acquirere ad eccleſiaſtica munera capeſſendum: ideoque illum officii iſtius ratione acriter incitari debere, ut pietate & vitæ ſanctimonia exemplo ſit plebi. Video Synedrium in *ſecunda* ſua *Admonitione* de ſanctitate Paſtorum & ductorum Eccleſiæ porro ſilere. Atque ita mihi credendum eſt, nos in hac quæſtione etiam convenire.

Solum hæc controverſia reſtat, penes quem proprie jus ſit vocandi: vel cui poteſtas competat, eccleſiaſtica illa officia huic vel illi Chriſtiano injungendi. Hac in re mea aliquatenus à Synedrii opinione differt. Synedrium cenſet creationem iſtam tantum à plebe eccleſiaſtica fieri debere, licet contrarium quotidie obſervet: meque in *ſecunda* ſua *Admonitione Pag.* 570. criminatur, quod hac in re à Confeſſione recedam: quia tradam Magiſtratibus ex natura ſui muneris debere ea officia (nuſquam dico *adminiſtrationem* iſtorum munerum ipſis, qua Magiſtratibus, competere) in hunc vel illum Chriſtianum conferre. Et quamvis doceam Magiſtratibus illud juris eſſe, non idcirco ſtatuo, neceſſario eo ipſis utendum eſſe: ſed ſentio, ipſos id Eccleſiæ aut Synedrio poſſe quidem dedere, quemadmodum Synedrium jactat ſe jus hoc nomine ſingulorum membrorum Eccleſiæ uſurpare: illa enim non conſuluntur de vocatione Paſtoris, multo minus jus ſuffragiorum illis permittitur. Licet multi docti Theologi reperiantur, qui docent, Eccleſiæ membra jus illud non poſſe abdicare.

Verum non etiam tam generaliter nego, Eccleſiam jure eligendi, aut in certum aliquem Chriſtianum miniſteria illa eccleſiaſtica conferendi, orbatam eſſe. Sed diſtinguo inter eccleſiam, quam Magiſtratus non protegit & tutatur; & inter eam, cujus Magiſtratus curam ſuſcipit. Eccleſia cum prioribus circumſtantiis conſiderata, jus habet doctores atque ductores ſibi eligendi, idque etiam invitis Magiſtratibus: quemadmodum liberis à patre abdicatis, adminiſtratio ſuarum rerum permittitur. Ac eo ſenſu in *Præfatione* mea *Pag.* 14. Eccleſiæ jus vindico ductores ſibi eligendi. *Omnes Chriſtianos, qui in Eccleſias atque ſocietates coeunt, ex, ac in ſe, jus habere, ad quoſdam ad docendum, ac Sacramenta adminiſtranda, creandum.*

Ve-

Verum cenſeo Magiſtratibus jus competere eccleſiaſtica munera in certas perſonas conferendi: veluti etiam jus eſt patrifamilias, omnia familiæ munera, tam reſpectu ſpiritualis, quam ſecularis ſuorum domeſticorum ſtatus, certis quibuſdam injungendi. Quum non conſideretur, an Reip. Rector aut paterſamilias illa officia (quæ in hunc vel illum conferre poſſunt) ipſimet adminiſtrare poſſint, necne: ac num munera illa ex naturali ſtatu Principis ac patrisſamiliæ procedant; vel an ex Chriſtiano ſtatu oriantur. Et an Dei naturales vel Euangelicæ leges utrumque obligent ad certas adminiſtrationes in Statum ſuum ac familiam introducendum. Nam, uti ſæpius dictum eſt, quanquam Reip. Rector vel paterfamilias, qua talis, officiis illis non poſſint fungi; non tamen id idcirco collationem iſtiuſmodi munerum aufert. Non quod exiſtimem aut doceam, ſubjectos aut domeſticos illos pro doctoribus ſuis ducere obſtringi, quum Magiſtratus & paterſamilias à veritate recedentes, ac officium ſuum obliti, pro paſtoribus ad cives vel domeſticos, lupos mittunt. Tunc enim ſubjectis & domeſticis jus illud redit, quod liberi nanciſcuntur, qui à parentibus derelicti res ſuas ipſimet procurare poſſunt. Uti etiam Membris alicuius Eccleſiæ paſtores ſuos repudiare licet, quando ipſorum doctrinam non probant.

Atque ex narratis patet, quare dixerim, Eccleſiam etiam politicam *ſocietatem eſſe*, Pag. 359. Tractatus de *Munere Paſtorali.* An non omnia merito *politica* ſive *domeſtica* nominantur, quæ vera propriaque civilis Magiſtratus aut patrisfamiliæ ſunt effecta. Atque an non verus eſt effectus, ex officio Rectorum & patrumfamiliæ procedens, quum in ditionem vel familiam ſuam illa munera invehunt, quæ Chriſtiana Religio requirit; atque ita ſocietatem erigunt, in qua illa Euangelica munera locum obtinere & vigere debent; & quæ ob certas quaſdam proprietates ab omnibus aliis ſocietatibus ſeparata ſit, & peculiariter ex uſu Scripturæ *Eccleſia* appellatur: ſed quæ ideo effectus curæ & officii Rectoris vel patrisfamiliæ eſſe non deſinit, ac ad quam curam atque operas, (quibus ſcilicet curent ſocietatem, quam Eccleſiam vocamus, erigi) quod Rectores & patresfamiliæ ſint, peculiariter obſtringuntur. Ac qui iſtiuſmodi operationes aliter quam civiles operationes, atque ita iſto ſenſu civilia & domeſtica Collegia vocari poſſunt: quemadmodum Divinæ Chriſtianæque leges, per Magiſtratus in Rep. ejuſque bono latæ, inter civiles leges recenſentur. Synedrio incumbebat argumenta mea refutare: non autem nuda opinionis meæ propoſitione, atque iſtam odioſis verbis in cathedra taxando, eccleſiam præjudiciis occupare: cum reveta apud cordatos & veros rerum æſtimatores non tam rei quam verborum controverſia eſſe debeat; niſi velint Magiſtratui eripere jus & poteſtatem curandi ut leges Divinæ in ſua Republica obtineant.

Etiam ulterius demonſtrandum erat Synedrio, Confeſſionem noſtram de utraque illa eccleſia verba facere, quum dicit, vocationem Paſtorum *Eccleſiæ* competere; ac quum alios cenſorio ſuo judicio notare ſtudent, ante ſeipſos purgare debent nihil ſe hac in re contra Confeſſionem facere & ſentire, cujus in prima mea *Apologia* exempla aliquot recenſui; ac etiam oſtendi in præcipuis Reformatis Chriſtianiſmi Eccleſiis politicos etiam eccleſiaſtica officia in certas perſonas conferre: quin immo quoſdam ea qualitate interna eccleſiæ miniſteria ipſosmet exercere.

Summi noſtrarum Reformatarum Eccleſiarum Theologi Magiſtratibus jus dant eccleſiaſticorum munerum collationis in privatos Chriſtianos. *Piſcator in Aphoriſmis, loco de miniſtris Eccleſiæ. Quum Eccleſia Chriſtianos Rectores habet,*

ac fidei domeſticos, jus paſtores vocandi ad ipſos pertinet, idque ob eaſdem rationes, quas antiqua Iſraëlitica Eccleſia habuit. Deus enim Moſi, ac in perſona Moſis, politicis Iſraelitici populi Rectoribus, qui porro ipſi ſucceſſuri erant, poteſtatem eam conceſſit. Rivetus in Decalogum. *Hic diſputatio oritur de jure vocationis paſtorum, a quo Pontificii Magiſtratus excludunt: nos autem affirmamus Magiſtratibus id competere; tum quod etiam Membra Eccleſiæ ſint; tum præcipue reſpectu ſui officii.* Gualterus Homilia in 1 Cor. 5. *Quidam inter civilem ac eccleſiaſticam jurisdictionem diſtinguunt: verum diſtinctionem illam à Papatu mutuati ſunt.* Et poſtea; *Non opus eſt, ut miniſtri Verbi Divini peculiare habeant forum; aut ut ſibi illa vindicent, quæ politicis competunt: cenſores morum civium poſſunt quidem conſtitui, quemadmodum in omnibus magnis urbibus neceſſe eſt, ubi ordinarii magiſtratus ſingulis vacare nequeunt: verum iſti ſolummodo auctoritate Magiſtratuum creantur: ac ex eorum mandato omnia ipſis facienda, non autem propria auctoritate.*

Muſculus in locis Communibus. *In Synedrio Eccleſiaſtico Magiſtratus quidem ipſemet non ut judex ſedet; ſed qui à Magiſtratu ad id conſtituti ſunt, paſtores nimirum: penes Magiſtratum tamen ſumma poteſtas remanet, non autem apud paſtores.* Porro inquit, *Paſtorem ob vocationem ſuam non anxium eſſe debere, nec de eo dubium, an legitima ſit, quum à pio principe ad concionandi munus vocatur.*

Notum eſt in Republ. Genevenſi Seniores Eccleſiæ etiam ex Aſſeſſoribus Supremi Conſeſſus eligi; idque per ipſummet illum conſeſſum: ac tam ſeniores quam paſtores jurant, ſe fideliter ſeſe in officio ſuo geſturos.

Hoeckerus Theologus Anglus. *Adverſarii duplicis generis ſummam poteſtatem Regum circa ſacra oppugnant. Nonnulli tradunt poteſtatem in Eccleſiaſticis ubique terrarum juxta jus Divinum, Papæ competere. Alii poteſtatem illam perſonis Eccleſiaſticis in Nationali Synodo congregatis deberi. Nos, qui utroſque rejicimus, aſſerimus, jus illud cuilibet regi in regno ſuo competere.* Qui ita diſputant, cenſere nequeunt, inter Magiſtratum Eccleſiamque, *æqualitatem juris* quandam exiſtere, & pari gradu & dignatione eſſe: ac prout Magiſtratus in ſecularibus ſtatuit ſecundum quas civiles leges cives vitam ſuam actioneſque dirigere debeant: ita ſumma eccleſiaſtica collegia Eccleſiæ credenda præſcribere debere: ac doctores illi ſupra memorati, & qui noſtram ſententiam tuentur, ideo omnes actiones; verba, & terminos rejicerent, quæ æqualitatem illam paululum modo referrent; prout verba illa Synedrii ſonant. *Cum Reip. Moderatoribus animorum conſpirationem velle tueri.* Certe *Gomarus* exæquationem illam juris politicos inter & Eccleſiaſticos, in *Commonitione ſua Pag.* 16. non agnoſcit. *Verum quidem in Papiſmo juris æqualitatem ejuſmodi reperiri: ubi duæ Summæ Poteſtates dantur, altera alteri non ſubjecta, ſecularis & eccleſiaſtica: verum fideles Verbi Divini Præcones id pro ſigno Antichriſti habent, qui ſe elevat ſupra omne illud, quod Deus appellatur.*

Quum ergo ejuſmodi Theologi de Summarum Poteſtatum jure circa ſacra ita diſputant, ac ſpecialiter circa paſtorum vocationem: an credibile quidem eos contra Confeſſionem docere: vel eos ſentire, omnes articulos Confeſſionis paris obligationis eſſe. Certe noſtrates Theologi in Synodo Dordracena congregati in Poſt-actis non ita illud intelligunt: & in jurisjurandi formula, quod omnes paſtores præſtare coguntur, expreſſe diſcrimen fit inter articulos & capita doctrinæ, atque articulos, quæ non ſint ejus naturæ. *Nos infra ſcripti N. N. ſincere in bona conſcientia declaramus coram Domino hac ſubſcriptione, nos ex animo credere, omnes articulos capitaque doctrinæ, in Confeſſione ac Catechiſmo Belgicarum Reformatarum eccleſiarum contenta, in omnibus cum Verbo Dei convenire.*

Res admiranda, fratres jusjurandum non ulterius quam ad articulos & capita doctrinæ extendunt: hi autem noſtris Reip. moderatoribus libenter perſuaderent, ſuum jusjurandum ipſos ulterius obligare; omniaque privata membra obſtringere ad nihil aliud credendum, loquendum, aut docendum de regimine eccleſiaſtico, quam juxta articulos Confeſſionis, quos ipſimet non obſervant, nec de iis profeſſionem expreſſam & promiſſum alter ab altero exigunt. Atque hoc non ſine ratione: quum parum certi de adminiſtratione eccleſiæ poſſit doceri, juxta opinionem *Meſtrezatii* Verbi Divini Præconis, qui me judice ex ſummis Gallis Theologis fuit. *Deus nihil ſpeciale circa ordinem & regimen religionis ſub Novo fœdere definiit: ſed ſolummodo voluit, ut omnia modeſte & cum ordine fierent.* Cap. 3. lib. de Eccleſia.

Quantum ad Eccleſiaſticum regimen, cuique id competat. Non controvertitur inter nos, an *imperium* ſit in Eccleſia, utrimque hoc enim conceditur: verum an regimen Eccleſiæ (quum poteſtatem ſuam non exerat in conſcientias, licet circa conſcientias verſetur) *civilis Imperii* nomine inſigniri non oporteat, quum omnes civilis imperii partes gerere debeat, caſque explere ad formam civilis imperii; quamvis circa ſpiritualia occupatæ ſint. Ac me clare illud in *ſecunda* mea *Apologia* probaſſe arbitror. Ac S. Scriptura, noſtræque confirmationis Seniorum formulæ hoc clare docent, quando requirunt, ut nemo ad gubernationem Eccleſiæ eligatur, *qui ſuam domum recte regere nequit.* Imperium certæ familiæ non eſt *ſpirituale*: ac quæ ratio ab una regiminis ſpecie ad alteram argumentandi: quum non major inter hoc & illud ſit ſimilitudo, quam inter ſeculare atque ſpirituale. Certe qui in rebus hujus mundi plurimum ſapiunt, ſæpe ſpiritualium valde rudes ſunt.

Venerandum Synedrium in *ſecunda* ſua *Admonitione Pag.* 571, ut evitet, nec fateri cogatur eccleſiæ regimen *civile* eſſe, *duplex eccleſiaſtici imperii genus proponit, quorum alterum mere ſit ſpirituale, internum, & cum poteſtate in conſcientias conjunctum, quodque Deo ac Chriſto ſolis competat: alterum conſiſtat in adminiſtratione, in externorum mediorum diſpenſatione, atque uſu clavium regni cæleſtis circa conſcientias; ad prius relationem habens, eidem ſubordinatum, atque ſubſerviens & miniſtrans, quod Deus Eccleſiarum ſuarum ductoribus commiſit, quod Confeſſio noſtra ſpirituale imperium appellat.*

Verum miniſterium illud in Eccleſia Dei exiſtere, ducibusque ejus traditum, hoc nunquam negavi; concedo etiam, *Confeſſionem* de *ſpirituali imperio* verba facere: at controverſia eſt, an *miniſterium* illud proprie *imperium* poſſit appellari. Negavi hoc: ac Synedrium ne minimum quidem laborat, ut oſtendat, miniſterium hoc verum *imperium* poſſe nominari. Ac nihil aliud agit, quam dictare, ſuamque ſententiam proponere. Ut nec illud inter nos controvertitur, an Confeſſio *ſpiritualis regiminis* mentionem faciat, quod certum eſt. Sed quomodo hoc intelligendum ſit, an Confeſſio regimen Eccleſiæ ſpirituale imperium vocet, quod circa ſpiritualia Divinaque verſetur: num, quia propter formam ſuam ſpirituale ſit. Poſterius verum eſſe nequit, quia ad conſcientias ſe non extendat, neque ullum imperium in illas exercet, ſed tantum monitis, doctrina, exemplis, & procurando ſeparationem fidelium ab impiis & profanis, abſtinendo à communione ſacrorum cum illis, munera ſua explet. Ac quis novam inventionem Synedrii ſpiritualis illius regiminis approbare poteſt; quia miniſteria iſta Eccleſiaſtica, in quibus ea ſpiritualis imperii ſpecies conſiſtit, quod Eccleſiæ ducibus traditum eſt, mere *miniſterialia* eſſe agnoſcit: ac nullo modo nomen *imperii* ferre poteſt. Itaque regimen, quod in Eccleſia reperitur, improprie in Confeſſione noſtra ſpirituale in-

indigitatur, quod circa ſpiritualia occupatum ſit, quamvis reſpectu formæ civile ſit.

Quantum ad Eccleſiaſticam pœnam attinet: Controverſia inter me ac Synedrium hac in re conſiſtit, quod nullam aliam *veram eccleſiaſticam pœnam* ſtatuam, quam quæ ex fœdere ſingulorum membrorum & ductorum alicujus eccleſiæ oritur: eamque pœnam ſe tantum ad illa extendere, *de quibus contrahi poteſt*, quæque relationem habent ad *legem*, contra quam peccatur; quæque nuſquam exiſtere poteſt, quam ubi poteſtas eſt ferendi leges: nec aliquid, quod non illius ſit naturæ, nec ex fundamentis illis profluit, *eccleſiaſticam pœnam proprie* poſſe nominari. Quia pœna proprie dicta reſpectum habet ad legem, quæ in Eccleſia duplicis generis ſunt; aliæ à Chriſto latæ, & quarum reſpectu Eccleſia & ejus Doctores tantum miniſteriale munus exercent, aliæ ſunt illæ, quæ natæ ſunt ex confœderatione, & earum reſpectu vera pœna in Eccleſia exiſtit: quia Eccleſia leges illas fert, earumque tranſgreſſores punit.

Venerandum Synedrium omnino rem aliter videtur intelligere, & præ ſe fert credere, Deum Chriſtumque una cum Chriſtiana religione poteſtatem quandam, jus & auctoritatem invexiſſe, quam tamen, ne cum Papatu colludere videantur, *miniſterium*, *non magiſterium* vocitant (quod tamen Pontificii etiam faciunt) ſolum Ducibus Eccleſiæ per legitimam vocationem conferendi: atque ad quam alii Chriſtiani, carentes illo miniſterio, nullum jus habent; ſed quæ ſolis Eccleſiæ ductoribus affixa ſit. Quæ poteſtas, jus, aut auctoritas (utcunque appellare libet) hoc ſpecialiter includit, ut judicium iſtorum de rebus Divinis, ac de ſpirituali hominis ſtatu, in quos hæc poteſtas per *fœdus* collata eſt, tantundem valere debeat, reſpectu eorum, qui per fœdus regimini ductorum ſubjecti ſunt, ut *ſemper* judicium illud ſequi cogantur, ac operam dare, ut opinionem ductorum probare poſſint, Deumque id orare, & ſi aliter ipſis quam Doctoribus ſtat ſententia; neque tamen Doctores Eccleſiæ ad ſuam ſententiam adducere nequeant, tunc privatorum membrorum Eccleſiæ officium eſſe ſuæ ſententiæ nuncium mittere, & Doctorum Eccleſiæ parere ſententiæ. Ita ut tum illud ductorum judicium membris pro regula ac lege ſit: quamque legem, vel *quaſi legem* membra tranſgrediuntur, quum opinionem, cum ductorum ſententia pugnantem, ac quam Eccleſiæ ductores retinent, non rejiciunt: & ob quam violationem ductores tunc jus adipiſcuntur, ad illos, qui ab eccleſiæ ſententia aberrare perſeverant, verâ ſpirituali *pœna caſtigandos*: ac de qua pœna membra *credere tenentur*, eam à Deo in cœlis confirmari.

Nequeo ſecus cenſere, quin in præcedentibus hiſce verbis ſenſum Venerandi Synedrii quam clariſſime expreſſerim.

Verum quidem, *Synedrium Pag. 568. ſecundæ Admonitionis* dicere, *obligationem ad deciſionem & judicium ductorum Eccleſiæ non ulterius ſe extendere, nec diutius durare, quam paſtores veritatem Verbumque Dei ſequantur*. Et porro addere: *membra obligata eſſe credere, atque obedire Divinæ veritati, in Verbo ſuo reve[illegible]e, & per Synodos tanquam Dei miniſtras, & eccleſiæ ſuæ ductrices, juxta Divinam inſtitutionem ipſis propoſitæ injunctæque*. Verum etiam eſt, Venerandum Synedrium negare, poteſtatem *ferendi leges* in ſuo cœtu exiſtere: ac tamen aſſeverant, Synedrium cenſere, ſententiam Doctorum, Synedrii, Claſſium & Synodorum, membris pro *lege* eſſe: ipſorumque cenſuras, ſuſpenſiones, excommunicationes *meras pœnas eſſe*.

Hoc pacto poſſet videri, quaſi opinionem Synedrii non fideliter proponerem.

Verum percipere nequeo, cujus efficaciæ *clauſulæ illæ ac reſtrictiones*, quas Synedrium in narratis verbis exprimit, hac in quæſtione ſint, quemque ſenſum pro-

proferant, quemque conceptum inde quis formare poſſit. Non enim hoc quæritur, num privatum Membrum ſuam cum ductorum ſententia in controverſiis fidei conformare debeat, cum ipſorum opinio, & fidei ſuæ confeſſio cum Verbo Dei convenit. Nullus enim Chriſtianorum, cujuſcunque etiam ſit ſectæ, negat id. Ac, quemadmodum jam in *ſecunda* mea *Apologia* dixi, hoc tantundem foret, ac ſi quis negaret, *homini judicium ſuum non juxta Verbum Dei eſſe dirigendum.* Hoc cuilibet faciendum eſt, licet veritatem ex ore infimi in cognitione Chriſtiani cognoſceret. Sed hæc eſt controverſia, an deciſiones ductorum Eccleſiæ pro veritate agnoſcere debeam, meamque opinionem cum eis conformare; ac ſtudere illorum opinionem amplecti, meam ut errantem deponendo, cum eccleſiæ ductoribus perſuadere nequeo, meam opinionem Verbo Dei ſtabilitam eſſe, veluti Synedrium, *Pag.* 569. ita ſenſum & ſententiam ſuam declarat. Id eſt, an tandem poſt fruſtra datam operam ad Synedrium perducendum in meam ſententiam, meum, num vero Synedrii judicium in regenda mea conſcientia mihi ſit ſequendum? Atque Synedrium clare affirmat, quod tandem caſu modo propoſito ſuum judicium ſequi tenear.

Neque controvertitur etiam, an veritas Dei, quæ per eccleſiarum deciſiones tanquam per miniſterium prædicandi & annunciandi Eccleſiæ membris voluntatem & placitum Dei, ad me pervenit; quam tamen erroribus immerſus comprehendere nequeo, nihilominus non maneat veritas? Ac num ductorum eccleſiarum, mei reſpectu, tamen non ſit, veritatem eam mihi proponere, inculcare: ac ſi ſit *fundamentalis*, atque ego in pertinacia perſeverem (verum adhuc ſub judice lis eſt, quid illud ſit, in fidei controverſiis contumacem eſſe) me pro fratre ſuo non diutius habere, & ita excommunicare; & communionem ſacrorum, & præſertim corum, quibus fraternitatem & ſummam conſpirationem animorum teſtamur, nolle mecum exercere: hoc enim à me, nec ab ullo, quod ſciam, unquam negatum fuit, niſi ab Eraſtianis.

Hoc autem in quæſtione eſt, an duces hoc facientes, id faciant ut veri *judices*; & num *veram ſententiam* (tanquam judices, cui privati fideles propter veram poteſtatem & auctoritatem judicialem, quam Synedrium, Claſſis aut Synodus in illa membra habet, parere debeant) *exerceant*, ita ut privata membra ſe illi judicio ſubmittere obligentur; per auctoritatem atque jus eccleſiæ ductorum obſtricti, ut ſincero conatu, & per media ad illud proportionata, ſtudeant in ductorum eccleſiæ opinionem deſcendere: quum, nempe, privata membra Rectores Eccleſiæ in ſuam ſententiam nequeunt impellere. Et num ductoribus (ſi membra perſeverent ab eccleſiæ opinione aberrare, eamque rejiciant) jus à Deo conceſſum ſit, ad tales velut *contumaces*, & ut *immorigeros*, prout Synedrium loquitur, *vera pœna*, quanquam Eccleſiaſtica, puniendos.

Idque eſt, quod nos pernegamus, ac quare nullam excommunicationem, *veræ* naturam *pœnæ* habentem, eoque ſenſu, quo illam Synedrium concipit, quæque non fœdere tantummodo fundetur, in Eccleſia Dei agnoſcamus: quum nullam veram pœnam admittimus, quam quæ fundamentum habeat in violatione legis, quam Synedrium in Eccleſia ſtatuere nequit, quoniam ei *legiſlationem* eripit. Quumque ego nulla eccleſiaſtica judicia, deciſiones, decreta, &c. agnoſcam, quæ conſcientiæ meæ pro *lege* ſint: ac putem etiam nullum Chriſtianum tantum juris in conſcientiam ſuam habere, ut eam ductorum judicio in controverſiis fidei ſubjicere poſſit: nullas ergo veras eccleſiaſticas leges, vel pœnas in conſcientias admittere poſſum. Atque hæc Synedrii opinio nihil aliud eſt, quam vera Papiſtarum opi-

opinio, verbis ac modo proponendi parum diſſimulata: eo nimirum tendens, doctrinam deciſionesque ductorum in fidei controverſiis eſſe ſuſcipiendas, quum noſtram ipſis perſuadere nequimus: ac ducibus *jus* aliquod competere, ad omnes, qui ad ipſorum curam & regimen ſpectant, nec deciſiones eorum agnoſcunt, *vera pœna* pro immorigeris puniendos. Atque ita Synedrium *poteſtatem ferendi leges* reipſa introducit, quamvis verbis eam negare ſtudeat. Aliud eſt, quum poteſtatem eccleſiæ, ut ex fœdere deſcendentem, conſideramus: de qua in *Præfatione* mei *Tractatus*, ac in *prima Apologia* quam latiſſime diſſerui.

Alioquin concedo fas eſſe Eccleſiæ ducibus exiſtimare, doctrinam ſuam Dei Verbo innixam eſſe, atque ex ea perſuaſione eam auditoribus ſuis proponere, eoſque ad illam recipiendam exhortari; atque adeo illam ſpernentes judicii Divini, cœleſtiumque pœnarum minis terrere, & veritatem iſtam rejicientes habere Ethnicorum & Publicanorum loco.

Verum omnes hæ actiones ut privatæ conſiderandæ ſunt; hoc nimirum ſenſu, illas cum nulla *jurisdictione, poteſtate judiciali, aut imperio in fidem aliorum Chriſtianorum eſſe conjunctas*; ita ut etiam privato Chriſtiano eiſdem officiis circa errantem eccleſiam fungi liceat. Atque hoc majores noſtri ex Papatu excedentes fecerunt. Quare in Eccleſia nullam poteſtatem *in abſtracto* conſideratam admitto, qua Collegio alicui aut privato jus datum ſit, ad reliquis Chriſtianis, quocunque etiam modo conſiderentur, præſcribendum ac injungendum, quid in controverſiis fidei ipſis ſit credendum. Atque ideo ſimilitudo auctoritatis mariti ac magiſtratus *in abſtracto* nullam conſiderationem meretur; quæque videlicet per fœdus quoddam & ſpontaneam ſubjectionem his vel illis viris atque aliis hominibus applicatur. Quandoquidem poteſtatem illam mariti & Magiſtratus *in abſtracto* conſideratam admitto: ſed poteſtatem, qua doctrina deciſionesque ductorum aliis pro regula, exemplo, ac lege fidei ſuæ ſint; & à qua ſine culpa contumaciæ non licet recedere, nullo modo agnoſco.

Intelligere etiam nequeo, qui Synedrium ſimilitudinem hanc in rem ſuam vertere poſſit; quum concedat, paſtores non ſolum libere ab eccleſia eligi, verum etiam eos cogi promittere, certæ doctrinæ ſe adhæſuros: atque ita ipſos poteſtate deciſiones faciendi carere, quibus membra obſtricta ſint: verum contra Doctores per poteſtatem membrorum ad eccleſiarum confeſſionem obligari. Eoque fundamento temporibus Remonſtrantium privata orthodoxa membra paſtores ſuos jure condemnarunt, nec opinionem ductorum ſequuti ſunt. Si itaque judicium Eccleſiæ de orthodoxa ejus fide, quem eccleſia ſibi doctorem eligere in animo habet, præcedat poteſtatem, quam doctor per electionem adipiſcitur, juxta Synedrii ſententiam: & ſi hoc in omnibus ducibus Religionis & ſacrorum Chriſtianorum ex ſententia Reformatorum locum habeat: qui ergo judicium ductorum circa fidei controverſias poteſtatem *regulæ legisque habere* adverſus membra poteſt? Si dicas, id demum valere poſt doctoris electionem; ergo inde ſequitur, nemini à doctrina ductorum ſuæ eccleſiæ licere recedere: ac unumquodque membrum ſuos ſequi teneri, quando Doctorem ſuum Eccleſiæ in ſuam ſententiam pertrahere non poteſt: quod maxime abſurdum eſt, & omnia Reformatæ Religionis fundamenta ſubvertens.

Præterquam quod poteſtas mariti ac Magiſtratuum, *in abſtracto* conſiderata, ſpecialiter certis communibus regulis ſit definita, ſecundum quas marito ac Reipub. Rectori judicandum ſit, quid ſui ſit officii: ac etiam fœmina ac privatus de eo antecedenter judicat; nec judicium ipſorum hoc caſu à judicio mariti ac

Reip.

Reip. moderatorum dependet. Verum juxta Synedrii ſententiam communis quædam poteſtas à Deo Chriſtoque inſtituta eſt, per quam ille, cui iſta applicatur, jus acquirit aliis præſcribendi mandandique, ut omnia bona ac vera eſſe credat, quæ in exercitio hujus ſuæ poteſtatis pro talibus habiturus eſt: ita ut cuivis Chriſtiano credendum ſit, quicquid ductores Eccleſiæ, in qua natus ac educatus eſt, credunt. Debet enim ſuum cum ductorum ſuorum judicio conformare, ſi Ductorem in ſuam ſententiam impellere non poteſt: nec fæmina hic ullum jus eligendi maritum habet; verum is eſt ejus maritus, ad quem primo venit. Præterquam quod cuivis fæminæ optio libera conſervetur ad bonum maritum eligendum: quodque generales quaſdam regulas habeat, ſecundum quas judicare poſſit, quis bonus maritus futurus ſit, *ac per quas ſcire poſſit ſe bonum maritum habere.* At membrum nullum (ex doctrina Synedrii) jus eligendi habet, ſed fidem nutricis amplecti tenetur; nec unquam ſcire poteſt an bonum, num vero malum habeat ducem: opinioni enim ſuorum ducum repudium mittere nequit, ſi ipſi poſt adhibitam curam eos inſpirandi alium ſenſum, perſtent in ſua ſententia: & tamen eadem illa membra credere conſtringuntur, *eccleſias errantes exiſtere.* Quin immo *eccleſiam,* vel potius *Ductores Eccleſiæ, cujus membrum eſt, errare poſſe.* An talis fæmina non eſt miſera, quæ hujuſmodi conditionibus affecta eſt? Quid, quod adhuc miſerius eſt, inde ſequitur, quod talis mulier neſcire nequeat, num apud verum ſit maritum necne: ac interea vi poteſtatis maritalis pati cogitur, ut imperium in ipſam exerceatur. Nec difficultas tollitur, ſi dicas, licet membro credendum ſit, ductores errare poſſe, non inde ſequitur ipſos revera errare. Nam quamvis hoc verum ſit: tamen membrum in ancipiti poſitus eſt, erret, necne. Cum enim ſuum, quod in S. Scriptura fundatum eſſe arbitratur, judicio ductorum non liceat ei opponere, qui errore poſſunt abripi, caſu fit, ſi veritatem amplectatur: cum enim ſuam opinionem ipſi retinere non liceat, debeatque operam dare, ut accommodet ſe ſententiæ ductorum ſuorum, qui eum poſſunt fallere: certe ergo caſu contingit, ſi veritati adhæreat.

Non puto etiam Venerandum Synedrium exiſtimare, cuilibet æque liberum eſſe, ſe nullis alicujus eccleſiæ ductoribus ſubmittere; quemadmodum cuique fæminæ liberum eſt, num velit alicui nubere, an non. Privato tam liberum eſſe, nullius eccleſiæ ſe membrum conſtituere, quam mulieri liberum eſt, non nubere: hoc nunquam Synedrium concedet. Ergo quilibet hanc vel illam eccleſiam adoptare debet. Sed juxta quam regulam optima ergo eligetur? Ex regulis Sacri Codicis inquiet Synedrium. Sed id tum demum procedit reſpectu alicujus, qui nondum in ulla eccleſia eſt baptizatus; atque ita nullorum ductorum auctoritati mancipatus eſt. Sed quam raro hoc in medio Chriſtianorum accidit? Itaque pauci inter infinitos repeциuntur, qui non teneantur deciſiones in controverſiis fidei, per ductores eccleſiæ factas, ſuſcipere: ac omnes reliqui fidem nutricum ac parentum ſuorum ſequi tenentur: vel potius ductorum illius eccleſiæ, in qua baptizati ſunt.

Præterquam quod officia ejus, qui ſe nondum ulli Eccleſiæ applicuit, tum etiam omnino alia eſſe debent ad perveniendum ad veritatis cognitionem: quam illius, qui jam in eccleſiam receptus eſt. Priori patet libertas, ut ſine reſpectu ullius auctoritatis ductorum, & ſine aliqua conſideratione variarum pugnantium deciſionum, quæ à diverſis eccleſiis factæ ſunt, veritati ſtudeat, eamque à Deo petat. Verum alter obſtrictus manet ad ſuam cum Eccleſiæ ſuam ſententiam ad extremum tuentis, opinione collidentem non ſo-

ſolum pro erronea ſuſpectam habendam: verum inſuper Deus ipſi orandus, ut ita ſe velit illuminare, ut doctrinam Eccleſiæ pro veritate agnoſcat, *atque ita errantem ſuam conſcientiam ac judicium deponat*: ut Synedrium ait. Atque ita prior pro regula, ad quam fidem dirigere debeat, *Deum in Verbo ſuo* habet: alter *Deum per Ductores Eccleſiæ loquentem*: juxta ſenſum locorum, à Synedrio omnino Pontificiorum more explicatorum, *Obedite ductoribus veſtris. Et dicite Eccleſiæ. Qui vos audit, Me audit: & qui vos rejicit, Me rejicit. Et labia ſacerdotum ſcientiam cuſtodient.* Quibus omnibus S. Scripturæ locis, mihi objectis, communem omnium noſtrorum Reformatorum Theologorum explicationem oppono, contra Romanæ Eccleſiæ auctoritatem diſputantium. Atque hæc ſufficiant occaſione ſimilitudinis poteſtatis mariti ac Magiſtratus *in abſtracto* conſideratorum, quam Synedrium Achilleum putat eſſe argumentum. Et Synedrium hic ſe gerit quemadmodum quondam Samaritani, qui quando ab Imperatoribus leges condebantur Judæis, Judæis faventes, Judæis accenſeri volebant: at cum juberent iidem Imperatores eas leges tenere, quibus Judæorum conditio iniquior reddebatur, tunc negabant ſibi ullam ſacrorum ſocietatem cum Judæis eſſe. Ita Synedrium quando contra Pontificios diſputat, ut iis eripiat poteſtatem, quam Papa in omnes Chriſtianos, & ideo etiam in noſtros Doctores vi ſibi vindicat, omnem vim tollunt à locis Scripturæ & argumentis, quibus Pontificii utuntur ad ſtabiliendam ſuam poteſtatem: at quando ex Reformatis quidam eorum præſumptam poteſtatem oppugnant, tunc rurſus telis Pontificiorum pugnant.

Sed ut è diverticulo in viam revertamur, concedo, hac in re me à Venerando Synedrio diſſentire; nec agnoſcere ullam poteſtatem, aut jus in ullo Paſtore, Synedrio Eccleſiaſtico, Claſſe, vel Synodo, quo privata Membra obligentur judicia ac deciſiones ductorum circa controverſias fidei ſuſcipere pro regula & *lege*, ad quam fidem dirigere teneantur atque conformare; ac ſi id recuſent, pro immorigeris & contumacibus habenda eſſe, atque idcirco *veræ pœnæ* ſubjicienda. Et hæc tertia erat accuſatio adverſus me in Libello Supplici Vobis, Nob. Ampl. Viri, exhibito, & de qua legi poteſt in *prima* mea *Apologia*, *Pag.* 507. *& ſeqq.*

Cenſeo (ut ſuperius dixi) hanc Venerandi Synedrii opinionem, veram ac formalem Papatus eſſe doctrinam, in quibuſdam ſolum verbis, non autem ſenſu, ab ipſa differentem: quodque Romana Eccleſia ſuper *infallibilitatem* fundat; Synedrium in *Eccleſiæ jure* locat: quo Eccleſiæ membra ſuam opinionem in Religione ad fidem ductorum dirigere tenentur. Quid diſtat, an ſententiam meam deciſionibus eccleſiæ accommodare cogar, quod credendum mihi ſit ipſos in deciſionibus ſuis eſſe *infallibiles*; vel, quia jus habent à membris ſimilem fidem exigendi, quam ipſi profitentur, ac ex eo jure quemlibet obſtringi morem ipſis gerere, quamvis nullam ſibi infallibilitatem arrogent. Obligatio æque magna eſt: ſed quæ jactata infallibilitate nititur, melius naturæ fidei convenit.

Nec tollitur difficultas ſi dicatur, teneri neminem ductorum doctrinæ, abſque prævio examine & certa animi perſuaſione veritate eam niti, aſtipulàri. Qui enim ſuam propter Paſtorum opinionem (quam exiſtimare obligatur in S. Scriptura fundatam eſſe) repudiare adigitur, ipſi ſimul contra ſuam fidem ac opinionem credendum eſt, doctorum opinionem veram eſſe. Quemadmodum omnes ſuam ſententiam abnegare coguntur, quum Deus, aut S. Litteræ quid docent, quod priori noſtræ opinioni repugnat. Et veluti in Papatu quotidie obſervatur, ubi membra illius eccleſiæ ſuam ductorum Romanæ Eccleſiæ fidei ſubjiciunt. Pontificiis cre-

credendum eſt, deciſiones ductorum ſuorum ex Verbo Dei deſumptas eſſe; atque ita ſe per Paſtorum ductum Verbo Dei ſubmittunt; licet ſæpe ſpeciatim veras rationes & fundamenta illius fidei haud intelligant: quæ fundamenta ductores Romanæ Eccleſiæ in Verbo Dei conſpiciunt, atque videre tenentur juxta doctrinam Papiſmi, priuſquam controverſiam aliquam in Religione expedire ita poſſint, ut articuli fidei auctoritatem in Eccleſia habeat. Illud enim probe tenendum ac obſervandum eſt, Pontificios neque Papæ, nec ulli Concilio ſpiritum Propheticum tribuere in controverſiis fidei decidendis: ſed ſentiunt, Papæ, aut concilio quæſtiones eſſe terminandas juxta præſcriptum Verbi Divini, prout mentem S. Scripturæ per infallibilitatem percipiunt, quam Deus Eccleſiæ promiſit. Ita ut Synedrii doctrina nec hac parte etiam à doctrina Papatus differat. Veluti etiam in eo convenit, quod membrum Eccleſiæ noſtræ doctrinam ſui Paſtoris ſuſcipere adſtringatur, licet fundamenta illius doctrinæ nondum intelligat, quam ductores è Verbo Divino deſumptam eſſe credunt.

Porro; ſi membrum Eccleſiæ opinionem ductorum eccleſiæ non approbare cogatur, niſi etiam in rationes ejus fidei, deciſionumque ductorum penetraverit, eaſque probet: quid tum auctoritati & poteſtati doctorum relinquitur ad membris eccleſiaſtica ſua decreta in controverſiis fidei præſcribendum atque injungendum? Et qui poſſunt tum illa Scripturæ loca allegare; *Eſtote ducibus veſtris obedientes*; *Dicite Eccleſiæ*: id eſt, prout Eccleſia, ſive duces ejus, de fidei quæſtionibus judicaturi ſunt, eo fidem veſtram accommodate: qui, inquam, ea Scripturæ loca in rem ſuam poſſunt vertere; cum iſte, cui parendum eſt, ad obedientiam illam non obligatur, quum putat, præceptum injuſtum atque iniquum eſſe, eccleſiamque errare. Ita ut aut mea ſententia recipienda ſit, aut rurſus in prius malum relabimur; & Pontificiorum opinio admittenda eſt, atque ſtatuendum, non *Verbum Scriptum*, aut ſimpliciter *S. Codicem*, noſtræ fidei eſſe canonem: ſed *Verbum prædicatum*, ſive S. Biblia, à Doctoribus Eccleſiæ explicata: juxta ſenſum verborum, Pontificiorum more explanatorum. Credunt itaque per Verbum Dei, quo fides ipſorum niti debet, & quod eſt ſemen regenerationis intelligendum non ſimplex verbum, ſed authenticam ejus explicationem per Eccleſiam factam, & eam membris ſuæ fidei canonem eſſe: & eo allegant *Maleach.* 2: 7. *Labia ſacerdotum ſcientiam cuſtodient, & ex ore ejus legem quærent, &c.* Verba, quæ Synedrium in eundem ſenſum, ac in eundem finem citat, ad quem Pontificii Doctores allegant, nimirum ad probandum, deciſionem in controverſiis fidei ab Eccleſiæ doctoribus factam, pro regula fidei à membris eſſe habendam; ductoreſque iſtam fidem à membris per formam præcepti legiſque poſſe exigere. Quum tamen omnes noſtri doctores contra Papatum de dicta Eccleſiæ poteſtate diſputantes, argumentum, ex prædicto Scripturæ loco petitum, atque ab Eccleſiæ Romanæ doctoribus productum, refutent dicentes, eum Scripturæ locum docere, ſacerdotum *officium* fuiſſe, jus ac juſtitiam docere, bene cognoſcere, atque ab invicem diſtinguere; & privatis Judæis ſuo conſilio, inſtitutione, &c. viam juſtitiæ docere: non autem privatis membris credendum eſſe, ſacerdotes ſuum officium non poſſe obliviſci, ac falſum pro vero docere: multo minus iis locis doceri eam Doctorum auctoritatem eſſe ut eorum doctrina vim legis habere debeat. Præterquam quod ex allegatione ejuſmodi textuum, eo fine, quem Synedrium intendit, hoc etiamnum ſequatur; Verbum Dei ſcriptum per ſe, & ex ſe non ſatis luminis atque perſpicuitatis ſuppeditare, ad ingenium privati membri ita illuminandum, ut ſuper id ju-

dicium ac fidem ſuam ædificare poſſit: ſaltem eo in caſu, quando privati Chriſtiani ſenſus cum Doctoris ſenſu non congruit: & Doctor de ſua ſententia deſiſtere nolit, ſed requiretur præterea fides ac judicium ductorum eccleſiæ, antequam ipſi fundamentum fidei ſuæ poſſit eſſe: atque ita una *authenticam* Verbi Divini *veritatem*, in jam narrato caſu, *reſpectu noſtri*, ab Eccleſiæ judicio pendere. Atque ita Synedrium duos capitales errores ſimul docet: Scripturam nempe, per ſe non ſatis claram eſſe; ac ejus auctoritatem, *reſpectu noſtri*, ab eccleſia pendere.

Fateor, Synedrium concedit, ut deciſiones ductorum examinemus: verum Romana Eccleſia hoc etiam permittit. Et Deus, ac Chriſtus, Apoſtolique etiam patiuntur, ut doctrina ipſorum, atque illud, quod hominibus annunciant, ad examen vocetur: ſed in hac controverſia, quæ mihi intercedit cum Synedrio, hujus tantum habenda ratio, num mihi aliud fundamentum liceat habere, ſuper quo fidem meam fundare debeam, quam veritatem Dei, conſcientiæ cujuſvis Chriſtiani ſe revelantem, per aſſenſionem privati ſui judicii illi veritati: vel an quilibet privatus Chriſtianus fidem ſuam, ſecundum opinionem Synedrii, deciſionibus ductorum Eccleſiæ non ſuperſtruere teneatur, ac quibus ſuam ſententiam non poteſt opponere. Hoc manifeſto docet, cum verbis apertis neget, ſingulares fideles in rebus fidei, & quæ ad conſcientiam pertinent, privato ſuo judicio ligari, illudque illis inſtar legis eſſe, quæ nulli auctoritati aut legi humanæ cedere debeat.

Certe videre nequeo, quin, juxta Synedrii opinionem, omnes Chriſtiani, qui non ſunt è numero ductorum Eccleſiæ, ut ejuſmodi ductorum diſcipuli conſiderandi ſint, qui *proprios conceptus non debeant ſibi formare*: ſed ad præceptorum lectiones ac præſcriptum componere; utpote qui ingenium nondum excoluere ad malum à bono diſcernendum: nec qui ſuum judicium ſequi poſſint: quique propterea etiam illud ductorum, paſtorum, & doctorum *chariſma* ſibi non poſſint arrogare, neque ſibi id circa ſuam, aut proximi ſalutem adſcribere. Quod chariſma proprie (ſecundum Papatus & Synedrii ſententiam) ductorum, paſtorum atque doctorum characteri & muneri adhæret: quibus nempe ſpecialiter à Deo auctoritas ſit data, quique donis inſtructi ſunt, ad teſtimonium veritati perhibendum, eamque docendum juxta textum (quem etiam Pontificii ad eundem finem allegant) *Ut Pater me miſit, ita mitto vos.* Qui ergo ſe *legatos Dei* eſſe jactant, quibus Ille utitur, ut per ipſos, tanquam per publica Spiritus teſtimonia, quæ Deus ductoribus Eccleſiæ ſpeciatim promiſit, homines voluntatem ac mentem ſuam inſtrueret de iis, quæ Verbum ſcriptum, id eſt, Biblia, complectuntur docentque: ac idcirco privatum teſtimonium ſpiritus cujuſvis privati Chriſtiani publico ductorum ſpiritui non eſſe opponendum, ipſis à Deo peculiariter promiſſo. Ita ut in Ductoribus etiamnum hodie ſit *miniſterium*; vel ut verius loquar, *magiſterium Spiritus*; & deciſiones ductorum ſint quaſi *Verbum Dei*, ad quod fides eccleſiæ (cujus quivis Chriſtianus Membrum fieri debet, ac cujus ſuſceptione tantum membrum fit) exigenda ſit. Ad quod etiam Synedrium exemplum primæ Synodi allegare videtur, *Act.* 15. *Nobis & Spiritui Sancto viſum fuit, &c.* Quæ Synodus tam longe forma & fine abeſt à noſtris Synodis inter Reformatos uſitatis, quam cœlum à terra diſtat. Hæc itaque nihil aliud ſunt, quam verum Papatum denuo introducere: adeoque multis anſam præbet credendi, ſi corruptæ Religionis reformatio etiamnum foret inſtituenda, futurum ut multa Synedrii membra priſtinæ reformationis pœnitentia ducta poteſtatem auctoritatemque Eccleſiæ latius extenderent: ut ita effrænatius regnum in conſcientias membrorum ſuorum exercerent,

rent, & ut onere levarentur cum membris ſuis multum diſputandi; ac ad eruditionem atque ſcientiam acquirendum, neceſſarias ad validis argumentis animos fidelium ſuæ curæ commiſſorum convincendos: eosque malle uſurpare poteſtatem ferendi leges, ubi neceſſitas parendi æquitate ac ratione non nititur, verum jure imperandi.

Quo enim allegatio dictorum textuum ſpectat, niſi ut eccleſiæ ſuæ ductoribus eandem poteſtatem tribuant, quam Romanæ Eccleſiæ ductores ſibi vindicant: utque ſe controverſiarum fidei judices conſtituant; quorumque judiciis ac deciſionibus quivis conſcientiam ſuam alligare teneatur. Fateor, Synedrium eo confugiet, quod privatis membris examen concedat, an ductorum doctrina Verbo Divino ſit conformis: quodque illud Romanæ eccleſiæ ductores privatis membris non permittant. Verum cui bono examinis illius libertas, quum nihilominus decretum juxta deciſiones Eccleſiæ ductorum fieri debeat, quando Eccleſiæ Ductores & Doctores manent in eadem ſententia. Ergo ad fidei noſtræ certitudinem tali in caſu ejuſmodi inquiſitio non requiritur: judicium enim ductorum ſententiam ſuam ad extremum tuentium ipſos ſatis certos facit: aut ex indagatione veritatis nullum aliud ſibi comparant compendium, quam ut majori ſecuritate credant: quod fit, quum internas etiam fidei noſtræ rationes percipimus. Eodem quoque modo Pontificii Doctores diſputant: atque ita etiam membris ſuis examen commendant.

Quanquam intelligere nequeam, qui libertas inquirendi, an deciſiones ductorum eccleſiæ cum Verbo Dei conveniant, cum Venerandi Synedrii poſitionibus conſiſtere poſſit. Si enim deciſiones ductorum Eccleſiæ ſint ſententiæ ac leges, quas membra ſequi tenentur; ergo membra tantum *de re judicata diſputant.* Si deciſiones ductorum ad membra mittantur, ut ab ipſis adhuc examinentur, & ſi membris liberum eſt ab ipſis diſſentire, tum Synedrium mecum ſentit. Si etiam dicat, deciſiones Eccleſiæ non eſſe admittendas, niſi quando cum S. Scriptura conſentiunt. Quid loci tum poteſtati atque auctoritati eccleſiæ relinquitur, pro quibus tamen tam acriter digladiantur. Et quid tum amplius deciſionibus ductorum Eccleſiæ in controverſiis fidei defertur, quam judicio cujuſvis privati Chriſtiani, quod etiam probari vel reprobari poteſt, prout cum Verbo Dei conſentiat, vel ei repugnet. Synedrium tamen omnino aliud quid intendit. Quare omnes illæ diſtinctiones, reſtrictiones & poſitiones *Pag.* 568 & 569. *ſecundæ Admonitionis*, in quibus ipſe Scotus cæcutiat, & de quibus magna Synedrii pars ex mercatoribus, inſtitoribus, opificibus, &c. conſtans nihil intelligit, & tamen ſententiam tulit, & ſuffragium dedit, nihil aliud ſunt, quam velamenta turpitudinis veræ Pontificiorum doctrinæ. Ac Synedrium revera nihil aliud docet, quam decreta ductorum eccleſiæ privatis membris legem & canonem eſſe, ad quæ in caſibus conſcientiæ judicium ſuum exigere debeant: hæcque eſt Papiſtarum doctrina. Atque ſi aliud velit; non ſtatuit aliquid, quod à mea ſententia diſſentaneum ſit. Synedriorum, Claſſium, ac Synodorum deciſiones agnoſcimus; easque vi fœderis eo uſque poſſe extendi, ut membrum, ſi nequeat decreta illa admittere, perferre cogatur, ut ipſum non amplius pro membro agnoſcant; atque ita excidat juribus, quibus ejuſmodi eccleſia gaudet. Verum eorum non ea eſt habenda ratio, ut putemus iis conſcientiam ligari. Ac in Præfatione mea, primaque Apologia quam latiſſime de eo diſſerui: atque magnum ſtatuo diſcrimen inter jus clavium fœdere aliquo nixum, quodque proprie ſpectet res, quæ cadunt in commercium: & inter jus clavium, quod omni poteſtate deſtitutum, paſtori-

 bus

bus ita ſpecialiter eſt mandatum, ut ipſis miniſterium Verbi eſt impoſitum: per illud hominibus ſalutem, aut condemnationem denunciant; prout ipſi ſe gerunt.

Atque hæ ſunt rationes, quare doctrinam Synedrii rejiciam. Præter plures alias difficultates, quæ in hac opinione oriuntur, quaſque mihi libenter à Venerando Synedrio velim elucidari. Primo, conſpicere nequeo, quo pacto Chriſtianus Magiſtratus, quique, juxta opinionem Synedrii, membrum tantum eccleſiæ exiſtens, eidem ductorum poteſtati obnoxius ſit, cui reliqua membra ſubjiciuntur, procedere poſſit ad aliquam Eccleſiarum reformationem contra deciſiones, ac idcirco contra Doctorum voluntatem? Qui Proteſtantes Principes v. gr. eccleſias juriſdictioni ſuæ ſubjectas à Pontificia ſuperſtitione & idololatria purgare potuerint contra doctrinam ductorum Romanæ Eccleſiæ? Secundum Synedrii doctrinam nulla Religio erat aſſerenda; multo minus in ſuas provincias introducenda, quæ deciſionibus ductorum eccleſiæ repugnaret, cujus membra erant. Nam juxta opinionem Synedrii non liberum erat ipſis ſtatuere, ductores eccleſiæ errare, in eaque ſententia contra eoſdem perſeverare: ſuam contra opinionem ductorum Romanæ Eccleſiæ propugnare, ac in id incumbere, ut recipiatur: ſed opinioni ſuæ renunciare cogebantur, ſententiæque Pontificiorum ſeſe dedere. Excipere enim, eis Principibus jus illud competiiſſe, quod idololatria Papatus cum Verbo Dei pugnet: ſua autem reformatio cum illo conveniat; hic nullius eſt ponderis: quoniam, ex Synedrii ſententia, Principes ſuam opinionem contra doctrinam ductorum eccleſiæ non poterant ſancire: aut etiam concedendum, tum etiam cuivis privato membro ſuum judicium, quod Verbo Dei fundatum credit, quemadmodum Germani Principes id cenſebant, ſequendum eſſe.

Deinde, quoniam multi Reformati jus clavium penes eccleſiam eſſe exiſtimant, non autem apud ſolos ductores: qui opinio illa, ductores nempe eccleſiæ membris *ſuam doctrinam* poſſe vi legis *præſcribere ac imponere*, claſſicalia & ſynodalia decreta, &c. generalis adeo doctrina in Reformatis Eccleſiis eſſe poteſt, meaque opinio cum ea pugnans tam abſurda haberi. Quum tamen ex iſta doctrina, jus nimirum clavium penes eccleſiam eſſe, ſequatur, *membra ductoribus præſcribere & mandare, quid docturi ſunt*: velut liber populus, ad formandam Rempub. conveniens, Rectoribus præſcribit, ſecundum quas leges imperaturi ſint: ac ubi Rectores leges iſtas tantum executioni mandant, atque interpretatio earum populo reſervata eſt. Ita ut (obiter ut hoc dicam) ſimilitudo juris Magiſtratuum *in abſtracto* conſiderati, (& qua Synedrium probare conatur, omnem ductorum poteſtatem non ex fœdere oriri) hoc caſu non conveniret. Cenſeoque Synedrium non poſſe negare, naturam regiminis eccleſiaſtici ad formam liberi populi exigendam eſſe: qui nullam *poteſtatem* nec *in abſtracto*, nec *in concreto* conſideratam, ſupra ſe agnoſcit.

Huc accedit, ſæpius fieri, ut altera eccleſia, claſſis, ac Synodus decidat aliquid contra alteram. In Hollandia trapezitæ probati ſunt, & profeſſio eorum pro legitima habita. Alibi à Cœna Domini arcentur. Quum autem membrum aliquod ex una provincia in aliam migrat, an tum etiam ob domicilii mutationem ſententiam ſuam immutare tenetur. Et quum è Belgica ad Gallicam Eccleſiam tranſeunt, quæ in deciſionibus controverſiarum à Belgica diſſentiat, an tum etiam opinio nobis mutanda ad ſenſum, qui in eccleſia illa obtinet. Synedrium nequit (ad abſurdum hoc vitandum) regerere, ſe ſolum de obligatione membrorum quæ tenerentur ad doctrinam ductorum ſuam mentem & animum conformare, verba facere, quæ in generali Concilio ſancita eſt.

eſt. Nam peccat ergo primo, quod accuſet me, quod à communi Reformatorum Theologorum opinione recedam: de qua tamen in nulla generali Synodo aliquid ſtatutum eſt. Deinde, quoniam Synedrium obligationem hanc in auctoritate officii Paſtoris fundat, aut auctoritate ductorum ſingularis eccleſiæ; qui etiam reipſa jus clavium uſurpant: quo pacto ſe ex hiſce difficultatibus evolvere poteſt reſpondendo, ſe de ejuſmodi vinculo diſputare, quod ex generali Concilio oritur.

Præterquam quod Synedrio difficile foret probare, *juris* eſſe *Divini*, omnes Reformatas eccleſias, vel potius, earum ductores ad hujus uſurpationem poteſtatis, de qua jam diſputamus, ad generalem Synodum convenire debere: tum enim Dordracena Synodus vim ſuam amitteret: eo enim Gallicanarum Eccleſiarum ductores non apparuere. Si autem pauciores eccleſiæ poſſint efficere, Synedrio definiendum eſt, quantus numerus requiratur. Et quid illis eccleſiis conſilii, quæ nullis claſſibus atque Synodis ſubſunt, an illæ membris *nullas deciſiones præſcribere & injungere poſſunt*?

Conſiderationem etiam meretur: quomodo, & qua qualitate ſeniores etiam ſuffragium ferant in eccleſiaſticis *decretis* formandis, quum paſtoris munere, ornamentis, & dignitate carentes, etiam illorum privilegiorum non poſſint eſſe participes, quibus Verbi Divini Præcones vi ſui muneris gaudent. Ac quæ ratio, ut Reipub. Rectores, antequam circa eccleſiaſtica aliquid ſtatuant, Eccleſiaſticos primum conſulere debeant; (veluti hoc jam publice doceri incipit) qui etiam è ſenioribus conſtituuntur. An illi etiam majori religionis ſcientia imbuti ſunt Reipub. Rectoribus. Si imperium eccleſiaſticum poteſtate quadam ferendi leges niteretur, ubi officium obediendi legibus in *poteſtate*, non autem in *ratione* aut *æquitate* conſiſtit, quæ in lege reperitur (ita ut nulli ſubjectorum de ea cum Summis Poteſtatibus diſputare permiſſum ſit) poſſet hoc intelligi.

Verum Venerandum Synedrium non audet illud aſſerere; licet revera ex ipſorum poſitione ſequatur: ſed affirmant, ſuas deciſiones vim obligationis habere, quatenus ex Verbo Dei petitæ ſunt. Verum utrum deciſiones in S. Scriptura fundatæ ſint, an non, hoc ſibi ſolis judicandum reſervant: ac cenſent, membra fidem ſuam ei judicio accommodare debere. Inquam ergo, me non poſſe comprehendere, quid juris ſenioribus ſit, quibus S. Literarum explanatio ſpecialiter non eſt credita, ut etiam deciſiones in fidei controverſiis cudant.

Velim quoque mihi indicari, num doctor aliquis, in Synedrii concilio, claſſe, vel Synodo circa deciſiones quaſdam in fidei controverſiis à collegis ſuis diſſentiens, ac ſuffragiis victus, etiam opinionem ſuam ad arbitrium collegarum ſuorum permutare cogatur, juxta Synedrii dictum. *Spiritus prophetarum prophetis ſubjectus ſit*: ac propterea an ſuffragia in deciſionibus controverſiarum fidei numerentur; ac tum membris, tum Paſtoribus credenda eſſe, quæ à pluribus approbata ſunt: atque ita majorem ſuffragiorum numerum etiam fidei noſtræ canonem eſſe?

Hac occaſione etiam quæri poſſet, an ex Synedrii doctrina non ſequatur, ab Eccleſiæ judicio pendere, quantum privatus Chriſtianus libris S. Scripturæ vulgo, ac textibus privatim deferre debeat; ac idcirco vim atque probationem, quæ in iis ſunt, æſtimare non debeat ſecundum lumen & divinitatem, quæ ipſe in illis conſpicit; verum quæ eccleſiæ ductores in iis cognoſcunt. Ita ut auctoritas Verbi Divini reſpectu obligationis ſuæ *quoad nos* ab eccleſiis pendeat: quæ vera Papiſtica poſitio eſt.

Ignoro etiam, qui doctrina Synedrii cum illo Chriſti monito conveniat; quo ec-

eccleſiarum Rectores vetat nomen Rabbi, id eſt, magiſtrorum admittere. Si Chriſtus omne magiſterium ex eccleſia velit exulare, *Matth.* 23:8. quo pacto cum Euangelii doctrina poteſt conſiſtere, ſi nobis eam doctrinæ poteſtatem vindicemus, ad quam privati Chriſtiani conſcientias ſuas dirigere teneantur?

Quia itaque mihi inviſa eſt doctrina Papatus, ac quia mille aliæ abſurditates in Synedrii opinione continentur, ea prohibent me illam amplecti: credo etiam pauciſſimos, aut plane nullos in Eccleſiis noſtris Reformatis reperiri, qui Synedrii opinionem, recte propoſitam, ita ut bonus inde ſenſus, qui ſibi conſtet, formari poſſit, admittent. Non equidem etiam novi, an in aliquibus noſtrorum Reformatorum Theologorum ſcriptis hæ theſes reperientur: *membrum teneri affectare mutationem illius ſententiæ, quam S. Scriptura putat eſſe nixam: quæque ſimul contraria ſit doctrinæ nonnulli doctoris, aut deciſioni cujuſdam Synedrii, Claſſis, aut Synodi: quamque eccleſiæ ductores, in Synodo, Claſſeve congregati arbitrantur ac declarant juxta Verbum Dei factam eſſe: ideoque membro illi firmiter tenendum eſſe, ſe errare, ac idcirco Deum orare, ut ſe ab errante illa conſcientia, nimirum in ductorum ſententiam atque veritatem ipſum perducendo, liberet.* Deinde; *cuilibet Chriſtiano credendum eſſe, ſe vera Eccleſiaſtica pœna, & quam Deus in cœlo confirmat, dignum eſſe; quum poſt multas admonitiones inſtitutioneſque ductorum, à ſententia ſua non poteſt deduci.* Tertio; *quando diſputatur, an quidem eccleſiæ ductores doctrinam quandam ex Verbo Dei propoſuerint: tum ejus controverſiæ deciſionem, ac ſecundum quam quivis Chriſtianus ſe regere debeat, non privato Chriſtianorum judicio niti debere; ſed judicio ductorum.*

Hæc eſt Synedrii opinio; & expeterem loca quædam ex ſcriptis Reformatorum noſtrorum Theologorum allegata, quæ indicarent, opinionem hanc ab aliquo illorum propugnatam eſſe. Ut etiam Synedrium mihi diſcrimen oſtenderet hanc inter doctrinam ac doctrinam Papatus.

Ego ſaltem nullam novi differentiam: atque nunquam ex Reformato aliquo Chriſtiano iſtiuſmodi doctrinæ confeſſionem audivi.

Sed communis Theologorum opinio pro me ſtat, quæ ubique clare in diſputationibus ipſorum contra Pontificios de Eccleſiæ auctoritate reperitur.

Demonſtravi ergo, in quibus capitibus à Synedrio diſſentiam, ac in quibus conveniam cum eo: cenſeoque meam ſententiam, à Synedrii doctrina recedentem, non ſolum omnino cum communi Eccleſiæ noſtræ doctrina convenire; verum eam non poſſe deſeri, ni in verum & capitalem Pontificiorum errorem velimus incidere.

Jam nihil aliud ſupereſt, niſi ut quaſdam ex primariis natas quæſtiones, quæque nihi faciant ad ſummam rei, & quibus me Synedrium onerare conatur, obiter attingam.

Primo miratur me Synedrium, *Pag.* 563. *ſecundæ Admonitionis*, quod in ſecunda mea *Apologia* ipſis objiciam, quod non ſatis candide agant; *quia dicunt, me conari probare ſimilitudine miniſterii circumciſionis ac Paſchatis, miniſterium illud Paſchatis privatam ſolum actionem eſſe.* Ac Synedrium arbitratur ea in re injuriam ſibi fieri, quod hoc de ipſis ſuſpicer. Etiamnum dico, me nulla ea in re Synedrium injuria affeciſſe: quandoquidem mihi adſcribit, quod ne per ſomnium quidem unquam cogitavi in Tractatu meo docere; nec etiam inde elici poteſt: nuſquam, multo minus ex citatis locis *Pag.* 450. & *Pag.* 448. *mei Tractatus*, concludo, *circumciſionem, aut feſtum & celebrationem Paſchatis privatas fuiſſe actiones; vel à privatis regulariter fuiſſe adminiſtratas*: ſed tantum ad illuſtrationem ſimilitudinem circumciſionis adduxi, ac immolationem

Pa-

Paſchatis: non autem decidi, num actiones illæ per conſecratas perſonas forent faciendæ, an non: ac hoc ad lectoris ingenium apparandum, ut ſententiam meam circa celebrationem ſacrarum iſtarum actionum, & perſonas, per quas eæ celebrandæ erant, probe perciperet: quare inquam, *ſi verum ſit, ut cuique agnum ſuum Paſchalem licuerit mactare, ſuumque filium circumcidere, &c.* ſub conditione loquens, nihil autem definiens aut concludens. Provocoque ad judicium eorum, quibus moleſtum non erit citata loca inſpicere; illa examini omnium committo: quum alioquin conſcientia mihi ſit pro mille teſtibus, me nunquam alia mente allegata loca produxiſſe. Sed poſitive loquor, quando ajo, *feſtum Paſchatis* celebratum fuiſſe per quemque patremfamilias: ubi omnino aliter (nihil definiens) de *immolatione Paſchatis* (quanquam viri doctiſſimi illam privatis permiſſam fuiſſe tueantur) diſputo. Quare evidenter apparet, non ſolum me per *feſtum* aut *manducationem Paſchatis* aliud intelligere, quam per *mactationem Paſchatis*: ac proinde per hanc & illam actionem non idem me docere: verum etiam me ex natura unius naturam alterius actionis nolle demonſtrare.

Fateor, me poſtea monitum, ac conſpicientem, Synedrium per verba *Feſti Paſchatis* falli, ſub iisque etiam *immolationem Paſchatis* comprehendere; verba *feſti Paſchatis* in *convivium Paſchale* mutaſſe; verbis, ad cauſam erroris tollendam, mutatis, non autem ſenſu meo ac opinione per verba in Libro meo expreſſa. Nec Synedrium poteſt excuſari, quod verbis meis perverſum adeo ſenſum accommodet; quia nunquam dictis locis affirmo quippiam de *mactatione Paſchatis*; quemadmodum quidem facio *de celebratione feſti Paſchalis* aut *convivii Paſchalis*: & aſſevero, illud à patrefamilias adminiſtratum & celebratum fuiſſe. Atque nihilominus Synedrium excerpta ex libro meo citat, quaſi ipſorum ſcopo ſervirent.

Sequitur ergo, me Synedrio nullam injuriam inferre, quum ipſos accuſo, quod multæ ipſorum theſes argumentationesque *meræ ſint cavillationes ac ſophiſmata*; quod periti nec partium ſtudio abrepti lectoris judicio relinquo: qui ſerio cogitet, quam periculoſum ſit de excerptis judicare, ac juxta ea ſententiam ferre, non inſpecto ante ſuper iis auctore. Memini Profeſſorem *Voetium* olim integram *Nubem teſtium* edidiſſe, quæ excerpta erant ex magna Scriptorum copia, ad probandum, Canonicos hujus loci annonas ſuas ſacras, quas præbendas vocare ſolemus, bona conſcientia non poſſe poſſidere: multo minus Reip. Rectores in privatum ſuum commodum, unde nec eccleſia, neque reſpubl. lucri aliquid ſentiret, reditus bonorum aliquorum ſacrorum, poſſe convertere. Atque hæc excerpta ſeu *Nubes teſtium* librum ſatis grandem conficiunt. Alter Paſtor in eadem eccleſia pro Canonicis & hujuſmodi bonorum poſſeſſoribus ſcribens, ſe demonſtrare putabat, nullum eorum excerptorum ad cauſam pertinere, omniaque refellit. Quam itaque fidem excerpta merentur contra explicationem Auctoris, quam ipſemet ſuper verbis ſuis facit.

Quod ad hiſtoriam *Deputatorum Claſſis* circa exhibitionem excerptorum, quæ ex Tractatu meo de *Munere Paſtorali* collecta ſunt. Vere eam narravi; & Vos, Nob. Ampl. Viri, ex circumſtantiis judicare poteritis, quid hac de re ſentiendum ſit. Hoc inſuper addens, non veriſimile videri, Præſidem quendam ſcripta aliqua penes ſe ſemper retenturum, quæ ipſi tradita erant, ut in conventu Ordinum exhiberentur; ſi is, qui ipſi ſcripta iſta tradebat, ſerio voluiſſet, ut in Concilio Ordinum exhiberentur, legerenturque.

Pag. 571. *ſecundæ Admonitionis* Synedrium omnem movet lapidem, ut demonſtret, me circa doctrinam de *jure*

clavium à Confeſſione recedere: ex *clavi doctrinæ* duas claves facientem; neque ita tacite alteram clavem tollere, *excommunicationem* nempe. Verum Synedrium oſtendit ſe de jure clavium tam confuſos habere conceptus, ut (adſit venia dicto) ipſimet ignorare videantur, quid doceant ac confirment. Synedrium *Pag. eadem* concedit, me in Eccleſia poteſtatem quandam atque jus agnoſcere contumacia membra eccleſiaſtici cœtus puniendi & abſcindendi: ſed me docere illud ex fœdere quodam oriri, ac ex naturali corporeoque jure. Concedit itaque quod *excommunicationem*, velut *pœnam* eccleſiaſticam admittam: ergo clavem *excommunicationis* cum *clavi doctrinæ* non confundo.

At Synedrium etiam in hac *excommunicationis* ſpecie non acquieſcit, quia ex fœdere deſcendit: ac fatetur tamen, neminem membrum alicujus Eccleſiæ, niſi libera electione fieri. Et ita nullum membrum Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſubjectum, niſi qui libere ſe in Eccleſiam inſcribi ſinit; atque Synedrium ſponte ſua confitetur, ſe neminem proprie excommunicare, quam qui ita libere membrum eccleſiæ ipſorum factum eſt: quemadmodum fœmina volens nubit, optionemque habet, cui ſe jungere velit.. An ergo ea *excommunicationis poteſtas*, iſtudque *clavium jus* non ex fœdere naſcitur? Ac annon eædem illationes ipſorum, quæ meam excommunicationem ſequuntur.

Synedrium peſſime etiam infert, *excommunicationem* hanc (ſecundum meam opinionem explicatam) non eſſe Chriſtianam *excommunicationem*, à Chriſto inſtitutam: verum excommunicationem, ex corporeo naturalique jure profluentem; quia ſtatuo, regimen eccleſiæ eſſe *civile*: ſimul enim doceo, imperium illud verſari in exequutione Divinarum ac Chriſtianarum legum; quarum etiam una eſt præceptum *excommunicationis*. Res aliqua non deſinit eſſe Divina & ſpiritualis, licet per jus quoddam naturale executioni mandetur. Ita etiam excommunicatio non deſinit eſſe Euangelica inſtitutio, quamvis naturalia media eo accedant, antequam effectui poſſit dari. Quare etiam doceo, *nonnullum à Chriſtiana eccleſia poſſe excludi per prohibitionem Sacramentorum*: quod tamen Synedrium *Pag.* 571. dicit me negare; quod alibi doceam, etiam excommunicationis genus dari, quæ ſine *poteſtate ac auctoritate fit*, & tantum in vitatione improborum conſiſtit, eam nimirum intelligens, quæ exercetur erga eos, qui in Eccleſia non ſunt; & ideo Eccleſiæ legibus non tenentur, quas poſſent transgredi. Atque hoc verum eſt: ſed an hac ſtatuta priorem everto? nullo modo: quemadmodum ex *Pag.* 501. 502. & 503. primæ meæ *Apologiæ* conſtat.

Hic ſolus Synedrii ſcopus eſt: quod velit, ut de ipſorum *miniſteriali excommunicatione*, prout ipſi loquuntur, etiam tam abſurda, ſecumque pugnantia ſtatuam, uti ipſi faciunt. Affirmant ſuam *excommunicationem* tantum eſſe *miniſterialem*; nec in eccleſia ullam *poteſtatem* eſſe *ferendi leges*: ac nihilominus ſtatuit, ipſorum *excommunicationem veram pœnam* eſſe. Sententias etiam ferre nolunt, aut deciſiones facere, quæ *conſcientias ligent*; quum ea ſoli Deo ſit ſubjecta: & tamen aſſerunt, ipſorum judicium ita eſſe authenticum, ut quivis Chriſtianus credere teneatur, Deum in Cœlo judicium illud confirmare. Duas claves doctrinæ eſſe ſtatuunt, claudendi reſerandique Cœlum: ac tamen docent excommunicationem nihil aliud eſſe, quam applicationem doctrinæ Euangelicæ ad hunc vel illum peccatorem privatim: qua ipſi ex Verbo Dei per miniſterium paſtoris annunciatur, illum æternæ beatitudinis participem eſſe non poſſe. Qui tale jus clavium à clavibus doctrinæ diſtingui poteſt? Et qui excommunicatio illa tantum vim ſuam in eas perſonas exſerit, quæ fœdere mem-

membra eccleſiæ facta ſunt: ut Synedrium hoc ita intelligit, dicentes poteſtatem eam excommunicandi ſe non ulterius extendere, quam ad membra eccleſiæ. An miniſterium illud applicationis doctrinæ, promiſſorum atque pœnarum Euangelicarum tantum circa hujuſmodi membra eccleſiæ verſatur? Putabam miniſterium id ad cunctos homines manare ſeſeque diffundere. Exigunt ut credamus, illorum poteſtatem clavium eſſe *miniſterialem*, non tamen nuda *vitatione* contenti ſunt; ſed dicunt ſe jus habere *prohibitionis*: veriſimile ergo eſt ipſos etiam jus ſibi vindicare ad mandatum ſuum executioni mandandum: eoſque, qui contra juſſum ad communionem accedunt, ab ea arcendum.

Quare etiam ejuſmodi *excommunicationis* ſpeciem agnoſco quidem, quæ miniſterii Verbi Divini pars ſit, paſtorique ita propria, quemadmodum per vocationem miniſterium Verbi ipſi proprium factum eſt. Aſt ſicut iſta *excommunicatio miniſterii portio eſt*: ita cum ea commiſcenda non eſt, quæ *hierarchiam* quandam, *judicialem*, *ferendi leges*, aut *imperandi* poteſtatem refert. Quemadmodum Synedrium perpetuo id facit, certis verbis eo ſenſu utentes, quo à nullis uſurpantur.

Quod ad *excommunicationem*, ut pœnam conſideratam, attinet; qua per ſententiam judicis, & formaliter ea poteſtate aliquis judicialiter poſſeſſione regni cœlorum privatur; eam nego in Eccleſia Dei reperiri: verum iſta ſoli Chriſto competit; & ad illam nulla omnino poteſtas vel auctoritas Eccleſiæ aut collegio alicui in terris tradita eſt; neque in ea pœna, ac in hac excommunicationis forma Synedrium ullam partem habet; quum ſpiritualis ſit, ſoluſque Chriſtus iſtam ſibi vindicet. Nec iſtius excommunicationis ergo ullum in Eccleſia verum tribunal aut veri judices, qui cum poteſtate & auctoritate, cui qua tali parere debemus, conſtituta ſunt: nam ea Chriſtianus judicialiter ligatur aut ſolvitur. Nec paſtoris, aut eccleſiæ rectoris hac in excommunicatione ulla alia eſt opera, quam propoſitio doctrinæ Euangelicæ, & miniſterialis applicatio ad eandem doctrinam; eum nempe regni cœleſtis non fore participem, qui exitialem errorem errat, aut peccandi conſuetudine tenetur. Ac uti illud mere miniſteriale eſt: ita etiam nullam prorſus cum ulla poteſtate & regimine eccleſiaſtico connexionem habet. Qua in re ergo meæ poſitiones de *excommunicatione* à Confeſſione diſcrepant.

*Pag.*546. *Apologiæ* meæ dixeram, nihil majori cum Reip. detrimento poſſe fieri, quam ſi illi, qui jus Summarum Poteſtatum defendunt, peſſime excipiantur, &c. Ad hæc verba Synedrium plenis velis in me invehitur; me inter adulantes ſcriptores connumerat; & cui conveniat, quod Leidenſes Profeſſores in conſultatione ſua adverſus eos dicunt, qui magiſtratibus circa Sacra nimium juris tribuunt. Iterum Vos, Nob. Ampl. Viri, de jurejurando veſtro officioque admonent, & ne unius viri ergo à concordia in fide ac diſciplina recedant, in qua hactenus cum aliis eccleſiis atque Rectoribus harum Provinciarum ſteterunt; & ne tandem per ejuſmodi ſcriptores impelli ſe ſinant ad *ſacrum devorandum*: falſo mihi porro tribuentes, quod aſſeram, Magiſtratus etiam *interna eccleſiaſtica officia* poſſe peragere: quanquam tacite concedant, in diverſis Reformatis Regionibus hoc fieri: ac generalis valde ſit opinio Reformatorum noſtrorum Theologorum, Magiſtratibus externam procurationem circa interna concionandi officia, atque Sacramentorum miniſterium competere: ego autem nihil aliud dixi. Et an paſtorum vocatio non externa eſt commiſſio ad prædicandum? Sane qui fatentur idololatriam, ac omnem falſum Cultum Divinum à Magiſtratibus eſſe prohibendum, ut omnes Reformatarum Eccleſiarum Confeſſiones præcipiunt, iſti

iſti Magiſtratibus majus jus impertiunt: illo enim jure Summis Poteſtatibus dato, etiam ipſis jus eſt finaliter decidendi, quæ vera, quæ item falſa ſit religio: atque idcirco Magiſtratibus competit, Divinum Cultum in ſuo Statu ſua ſponte & ex ſua ſententia ordinare. Aut dicendum foret, Magiſtratibus ad judicium eccleſiæ religionem aliquam eſſe reprobandam aut propugnandam. Itaque Magiſtratus poteſtas circa ſacra nulla alia erit, quam ex præſcripto paſtorum jure ſuo uti; & eorum juſſa capeſſere. Quæ certe nunquam opinio Auctorum ſupra memoratorum fuit. Si ergo Magiſtratus jure ordinandi religionem gaudeant; quantò magis poſſunt perſonas eligere, quæ religioni, quam in Statu ſuo exerceri volunt, præſint & adminiſtrent.

Verum ut è diverticulo in viam redeam: cenſeo itaque, magnum damnum & detrimentum creari poteſtati politicæ, ſi paſtoribus in ſcriptis & concionibus ſuis permittatur, eccleſiaſticum jus ſuum & juriſdictionem ſupra modum evehere: eoſque, qui pro jure Rectorum Reip. ſcribunt, illis, quorum de commodo agitur, vexandos tradere. Præſertim quum juxta fundamenta, quæ Synedrium hic locat, & ſuper quæ ædificium Eccleſiaſticæ ſuæ poteſtatis excitare laborat, nullum omnino eccleſiaſticæ poteſtati modum ponere liceat: verum indirecte omnia ad eccleſiam poſſint revocari. Exempla eccleſiaſtici regiminis Scotorum, ad quorum regiminis formam quidam ex Synedrio tribunitiam poteſtatem in nos exercere meditantur, ſatis ſuperque id nos docent. Et quantopere Reſpub. illa enervetur, ubi illa jus ſuum non anxie conſervare ſtudet contra jus Eccleſiæ, quod ſibi arrogat Eccleſia, Lyceſteriana tempora & quotidiana nos docent experientia. Ad gratiam alicujus captandam, Deum teſtor, in Præfatione mea, vel Tractatu de jure eccleſiæ, aut Summarum Poteſtatum non diſputavi; multo minus ut id in animo habuiſſem, ut ſtabilitum aliquem ordinem convellerem. Hoc ſeditioſorum eſſe probe novi; atque eccleſiæ & Reipublicæ periculoſum: quum hoc facto magnæ confuſiones è veſtigio exoriantur; dum emendatio veterum fraudum & vitiorum indies promittitur, & raro aut nunquam obtineatur. Et ea de re in urbe noſtra quorundam recentium zelotarum, quorum facta magis alienationem mentis ſapiebant, quam ſtudium religionis, ejuſmodi exempla vidimus, ut bonus civis non ducatur novitatibus, licet nonnulla ſpes emendationis affulgere videretur. Amor erga veritatem, ac præcipue, imo tantum, ut per mearum opinionum propoſitionem atque expoſitionem fidei meæ conſortes (Synedrii pace liceat me etiamnum inter Reformatos numerare) munirem contra Pontificiorum argumenta circa jus eccleſiæ, impulerunt me ad diſputandum ea de re. Ac etiamnum in illa ſum ſententia, hiſce poſitionibus non datis & admiſſis doctrinam Papiſtarum non poſſe ſolide refutari. Et mira atque intricata dogmata Synedrii circa poteſtatem Paſtorum, Claſſium, Synodorumque; & ex quibus nemo ſenſum qui ſibi conſtet, formare poterit, niſi in meam, vel Romanæ eccleſiæ opinionem deſcendat, in hac ſententia mea confirmant me.

Exprobratio odii aut gratiæ ineundæ ſcribendo magis in illos convenit, qui per offenſionem multorum, ac per proditionem ſuæ æſtimationis dictis factiſque præ ſe ferunt tam ſubitam ſententiæ, quam antea propugnarant, mutationem; jamque ſimulant hoc in proximo tranſmittere aut diſſimulare non poſſe, cui quondam operam ſuam commodarunt. Tota Eccleſia ſatis tenet quo tendant, quæ loquor, & ſapientibus ac prudentibus facile eſt conjicere, ex quibus cauſis mutationes hæ oriantur: & quomodo melioris ſpei fulgor eos potuerit ſubegiſſe ad curſum mutandum, quem cœperant, & nova velifi-

catione uti. Verum hoc Deo, cordium Scrutatori committo, qui judicaturus eſt, quis alio quam bonæ conſcientiæ pretio ductus hanc vel illam viam ingrediatur: atque per ſpeciem ſtudii veritatis Divinæ, ſuis compendiis operam dat, & pravis affectibus litatur: ac hujuſmodi tum nunquam deſunt, qui ipſis opem præſtant, atque in Theologia ſua tempori ſerviunt. Quare etiam hujuſmodi judicium parvipendo, ad male de cauſa mea ſentiendum. Unus, qui judicio pollet, & eruditus eſt, nec non Theologiæ Profeſſor, quique nunquam Adverſariis meis largiri voluit, tales poſitiones in libro meo reperiri, quales Synedrium ſe inde excerpſiſſe præ ſe fert, pluris à me fit, quam multi alii, qui laudem bonorum diſcipulorum in eo collocantes, ſi cæci magiſtrum, cujus diſciplina in ſtudio Theologico uſi ſunt; & qui potens in Synedrio collegas allegit diſcipulos ſuos, qui ejus auctoritati parent, ſequuntur.

An cauſa mea minus probata eſt, quod ab iſto collegio condemnata eſt: etiam antehac paſtores quidam ejuſdem collegii condemnari debuiſſent, ac quorum jam unus præfervide in me arietat; qui etiam ejuſdem Synedrii cenſuram olim incurrit. Atque hi tunc temporis non gravabantur implorare magiſtratum ſecularem, ac per eum in priſtinum quem obtinuerant locum, reſtitui. Ac ipſi eccleſiaſtici exiſtentes ſummopere queſti fuiſſent, ſi cauſa ſua judicio Synedrii permiſſa fuiſſet. At nunc eo tendunt, ut controverſia, quæ jus Magiſtratuum circa ſacra ſpectat, atque à politico propoſita, ab eccleſiaſticis collegiis decidatur; ac ut ita adverſarii judices conſtituantur. Et Magiſtratus ferrent, eccleſiaſticos iſtos cœtus de rebus perſoniſque politicis ſententiam ferre, & pro judicibus ſe gerere: qui nolunt ſcripta Profeſſorum ſuæ Academiæ eccleſiaſticorum cenſuræ ſubjici.

Eodem jure Synedrium opinionem & factum Reipub. Rectorum, quo jura ſibi imminuta cenſent, & Synedrii facta aliquantum coërcentur, & in ordinem coguntur eorum duces; ac contra quod conteſtationes in libro ſuo actorum eccleſiaſticorum Synedrium ſcriptis conſignare ſolet; etiam eas ad claſſes Synodoſque referunt, ibique cauſam decidi procurant: atque de Rectoris Reip. qualitate ac jure Synedrium claſſisve judicaret, &c. Et verendum eſt politicos nonnullos, qui per ſuperſtitionem in poteſtate Eccleſiaſticorum ſunt, etiam repertum iri, qui jura privilegiaque Urbis hujus ſuſque deque habentes dignitatem hujus civitatis ita imminutam optent ut ſub jugum Eccleſiaſtici ordinis mittatur. Et interea de membro collegii Magiſtratuum, laborantis Civitatis jura contra uſurpationem Eccleſiaſticorum defendere, ſibi Synedrium vindicabit judicium.

Eſt etiam quod conquerar, Synedrium per errorem præ ſe ferre, quæſtiones inter ipſos ac me exortas, tanti eſſe momenti, quaſi de ſumma fide ageretur; ad illud textus afferentes, quæ de ejuſmodi ſummis fidei capitibus loquuntur: *Pugnate pro fide, quæ ſemel Sanctis tradita eſt.* Hæ ſunt veteres artes, quibus omnes opiniones ſuis ſenſibus non congruentes pro magnis hæreſibus divulgant, ut cœtum fidelium præjudiciis occupatum, non zelo ſed furialibus ſtimulis agitent in proximi perniciem: cujus rei tam triſtia hæc ætas tulit exempla, ut Politicis maxima opera incumbendum ſit, ne his initiis res pernicioſiſſima in conſuetudinem abeat: & inde reliquis metus oſtendatur, ne contra hierarchicos aliquis Politicorum quippiam aggredi audeat.

Eodem etiam ſpectat id, quod Synedrium, *Pag.* 573. ſecundæ *Admonitionis* dicit, *apud ipſos non tam mala fundamenta jaci, quam quidem apud* Hobbeſium, *ejuſque ſectatores: ex quorum principiis & fundamentis multæ periculoſarum harum offenſionumque plenarum poſitionum oriuntur, &c.*

 Hiſce

Hiſce verbis Synedrium nihil aliud intendit, quam meam opinionem, ſummorum Theologorum doctrinæ congruam, nec à Confeſſione noſtra recedentem, cum periculoſis quibuſdam, atque offenſionum plenis theſibus *Hobbeſii* comparare. Hæc ſententia, quam defendo, noſtrorum omnium Reformatorum Theologorum opinio eſt, nemine excepto, quamque aperte docent, quando contra auctoritatem Papæ, Romanæque Eccleſiæ diſputant, eandem poteſtati Cæſarum ſubjicientes: ac etiam velut vibrata haſta pugnantes contra eam opinionem, nempe *cœtui eccleſiaſtico ex ore doctorum tam authentice veritatem eſſe hauriendam*: *ut tandem, ſi ductores in noſtram ſententiam pertrahere nequeamus, judicio eccleſiæ, non autem proprio nos ſubjicere cogamur*; atque hæc ipſiſſima eſt Synedrii doctrina. Ita etiam mihi tanquam errorem cenſura dignum, alia occaſione objecerunt Adverſarii, quod in Tractatu meo de *Paſtorali Munere* docuiſſem, membrum aliquod eccleſiæ non teneri plura de Paſtoris doctrina credere, quam doctor ipſi perſuadere poteſt. Probe novi, in hoc capitalem illam diſputationem, ac mea quidem opinione maximam, quæ nobis cum Pontificiis eſt, circa regulam fidei verti: nempe cui privati ſuam fidem accommodare debent: ſcilicet, *an ſit judicium doctoris*; *num vero cujuſvis privati*. Et Synedrium tam enormiter in doctrina errans, errorem *Hobbeſii* mihi exprobrat; cujus Auctoris Tractatum de *Cive* me intra decennium manibus contrectaſſe ignoro: atque ejus *Leviathani* nunquam quod ſciam duas horas impendi: nec etiam mihi ſubit, me vel unicam opinionem in Libro meo de Idololatria & Superſtitione tradidiſſe, quam ex *Hobbeſio* mutuatus ſim.

Vere poſſum affirmare, me conceptus meos ex Reformationis noſtræ fontibus, & Reformatis Scriptoribus hauſiſſe, qui omnes noſtræ ſunt Confeſſionis, quosque omnes pro fratribus agnoſcimus; quibusque integræ Reformatæ regiones abundant: verum qui etiàm majori judicio, ac minori cum cupiditate acti, jus eccleſiaſticum à Magiſtratuum poteſtate diſtinguere norunt; atque cuivis jus ſuum melius tribuere, quam Venerandum Synedrium inſtituit: quod ejuſmodi fundamenta locat, ut omnes civilis imperii partes labefactentur, & quaſi diſſolvantur. Ac qui Reipub. Rectores admonent, *ne ſanctum devorent, atque hoc pacto peccato ſe obſtringant*, ipſis religio non eſt, Divinum ſacrumque Magiſtratuum jus ſibi arrogare. Cenſeo, ſi his permitteretur, eos non tantum temporis ſpatium petituros; aut neceſſarium ipſis fore, ad eccleſiaſticam ſuam auctoritatem ad tantum faſtigium erigendam, quanto Papa Romanus ad illud indiguit.

An non nuperrime etiamnum concionatum eſt, Eccleſiæ *Ærarium* ſuum eſſe dandum: tam ſub Novo Fœdere *conſecrata* bona dari, quam ſub Veteri fuerunt; ac circa quæ *verum ſacrilegium* committitur; eccleſiæque privative & excluſoria auctoritate diſpenſationem de iis competere: adduntque rationem ne temere aliquid docuiſſe videantur, nempe, quod fideles nondum in cœlum tranſlati, ſed multis corporis infirmitatibus & ægritudinibus obnoxii, etiamnum in terra degentes, multis temporalibus ſecularibusque auxiliis indigerent; ac idcirco temporalibus bonis carere nequirent. Ergo etiam juxta ſententiam illius doctoris privilegium eſt iſtius eccleſiaſticæ ſocietatis, atque ipſi *immediate* à Deo conceſſum, ut ex eo jure, ac ut Chriſtiani ſed qua homines conſiderati, contra corporis incommoda defendantur, bona ſua debeant colligere, ærariumque conſtituere, idque ad prædictum uſum impendere: quemadmodum etiam ob illas rationes docet, jus colligendi eleëmoſynas, ac adminiſtrationem earum ita ipſis competere; ut hoc originem ex naturali & civili ſtatu non habeat, (quemadmodum reliqua bona, quæ alia col-

collegia poſſident, naturam ſuam inde mutuantur, atque de quibus nemo negat, naturam imperii civilis pati, ut *utile dominium* quorundam bonorum habeant) verum illud ex Divina conſtitutione proxime fluere: qui etiam Diaconos in Eccleſia ſua ex eodem jure Divino conſtituere dicunt, ad collectionem diſtributionemque iſtarum eleëmoſynarum. Sed ſicut Chriſtiani conſiderati ut homines, non ſolum tutela contra frigus, ac alias aëris injurias indigent: verum etiam quoad corpus à pravis hominibus & hoſtibus ſuis lædi poſſunt: ita etiam eccleſiæ per prædicta fundamenta collectam licet facere ad exercitum conſcribendum, ad vim hoſtium repellendam: & nomine *belli ſacri* donare poſſunt, ut eccleſiam muneribus afficiant.

Certe nullam video differentiam, quare alterum ex altero non ſequatur; ac ut (quemadmodum ſecundum Synedrii ſententiam Deus Eccleſiæ *immediate*, perque Euangelicam inſtitutionem ad collectionem bonorum jus tribuit, ut inde ſumptus reſarciantur ad alimenta membrorum neceſſarii) ſimiliter Eccleſia non poſſet ulterius procedere, & pecuniam colligere ad belli præſidia. Ac quare hoc eccleſia, quatenus Eccleſia, ac eatenus à Repub. non dependens, & omnino non velut Collegium politicum conſiderata (quæ verba Synedrium prorſus ferre nequit) non æque poſſet facere; quam dicit ea qualitate ſibi *ærarium* ad ſuſtentationem pauperum ex jure Divino competere.

Infinita ejuſmodi abſurda, cum omnigena turbatione Reipublicæ indicari poſſent provenire ex pravis quibuſdam fundamentis, à Synedrio jactis: quibus ulterius examinandis nunc vacandum non arbitror, ne Veſtra, Nob. Ampl. Viri, patientia abutar; ac ut in propoſito meo perſiſtam, ne chartas has re aliqua impleam, quæ neceſſariæ defenſioni nihil ſubſerviunt. Ob quas rationes parvas quaſdam circumſtantias reticeo, quæ ad ſummam cauſæ nihil faciunt.

Etiam in prima Apologia mea, *Pag.* 515. narrando partem concionis Paſtoris cujuſdam Eccleſiæ Belgicæ indicaveram, nonnullos in Synedrio reperiri, qui alios accuſantes, quod non adhæreant Confeſſioni, directe eam oppugnent: ac qui Magiſtratibus, qua Magiſtratibus, omnem penitus ſacrorum procurationem eriperent. Fateor à Synedrio in ſecunda Admonitione *Pag.* 573. nomine ejus Paſtoris cuivis offerri, qui ipſum ea de re conveniret, ſuæ ſententiæ rationem atque probationem exhibere. Sed primo, quæritur, num verba, quibus Paſtor ille in concione ſua uſus eſt, non periculoſa, & offenſionis plena ſint; ac prima fronte ac ſpecie Confeſſionem non oppugnent. Non autem an Paſtor paululum eadem flectens, excuſatione dignum ſenſum poſſit iis accommodare. Ac ſi cenſeat iſte Divini Verbi Præco ſe non ulterius teneri: quare proximum ſuum non eadem animi moderatione tractat, & eadem æquitate cauſam meam diſceptari patiatur, neminemque condemnat, antequam ſe defendendi locus & tempus conceſſa fuerint? Vel an hæc ratio eſt, quod, Tractatu meo typis impreſſo, ſcandalum late nimis ſe diffuderat: & publice aliquid contra illum in lucem mittendum fuiſſe.

Sed multa alicujus libri exemplaria ſunt diſtrahenda, & in plurimorum manus oportet illa pervenire, ſi à tot hominibus legetur, quot Paſtor ille auditores habet. Non puto etiam, ullum Reformatum Theologum, Claſſem aut Synodum ejuſmodi doctrinam, qualis ejus eſt, quamque in prima Apologia, *Pag.* 516. propriis ipſius verbis propoſui, probaturam: ſed omnes eam reprobaturos. Quod dicant ſe paratos eſſe ad cuivis ſatisfaciendum de doctrina ſua, illud etiam offero: ac maxima mihi cauſa, eſt conquerendi, neminem omnium, qui jam ita promptos ſe oſtendunt ad proximo notam

igno-

ignominiæ, ſi fieri poſſet inurendam, me conveniſſe, ad ſenſum & ſententiam meam penitius indagandam: imo ne minimam quidem Apologiarum mearum rationem haberi volunt. Verum ubi tenentur aliqui conſtantiæ cauſa opinionem ſuam mordicus retinere, illic ulterius *propter conſcientiam* inquirere nolunt: nam qui ſic auget ſcientiam, auget dolorem: & peccatum erroris migrat in peccatum contra conſcientiam.

Ac quantum ad malas illas Synedrii artes attinet, ad me, meumque librum *malos rumores* diſſeminando, mihique odioſas nonnullas opiniones adſcribendo, invifum civibus meis reddendum. Nunquam ejuſmodi larvas extimui, aut timidus fui ad talia convicia: & defenſio veritatis, Chriſtianæque libertatis, chara mihi adeo eſt, ut neque laborem, nec dedecus, neve jacturam temporalis alicujus commodi, Dei gratia, metuam ut illam pro ingenioli modulo conſervari procurem: quæque à majoribus noſtris tanta ſanguinis effuſione, tantaque bonorum jactura comparata, nobis relicta eſt, ut eam illibatam poſteris relinquamus. Ac ad illud nunquam magis animatus fui, quam nunc, quum Synedrium tantum juris ſibi vindicat, ut non tantum ſuæ poteſtatis eſſe arbitretur libros cenſuræ ſuæ ſubjicere, qui Confeſſioni non repugnant, quod facile ipſis concedimus: verum etiam illas poſitiones oſtendendo in ſpeciem iis contineri magnam peſtem, præjudiciis onerare audent, qui ſibi tantum *periculum atque offenſionem creare videntur*; quia ſatis intelligunt iis commentitiam & inanem quandam dignitatem, quam quidam ſumunt, & qua ſe populo oſtentant, ſibi detrahi: & licet cum Confeſſione, Catechiſmoque non pugnent, tamen tam pugnaciter, minaciter in earum defenſores invehuntur, cum tamen nullæ regulæ excogitari poſſint, aut à Synedrio ſuggerantur, unde doceamur, quid ipſis offenſionem aut periculum movere videatur. Quid? an non contrà juſta iræ cauſa eſt, quum Synedrium ulterius procedens, propugnare audet, ductorum doctrinam, & deciſiones in controverſiis fidei, privatis membris regulam & legem eſſe, ad quas fidem ſuam dirigere debeant. Iſti ſervituti me ſubjicere mihi non eſt in animo: ſponte mea ad ejuſmodi eccleſiam me contuli, quæ illam fidem profiteretur, quam privato meo judicio veritati congruentem eſſe credidi, ac de qua quivis Reformatus Chriſtianus definitive finaliterque, quod ad conſcientiæ ſuæ regimen attinet, ex Verbo Dei, non autem ex doctrina & deciſionibus Ductorum, judicat.

Parum abfuit quin tacitum præterieram reſponſum Venerandi Synedrii, quo ſuum factum tueri conatur, quod Paſtoribus à Magiſtratu urbano & Ordinibus Provinciæ Urbe & Provincia faceſſere juſſis, teſtimonium ſcriptis conſignatum exhibuerit, quod moribus, vitæ ſanctitate, & doctrina Eccleſiæ exemplo bono fuerint; idque merito à ſe factum Synedrium urget, quia hujuſmodi acta Magiſtratus à plena & ſumma ejus Poteſtate profecta, non interveniente judicum ſententia, neminem diffamant. Addit præterea, in eo ſe imitatum exemplum Prædeceſſorum ſuorum, qui pariter Paſtores à Magiſtratu urbe exire juſſos honorificis teſtimoniis ornarunt. Ego autem exhibitionem teſtimonii dixeram eſſe factam, quod teſtabatur Synedrium non ad hoc magnopere laborare, ut concordia & conſenſus animorum & voluntatum inter Magiſtratus & Synedrium eſſet: & exiſtimo id à me jure factum. Nam non quæritur an tale factum Magiſtratus erga Cives infamet ipſos in foro ſoli, ita ut ideo infames & indigni aliquo loco & ordine inter cives putandi ſint, ſed an Paſtores, qui multis contumeliis idque perpetuis longo temporis intervallo Magiſtratus dignitatem, non modo attigerant, ſed etiam lacerarant, & malis con-

concionibus Rempublicam miſcuerant, quæ cauſa modi agendi Magiſtratus erga duos illos Paſtores, Synedrium non fugiebat, ſed ejus probe conſcium erat: an inquam illi Paſtores habiti à Magiſtratu pacis & otii publici turbones, & politicæ poteſtatis contemptores non propter dogma aliquod, ſed propter morum vitium & linguæ intemperantiam (quorum vitiorum Nob. & Potentes hujus Provinciæ Ordines catalogum adornarant, & typis excudi juſſerant) à Synedrio jam dicto teſtimonio ornari poterant, & tamen ſimul conſtare obteſtationi Synedrii ſuam veritatem & fidem: quod cum Magiſtratu concordiam alere, & ab ejus rationibus diſſentire nolit?

Quantum ad exemplum antea erga quoſdam Paſtores proditum, illud hic non convenit, quia illis cum Magiſtratu non erat lis aut controverſia de moribus; ſed de opinione & ſententia Regiminis Eccleſiaſtici formam ſpectante.

Venerandum Synedrium ad probandam & conciliandam illam auctoritatem (quam ego oppugno) Synedriis, claſſibus & Synodis, utuntur argumento ducto à Concilio habito Hieroſolymis, *Act.* 15. quod dicunt ab omnibus habitum tale, quod contineret quaſi effigiem expreſſam, ad quam reliqua ſubſequentia Concilia, inter Chriſtianos habenda, eſſent conformanda. At in illo Concilio res fidei ita cum auctoritate deciſæ ſunt, ut illius decretis ſingularium & privatorum Chriſtianorum conſcientiæ obſtringerentur.

Reſpondeo I. Ex hoc reſponſo liquere me Venerando Synedrio nihil attribuere, quantum attinet ad auctoritatem, quam ſuis cœtibus Eccleſiaſticorum, concedunt; (& quam ejuſmodi eſſe tuentur ut conſcientiæ earum decretis obligentur) quod veritati non conveniat. Secundo. Nego ullum Concilium poſt extinctos viros θεοπνεύστους à Chriſtianis habitum, quod cum illo Concilio *Act.* 15. componi poſſit. Quod omnes mihi facile dabunt, qui donum infallibilitatis poſt iſtorum virorum migrationem è vita ab Eccleſia abeſſe fatentur: quod Synedrium una mecum tuetur. Tertio: nego primum illud Concilium habitum, ut caput aliquod fidei, de quo ambigebatur, in eo decideretur: aut Apoſtolum Paulum ideo ſe Hieroſolyma contuliſſe, ut de aliquo capite fidei edoceretur: aut inde deciſionem quæſtionis de fide peteret: hoc enim auctoritati Apoſtolicæ convenire non poterat; quod ipſe ille Apoſtolus in Epiſtola ad *Galatas Cap.* 1. dilucide docet. Profectus itaque eſt Paulus Hieroſolyma, non ut ibi Jacobum & alios Apoſtolos conſuleret de fide; & ab iis legem acciperet, juxta quam ſuam fidem dirigeret. Sed Hieroſolyma perrexit, ibique conventus Doctorum & Rectorum Eccleſiæ indictus; ut communi eorum conſenſu veritas, quam Apoſtolus Paulus docuerat, & quam Judæi, qui cæremoniis legalibus valedicere non poterant, negabant cum reliquorum Apoſtolorum doctrina congruere, communi conſenſu probaretur, & declararetur eſſe vera: & ita tolleretur impedimentum, quod Paulinæ prædicationis Euangelii fructus & effectus minuebat. Ita ut ferme par ſit inſtitutum Pauli, & totius Concilii Hieroſolymitani cum eo, quod Paulus ſuſcepit, cum Hieroſolyma cum Barnaba & Tito profectus expoſuit fidelibus, & privatim iis, qui ſunt in pretio, Euangelium, quod prædicarat inter Gentes, *Gal.* 2:2. Quod certe à Paulo non eſt factum, ut prædicationis ſuæ rationem redderet, aut ab Apoſtolis de ea leges acciperet, ſed ut conſtaret de convenientia ſuæ doctrinæ cum reliquorum Apoſtolorum doctrina; & ita anſa eriperetur Adverſariis ſpargendi rumores de Pauli doctrina, quaſi illa aliena eſſet à reliquorum Apoſtolorum prædicatione fidei: qua falſi rumoris diſſeminatione multi deterrebantur, quo minus prædicationi Pauli-

næ fidem adhiberent; & alii, qui ei ſe jam dederant, ab ea revocabantur: quemadmodum id liquet ex tota Epiſtola ad Galatas.

Quarto: Decreta, quæ ab illo Concilio manarunt, non tam fuerunt deciſiones capitum quorundam fidei, quam regulæ prudentiæ, ſecundum quas pro locorum & temporum momentis, & circumſtantiis perſonarum Prædicatores Euangelii ſeſe gererent in inculcanda cæremoniarum abrogatione, aut in indulgendo illarum uſu. At nego tales leges, quibus hominum conſcientia obſtringatur, condi poſſe à Conciliis. Nihil itaque præſidii poſitum eſt Venerando Synedrio in Concilio, *Act.* 15.

Quibus ergo finiens, peto, Nob. Ampl. Viri, ut Vos illud de ſcripto meo, editoque Tractatu, ſubſecutiſque pro ipſo Apologiis ſentiatis, me eis nihil aliud intendiſſe (quemadmodum in prima mea Apologia ſancte adeo teſtatus ſum, idque hic denuo repeto) quam pro virili mea veritatem Reformatæ noſtræ Religionis ſolidis fundamentis exſtruere, ac libertatem Chriſtianorum contra omnem tyrannidem, ſub quocunque tandem prætextu ea de novo induceretur, confirmare; atque jus & exiſtimationem legitimorum Reip. Rectorum intacta illibataque conſervare. Quare ergo etiam à Veſtra, Nob. Ampl. Viri, moderatione approbationem meæ cauſæ perſonæque exſpecto.

QUAR-

QUARTA APOLOGIA

Pro TRACTATU De IDOLOLATRIA ET SUPERSTITIONE,

Qua refutatur Excerptum ex Actis VENERANDI SYNEDRII ULTRAJECTINI, Conſcriptum ultimo Januarii 1670.

Nobiliſſ. Ampliſſ. D. D. Conſulibus ac Urbis Ultrajectinæ Senatoribus.

QUum Synedrium argumenta ac rationes meas in Apologiis meis, præſertim in tertia allegatas, non poſſet refellere: nec tamen videri vellet easdem ſilentio ſuo admittere, jam Vobis, Nob. Ampl. Viri, Excerptum ex eccleſiaſtico ſuo libro tanquam cygneam cantionem obtulit, quod tertiæ Admonitionis adverſus tertiam meam Apologiam vice fungeretur; hæc continens: primo ſententiam & declarationem, me nempe Synedrio in Apologiis meis non ſatisfacere, nec probare præcedentes meas poſitiones cum communi doctrina, in Confeſſione & Catechiſmo contenta, convenire: multo minus me eas corrigere atque emendare; verum inſuper novi ac heterodoxi quid hic illic inſpargere, quod ad Presbyteros & Diaconos eccleſiæ ſpectet.

Deinde, quod non vere, ſed ut cauſam meam acceptiorem faciam, in tertia Apologia mea jactem, nullas controverſias inter Synedrium meque reſtare, exceptis duabus: quarum prima eſt de poteſtate atque auctoritate Paſtorum, Synedrii Eccleſiaſtici, Claſſium ac Synodorum in controverſiis fidei decidendis: altera autem, cui proprie competat, aut cujus jus ſit, eccleſiaſtica officia alicui conferre. Quod Synedrium negat, ſed aſſerit inter ipſos meque de pluribus, ac majoris momenti rebus diſputationem ſupereſſe.

Ac tertio, exprobrationem abſurditatis, quod theſes Synedrii, quæ auctorita-

tem & dignitatem ductorum Eccleſiæ in proponenda ſua doctrina, deciſionibus atque decretis ad eos, qui ipſorum curæ & gubernationi ſubſunt, veram ac ipſiſſimam Papatus doctrinam eſſe ſtatuam: Synedriumque has accuſationes adeo abſonas eſſe arbitratur, ut nullam refutationem mereantur; *quum auctoritatem doctorum ac Conciliorum non faciat* principium fidei; *neque doceat Verbum Dei ſcriptum vel non ſcriptum, conſcientiam obligare, niſi quatenus ab Eccleſia proponatur: nec Eccleſiæ infallibilitatem tribuat: neve à fidelibus cæcam obedientiam exigat.*

Ac tandem concludit, quod Synedrii Deputati apud D.D. Conſules *repetant*, & iterum urgeant concluſionem Synedrii prioribus ſcriptis propoſitam: ſerioque petant, ne D.D. ulterius patiantur, *omnia eccleſiaſtica miniſteria; nempe miniſteria Paſtorum, Presbyterorum, & Diaconorum, &c. contempte adeo traduci.*

Quare debita reverentia, atque Veſtro, Nob. Ampl. Viri, conſenſu, capitibus, concluſionique hujus petitionis reſpondebo: quoad ſummam cauſæ, ad Tractatum ac Apologias meas me referens.

Confiteor me poſitiones in Libro meo comprehenſas non emendare aut corrigere, quum eas veritati conſonas exiſtimem; nec cum Confeſſione aut Catechiſmo pugnare. Sed corrigo & emendo non tantum theſes ac doctrinas, quas Synedrium in Tractatu meo reperiri aſſerit; verum univerſas rejicio.

Ita ut eatenus inter me & Synedrium ſit *quæſtio facti*, nimirum, an heterodoxæ iſtæ opiniones, à Synedrio in Libello ſuo Supplice propoſitæ; quaſque ex Libro meo ſe excerpſiſſe præ ſe fert, in illo inveniantur. Quod nego.

Quemadmodum etiam non concedo, me Apologiis meis aliquid inſpargere, quo Presbyterorum aut diaconorum miniſteria oppugnentur. In tertia Apologia *Pag.* 591. per formam quæſtionis propono, quo pacto, quaque qualitate Presbyteri etiam jus ferendi ſententiam habeant in eccleſiaſticis decretis circa fidei controverſias faciendis? Idque hac occaſione, quod jam in Belgica Eccleſia inciperent docere, Reipubl. Rectores de rebus, quæ aliquatenus ad Eccleſiam ſpectant, conſilium à ductoribus Eccleſiæ ante expetere debere, ſub quibus Presbyteri comprehenduntur: quare ſimpliciter rogo, an Presbyteri majori de fidei controverſiis cognitione ſint præditi Summis Poteſtatibus. Atque hæc ſolummodo de Presbyteris dico, *Pag.* 591. *Apol. Tertiæ.*

Sic etiam nihil aliud de Diaconatu dico *Pag.* 598. *Apolog. Tertiæ.* quam me non putare, eum Chriſti inſtitutione privilegium habere, quo ſub Chriſtianis ac Reformatis Magiſtratibus; (quibus propterea ſalus Eccleſiæ, Membrorumque illius curæ eſt) pecuniam citra auctoritatem, conſenſum, & regimen illorum poſſit colligere, ſibique nummorum eorum adminiſtrationem ita vindicare, ut iſta à poteſtate, auctoritateque magiſtratuum non pendeat. Quare ergo inquam, ejuſmodi jure ac privilegio diaconis conceſſo, eis vi illius juris pecunias licere quidem colligere, ad integrum exercitum conſcribendum, ac vim hoſtilem prohibendam: quæ vis æque magnum corporeum malum eſt, quam fames, ſitis & frigus. Atque hæc res memorato loco tractatur, hac occaſione, quod Paſtor quidam non diu ante è cathedra docuiſſet; eccleſiæ, qua eccleſiæ, & ſub formali illa ratione, ac qualitate, jus competere bona propria, eorumque adminiſtrationem habendi: *iſtaque bona eſſe bona conſecrata; circa quæ verum ſacrilegium committi poſſet.* Quod falſum eſſe cenſeo: atque ejuſmodi theſes periculoſarum conſequentiarum eſſe judico.

Porro, num Diaconatus Divinæ ſit inſtitutionis, nec ne; & quod Synedrium urget, de eo nihil actum eſt. Atque tantum eis privilegium ademi, quo ferunt ſe

proxi-

proxime à Deo poteſtatem accepiſſe, qua in collectis ſuis faciendis juri magiſtratuum exempti ſunt: & ſtatuo illam ex naturali & civili ſtatu hominum deſcendere: atque idcirco bona eccleſiaſtica ejuſdem omnino naturæ eſſe, ac bona omnium aliorum collegiorum. Atque hæc tantum de Presbyteris & Diaconis diſputo. An illud quæſo Presbyteratum Diaconatumque acriter eſt oppugnare ac traducere, ut Synedrium loquitur, atque de eo conqueritur?

Etiam vere me in Tertia mea Apologia ſtatuiſſe autumo, diſputationes inter me & Synedrium ad has duas quæſtiones redactas eſſe, quas in tertia mea Apologia enumero.

Quantum ad primam accuſationem; *publicum Concionandi munus, & adminiſtrationem S. Sacramentorum, Baptiſmi nempe & Cœnæ Dominicæ, à quolibet, dummodo aptus ſit, poſſe adminiſtrari.* Hæc criminatio ſemper à me omnino negata eſt. Atque in Excerptis, Apologiiſque indicavi, loca ex Tractatu meo à Synedrio allegata probare tantum, Primo, me tradere, omnes Chriſtianos, viros nimirum, facultatis ſatis habere, ut ad eccleſiaſtica miniſteria adhibeantur, cum ſatis idonei ſunt, legitimeque eo vocantur. *Deinde*, apud quamque eccleſiam jus & poteſtatem eſſe, ut officia illa ex ſeſe excitent, ac in alios conferant: non autem munera ea per ſucceſſionem ab una tantum eccleſia, ac ſpecialiter ad illud à Deo prærogativam nacta, ad omnes reliquas derivanda eſſe, velut Papatus docet. Nec me porro aliam quandam ſanctitatem, extra Divinam inſtitutionem, vocationemque (quæ è quavis Eccleſia oriri poteſt) in Concionandi munere agnoſcere.

Et quandoquidem Synedrium concedit, nullam *cæremonialem* ſanctitatem in Prædicandi Munere dari: atque omnes eccleſias eccleſiaſtica miniſteria ex ſe poſſe creare: ac iſta huic vel illi membro per vocationem tribuere; dummodo membro ei requiſita ſint ad id neceſſaria. Quum idem Synedrium etiam fateatur, me in Tractatu meo aperte docere, *Concionandi munus inſtitutionem eſſe Dei*: contra illud ſolummodo excipiens, verba illa ambigua eſſe, meque per iſta aliud quid, quam Synedrium, poſſe intelligere: clare certe patet, mihi cum Synedrio circa primam accuſationem nullam aliam controverſiam eſſe, præter hanc; num excerpta à Synedrio ex libro meo allegata, & in Libello ſuo Supplice ad accuſationis ſuæ probationem inſerta, ejuſmodi quidem interpretationem, qualem ipſis tribuo, ferant. Hoc ego affirmo; Synedrium autem negat.

Verum quum mentem meam circa controverſa hæc capita ita in Apologiis meis declarem, ut Synedrium nullam inter meas & ſuas poſitiones poſſit demonſtrare diſcrepantiam: ergo me vere in tertia mea Apologia dixiſſe arbitror, me inter atque Synedrium de hac quæſtione nullam controverſiam ſupereſſe.

Finge enim me in Tractatu meo cauſam aliquam ſuſpicionis præbuiſſe, cur nonnullius *heterodoxiæ* hac in re inſimularer: ultima tamen mea declaratio conſenſum opinionis cum Synedrio infert; atque ita omnem diſputationem tollit.

Quod ad alteram criminationem: *nullum eccleſiaſticum regimen, aut pœnam dari: ac omne eccleſiæ imperium Magiſtratibus competere.* Etiamnum aſſevero, nullam aliam mihi cum Synedrio hac de re quæſtionem eſſe, quam hanc: ſcilicet, *qui proprie jus vocandi habeat: vel, cui competat, eccleſiaſtica illa miniſteria alicui aſſignare*: quoniam repugnantia, quæ inter meas Synedriique poſitiones, præter ſupra memoratam quæſtionem, exiſtere videtur; mera tantum eſt logomachia.

Eccleſiaſticum dari regimen ſtatuo; quod juxta Divinas leges adminiſtrandum ſit; quodque ob iſtas leges in Confeſſione noſtra *ſpirituale imperium* vocatur. Hoc Synedrium etiam docet; ſed affirmat il-

lud eccleſiæ regimen *ſpirituale imperium* appellari, propter *formam* ſuam. Nec obſtat, quod quotidie videamus, externum illius agendi modum in eccleſiaſtica ſocietate regenda nihil ab eo differre, qui in civili collegio uſurpatur. Sed diſcrimen in hoc ſolum conſiſtit, quod mandata pœnæque contra violatores, ut etiam ſcopus iſtius imperii, ſpiritualia ſint, & comparata ad homines perducendos ad felicitatem ſpiritualem.

Verum quidem in Eccleſia imperium ſeu Regimen concedo, ſed non aliud tamen quam quod conflatum ſit ex eo, quod à Deo *ἀμέσως* eſt inſtitutum, & quod voluntaria conventione conſtituit ipſa Eccleſia. Synedrium etiam verum imperium dari affirmat; quod tamen per manifeſtam contradictionem *miniſteriale* appellat; ſed quod immediate à Deo deſcendat; quod tamen ſine *aliqua conventione*, & pacto mutuo, neque circa quenquam, nec contra ullum executioni mandari poſſit.

Synedrium *excommunicationem* ſtatuit, quæ vera pœna eſt, orta ex jure Clavium regni cœleſtis: ac quod jus clavium reſpectu illorum hominum, qui per ſponteneam conventionem ſe eccleſiæ ei non adjunxerunt, nullam imperandi poteſtatem in ſe continet: ſed quæ juri clavium accedit per *fœdus & voluntariam* acceſſionem privatorum ad illam eccleſiam. Itidem ego *excommunicationem* agnoſco, quæ vera ſit pœna; ſed quæ componitur ex iſto jure, quod cuivis Chriſtiano competit; atque ex Dei mandato naſcitur; nimirum, ut *vites fratrem, qui intemperanter vivit*: *quæque ſimul ex mutua conventione profluit.* Ita ut revera uterque unum idemque in Eccleſia ſtatuamus: ſed tantum in explicatione *originis rei* diſſentiamus: de qua origine in eccleſia noſtra nunquam diſputatum eſt. *Per calumniam* ergo mihi à Synedrio in excerpto ipſorum adſcribitur, quod *aperte falſa loquar*; cum dico, de binis tantum quæſtionibus inter Synedrium & me controverti.

Porro etiam fateor verum eſſe, quod Synedrium affirmat, controverſiam illam, nempe, *cui proprie conveniat in aliquem eccleſiaſtica officia conferre, non fuiſſe inter primas ac præcipuas poſitiones contra librum meum productas*: *verum acceſſoriam tantum eſſe*: nunquam etiam contrarium affirmavi. Non tamen ideo verum eſſe deſinit, quæſtionem hanc ſecundam tantum controverſiam inter Synedrium atque me comprehendere.

Duo poſtrema accuſationis membra in Libello Supplice à Synedrio contra me exhibita, eo uſque conciliata ſunt; ut hæc minutula ſuperſint.

Dixeram *neceſſitatem* abſolvere poſſe à peccato permiſſionem limitatæ exercitationis Papiſticæ religionis: Synedrium tantum ex *ſumma neceſſitate* legitime eam fieri poſſe cenſet. Hoc Synedrio concedo, ea conditione, ut admittat, judicium de ſumma illa neceſſitate ſolis Reip. Rectoribus competere.

Circa erectionem Crucifixorum in ſepulchris; ac ſigno crucis alicui benedicere (quod prius quintæ accuſationis membrum eſt) controvertebatur, an illud per ſe malum foret? Deinde an jam non cum ſuperſtitione ſoleat fieri? Tradebam in Tractatu meo, id per ſe non eſſe malum: atque hoc Synedrium non attingit, ſed ſilentio prætermittit. Itaque de eo nulla reſtat controverſia. Largior etiam hoc hodie cum ſuperſtitione fieri; ac indicabam, me illud aperte in Tractatu meo dixiſſe. At Synedrium nihil aliud in ſcriptis ſuis reponit ad hæc, quam theſes meas in libro meo hanc circa rem non deſinere *eſſe offenſioni*: *meaſque reſtrictiones ac limitationes offenſionem illam non tollere*: nec oſtendit tamen, qua in re defectus ſit. De eo certe nihil aliud cogitare potui, quam Synedrium cauſam pro derelicta habere.

Quantum ad poſterius criminationis membrum ſpectat; nimirum monumenta

ta in quorundam mortuorum Sanctorum honorem ſine ſuperſtitione ac idololatria poſſe fieri; atque ad eoſdem preces dirigi, quemadmodum tales in orationibus & declamationibus quotidie ſine ſuperſtitione & idololatria uſurpantur, nec tamen prædicta peccata committi; dummodo intra terminos civilis honoris maneant, quanquam hoc tempore ſine præmemoratis peccatis non fiat; atque irrationalis ſit religio. Hac de re etiam non alia eſt diſputatio, quam, juxta Synedrii ſententiam, *diſtinctiones meas atque limitationes offenſionem mearum poſitionum non tollere*: nec tamen itidem monſtrat, quid deficiat, ut ſuppleſſem, quod deeſſet. An non Venerandi Synedrii officium erat laborem ſuſcepiſſe errantem ovem in viam reducendi; ut ſaltem digito monſtraſſet, quod iter mihi ingrediendum foret; nec me ita mulctaſſet vexaſſetque velut errantem, recta via mihi non indicata.

Et quemadmodum me veritati litaſſe arbitror, quum dixi, duas modo dictas quæſtiones Synedrium inter & me tantum reliquas eſſe: aſſero, me non minus vere Synedrio impegiſſe, quod merum Pontificium errorem, omniumque in Papiſmo erratorum maximum doceat, quod evidenter ſtatuat, privatas eccleſias & membra, *quæ reſpectivarum* (ſit venia verbo) *Eccleſiarum ductoribus ſubſunt, opiniones ſuas de rebus fidei deciſionibus & decretis reſpectivorum ductorum Eccleſiæ accommodare debere: quum privatæ eccleſiæ aut membra ductoribus perſuadere nequeunt, ut in ſuam ſententiam tranſeant.* Hæc vera eſt Synedrii doctrina, quam ipſis iterum tribui; quæque nunquam ab illis negata eſt: nec etiam nunc in hoc excerpto ſe de ea purgat; quinimmo in eo præcedens erratum apertius fatetur, ac validius adſtruere conatur, quam unquam antea, quum opinionem iſtam tacite concedens, ſolummodo dicit, ipſorum doctrinam ab opinione Papiſtica hac in re diſſentire: quod Eccleſiæ Ductorum decreta non pro *principio & analyſi fidei* ſtatuant; *nec eccleſiaſticis cœtibus infallibilitatem tribuant; nec à membris Eccleſiæ cœcam obedientiam exigant*: *quod utrumque Papatus facit.* Admittentes ita, quod eccleſiaſticis conventibus poteſtatem auctoritatemque decidendi controverſias fidei tribuant; quibus ſingulæ eccleſiæ, & membra ſingulis eccleſiaſticis Conciliis ſubjecta, religioſe obſtringantur, ut fidem ſuam juxta deciſiones ac decreta illius Eccleſiæ regere teneantur; quum ductoribus & rectoribus, ſingulos illos cœtus regentibus, ſuam opinionem perſuadere nequeunt. Ac hoc tamen formale atque eſſentiale Papiſticæ doctrinæ eſt circa Eccleſiæ auctoritatem. Reliqua capita, in quibus Synedrium diſcrimen ac differentiam collocat, quæ inter ipſorum theſin & Pontificiorum doctrinam reperitur, illæ ſunt *proprietates*, quæ formalem atque eſſentialem diſputationem inſeparabiliter comitantur: quæ neceſſario etiam Synedrii theſibus annexæ ſunt: quemadmodum in tertia mea Apologia clare demonſtravi. Nec in eſſentiali parte hujus perículoſæ doctrinæ ullam adfert mutationem. Dico itaque quantum ad ea, quæ Doctrinæ Pontificiorum de auctoritate Eccleſiæ inſita ſunt & inteſtina, nihil intereſſe, an ſtatuatur, conſcientias hominum legibus, deciſionibus, ac decretis humanis alligari, non quia illa collegia componuntur ex hominibus infallibilitatis dono præditis, ſed quia penes ipſos eſt poteſtas, à Deo data, qua jus habent hominibus credenda injungere: & cui mandato vi illius juris homines parere tenentur. An vero obligatio hæc inde oriatur, quod Deus Eccleſiarum Ductoribus infallibilitatem quandam in decidendis fidei controverſiis largiatur, ob quam ipſorum deciſiones ſequi cogantur. Prius Synedrium; poſterius autem Pontificii affirmant. Verum opiniones illæ in hoc eſſentiali conve-

veniunt; à Deo Eccleſiæ poteſtatem quampiam eſſe traditam, ad hominibus doctrinam præſcribendam, cui eccleſiæ membra obedientiam præſtare obnoxia ſint.

Ex omnibus hiſce, Nob. Ampl. Viri; aperte conſpicere atque intelligere poteſtis, quam inique Synedrium mecum egerit, ac quanta injuria in ſuo inſtituto perſeveret; atque ante omnia quanta injuria me afficiat, quando in Excerpto ſuo ex eccleſiaſtico libro mihi tribuat, me omnia eccleſiæ miniſteria, Concionandi nempe munus, Presbyterium, & Diaconatum contra communem doctrinam publicis ſcriptis ignominioſe traducere.

Quum tamen Synedrium non poſſit probare, me in ullo capite à communi eccleſiæ doctrina recedere. Multo minus, me verba quædam in ſcriptis meis uſurpare, quæ contumeliam innuant: de quo Synedrium etiam me non accuſavit. Verum Synedrio, & quibusdam ejus membris, evidenter indicavi, ipſos in doctrina, & praxi, factis, indulgentiâ, conniventiaque eorum, quæ tamen illorum erat corrigere atque emendare, in multis & variis articulis contra Confeſſionem, & communem Eccleſiarum doctrinam, & approbatum Eccleſiaſticum ordinem, peccare & delinquere: nec veriti ſunt Vos, Nob. Ampl. Viri, ac laudabilem veſtram gubernationem, multis odioſis & inviſis ſermonibus atque ſcriptis ſuis traducere: de quo Placita Nob. Pot. hujus Provinciæ Ordinum partim loquuntur; ac ad quod partim etiamnum provincia quibusdam ex Veſtro, Nob. Ampl. Viri, Collegio data eſt, ad poſt rei examen præcipiendum, ut ejuſmodi audacia coërceatur.

Quare etiamnum peto, ut Vobis, Nob. Ampl. Viri, placeat hanc meam cauſam pro ejus merito examinare; nec pati, ut ego per hunc procedendi modum velut victima quibuſdam dedar, qui quum ſe præcipites ac animo parum æquo diſputationi huic implicaverint, nunc honoris ſui conſervandi cauſa in ea perſeverare coguntur; atque ad majus cauſæ malæ fundatæ ſtabilimentum, alios, quorum idem vertitur commodum, in hac cauſa ſibi adjungere ſtudent; atque inde ordiri telam, quam ſi poſſint pertexere, comperietis quantum paſſura ſit damnum Reipublicæ majeſtas & libertas, ad quam per excuſſionem jugi Hiſpanici comparandam tantum ſanguinis & ſudoris hauſtum eſt. Et hi, qui novis legibus alios alligare cupiunt, antiquis ſemet ipſos ſolvunt; easque refigunt, quum cauſæ ſuæ conducit.

ADMONITIO ad LECTOREM.

Cum primæ editionis exemplaria Tractatus de Idololatria & Superſtitione brevi tempore eſſent diſtracta, ex amicorum conſilio ſecundam edi curavi; eamque quibusdam amplificationibus & expoſitionibus auxi: ea tamen adhibita cura ne alius ſenſus Tractatui inſerretur: idque ea fide præſtiti, ut Adverſarii mihi nunquam litem ſuper ea removerint. Cum nunc tertiò, accurante Typographo, in Latinum verſus prodiret, exiſtimavi mihi licere iterum eodem jure uti in eo quibusdam additamentis illuſtrando: id rurſus cura habens ne alienus à priore ſenſus illi inſereretur: ut omni modo vitarem convicium, me mutando doloſe ſententiam, voluiſſe ludificare Adverſarios; & eorum cenſura me ſubducere. Ea cautione rurſus adhibita, putavi mihi tantum juris eſſe in meas lucubrationes, ut mihi fas eſſet dare operam, & curare ut ita publici juris fierent, quo Lectori maxime uſui eſſet: nec tamen ulli inde oriretur injuria. A Synedrii autem ſcripto ſacroſancte manum abſtinui, inviolataque habui.

Præterea cum præter conſuetudinem ſit Præfationis libri paginas notâ arithmetica notare: quia tamen præfatio hujus Tractatus contineret meam ſententiam de jure Eccleſiarum & Paſtorum, & Synedrium Ultrajectinum multa in ea culpanda duceret: & propterea quædam ex Præfatione exſcripta, Ampliſſimo Senatui exhiberet; notandum etiam paginarum præfationis numerum putavit: ad quem cum Typographus primum non animadverteret, poſtea tamen intelligeret uſu iſtius numeri Lectorem non recte carere poſſe poſtea præfationis paginas inchoans à prima ad vigeſimam ſextam numeralibus notis ſignavit. Ipſe itaque Lector præcedentibus paginis Præfationis, quæ notam arithmeticam deſiderant, ſi opera pretium ducat, eo modo appinget.

DIS-

DISQUISITIO
AN
PRINCIPI CHRISTIANO
in ditione ſua malum aliquod tolerare licitum:
In qua ſpeciatim agitur de profanatione
SABBATHI,
AUT
DIEI DOMINICÆ.

PRÆFATIO
ad
LECTOREM.

RAtio ac cauſa, quæ commoverunt me, ut Tractatum hunc conſcriberem, atque in lucem ederem, cupido fuit, ut me aliosque inſtruerem, quouſque ſtudium noſtrum, pro ratione conditionis vitæ cujuſque, extendi poſſit ad malum in proximo noſtro per temporalem jacturam & incommodum, naturaliſque ſuæ libertatis diminutionem, prohibendum. Vitium eſt, quo omnes laboramus, ut de peccatis, ac ipſorum pœnis magis juxta paſſiones & imaginationis dictamen, quam juxta rationem diſſeramus. Inveniuntur nonnulli, qui ingenio acerbi amarique, magnum contra malum aliquod odium præ ſe ferunt; verum longe minorem erga proximum charitatem, qui malo iſto laborat: acriter cauterium adhibent, non conſiderantes, an non lenioribus medicamentis, minorique periculo res pulchrius procederet. Qui hoc pro vero zelo valere jubent, aut pro eo admittunt; ac ſecundum illum virtutes hominum æſtimant, ſeipſos fallunt. Chriſti diſcipuli, qui petebant, ut ignis è Cœlo deſcenderet, non propterea magis à malo abhorrebant, quam Magiſter ipſorum Chiiſtus: qui dicebat, *neſcitis quo ſpiritu ducamini*. Qui multum zeli ac parum prudentiæ ac conſilii habent, equiti ſimiles ſunt, qui bono flagello, malo autem fræno inſtructus eſt; ac idcirco facile exorbitat. Errare humanum eſt: ſed diſtinguendum, utrum nimia aſperitate, vel nimia bonitate peccetur. Prius magis cum Spiritu Chriſti, quam poſterius pugnat. Verum utrumque eſt vitandum: ac confidendum Dei gratia longe nos proceſſuros, dum modo rectam ineamus viam, quæ eò ducat; à maliſque paſſionibus, ac temerario & præcipiti judicio caveamus: ſanctumque Dei Verbum, & bonam rationem penitus admittamus. Quorum animi à prædictis vitiis non ſunt repurgati; apud eos S. Scriptura ac ratio parum ponderis obtinent. Et ſi ipſorum opinio ſpeciem zeli, atque animi etiam tuta quæque in Religione timentis, habeat,(vulgo præciſitatem appellant) non ſolum operam ludimus ut homines aliud doceamus; verum calumniis atque conviciis eorum labor & ſtudium compenſatur. Quid piis doctiſque viris non ſufferendum fuit, in menſis Trapeziticis bene conſtitutis patrocinandis; ac Chriſtiana libertate in obſervatione Sabbati? Rationes nec Scriptura quicquam ponderis apud ipſorum adverſarios habebant. Spectata probitas, nec pro Eccleſia Academiaque exantlati labores ſatis validum adverſus calumniam munimentum

mentum fuerunt. Licet ipſorum cauſa tam bene fundata; adverſariorum autem adeo omni ratione privata fuerit, ut dubitem, an non æque prudenter & caute inſtitiſſent, ſi fidem ſuam circa ejuſmodi res ſorti commiſiſſent; quam ejuſmodi rationibus. Nec ſatis erat ipſis, cauſam illam exigui ponderis rationibus, magna autem animoſitate propugnare: ſed poſtulabant, ut Reſpublica civesque juxta ipſorum ſenſum ſuper illa quæſtione regerentur: utque Magiſtratus placita ſua eò dirigerent; ac per metum pœnamque arcerent id, quod vel revera malum non eſt, vel moderatio imperat, ut toleretur; & in proximo atque ſubditis perferatur. Multique Rectores ſpecie Religionis ſeducti, leniter induci ſe patiebantur, ad ſubjectos ſuos per novas conſtitutiones indies gravandos; ac civitates extra neceſſitatem in diſcrimen jacturæ mercaturæ ſalutisque conjiciendas. Hoc factum commovit me, ut accurate inquirerem, quouſque Chriſtiani officium ſe proferret, ad opiniones ac inſtitutum vitæ ſuorum civium, aut ſubjectorum prohibenda. Apud neminem hanc ob rem malam inire debeo gratiam: tum quod propoſitum meum (novit hoc Deus) in hoc bonum ſincerumque ſit: tum etiam, quod tota cauſa ſine ullo partium ſtudio tractetur: quum nullo (quod ſciam) fuerim præjudicio occupatus, quando me ad inveſtigationem veritatis hanc circa rem conferebam. Et primis atque communibus principiis ſuperſtruens, à quovis conceſſis, ad has ſententias, quas in hoc Tractatu tueor, deveni. Ut aliquis, qui rationem ſupputat; ac cui immerito quid opponimus, quod ſummam aliter, quam viſum nobis, accumulet. Partium ſtudio non addicti, qui ordinem, quem teneo, conſpicient, facile hoc de me credent. Ab illis, qui partium ſtudio ducuntur, boni quid etiam promitto mihi, ſi aliquando à ſe impetrare poterint, ut credant, ſe non eſſe Vates & divinitus agi; nec ſe ita immediate à Deo doceri, quin ipſis etiam ſtudium ac diligentia adhibenda ſint, ad aſſequendam veritatem: nec ulli convenire, vanæ ſpiritus ſui ductum ſequi: & ut tum ab altera parte tandem perſpiciant, quibus viis ad meas concluſiones pervenerim; atque ipſi ad ſuas. Magna eſt differentia inter opinari ac ſcire: ac qui certi quid cognoſcere vult, eum decet abſtruſiores rei receſſus animo menteque penetrare; nec deſiſtendum, quoad rem clare diſtinc̃teque percepiſſe putaverit. Quique illud conatur, nunquam multa ſcribendo, atque diu concionando cuiquam gravis erit: nec temerè aliquid de rebus fidei ac conſcientiæ definiet. Deus nobis omnibus det exercitatos ſenſus, ad bonum malumque diſtinguendum: ac nos doceat, ut aſſueſcamus lumen Verbi Sui ac rationis, tanquam duces ſequi, & immoderatas noſtras paſſiones compeſcere, ne noſmet ipſos ac alios fallamus; & ignem fatuum pro fixa ſtella habeamus, & ad illius curſum noſtrum dirigamus.

DISQUISITIO AN CHRISTIANO PRINCIPI

Mali quid in ſua ditione tolerare liceat: in qua ſpeciatim agitur de profanatione SABBATHI, aut DIEI DOMINICÆ.

Ut de hac controverſia clare, diſtincte, & pro rei dignitate diſputemus, ante omnia jus Magiſtratus in ſuos ſubditos conſiderandum nobis. De ſumma hujus juris nihil poteſt affirmari, antequam inveſtigemus originem, unde Magiſtratui ſive Poteſtati Superiori jus ſit aliis imperandi. Principes & Summas Poteſtates ſecundum Divinam voluntatem creatas eſſe, ac proinde legitimas, pro certo jam ſtatuimus. Ne cum tædio Lectoris eos impugnare cogamur, qui hac in re à nobis diſſentiunt. Duplici modo quid dicitur à Deo & Ejus voluntate ortum. Primo, immediata inſtitutione Divina: ac hoc pacto lex Naturæ, & totus Divinus cultus, tam naturalis, quam inſtitutus à Deo deſcendit. Ita miniſterium Moſis Aäroniſque ex Deo erat, 1 *Sam.* 12: 6. *Dominus eſt, qui Moſem & Aäronem inſtituit.* Secundo, quatenus quid ab hominibus ad normam piæ prudentiæ, & prout occaſiones, loca, & perſonæ ſe dant, introducitur, ad præſtanda ea officia, quæ Deus ab iis poſtulat. Quæ tamen non idcirco proxime à Deo imperata ſunt; ſed prudenter inſtituta, ne contra naturalem æquitatem peccaremus.

Qualia ſunt, celebratio contractuum, conſtitutio Rerumpublicarum, variarumque earum formarum. Fidem eſſe ſervandam, & ſtandum promiſſis, quæ omnia ſenſu jam tradito dicimus eſſe juris naturalis. Ut & præceptum legis naturalis eſt fidem & obedientiam iis exhibere, quibus ea promiſimus. Verum certum contractum inire, & aliquem ſibi conſtituere Principem, aut certam aliquam Regiminis formam conſtituere, non eodem modo pars eſt juris naturalis. Atque ideo Petrus Imperium *humanam ordinationem* vocat, 1 Pet. 2: 13. quia humanis rebus id flagitantibus, humana prudentia, quæ tamen ex Divina lege ducta eſt, naſcitur & conſtituitur. Nam licet poſt lapſum primorum parentum homo hoc in ſtatu ſit, ut id, quod Deus ab illo poſtulat, ſine imperii & poteſtatum conſtitutione non poſſit præſtare, nihilominus Imperium ac eorum formæ originem vel à ſpontanea electione ducunt, vel à vi, quando inviti armis coacti ſubjicimur alterius poteſtati. Notum autem cuique, nos *natura* non teneri parere illi, qui jus nobis imperandi, & fidem noſtram & promiſſum obedientiæ ſola vi nactus eſt: quaſi à jure naturæ profectum eſſet, quod illis, à quibus ſubjugati ſumus, parere debeamus; illique natura noſtri eſſent domini. Nam licet poſt jusjurandum fidelitatis teneamur fidem datam & juramentum ſervare; atque id naturalis dictet æquitas: tamen hoc ſolum poſt promiſſum locum habet, & ante illud nemo natura tenetur alteri parere: quoniam omnes natura liberi naſcimur. Multo minus natura obligamur illi obedientiam præ-

præſtare, proque Domino agnoſcere, quaſi is natura in nos jus imperandi haberet, quem tantum Chriſtiana prudentia eligimus, ut ejus imperio nos ſubjiciamus. Verum quidem quod Apoſtolus dicit, *Rom.* 13. *Poteſtates à Deo eſſe*, verum hoc intelligendum, ut *Eſaj.* 28: 26. dicitur, *Agriculturam à Deo eſſe*: & *Deum agricolam imbuere & docere modum agri colendi.* Et docet præterea Scriptura *Deum abundantiorem honorem* (cultu nempe veſtium) *illis corporis partibus largiri, qui eo carent*, 1 *Cor.* 12: 24. Deus agricolam docet agrum colere, ac inhoneſtioribus corporis partibus majorem concedit honorem: quia hominem condidit ratione præditum; qui ratione illa rectè utens, ac rectè applicans, invenit illud, quod conveniens, neceſſarium & decorum eſt.

Non quicquid Chriſtiana prudentia, animus pudicus, pia cura pro conjugibus & liberis, naturali æquitate concitata, excogitant, idcirco proprie eſt juris naturalis. Apoſtolus etiam præcipit, *Rom.* 13: 7. *Date vectigal, cui vectigal debetis*: ſed notum eſt, nos nulli natura vectigal debere; verum illi ſolum, v. gr. in libero populo, qui ad id electus & conſtitutus eſt ab iis, quibus id faciendi poteſtas data erat. Et imperium, quod Magiſtratus habet in tali Republica in cives, non magis à Deo deſcendit, nec ſublimioris eſt originis; quam illud jus, quod quis habet in bona mea, quæ voluntario contractu in eum transtuli. Et quemadmodum Principes ſuperiorem non agnoſcentes, natura non tenentur cum alia Republica convenire, aut arctum fœdus inire: verum pia ſolummodo & politica prudentia, conſcios ſuæ imbecillitatis, ſi auxilio aliorum deſtituantur, eos impellit ad fœdus cum aliis feriendum. Sic etiam privatus natura non tenetur alteri ſe mancipare: verum cognitio propriæ imbecillitatis ſuadet, ut homines pia prudentia, ad propulſandum malum, pluſque commodi adipiſcendum, aliorum cœtui ſe jungant, & imperio alterius ſe ſubjiciant. In confeſſo eſt, homines, non conſideratis ipſorum contractibus, & jure nativitatis, inter ſe æquales & pares eſſe; ita ut nemini *natura* jus ſit in alterum; & nemo *natura* conſtringatur alterius ſe poteſtati tradere.

Hæc dicta ſint ad iſtos confutandos, qui docent, quoſdam natos eſſe, & à natura jus habere ut aliis imperent. Sed præcipue ſpectat ad demonſtrandum jus dominationis petendum eſſe ex eo jure, quod primum apud privatos, conſideratos ut liberos, fuit; non autem ex ſingulari aliquo jure, immediate cœlitus, aut alicunde deſcendente; quodque non debeat examinari, dirigi, aut definiri ex illo jure, quod primum apud privatos, conſideratos ut liberos, locum habuit. Ex qua opinione innumeri errores & violenta imperia exſtiterunt: ac qua fere ex omnibus Chriſtianorum Rebuspublicis ſublata eſt moderatio in perferendis proximi vitiis & erroribus; quæ oriuntur ex communi & vix ſuperanda imbecillitate: quare neceſſario adſtruendum, Deum æque velle in ſtatu imperii illa tolerari & impunita eſſe; ac voluit Principes creari: quia ſine mutua illarum imbecillitatum tolerantia juſtus hominum numerus ad Rempublicam formandam non poſſet coire. De quo poſtea latius diſſeremus.

Cæteroquin enim alio reſpectu non ſine ratione dicetur, imperia conſtitui, juris eſſe naturalis. Nam licet jure naturæ nemo alteri ſubjectus ſit, & idcirco nemo alteri eo jure obedientiam debeat: quod etiam in naturali ſtatu innocentiæ nulla imperia fuiſſent neceſſaria; omnibus ſcientibus, & facientibus officium ſuum ſine metu, aut ſpe temporalis pœnæ aut præmii: ac idcirco ſine præſcripto legum proprie ſic dictarum; ſine quibus legibus tamen imperium proprie non conſiſtit. Non tamen ſine ratione affirmatur, omnes iſtas poſitiones eſſe juris naturalis; quæ neceſſariæ ſunt ad acquiſitio-

ſitionem alicujus communis boni, quod Deus præcipit, ut nobis pararemus: & ad vitandum commune aliquod malum, quod Deus mandat ut declinemus. Atque ſic non ſolum virtutes morales, veluti miſericordia, humilitas, juſtitia, amor erga proximum, præcepta ſunt juris naturalis: verum etiam communes viæ, ſine quibus jus ſuum cuique tribui nequit. Nam conſiderata communi hominum malitia, pauci ſuum conſequerentur, ſi quiſque judex foret in ſua cauſa. Quiſquis idcirco vere ſtudet, ut omnes conſequantur quod ſuum eſt; is etiam operam dare debet, ut judices arbitrique eligantur, qui nulli partium addicti, ſuum cuique adjudicent: & ideo conſtituere judices cœtui hominum eo ſenſu aliquatenus eſt juris naturæ. Quoniam etiam non poſſit fieri, ut nobis ac proximo paremus res ad cultum & victum neceſſarias, ubi nullum eſt regimen: ergo eo quidem ſenſu æque præceptum eſt naturale imperium conſtituere: ac eſt, ſuum & proximi commodum & pacem procurare; quia nemo diffitetur conſtitutionem imperii neceſſarium ac commune medium eſſe ad præcedens bonum acquirendum. S. Scriptura id clare atteſtatur, *Habac.* 1:14. *Quare homines faceres velut piſces maris, non habentes principem.* Vide *Num.* 27:16. *Jud.* 21:25. Atque hæc hactenus: ad reliqua pergamus.

Porro quoniam nulli Status aut Reſpublicæ ſine imperantibus & parentibus ſtare poſſint: ſequitur inde, illam inter homines inæqualitatem, qua quibuſdam jus eſt imperandi; reliqui autem ad obedientiam, aut pœnam obligantur, vel ex vi, vel ſpontanea multorum conventione oriri; qui coëunt, ut in civili ſocietate vivant; talemque imperii formam conſtituant, quæ ipſis optima & convenientiſſima videtur, ad præſtanda illa officia, quæ Deus ab iis exigit. Inæqualitas & ſubjectio, quæ ex vi exiſtit, illa eſt, cum potentior violentis armis ſibi parem, atque ita hominem aut ſtatum liberum cogit, ut ſe ipſi ſubjiciat; atque ita extorquet ei promiſſum fidei & obedientiæ. Promiſſum inquam fidei ac obedientiæ. Bellum etenim durat, quoad potentior victorque rem eo deduxerit: & quidquid interim alter vi perferre cogitur, inde, cum fortuna illi favet, reſilire licet. Sed pacta ſunt ſervanda, licet vi, aut metu majoris mali ſint elicita. De poſteriore hac ſubjectione in præſentia non ſumus diſputaturi, nec tradituri, quænam officia ſint talium Principum in connivendo aliquo malo.

Priorem jam plenius excutiemus. Quotquot ſtatus & Reſpublicæ vi armata non ſunt acquiſitæ, habentur pro voluntariis, ac ab hominibus liberis conſtitutis: quanquam conſiderationes periculorum, damnorum, & incommodorum animi corporiſque illos, ex quibus Cœtus ille conſtat, potuerint impuliſſe ad congregandum, ut violentiæ aliorum facilius reſiſterent. Verum quamvis illi, qui talem componunt Statum, antequam ſtatus ille conſtituatur, in tantum liberi ſint, ut neque naturaliter, nec ullis contractibus alter alteri ita ſit ſubjectus, ut alteri in alterum principatus permittatur: non tamen ulli reſpectu Divinæ legis liberi ſunt. Atque ideo illis haud licet conjungere ſe in ſocietate civili quibuſlibet conditionibus; ſed cavere debent, tam hi, quibus principatus conceditur; quam qui ſe illi ſubjiciunt, ut nullis fundamentis, legibus, aut regulis Statum ſuum forment, quæ Divinæ legi adverſantur. Hæc nemo negaturus eſt.

Leges à Deo hominibus datæ triplici modo poſſunt conſiderari. Primo quatenus præcipiunt, quomodo nos erga Deum geramus. Deinde, quomodo erga noſmet ipſos. Poſtremo, quomodo erga proximum. Ratio & Chriſtiana Religio docent nos, *Rom.* 3. neque neceſſitatem, neque violentiam, neque reſpectum ullius commodi, temporalis aut ſpiritualis nobis permittere, ut contra ullum Dei præ-

præceptum peccemus; atque ita malum faciamus, ut inde proveniat bonum.

Nulli ergo, ſive Principi, ſive ſubjecto icet cum aliis convenire ad conſtituendum aliquem Statum, ea conditione, ut aliquid faciat, quod contrarium ſit mandato Divino, ſive magno ſeu parvo; aut ut Religionem profiteatur, quam falſam eſſe novit: ut tyrannidem, aut ſævitiam in proximum exerceat: aut ut quid contra honeſtatem perpetret. Hoc omni caret controverſia. Sed in hoc cardo quæſtionis vertitur: nimirum, quid Divina lex præcipiat, ut faciam proximo, qui meo judicio peccat: & quouſque in caſu neceſſitatis, aut extra neceſſitatem mihi progredi liceat, ad factum proximi, quod mihi peccatum videtur, prohibendum; aut ad in eo connivendum.

Primo homines ſunt conſiderandi extra ſtatum ullius obligationis: atque ita inter ſe æquales ac pares, quoad ſubjectionem, & jus aliis imperandi. Et quamvis noſtra ætate tales homines nuſquam inveniantur; tamen licet debetque de iis diſputari; quemadmodum de duabus ſit Rebuſpublicis, quæ ſummum habent imperium, quibus nullum jus competit ad alteri leges præſcribendas. Et quod alterutri harum juris eſſet in alteram ad in alterius ſtatu arcendum ea, quæ pro peccatis habet; idem alterutri ex duobus privatis liberis in alterum juris eſt. Extra omnem diſputationis aleam eſt, dona majoris ſapientiæ, prudentiæ, experientiæ, probitatis nulli jus dare ad alteri imperandum. Verum quidem, hominem liberum peccare, ſi juxta bonas admonitiones vitam ſuam non dirigat. At hoc non eſt peccatum *inobedientiæ*; verum imprudentiæ, & abuſus ſui judicii. Nemo itaque ſibi perſuadere debet propter virtutes aliquas, quibus ſe proximo præcellere putat, jus ſibi competere ad obedientiam ab altero exigendam; aut ad impediendum malum & vitium, in quo proximus verſatur, aliis viis & rationibus quam *perſuaſionibus & adhortationibus*. Si autem libero aut Principi liceret alterum liberum, aut principem per vim externam afficere moleſtia aliqua, in pœnam ejus, quod ipſe peccatum autumat: illius cauſa foret, quod Deus præcepto ſuo quemvis malorum ab altero commiſſorum ultorem, qui alioquin liber eſt, nec ullius imperio ſubjectus conſtituit; atque ideo quemque teneri propter Dei præceptum; ut & ob metum, ne juſta Ejus ira provocetur, peccata proximi odio digna pœna avertere & inhibere.

Sententiam meam hac de re proferam, ſed paucis; nec ulterius ei inhærebo, quam explanatio hujus rei lucem poterit iſti fœnerare quæſtioni, quam imprimis explicare animus nobis. Primo, certum eſto, requiri, ut averſemur peccata, quæ in privato aut Republica vigent. Deinde, licere etiam nobis peccata, quæ ab aliquo libero, ſive privatus ille ſit, ſive ſummum habeat imperium arcere; ſi ejus malitiâ jacturam animi aut corporis noſtri faceremus, extra omne dubium eſt; niſi ſimul omnem legitimam defenſionem & inculpatam tutelam condemnare velimus. Si quando igitur contingat, ut peccato alterius liberi, ſive privati, ſive Principis, damnum aliquod incurramus; conceſſum nobis (ſubnixis jure propriæ defenſionis) hoc malum propulſare & impedire: non quod illorum pravitas nobis eos ſubjiciat; ſed quia dicta malitia jus nobis non eripiat, animum ac corpus, etiam cum offenſione proximi, tuendi: ad eorum enim defenſionem obligati ſumus. Si igitur præterea res ita ſeſe habeat, ut præter mala exempla, atque incommoda, ac damna, quæ peccata proximi reipſa nobis inferunt, nobis præterea illud malum creent, ut Divinam incurramus iram: quia lex Dei, ſive illa naturalis, ſive revelata ſit, nobis imperat, (an hoc verum ſit in ſequentibus examinabitur) ut peccata proximi vindicemus, quia per ſe omni odio digna ſint, & Deus ea oderit; at-

atque ita Dei plagas ac ultionem in nos provocemus: licebit nobis eodem fundamento nixis peccata alterius liberi, ſive privati, ſive Principis vi arcere.

Nemo animi dubius eſt, gloriam Dei, & ut Ejus voluntas etiam in terra fiat, quemadmodum in cœlo, ſupra omnia nobis cordi eſſe debere: atque ideo haud dubie omnem nobis diligentiam adhibendam, ut doctrina ac vita virtutem in omnes propagemus; ne alias in iram Dei incidamus. Verum an idem nobis ſit metuendum, æque ob delictum proximi non punitum; ac ob omiſſionem in eo non reprehendendo, major dubitatio eſt. Peccata nos in libero quodam ſive privato, ſive principatu cum vitæ noſtræ periculo non teneri punire, pro certo nobis ſtatuendum: quia extra omnem controverſiam eſt, ac poſtea latius probabitur, Magiſtratus aut judices non conſtringi peccata ſubjectorum plectere, ſi prævideant hoc ſine periculo Status non poſſe fieri. Illud igitur ſolum reſtat nobis, an extra hoc periculum noſtri id ſit officii? Salvo meliori judicio affirmativam tuebimur; & tali caſu ſtatueremus, quo nunc ponemus, licitum eſſe. In maximis peccatis, quæ data fiunt opera: ſi liber ille ſive privatus, ſive princeps noverit crimen, quod committitur, adeo enorme ac magnum eſſe; ſi id etiam punire poſſit, ſed nolit: ſi etiam non ignoret delicta adeo gravia impunita dimittere, nec vi prohibere rem eſſe omni horrore dignam: atque nihilominus, licet omnes adhibitæ ſint admonitiones, perſeveret enormiſſimum illud peccatum firmo animi propoſito vi pœnaque non coërcere: ſi inquam talis caſus extet, qui raro aut ſorte nunquam evenit, exiſtimo libero in liberum à Deo jus dari cogendi illum in ordinem.

Requiri, ut peccatum ſit horrendum, hinc patet, quod alioquin imbecillitas & ignorantia cauſæ eſſe poſſint cur quoddam peccati genus in regione aliqua graſſetur: & propterea etiam requiritur, ut probe norint maximum horrorem peccato ineſſe; & ideo ante imbuendi ſunt doctrina admonitionibusque; ſi in ignorantia verſentur. Ac cum malum ipſis notum eſt, tamen frequentes adhortationes præcedant neceſſe eſt, antequam vim adhibeant. Jus enim vim inferendi, ad prohibendum delictum proximi, qui liber eſt, non deſcendit ex officio Magiſtratus, quo Summæ Poteſtates tenentur malos punire juxta leges atque præcepta, in quæ æquum fuit privatos liberosque conſentire ut tam arctam inirent pactionem; unde Status aliquis aut Societas civilis exiſtit. Certum eſt, & poſtea latius diſputabitur, eis, qui Rempublicam aliquam conſtituere volunt, minus malum inter ſe tolerare licere; quam illis, quibuſcum nullum omnino nobis commercium eſt. Verum in his, qui ipſimet liberi alterum, ſive privatum, ſive Principem etiam liberum, putant ſibi puniendum, ſola ea militat ratio, nimirum quod putent, ſe ad illud jure impelli, quia intereſt gloriæ Dei, ut teſtentur odium ſuum erga homines, qui tam horrendis peccatis ſcientes & volentes, abjecta omni Numinis reverentia, indulgent: quamvis nullo officio ex legibus ſocietatis orto impellantur.

Obligatione itaque ad pœnam atque peccatorum averſionem; nec etiam reatu alieni peccati hoc in caſu ratione jam dicta exiſtente; etiam Lex Divina non ita punitionem peccatorum in privato, aut Statu libero, à nobis exigit: quemadmodum quidem fit à Magiſtratibus reſpectu ſuorum ſubjectorum; aut à dominis & patribus reſpectu ſuorum ſervorum liberorumque.

Nec etiam ſufficit, ut privatus, aut Status liber, quem corrigere aggredimur, notitiam habeat illius mali, quod committitur; ac id etiam eodem, quo nos, horrore proſequatur, quibus peccatum ejus punire animus eſt: ſed ejus etiam debet eſſe opinionis, malum vi & pœna

eſſe prohibendum. Error enim, bellum aut vim eſſe illicita, non tantus, nec tam contumax eſt, ut ob eum alterum Statum liberum liceat invadere. Cum ergo prædictæ conditiones concurrunt, ſtatuo licitum eſſe homini libero vim inferre; ut ipſe, aut alii exemplo docti, & metu perculſi eo in viam redeant; malum eliminetur; dedecus & contemptus Dei vindicetur. Verum Lector percipit quidem talem caſum vix poſſe exiſtere. Nam aut dubitari poteſt, an illi malum illud tantum eſſe peccatum ducant; aut an enitantur, ut malum illud arceant: verum ipſos contumaciam ſuorum ſubjectorum non poſſe vincere, aut malum hoc non poſſe punire ob metum, ne tota Reſpublica corruat; aut eos autumare, tantum bonis exemplis & admonitionibus licere obviam ire peccatis; non autem vi externa.

Eſt & alter caſus, de quo minor eſt controverſia: cum uni aut pluribus palam ab aliis vis infertur: qui violenti omni ordine ac regimine peſſundato, & legibus conculcatis impotenter ſe gerunt in oppreſſione & tyrannide tenuiorum; qui cum nequeant auxilium aut ſolatium ab ordinariis impetrare Magiſtratibus, coguntur opem externam quærere. Statuo hoc caſu alteri privato, aut Statui libero non ſolum licere ſceleratos hos in ordinem redigere; verum quemlibet etiam ad illud vi conſcientiæ conſtringi, ſi ſine noſtro evidenti damno poſſit fieri. Charitas enim præcipit, ut laboranti proximo ſuccurramus, dummodo fieri poſſit ſine damno alicujus tertii. Quemadmodum igitur homini libero, qui ab aggreſſore invaditur, non tantum ſeipſum defendere licitum eſt, verum etiam alterius opem implorare: ſic etiam tertio ad manifeſtam vim propulſandam accurrere licet, qua proximus ejus afficitur: quia violenti invaſores, veluti Latrones, Raptores, Fures, Stupratores propria quaſi ſententia condemnantur, nimirum tertio jus eſſe natum, ut eorum vim vi defendat; atque ita tanquam probe docti injuſtum ſuſcipientes bellum confiteantur ſe nulla affici injuria, ſi vi eorum vim, atque injuriam propulſet. Si autem nulla oppreſſores afficiantur injuria, etiam ille non delinquit, qui oppreſſo opitulatur. Itaque rem Deo gratiſſimam me facturum arbitrarer, ſi viatorem latroni eriperem.

Ac idcirco aliud judicandum, cum facta eorum, qui noſtro non ſubſunt imperio, pro manifeſta & nota violentia non poſſunt haberi; ſed juris ſpecie poſſunt excuſari: ita ut ab altera parte clare etiam appareat, injuſtam vim inferentem ſibi non eſſe conſcium ſe vim facere; ſed falſis illis rationibus decipi, quæ ſufficiunt ad eum excuſandum, quod non deliberato animo vim inferat. Quemadmodum in privatorum judiciis tales excuſationes admittuntur ne pœnam ſubeat, quod adverſarium calumniandi animo in jus non vocaverit: id eſt, ſi non fecerit ut eum ignominia, dolore, damno afficiat: & præſciverit ſe nullo jure fundatum eſſe. Hoc enim caſu, nullis aliis rationibus, niſi ut oppreſſo ſuo proximo officia charitatis præſtet, non licet illi adverſari, quem nos violentum oppreſſorem judicamus, ut ei auxilio ſimus, cui noſtra opinione vis infertur; & ideo non oportet putare nos proximo præſtare debita charitatis officia, quando in caſu jam poſito uni proximo opem ferimus, cum læſione alterius: quia cum natura non ſimus conſtituti judices ipſius, nec jurisdictio nobis in eum competat; nec noſtrum judicium de illius factis ipſum poſſit privare eo jure, quod ipſi (ſermo mihi eſt de homine libero, ſive privato, ſive Principe) natura tribuit, quo judicium ipſi de ſuo facto eſt commiſſum. Et quemadmodum eleëmoſynam non licet dare proximo, quæ alteri eripitur: ſic etiam proximo non licet ſuccurrere, cum diminutione juris tertii. Origo inde etiam exiſtit omnis confuſionis, quod aliqui putantes ſe rem bene percepiſſe,

cepiſſe; ac idcirco hunc vel illum condemnantes, eo ipſo jus metiuntur ad eum calumniandum; conviciis proſcindendum, dolore atque contumelia afficiendum: quinimmo, ſi fieri poſſet, per ſeditionem fortunis ejiciendum; qui tamen nec ex Verbo Dei, nec ex jure imperii, alterum, qui hoc ſibi arrogat, judicem ac internarum ſive externarum ſuarum actionum rectorem agnoſcere cogitur. Nam non idcirco Deus judices in orbe terrarum conſtituit, ne quivis de ſua re judicaret; verum ut nullus in propria cauſa (ex qua tamen alius damnum capere poſſet) judex foret, utque ſententia judicis controverſiam finiret. Et ideo ego factum Abrahami in cognato ſuo Lotho captivo liberando, *Gen.* 14. non ea ratione ab injuſtitia vindicarem; quod Abrahamus recte atque ex ratione ſtatuerit Lotho injuriam factam, & ideo putaverit ſibi fas eſſe ab innocente injuriam depellere: ſed ſtatuerem aut Abrahamum cum iſtis Regibus, quos liberabat, fœdere junctum fuiſſe: aut Lothum ut peregrinum, Sodomæ degentem, ab hoſtibus regis Sodomæ mitius fuiſſe tractandum, quam cives Sodomæ, qui in ſervitutem abripiebantur: & propterea Abrahamo jus natum, ad vim eam, cognato ſuo illatam, vi propulſandam, aut vindicandam, quia hoſtium numero haberi Lothus non poterat: aut Divini quid affuiſſe: aut moderamen inculpatæ tutelæ ſe extendere ad propinquos arcto adeo ſanguinis vinculo conjunctos.

Verum jam ſatis, ac fortaſſe nimium diſputatum de officiis hominis liberi, ſive is privatus ſit, ſive Princeps, in prohibendis peccatis alterius liberi, ſive privati, ſive Principis. Propius nunc ad rem accedamus, atque videamus quouſque privati, aut Principis officium ſeſe diffundat in prohibendis peccatis eorum, qui invicem fœdere juncti ſunt, ſocietatemque aliquam aut Rempub. conſtituunt. Supra paucis, & veluti digito demonſtrata eſt ratio, quare illis, qui ſtatum aliquem formare ſtudent, minus malum in aliis tolerare, ac non punire liceat, quam in iſtis, quibuſcum fœdus adeo arctum non iniere. Paulum jam eam latius explicabimus, ut Lectoris captui conſulamus. Prima igitur ſit ratio, quia lex Dei, id eſt ſana ratio, nec non Ejus verbum jubet, ideo cœtum aliquem cum aliis eſſe ineundum, ut multorum auxilio & ſalutari conſpiratione, Deo major reverentia exhibeatur; Ejus leges ac cultus melius obſerventur; noſque rectius officio fungamur. Nemo diffiteri poteſt quin quies hujus ſeculi, pax, atque res ſecundæ multum conferant ad vitam modeſte agendam. 1 *Tim.* 2. præcipit Apoſtolus, *ut precemur pro Regibus, & in imperio conſtitutis, ut ſecuram tranquillamque vitam degamus in omni pietate ac honeſtate.* Vide etiam *Luc.* 1:72. Etiam pœnæ formido plurimum valet ad malum impediendum; nec minor admonitionum atque inſtitutionum vis eſt. Et tamen unus, aut parvus numerus ad hæc omnia non eſt ita idoneus; ac ideo neceſſarium eſt, tam ad terrena noſtra commoda, quam ad Deum colendum, virtuteſque exercendas, ut multi homines inter ſe concilientur. Quæ conſociatio cum ſit accommodatiſſima ratio ad delicta avertenda; graviter illi peccent neceſſe eſt, qui hac via abutentes, mala non conantur ea inter conſociatos arcere. Atque hac de cauſa Principes rei ſunt iſtorum peccatorum, quæ ſubjecti committunt; quippe quæ facile potuiſſent, & etiam debuiſſent impedire: quod malorum averruncatio Rerumpub. præcipuus ſit ſcopus, ac ſimul optimum ad id medium. Hoc Verbum Divinum clare nos docet, *Joſuæ* 22:18. *Et vos hodie reliquiſtis Dominum, & cras in univerſum Iſraëlem ira Ejus deſæviet. Jer.* 26:15. *Verumtamen ſcitote & cognoſcite, quod ſi occideritis me, ſanguinem innocentem tradetis contra vosmet ipſos, & contra civitatem iſtam, & habitatores ejus: in veritate enim*

miſit me Dominus ad vos. Vide etiam *Deut.* 19:20. *Jer.* 36:24. 1 *Sam.* 2:29. Ac ex ſolo hoc fundamento clare patet, curam Summarum Poteſtatum æque ad Divina, quam ad civilia ſe extendere. Niſi quis ex Verbo Dei demonſtrare poſſit, Deum hanc excellentiſſimam & præcipuam Imperii partem; atque ea, quæ naturaliter huic annexa ſunt, Epiſcopis Paſtoribusque ſubjeciſſe: quod mea quidem opinione nunquam oſtendetur; & ſecum pugnat. Verum latius de hiſce diſſerere noſtrum excedit ſcopum.

Altera ratio eſt, quare Magiſtratus in malo, quod in ipſorum ditione committitur, non ita poſſint connivere, ac privati: eosque ſi nulla ſit ratio aut neceſſitas, illud tolerantes, hoc facto iſtius peccati participes fieri: quia cura Imperii etiam ea cura continetur, quam parentes liberis, domini ſervis ſuis impendere debent, in malo ab ipſis propulſando. Qui aliqua Politicæ cognitione imbutus eſt, probe novit, jus parentum in liberos, Dominorum in ſervos, faſces ſubmittere Magiſtratibus; & poteſtatem ipſorum arbitrio ac legibus horum definiri. Quæcunque ergo peccata committuntur, imminutione poteſtatis parentum atque dominorum, formando cœtu politico; quæque facile à Magiſtratibus poſſunt prohiberi, ea redundant in Rempublicam. Parentibus & dominis plus juris in liberos & ſervos competeret, ni conſultius viſum foret, ad ſtabiliendum, quinimmo formandum Regimen Politicum, magnam partem juris parentum ac dominorum, atque eorum commodorum, quæ inde promanarent, à Parentibus & Dominis tollere, & Magiſtratui tribuere. Cui idcirco etiam imputatur, ſi officio deſit. Unde rurſus apparet, Magiſtratibus, qua talibus, tam jus in Divina, quam in humana competere. Quemadmodum jus & officium parentum eſt, æque liberis ſuis illius Religionis, quam optimam judicant, exemplar dare, ac illos ea imbuere; aut curare, ut imbuantur, quam in rebus humanis. Etiam Magiſtratus ludimagiſtris injungunt, quos libros doceant pueros. Quoniam probe norunt, cum Imperio curam educationis liberorum etiam ſibi demandatam. Atque nulla poteſt ratio dari, quare pueri, qui triviales ſcholas frequentant, in rebus quæ Religionem ſpectant; ac ludimagiſtri, qui ipſos inſtituunt, Magiſtratuum imperio ſint ſubjecti: natu autem majores pueros, quorumque judicium jam maturum eſt, in rebus, quæ Fidem concernunt, Eccleſiaſticæ, non autem ſeculari poteſtati eſſe obnoxios: Deo Magiſtratibus & Parentibus illud adimente, Eccleſiæ vero dante: quod alioquin naturalis ratio illis concedit. Non quod velim, parentes aut Magiſtratus liberis, aut ſubjectis leges poſſe præſcribere, quæ conſcientias ligent: vel, ut liberi atque ſubjecti parentum aut Magiſtratuum edictis ſemper pareant. Verum id etiam nulli Eccleſiæ competit. Nam nullus Chriſtianus tenetur ex præſcripto conſcientiæ Eccleſiaſticas deciſiones admittere, ſi à ſua opinione diſſentiant. Verum hæc hactenus.

Tertia eſt ratio, quia executio illius juris, quod cuilibet homini libero in ſe, ſuaque competit, Magiſtratibus à ſubjectis velut in manus traditur, illisque permittitur: & ideo privati & liberi in conſtituenda Republica multis ſe privant, quibus Dei gloriam, noſtram & proximi ſalutem procurare potuiſſent, ſed quæ ſibi cauſa Reipublicæ conſtituendæ retinere non potuerunt. Quibus Magiſtratibus traditis ut eorum prudentia ad bonum publicum dirigantur: ideo etiam eorum officio incumbit, operam dare, ut malum è Repub. eliminetur, ac ab eis illud *ſuppleatur*, quod quilibet privatus extra civilem ſocietatem conſtitutus tenebatur facere. Cujusvis privati officium eſt egeſtati proximi pro facultatibus ſuccurrere. Verum ſi placuerit, ad meliorem ordinem, majora pauperum commoda,

civiumque commoditates, ut Magiſtratus proximorum inopiam ſuæ curæ committant; magnum fit Magiſtratuum peccatum, hac in re negligentes eſſe. Simili modo quiſque etiam tenetur proximum pro virili inſtituere atque erudire in Pietate & Religione Chriſtiana: ſed quia congregatio multorum liberorum hominum in unum corpus inter alia etiam hoc commodum affert, ut varia officia ac obſequia, ad quæ quivis pro viribus adſtringitur, poſſint dividi; quodque à pluribus liberis hominibus pro parte tantum fieri poterat: quod multis officiis diſtraherentur, id uni vel pluribus committere, qui huic, aut illi officio toti vacant. Hoc pacto placuit munus Paſtorale ex præſcripto Divino, quod illud munus in ſocietate, quam Eccleſiam vocamus,conſiſtere vult, quibuſdam injungere, qui toti in eo eſſent, ut reliqui in tantum ab officio alios in Religione Chriſtiana imbuendi, & ad Pietatem adhortandi liberarentur: non poteſt non negligentia Magiſtratuum, in non ſuppeditando ſubjectis Paſtores fideles, magnum peccatum eſſe. Idem tradimus de ea negligentia, quæ in eo conſiſtit, ſi cives non protegant à vi, furto, rapina; quia populus jus repellendi vim illam, quod habuerat, in principem tranſtulit: atque hac de cauſa Princeps malum illud non ita tolerare poteſt, ac privatus homo liber illud perfert & permittit fieri contra aliquem, in quem non tantum ei jus competit. Ex quo obiter poteſt percipi, quo pacto privati, ſi Rempub. forment, à multis curis & officiis ſe liberare, ac illa aliis imponere poſſint, ad quæ ipſimet, extra eam obligationem ſocietatemque tenebantur; atque quo pacto cuilibet Chriſtiano metiendum ſit, num in officio permaneat, an illud excedat. Parentum eſt liberos erudire, & præcipua Religionis Chriſtianæ capita iis inſtillare: ſed quia ſtatus politicus varia officia requirit, ac unum membrum non ſufficienter ſingulis poſſit vacare: illud parentum officium ſpecialiter quibuſdam privatis injungi poteſt; parentibuſque ab eo hactenus ſe legitime exonerare licet; quatenus illud per alios ad id à Principe conſtitutos recte fit. Eodem modo civis curam excubiarum, ad ſe & ſuos defendendum à vi, (ad quam alioquin natura tenetur) in milites rejicit. Atque ille officii ſui limites tranſgreditur, qui ita ſe rebus immiſcet, quarum aliis in Repub. cura eſt commiſſa; ut eo confuſionem, officiorum negligentiam, ac erga Magiſtratus inobedientiam procreet. Quemadmodum ergo omnes multa membra unius ſumus corporis; ita etiam officia diſtincta eſſe debent, ad confuſionem vitandam; niſi conſtet hoc, vel illud membrum officio ſuo deeſſe: tunc enim reliquis incumbit in commune commodum defectum illum ſupplere. Si pedes officium negligant in corpore ſuſtinendo, licet baculum aſſumere, cui innitamur. Si oculi officium deſerunt, tunc licet palpantibus incedere.

Ex tertiæ rationis aſſertione etiam ſequitur, Magiſtratibus, qua talibus, internam procurationem circa res, quæ Religionem ſpectant, competere. Nam ſi cuivis homini libero privato jus ſit, ut ſibimet ſuiſque provideat, ut in Pietate ac Religione proficiant: atque ut idcirco ſuum & ſuorum animum regat ſecundum eas Religionis regulas, quas in conſcientia pro veris agnoſcit: prætcrea ſemet ſuoſque ad Pietatem adhortetur, ac præceptores, monitores, & doctores conſtituat, qui uni huic rei vacent: atque de quibus præceptum Divinum exſtat, ut in propria, & noſtrorum fide ædificanda iis utamur, tunc horum trium unum ſequitur; aut privatos in conſtitutione Reipub. idem jus etiamnum reſervare: vel eos jus illud in Magiſtratus tranſtuliſſe: ſive id in tertium aliquem aut aliquos alia ſingulari forma & charactere præditos, tranſlatum eſſe; ſeu motu proprio, vel expreſſo mandato Divino. Si privati jus

illud ſibi reſervarunt, Magiſtratus ſe pluribus immiſcent, quam poteſtas eorum ſe extendit, quando Religionem in Republica procurat & ordinat, præſcribit leges, ſecundum quas privati cives in rebus Divinis vivant, conſtituit præceptores Doctoresque; ac illis injungit ea, quæ auditoribus atque diſcipulis proponent & docebunt. Nam licet tales regulæ conſcientias non obligent: quemadmodum nec ejuſmodi præcepta parentum ſuis liberis, dominorumque ſervis ac famulis, & Claſſium atque Synodorum ſingulis membris data, conſcientias non obſtringunt: non deſinunt tamen illæ eſſe poteſtas ac jus in res Religionis *internas*, cui nemini licet violenter ſe opponere; quæque ipſis à Deo per populum eſt tradita. Alioquin enim ejuſcemodi poteſtatis uſus mera vis eſſet, & injuſtum Imperium; quod à nullo Reformatorum Theologorum adhuc traditum eſt. Et ſi talis poteſtas non poſſet nominari poteſtas in *interna* rerum ſpiritualium, quia non pertinet ad conſcientiam, neque eas ligat; tum talis poteſtas nec penes ullum privatum, nec collegium aliquod reſidet: quoniam juxta fundamenta noſtræ Reformationis nulli privato, aut Collegio conceditur, alicui canones præſcribere, quibus conſcientias alligent: & propterea aut concedendum Magiſtratui jus competere in ordinandis Sacris in Republica, quod privatis debetur reſpectu liberorum; aut dicendum omnem poteſtatem, quam uſurpant in moderanda Religione, meram eſſe invaſionem in jus alienum.

Ex dicto argumento ſequitur etiam, privatos, poteſtatem illam Magiſtratibus, nulli autem tertio privato, aut Collegio dediſſe: ſive id factum motu proprio, ſeu præcepto Divino. Nam ſi antè dicta poteſtas Magiſtratibus legitime competat, nihil eſt reliquum, quod in alium privatum, aut Collegium aliquod poſſit eſſe tranſlatum. Poteſtatem enim judicandi de rebus Fidei, ac quæ conſcientias ſpectant, ita ut conſcientiæ illis alligentur, quivis privatus ſecundum fundamenta noſtræ Reformationis reſervare debuit. Quia conſcientiam ſuam humano ſubjicere judicio illicitum eſt. Quid ergo relinquitur, præter poteſtatem Religionem in Repub. ita ordinandi; quemadmodum pater eam domi ſuæ regebat ante conditam Rempub. Ineptiſſimum enim, quoſdam Theologos, inſcitia, aut affectibus abreptos, poteſtatem judicandi de rebus Fidem conſcientiamque ſpectantibus; ita ut conſcientia iſti judicio devincta maneat, Magiſtratibus ereptam (prout decet, nec ullus Reformatus Magiſtratus eam ſibi arrogat) eandem Eccleſiaſticis adſcribere; quæ tamen privatis tantum competit, atque eorum propria eſt: quatenus dictamen conſcientiæ cuique eſt inſtar Dei præcipientis, cujus obedientiæ ſe ſubtrahere flagitium eſt. Exempli cauſa, modum mercedis definire pro operis, aut uſurarum pro pecunia mutua, Politicorum eſt, ut ajunt iſti Theologi. Sed dijudicare, quid in foro poli liceat, Eccleſiaſticorum eſt. Legitimum hæredem ex Statutis declarare, Politicorum eſt. Sed quid ſalva conſcientia liceat poſſidere, Eccleſiaſticorum eſt: cum tamen quid ſalva conſcientia liceat, non Eccleſiæ, ſed ſingulis privatis competat: idque ita ipſis infixum, ut nemo eam poteſtatem ſibi vindicare, nec ullus privatus alteri dedere poſſit. Ut clare efferam quod ſentio, de Divinis & humanis rebus judicium ferre tali cum auctoritate atque poteſtate, *ut alii parere teneantur, aut pœnam ſufferre* (ita tamen ut ex ea non ſequatur in Fidei negotio à Magiſtratu in diverſum abeuntes, peccati ſe coràm Deo reos facere) ſolorum Magiſtratuum eſt. Quibus æque notio competit de Hæreſi, iiſque, qui ei affines ſunt, ac cognoſcunt de Stupro, Adulterio, & Inceſtu; necnon qui eorum rei ſint. Sed, quid poſſit fieri illæſa conſcientia, Deus dijudicat, & cujuſque conſcientia.

Alii

Alii opinantur judicium cum auctoritate (non tali tamen, ut conſcientiæ illi ſint obnoxiæ) de rebus Divinis Eccleſiæ, excluſis Magiſtratibus, demandatum eſſe. Verum ejuſmodi judicium eſt ſolum Chimera, mera fictio rei, quæ fieri nequit. Illud enim judicium cum tali auctoritate, ipſis adverſariis id concedentibus, intrinſecus conſcientias non ligat, (Deo ſolum, & cuilibet privato vindicatur) nec etiam naturali noſtræ poteſtati extrinſecus: hoc enim ad Magiſtratus pertinet. Itaque nihil præter reverentiam & obſervationem quandam reſtat, quæ debetur judicio Doctorum Eccleſiæ. Et reverentia illa Doctoribus debetur à privatis, non quia illis ut Doctoribus aliqua auctoritas adeſt, qua privati moveri & duci debeant ad judicium ferendum de doctrina, ſed de Doctorum doctrina per ſe judicatur, & doctrinæ veræ ſignis: & ita rurſus privatorum judicium non ad Eccleſiæ Doctorum cenſuram recidit. Alioquin tanta Eccleſiæ Romanæ veneratio, & ejus Doctoribus, debetur, quanta Reformatæ. Ac veneratio illa ſolum fundatur ſcientia probitateque Doctorum. Quemadmodum probus atque doctus Juriſconſultus in pretio eſt habendus. Quare dubito, an Pontificius Doctor unquam contumelioſius de Magiſtratibus, & falſius de poteſtate Romanæ Eccleſiæ diſſeruerit; quam hoc tempore quidam Reformati Doctores reſpectu Argentariorum & trapezitarum, diſſerunt: Magiſtratibus omnino poteſtatem judicandi adimentes, quæ res in foro poli licitæ ſint; & nihil illis relinquentes, præter cognitionem de rebus ſecularibus. Erigentes porro in Eccleſia Reformata forum, quod de rebus ſpiritualibus, iiſque, quæ in foro poli licita ſunt, judicium fert. Qui à Deo conſtitutus eſt ad judicandum de vera virtute atque Religione in commodum ſuorum civium, ille legitime judicat de rebus ſpiritualibus, & de iis, quæ licita ſunt in foro poli: illud autem Magiſtratus facit. Qui judicat de rebus ſpiritualibus, ac de beneplacito Divino, id eſt, de eo quod liceat in foro poli, nemine ex dictamine conſcientiæ illi judicio obnoxio reddito, Magiſtratu, aut alio Eccleſiæ membro; ille vere nec de rebus ſpiritualibus, nec de iis, quæ in foro poli licita, judicat: verum ſententiam ſuam ſimpliciter edit; atque hoc Eccleſia facit. Plura poſſem ad hanc rem confirmandam afferre, ſi ordo ac occaſio illud concederet.

Videamus jam quo pacto, & quatenus multi liberi homines, in ſocietatem civilem coëuntes, peccata eorum, quibuſcum fœdus inierunt, impunita relinquere poſſint. Primo conſtat, omnes obligationes liberorum hominum, aut Statuum, non æque arctas eſſe. Obligatio poteſt contrahi, ut alter alterum in itinere ſolum comitetur, idque pro tempore; omni cæteroquin libertate & jure reſervatis. Sic libera Imperia *fœdus defenſionis ac offenſionis* faciunt, ſalva in reliquis omnibus *Suprema Poteſtate* circa regendos ſubjectos. Extra controverſiam eſt, quando illi homines liberi, aut Status, arctius non ineunt fœdus, quam de quo jam dictum eſt, minus eos etiam obligari malum ſubjectorum prædictorum Statuum prohibere. Atque hæ ſunt rationes, quibus ſententia illa nititur; nimirum Magiſtratus peccata civium minus poſſe tolerare, quam liberorum hominum. Ad quas rationes ſupra enumeratas lectorem relegamus; quæ etiam attento animo conſiderandæ ſunt; quoniam axioma illud, nempe, aliquem reum fieri peccati alterius per tolerantiam, his rationibus nititur.

An etiam cum liberis Statibus & Rebuſpub. in quibus magna vigent peccata, talia fœdera liceat contrahere, non ut per conniventiam peccata in iis diſſimules, (hoc enim licitum eſſe ſupra oſtenſum eſt) ſed ob alias rationes, alia quæſtio eſt. Davidem, Salomonem, ac alios Iſraëlis Re-

ges

ges cum circumjectis gentilibus populis fœdera percuſſiſſe ex S. Scriptura clare patet, 2 *Sam.* 10: 3. 1 *Reg.* 5: 1. *Amoſ.* 1; 9. Idem de Abrahamo legimus, *Gen.* 14. Atque omnes adſtipulantur, ad defendendam ſuam ſuorumque vitam & bona, nobis licere uti, quæ Deus in rerum natura hominibus ad uſum condidit; licet ille, penes quem ea bona reperiuntur, Deo diſpliceat, aut exoſus ſit. Impietas Medici non obſtat, quo minus mihi liceat illius conſilio ac medicamentis uti. Bonum conſilium & ingenitæ vires proximi mei, licet is ſit impius, à Deo profecta ſunt, ut homo ex iis caperet ſua commoda, eaque verteret in ſuum uſum; atque idcirco etiam apta ad averruncandam vim, & ad me meoſque conſervandos: quemadmodum ſalubre conſilium atque bona pharmaca à Medico adhibita, ad id proſunt, licet ipſe ſit nequam. Et huic applicari debet, quod Chriſtus dicit, *Matth.* 20. *An non licet mihi quod volo facere in meis rebus? An oculus tuus malus eſt, quia ego bonus ſum?*

Non tamen ulterius oportet ſe conjungere cum impiis & improbis, quam neceſſitas exigit: ac ante omnia curare, ne *facile* pactum cum improbis ineamus, ad bona quædam terrena acquirenda, aut ad acquiſita defendenda, quo Vera Religio recta via, aut per obliquum forte turbetur: improbi autem confirmentur aut corroborentur ad bonos opprimendos. Quidam fuerunt, qui omnia fœdera ut impia abſolute videbantur reprobare, quæ laborabant præcedenti incommodo. Sed hoc temere ab illis fieri arbitror. Nunquam licet pactum facere ad Veram Religionem turbandam: ſed commodum Reipub. ſæpius exigit, ut noſtra liceat, & poſſimus etiam defendere, *licet prævideamus incrementum peccatorum id ſecuturum.* Quemadmodum jure meo inædificandi ſolo uti poſſum; licet prævideam vicinum meum ob id injuſtas contra me injurias ſuſcepturum. Verum de talibus pactis non latius diſputavimus: ſed ad ejuſmodi accedemus, quibus contrahentes communi foro ac Imperio ita ſe ſubjiciunt, ut ejuſdem Reipub. membra fiant: & quo *Summam Poteſtatem* formant, præditam jure malum puniendi, atque prohibendi legibus à tali ſocietate conſtitutis; cui juri poteſtatique ſe ſimul qui in ſocietatem ad conſtituendam Rempublicam coëunt, ſubjiciunt. Quid ad formationem hujuſmodi Societatis requiratur, ex ſequentibus patebit.

Privatorum eſſe, ut ſe mutuo fœdere ita obligent, ut ſub Imperio aliquo vivant, ſuperius demonſtratum eſt. Rationes, quibus ad has obligationes impelluntur, ſunt, commoda quædam, quibus nulli licet ſe privare: & quæ nihilominus non alio modo quam per Rempub. licet adipiſci. Ac commoda illa etiam ſuperius breviter ſunt enarrata. Sed temporum, locorum, atque occaſionum circumſtantiæ efficiunt, ne illa commoda tam abunde, nec eodem modo, ſemper in Repub. conſequamur. Neceſſitas, atque illa magna, vel parva, rem maxime variat, & vetat facere, quod alioquin liceret fieri; ac dat veniam id concedendi, quod extra illam neceſſitatem non liceret nobis tolerare. Sic proximi noſtri incommodum aliquod charitatis & miſericordiæ cauſa imperat, ut aliquid illi indulgeamus, quod alio caſu nobis non liceret. Privatio itaque quarundam rerum, quibus Deus nos non vult carere; & ad quas conſequendas Reſpub. eſt conſtituta, generalem nobis adfert neceſſitatem, ac imperat nobis, ut alter alterum toleremus: abſque qua tolerantia fieri nequit, ut multi homines (quod tamen neceſſarium eſt) arctam adeo ſocietatem ineant, quæ quidem ad Imperium conſtituendum requiritur. Univerſus etiam naturalis & miſer hominum ſtatus poſt lapſum jubet charitatis ergo alterum alterius imbecillitates ferre; nec proximum noſtrum privare commodo, quo frui poteſt, in

ea-

eadem nobiſcum vivens Repub. Ubi ergo charitas præcipit, ne recuſemus proximum peccatis quibuſdam obnoxium, pro membro illius Reipub. admittere: ibi Deus concedit, ut peccatum illud in Repub. toleretur. Hæc nemo poterit negare. Quæ autem illa ſint peccata, in ſequentibus examinabitur & demonſtrabitur. Ac primum videbimus, quid communis imperet neceſſitas.

CAP. II.

Quomodo communis exigat neceſſitas, ut peccata quædam in Republica tolerentur.

APoſtolus Paulus *Rom.* 12: 18. inquit, *Si fieri poteſt, quantum in vobis eſt, cum omnibus hominibus in pace vivite.* Sic etiam licet dicere: ſi fieri poteſt, quantum in vobis eſt, conſtituite Rempub. in qua omnes Magiſtratus civesque idem ſentiant; atque qui omnes æque ardenter ad virtutem & honorem graſſentur. Sed lapſu corruptio hominum talis eſt, ut in judicando plurimum differamus; & præ imbecillitate omnes ſæpius titubemus: ita ut rebus humanis foret excedendum, ſi hominum peccati labe plurimum malè inſiſtentium, conſortium omnino vellemus vitare, 1 *Cor.* 5: 10. Et omnes Reſpublicæ forent è medio tollendæ; ac omnibus commodis renunciandum, quæ homines inde percipiunt, ſi fixum immotumque ſedeat, ut quivis Magiſtratus vel ſubjectus ſit *Virtutis veræ cuſtos rigiduſque ſatelles.* Si per charitatem, quam proximo debemus, aut per curam, quæ pro noſtra ſalute gerenda, nobis liceret, præſtaret nullum omnino cum peccatoribus habere commercium: ſed hoc in futuro demum erit ſeculo, *Matth.* 25: 33. Sed quoniam hujuſcemodi perfectio hic non eſt ſperanda; proborum tamen officium eſt, improborum conſortium eatenus vitare, quatenus officia, quæ nobiſmetipſis ac proximo debemus, ferunt. Et ideo Magiſtratus varios gradus minoris vel majoris conjunctionis inter cives excogitarunt; & quos commoratione domicilioque non tamen *jure civitatis* dignantur. Qui in communem ſocietatem eſt receptus, ei tamen is honor non exhibetur, ut in omnia collegia cooptetur. Et quoniam Chriſtianis Magiſtratibus ex Sacra Pagina notum eſt, Deum velle, ut fideles, quemadmodum peculiaris ſanctitas ab eis exigitur, longius ideo etiam impiorum conſortium vitent, & arctiori concordiæ vinculo, ac coitione in unum corpus commercium mutuum oſtendant. Sic etiam per miniſterium Verbi ad eorum juſſum, ſed ex præſcripto Verbi Divini ordinatum & conſtitutum, ejuſcemodi Chriſtiana ſocietas convenit; & ab ea omnes eos arcent, qui carent conditionibus & ornamentis ſpiritualibus, quæ Verbum Divinum in quolibet membro illius cœtus requirit, quem nos Eccleſiam appellamus. Quemadmodum juxta eandem Sacram Paginam omnes turbas, confuſiones ac mala ex aliis Collegiis & Societatibus imperio ſuo ſubjectis, arcent. Et ſic pii Principes ſemper exſequi debent, quantum fieri poteſt, mandatum Pauli, *cum infructuoſis tenebrarum operibus nullum vobis ſit commercium, ſed reprehendite illa potius*; curæ habentes ut omnibus, cujuſvis generis & ordinis hominibus leges conſtituantur, quibus univerſi & ſinguli ad beatitudinem ducantur.

Quemadmodum igitur in ſubtilibus quæſtionibus infinitæ controverſiæ oriuntur circa bonum ac malum, juſtum injuſtumque, &c. & quia propter communem corruptelam, quæ nobis inhæret, fieri nequit, quin in multos errores, & in peccata, quæ ex imbecillitate oriuntur, incidamus: fieri non poteſt tot inveniri homines, qui idem ſentiant, quot ad conſtituendam Rempub. requiruntur. Et

nihilominus neceſſarium eſt cum proximo tam arctam contrahere ſocietatem, quæ ad formandum Corpus Politicum deſideratur; quanquam ille proximus, noſtra opinione, in errore verſetur, qui non caret peccato. Ac idcirco non peccatur, ſi Magiſtratus non aggrediatur malum illud Conſtitutionibus, Placitis, aut pœnis abolere: atque ita diſcrepantia multarum opinionum, nempe quæ à tali imbecillitate, à malitia ſeparata, proveniunt, ſine offenſione animi & conſcientiæ à Magiſtratu in Repub. toleratur. Quinimmo, quoniam quivis opinioni ſuæ applaudit, & eam legi voluntatique Divinæ proximam putat; ac ideo ipſi Religio ſit eam ſequi; putat etiam ſui eſſe officii illam propagare. Et ideo eadem neceſſitas jubet non ſolum pœnis iſtum errorem non arcere: verum etiam non impedire pœnis aut mulctis, ne opinio illa proferatur; atque alia doceatur: ſed permittendum ut in eo cuilibet libertas ſua ſit ſalva; ductumque animi ſui ſequatur. Illos errores denoto, quibuſcum nulla malitia conjuncta eſt. Quid his ſignificem ex ſequentibus patebit. Statuo ergo in conſtitutione Reipub. quoſdam errores ac peccata civium eſſe toleranda: quanquam poſſit fieri, ut illos errores & peccata ob quaſdam ſingulares circumſtantias in uno liceat tolerare, in altero autem non item. Sed tunc ratio ejus non *ex natura peccati aut erroris ſumitur*; quaſi is Deum ad iram provocaret, ni Magiſtratus pœnis & mulctis illum arcerent impedirentque: ſed ex ratione Politica, quæ illi adventitia eſt, & quæ ſpectat ſalutem Reip. de quo hic non diſputamus. Quemadmodum fit, quum defectu moderationis Magiſtratuum aut civium, per opinionum diſcrepantiam, periculoſæ factiones in Repub. oriuntur, quæ exitium ei minentur. Alia certè cauſa eſt, cum dicitur, non licere errorem quendam in Repub. tolerare, quia ira Dei ob illius peccati *magnitudinem* ac diritatem contra totam Rempub. exardeſcet. Aliud quid, cum dicitur, alicujus falſæ Religionis tolerantia, eos, qui eam profitentur, ſpiritus altius erecturos, incrementum & animos capturos ad aliquid contra Rempub. audendum. Diſputamus jam de malo, quod priore ſenſu ſumitur. De altero ſermo fiet, cum occaſio ſe offeret.

Fieri itaque nequit ob ejuſmodi peccata imbecillitatis, & errores, ut tot homines in Remp. congregent, qui *volentes* conſentirent, ut illæ imbecillitates gravius quam admonitionibus in ipſis arcerentur. Præterquam quod iniquum ſit, homines ad illud ſe invicem obligare: quoniam fruſtra fieret; non poſſunt enim homines ullis legibus ita conſtringi, ut per illas à communibus illis infirmitatibus immunes præſtentur. Homines etiam in ſeipſos ſævirent, ſi ſponte ſua talibus, non evitandis pœnis, & quæ nullius omnino ſunt uſus, ſe ſubjicerent. Ac ideo non ſolum hujuſmodi errores in Repub. tolerare licet: verum etiam notandum in Repub. quæ ex hominibus liberis conſtat, atque non armis quæſita eſt, talia privilegia vigere, quæ omnes cives ſibi reſervarunt, ne ipſi, ob tales errores & vitia, vel minima moleſtia afficiantur, quamdiu nullæ factiones, ad ruinam interitumque Reipub. tendentes, ſe eis miſcent.

Ex quibus omnibus, tanquam per conſequentiam ſequitur, Magiſtratuum eſſe in condendis legibus ſemper humanorum errorum in ſubjectis ſuis rationem habere; & illa vitia in eis tolerare, quæ ſpontanea conſtitutio Societatis civilis exigit ac deſiderat, ut tolerentur. Nam licet poſſit fieri, etiamque ſæpe fiat, ut nulla talis communis neceſſitas, de qua jam dictum, Magiſtratus cogat ad hunc, vel illum errorem (Repub. jam conſtituta ac corroborata) in ſubjectis ſuis tolerandum: quia ſcilicet abſque illis civibus, qui cum ipſis in quibuſdam quæſtionibus Religionis non ejuſdem ſunt opinionis, ſatis virium habe-

haberent ad ſuam Rempub. tutandam: tamen nihilominus cum æquitate pugnaret, ſubjectos ob ejuſmodi ſententias, quæ juxta Magiſtratuum opinionem peccata ſunt, aliqua moleſtia afficere: aut minus juris immunitatisque ob illum errorem (ſi nihil præterea concurrat) eis, quam reliquis civibus concedere, qui cum Magiſtratibus in omnibus doctrinæ capitibus conſentiunt. Quoniam in Repub. quæ conſideratur ut conſtituta à Magiſtratibus & ſubjectis liberis in unum conſpirantibus; & in qua Magiſtratus civium gratia ſunt inſtituti: (quæ quidem certe Reſpublica omnium juſtiſſima eſt) poteſtas Magiſtratuum in ſubjectos ex ipſis liberæ Reipublicæ origine, atque ejus legibus fundamentalibus æſtimanda eſt. Porro *moderatio* hoc ut plurimum exigit, ut alter alterius errores ferat, & à ſævitia ac tyrannica dominatione ſibi caveat. Licet igitur jam nulla neceſſitas aut commodum communis Reipub. ſalutis exigat, ut hujus generis errores in Repub. tolerentur: nihilominus lex *moderationis* ſarta tecta ſervanda; ejuſque uſus defendendus eſt.

Nam licet neceſſitatis conſideratio demonſtret, quare iſta moderatio ſit adhibenda; non tamen ſtatim inde ſequitur, ut, ubicunque neceſſitas ea ceſſat, eadem moderatio idcirco non ſit exercenda. Aliud eſt demonſtrare, quare aliquid æquum & juſtum ſit: aliud, quare ea æquitas ſit exercenda ac adhibenda. Qui enim ſuſcipit *à priori* demonſtrandum cur opera charitatis erga proximum pro virtutibus moralibus habenda ſint, is ſententiam ſuam confirmet neceſſe eſt argumento à neceſſitate petito, allegando opera talia virtutes eſſe morales, quod fieri non poſſit ut homo abſque iis conſequatur finem, ob quem à Deo creatus eſt: puta vitam tranquillam omnibus ad eam feliciter agendam abunde inſtructam. Et quidquid natura ſua eam oppugnat, illud eſt peccatum: atque ita emolumentum, quod homines ex operibus charitatis hauriunt, eſt fundamentum, unde demonſtratur, charitatem virtutem eſſe moralem. Loquor jam ſecundum fundamenta illorum, qui formalem rationem virtutis ab hoc principio ducunt. Verum (ut ad rem redeam) commodum illud non ideo eſt adhortatio aut ratio, quare opera charitatis erga proximum exerceam. Nam tunc charitas non amplius foret charitas. Fundamentum, quo nititur Deum eſſe colendum, eique parendum, *virtutem moralem* eſſe, eſt Dei Potentia, Veritas, Sapientia, Omniſcientia, Juſtitia, &c. & plura alia ejus generis Attributa; quibus rationalis Religio fundata eſt: at quamvis ab illis rationibus ducam naturam virtutis moralis, & iis conficiam dogma, Deum colendum eſſe, non ideo tamen eædem illæ rationes debent eſſe cauſæ, quibus ad Deum colendum impellar; verum charitas erga Deum. Ingratus animus malum eſt morale: quia eo opera amicitiæ, ad humanam ſalutem neceſſaria, ceſſant. Sed hinc non ſequitur, eum ad gratitudinem non teneri, qui non veretur ullum incommodum; licet ejus amicus, à quo plurima accepit beneficia, in futurum benignitatem ſuam erga eum denegaret. Juxta eadem moralitatis principia, dicendum eſt moralitatem, quæ fidem in præſtandis promiſſis exigit, non alio fundamento niti quam neceſſitate: nam ni fides præſtetur, de genere humano, & omnibus ſocietatibus civilibus actum eſt omnino: quod bellis continuis, ex diffidentia ortis, conſumerentur. At inter probos non damni metus; ſed virtutis amor in cauſa eſt, cur illi promiſſis ac contractibus maneant. Aliud eſt *ratio impulſiva*, quare Chriſtus Divino cultu per preces gratiarumque actiones colendus ſit. Aliud, quo nititur, Chriſtum tali Divino honore affectum, *rationalem & æquam* Religionem eſſe. Munus Redemptoris atque Mediatoris haud dubie magna debet eſſe ratio impellendi ad Chriſtum colendum. Verum munus illud

non ea de cauſa fundamentum eſt, quo æquitas iſtius Religionis nititur: niſi Redemptionis munus, qua tale, rationalis Religionis fundamenta in ſe contineret. Quemadmodum inter alia, eſt munus judicandi vivos & mortuos, cum omnibus proprietatibus ad tale judicis munus requiſitis, quæ Divinæ ſunt, ac ſimul etiam ad Mediatoris munus ſpectant. Quemadmodum poteſtas Principis etiam judicis munere comprehenditur. Sic etiam *neceſſitas* quidem fundamentum eſt, quare æquitas velit, ut in formanda Repub. tales proximi errores & imbecillitates toleremus, de quibus jam actum eſt. Ratio autem, qua tam privati, quam populorum Rectores in ſuis proximis, ac civibus quaſdam leves culpas tolerare debent, humanitas eſt, facilitas, ac moderatio. Et denuo aliud denotat, quare humanitas, facilitas, atque moderatio morales ſint virtutes; aliud, quare homines eas exercere debeant: quemadmodum ea differunt, dicere, quare adulterium ſit peccatum; ac quare ſinguli Chriſtiani id fugere debeant. Pari modo: cum alia ſit ratio, per quam æſtimetur in tolerantia eſſe æquitatem, alia propter quam eam ſectari debeam, ita ceſſante in caſibus particularibus neceſſitate; quæ cauſam dedit æſtimandi tolerantiam eſſe rem juſtam & æquam, non ideo ceſſare debet noſtrum officium, quod *moderatus animus* imperat.

Diu hiſce ſum immoratus: quia multi, cum hæc veritas actionibus eſt confirmanda, tum obliviſcuntur illam; & quando abeſt neceſſitas tolerandi, tum eam humanitatis moderationiſque virtutem rejiciunt: atque exiſtimantes ſe ſine periculo magnæ jacturæ ac incommodi ſuum Imperium, quod jam conſtitutum eſt, poſſe purgare ab illis levioribus peccatis vitiiſque, etiam arbitrantur ſibi jus eſſe hoc faciendi. Sic privatos atque Magiſtratus non raro audivimus dicentes, contra moderationem, humanitatem, & facilitatem peccari, quoſdam errores, ac eorum confeſſionem Placitis pœniſque coërcere; qui poſtea, victoriam adepti, vociferarunt, horrendum eſſe peccatum, errores illos in Repub. tolerare. Sed quam facile homines obliviſcantur ſui; cum à ſingulis communes regulæ in uſum referendæ ſunt, hinc maxime patet: quod, cum de novo quidam errores exoriuntur, qui ejuſdem ſunt generis, cum illis erroribus ac levioribus peccatis; de quibus jam ante ſtatuerunt, humanitatem, & moderationem vetare, ne alter alterum ob ea ulla vexatione aut moleſtia afficiat in Repub. illa tamen, cum rerum potiuntur, nolint tolerare. Probe novi plerumque jactari, novos illos exortos errores majoris eſſe momenti: adhæc concedo, *jus competere Magiſtratibus de iis judicandi:* & idcirco Subjectis, licet arbitrentur Magiſtratus perperam judicare, omnem poteſtatem non parendi ereptam, & omnia eis æquo animo toleranda eſſe. Sed certus ſum, præjudicium amoremque quorundam, quo propriam opinionem proſequuntur, nec non ſuperſtitionem ſæpe in cauſa eſſe, quare exigui errores, atque quos inter leviuſculas culpas numerare oporteret, inter intolerabiles hæreſes recenſeantur. Ac nemo aptior eſt ad hoc malum in Repub. ferendum Paſtore zeloto; ſed cui ſolida Divinæ voluntatis cognitio deeſt. Itaque valde neceſſarium eſt noſſe, juxta quas regulas judicandum ſit, ut actio aliqua judicii aut voluntatis inter eos errores numeretur, quos Deus vult homines invicem tolerare. Ordo ergo utilitaſque noſtri Tractatus exigunt, ut eo accedamus.

CAPUT III.

Juxta quas regulas judicandum ſit, quænam illa ſint peccata, quæ Deus vult ut alter in altero toleret.

PRopoſitum nobis tantum generales regulas tradere, ſecundum quas judicandum; an factum aliquod aut opinio inter hos errores ſint numeranda, quæ

quæ alter in altero perferre debet: non autem ſingularia facta aut opiniones recenſere. Illud enim infinitum foret, nullius utilitatis; necnon mille ſiniſtris interpretationibus ac calumniis invidorum obnoxium. In examinandis iſtis regulis, & particularibus factis opinionibuſque hiſce applicandis, ante omnia requiritur, ut quilibet Chriſtianus zeli ſui acerbitatem paululum moderetur cum lenitudine charitatis. Judicium enim de facto proximi ſui, de quo jam nobis ſermo, non in mera ſpeculatione conſiſtit; ſed illius eſt generis, ut inde commodum, aut incommodum ei ſit exſpectandum: atque ita paulum latius ſe diffundit, quam ſimplex cujuſdam rei contemplatio. Optimum equidem, quando agitur de æſtimando noſtro officio, quod in nobis reflectitur, in ambiguis rebus ſemper certiſſimum eligere, & rem quam exactiſſime examinare: *ut omnia faciamus ex fide, non dubitantes, Rom.* 14: 23. Verum hanc viam qui vellet ingredi, quando judicaturi ſumus quid proximi cauſa agendum ſit, is in tetros errores ſeſe indueret, peccaretque contra charitatem, 1 *Cor.* 13. *Charitas patienti eſt animo, benigna eſt, &c. non cogitat malum.* Quam rigidos nos vult Religio eſſe erga noſmetipſos; tam indulgentes nos Charitas jubet eſſe proximis. Et quemadmodum in ambiguis, quæ nos ſpectant, certiſſimum eſt eligendum; licet ad diminutionem noſtri juris libertatiſque tendat: ſic in ambiguis, quæ ad proximum attinent, illa in factis noſtris pro certiſſimis habenda, in quibus maxime elucet charitas. Si dubitet quis, an nonnullorum bonorum legitimus ſit poſſeſſor; proximo, aut pauperibus dare, quæ ejus conſcientiam onerant aut lancinant, tutiſſimum eſt. Si dubitetur, an Deus præcipiat quædam peccata pœna capitis vindicare, tutiſſimum eſt leviorem pœnam infligere. Si non certi ſimus Deum prohibere certos errores in Repub. tolerari; maxime ſecurum, proximum nulla moleſtia afficere. Ita ut hoc caſu charitas erga proximum omnia æqua nobis imperet: cum contra charitas erga noſmetipſos mandet, ut omnia, quæ nos ipſos concernunt, ex præſcripto ſummi juris agamus: neque tunc metuendum ne illud tranſmigret in ſummam injuriam.

Et ſi hoc generaliter obtinere debet circa leviora delicta & peccata proximi: ſpecialiter locum habere debet in peccatis, quæ proximus judicio noſtro contra Deum committit; ac ubi ſimul credi poteſt, animi imbecillitate, errore, aliorumque ſeductione proximum in peccata prolapſum eſſe. Cum Magiſtratus puniunt peccata, quæ natura ſua Remp. immediate lædunt atque turbant; tum æquum judicium eorum, illa nimirum peccata non punita Rempublicam debilitatura, prohibitiones & pœnas eis adjunctas, à culpa liberat. Ac jus puniendi ea peccata nititur atque oritur ex jure, quod cuilibet privato competit, ut nempe judicet de iſtis, quæ ſuam ad ſalutem conducere credit. Et Magiſtratuum, qui jus illud à privatis acceperunt, non refert ſcire, an iſti, ad quos eorum mandata diriguntur, de re, quæ eis præcipitur, ita judicent, ac ipſi: ac an aliter judicantes, humana animi imbecillitate, errore, ſeductioneque ita judicent. Sed Magiſtratibus ſufficit, ſi conſcientia ipſis dictet, rem, quam vetant, Reip. nocituram, ni legibus atque pœnis coërceatur: & alios notitiam poſſe habere mandatorum ſuorum. Sed in peccatis puniendis, quæ contra Deum committuntur, pœnæ fundamentum duobus nititur. Primo, ut certi ſimus, proximum noſtrum non ea animi imbecillitate peccare, quæ, prout jam præſupponimus, in Repub. toleranda ſit. Secundo, ut certo nobis conſtet, Deum velle, Magiſtratus illa peccata, contra Ipſum commiſſa, in ſubjectis ſuis punire, atque ad id jus poteſtatemque ipſis conceſſiſſe. Quis non videt, ad accuratam utriuſque notitiam multum laboris & luminis requiri. Quanto facilius eſt ſcire,

 an

an recte poſt diligentem inquiſitionem ſtatuamus, rem aliquam, ni pœna coërceatur, Reipub. damnum allaturam: quam ſcire, num proximus noſter ignoſcenda animi imbecillitate peccet. Nam plerumque cognitu difficillimum eſt, qui errores inter humanas animi imbecillitates ſint numerandi. Adhæc, minoris non eſt laboris cognoſcere, quis ſpecialiter humana animi imbecillitate peccet: vel, quis punienda contumacia, negligentia, aut ſocordia peccet: aut etiam velut ex animi propoſito, ex inani gloria, ex vindictæ cupiditate, perverſis affectibus aciem mentis illi auferentibus. Et experientia, nec non Sacra Scriptura teſtantur, tales bene multos reperiri: de quibus poſtea latius diſputabimus.

Ita ut unus idemque error in hoc ex communi animi imbecillitate exiſtat; ac proin non dignus ſit pœna: quemadmodum multi ſimplices aſtu ſuorum Doctorum ſeducuntur. In altero idem error caſtigandus erit, non ob propriam & innatam naturam, ſed propter animi pravitatem, qua in eum incidit errorem, atque etiamnum manet. Et hæc cauſa eſt, quod unus idemque error in hoc hæreſis ſit futurus, in illo autem ſecus. Nam hæreſin Apoſtolus inter aperta carnis opera recenſet, *Galat.* 5. ac quibuſcum diſputare prohibet; ſed qui poſt admonitionem unam aut alteram ſint reprobandi: quoniam ille ſatis ſuperque in animo convictus ſit, quod veritatem in injuſtitia, nec non pravis affectibus opprimat; atque ita à ſemetipſo velut condemnatus ſit, ut ſanis argumentis non pro merito locum det, *Tit.* 3. Verum idem ille in alio ſimplex poteſt eſſe error; nec puniendus: quia is qui errat in aliis poſſit poſitus eſſe circumſtantiis; ita ut erga eum omnia adhuc officia ſint adhibenda, quæ proximo debemus, qui inſtitutionem admittit. An quis ſe præbeat docilem, non ex tempore conſiderari debet, quo ſe imbui paſſus eſt: multo minus ex exiſtimatione colligi debet, qua Doctoris doctrinam proſequitur, qua talem; & ab illo, aut à tali Eccleſia traditam: quoniam æque ipſi jus eſt docilitatem hoc pacto exigendi à Doctore, ac Doctori, vel Eccleſiæ ab ipſo. Quod de aliis intelligendum non eſt, quam de iis, qui eâ ſunt ætate, eoque rerum uſu inſtructi, ut abſque magiſtro ſuum judicium ferre poſſint de fidei dogmatibus. Nec docilitatis ſuæ demonſtratio in eo conſiſtit, ut non admittatur ad errores ſuos propugnandum; aut ad alios eos docendum: quemadmodum nonnulli, perperam tamen meo judicio, tradunt. Verum ut ſincerum ſtudium, ac paratum animum oſtendat, omnibus malis affectibus ac pravitatibus vacuum, ad ſanam doctrinam admittendam. Ita ut ex ſignis talis doctrinæ nobis conſtet, errorem ex judicii imbecillitate, non autem ex malitia oriri: Vide *Act.* 18: 16. & 19: 9. 37.

Secundum eſt, quo velut fundamento jus Magiſtratuum peccata puniendi, quæ contra Deum committuntur, nititur, ut de Divina voluntate certo conſtet: non ſolum quæ peccatorum numero haberi velit, verum etiam, quo pœnæ modo Deus ea à Magiſtratibus vindicari velit. Quoniam in N. T. de nulla pœna in ſpecie, neque de modis & gradibus earum ſermo fit: ac pœnæ in V. T. expreſſæ non ulterius in uſum ſint revocandæ, niſi quatenus naturalis æquitas ac ratio à nobis exigit; ideo expeditio difficultatum, quæ moveri poſſunt de pœnæ modo & gradibus, difficiliori loco eſſe videtur ſub N. quam ſub V. T. Quis non conſiderat quam arduum ſit, ut per rationem inveſtigemus, quæ peccata contra Deum committantur; atque qua pœna illa velit caſtigari: & quouſque proximus ob ea pœna debeat affici; atque ita naturali ſua libertate imminui. Pœna peccatorum, ac modus pœnarum, quæ humanam ſocietatem natura ſua, immediateque lædunt, pro damni magnitudine cenſetur, quod Reipub. metuendum eſt, ſi malum ulte-

ulterius ſerperet. Et ideo aliquando parvum peccatum in Divino foro à Magiſtratibus legitime morte punitur. V. Gr. ſomnus in excubias agente. Hoc pacto quandoque contra parvum delictum, quia in multos ſeſe diffundit, gravis pœna ſtatuitur. Contra graviſſima in Deum peccata, veluti hypocriſis, charitatis defectus, avaritia, ambitio, invidia, &c. jure merito à Magiſtratibus ſæpenumero impunita dimittuntur. Verum in vindicandis criminibus contra Deum commiſſis, non talis reperitur regula, ſecundum quam pœnæ ſint dirigendæ. Et omnibus conſideratis; hoc ſolum occurrit mihi, nempe pœnam, ac modum pœnæ talium delictorum metiendum eſſe juxta modum contumaciæ & pravitatis, quæ illa delicta comitantur. Sive malitia illa in facto aliquo conſiſtat, quod fugit & damnat ipſa conſcientia: ſive ſciens volenſque ingenium atque judicium obnubilet: & ita veritatem in injuſtitia detineat. Si examinemus, quæ peccata in Deum commiſſa Lex in V. T. temporali pœna vindicet, comperiemus peccata eſſe, quæ aut cum naturali ratione pugnabant; aut quæ claræ necnon revelatæ Divinæ voluntati, à Judæis pro tali habitæ & receptæ, repugnabant, aut quæ contra apertorum promiſſorum fidem committebantur. Ad hanc rem examinentur omnes textus V. T. qui agunt de pœna mali moralis, *Exod.* 22: 11. 19. 20. *Lev.* 5: 16. 18. 29. *&* 19: 20. *& Cap.* 20. *&* 24: 16. *Deut.* 6: 1. 6. 12. *Ezech.* 16: 38. *Nehem.* 9: 38. *&* 10: 29. *Joſ.* 1: 10. *Eſr.* 10: 8.

Sed quoniam de gradibus & menſura pœnarum in N. T. nullam expreſſam legem habemus: nec Deus cum hominibus, ſive illi ſint Magiſtratus, ſive Subjecti, tale fœdus percutiat; nec eos ſpecialibus legibus ad certam Reipub. formam & pœnarum modum, conſtringat: nulla ergo reliqua ſunt delicta, quæ in N. T. poſſint vindicari (jam excipio, nec ago de peccatis, quæ adverſa fronte Rempub. impugnant) niſi quæ contra claram ac revelatam legem Naturæ; aut contra Divinam voluntatem, & quam nobis revelatam concedimus, committuntur; atque in V. T. puniebantur. Et tum eam formam modumque pœnarum Magiſtratibus imitari licet: niſi conſtet, pœnam illam in V. T. contra peccatum aliquod conſtitutam, propter certum ad populum Judaicum reſpectum aggravatam vel levatam eſſe. Sed cum hoc non cognoſcitur, Chriſtiano Magiſtratui in delictis quibuſdam vindicandis, Judaicas leges ſequi permittitur, quæ naturali æquitate nituntur. Et ideo non licet illis alia peccata contra Deum commiſſa, ac eo tantum reſpectu, plectere; nec quem domi foriſve ulla moleſtia afficere, niſi ob peccata, quæ per ſe magna ſunt; ſimulque contra conſcientiam adverſa fronte, vel per obliquum perpetrantur: id eſt, ſi quis ſciens volenſque contra propriam conſcientiam peccet; aut malitia judicium ſuum offuſcet.

Quivis jam conſiderare poteſt, quot obſervationes requirantur, ut ſciamus, quænam illa gravia ſint peccata, quæ contra Lumen naturale fiunt: atque etiam, quinam illi ſint, qui talia contra propriæ conſcientiæ dictamen perpetrant. Nam quemadmodum ex præcedentibus liquet, quando jam conſtat, quæ illa enormia peccata ſint: etiam perſonæ, tempora, & occaſiones, à quo, quando, quo caſu illud peccatum commiſſum ſit, conſideranda ſunt.

CAP. IV.

Quæ peccata exiſtimanda ſint ex communi animi imbecillitate, ac corruptela humana oriri: & ea de cauſa juxta ſuperius aſſerta, in Repub. non punienda.

EX antè dictis ſatis conſtat, per peccata, quæ ex communi animi imbecillitate proveniunt, hic ea delicta non intelligenda, quæ à Theologis neque

fidem,

fidem, neque conſcientiam evertere putantur. Nam licet illa hic non excipiantur, tamen multa alia ſunt peccata, quæ, licet cum vera fide bonaque conſcientia non poſſint conſiſtere: in Repub. neceſſario non puniuntur, quia maxima pars hominum, alter huic, alter illi peccato obnoxius eſt: aut ſæpius in ea labitur per communem corruptelam & vitioſam imbecillitatem; quæ deſcendunt ex lapſu Adami, & quæ in omnibus, (excepto minimo verorum fidelium numero) talia peccata, ſine ulla ſingulari ſpontanea pravitate, producunt. Atque ideo inter talia animi vitia imbecillitate commiſſa numeramus avaritiam, ambitionem, charitatis defectum, ingratitudinem, hypocriſin, invidiam, calumniam, ſuperbiam, iracundiam, lites, diſcordiam; multos errores de Deo ac Religione, & in moralibus de bono maloque: in quæ homo per naturalia illa vitia incidit, quæ lapſu Adami longe maximæ parti hominum ſine contumaci malitia adhærent, atque in illis permanent. Sic comparatum eſt cum errore in re, quæ ſolum per multas & ſubtiles conſequentias adſtrui poteſt: aut quæ aſtutia falſorum Doctorum adeo intricata eſt, ut mediocria, corrupta ac naturalia ingenia veritatem illius rei ægre penetrent: quia, ut eo pervenias, quot peccata atque vitia homini quaſi natura inſita ſuperanda ſint, in quibus naturaliter, ſine contumaci malitia totæ ſocietates & communitates ad extremum vitæ ſpiritum hærere ſolent: ſuntque ea quæ natura ſua aliquantulum obſcura, cœco amore ſui, aut ſtudio erga eam fidem, quam majores noſtri profeſſi ſunt, & in qua nos educati ſumus, obſcuriora redduntur: aut quæ auctoritate virorum doctorum, aut Antiquitatis, ac defectu inſtitutionis; & tandem ea occaſione, qua plerumque error, aut ejus defenſio, in quacunque ſit re, non pervicacem malitiam, demonſtrat, non facile vitandus eſt. Si enim naturale eſt his caſibus à veritate deflectere: error is non magis pœnam meretur in Repub. quam ipſa illa animi imbecillitas. Nempe, ſi erremus in perceptione rei obſcuræ: ſi ab aſtuto & callido decipiamur: ſi de re propria cum favore judicemus: ſi judicio noſtrorum Doctorum ſeducamur, aut virorum doctorum, &c.

Per hæc exempla Lectori aditus patet, ad conjectura aſſequendum, juxta quam normam judicandum ſit de peccatis animi imbecillitate factis; de quibus jam diſputamus. Illud, quod excuſat aliquem, quod non calumniandi animo adverſarium in jus vocaverit, etiam ſubjectum ab omni pœna vindicat. Atque illæ rationes, quæ nos movent ad cogitandum, nonneminem proximum ſuum non per malitiam in jus vocaſſe: eædem permovere nos debent ad illud ipſum exiſtimandum de omnibus, qui erroribus quibuſdam immerſi ſunt, ſi eædem rationes circumſtantiæque concurrant. Et ſicuti iniquum eſt, aliquem moleſtia afficere, aut calumniari, de quo cauſam habemus putandi, eum non malitia errare, ad litem non juſta cauſa ſubnixam alicui movendam. Ita etiam injuſtum eſt exiſtimandum, aliquem vexare, de quo nulla nobis cauſa cogitandi, eum animi pravitate errori alicui adhærere circa Religionem; aut circa bonum aliquod ſeu malum morale. Etiam vice verſa dicimus, eam rationem, quæ ſuſpicionem nobis injicit, aliquem malitia in errorem quendam incidiſſe, eum, non obſtante illius errore, pœnâ dignum; non quod erret, ſed quia perverſitate ſua occaſionem det ad errandum. Qui ſciens volenſque vias negligit ac contemnit, quæ ipſum ad cognitionem perducere potuiſſent, pœnam meretur. Sic etiam, qui oſtendit ſe artibus ſophiſticis, ſtatum controverſiæ mutando, falſis argumentis teſtimoniiſque callide reſponſionem adverſarii ſui evitando, errorem ſuum ad ſuam atque aliorum ſeductionem conari aſſerere, puniendus eſt in Repub. Sic etiam ſupplicium me-

merentur; qui vitæ impuritate, converſatione cum improbis, ingenium occæcant, & cor obdurant; quique ideo à Deo traduntur in ſenſum reprobum, *Rom.* 1:28. Licet hi ingenium ſuum inutile reddant; aut ipſum illud per malitiam, perverſæ doctrinæ aures præbendo, corrumpant, ac ſic inſcii & non ſentientes peccent. Æque ac illi etiam, qui conſuetudine peccandi, & à parvis ad majora progrediendo, conſuetudini peccandi tantum robur addidere, ut à magnis delictis nequeant abſtinere, etiam pœna digni ſunt. Licet illis ob contractam longa conſuetudine imbecillitatem, major moleſtia in evitandis peccatis gravioribus exhaurienda ſit, quam piis in abſtinendo à peccatis levioribus.

Licet itaque forte gentiles nihil facerent repugnante conſcientia, cum fœda perpetrarent, de quibus Apoſtolus prædicto capite agit; nihilominus pœnam mererentur, quia tales ingenii tenebræ, & obduratio cordis nequeunt exiſtere, niſi hoc vel illo modo malitia ſit admixta. Idem etiam judicium ferrem de inceſtu, qui committitur inter patrem & filiam; fratrem & ſororem. Idem etiam ſentirem de Atheiſmo. Arbitror enim Deum tam firmas & vividas impreſſiones circa honeſtatem naturæ noſtræ inſculpſiſſe, ut nemo ad ejuſmodi errorem perveniat, quin ante conſcientiæ vim intulerit. Vide *Rom.* 1. Et eas notiones in magnis criminibus eo majores reperio, quo malum rationum quidem efficacia difficilius probari poteſt: ſed naturalibus & inſitis animi commotionibus ſe prodit apertius. Qualia peccata ſunt, præpoſteræ carnis libidines. Etiam autumo argumenta, quæ ad Deitatem aliquam deducunt, hominibus tam obvia eſſe, ut conſcientiæ ſuæ vim faciat neceſſe eſt, cum illis reluctatur. Et innumeræ interim res ab hominibus tam plena animi fiducia creduntur; de quibus tamen non plenior eſt certitudo, quam de fide ac opinione, Deum eſſe. Ita ut inde jure poſſit colligi, Atheiſmum ex malitia & animi perverſitate oriri. Nemo enim à ſe impetrare poſſet, ut crederet vel minimum ædificium opificem non habuiſſe, quo pacto igitur credere poſſet mundum opifice carere? Et credo, ſi curioſe de vita athei inquireretur, comperiremus, meram eſſe contumaciam, quæ faciat, ut bona argumenta pro Deitate ſuſque deque habeat; & mala, quæ pro impietate faciunt, admittat, tanta cum propenſione ad amplectendum atheiſmum, ut ſatis indicet ſe non ratione, ſed animi impetu duci. Idem etiam cenſeo de Scortatione, Furto, Adulterio, Ebrioſitate, de præmiis & pœnis in futuro ſeculo, de illis Divinis attributis, quæ facile ſine ulla ratiocinatione poſitionem præmii aut pœnæ ſequuntur: verbi gratia, Deum eſſe Omnipotentem, Omniſcium, Sapientem, Juſtum, Bonum, &c.

Contra illa delicta & errores, ob rationem jam dictam, nullam pœnam in Republica mereri arbitrarer, quæ contra primas notiones honeſtatis ac pudoris non pugnarent; nec contra primas fundamentaleſque rationes: ſed qui verbi cauſa eas notiones atque moralia fundamenta impugnarent; quæ nos ad ſublimiorem & vulgari majorem perfectionem ducunt; ac quæ ideo cum jure naturali non pugnant. In eandem etiam claſſem rejicerem peccata, quæ in tales æquitatis rationes incurrerent, quæ acuta tantum & contenta ratiocinatione, ad quam vulgus ingenium ſuum ægre erigit, inveniuntur. Sic etiam in Repub. Pagana pro talibus peccatis animique imbecillitatibus ducerem Polygamiam; divortium & repudium, dato repudiatæ libello repudii; nudum verendis tantum tectis incedere: iis accenſerem indecens & indecorum in inceſſu, ſtatu, ſermone. Nam, quoniam etiam corpus ad imaginem Dei eſt conditum, internas virtutes exprimere debet, quibus animam oportet eſſe præditam.

Inter delicta atque errata, quæ ratione

quidem judicantur, ſed tamen magna tantum animi contentione eruuntur, cenſerem, v. gr. in Ethnicorum Repub. ut & in Chriſtiana (ſi textus S. Scripturæ non ſint admodum clari; de quibus jam ante dixi me nolle judicare) an Deus eſſentia ſua ubique ſit. An Deo novi quid accidat, aliquid creando. An, de novo quid velle, cum Divina beatitudine pugnet. An Decreta Dei ſint conditionata. Inter ejuſmodi errores etiam ſententiam eorum numerarem, qui S. Scripturam pro Divina, ac in ea voluntatem Divinam contineri & declarari agnoſcentes, tamen de explicatione ejus nobiſcum controverſiam movent: ac qui alia doctrinæ capita inde exſculpunt. Atque hoc ad omnes errores extenderem, quamdiu non clare conſpicimus illos cum malitia, modo jam dicto, conjunctos eſſe. Diſcrimine ſemper facto inter errata & perſonas errantes. Sæpe enim fieri poteſt, ut error, vel potius errans doctrina, per ſe conſiderata, in Repub. excuſanda & toleranda ſit; & tamen hunc vel illum illo errore implicatum merito moleſtia, ac vexatione affici, minuſque juris atque privilegii ei in Repub. concedi: quæ majoris juris privatio jure *pœna* vocatur. Ratio autem hujus rei eſt, quia ille in propugnando ſuo errore artibus Sophiſticis, technis, & ſeductione utitur: aut pravi affectus ultionis, invidiæ, amoris erga ſemetipſum, quos affectus malo animo ac data opera in ſe excitavit, ipſum in errorem adduxerunt. A quibus omnibus pravitatibus homo ſimplex, eodem errore imbutus, liber eſt: atque ideo nullam pœnam meretur.

Et ante omnia hoc officium Imperantium ſtatuo eſſe in vindicandis ac arcendis erroribus, peccatiſque, quæ ex illis erroribus oriuntur, ut Doctores atque Anteceſſores diverſarum Societatum aliquando convocent; & ut in quadam collatione, cujus Imperantes ipſi ſint præſides, à Doctoribus & præcipuis illarum Societatum flagitent, ut in cordis ſinceritate, ſine ambagibus, quemadmodum illos decet, qui veritati, non autem honori ſtudent, (quod facile poſſet colligi) declarent, quo fidem ſuam fundent; ac ſimul cognoſcant, quomodo alter alterius objectionibus reſpondeat. Non dubito quin Magiſtratus non ſolum brevi magnum ſibi uſum in rebus Divinis compararent; & perſpicerent ſe non minus idoneos eſſe ad cognoſcendum judicandumque de quæſtionibus Theologicis; quam de controverſiis civilibus, quæ in Regimine Politico ac Tribunalibus occurrunt. Sed cito etiam cognoſcerent, quot inter Theologos controverſiæ vigeant, quæ eo proveniuntur, ut neque rationibus, neque S. Scriptura clare poſſint componi: provenientes ab illis, qui ſcire volunt, quæ Magiſter Optimus nos docere noluit: qui vanis Prophetis ſimiles, ambulant ex ductu ſui ſpiritus, & ea ſectantur, quorum nihil comperti habent: & tamen pravis affectibus, aut perverſo ſtudio proximum, qui non vult tam infirmo fundamento inædificare; & non opinione, ſed ad veritatem perſuaderi firmis argumentis vult, calumniantur, & in eum invehuntur. Tunc etiam æque facile cognoſcerent, quinam Doctores malis artibus, callidis effugiis, conjecturis, pravis affectibus ac litibus uterentur; quam in Advocatis, Procuratoribus, & Litigantibus technas perverſoſque agendi modos perſpiciunt. Atque tum hi verſipelles pro merito pœnis poſſent coërceri: & ſimplices, quibus ab his imponitur, ab illis Doctoribus liberari. Ac tum porro facile foret efficere, ut reliqui cives, aut doctrinam Veritatis, claris evidentibuſque fundamentis adſtructam, talibus collationibus, coram omnibus hominibus demonſtratam, amplecterentur: aut cognoſceretur, quinam illi forent, qui ſupra memoratis vitiis & malitia; aut culpanda negligentia, & incuria, in iſtarum rerum inſcitia hærerent, quarum ignorantia pœnam in Repub. meretur. Atque tunc cito veri hæretici

retici & contentioſi detegerentur: ac qui contra, per *innocentiam*, quod ingenio hæc ſuo diſcernere nequirent, ſaniorem doctrinam non admitterent; ad priores puniendos, reliquorum autem imbecillitates ingenii, veluti morbos corporis, cum miſericordia ſublevandos ac curandos. Atque tum ipſo rerum uſu diſcerent Magiſtratus, quam arduæ fidei controverſiæ ſint, experirenturque quam difficile ſibi eſſet de iis rebus judicium ferre, & cum certa animi fiducia loqui, quas bene exploratas non habent: quod tamen juxta præceptum Apoſtoli *Rom.* 14: 5. magnopere omnibus Chriſtianis litandum. Et tum imbecillitatem illam in aliis nulla pœna dignam cenſerent, qua nec ſeipſos, communi hominum imbecillitate, liberos reperirent. Etiam de errore iſtorum, qui poſt diligentem & accuratam inquiſitionem, judicantes, nihilominus errori album calculum adjiciunt, non pejus ſentirent: quam de eorum fide, qui nihil inquirentes, ac Doctorum ſuorum fidem pro ſua ducentes, in rebus fidei doctrinam publice, vulgo, temereque ſuſceptam ſectantur. Reip. Rectores tum etiam ſibi caverent tales, ſine malitia peccantes, quibuſdam acerbis, indoctis, atque ſuperſtitioſis Doctoribus, velut in prædam dedere. Totum hoc negotium tantum à probitate Magiſtratuum dependet, qui ſi nulli partium ſint addicti, & omnia ex æquo æſtiment, in omnibus Religionis controverſiis ſe gererent ut judices, neutram partem favore proſequentes. Atque illud, juvante Deo, tantum boni præſtaret Rebuſpublicis, ut Imperia & ditiones ob diverſas in Religione opiniones minus quaterentur; ac eæ majori cum iuſtitia adminiſtrarentur. Sed hæc de his ſufficiant.

CAPUT V.

Ex S. Scriptura demonſtratur quoſdam errores cum malitia conjunctos eſſe: aliquos non item.

JAm reſtat demonſtrandum, quædam errata cum animi pravitate implicita eſſe; quædam ab ea abeſſe, & quæ tamen per ſe magna ſunt. Quis error major eſt, quam Euangelio, à Chriſto & Apoſtolis prædicato, fidem non habere, atque ita bonum conſilium, ipſis datum, rejicere. At multi tamen ab initio Judæi in eo hæſerunt errore: quibus nihilominus idcirco malitia non erat adſcribenda. Nam qui poteſt Apoſtolus Paulus de quibuſdam atteſtari, ipſos zelo Dei actos fuiſſe; quamvis graviter, & cum exitio ſalutis errarent, ſi pertinacia illi zelo acceſſiſſet, qui ſine judicio æquo verſabantur in Religione Judaica propugnanda. Quinimo de ſemetipſo dicit, & de talibus Judæis, ad defenſionem Judaiſmi laborantes, omnes fuiſſe zelo Dei accenſos, *Act.* 22: 3. Quinimo, *Act.* 23: 1. audet dicere, *ſe omni bona conſcientia converſatum fuiſſe coram Deo uſque in hodiernum diem*: eo comprehendens tempus vitæ ſuæ ſub Judaiſmo. Quicum convenit id, quod dicit *Philip.* 3: 6. *Quod ad juſtitiam, quæ eſt in lege, irreprehenſibilis.* Ac fundamentum veritatis hujus dicti in eo conſiſtit, quia pro Judaiſmo æmulantes, illud ex ignorantia facerent, quæ *malitia* carebat. *Act.* 3: 17. Petrus concedit, Judæos Chriſtum per ignorantiam crucifixiſſe: inter quos haud dubie illi Judæi non ſunt numerandi, qui peccabant contra Spiritum S. de quibus Chriſto ſermo, *Matth.* 12: 31. Et 1 *Tim.* 1: 13. idem etiam de ſeipſo Paulus teſtatur, atque ignorantiæ ſuæ imputat, quippe quæ eum aliquantulum excuſaret, quare ipſum Deus ob ſuam perſecutionem & blaſphemiam non deſeruiſſet; ſed nihilominus per inexhauſtam

gratiam ſuſcepiſſet. Ita ut innumeros ponere liceat, tanquam extra Chriſtianam Eccleſiam viventes, ac gravibus erroribus immerſos, quos Magiſtratibus, intuitu Regiminis Politici, non licet ulla moleſtia afficere; ſed eos pro bonis probiſque civibus habere debet. Nam quis non videt, de errore, quicum malitia conjuncta eſt, non poſſe dici ipſos nihilominus zelo Dei motos, atque irreprehenſibiles eſſe; & bona conſcientia ambulaſſe, ita ut facta his erroribus commiſſa aliquatenus ſint excuſanda: ac nemo propterea pro ſcelerato ſit habendus; & idcirco etiam ob iſtum errorem puniendus. Non tamen definio, hodiernos Judæos inter hos numerandos. Nam jam ante declaravi, me ſingulares quæſtiones nolle tractare. Excepto quod ignorem, qui quiſque Judæus gerat ſe, ut ad cognitionem veritatis perveniat; ac quæ bona debitaque officia adhibeantur, ut in viam & ad ſanam mentem deducantur: atque non puto, omnes nullo diſcrimine habendos; nec cunctos, tanquam per contumaciam & malitiam errantes per denegationem juris commorandi in Chriſtianorum Rebuſpub. privandos ſolitis viis, & ad ſalutem procurandam idoneis.

Si dicas illos errores pœna dignos eſſe cenſendos, qui errantes eo provehunt, ut vitæ proximi inſidientur, ac putent ſe Deo rem gratam facturos, ſi, licet cum exitio hominis, errores tollant: quemadmodum Judæi Chriſtum Chriſtianoſque tractarunt. Reſpondeo, errorem iſtorum æmulantium Judæorum, de quibus ſuperius mihi ſermo fuit, ſine pravitate tamen potuiſſe conſiſtere, licet Judæos ad Chriſtianiſmum converſos ad mortem perſequerentur. Putabant enim Chriſtianiſmum amplecti, univerſalem atque totalem apoſtaſiam eſſe à Lege, & Religione Judaica, à Moſe inſtituta: ac de qua expreſſam legem mandatumque habebant, omnes Apoſtatas morte eſſe afficiendos. Ita ut in Judæis perſecutio popularibus facta multo magis excuſanda veniat; atque putandum in illis magis caruiſſe malitia; quam jam ſub N. T. in iſtis zelotis, qui quoſdam à ſe in Religione diſſentientes capitis ſupplicio plectunt. Et nobis longe plures ſunt rationes credendi, iſtum zelum Chriſtianorum tantum nomine tenus, malitia non vacare: ſed reipſa in vicinia magnæ malitiæ & pravitatis verſari. Primo, quia in N. T. nullum exſtat præceptum, quod mandet, ut quiſquam ob errores in Religione occidatur: verum ſolum dicit, Magiſtratum gladium non gerere fruſtra, *Rom.* 13:4. Ac leges V. T. jubentes Idololatriam Apoſtaſiamque morte vindicari, non ulterius nos obligant, quam quatenus naturali æquitate nituntur. Atque ſupra oſtenſum eſt, naturalem æquitatem pœnæ errantium fundari in malitia, quæ cauſa eſt, ut in eos errores incidant, aut permaneant. Si itaque non poſſit doceri, legem Judaicam niti ea æquitate, non obnoxii ſunt illi Chriſtiani: ſed multo minus ad eam poſſunt provocare, ſi lex illa etiam nullum omnino puniret, quam qui per *contumacem malitiam* Religionem ſuam abjuraret. Nam primo, lex præcipit tantum, ut illi Judæi è medio tollerentur, qui Apoſtatæ fiebant. Et ideo Paulus ac reliqui neminem perſequebantur, quam qui Judæus erat. Sed fieri haud poterat, ut Judæus à Religione Judaica deficeret, ſine pervicaci malitia, & conſcientiæ ſuæ vim non inferret, ab expreſſo promiſſo reſiliens: & de quo certo ſibi conſtabat, ſe contra ea facere data opera, ac non per errorem. Et defectio iſtius Judæi haud magis poterat excuſari: quam ſubjectorum à legitimo Principe contra fidem, honorem, & promiſſa, de quibus animo convicti ſunt. Quæ omnia patent ex circumſtantiis.

Lex Judæorum pœnam capitis imponens apoſtatis, non cavebat de aliquo errore, qui ex judicii imbecillitate poterat exiſtere; nam multæ ac variæ Sectæ tole-

lerabantur inter eos. Nec etiam illa cauſa erat, quod nonnulli eorum bonam, Divinam, beneque fundatam Religionem nollent recipere: nam lex illa non tangebat Gentiles. Sed primo loquitur de totali defectione & abnegatione Dei Iſraëlis: quæ conſiſtebat in admittendis Diis Gentilium; aut in vero Deo ſub imagine aliqua colendo: quod ſuperius probatum eſt: de quo Judæi tam clara mandata acceperant, ut nemo eorum ignorantiam prætendere poſſet; ac quæ quilibet Judæus ſingulatim pro ſe liberiſque impleturum ſe promittere cogebatur; non obedientibus pœna capitis indicta. Ita ut ne minima quidem dubitatio potuerit exiſtere, Judæum, hoc pacto deficientem, ignoſcendo aliquo errore & parvo delicto eò prolapſum. Nam licet jam forte poſſet fieri, ut quis à Judaiſmo, aut Chriſtianiſmo ad Paganiſmum deficeret excuſabili aliqua imbecillitate, quæ nullam Magiſtratus pœnam meretur: (quod equidem non credo) tamen in Judæis vigente Repub. Judaica non habebat locum; quoniam illi expreſſe cogebantur promittere ſe Judaicæ Religioni adhæſuros. Saltem nullo excuſando errore promiſſa ſua ignorare poterant; nec pœnam, cui ſe, ni paruiſſent, ſubjecerant.

Et in primis conſiderandum, in Judaiſmo, Repub. Judaica etiamnum florente, Judaicam Religionem longe aliter à ſubjectis exactam fuiſſe, quam Chriſtiana Religio hoc tempore per Magiſtratus Chriſtianos à civibus poſtulatur. Judæis erat expreſſum mandatum, ut neminem ad Iſraëliticæ Reipub. communionem admitterent, qui non promitteret Religionem Judaicam ſuſcipere. Atque ex hoc fundamento Magiſtratui Judaico jus competebat non ſolum ſubjectos ſuos *monendi*, ac eiſdem *ſuadendi*, ut in Judaica Religione perſiſterent: verum etiam expreſſe illud imperandi. Et qui à Judaica Religione deſciſcebat, *pœnam* incurrebat; quia contra præceptum directo peccaverat. Ita ut jus hoc Magiſtratus Judaici à ſubjectis talem Religionem exigendi, repugnanteſque puniendi, non *ex jure propriæ defenſionis* oriretur: ſed quia Deus conſcientias Judaicorum civium huic Magiſtratus mandato ſubjecerat. Verum Chriſtianus Magiſtratus à ſubjectis poſtulat certam Religionem, non quod in civium conſcientias imperium habeat; ita ut is, qui animum & conſcientiam huic præcepto non ſubmittit, peccet contra obedientiam Magiſtratibus debitam: ſed quod credat, illam Religionem cum Verbo Dei congruere; ac maxime Reipub. ſubjectiſque conducere. Et Magiſtratus non eapropter errorem vindicat, quaſi perſeverantia ſubditi in ſuo errore *inobedientia* foret contra ſuum mandatum. Deus enim nullius judicium ac conſcientiam alterius judicio atque conſcientiæ ita ſubjecit, ut proximi opinio à mea diſſentiens, jus mihi tribueret puniendi eum, *ut non obedientem*. Sed jus mihi eſt res meas ex animi mei ſententia adminiſtrandi: nec proximum ulla afficio injuria, quando, cum utor jure meo, ita per accidens, ut ſolemus loqui in ſcholis, proximo inde quædam oriuntur incommoda. Quanquam graviter poſſim delinquere meo jure abutendo; ſi me inclementer, crudeliter, & tyrannice erga proximum geram.

Quare ſtatuimus, Magiſtratui competere de opinione recens orta judicare, toleranda ſit, necne. Licet autem Magiſtratus erret, ſubjectis tamen nullam facit injuriam; quamvis ob id eos perſequatur & vexet. Verum licet hoc caſu cives nulla afficiat injuria; peccat tamen nihilominus. Nec idcirco ſubjectis ſe contra Magiſtratus immorigeros præbere licet: verum omnia patienter ipſis ferenda; quanquam Magiſtratus graviter contra Deum delinquant, quando errore ita tranſverſi aguntur, ut etiam ad amoliendum damnum, quod falſo augurantur ex errore ſubditorum in Rempublicam redundaturum, ſubditos incommodis afficiant

ciant. Res & quæſtio hæc multum lucis mutuatur à ſimilitudine duarum Summarum Poteſtatum, quæ communi non parent Judici, (ut notum eſt) inter quas cum bellum oritur, neutra illarum Poteſtatum jus armorum ſuorum fundat in *inobedientia* hoſtis ſui, ſed in conſcientiæ ſuæ teſtimonio, quod jus & æquitatem in ſua cauſa eſſe exiſtimet: de juſtitia autem cauſæ; deque reprobandis aptis ad pacem viis, quævis Summa Poteſtas jus habet judicandi; neque datur tertius, cujus judicio atque arbitrio rem committere debeant. Atque incongruum, adverſarium meum, quocum mihi controverſia eſt, judicem fore meæ cauſæ. Verum quamvis quæque Suprema Poteſtas judex ſit in propria cauſa: nec alteruter adverſariorum lædatur, ſi alter judicio alterius non pareat: poſſunt tamen illo judicandi jure peſſime abuti; eoque graviter peccare. Sic etiam in fidei controverſiis nullus in terris judex exiſtit. S. Scriptura & ratio tantum ſunt regulæ, ad quas quivis fidem ſuam dirigere debeat: & ob id opinio hominis, ſive ille Magiſtratus, ſive Doctor ſit, non poteſt mihi norma eſſe eorum, quæ credenda mihi ſunt; ideoque nulli Magiſtratui jus eſt, ut ſub *forma legis aut præcepti* alicui certam Religionem præſcribat. Et ſi Magiſtratus, aut Doctor jus non habeat ad cultum meum Divinum mihi injungendum; quî crimen inobedientiæ incurrit, non eadem de Religione ſentire, quæ Magiſtratus, aut Doctor. Verum Magiſtratus legitimus eſt judex de iſtis rebus, quibus turbæ aut clades in Repub. poſſent exiſtere. Etiam jus ei competit gladio illa avertendi, gladiumque pro arbitrio ſtringendi: atque hoc pacto ſubjectos moleſtia poteſt afficere ob quandam circa Religionem opinionem, quæ ipſi diſplicet; ac ob quam turbas & calamitates in Repub. veretur: non autem quod cives ejus aliter ac ipſe de Religione ſentiant. Nemo enim tenetur Magiſtratus opinionem circa Religionem conſcientiæ ſuæ tanquam legem conſtituere: ſed Magiſtratibus in cives incommodos afficiendi jus competit, quia judicat ſe aliter plagas à Repub. non poſſe avertere.

Ex his omnibus patet, licet Lex Moſaica juberet etiam pœna capitali eos errores puniri; qui non malitia, contumacia, aut rebellione oriebantur, quod tamen nego; tamen Chriſtianos Magiſtratus ea lege ſe non poſſe defendere: quia Deus Magiſtratuum, aut Doctorum opinionem in rebus fidei, & quæ conſcientiam ſpectant, in legem & præceptum credendorum non propoſuit: quemadmodum expreſſa illa Dei mandata (de quibus ſuperius ſermo fuit; ac quæ etiam pars legum Reipub. Judaicæ erant) leges erant ejuſdem Reipub. civibus datæ, quid de Deo & ejus cultu ipſis ſentiendum foret. Atque propterea abſurdum eſt, Eccleſiam aliquam, aut Regimen Politicum exiſtimare, plus juris ſibi competere, ad Apoſtatam puniendum; quam eum, qui nunquam fidem illius Eccleſiæ ſuſcepit: quod quidem ob rationes ſupra datas in Eccleſia, aut Repub. Judaica, quæ una eademque erat, locum habebat: ſed prorſus non in Repub. aut Eccleſia Chriſtiana. Nam nemo ulterius fidem Eccleſiæ, & ob alias rationes admittere debet, quam quatenus eam doctrinam Divinam arbitratur; & conſcientiam ſuam ei obſtrictam eſſe; nec ulla Eccleſia, aut Imperium Politicum jus habet ex aliis fundamentis hac parte obedientiam aut opinionum conſenſum à Membris aut ſubjectis exigendi: & cum quis poſtea aliter informatur, aliumque adoptat in Religione ſenſum, ac priorem opinionem damnat: non eſt crimen inobedientiæ; nec à promiſſis reſilit. Atque illa novæ Religionis electio per ſe novam non parit culpam. Nam quemadmodum Magiſtratuum, aut Doctorum opinio lex non erat ipſi in priori Religionis electione; ſic etiam non eſt in poſteriore. Et ideo Pontificii canones in hæreticis ac relapſis puniendis

atque

æque iniqui ſunt; ac in infidelibus ethnicis caſtigandis. Eccleſiaſticiſque æque jus deficit, ſi tanquam judices *forma pœnæ* apoſtatas eccleſiaſtica cenſura emendare & caſtigare velint: quam eos, qui nunquam ab eis ſteterunt. Vide 1 *Cor.* 10: 29.

Sed revertamur in viam. Si ergo contingeret, ut quidam in Chriſtianiſmo per ſimplicitatem, quæ careret malitia, in eos impingeret errores, ut ſuum putaret eſſe officium alios, qui etiam ab illis per ſimplicitatem in Religione diſſentirent, punire: non ſequeretur ex noſtris fundamentis, hos vi non licere prohibere: quia error eorum cum malitia conjunctus non eſt. Sed inde ſolum poſſet colligi, errorem illum nullam *pœnam* mereri: non autem, nos jure deſtitutos eſſe, ad damnum, quod nobis ex illo poſſet errore oriri, vi avertendum, aut præcavendum. Huic applicetur exemplum, quod ſuperius nobis narratum de duabus Summis Poteſtatibus, quibus de quibuſdam rebus controverſia eſt; eaque armis componenda eſt. Et ideo Papam Aulamque Romanam, ac omnes Pontificios, ſi arbitrarentur hæreticos, quomodo ipſi illos appellant, puniendos eſſe: & ſi ſuis conſiliis exſecutioni illius incumberent, in eoque animo ſemper contra nos perſeverarent, pro hoſtibus publicis ducerem, & ut tales tractarem; ſine ullo reſpectu, num per ſimplicitatem, an per malitiam in eam opinionem incidiſſent: ſalva tamen generali illa lege, hoſti non plus moleſtiæ aut damni inferendum, quam ad quietam juris noſtri poſſeſſionem defendendam deſideratur.

Superius ex Verbo Divino probatum eſt, magnos poſſe errores ſine pravitate exiſtere; & idcirco per ſe non punibiles eſſe: ac propterea conſiderandum, an error malitia ſit comitatus. Nunc ex S. Scriptura demonſtrandum reſtat, parvos errores cum malitia contumaciaque poſſe eſſe conjunctos, & ideo pœna dignos. Exigui laboris eſt hoc probare. Nam primo, quivis concedit, malitiam, fraudem, ſpontaneam cœcitatem & ignorantiam ſemper pœnam mereri; ſive ea in Divinis, ſeu in humanis fiant. Qui proximum in Religione fallit, reticendo ea, quæ probe novit eſſe dicenda; ac proferendo, quæ ſcit, omnino eſſe ſilentio tegenda, quia appoſita ad creandos errores, non minus caſtigandus eſt, quam qui proximum in emptione circumvenit. Qui in propugnanda Religione ſua, ſive vera, ſive falſa, pravitatem, animum ultionis avidum, falſitatem, &c. oſtendit, non minorem pœnam meretur, quam qui in humanis hæc vitia adhibet. Hæc à nemine in dubium poſſunt revocari.

Porro, quod in S. Pagina quidam, qui in Capitibus fidei non exigui momenti errant, non tamen inter peccatores numerentur: contra quod alii eiſdem, aut minoribus erroribus impliciti, pro impiis habeantur, denotat illis erroribus adeſſe malitiam, hunc ea carere. Qui poteſt de aliquo, in fundamentalibus fidei Articulis errante, prædicari, *eum ambulare in bona conſcientia, zelo Dei accenſum eſſe*; niſi error illius eâ pravitate vacet, qua contra conſcientiam ejus peccatur? Quo pacto de errore poteſt dici, quod Apoſtolus 1 *Tim.* 4: 1. docet, ni adſit malitia: *Spiritus autem diſerte dicit fore, ut noviſſimis temporibus quidam deſciſcant à fide, attendentes ſpiritibus deceptoribus, ac doctrinis Dæmoniorum, per hypocriſin falſiloquorum, quorum conſcientia cauterio reſecta eſt.* Vide etiam 2 *Tim.* 3: 1 *& ſeqq.* ubi Apoſtolus ſtultitiam quorundam *inſaniam* appellat: oſtendens illorum errorem nullam rationis ſpeciem habere; ac ideo contumaciam eſſe: & *Verſ.* 13. eos vocat *pravos deceptoreſque*: hoc nunquam de ſe, aut ſui ſimilibus Apoſtolus dixiſſet, cum Chriſtianos perſequeretur. Sic Apoſtolus Petrus ait 2 *Petr.* 3: 5. eſſe quoſdam, qui *volentes ignorent*: & *Verſ.* 17. *Vos igitur, dilecti, iſtorum præſcii, cavete, ne ne-*

ſa-

fariorum hominum errore abducti, excidatis à propria ſtabilitate. Sic Apoſtolus *Philip.* 3: 2. improbos atque malæ indolis Judæos *canes* nominat: *Cavete canes, cavete malos operarios*: ſic neminem Iudæorum Apoſtolus appellat, cujus error careat malitia. Vide etiam *Gal.* 5: 12. *Utinam etiam abſcindantur, qui vos inquietant.* Sed pro ſimplicibus Iudæis precatur, *Rom.* 10: 1. & 9: 1. Et multos errores malitia & aſtu ſeri inter homines, docet Apoſtolus, ſuam ſinceritatem in Euangelio prædicando cum calliditate aliorum Doctorum componens. *Sed abrenunciavimus pudendis latebris, non in aſtutia ambulantes; neque adulterantes ſermonem Dei: ſed declaratione veritatis commendantes nos ipſos apud omnem conſcientiam hominum in conſpectu Dei,* 2 *Cor.* 4: 2. 3. De talibus erroribus cum malitia commixtis, vide 2 *Tim.* 2: 6. *Marc.* 15: 10. *Eſai.* 5: 21. & 9: 16. *Rom.* 2: 8. & 1: 28. & 3: 11. *Jer.* 11: 8. & 13: 10. & 16: 12. & 17: 23. Itaque per pravitatem errare poſſumus. Et ideo omnis malitia; ſive illa circa Religionem, ſeu circa alia fiat, pœna digna: atque hoc propoſueramus probare.

CAPUT VI.

De Conſcientiæ coactione: quæ ea ſit, ac quouſque interna peccata ab errante Conſcientia nata arcenda ſint à Magiſtratibus.

NON erit extra ordinem, ſed maxime ad latiorem explanationem narratorum conducet, ut hic diſputemus de vi Conſcientiæ inferenda: atque an tandem Magiſtratus neminem ob ea, quæ Religionem ſpectant, punire poſſit. Multi temere, ac ſine ullo reſpectu, docent. Rectoribus Reipublicæ neminem ob ullam in Religione opinionem licere pœna afficere: quia illud ſcilicet conſcientiæ foret coactio; & hoc pacto vim alterius animo inferrent; qui tamen ſoli Deo paret: ac cui nulla pœna aut vi opinio aliqua,ſed ſolummodo argumentis & rationibus perſuaderi poteſt. Quare ſtatuunt etiam omnia præcepta, leges & pœnas corporales adhortationibus & admonitionibus adjunctas, inutiles nulliuſque fructus eſſe; ac ideo ſævitiæ eſſe inſimulandas: quemadmodum etiam omnes humanæ pœnæ, quæ tantum reſpiciunt & malum & dolorem punitorum, ſine intuitu, aut ſpe ullius alterius commodi, ejuſdem ſunt naturæ. Conſule *Ezech.* 35: 5. & 36: 5. 2 *Cor.* 7: 9. & 13: 10. Quinimmo ſtatuunt, (tantum abeſt, ut hæc mandata & pœnæ commodi quid proferant) nihil aliud, quam magnam hypocriſin, ex iis oriri; atque ita hominibus ac ſubjectis novum offendiculum ad impingendum & peccandum dari, ſine minima emendationis ſpe. Quoniam minæ pœnæque non ſint viæ ad alia opinione quempiam imbuendum; verum quidem ad efficiendum, ut aliud vultu & voce præ ſe ferat, aliud animo premat. Deum etiam pœnam infidelium ſibi reſervaſſe, *Matth.* 13: 30. & eos nolle punire, niſi die noviſſimo: imperio in conſcientias *ſub forma præceptorum,* ſpectante ad regnum Chriſti, quod non eſt hujus ſeculi, *Joan.* 18: 36. ac ad cujus defenſionem amplificationemque gladii nullus eſt uſus, 2 *Cor.* 10: 4. Quinimmo Chriſtus ipſe nullis utitur mandatis in doctrina ſua proponenda: ſed proponit eam ſub ſpecie *inſtructionis* atque adhortationis: contra omnino, ac Religionem Judaicam populo Iſraelitico præſcribebat. Nam licet in Reſpub. Iudaica nemo etiam cogeretur Judæus fieri: & propoſitio illius Religionis etiam tantum fieret ſub ſpecie ac modo perſuaſionis: & quod Deus Iſraëlitas ideo conſideret, velut qui ſpontaneum fœdus cum Eo inibant; ac quorum infidelitas demum poſt fœdus ſuſceptum pro inobedientia habebatur, *Exod.* 19: 8. *Joſ.* 1: 2. (quod

(quod omnibus Chriſtianis Principibus bene eſt conſiderandum) tamen Deus mandabat omnibus ſubjectis Reipub. Judaicæ cultum Divinum Judæorum ſequi. Sed in N. T. non poſtulat Deus ſub forma mandati, ut omnes Reipub. cives Chriſtiani ſint: & ideo nulla Eccleſia, aut Doctor ullam Juriſdictionem habet, aut poteſtatem leges ferendi in rebus Religionis: ſed Deus mandat Magiſtratibus curam, ut mediis eo tendentibus, id eſt, inſtitutione ac adhortatione; non autem pœnis, ſuos cives verum cultum Dei doceant. Atque hæc cauſa eſt, quare neminem Deus tam graviter ob infidelitatem ſit puniturus quam propter malitiam, cum illa ſolum conſiſtat in recuſando & non admittendo bonum conſilium, hæc, quod hominesineptos reddat ad ſalvificam doctrinam admittendam, *Luc.* 7: 30. *Verum Phariſæi & legis periti conſilium Dei ſpreverunt contra ſemetipſos, ab eo non baptizati.* Cum Deus ergo horribilitatem criminis infidelitatis proponit, ac ei peccato pœnas adjungit; Deus hoc tantum illis facit, qui cum ipſo tanquam fœdus percuſſerunt; quique fœdus illud, & leges Ejus tranſgreſſi ſunt: ſicuti res ſe habebat cum Judæis, ac cum omnibus, qui naturæ lumine Deum pro Domino ſuo agnoſcunt, cui confitentur ſe obedientiam debere; atque conſcientiam ſuam ſubjeciſſe: cum his Deus agit tanquam cum hoſtibus, qui circa res fidei ad Dei blandam adhortationem cum Deo noluerunt fœdus contrahere, cum tamen Deum exiſtere, eique cultum & obedientiam deberi agnoſcerent. Et idcirco verba Apoſtoli *Rom.* 2: 12. *Nam quotquot ſine lege peccarunt, ſine lege peribunt*; non tantum de iſtis ſunt intelligenda, qui nunquam de Lege, vel Euangelio quid inaudierunt: verum etiam de illis, quibus Lex, aut Euangelium quidem eſt prædicatum: verum qui per infidelitatem illam Religionem non receperunt. Ita ut, ſicut Ethnicus, qui de Lege quid inaudiit, verum eam non ſuſcepit; nec fœdus illud feriit, non alligatus eſt legibus Moſaicis, quatenus à lege naturali diſſentiunt: atque ideo non obſervantia illarum legum, quæ nituntur ſuſceptione illius legis, ei non vertetur peccato: (quanquam in eo magnum ſit peccatum, ingenio ſuo ita abuti ut cultum Judæorum tot argumentis ſe pro vero probantem recipere noluerit; cum in illum abuſum non incidat, niſi malis animi paſſionibus) ita etiam infidelis non prorſus, nec partim iſtis officiis obligatur, quæ fides Chriſtianæ Religionis, aut caput aliquod ejuſdem ſecum trahit: ita ut Ethnicus, cui Euangelium eſt prædicatum, nec tamen illi fidem habuit, graviter quidem peccet, non tamen reus agetur tranſgreſſionis legum Euangelicarum.

Si res ergo ita ſe habeat, poſſet inferri; Deum ipſum à nemine per leges, mandata, & pœnas illis adjunctas, modo prædicto pœnas exigere; ac ideo neminem ob infidelitatem, tanquam inobedientem atque tranſgreſſorem ſui fœderis punire: qui ergo Imperantes ultra quam admonitionibus ac inſtitutione poſſunt operam dare, ut ſubjecti fidem ſuſcipiant? Et ſi Deus poteſtatem Principum in rebus, quæ Religionem ſpectant, ita limitavit: non majus ipſis jus competit ad aliquem ob infidelitatem puniendum; quam nobis jus eſt aliquem punire, qui noſtram doctrinam adhortationemque non admittit. Quinimmo prædictum manifeſta abſurditate, quæ ſequeretur, demonſtrari poteſt, ſi Deus majorem Magiſtratui conceſſiſſet poteſtatem. Nam eſto, Deum in Verbo ſuo præcepiſſe, ut Magiſtratus orthodoxus puniret heterodoxos, ac iſtum Magiſtratum eis ut Dominum & Judicem præpoſuiſſet, ut juſſis pœniſque jus ſuum exſequeretur; nec ſimul declaraſſet, quis orthodoxus Magiſtratus foret (quemadmodum nunc ita ſub N. T. comparatum eſt) etiamnum incertum manet, quis ille ſit Magiſtratus, cui

conſtet eas Eccleſias, aut Collegia, Societateſque eſſe diſſipatas nec earum veſtigium aut reliquias ſupereſſe, verba Donatoris debent intelligi, quaſi ſpeciatim nulla Eccleſia aut Societas deſignaretur: itaque vi verborum dotatoris non poteſt concludi, cui Societati, aut Eccleſiæ Chriſtianæ illa bona data ſint. Sed hæc hactenus.

Ad præcedentium confirmationem etiam varia loca ex Verbo Dei poſſunt allegari, ex quibus pateat, aut ſapientes, aut pios inter Ethnicos ſtatuiſſe, neminem cauſa Religionis ab humanis judicibus poſſe puniri. *Act.* 15:8. cenſet Apoſtolus, *ſe nullam pœnam commeritum, quod non impegiſſet in leges Judæorum, neque contra Templum, aut Cæſarem*: pro certo ſtatuens opinionem ſuam circa Religionem non tribuere Cæſari jus eum puniendi: etiam *Verſ.* 11. cenſet Chriſtianam Religionem profiteri, non eſſe ejuſcemodi factum, quod capite plectendum ſit. Idem etiam eſt judicium Prophetæ Danielis, *Cap.* 6:23. *Deus meus miſit Angelum ſuum, & concluſit ora leonum, & non nocuerunt mihi; quia coram eo juſtitia inventa eſt in me: ſed & coram te, Rex, delictum non feci.* Hi viri Sancti ſtatuunt, aliter ac Principes ſui de Cultu Divino ſentire; aut contra eorum juſſum opinionem aliquam ſectari, non eſſe peccatum, quod eos Regni legum tranſgreſſores reddat: ac de fide ſoli Deo rationem eſſe reddendam; Magiſtratuique propterea non licere in aliquem animadvertere. *Act.* 18:14. Gallio Achaiæ præſes inquit, *à Paulo nullam injuriam, aut malum facinus eſſe commiſſum, licet Chriſtianiſmum doceret; & cum Judæis de Religione controverſias aliquas foveret*: quare etiam recuſat eſſe judex, ac vult, ut ipſi viderint. Vide *Act.* 19:37. & 23:29. Sic Pilatus de Chriſto teſtatur, ſe nullum in eo delictum reperire, *Joan.* 18:38. extra omnem dubitationis aleam collocans, propter diſceptationes de fide Chriſtum coram ipſo non poſſe accuſari, vel puniri. *Matth.* 22:21. inquit Chriſtus, *Reddite Cæſari, quæ ſunt Cæſaris; & quæ Dei ſunt, Deo.* Unde ſequitur, aliquid in terris dari, quod Cæſaris poteſtati ac legibus non ſit ſubjectum: atque id eſt, quicquid Cæſaris effigiem, nec titulum habet: & quod ſoli Deo ita proprium eſt, ut cum Ejus Majeſtate pugnet, illius aliquam creaturam participem facere. Atque hæc eſt conſcientia. Ac hæc etiam ratio eſt: quemadmodum nullius conſcientia poteſt cogi; nec ab eo exigi, ut conſcientiam ſuam alteri, quam Deo, ſubmittat: quod nemo propter opinionem aliquam puniri debeat: nec etiam propter factum aliquod, quod opinionem eam ſequitur, niſi rem aliquam involvat, quæ poteſtati Cæſaris ſubjecta ſit, & in qua tamen ſubjectorum libertatem imminuere non debet, niſi rationes Status, nec non conſiderationes politicæ hoc requirant. Conceditur ergo, tempus, locum, perſonam, & omnes actiones externas ac commotiones corporis, æque ac bona civium, *effigiem Cæſaris* ferre. Itaque Magiſtratum temporis Dominum à Deo conſtitutum, illud pro ratione cauſæ, & optimo ſuo judicio ſubjectis *diſtribuere* teneri: quum jus ipſi competat imperandi, quo tempore quæque res ſit facienda: quando concionandum: quando ſupplicatio ſit habenda. Magiſtratui etiam omnium locorum Domino, quæ *juriſdictioni* ſuæ ſubjecta ſunt, competere, indicare locum conventionis: atque ita ipſum Eccleſiarum proprietatem habere. Etiam quid publice & coram cœtu docendum, aut concionandum ſit, ipſius *regimini* atque præſcripto obnoxium eſſe; quoniam docere & concionari externæ ſint *actiones* hominum. Ac hac re nititur, quod nemini vi, aut mediis, quæ ad vim tendant, ſe legibus Reipub. Rectorum, propter hujuſmodi res opponere poſſit: verum aut obediendum ipſi, aut patienter pœna perferenda eſt. Verum conſcientia, utpote effigiem Cæſaris non habens; ſed ſolius Dei, Cæſari ſub-

eſſe nequit: quare commotionum & opinionum ejus Deus judex eſt agnoſcendus. Qui propterea Rectoribus, neque Reipub. peccato vertet, quod non de iis, quæ alii impulſu conſcientiæ ſuæ faciunt, judicent: neve illis, extra rationes Status, ſe immiſceant. Ita nonnulli diſputant contra coactionem conſcientiarum.

Alii videntur etiam conſentire, *omnem conſcientiarum vim eſſe illicitam*: ſed putant nullam conſcientiarum vim continere, etiamſi ſine metu detrimenti Reipub. externus aliquis Cultus Divinus vi à Magiſtratibus impediatur: licet ille cultus ex interno motu animi & conſcientiæ oriatur: quam, ut ipſimet concedunt, cogere non licet, ſi in peccatum cogendi conſcientiam incidere nolimus. Cultum externum itaque extra metum detrimenti Reipublicæ, & propter malum, quod ipſi cultui externo per ſe adhæret, à Magiſtratibus vi prohiberi poſſe autumant; animi tamen ſenſus liberos eſſe debere docent, neminique propterea creandam moleſtiam. Hæc quorundam doctrina mea opinione nulla alia re niti poteſt, quam quod exiſtiment actiones externamque religionem quorundam (quanquam ex interno animi ſenſu exiſtens, atque à conſcientia, unde externa Religio genium ſuum mutuatur proficiſcens) majus & horribilius peccatum coram Deo eſſe, quam ſimplicem fidem perverſam, ſed cui in cumulum pravitatis non acceſſit externa fidei per cultum Divinum profeſſio: ac ideo docent permiſſione externi falſi Cultus Dei majorem metum eſſe, ne ira Dei contra Rempub. provocetur: atque ideo legitimas cauſas Rectoribus eſſe prohibendi illud malum. Excipi enim nequit, Magiſtratum *externa* arcere poſſe; & ideo debere. Aſſentiuntur enim Magiſtratibus licere multorum internam falſam Religionem tolerare, quinimmo debere, ne *vim in conſcientiam* uſurpent: tamen malum illud (internum nempe malum, ac falſam de Religione opinionem) etiam amovere poſſet: quoniam illi, qui falſum iſtum Divinum Cultum profitentur, ipſis etiam noti ſunt, ac ipſis è Republ. expulſis, etiam malum illud tum exſtirpatum foret. Iſtorum itaque Doctorum ſententia ſe nulla alia ratione tueri poteſt, quam quod arbitrentur externum pravæ Religionis cultum ita augere, in illum cultum profitentibus, malum atque peccatum, ut juſtus ſit metus concitandi iram Dei in Rempublicam, ſi ille cultus externus permittatur. Dici etiam nequit, hoc non æque vim conſcientiæ inferre, quam illud: *vi enim prohibetur, ne quis id faciat, ad quod ſe conſcientia putat obſtrictum.* Qui fidem profitetur, quæ ſtatuit, Deum externo cultu eſſe colendum, quanquam Magiſtratus id permittere nolit, ejus conſcientiæ vis infertur, cogiturque illud omittere, quod ſuum officium eſſe putat, quodque Deus ab ipſo exigit. Verum quidem, vim illam, quæ partem externæ Religionis, aut eandem omnino prohibet, non eo uſque extendi; quam illa, quæ ipſam internam opinionem perſequitur; quemadmodum in Papatu fit: verum hoc non impedit, quod ſi *unum* vis ſit conſcientiæ; *alterum* etiam pro ea cenſeri non debeat. Ex praxi etiam ſatis patet, eos, qui poſteriorem ſequuntur ſententiam, tantum reſpicere magnitudinem peccati, quod in quibuſdam partibus externi Dei Cultus invenitur: quum partem tantum illius prohibeant, aliam autem partem, licet peccatum ſit, tolerent. Sermo mihi eſt de externa Religione Papiſtarum: quos multi inter noſtros, quique pro maximis zelotis haberi volunt, prohiberi volunt: quanquam idololatricam ac ſuperſtitioſam Pontificiorum opinionem, ejuſque uſum privatum & domeſticum, in iis perferant.

Non poteſt negari, quin externa actio religioſa, cultuſque Divinus externus, ex interno religioſi animi motu ſequens ac profluens, bonum & virtutem, qua interna pietas commendatur, augere de-

beat;

beat; perſonamque acceptiorem reddat. Similiter externus actus falſi Cultus Divini peccatum majus, atque hominem magis abominabilem facit. Licet enim Apoſtolus, 2 *Cor.* 8: 12. dicat, *Deum ſecundum promptum animum Corinthiorum de magnitudine eleemoſynarum ipſorum & donorum judicaturum*: ac reſponſio Chriſti ea ratione fundetur, *Marc.* 12: 33. quum dicit, illam viduam, quæ duos tantum obolos in ærarium immiſerat, plus dediſſe, quam omnes reliquos: quod alii ex abundantia aliquid in illud injecerant: ipſa autem ex inopia; quinimmo omnem, quem habebat, victum, *Luc.* 21: 3. documentum charitatis ſuæ erga pauperes, promptitudiniſque animi ad ſuccurrendum illis. Quod etiam reſpectu mali Chriſtus dicat, *Matth.* 5: 28. eum, qui fœminam tantummodo aſpicit ad eam concupiſcendam, jam adulterium in corde ſuo commiſiſſe. Tamen loca illa non ita intelligenda, ac juxta literam capienda ſunt, ut perfectum propoſitum voluntatis ex intimo cordis affectu, ad rem exſequendam, ſi caſus exiſteret, coram Deo ſemper in bono aut malo idem valeat, ac ſi revera factum eſſet. Nam primo plerumque fit, ut in bono aut malo propoſito exſequendo, multæ novæ difficultates exoriantur, quæ animo novum certamen excitent; ac quæ nova vi majorum graduum ad virtutem aut vitium ſuperandæ ſunt. Multum illa differunt, ſtatuere aliquem interficere; & facinus confeſtim exſecutioni mandare. Majori malitia animus occupatus eſt, ac crudelitas, aut vindictæ cupiditas longe aliam habet faciem, quum omnem humanitatem transgredientes, pœnæ metum, talionemque, atque ſimul miſerabilem ſtatum, in quem proximum, quem necare propoſuimus, conjiciemus, ut præſentia, & ante oculos conſpicientes, obfirmamus tamen animum in necem proximi; quam cum tantummodo decernimus ejus necem. Altiorem gradum ac vehementiam charitatis indicat, ipſo facto pauperibus aliquid elargiri, ac eo vincere difficultates & incommoda, quæ privatio bonorum, quibus vivere ſubſiſtereque cogimur, affert: veluti ſunt paupertas, contemptus, fames, ſitis, timor atque ſollicitudo de futuro; precarium trahere ſpiritum, &c. quam firmiter proponere id facere: in poſteriori caſu memoratæ difficultates & incommoda non ita ante mentis oculos verſantur; ideoque animum non ita afficiunt. Quare multi in exſecutione alicujus negotii, cujus exequendi propoſitum ab animo ſolummodo pendet, deficiunt, quum manus admovendæ ſunt operi: tunc enim res novis circumſtantiis veſtita, vehementius ferit animum. Et quum voluntas pro ipſo facto admittitur: non ea de ſerio ac firmo propoſito ſolum, verum de illo propoſito atque illa operatione voluntatis intelligenda eſt, quæ immediate conſummationem operis præcedit; ita ut novæ circumſtantiæ, neque novæ voluntatis operationes locum habeant, antequam opus perficiatur: verum ultimus externus actus per voluntatem jam ad finem perductus peccatum habet. Ita is pro homicida punitur, qui ſclopetum diſplodens animo transverberandi proximum, aberrat.

Verum ex præcedentium locorum circumſtantiis liquet ſatis, ibi de ejuſmodi voluntate, quæ novas non requirit ad rem ad exitum perducendam, verba non fieri. Quot enim novæ voluntates, & quanta in malo perſeverantia requiritur, antequam à propoſito *adulterandi* uxorem proximi, ad ipſum actum perveniatur. Cum paupere vidua *Marc.* 12. res aliter ſe habet; plus dabat divitibus: quod majus quid ſit, ac majoris charitatis indicium, ad proximi inopiam ſublevandam, ſemetipſum vexare, ſeſeque in ultimam paupertatem induere, quam illud facere nullo ſuo incommodo. Poſterius quempiam liberat tantum ab avaritia: prius excellentem indicat virtutem. Verum certum etiam

habeo, ſi divites omnia ſua egenis donaſſent, non plus reſervantes, quam vidua; ipſos amplius daturos fuiſſe inope vidua. Itaque loca illa nihil aliud probant, quam eos, qui animo aliquid concupiſcunt aut decernunt, quamvis ad factum non progrediantur, tamen contra legem illam peccare, quæ quidem verbis factum tantum vetat, at ſententiæ vi ipſos malos affectus, qui ad executionem facti ducunt, etiam prohiberi: quamvis affectus & effectus paritate criminis non conveniant. Ita inquit Johannes, *eum, qui fratrem odit, jam homicidam eſſe*, *Joan.* 3: 15. quod peccet contra illud præceptum, *Non occides*. Ita ille adulter eſt, qui corde alterius uxorem concupiſcit: quod concupiſcentia illa contra mandatum id pugnet, *Non committes adulterium*. Atque idcirco in judicio Dei nullo diſcrimine habentur, qui hujuſmodi bonum, aut malum faciunt: quanquam Deus illos non ut peccatores, aut probos conſideret, qui inter ſe in gradibus virtutis vel vitii ſimiles ſint: ſed qui ejuſdem ſint generis. Æque peccator eſt vere converſus, qui ex animo cupit & ſtudet omnes reſipiſcentiæ operationes revera exſequi: ac tamen ob imbecillitatem primorum ſuorum principiorum reſipiſcentiæ in multis deficit: quam qui jam in fide confirmatus abundat bonis operibus converſionis. Æque illius animus ſtatuſque, cujus oculi pectuſque plenum eſt adulterii, ardetque concupiſcentia uxorem proximi corrumpendi; prohibetur lege *non mœchaberis*, ac illius factum qui revera adulterium perpetrat. Hoc clarum eſt.

Scriptura certe aperte nos docet, externum actum, qui ex ſerio & decretorio propoſito manat, bonum aut malum, quod cupiditati ſive propoſito ineſt, augere. *Jac.* 1: 14. *Sed quiſque tentatur, cum à propria concupiſcentia abſtrahitur & tentatur. Deinde cupiditas, poſteaquam conceperit, parit peccatum: & peccatum conſummatum parit mortem:* id eſt, ſi homo primis pravis cupiditatibus aſſentiatur, tandem ſe abripi patitur ad decernendum & appetendum malum; & tum homo revera peccatum operatur. Quod Apoſtolus hic per excellentiam *peccatum* appellat, quod ſit quaſi conſummatio pravæ cupiditatis; ac eapropter non ſolum peccatum, verum ſummus peccati gradus ſit, in illa peccatorum claſſe. Sic ait Apoſtolus, beatius eſſe dare, quam accipere: quod non ita uſquequaque verum foret, ſi ſerium egentium ſtudium ſuccurrendi proximo in egeſtate tantundem valeret, quam vere bona ſua erogare ad pauperum ſubſidium. Sic Deus idololatræ peregrino & viatori in Judaica republica verſari permiſit: ſed noluit, ut idololatricum ſuum cultum Divinum exerceret. Ac quis dubitat, majus eſſe peccatum, idololatriam committere; quam putare aliquem cultum, qui cum idololatria conjunctus eſt, eſſe licitum. Atque aliud eſt, contumelioſam de aliquo opinionem fovere: aliud, quenquam per externum quendam actum ea contumelia afficere, quæ ejuſmodi contumelioſæ opinioni convenit.

Sed hiſce nondum etiam omnis difficultas ſublata eſt. Omnia enim, quæ adhuc allata ſunt ad probandum, externum actum, ſerium perfectumque propoſitum ſequentem, bonum vel malum augere; aut de ejuſmodi ſolum actione loquuntur; ad quam novæ vires, & nova animi contentio ad bonum ſeu malum deſiderantur: aut de externo actu, quo proximo aut Reipub. majus detrimentum, vel commodum affertur, quam interno propoſito. Quæ utraque externa operatio recens jus ad majorem pœnam, ſeu remunerationem dat. Sed cum non majus damnum ſocietati civili, vel civibus; nec major malitia externa operatione fiat: imo ſi in externa actione major ſtudii vis ſe oſtendat; ſed quod non ſit juxta ſcientiam, tamen carens malitia; quæ ratio dicendi, externam ejuſmodi actionem

ma-

malum augere? Aut aſſeverandi; externum actum tum majorem pœnam mereri, ac majori vi poſſe prohiberi, quam *internum* errorem, continuo firmo propoſito continuatum *extrinſecus* faciendi, quum tempus occaſioque illud ferent? Quæ ratio concludendi, externam Pontificiorum idololatriam, (fac errorem eſſe ſine malitia: quod, inhærentes primo inſtituto, quo nobis propoſitum fuit ad ſingulares caſus non tranſire, in medio relinquemus) ſeverius à Magiſtratu puniendam eſſe; quam perpetuum idololatriæ propoſitum idololatriam iſtam faciendi, ubi tempus occaſioque ſe offerent: quod tamen decretum inclinatioque nunquam in actum deducuntur; quia metus pœnarum & opportunitatis defectus ipſam idololatriam fieri prohibent. Certe in uno non major patet malitia, quam in altero: & aliis conſiderationibus, politicisque conſequentiis ſepoſitis, non majus Reipub. creatur *periculum*, ſi idololatria doceatur ac propugnetur; quam ſi ea exerceatur. Atque firmum propoſitum propenſiſſimaque inclinatio ad externum falſum cultum Divinum exercendum, ut ad hoc novæ erroris vires non requirantur, idem coram Deo valere videtur, ac ſi revera idololatria committeretur. Quare probabile non videtur, iram Dei magis metuendam eſſe propter commiſſam idololatriam, quam quod eam probaverimus protexerimuſque; re cum illis circumſtantiis conſiderata, quas diximus. Et ideo idololatram animo æque Deo inviſum eſſe, quam qui factis animi ſui deſiderium explet & idololatrico cultui vacat: ambo itaque iiſdem legibus & pœnis vindicandi.

Objectio hæc eo ſolum modo poteſt dilui. Quamvis multi externi actus non majori cum malitia aut noxa Reipub. aut civium fiant: Magiſtratibus tamen minus licere malas externas actiones permittere, quam interna decreta & inclinationes. Multæ externæ actiones natura ſua aptæ ſunt ad in ſenſibus animoque operandum: quibus ſæpenumero etiam omnino aliter afficimur, quam interno propoſito: quanquam internum illud propoſitum anima tantum actionis ſit. Verbi gratia duplici modo Deus honoratur, vel contumelia afficitur. Primo, interna honorifica, vel contumelioſa opinione, quam de Ejus natura ac Attributis habemus. Deinde, externa atteſtatione verborum ac factorum, de interna opinione teſtante, quam de Deo concipimus. Licet externum tantum ſit conſequens interni: ac neminem ob externum majori odio, aut amore proſequi debeamus, quam ob internum: (caſu poſito, ut ſuperius diximus) tamen externum, quia etiam honoris, aut dedecoris pars eſt, ſingulariter etiam in animis aliorum operatur: quæ operatio denuo novum *morale ſubjectum* eſt; circa quod anima in virtute, aut vitio exercendo novas cogitationes notionesque habere debet. Coloribus & lineamentis pictum eſſe, quæ revera, aut ſaltem noſtro judicio deformia ac horrenda ſunt; quamvis, qui cogitavit ea depinxitque, pro pulchris atque gratioſis eadem ducat, meque illis honorare autumat, aliud eſt, quam ore eodem modo deſcribi: aliud rurſus ore & ſermone ita depingi, aliud tacitis cogitationibus aliquem ita ſibi repræſentari. Sicut ergo recens iſta circumſtantia novam virtutis, aut vitii materiam adfert iis, quibus externus ille actus occurrit aut notus eſt; quanquam facientis reſpectu facti *moralis* nullam novitatem importet: tamen nova officia oriantur neceſſe eſt circa externam iſtam actionem: nulla illius perſonæ conſideratione habita, quæ iſtius externæ actionis cauſa & auctor eſt: quoniam illi revera nulla recens *moralis* conſideratio accidit. Atque ideo privatus, aut Magiſtratus in *caſu ſubjecto* alium ob ejuſmodi externam operationem non pluris aut minoris ducere, pœna aut remuneratione dignum judicare debet, quam ſi externus ille actus eo non accederet.

Sic

Sic iniquum eſt, Pontificium ob externum ſuæ religionis cultum magis odiſſe, quam ob erroneam opinionem, conjunctam cum decreto omni tempore & occaſione falſum ſuum Dei cultum in propatulo atque in luce hominum exercendi. Verum hinc non ſequitur, Magiſtratui nihilominus circa externum hujuſmodi actum, qui cum novis gradibus *moralis* boni aut mali; aut novis commodi aut jacturæ Reipub. conſiderationibus conjunctus eſt; nulla alia officia facienda, quam interna animi diſpoſitio ejus, qui facit illum, juxta menſuram moralis boni aut mali, requirit. Sed hoc quidem inde profluit, officia illa nova Magiſtratus non fundata fore neque peccato, neque virtute proximi noſtri; neque ullo bono, vel malo, quod ejuſmodi externus actus proxime, & quaſi ex ſe ipſo Reipub. vel ſubjectis poſſet afferre. Præſupponimus enim in externa actione, de qua jam diſputamus, ejuſmodi bonum, aut malum locum non habere; nec cum eo conjunctum eſſe. Et quemadmodum illa Magiſtratus officiorum novorum debita præſtatio non niteretur bonitatis aut malitiæ novis gradibus, qui actioni adveniant, quia jam præſupponimus tales novos gradus actionibus non advenire, ita etiam officia illa non niterentur timore iræ Divinæ contra Rempub. concitandæ per illud factum; quatenus ab errante procedit. Conceſſimus enim, ob ejuſmodi externum factum hominem Deo non majori eſſe odio, neque etiam nobis debere eſſe. Papiſta, qui religionem ſuam ob perſecutionem exercere nequit, non minori apud Deum odio eſt, quam qui medio in Papatu vivens, quotidie re ipſa eam exercet; cui alter animo adſiſtit. Verum prohibitio talis externæ religionis hac re niteretur, quod Rectores occaſione ejuſmodi externi actus tenentur ſe ad officia quædam excitare; ac circa ea ſtudium ſuum demonſtrare. Et externum factum, quanquam per ſe conſideratum, non conciliet nobis jus ad majorem pœnam, nec nobis imponat majorem neceſſitatem ad externum illud factum arcendum: occaſio tamen naſcitur, quare Rectores ſæpe debeant circa iſtud in ſemetipſis commotionem quandam animi excitare, quæ tendat ad amoliendum externum illum actum. Et ad illud officium non excitant velut punientes, aut prohibentes malum aliquod, ob quod ira Dei exardeſcere poſſet, cum fieret; ſed ſicut quibus non ſit in officio ceſſandum; & quibus incumbit *occaſione* externæ iſtius operationis ad officia quædam ſe proripere & excitare, quæ ad arcendum externum illum actum ducant. Eodem fere modo, quo ſuperius demonſtravimus, errorem occidendi hæreticos, licet malitia careret, prohiberi poſſe in eo; qui per errorem iſtum proximo incommodum aliquod creat.

Sic videmus Apoſtolum Paulum occaſione contemplationis idololatriæ Athenienſium magno zelo affici ad eam doctrina ſua deſtruendam: licet idololatria Atticorum non major fuiſſet; nec ipſi Deo minus odioſi, ſi paupertas impediiſſet illos magnum ſuum ſtudium erga idololatriam extrinſecus adeo in multitudine templorum ac altarium oſtendere, *Act.* 17: 15. Æquumque erat, ut alius zelus ſe in Paulo Barnabaque oſtenderet, quum Lyſtrenſes victimas adducerent, ut ipſis ſacrificarent: quam ſi tantum à Lyſtrenſibus *conſtitutum* foret Paulum & Barnabam Divinis honoribus venerari, egeſtate, aut occaſionis defectu ipſos impediente, ipſam externam ſuam idololatriam committere, *Act.* 14: 14. Et quamvis malitia animi extrinſecus ſe oſtendens neminem majori aut graviori obſtringat reatu, tamen piorum ſtudium magis ſe excitare debet; quam cum pravitas ea tam aperte ſe non manifeſtat, *Eſai.* 3: 9. *Vultus faciei teſtatur contra ipſos; & peccata ſua libere deprædicant.* Licet facile ad ejuſmodi impudentiam etiam novus malitiæ gradus requiratur. Verum de hujuſ-

juſmodi novo pravitatis incremento jam non diſputatur; nec hac in quæſtione quadrat. Ac magnus error eſt putare, omnem mali prohibitionem, quæ per Magiſtratum fit, niti injuria, malitia, aut injuſtitia facti, quod prohibetur. Aut omnem legitimum gladii uſum poteſtate juriſdictionis fundari; aut violationem legum præſupponere: cum is tantum locum habeat in rebus, quarum ex natura imperii adminiſtratio judiciumque Magiſtratibus commiſſa ſunt. Sed nunquam in rebus, aut perſonis locum habet, quæ nec expreſſe, nec per conſequentiam per ullum contractum Summarum Poteſtatum judicio relicta ſunt. Ut ſunt omnes controverſiæ, quas Principes inter ſe habent; ac omnes errores, qui malitia carent. Nemo enim, nec Supremus Princeps, nec privatus unquam tales controverſias alterius judicio permiſit, quamvis agnoſcam ſubjectum quemvis Magiſtratus judicio ſe debere ſubmittere, num ipſe *pravitate* aut *malitia*, an *errore*, qui excuſationem & impunitatem in Repub. meretur, peccet. Itaque concludi poteſt, externum falſæ Religionis actum, modo quo ſupra, à Rectoribus poſſe impediri. Quanquam ſemper cavendum, ne extra neceſſitatem proximum incommodo aliquo afficiamus.

Ad tertiam nunc opinionem accedimus: quæ ſtatuit opiniones etiam circa *religionem* & circa *juſtum vel injuſtum, &c.* licet omnis abſit malitia, non tantum arceri, verum etiam puniri poſſe. Quæ differentia ſit inter *prohibitionem* & *pœnam*, ſuperius latiſſime demonſtratum eſt. Omnis pœna prohibitio eſt; ſed non quicunque jus habet impediendi, etiam jus habet puniendi. Pœna *præſupponit jurisdictionem:* prohibitio non requirit illam; ſed nititur eo jure, quod liceat nos, noſtroſque defendere à damno, licet illa defenſio cum incommodo proximi conjuncta ſit, dummodo *juri* proximi nihil periculi creetur, nihilque de eo noſtra defenſione imminuatur. Omnis pœna originem quidem habet ex jure propriæ tutelæ: ſed ſubjectionem in ſe complectitur expreſſam, vel per conſequentiam: ſeu homo ipſemet ſe ſubmittat, ſive Deus ipſum alicui ſubjiciat. Qui ergo propugnare vult, licitum eſſe in aliquem ob errorem, qua talem, *animadvertere* & punire; is ſtatuit Deum Reipub. Rectoribus, aut alii cuidam collegio jus dediſſe, præſcribendi aliis leges circa Religionem; ac tranſgreſſores atque contumaces puniendi; atque ita Deum homines cuipiam ſubjeciſſe quoad fidem, & ita *verum judicem* controverſiarum fidei in terris conſtituiſſe. Concedimus quidem, Magiſtratibus jus eſſe condendi leges de fidei controverſiis: verum leges illæ fundantur jure defenſionis, non autem jure *jurisdictionis*. Magiſtratus etiam non credunt, leges ſuas ex Dei mandato civibus regulam eſſe debere eorum, quæ ipſis credenda ſunt: ſed quid illis cavendum, quidque faciendum ſit, ſi immunes velint eſſe à malo, quod Magiſtratus cuivis minatur, qui legibus ſuis non paret: ut ita quiſque proprium damnum, atque etiam reipub. vitet: & qui conſcientiæ & religionis ergo fidem ſuam non poteſt ad fidem Rectorum componere, non eſt immorigerus, ſed tamen patienter ei ferendum, quicquid Magiſtratus contra eos ſtatuit, qui religionem illam, quam Magiſtratus vult, ut ſubjecti ſui recipiant & profiteantur, non obſervant. Supervacaneum eſt plura ad explicationem hujus diſcriminis inter pœnam ac prohibitionem addere.

Itaque iſti omnes *imperium in conſcientias* ſibi aſſumunt, qui ſuas leges pro regula volunt haberi animis, quid credendum ſit: quique eos puniunt, qui internas ac externas ſuas actiones juxta iſtam legem non dirigunt: ac qui illud *malum* nec non *pœna dignum* cenſent, quod cum ipſorum opinione; cumque legibus circa Cultum Divinum eam ſecutis, non conveniat.

Et illius opinionis omnes iſti rei ſunt, qui præ ſe ferunt, ac aſſeverant, Deum certo collegio, aut perſonæ jus poteſtatemque dediſſe, ad ejuſmodi deciſiones in controverſiis fidei faciendas; quæ reliquis vera formaliſque lex ſint, ut opiniones ſuas ſecundum eas regant: aut qui ſibi jus fori & *juriſdictionis* arrogant, ut per formam *ſententiæ*, ac velut judices alterius opinionem condemnent, contraque illam pœnam pronuncient, ſeu ſpiritualem, ſive ſecularem: vel qui eo fundamento, quod putent ſe veram religionem habere, alicui jus quoddam ad poſſeſſionem certæ rei adjudicant, vel abjudicant: aut qui confeſſionibus fidei plus auctoritatis tribuunt, aut alio ordine aut numero habent, quam ſolemus habere declarationes & expoſitiones fidei, quæ omni legis vi deſtitutæ ſunt: aut qui confeſſionem alteri alio fine proponunt, quam ut ſubſcriptione teſtentur, ſuam opinionem cum iſta concordare: per eamque confeſſionem cum fidei ſuæ conſortibus arctius eccleſiaſticum fœdus ſuſcipere. Nec conſiderationem meretur, utrum pœna, qua caſtigamus, ſpiritualis, aut ſecularis ſit. Num in hac vita, an poſthac demum exſecutioni mandanda ſit. Quid differt, an quis velut *judex*, atque à Deo iſta poteſtate præditus, aliquem ad æternam pœnam condemnet, quod non juxta eas leges deciſionesque vi iſtius poteſtatis aut juriſdictionis factas: (licet, ſicut pro certo credit, ſecundum regulam Verbi Divini) opinionem ſuam in controverſiis fidei direxerit: vel an morti eum, aut æternis carceribus addicat. Aliud eſt aliquem condemnare ut *judex*; aliud, opinionem ſuam ſimpliciter profiteri, ac declarare quid credamus: & à nobis diſſentientes de periculo ſalutis, in quo verſantur, admonere; aliud judicare, atque auctoritate judicis pœnis addicere.

Hanc conſcientiarum coactionem per doctrinam praxinque ſolus Papa, ejuſque aſſeclæ docent: eſtque abominabilis doctrina, & pernicioſus ejus uſus: quod per eam homo ſe in conſcientiarum dominum extollat, poteſtatemque ſibi vindicet ferendi leges, quæ conſcientias ligent; quæque porro innumerabilibus hominibus vitam eripuit. Quæ doctrina omnibus illis locis refutatur, quæ dicunt, Deum nulli homini, vel collegio poteſtatem dediſſe leges aut deciſiones faciendi, ſecundum quas alius conſcientiam ſuam regere debeat, 2 *Cor.* 1:24. 1 *Petr.* 5:3. Per ignorantiam & errorem illi ſe hujus culpæ reos conſtituunt, qui putant, alicui Collegio, Eccleſiæ, Claſſi, aut Synodo à Deo ſpiritualem juriſdictionem eſſe conceſſam ad faciendum leges; ac tranſgreſſores eccleſiaſtica pœna puniendum in hac, & futura vita: veluti ſunt major minorque excommunicatio, per *formam ſententiæ* pronunciata, vi *ſpiritualis* illius *juriſdictionis ac fori eccleſiaſtici*, ad obedientiam Eccleſiæ legibus deciſionibuſque præſtandam. Nam qui proprie aliquem *punit*, is *violationem* legum præſupponit: qui tranſgreſſionem legum ſtatuit, ille *poteſtatem* ponit ferendi leges: qui jus condendi leges ſibi vindicat, is una ſtatuit obligationem ad obedientiam iſtorum, qui poteſtati ei ſubſunt: qui vinculum ad obedientiam aſſeverat, etiam ſubjectionem ad pœnam conſtituit, in caſu inobedientiæ. Qui ſibi jus corporaliter puniendi adimit, & nihilominus propter eaſdem rationes jus ad pœnam ſpiritualem vindicat: ille docet violatores ſuarum legum *pœnæ verè ſpirituali* obnoxios eſſe: atque propterea, Deum ipſos conſtituiſſe velut judices cum poteſtate atque auctoritate aliquem non ſolum ad Gehennæ pœnam condemnandi, verum etiam pœnam illam exſequendi. Quod non ſolum cum Verbo Dei pugnat, ſed cum primis noſtræ Reformationis principiis, praxique noſtræ Eccleſiæ. Error præterea, qui fundamentum eſt totius Papatus.

Idcirco doctiſſimi noſtrorum Theologorum prævidentes abſurditates iſtas, ac

tamen concedentes, fideles ſe ab impiis ſeparare debere; & ſocietatem ipſorum vitare: atque uſu ſignorum, quæ communionis inter Deum homineſque ſunt obſignatio, privare: ſpiritualem excommunicationem, & denegationem uſus ſacramentorum nihil aliud eſſe docent quam actum privatorum, aut Societatum; quæ quidem juriſdictione, foro, aut judicibus carent; ac eapropter nullas leges facere poſſunt, aut pœnas exercere: ſed tamen vitare, atque ſejungere ſe debent ab impiis; quolibet in hoc negotio ſeſe gerente juxta vitæ ſuæ ſtatum: privatis membris nihil facientibus, quo poſſet judicari, quod peccata improborum approbent; non ſatis execrentur: vel quod religionem profiteantur, qua peccatoribus tantum juris eſt ad cœleſtia promiſſa, ac eorum obſignationem, quam piis fidelibuſque. Paſtore vitante, pro muneris ſui ratione, uſum Sacramentorum ipſis præſtare: ſine ulla poteſtate alicui idcirco leges præſcribendi, aut docendi, ſuum judicium ac *deciſionem* circa Religionem aliis debere eſſe regulam: aut quod alicui ſint præpoſiti, ut cum auctoritate quadam fidem ipſius regant. Quinimmo juxta Reformationis noſtræ fundamenta Eccleſiæ ductoribus non licet ne quidem formalem pœnam exercere adverſus eos, qui Eccleſiæ communionem ſuſceperunt: quoniam adjunctio ad illam eccleſiam, perſeverantiaque in eadem ſolum nititur judicio cujuſque privati fidelis; non poteſtate eccleſiæ; nec ante, neque poſtquam eccleſiam illam adoptaverint. Quemadmodum enim Eccleſia, nec ullus mortalium imperium in alicujus conſcientiam exercere poteſt, antequam nos ad eccleſiam illam contulerimus; ita etiam nec poſt acceſſionem ad illam eccleſiam: cum conſcientia non ſit res, quæ in commercium cadat; & de qua tranſigere poſſimus; aut quæ ulli ſit ſubjecta: vel in quam aliquis dominationem quandam uſurpare ſibi poſſit. Ac hæc cauſa eſt, quod iidem Reformati Doctores neminem puniant, aut ignominia notent, qui religionem ſuam & eccleſiam, meliora, ut putat, edoctus, deſerit: ſed ſatis habent errantibus ſerio magnitudinem peccati atque erroris proponere, afferre quicquid neceſſarium eſt ad errantis inſtitutionem. Ac quemadmodum ipſi cenſent, neminem poſſe leges condere, quæ alterius conſcientiam conſtringant: ita etiam ſtatuunt, omnem communionem privatorum membrorum Eccleſiæ voluntariam eſſe: omniaque membra in ſocietate illa ineunda ut liberas perſonas eſſe conſideranda, quæ certis conditionibus, ac certa formula confeſſionis communionem illam ſuſcipiunt, ſibi Doctores eligunt, qui ſecundum doctrinam eam ipſos docebunt ac monebunt. Verum neque Paſtoribus, neque *Collegio* ulli poteſtatem dant, ut ex ſua opinione (quanquam putent eam S. Scriptura niti) privatis membris novas leges proponant; aut ut aliquem, qui ab ipſorum ſententia non ſtat, puniant; vel, ut recuſent eum pro fratre ſuſcipere; eaque commoda ſpiritualia, quæ membris competunt, concedere. Ac hæc omnia ab illis ideo docentur, quod contrarium poteſtatem in animum humanum ponat, & etiam *vim in conſcientias*. Cum tamen Paſtorum officium ſit *miniſteriale*, in docendo admonendoque conſiſtens: nec plus juris in hominem habens, quam ipſi perſuadere poteſt. Sed de hâc conſcientiæ cogendæ ſpecie iſta ſufficiant.

Lector jam facile poterit judicare, quid de tota re ſtatuendum ſit, quoniam iſta ſic tractata eſt; atque opinio utriuſque partis ita propoſita, ut ſatis aperuerimus à qua parte ſtet veritas. Summa autem omnium eſt, omnes ſcilicet errores, magnos, ſeu parvos, ſi malitia cum iis concurrat, pœna dignos eſſe. Etiam nonnulla errata, licet nulla adſit malitia, *vi licitum eſſe prohibere.* Aliquando externam actionem, quæ errorem ſine ma-

litia comitatum, nec Reipub. perniciosa ſit, neque peccatum augeat, nec idcirco perſonam neque coram Deo, neve coram hominibus odioſiorem reddat, prohiberi poſſe. Quamvis fatear in poſteriore hac theſi, me non tantam evidentiam ac certitudinem veritatis conſpicere, quam in priori. Porro proprie *imperium in conſcientias* eſſe, ſe pro domino judiceque conſcientiæ alterius gerere, cum poteſtate leges ac regulas faciendi, (fundatas, ut creditur, Verbo Dei) juxta quas alius conſcientiam ſuam regere teneatur: & pro immorigeris plectendi cunctos, qui ipſius leges regulaſque, articulos fidei ſuæ continentes, non amplectuntur: ſive illud corporali, ſeu ſpirituali pœna fiat, vel utraque conjunctim. Hoc enim eſt fidem ſuam in religione alterius conſcientiæ pro lege obtrudere. Atque hæc nobis dicenda fuerunt ad hujus rei explanationem. Contenti generales tradidiſſe regulas: ſpeciales autem caſus errorum, ſuperſtitionis, idololatriæque non attingentes: quum judicium, an illas arcere permittereve liceat, multis peculiaribus circumſtantiis inniti debet. Ita etiam nihil definimus de modis & gradibus pœnarum, de quibus Verbum Dei expreſſe non loquitur; & quibus errores in Religione prohiberi debeant: ita etiam ſuperſedemus fuſius loqui de fundamentis propriæ defenſionis, vitationis plagarum Dei, ac pœnæ mali: quia de illis hic non eſt diſputandi locus. Hoc tantummodo addentes, proximo nihil incommodi aut ſollicitudinis eſſe inferendum, ſine magna neceſſitate: nec antequam omnino certi ſimus, Deum pœnam, atque ejuſmodi pœnæ modum contra hoc, vel illud malum, aut errorem exigere. Cum in dubiis ſecurius exiſtat, rem potius impunitam dimittere nec prohibere: quam zelo ſine perfecta cognitione proximum civemque ullo incommodo afficere, eique neceſſitatem imponere tranſigendi vitam in luctu & miſeria ob diſcrepantiam in religione: ad quam ſpecialis Dei gratia, vel felicitas, natum nimirum eſſe orthodoxis parentibus, plurimum confert: & in his caſibus illud plerumque in aliis punire ſolemus, quod ab aliis libenter in nobis excuſatum optamus. Recordemur ſemper, Deum miſericordiam; non autem ſacrificium exigere. Chriſtianos ac pios non tam decere adeo præcipites eſſe in depoſcendis iis ad pœnam, qui peccant, *Luc.* 9:54. quam quidem par eſt, vitæ probitate exemploque eoſdem in viam reducere. Perſecutiones ſæpe tantum efficere, ut errantes omnibus ad reſipiſcendum mediis privemus. Peccatum atque errorem perſequutionibus non tam arceri; quam quidem homines mœrore affici & exaſperari. Illud exſtimulare inimicos, ut eodem modo homines noſtræ Confeſſionis tractent. Non tam honeſtum ac laudabile eſſe, patriam per carnifices, aut dura Edicta ab hæreſibus erroribuſque purgari, quam efficacia doctrinæ pietatiſque. A quibuſdam perſequutionibus & proſcriptionibus ad hoc laborari, ut moleſtia liberentur adverſarios omni cum animi manſuetudine imbuendi: quum inſtitutio ac catechiſatio illis multo faciliores ſint, cum ipſis res eſt cum iis, qui omnia ſignant linea alba: quam cum adverſariis in certamen deſcendere.

CAP. VII.

Quænam peccata in Repub. ex peculiari neceſſitate poſſint tolerari.

ANtea de peccatis ac vitiis dictum eſt, quæ in Repub. ex generali neceſſitate toleranda ſint tum propter imbecillitatem & corruptionem generalem generis humani; cum propter excuſabilem ignorantiam, & errores omnibus hominibus, vel paucis exceptis, adhærentes. Nunc tempus eſt de ſingulari neceſſitate diſputandi, ex ſpecialibus cir-

circumſtantiis temporis, loci, ac perſonarum deſcendenti, quæ permiſſionem alicujus mali culpâ liberat, quod citra *peculiarem neceſſitatem* Reip. Rectoribus non liceret tolerare. Sæpenumero fit, ut in conſtitutione ac formatione alicujus Reip. vel in ea tuenda & conſervanda, cogamur uti perſonis, quæ gravibus peccatis addictæ ſunt; & illis renunciare nolunt: quæve propter debilitatem Reipub. ſine juſto metu majoris mali prohiberi nequeant. Ita ut cogamur aut neceſſariis rebus carere: aut eas una cum peccatis ipſis adhærentibus retinere. An hoc liceat, quomodo, ac quando, jam inquiremus.

Certum eſt, non eſſe faciendum malum, ut inde eveniat bonum: verum hoc opus, hic labor eſt ſcire, quando *malum fiat*. Hoc ante omnia ſtatuimus, ac hoc æque coram homine, quam coram Deo locum habet: *nos neminem afficere injuria, quamdiu jure noſtro utimur*. Per uſurpationem juris noſtri, intelligo uſum iſtarum rerum, quarum, etiam earum uſus domini ſumus. Negari nequit, quin Deus, æque ac homo, in ejuſmodi circumſtantiis collocent hominem, ut iis jus ad res quaſdam habeat: eumque eapropter, ac pro illius juris modo, iſtis rebus uti poſſe: ita ut ipſi non ſit conſiderandum (quando hoc ſuo jure *legitime* utitur) quæ incommoda vel damna inde alicui eveniant. Licet enim ſæpius contingat, ut homines jactent, ſe jure ſuo uti: plurimum tamen in eo peccant, quod jus illud non *legitime* uſurpent: nec conſiderent, quo pacto vel Divinæ leges *charitatis ac moderationis*; aut humanæ leges uſum juris ſui reſtringant. Quare affirmamus, tum nemini fieri injuriam, cum jure noſtro legitime utimur: nec in uſu noſtri falcem immittimus in alienam meſſem. Ex. Gr. Deus hominem creans, & in orbe terrarum collocans, creaturas ratione deſtitutas utendas ipſi dedit, & eatenus iſtarum creaturarum dominus eſt; conſervans atque aſſerens ergo illa, quæ Deus ipſi conceſſit; utenſque iis, prout ipſi uſum Deus permiſit, *officiis charitatis* non neglectis, non expendere cogitur, quid incommodi proximus inde percipiat; nec quantopere inde alter, quum ipſe jus ſuum uſurpat, vexetur, aut incommoda patiatur. Ac quemadmodum Deus hominem in creatione dominum rebus conſtituit: ſic etiam homo per contractum, *generationem* &c. etiam jus ad res quaſdam acquirit; illudque jus acquiſitum iiſdem prærogativis gaudet, ac id jus, quod Deus homini proxime dat; ita ut in uſu ejus juris etiam non attendendum ſit, quantum eo proximus noſter in uſu juris ſui lædatur; verum ſolummodo, ne in jus proximi involemus: id eſt, ne, ut ita loquamur, manus afferamus iis, quæ Dei ſunt, aut proximi noſtri: atque ut caveamus nobis, ne contra charitatem peccemus. Quilibet probe novit diſcrimen, quod inter ea exiſtit, *proximi jus imminuere*; *aut proximo damnum creare* per legitimum juris noſtri uſum. Prius non fit abſque injuria Deo, aut hominibus illata: alterum velut *per accidens* uſum noſtri juris ſequitur; nec ullius diminutionem juris ſecum trahit; nec *violationem charitatis*.

Quod in area mea ædificem; & quod vicini mei luminibus eo officiam, ad quæ tantundem juris habet, quam ego: incommodum hoc *velut per accidens* ſequitur uſurpationem mei juris: ac hac in re nulla proximus meus à me afficitur injuria. Sed ſi eo animo ædificem, ut primo proponam proſpectui proximi officere per ædificium, quod in area mea ædifico: aut ſi in proximi area lumini ejus officiam: hoc ſine injuria Deo proximoque inferenda non poteſt contingere. Neque hoc non *per accidens* uſum juris mei ſequitur: ſed directo jus proximi mei, ac Dei invadit. Nullum enim mihi jus eſt ad proximum odio perſequendum, vindictæ cupiditatem adverſus eum exercendam, malum optandum, invidendum ipſi, aut ei

aliquid mali machinandum; neque etiam ſuum ei eripiendum.

Ita ut Lector probe conſpiciat; *id per accidens accidere dici*, quod *legitimum juris noſtri uſum ſequitur*: non autem, quod ut *inexſpectatum*, ſine *prævia notitia*, vel *errore*, factum noſtrum ſequitur. Aſſerimus quippiam *non per accidens* accidere, (in rebus nempe moralibus) quum aliquis uſum juris ſui excedens, rem alterius in ſuum vertit commodum. Qui enim juxta leges in ſuo ſolo ædificat, prævidet quidem, proximum minus luminis habiturum: atque ita non magis eſt extra intentionem ædificantis, quum hoc fit; quam præter exſpectationem ejus, qui eo propoſito & malo animo ædificat, ut luminibus proximi officiat. Verum hoc clare videmus poſteriorem, qui eo ſcopo exſtruit, ut lumen proximi impediat, quanquam in ſuo ſolo hoc faciat; aut qui in area proximi ædificat, ipſique una partem ſoli, ac eapropter luminis adimit, proximum ſuum Deumque injuria afficere: quoniam neque jus habebat in aream, neque jus depromendi in proximum odii & vindictæ ſuæ aculeos; ſed contra omnia charitatis opera illi debebat. Non enim ipſi neque permiſſione Dei, nec ullo jure, quod Deus ipſi dederit, neque peccatis proximi, jus erat ad ulciſcendum proximum. Sed qui eo propoſito exſtruit, ut proximo inſultet, eumque incommodo afficiat; is demum incipit ratione propoſiti à re, ad quam jus non habet; proximum ſuum ſcilicet ulciſci: ac bonis ſuis & jure ſolum utitur tanquam via & inſtrumentis, quibus ad inferendam proximo injuriam, viam ſibi paret. Rem aliquanto latius exemplis quibuſdam declarabimus, quod magni ſit momenti: nec ſolum fundamentum omnium, quæ poſtea proferentur, ſed præcipuum totius Ethicæ continet: quemadmodum ejus inferius exempla nonnulla dabuntur.

Deus certum jus mihi tribuit in membra mei corporis, ad defenſionem ejus; ac depulſionem mali, quod illud læderet: porroque voluit, ut corpore noſtro ac membris ad gloriam Dei utamur, *Rom.* 6:13. & 12:21. 1 *Cor.* 7:20. Quamdiu maneo intra terminos mei juris, non pecco: nec Deum, ut ita loquar, ulla injuria afficio; licet ex uſu mei juris ſequatur, ut Deus aliquo meo membro, quinimmo toto corpore extrinſecus non honoretur: ac ut ita Deus, ut ſic loquar, officio membrorum noſtrorum careat. Ideo, ut reliqua membra conſervem, permittere poſſum, ut membro aliquo, cujus etiam dominus ſum, mutiler; juxta dictum Chriſti, *Si pes, aut manus ſcandalizet te, abſcinde eam*, *Matth.* 5:27. Imo ad vitam meam retinendam in ſervitutem me dedere poſſum; & ſinere, ut ad eam terram avehar, ubi Deus externo cultu nunquam honorari poterit. Verum non licet mihi ad tutelam corporis vitæque, jure boniſque alterius uti: ideo nullo pretio jus Dei vendere poſſum; idque ita vertere in meum commodum, ut mihi inde aliquot ſuavitates parem; ac dicere, pro mille, vel duobus Carolinorum millibus membrum aliquod à corpore, aut digitum à manu abſcindam: tum enim bonis, aut jure meo non utor in meo conſervando: ſed jus Dei pretio diſtraho. Sic licet mihi in vita mea protegenda, retinenti uſum meorum, alteri exiſtere cauſam cædis, quia cædes illa *per accidens* uſum mei juris ſequitur. Et hic regula illa locum habet: *quando jus meum uſurpo, proximo non facio injuriam.* Sed quia non habeo jus directum in vitam proximi, ideo non licet mihi paciſci cum hoſte pro meæ vitæ incolumitate ad internecionem proximi. Quinimmo in defenſione ne minimo quidem proximi inſtrumento uti mihi licet: niſi ſtatueretur in extrema ejuſmodi neceſſitate rem proximi meam fieri, meque jus acquirere eadem utendi in neceſſitate iſta: non quod proximus neceſſitate mea jus ſuum amittat; vel quod neceſſitas mihi jus largiatur re aliena utendi: ſed quod nunquam

quam proximo noſtro ullius rei, ad quam nobis etiam jus competebat, dominium ita conceſſerimus, ut in maxima ejuſmodi neceſſitate uſus iſtius rei nunquam ad nos reverteretur. Si neceſſitas mea novum mihi jus crearet, alterque ea ſuum poſſet amittere: tum etiam, quod vitam meam tutatus eſſem, quendam, qui me non aggrederetur, necare liceret. Nefas hoc: quod Deus nunquam vitam, corpus, aut artus hominis alteri eo modo ſubjecerit, ut illas res proximi jure dominii poſſideremus. Nec unquam Deus ullum hominem in dominum aliis hominibus conſtituit: quemadmodum hominem in dominum omnium aliarum creaturarum, temporum ac locorum evexit, *Gen.* 1. Nec ideo licet re aliena, quæ etiam in extrema neceſſitate manet alterius, vitam ſuam redimere. Ac quod proximi vita, corpuſque mea non ſint; nec eorum dominus ſim, nefas mihi dicere: ſi me dimittas, iſtum, in quem ego, nec is, cui illud offero, ullum jus habemus, interimam. Et unicum hujus theſis fundamentum eſt, quod illius perſonæ non ſim dominus: non autem innocentia ejus, qui ita periret. Nihil enim refert, an in uſu mei juris inſons pereat. Non cogor deſiſtere ab uſu mei juris, in obſidenda, oppugnanda, ac occupanda urbe; licet per accidens ad uſurpationem juris mei, aliquot innoxii in urbe perituri ſint. Eiſdem fundamentis nititur, quod alicui fugere quidem liceat, ut tyrannorum perſecutionem evitet: quanquam ea fuga contingat, ut Deus confeſſione conſtantiaque noſtra honorari non poſſit. Non tamen liberum mihi foret, licet vitam meam, totumque terrarum orbem eo lucrarer, in judicis poteſtate conſtituto, non glorificare Deum, pretio ad illud corrupto. Similiter Magiſtratus homicidam impunitum poteſt dimittere; quum pœna illa ad perniciem, aut detrimentum Reipub. *redundaret*. Nec tamen Magiſtratui ullo pretio, quantumvis magno, juſtitiam cauſæ liceret vendere. Prius licet; quod pœna noxiorum ob hominum bonum & utilitatem ſit inventa, non autem homines ob pœnam. Ac homo eo ſenſu *Dominus eſt pœnæ*: ita ut non teneatur, niſi propius expreſſumque mandatum hoc imperet, jus ſuum ad pœnam in proprium interitum vel damnum uſurpare. Alterum eſt illicitum: *quod judicium Dei, non autem hominum ſit*. Nefas autem, alterius re per injuriam uti ut rem tibi pares. Verum cum expreſſum exſtet præceptum, tum Deus *Sibi* reſervat, quod alioqui, juxta vulgares regulas, ſecundum quas quid noſtrum ſit metimur, uſui abuſuique noſtro relinqueretur. Sed de poſteriori hoc latius diſputabitur.

Atque hoc tam late ſe extendit, ut etiam reſpectu Dei locum habeat. Quod Deus hominem, prout ſanctus, perfectus, atque idcirco neceſſario objectum ſui amoris, è manibus Creatoris ſui ortus eſt, ad perniciem ordinaret, aut ut favore ipſius careret: & eo velut *medio* injunctione mandatorum uteretur, permiſſione tentationum diaboli, quin immo ipſius peccati; ac amiſſione influxionis ſolitæ ſuæ gratiæ: & tamen pariter *ſerio* ipſum ad ſalutem invitaret, atque teſtaretur eam deſiderare: doctrina eſt, quæ adeo cum bonitate, juſtitia, & candore Dei pugnat; quemadmodum cum hominis virtutibus pugnat, ut quem ſubornaremus ad bonum noſtrum amicum (cui omnem amorem fidemque debemus) laceſſendum & concitandum ad iram, ut ita in graviſſimum peccatum incideret: ad illa uſurpantes adhibenteſque prædictam operam ſubdolam & fraudem velut *media* ad irritandum proximum ad incandeſcentiam: ac ut tum inſuper vociferaremus & diceremus, excitationem amici noſtri non expetiimus; quia ſcilicet *morale* malum, quod peccato iſti ineſt, nolimus nec deſideremus: id eſt, juxta ſententiam eorum, non *amemus*, laudemus, nec pro morali virtute habeamus. Cum tamen charitas, quam proximo

mo debemus, obſtringat nos, ad media adhibenda, quæ lapſum ejus impedirent: quanquam nos non obliget, ne jure noſtro utamur, quamvis *prævideamus* ac *præſciamus legitimo* juris noſtri *uſu* iram ejus excitatum iri; eumque juris noſtri uſum iniquo animo laturum.

Atque hinc conſpicitur, quam abſurdum ſit in rebus, quæ *morali ordinatione* perficiuntur, velut fundamentalem regulam ponere: *quod poſtremo fit, illud eſt, quod primo propoſuimus*: Illud enim Deum, homineſque tyrannos, injuſtos & ſimulatores facit. Quidam ſciens ædificatione in ſuo ſolo, juxta leges loci, amico proximoque ſuo incommodum illatum iri; eumque in iram ac jurgium, imo litem inciſurum; mala hæc omnia tanquam in executione ultima videt: exſtructionem autem tanquam omnia hæc præcedentem. Si id ædificantis prima fuerit intentio? quod poſtremo perficitur, v. gr. ira, jurgium, lis, malus atque injuſtus eſt; quique nullo colore poſſit dicere, quod affectet amicitiam proximi, licet flexis genibus expetere illam videretur. Sic videt Deus multos uſu juris Ipſius circa eos; ſcilicet proponendo mandata ſua, dando abundantiam cibi potuſque, & proſpera tempora, permittendo malitiam diaboli, pravorumque hominum; non largiendo ſummas dotes ac modum Spiritus, quos inquam Deus tales videt: hi tamen *volentes* peccaturos, atque ita perituros. Verum hæc non impediunt, quare Deo jure ſuo non liceret uti; atque vere tamen dicere, Se innocentium hominum perniciem non ſolum non expetere: ſed eorum omnium ſalutem omni ſtudio quærere: tum, quod nullius lapſum prædeſtinaverit, tum etiam, quod nulla media ad ipſorum perniciem ordinaverit: ſed contra vias ad ſalutem (quæ tantummodo ſpontanea hominum malitia irritæ fiunt) ipſis ſuppeditet. Fuſius hæc non exponam, quia alibi hoc ſuo loco factum eſt. Ulterius tamen in aliis exemplis uſum diſtinctionis inter id quod per ſe, & quod per accidens fit, perſequar: quia in re quam præ manibus habemus, plurimum lucis confert.

Quod corporis bonorumque meorum pariter dominus ſim, Deuſque etiam poſtulet, ut iis in Ipſius honorem utar: ergo non pecco, ſi jure meo ad illorum defenſionem utar: quanquam iis poſſit accidere, ut Deus, ut ita loquar, jure ſuo excidat; gloriaque privetur, ad quam bona alioquin poſſent, imo deberent uſurpari. Licet enim (bonis legitime expenſis) Deus etiam colatur, tamen honor is non ita Deum reſpicit: quod alterum noſtra cauſa, alterum Dei ac proximi gratia fiat. Aliud eſt, vitam bonis ſuis redimere: aliud bona ſua pauperibus, aut Deo largiri. Hac re fundatur, quod Davidi panibus Propoſitionis *in caſu neceſſitatis* veſci licuerit, veluti Scriptura teſtatur, *Marc.* 2:25. Non ſimplex neceſſitas Davidi jus peperit edendi panes propoſitionis, quia ſupra tradidimus nulla neceſſitate, quamvis maxima, mihi jus naſci in aliquam rem, quæ nunquam meo dominio ſubjecta eſſe poteſt: ſed neceſſitas mihi jus largitur aliqua re utendi, cujus uſum extra neceſſitatis caſum mihi non liceret prævertere alii uſui, qui proxime Deum ejuſque cultum externum aut cæremonialem ſpectat. Sed ex certis quibuſdam pietatis regulis David judicabat Deum generis humani amantiſſimum voluiſſe, ut præceptum, quod ſolis Sacerdotibus panes Propoſitionis comedere licitum erat, vim ſuam amitteret: homoque in neceſſitate conſtitutus, priſtinum jus ſuum ad panes iſtos recuperaret. Similiter, quod homo, modo prædicto, temporis atque loci dominus conſtitutus ſit, *Deut.* 4:19. ſicut omnium rerum ratione deſtitutarum, quibus tamen ad Dei gloriam uti debet. Ideo fas fuit Judæis ſeptimum diem ſeu ſabbathum (ad ſanctam quietem deſtinatum) in propugnando uſurpandoque *jure* ſuo *in caſu neceſſitatis*, impendere.

Ita Diſcipulis non ſolum ſpicas vellere licebat, eaſque edere; quæ extra neceſſitatem iſtam alienæ erant permanebantque: atque ad quas Apoſtoli ea *neceſſitate* jus denuo acquirebant: vel quorum jus, ut rectius loquar, iſta neceſſitate renaſcebatur: ſed ipſis licitum erat etiam illud ipſum tempus, quod Deus cultui ſuo conſecraverat, ad curam ſuorum corporum impendere: de quo tempore inter homines nulla conſtituta erant pacta; quæ neceſſitas ceſſare facit: & tamen ea Sabbathi ſanctificatio, in quiete conſiſtens, cedebat edendi neceſſitati: atque illud juxta dictum Chriſti, *Quod Filius Hominis etiam ſit Dominus Sabbathi, & quod Sabbathum propter hominem inſtitutum ſit, non autem homo propter Sabbathum.* Ac circumſtantiæ Textus, rationeſque concedunt, ut hic per filium hominis omnes homines intelligantur. Nam certe, ſi homo non foret *dominus Sabbathi*, qui ſine horrendo peccato poſſet fieri, ut tempus, remque alienam; imo ipſius Dei, in ſuum uſum poſſet vertere? Ob omnia orbis terrarum bona, imo ad vitam ſuam conſervandam, non licet homini Dei, vel alterius jure ac bonis uti ad ſibi parandum aliquod commodum. Illud enim eſſet malum, ac ſpecialiter injuriam facere; ac contra legem moralem peccare. Quemadmodum igitur Deus nunquam unum hominem alteri ſubjecit; ita nunquam ſuam legem homini ſubmiſit, eumque dominum illius conſtituit: ac idcirco tantæ neceſſitates nequiverunt exiſtere, quibus Judæo Sabbathum profanare fuiſſet licitum; aut mandatum illud in ſuum commodum convertere: ſi nempe præceptum quietis Sabbathi *morale* eſſet.

Hoc enim ante omnia firmiter eſt tenendum: ut, quicquid *morale* eſt, nunquam omitti, nec ulli rei cedere poſſit: ac eapropter ſemper hominem obliget. *Morale* enim *bonum* vel *malum* ex natura ac attributis Dei oritur, & ex naturali hominis ſtatu; quo naturalem *reſpectum* habet erga Deum, ſemetipſum, ac proximum. Ita ut, quicquid cum eo conveniat, *morale bonum* ſit: quicquid autem ei repugnet, *morale malum*. Moralitas tam æterna neceſſariaque eſt, quam Deus ac Ejus attributa. Eſtque ideo error magnus, magnamque pariens confuſionem in morali diſciplina ſtatuere, in Decalogo leges eſſe *poſitivas*: ſimulque docere, omnia decem præcepta *moralia* eſſe: & nihilominus de moralitate Legis altum clamare.

Cæremoniales ac poſitivæ leges à Divina humanaque natura non deſcendunt: atque ideo non abſurdum, nec irrationale foret, licet homo ſine legibus illis viveret. Atque eapropter *cæremoniales* ac *poſitivæ* leges dicuntur. Et *materia* illarum legum nihil omnino *morale* continet. Quanquam *obedientia* ipſis præſtanda *moralis* ſit. Statui enim humano convenit, Deo ſuo, qui ejus Dominus eſt; Quique ipſum punire ac remunerari poteſt, parere. Deus enim hominem *diſpenſare* nequit ab obedientia ſuarum legum; nec homo *ratione præditus* propriam ac inevitabilem perniciem deſiderare poteſt: quemadmodum neceſſario exitium ejus inobedientiam ſequi debet. Quare *morale* eſt Dei præceptis, ſive illa moralia, poſitiva, ſeu cæremonialia ſint, obedire. Sed Deus legibus naturæ ſuæ non fert *poſitivam* legem creaturæ rationali. Nam neque Dei, nec hominis natura illud exigunt. Nec *materia poſitivi* mandati ejuſmodi eſt, ut extra conſiderationem obedientiæ, homo quid faciat, quod proprietates naturæ ſuæ & ſtatus ita exigant: ut cum ratione pugnaret, ſi aliter faceret. *Morale* eſt, ut homo quam accuratiſſime ac ſtudioſiſſime Deo ſuo parere ſtudeat: atque omne illud, quod ab accurata diligentique obedientia in genere ſeparari nequit, etiam morale eſt: cujuſmodi ſunt attentio, accuratum ſtudium & inquiſitio voluntatis Divinæ, *executio* ejus *omnibus numeris abſoluta*; atque ita in timore ac

tremore propriæ ſalutis operatio. Hoc morale eſt, non, quod hæc ſint ab obedientia inſeparabilia: tempus enim locuſque etiam ab ea non ſunt ſeparabilia: nec tamen ulla moralitas illi ineſt, ut Deus certa hora locoque colatur, ſed quod ipſa *materia* ſit moralis: & *ratio*, fundata Dei hominiſque proprietatibus. Ita ut priores circumſtantiæ cultui neceſſario adhæreant propter ſuam *moralitatem*. Sed tempus locuſque Divino cultui & obedientiæ hominum per *naturalem neceſſitatem* adhærent. Homines enim, corporibus præditi, ac in tempore viventes, etiãm omnes eorum actiones certo loco temporeque fieri debent. Sed quod homines *hunc* locum, vel *illud* tempus Religioni ſuæ deſtinent; aut certa loca & tempora ad celebrandum cultum homini à Deo præſcribantur, illud non magis *morale* eſt, vel *morale* præceptum, quam morale eſt, Deum flexis genibus, aut manibus ad cœlum elevatis; vel certis verbis tonoque adorare. Si falſum hoc ſit, ratio indicetur, quare cum Dei, vel hominum proprietatibus pugnet, certo tempore locoque, certiſque geſtibus Deum non colere.

Verum ſi aliquis detur geſtus, qui *naturaliter* virtutem aliquam exprimat: tum obſervatio illius geſtus etiam *moralis* eſt, atque ideo immutabilis; ac eapropter nunquam omitti poteſt; nec contrarius geſtus in Religione uſurpari: non magis, quam licitum eſt, geſtu quodam in precatione uti, qui apud eam nationem, inter quam vivimus, *generaliter* contemptum, contumeliam, aut negligentiam ſignificat. Si jejunium ſit *morale* ſignum (quod nego) humiliationis: tum jejunium *moralis* actio eſt, ac pars iſtius naturalis cultus, in quo quam humillime coram Deo noſmet ſubmittere & gerere volumus: ac tum non licet ſtatuere, nos quam profundiſſime coram Deo noſmet ſine jejunio poſſe demittere. Et jejunium tum non ob aliam cauſam aut neceſſitatem poteſt omitti, quam ipſa humiliatio. Si *morale* eſt, ut certo & determinato geſtu; certo modo inceſſus, dignitas, quæ homini propter rationalitatem ſemper adeſt, ac propter quos geſtus & inceſſus corporis homo etiam dicitur ad imaginem Dei eſſe conditus, exprimenda ſit. Ergo illicitum eſt, etiam in *ſumma neceſſitate* geſtus adhibere, qui ſtultitiam repræſentent. Itaque David non potuit ſine peccato morionem agere: nec ullus in Theatro geſtibus, aut ſtultiloquio morionem poteſt imitari. Si à Dei Attributis profluat, quod ſub imagine non poſſit adorari, ut ego quidem cenſeo, tum ſecundum præceptum eſt juris naturalis, atque morale; & eapropter neutiquam poſitivum. Si poſitivum eſt, contrarium igitur illius legis nullam cum Dei natura Attributiſque repugnantiam continet: ac tum illius juſſus nulla ratio reddi poteſt, niſi ſola *Dei voluntas*. Atque illud præceptum pro fundamento rationem moralem non habet, quæ ſemper à Divina, vel humana natura, earumque proprietatibus derivatur. Etiam mandatum hoc neminem ſub N. T. ligat, niſi expreſſa loca indicentur, quæ dicant, quod totus Decalogus nos obliget; aut quæ ſpecialiter juſſum illud renovent. Atque ita *obedientia* illi præcepto ſolummodo *moralis* eſt: non autem *materia legis*. Ac neceſſitas aliqua poſſet oriri, quare homini Deum per imaginem exprimere liceret. Imo qui præceptum illud poſitivum eſſe affirmat, is non tantum moralitatem Decem Præceptorum tollit, quæ opinio (mea ſententia) nullo vitio laborat, verum præceptum radit & abrogat. Et Chriſtiani ſecundo iſti præcepto non per legem moralem Decalogi adſtricti ſunt: ſed novo Euangelico præcepto. *Poſitivæ* enim leges, ſub V. T. latæ, ſub N. T. nos non obſtringunt; niſi quatenus ibidem renovantur, ac Chriſtianis de novo imperantur. Cæteroquin omnes *poſitivæ* leges nos obligare deberent. Aut ratio diſcriminis reddenda erat, quare unum nos magis

obliget altero. Num hæc ratio eſt, quod alterum ſit morale; alterum non item? Tum porro quæritur, quare hæc lex moralis ſit, non vero illa? Ac qui una ab altera poſſit diſtingui? Si dicas, hoc poſſe ſciri, quod altera ratione quadam naturali nitatur, quæ in altera locum non habet. Tum per magnam ignorantiam ex poſitiva moralem legem efficiunt, appellantes legem *poſitivam*, quæ tamen ratione naturali nititur. Et ſi fundamentum iſtiuſmodi poſitivæ legis, quæ nos obſtringit, naturalis *ratio* eſt: qui *poſitiva* illa lex mutationi obnoxia eſt? An naturali rationi vis ſua poteſt adimi? Et an illud, quod per ſe virtus eſt, (veluti materia omnium præceptorum ejuſmodi eſt, quæ naturali ratione aut æquitate nituntur) poteſt vitium fieri, aut res indifferens. Patrem vel matrem dehoneſtare an unquam virtus poteſt appellari; vel honorare eos vitium? Poteſt quidem accidere, ut quod nunc *honorem* exprimat; alias, ac aliis circumſtantiis non *honorem*, ſed *dedecus* indicet. Verum patrem ſuum ignominia & contemptu afficere, nunquam poteſt virtus fieri; *honore* autem ipſum proſequi vitium. Ad Dei juſſum, qui omnium Dominus eſt, patri vitam eripere, efficit, ut in illis circumſtantiis patrem necare, non ſit *probro* eum *afficere*. At non facit, ut *dedecorare* virtus ſit. Si quibuſcunque circumſtantiis vitium foret filium necare: Deus per illam legem ex vitio virtutem faceret. Verum quemadmodum non dicitur, in genere cum naturali ratione & æquitate pugnat, filio vitam eripere: ſic etiam generaliter non dicitur, filium interficere, eſt ipſum odiſſe; eſt illi injuriam facere; eſt contra affectum Patris filio naturaliter debitum. Sed hoc recte dicitur: *morale* ac perpetuum eſt, ſemperque illicitum filio debita officia à patre non præſtari. Nec moralitas illa mutationem ullam patitur: nec ulla tanta neceſſitas, nec ulla ejuſmodi mutatio ex circumſtantiis poteſt incidere, quæ poſſint efficere, ut filium v. gr. odiſſe virtus ſit. Quemadmodum quidem circumſtantiæ aliquæ poſſint exiſtere, quibus contingat, ut filio lucis & vitæ uſura privare, non ſit ipſum odiſſe.

Video tamen quoſdam reperiri, qui non probe gnari aut intelligentes, quid ſit *morale*, affirmant morale præceptum mutationi obnoxium eſſe; & aliquando neceſſitati cedere. Atque hæc omnia ita defenduntur, ad adſtruendum, Quartum Decalogi præceptum morale eſſe; licet fateantur ſub N. T. magnam mutationem ejus factam, ac ob neceſſitatem vim ſuam aliquatenus amiſiſſe; moralique mandato cedendum fuiſſe ei. Morale eſt, ut ajunt, quod nemo fratris uxorem, ut nec ſuam ſororem ducere poſſit. Morale eſt, ne pater prolem necet. In omnibus illis præceptis, ut ajunt, mutatio contigit. Reſpondeo. Ad cujus ex eruditis aures fando unquam pervenit, morale eſſe, patri prolem ſuam occidere non licere? Ut pater liberos ſuos diligat, hoc *morale* eſt. Atque etiam morale juſſum eſt, ut Deum diligamus magis, quam liberos noſtros, *Matth.* 10: 37. Quum Deus ergo præcipit, ut quis filium necet, non repugnat illud amori, quem genitor filio debet. Verum amor ille jam ante voluntati Dei ſubordinatus, ſecundum eam regendus erat. Similiter non eſt morale, ne quis violentas ſibi manus inferat. Deus enim, qui Dominus eſt noſter, propriis noſtris manibus uti poteſt ad nos è medio tollendum; ut in Simpſone contigit. Sed morale eſt, ut nemo ſe mutilare vel necare poſſit ſine jure. Supra latiſſime de eo diſputatum eſt: ideo hic deſinemus. Non magis morale eſt, ne ſororem quis ducat: quam morale eſt, nudum in conſpectu Europæorum non licere incedere. At morale eſt, nihil contra *naturalem pudorem* facere: ſed qui pudenda ſua detegit, non ſemper contra naturalem pudorem agit. Neceſſitas enim tollit circumſtantiam; extra quam naturali pudori repu-

gnat, pudenda ſua revelare. Sic etiam Dei præceptum circumſtantiam aufert, qua fit, ut non amplius cum *decoro naturali* pugnet, ſororem ſuam uxorem ducere. Nec morale illud, quod præceptis iis ineſt, mutari poteſt: & illud morale eſt,nihil agendum eſſe contra honeſtatem. Nunquam virtus, aut res indifferens eſſe poteſt, contra *naturale decorum* aliquid committere. Verum poteſt quidem contingere per circumſtantiarum mutationem, ut illud, quod ante naturali decoro repugnabat, jam non amplius cum eo pugnet, per remotionem hujus vel illius circumſtantiæ. Ita ut non morale mandatum immutetur, vel cedere cogatur; verum res mutetur. Nec ulla neceſſitas tanta, quæ permittat mihi facere aliquid contra naturale decorum. Fateor quidem, in natura, atque in orbe terrarum, prout jam conſtitutus eſt, nullam poteſtatem (ſive eccleſiaſticam, ſeu ſecularem) dari; vel nullum caſum exiſtere poſſe, qui circumſtantiam illam amovere poſſit,qua naturali pudori non adverſetur, ſororem ſuam ducere,ut ejuſmodi caſus oriri poſſunt, nuditatem ſuam detegere: ut in fuga accidere poteſt, ad tutelam corporis; aut in vulnere quodam curando. Verum illa non eſt ratio, quare poſſit dici, quod alterum naturali decoro contrarietur; alterum non item: quum Deus nunquam de naturali pudore diſpenſare poſſit: non magis quam aliquem legitimum poſſeſſorem facere ejus rei, quæ alterius eſt, & manet.

Propoſueram ſpecimen dare, quo pacto moralia præcepta inveſtigentur; ut ita ipſa praxi quivis intelligat, illud tantummodo morale præceptum eſſe, quod convenientiam, vel repugnantiam cum ſana ratione comprehendit; quæ ex Summi Numinis, hominumque proprietatibus colligitur: cunctaſque leges, quæ ad ejuſmodi rationem non poſſunt reduci, cæremoniales, aut poſitivas eſſe. Verum poſtquam manum operi admoviſſem, comperiebam, rem illam breviter non poſſe expediri: quin brevitas magnæ obſcuritatis cauſa extitiſſet, ita ut à vulgo,quod ingenium in ejuſmodi rebus non exercitatum habet, non potuiſſet intelligi. Quare hiſce finiam, meliorem exſpectans occaſionem: vel ut iſti, quorum ſententiam hic oppugno, neceſſitatem mihi imponant,ut latius opinionem meam defendam. Quam mihi occaſionem oblatam cenſebo, quum aliquis modeſte & candide opinionem meam ad trutinam verbi Divini rationiſque examinabit.

Verum è diverticulo in viam redeamus, & perſequamur examen quæſtionis de Sabbatho, quandoquidem illa hodie tam acribus ſtudiis agitata, mihi cogitationem injecit adornandi hunc Tractatum. Patet ergo, nullam aliam exſtare rationem, quare tempus Sabbathi certis caſibus in alias res licet impendere: quam quod quadam occaſione homo jus ad tempus recuperet, quod mandatum celebrandi Sabbathi ipſi eripuerat. Quo pacto enim homo alioquin primum ſuum priſtinum jus, quo dominus omnium eſt, contra Dei mandatum auderet uſurpare. Quod mandatum Judæis non permiſit jus quale per naturam habebant, in diem ſeptimum: ſed Deus illum Sibi voluit reſervare; eumque ſuo cultui conſecraverat. Si roges, unde homo poſſit judicare, juſſa quædam Divina certis caſibus non convenire, iiſque non obſtringere? Ut brevis ſim, omnia duobus hiſce nituntur. Primo, naturali cognitione, quam habemus de Deo, quod ſit bonus, miſericors, ac hominum amans Deus. Deinde quod nobis non indigeat. Et inde homo concludit, idque ſecundum naturalem rationalemque Religionem; ac juxta dictum Dei, *Hoſ.* 6. Miſericordiam volo, & non victimas; *Deum velle nos ſcire, mandatum ſuum, nullam moralitatem, aut naturalem æquitatem continens, in ejuſmodi caſibus locum non habere, quos præceptum juxta litteram, comprehendere videretur: quum eidem mandato, ſecundum literam intellecto, obediendo, homo maximum incommodum aut*

damnum pateretur: nec Deus omiſſione illius obedientiæ contumelia afficitur.

CAP. VIII.

Verum quia res hæc magni momenti eſt; quæque obiter tradita, multis pravis explicationibus obnoxia foret: rem totam paulo planius latiuſque elucidabimus. Res eſt, mea quidem opinione, diſquiſitione digna: qua id fundatur, quod homines, quaſi naturali impetu impulſi, quibuſdam expreſſis Dei mandatis, juxta literam ſumptis, non parent; ut jacturam aliquam aut incommodum evitent: quanquam in Verbo Dei nulla loca reperiant, quæ doceant ipſos, quod Deus quibuſdam caſibus homines obedientia illorum præceptorum liberet: vel potius, quæ affirment, præceptum tales caſus non continere. Verbi gratia, ne à memorata quæſtione recedamus; ac de qua jam tantus ſtrepitus à quibuſdam fit Theologis. Mandatum celebrandi Sabbathi generale eſt ſine ulla exceptione: atque Deus expreſſe prohibet, ne Judæi illo die opus faciant, *Exod,* 34: 21. & 35: 2. 3. *ac* 23: 12. Quæritur, quo nitatur, quod Judæi in multis rebus ſe obedientia illius juſſi, ſine ullo contra Deum peccato, liberent? Et quod Chriſtus ipſemet tot caſus indicet, quibus obedientia illius præcepti, juxta literam intellecti, negligere licebat? Ac quare nos non teneamur, ſine ullo damni incommodique reſpectu; imo jacturæ vitæ noſtræ, præciſe mandato ei parere: quemadmodum multi Judæorum interpretabantur; nec uſquam in S. Scriptura V. T. loca reperirent, quæ ejuſmodi caſus, quales Chriſtus demonſtrat, exciperent. Porro unde novit homo, quod *Deus miſericordiam, non autem victimas velit:* quodque ita victimæ cedere debeant miſericordiæ; quum hoſtiæ æque, ac miſericordia imperentur. Verum ut paulo preſſius agamus: multi ejuſmodi caſus exiſtunt, quibus victimarum nulla ratio habetur. Deus mandat, ne veſtem virilem fœmina induat; neve fœmineam vir, *Deut.* 22: 5. Prohibet Deus, ne corpus noſtrum mutilemus, *Eph.* 5. Mandat ut Magiſtratus omne homicidium ac illegitimam cædem puniat. Et tamen plerique exiſtimant Theologi, licere nobis quibuſdam caſibus obſervationem iſtarum legum negligere. Deus imperat, ne ullus præter ſacerdotes Arcam Dei attingat, *Num.* 4: 15. Uſa, non ſacerdos, neque Levita, manum Arcæ Dei admovit, ut ſuſtineret eam, quum caſum minaretur, & qui caſus ſummam videbatur oſtendere neceſſitatem, 2 *Sam.* 6. ac à Deo morte punitur. Vetat Deus, ne quis panes Propoſitionis comedat, extra ſacerdotes: & hoc mandatum non minus clare, quam præcedens, propoſitum eſt. David, ac qui cum ipſo erant, non exiſtentes ſacerdotes, panibus Propoſitionis veſcuntur, in *neceſſitate* conſtituti, ac laudantur. Quæritur; juxta quam regulam homo in præſtanda ſua obedientia vitam ſuam diriget: affirmabit obedientiam alicujus mandati poſſe prætermitti, ad incommodum aliquod ſive damnum effugiendum: verum obedientia alteri cuipiam præcepto neglectum non fert: nec ulla neceſſitas, quantacumque ſit, excuſat nos, ut non illico, ſemperque iſti præcepto pareamus; quum tamen utrumque præceptum à Deo homini in pari forma proponatur.

Ut diſtincte his difficultatibus reſpondeamus: primum diſtinguendum inter illud, quod naturaliter, ac per ſe bonum vel malum eſt: & quod nos generaliter jus *naturale* appellamus; quodque propterea *morale* bonum, vel malum nominatur: ac inter iſtud, quod eſt indifferens, ſed quod particularibus circumſtantiis bonum, vel malum fit. Omnes fere actiones humanæ vel bonæ, vel malæ ſunt: verum non ideo omnes actiones *naturaliter* bonæ, ſeu malæ ſunt; aut per ſe morales. *Ut cuique ſuum tribuamus*, hoc naturaliter bonum eſt, ac ideo *morale*; quod

lex naturæ imperet. Sed non eſt *juris naturalis*, ut diebus Lunæ, Martis, aut Mercurii id fiat. Hoc apud homines ratione præditos extra controverſiam eſt.

Secundo, tenendum eſt, quicquid *juris naturalis eſt*, *naturaliter morale bonum vel malum eſſe*; id tantundem reſpectu Dei, quam hominis valere: id eſt, rationem, qua jus naturale fundatum eſt, unam eandemque tam apud Deum, quam apud hominem eſſe. Ita ut eatenus inter naturale Divinum, atque naturale humanum jus nulla ſit differentia: quum hoc, atque illud ex una eademque ratione hauſtum ſit. Non ſolum lex eſt *humani juris naturalis*, nullam inferendam eſſe injuriam: verum etiam Divini juris naturalis. Ac injuriam facere, non ſolum æque *morale malum* apud hominem, quam apud Deum eſt: verum etiam tam reſpectu hominis, quam reſpectu Dei ex una eademque ratione demonſtratur. Atque *injuria* in genere apud Deum ac hominem eodem *fundamento* nititur. Atque ideo tam abhorret à Dei ſanctitate, injuriam facere, eamve jubere, quam hominis. Nam aliquid ſibi vindicare, quod alterius eſt, ubique injuſtum eſt, tam Dei quam hominis reſpectu: quamvis Deus de pluribus rebus poſſit ſtatuere, ſine ulla alicui injuria inferenda, quam homo. Sicuti etiam rex plus pollet, quam ſubjectus. Verum rex æque, *ac ob eandem rationem*, injuriam infert, quum aliquid eripit, quod alterius eſt; ac civis. Sic Deus ſæpenumero tale quid jubet, quod nullus homo abſque peccato imperare poteſt; quod major ſit Dominus, aliquaſque circumſtantias poſſit mutare, quo res naturam ſuam amittat. Deus nihil mandare poteſt, quod peccet contra verecundiam: at circumſtantiam quidem amovere poteſt, quo illud, quod alioquin verecundiam impugnaret, nunc non amplius cum ea pugnat: quam circumſtantiam tollere non eſt in manu hominum poſitum. Sic contra pudorem peccatum non fuit, quod in principio orbis conditi ſorores cum fratribus matrimonio juncti fuerint; quod jam vetitum, quamdiu Numen omnes circumſtantias relinquit, prout nunc ſunt: verum de hoc ſuperius diſputatum eſt. Sic Deo licet illa bona, in quæ juxta æquitatem naturalem, nullum jus movere poteram, mihi ut Dominus omnium donare. Sic Summum Numen Ægyptiorum facultates Iſraëlitis donabat. Et ſic Deus quippiam legitime poteſt facere, quod mihi non licet legitime.

Tertio: ut ſciatur, quid *juris naturalis humani ac Divini* ſit; id eſt, quid tam Dei, quam hominum naturale jus imperet: adſcendendum eſt ad aliquid, quod ſemper bonum, vel malum eſt; ac quoad eouſque deduxerimus, ut repugnantiam in re poſſimus demonſtrare, ſi illud quod affirmamus malum bonumve eſſe, non ſit tale. Exemplum unum alterumve totam rem illuſtrabit. Non dicendum eſt, nuditatem ſuam detegere peccatum eſt, & pugnat cum *naturali pudore*: vel naturalis ratio prohibet id quidem: ſed caſu neceſſitatis præceptum id cedere debet; vel exceptionem patitur: aut Deus mandat in alia lege, vel concedit in ea, ut in *caſu neceſſitatis* revelare liceat. Sed dicendum eſt, *jus Dei hominumque vetat quid contra naturalem pudorem facere: at verenda ſua detegere naturali verecundiæ non repugnat: alioquin enim ſemper illicitum foret.* Ergo non eſt lex naturæ; & caſus neceſſitatis non eſt exceptio legis: quaſi neceſſitas hominem à vinculo legis ſolveret, permitteretve facere aliquid, quod contra pudorem pugnat: ſed circumſtantia magnæ neceſſitatis rei naturam immutat: ita ut non amplius impudicitia ſit in magna neceſſitate pudenda ſua detegere. Sic non licet dicere, legem *moralem* prohibere corpus ſuum dedita opera mutilare; verum quod lex illa caſu neceſſitatis exceptionem habeat. Verum ita differendum eſt: *naturalis lex prohibet corpus ſuum odiſſe, aut eo abuti*: *aut jus Dei, quod habet in*

cor-

corpus noſtrum, invadere; ſive ſimile quid: donec formalem rationem invenerimus, quare illicitum ſit corpus ſuum extra neceſſitatem, præ petulantia, deſperatione, vel turpi lucro mutilare. Non etiam aſſeverandum eſt; *morale* eſt, diem Sabbathi eſſe tranſigendum operibus religioſis: at opera neceſſitatis, charitatis, ac miſericordiæ excipi: & nos, quum opera illa incidunt, lege illa Sabbathi non teneri, quæ jubet nos eo die occupari rebus directe religionem ſpectantibus. Verum hoc pacto loquendum eſt. Summum Numen mandat Judæis, ut die Sabbathi ſingulariter quieſcant, nec ullum opus faciant, ac ut operentur in rebus ſpiritualibus. Et ſi ignorare nolimus, an præceptum illud de ſeptimo die celebrando *morale* ſit, ejuſmodi generalis ratio danda eſt, quæ oſtendat contradictionem moralem, ſi homines non dent operam, ut ſeptimo die rebus Divinis ſpecialiter vacent: ſive repugnantia illa à Dei, ſeu ab hominum natura, proprietatibus atque jure ſumatur. Demonſtrandum igitur erat ex naturali ratione, ni integrum diem ſeptimum ſeponamus, ut ſingulariter in rebus Divinis occupati ſimus, (operibus neceſſitatis atque miſericordiæ ſemper exceptis) tum vel Deum non debite coli; aut aliquid fieri, quod cum Divina, ſive humana natura, proprietatibus, vel jure pugnet. Novi nullum hominem, quantumcumque etiam nervos ingenii intendat, illud facturum. Nunquam etiam Theologum aliquem reperi, qui conatus ſit id facere, *à priori*, prout in ſcholis loquuntur, demonſtrare ſtudens, naturalem æquitatem hoc requirere: & contradictionem ſive abſurditatem quandam, naturali rationi morali repugnantem, exiſtere, quum ex omnibus anni diebus ſeptimus non eligitur, ut eum quieti conſecremus: ita ut quies, ac conſecratio ejus per religioſa opera *partem Divini Cultus conſtituat*. At adverſarii cauſam ſuam tantum *à poſteriori* probare ſtudent: nempe, quia præceptum ſanctificandi Sabbathi Decalogo continetur, quem moralem aſſerunt; nec capita illius legis aliquid comprehendere, quam quod lex naturæ jubet: quaque propterea vi naturalis æquitatis, quæ illi ineſt, homines, tam Chriſtianos, quam Judæos obſtringit. Addunt præterea, quartum præceptum non poſſe abrogari; quin Decem Præceptorum numerus non conſiſtat: haud aliter diſputantes, quaſi *morale* ac naturalis legis pars foret, ut quid in Decem generalibus Præceptis comprehenderetur. Ulterius ad defenſionem ſuæ cauſæ addunt, mandatum ſanctificandi Sabbathi ante lapſum in paradiſo datum eſſe; rationemque præcepto additam, quæ generalis ſit: nimirum, quod *Deus ſex diebus creaſſet cœlum & terram: ac ſeptimo die requieſceret*. At quomodo probant ante lapſum nullum præceptum ſingulare homini datum, quod quoad materiam non ſit morale. Præterquam quod à multis doctis maxima cum probabilitate doceatur, iſtius præcepti de quiete Sabbathi poſt abſolutam creationem per anticipationem factam mentionem; non autem ab initio legem extitiſſe. Et cum inſuper ab ipſis petitur, ut *à priori* naturalem iniquitatem abſurditatemque probent, quæ oriretur, ſi quis affirmaret, non neceſſe eſſe per integrum diem ſeptimum cultui Divino vacare: reſpondent, haud dubie naturales rationes illius juſſi poſſe afferri: verum ingenium humanum per peccatum occæcatum eſſe: quodque ideo rationem ejus excogitare nequeat. Præceptum aliquod non ideo deſinere eſſe morale, licet ratio illius non poſſit indicari; nec naturali corrupto ingenio demonſtrari, contrarium peccatum eſſe: quoniam Apoſtolus Paulus teſtatur, ſe ignoraturum fuiſſe, *cupiditatem* peccatum eſſe, niſi Lex dixiſſet: *Non concupiſces.*

Ego autem plene ſum perſuaſus, naturalem legem, reſpectu religionis: quæque ſcilicet in quarto præcepto injuncta foret,

foret, non ulterius extendi, niſi quod doceat: *Non licere nobis in ſecularibus, hujuſque vitæ rebus adeo occupatos eſſe; ut eo gloriam Dei, noſtramque ſalutem debite curare negligamus.* Verum hoc *primum*, non autem *quartum* præcipit: ac hoc poſito, nondum probatum eſt, illos gloriam Dei, ſuamque ſalutem negligere, qui ſeptimum diem non eligant, quo Deum ſolenniter colant. Fac Quartum Præceptum homini præſcribere tempus, nec non diem, quando, ac quamdiu Deus ſolenniter ſit colendus: inde omnino non ſequitur, materiam ejus mandati moralem eſſe: quum pars *ſpiritualis*, quæ in externa illa religione reſidet, ſemperque ineſſe debet, non Quarto Præcepto jubetur; ſed ante in alio Præcepto conſtituta præſupponatur: ſicuti ſpirituale ac morale in omnibus poſitivis legibus, quas ſemper etiam ſpirituale quiddam continere præſupponitur. Spirituale enim illud, quod etiam in maxime cæremonialibus carnalibuſque mandatis reperitur, lex naturæ jubet in primo præcepto. At lex naturalis non docet, quo die, atque quamdiu (taceo ipſum diem ſeptimum eſſe debere; idque de naturali die intelligendum eſſe, quæ viginti quatuor horis conſtet) ſingulariter Cultui Divino ſit *vacandum.* Multo minus docet, requiem à labore die ſeptimo, qui diem Veneris ſequitur, rem eſſe, qua Deus naturaliter colatur; quæque *moralis* ſit: ita ut Dei, vel hominum proprietates à ratione & ſanctitate petitas, celebrationem talis diei, ac tali pacto, exigant. Nec etiam lex naturæ docet, illos ſalutem ſuam non operari; nec Deo decenter ſervire, qui ſeptimum diem non ſegregant ad opera pietatis. Imo ne hoc quidem probaturi ſunt (quanquam poſſit hoc ipſis concedi) naturalem religionem docere, totos dies eligendos eſſe, quibus Deum ſolenniter colamus. Cui in omnibus ſuis actionibus ad gloriam Dei reſpiciendum ſit, illi non opus eſt ſingularem eligere diem. In cœlo id non futurum eſt. Et Rex quidem parenteſque noſtri honorantur, licet ſpecialem ipſorum cultui diem non conſecremus. Quæ autem ratio integrum diem conſecrandi? Cur non dimidium diei; idque duplicatum? quare non declarant, qualem *diem* intelligant: naturalemne viginti quatuor, an civilem duodecim horarum? Qui hoc affirmant, illis ratio, aut Scripturæ loca alleganda erant.

An non Legi & Decalogo omnis tribuitur perfectio, quum dicitur, ipſam omnes *morales* virtutes imperare; omniaque moralia vitia prohibere. Et cui bono vociferatio hæc, Legem *mutilari*, ac præcepta nonnulla expungi ex ea. Quandoquidem ſatis noverunt, non ideo nos quibuſdam *moralibus virtutibus* ac officiis noſmet abſolvere: ſicuti Pontificii ſecundum præceptum è Decalogo tollentes, pariter propugnant licitum eſſe Deum per & ſub imagine colere: quod oppugnat id, quod lex naturæ docet; atque propterea virtutem *moralem* lædit. Quantum autem ad moralitatem attinet, quam quarto præcepto quidam ineſſe autumant, quamque naturalis religio clare docet; eam nos æque ac ipſi obſervamus: ſolummodo putantes, iſtam non in Quarto, ſed in Primo Præcepto doceri: quod mandat, cultum Eccleſiaſticum, ſcholaſque eſſe conſervandas; quinimo omnia media eſſe adhibenda, quæ ad propagationem gloriæ Divinæ, nec non hominum ſalutis neceſſaria ſunt. Quid autem intereſt, utrum doctrinæ Catechiſmi reſpectu Quarti, an vero Primi Præcepti adhæreamus? quum idem docetur. Si dicas in Quarto Præcepto moralitatem aliquam eſſe, quæ in reliquis præceptis non invenitur; quæque ſpecialiter celebrationem ſeptimæ diei tangat. Reſpondeo: primo, non docet Catechiſmus, ſanctificationem diei Solis formaliter in Quarto Mandato injungi: non magis, quam idem Præceptum formaliter exigit, ut cultus Eccleſiaſticus, vel Munus Concionandi, Scholæque

læque conſerventur. At Catechiſmi Auctores cenſuerunt, *morale* illud, quod in Quarto Præcepto reperitur, eſſe, procurationem mediorum, quæ ad propagationem gloriæ Dei, hominumque ſalutis requirebantur.

Omnia optime mea ſententia conſtabunt, ſi dicamus illud *morale* eſſe: *ne negotiis hujus vitæ ita ſimus immerſi, ut eo obliviſcamur gloriam Divinam, propriamque noſtram ſalutem debite curare.* Ex qua *moralitate* tum ſequitur, decorum atque conveniens eſſe, ut homines tempus aliquod ſeponant, quo ſingulariter occupentur in faciendis operibus pietatis; & à Chriſtiano Magiſtratu, ac quovis Chriſtiano ſingulatim iſta media adhibenda eſſe, quo religioſa opera optime fiant: quemadmodum inter alia prædicandi munus eſt, auditio, lectio, meditatioque Verbi Divini: juxta Catechiſmi noſtri dictum. Sed quod Deus in V. T. Sabbathum; Chriſtiani autem ſub N. T. diem Solis ſpecialiter ad Cultum Dei ſegregaverant: ideo in quarto Præcepto in ſpecie Sabbathi Judaici mentio fit: in noſtro autem Catechiſmo diei Solis, ſive Diei Dominicæ.

Probe nunc etiam Lector perſpicit, quid illi argumento reſpondendum ſit, numerum Decem Præceptorum non eſſe mutilandum. Supervacaneum eſt, ut Decem Præcepta integra maneant; non magis, quam neceſſarium ac *morale* eſt, ut *Lex moralis* in Decem Præceptis proponatur. Verum neceſſarium eſt, ut *omnis moralitas in lege præcipiatur.* Quique à nobis diſſentiunt, non largius loquuntur. Ac neceſſario eo recurrendum eſt, præceptaque metienda non juxta verba, aut numerum mandatorum: ſed ſecundum naturalem æquitatem, quam ingenium in iis conſpicit. Ipſum enim Sextum Præceptum, juxta litteram intellectum, *Non occides,* non eſt *morale*: licet enim ſceleſtos ac fures, hoſtemque ſuum publicum *interficere.* Quid ergo *morale* eſt, quod præcepto illo continetur? Illud nempe, *non licere in proximum, nec in ſemet ipſum ſævire.* Atque hoc Lex naturæ jubet; nec etiam unquam mutari poteſt. Sed ut preſſius adhuc reſpondeam: an veriſimile eſt, etiam *morale* eſſe, ut lex naturalis, vel *moralis* decem præceptis comprehendatur: vel ut omne illud, quod Naturæ lex præcipit, in decem generalia præcepta dividatur? Non puto. Chriſtus duobus generalibus mandatis comprehendit, quicquid lex *moralis* mandat: nimirum amorem erga Deum, ac proximum. Quæ ratio fuerit Deo, ut decem præceptis per epitomen continere voluerit, quicquid Iſraëlitis imperaturus erat; quodque velut fundamentum foret, quo fœdus cum illis iniret, equidem ignoro: ſed ea moralia eſſe nego. Diverſum foret, ſi per imminutionem numeri Decalogi aliquid, quod legibus moralibus repugnaret, approbaretur. Sed non ita ſe hic res habet.

Quod autem urgent, dicentes quartum Præceptum non ideo ex moralium præceptorum numero expungendum, quamvis moralitatis ratio oſtendi non poſſit, nec ingenio inveſtigari: quemadmodum Apoſtolus de concupiſcentia teſtatur: ad hoc reſpondemus. Licet hæc Adverſariorum ſententia vera foret, hoc tamen ratum manet nihil *morale* dicendum eſſe, quod naturali æquitate ut tale probari non poteſt. Sed ut nihilominus aliquid morale cenſeatur, tunc clara loca ex Scriptura alleganda ſunt, quæ rem, de qua controvertitur, ad moralem legem referunt: ad quod prædictæ rationes Adverſariorum nihil faciunt. Provoco ad omnium doctorum, nec partibus addictorum judicium; an ſequentibus noſtrorum adverſariorum argumentis ulla vis inſit: Quod homini ante lapſum eſt præſcriptum: Cui præcepto *ratio* eſt addita, quæ omnes homines ſemper reſpiciat: Quæ præcepta in lapideis tabulis ſunt ſcripta: Quod mandatum juxta moralia præcepta collocatur. Quod etiam-

num decore fit, &c. illud morale eſt, ac lex naturæ. Nemo, qui nullo præjudicio occupatur, in hujuſmodi argumentis aliquod robur ineſſe arbitrabitur.

Præterquam quod iſti, qui concedunt, quartum præceptum cedere debere, quando opera neceſſitatis, charitatis ac miſericordiæ, quæ ſine dubio lex naturæ imperat, incidunt; propria ſua fundamenta deſtruant. Quoniam id quod *morale* eſt, nunquam licet removere. Et requiro, ut exemplum proferant, unde id pateat. Verum de his latius diſputabitur. Quod ad verba *Rom.* 7:7. *Nam etiam concupiſcentiam non noſſem, niſi Lex diceret, Non concupiſces*, male illa explicantur: ac per ea non eſt intelligendum, Apoſtolum lumine naturalis conſcientiæ ignoraſſe concupiſcentiam peccatum eſſe: verum expreſſo mandato, *Non concupiſces*, concupiſcentiam in ipſo vehementius accenſam eſſe; juxta notam pravam vim & conſuetudinem corruptæ noſtræ naturæ, quæ ſemper in vetitum nititur. Hunc horum verborum eſſe ſenſum, quilibet animadvertere poteſt, qui textus circumſtantias conſiderabit, ac præcipue *verſ.* 9. *Et ſine lege vivens eram olim: præcepti autem illius adventu, peccatum quidem revixit.* Et *verſ.* 11. *Nam peccatum occaſione per illud præceptum ſumpta, ſeduxit me, & per illud occidit.* Juxta dictum Apoſtoli *Rom.* 5:20. *Lex autem ſubintravit, ut abundaret delictum.* Et Theologi in ſcriptis ſuis rationes *afferunt*, ex *natura* deſumptas, quibus probent concupiſcentiam *peccatum* eſſe. Ethnici etiam hoc noverunt.

Aliud etiam eſt, ſi dicas, corruptionem in nobis tantam eſſe, ut inquirere *nolimus*, utrum concupiſcentia peccatum ſit. Aliud autem nos per Verbum Dei jam edoctos, tamen extra Summi Numinis juſſum nullam invenire poſſe rationem, quare concupiſcentia inter morale malum numerari debeat. Licet prius verum ſit, non tamen ideo poſterius probatum eſt: quod tamen caput eſt controverſiæ.

Ac directe Verbo Dei repugnat, dicere, homines lumine naturalis conſcientiæ neſcire, nec poſſe diſtinguere, quid *morale* bonum vel malum ſit. Primo enim: quo ſigno Chriſtianus diſcernet cæremonialem civilemque Judæorum legem à morali. Ac extra controverſiam eſt, ſi unam ab altera noverit diſtinguere; ſignum illud, quo facit id, circa omnes leges valere debere. Qui probabis cæremoniale vel politicum eſſe, in uno eodemque agro diverſa ſemina non eſſe ſerenda. Arare non licere cum bove ac aſino conjunctim? Non induere veſtem variam? Ex nido matrem cum pullis non licere ſimul auferre? *Deut.* 22. Si enim nunc reſpondeo illorum more, qui à nobis diſſentiunt; & affirmem, omnia illa memorata præcepta *moralia* eſſe; ac idcirco adhuc nos obligare: & quemque moralitatem illorum poſſe quidem percipere, ni ingenium noſtrum obnubilatum eſſet. Novi quod aqua ipſis hæreret; ut, fundamenta ſua retinentes, opinionem meam everterent, erroremque in ea demonſtrarent. Idem de variis pœnis poſſem dicere tranſgreſſioni moralium præceptorum appoſitis: quibus tamen Chriſtiani ſe non teneri arbitrantur. Verum an Apoſtolus non expreſſe dicit, *Rom.* 2. *Ethnicos oſtendere opus legis inſcriptum cordibus ſuis*: quique propterea ſine ſcripta lege contra moralitatem aliquid committentes, judicandi erunt. Atque hujus judicii æquitas hoc uno fundamento nititur, quod abſque ſcripta lege ſcire potuerint, quid rationi conveniens, quidve ab ea alienum eſſet; quoniam quaſdam communes innatas regulas, vel potius vim argumentandi habent ad diſpiciendum, quid de moralitate judicandum ſit. Ita ut nemo, niſi qui volens ejuſmodi tenebras ingenio ſuo inducit, ut tanquam ſine ullo animi ſui remorſu & beſtiarum ritu in peccata quædam incidat, eoque naturale lumen, quod Deus omnium hominum cordibus indidit, obnubilat, ejus ignarus eſſe poſſit. Atque ideo

inquit

inquit Apoſtolus *Rom.* 1: 18. Gentiles veritatem, ſcilicet eorum quæ ratio, non autem ſpecialis revelatio docuit, in injuſtitia detinere: dedita opera contra lumen naturæ peccantes: vel ſaltem per negligentiam non bene utentes. Et propterea idem dicit Apoſtolus *Verſ.* 21. *Quod Pagani vani facti ſint in cogitationibus ſuis: & quod inſipiens cor ipſorum* (id eſt, leve, diſſolutum imprudenſque) *obtenebratum ſit.* Quare prædictis verbis *Rom.* 7: 7. ſenſus ille tribui non debet, quem diſſentientes à nobis iſtis accommodant.

Occaſione dicti loci è S. Scriptura *Rom.* 7. objicitur etiam nobis, Dei inſtitutionem circa conjugium; nimirum, ut quivis vir unam tantum fœminam, ac quælibet mulier unum tantum marem poſſit habere, mandatum eſſe naturæ: quod tamen *à priori*, ac per rationem naturalem probari nequit. Reſpondeo. Cuncti Theologi, qui legem Dei circa matrimonium pro mandato naturæ habent, per rationem naturæ docere conantur, præceptum illud hujuſmodi eſſe. Ac cui ratio hæc non ſatisfacit; non eſt quod inſtitutionem hanc pro parte legis naturæ ducat. Sed quod rationes judicio multorum infirmæ ſint; idcirco etiam apud ipſos non adeo clarum eſt, præceptum illud accenſeri legi naturæ. Forſan mandatum de connubio inter ejuſmodi præceptorum ſpecies numerandum, ad quæ omnes graves ac modeſti mores ſpectant, quibus bene moratæ nationes à barbaris diſtinguuntur: quorum contrarium non quidem cum lege naturæ, vel naturali pudore pugnat; verum ſublimioribus illis perfectionibus atque ornamentis animi corporiſque repugnat, quas homo affectare tenetur. De talibus ornamentis ſermo nobis eſt, quæ illuſtrant & augent *naturalium* quarundam virtutum ſplendorem: ut ea ſecernam ab iis, quæ homini naturales non ſunt. Ut ſunt, ex. gr. eruditio, nec non bonæ artes: quæ hominem quidem ornant, animamque excellentiorem reddunt: ſed proprie non ſunt materia, quæ moralem virtutem ad altiorem perfectionem deducat: veluti uni tantum uxori adhærere, materia eſt, qua *pudicitia* ad elatiorem gradum evehitur. Sic *pudor* perfectior inter iſtos eſt, qui etiam pectora, ac poſteriora corporis, quam qui verenda ſolum tegunt. Sic per peccatum partes quædam noſtri corporis turpem & vilem aſpectum habent, 1 *Cor.* 12. ac qui eas maxime & maxima cum cura velat, verecundior eſt, quam qui id omittunt. Quanquam ilico non ſit peccatum contra *legem naturalem* aut *pudorem*, contra ejuſmodi mores moratiorum gentium aliquid committere, præſertim quando in earum medio non vivimus. Negligentia, ſocordia, incuria in obſervando, quo ad tantum pudicitiæ gradum non pervenimus, peccata ſunt. Sed *defectus* illorum pudicitiæ *graduum*, ac modeſtorum graviumque morum, peccatum non eſt: quod minor pudicitiæ gradus impudicitia non ſit. At peccatum eſt ſumma non petiiſſe. Ut etiam peccatum non eſt, ut ille, qui Infans eſt inter Regenitos, ſpiritualia opera Viri perfecti non faciat. At peccato illi vertitur, quod diligentiam atque *officia* illa non adhibuerit, quibus Vir perfectus potuiſſet fieri. Ni intempeſtivum foret, rei huic plura addi poſſent.

Ratio itaque quare putari poſſet, quartum præceptum morale eſſe, nempe: quod ante *lapſum* traditum ſit, nullius momenti eſt. Non enim omnia præcepta, ante lapſum data, moralibus præceptis accenſeri poſſunt: vel dicendum foret, mandatum non edendi ab Arbore boni ac mali etiam morale juſſum eſſe. Quod tamen omnes Theologi negant. *Omnibus obedire, quæ Deus imperat, morale eſt: ſed non ideo materia illorum præceptorum, quæ obedientiam exigunt, moralis eſt. Deum colere, Ipſique parere, moralis virtus eſt: rationalis religio: opus conſcientiam purgans, noſque perfectio-

res reddens? imo juſtitia eſt in qua partim regnum Dei conſiſtit: ſed abſurdum eſt, inde velle concludere, materiam iſtius præcepti, v. gr. mandantis certo determinato tempore ac loco; ac certo externo corporis ſtatu aut inceſſu, qui natu raliter nullum *decus*, aut *dedecus* deſignant, Deum colere, moralem eſſe. Non etiam ſpiritualis uſus cæremonialis aut naturalis rei, præceptum, quod cæremonialem, aut naturalem illam rem præcipit, morale reddit. Mandatum jejunii ac quietis à labore noſtro, ut eo melius Deo ſerviamus, mandatum id non morale efficit: licet ad eum finem detur, qui moralis ſit: ſcopuſque legiſlatoris eo tendat; qui eſt, *Deum reverenter ardenterque colere*. Si verum id foret, vix ulla lex in V. T. Judæis tradita foret, quæ *moralis* eſſet. Quinimmo Chriſtianus Magiſtratus tum ſemper morales leges ferret, quum per eas obſervationem religionis juſtitiæque inter cives ſpectet. Ac tamen audacter affirmant, atque vociferantur, quaſi juſtitia cauſæ extra controverſiam ab ipſis ſtaret, quartum præceptum, quietem à quotidiano labore imperans, ut majori attentione, minorique animi anxietate Deo ſerviamus, morale eſſe: quod quies illa ſcilicet ad ſpiritualem finem deſtinetur. Divinum Cultum, ac ædificationem fidei & conſcientiæ ſuæ ita curare, ut, quo id efficacius fiat, à cibo quotidianiſque occupationibus abſtineamus; *moralis* virtus eſt: non vero jejunium aut quies; licet ad ejuſmodi ſpiritualem ac moralem finem tendat: non magis, quam lectio auſcultatioque Verbi Divini religio eſt. Per zelum Cultus Divini ea media advocare, quæ inſerviunt ad proficiendum in cognitione veritatis: veluti ſunt lectio, atque auditio Verbi Divini, virtus eſt moralis. Sic etiam moralis virtus eſt, pias cogitationes inter legendas ac audiendas S. Literas in ſe excitare. Verum non propterea moralis virtus eſt S. Codicem legere vel audire; tunc enim moralis nec non naturalis lex eſſe deberet, ut templum foret frequentandum ad ſalutem ſuam procurandam. Quis unquam illud audivit? Omnes certe Theologi aſſentiuntur, prædicationem Verbi Divini, adminiſtrationem Sacramentorum, formamque Regiminis eccleſiaſtici ſub N. T. partes eſſe inſtitutæ, non autem naturalis religionis. Præterea quod tunc etiam lectio & auditio Verbi Divini virtus eſſet, licet zelo atque animi attentione careremus: quemadmodum pars moralitatis eſt & manet, verenda tegere, etiamſi impudicum circumferas animum, & talia opera operata moralitatem complectuntur. Aſt ut pergamus.

Etiam à ſapientia Dei non alienum eſt, per ſpeciales inſtitutiones obedientiæ hominum periculum facere: res tamen, cujus periculum fit, non eſt moralis. Atque optarem equidem rationem audire, qua nitatur, Adverſarios præceptum Sabbathi pro morali habere: mandatum autem non veſcendi ab Arbore ſcientiæ boni vel mali pro *poſitiva* tantum *lege*, illius temporis diſpenſationi accommodata; ac ſolo Dei beneplacito nitenti. An hæc eſt cauſa, quia præcepto ſanctificandi Sabbathi ratio additur, quæ generalis ſit: æque apud Judæos, ac apud Ethnicos locum habens? Nempe Deum *ſex diebus cœlum terramque creaſſe; ſeptimo autem die quieviſſe?* Sed primo: generalis iſta ratio non exprimit naturalem æquitatem; ita ut eapropter juris naturalis eſſe deberet, ſeptimum diem celebrare: verum generalis ea ratio conveniens aliquid ſolummodo indicaret, quare deceret ſeptimum diem ſanctificare; nempe, cum ad Deum ſingulariter colendum, ſalutemque noſtram operandum: tum ad memoriæ hominum infigendum, itaque poſteris creationem mundi tradendum. Verum maxime abſurdum eſt, ea moralia, ac præcepta legis naturalis appellare, quæ aliquid conveniens continent. Ac tum omnia juſta ſtatuta municipalia præceptis

legis

legis naturalis erunt annumeranda: quod omnia aliquid conveniens pro fundamento habeant; aptum ad exequendum illud, quod vulgo officium eſt hominum. Quia naturalis æquitas mandat, ut curemus, ne cui ſuum auferatur: ideo Magiſtratus leges condit de Contractibus & Teſtamentis conſcribendis. Aſt abſurdum eſt inde concludere, iſtas conſtitutiones idcirco naturalia præcepta eſſe, partemque legis moralis.

Deinde: ſi omnes iſtæ leges inter morales leges referendæ ſint, quibus ejuſmodi generalis ratio, quæ apud omnes gentes reperitur, ſubjuncta eſt: ergo etiam moralis legis pars eſt, quod in Republica Iſraëlitica filius natu maximus duplicem bonorum parentum portionem haberet: generalis enim ratio ei adjungitur, quæ apud omnes nationes valet, *quod ille ſit initium roboris ſui patris*, *Exod.* 21: 17. Ergo morale eſt præceptum, quo Iſraëlitæ abſtinent ab eſu cujuſcunque animalis reptilis. Ratio enim illius præcepti datur: *Ego enim ſum Dominus Deus veſter: ideo ſanctificabitis vos, & ſancti eritis; quod Ego ſanctus ſim*, *Levit.* 11: 44. Conſule etiam *Deut.* 14: 1. *Exod.* 22: 3. at ſanctitas Dei omnibus in veneratione eſſe debet, an ergo ejus veneratio obſervatione prædictarum legum teſtanda. Imo dici poſſet omnes civiles Judæorum leges, quibus additur ratio, quæ monſtret legem ferri, ut ea æquitatem aliquam faciamus, mandata fuiſſe legis naturæ. Naturalis æquitas docet, ut is, qui alterius opera utitur, ipſi etiam mercedem perſolvere debeat. Atque illud etiam locum habet reſpectu iſtorum, qui in ſpiritualibus laborant, 1 *Cor.* 9. Ad ejus æquitatis præſtationem Deus in V. T. Decimas inſtituerat, in Levitarum alimentum. Sed non ideo recte poſſet concludi, præcepta circa decimas legis naturalis partem eſſe. Si dicant, quartum præceptum morale eſſe, quod inter moralia præcepta collocetur; nec hoc argumentum procedit; quod illud ſæpius in S. Pagina fiat. *Eſai.* 2: 7. *Levit* 20. *Ezech.* 22: 10. *Levit.* 19. 13. 26.

Sed rurſus è diverticulo in viam revertimur, & pergimus in expedienda difficultate, quæ ſeſe offert in præceptis Divinis verbis generalibus propoſitis; & quæ in Sacra Scriptura nullam exceptionem aut limitationem habent, & à quorum obſervatione ſeſe homo tamen abſolvit propter rationes & notiones quaſdam moralitatis hominis menti innatas: quibus introſpiciens atque contemplans Dei naturam, judicat tamen obſervantiam iſtorum præceptorum non ſemper eſſe neceſſariam.

CAP. IX.

Continuatio enumerationis regularum ſcitu neceſſariarum ad judicandum quando generale preceptum exceptionem patiatur; earumque regularum applicatio ad quæſtionem de Sabbatho.

QUare etiam *quarto* conſiderandum eſt, articulum eſſe naturalis cultus Divini, credere, Deum eſſe miſericordem, benevolum, hominesque amans Numen: quodque rationali religione coli deſiderat, *Job.* 4: & *Rom.* 12. Quare vult, ut de præceptis Ipſius, ac de obedientia ipſis debita, judicemus, prout naturalis æquitas, qua duo memorata capita naturalis Divini cultus nituntur, docet: id eſt, Deum non delectari obedientia alicujus præcepti, quod non naturalem quandam æquitatem complectitur; cum eadem obedientia cum hominis incommodo conjuncta eſt: nec Deus omiſſione illius obedientiæ contumelia afficiatur. Hæc enim duo pari paſſu incedere debent, nec ab invicem ſeparari. Ac hiſce dictum Dei Chriſtique nititur, *Miſericordiam volo, non victimas.* Ac ex conſidera-

ſideratione naturalis iſtius religionis colligebat David, nec ſibi, nec comitibus ſuis in neceſſitate conſtitutis illicitum eſſe panes Propoſitionis comedere. Primo noverat, non *per ſe* malum eſſe, vel legi naturali repugnare, panibus Propoſitionis veſci. Deinde, ex circumſtantiis mandati animadvertebat, Deum non *in omni caſu* abſolutam obedientiam ejus exigere: quia circumſtantiæ præcepti ejuſmodi erant, ut in neceſſitate conſtitutus, negligentia iſtius præcepti, Deus non afficeretur dedecore, nec præceptum ejus parvi penderetur: imo nos tali caſu nimia illius legis obſervantia in ſuperſtitionem prolapſuros, ac exiſtimaturos, vel Deum irrationali religione capi: vel ſine ratione, contra proprietatem amoris Divini, hominum jactura incommodoque delectari: quaſi hoc *per ſe Deo placeret*, ut ſoli ſacerdotes panes Propoſitionis ederent; nec ullus alius eos in cibum verteret: licet illis vitam conſervare poſſet. Ac quaſi Deus non multo magis pro rationali ac clementi Numine vellet haberi. Quod, quemadmodum carnalis illa religio per ſe Ipſi indifferens erat, etiam ſine ratione homines vellet moleſtia afficere; Seque in præceptis ſuis, ac in exigenda eis obedientia, juſto ſeveriorem præberet; & vellet ut voluntas ſtaret pro ratione. Velut rex ſe talem exhiberet, qui, mandans alicui ut certa hora, quæ ipſi inter multas alias indifferens eſt, ipſum conveniret; illum crudeliter puniret, quod in avertenda injuria aliqua, aut amoliendo magno damno detentus, conſtituta hora non affuiſſet: quum tamen ſubjectus ejuſmodi occaſione regem ſua inobedientia nulla injuria afficeret: verum rationabiliter laudabiliterque de rege ſuo ſentiret. Primo, quod non abſque ullo judicio propoſito ſuo inhæreret, vel ſuperſtitioſus eſſet; qui unam horam per ſe aptiorem arbitraretur altera ad colloquendum cum famulo ſuo. Deinde, ipſum rationalem ac commodum; non vero ſævum aut tyrannicum eſſe: in omnibus, ſine neceſſitate, aut ratione; ſine reſpectu jacturæ & incommodi, quæ civis inde pati poſſet; ſine exceptione ullorum caſuum operum neceſſitatis, aut miſericordiæ, præciſe obedientiam requirentem, in rebus adiaphoris; quæ nec proſint, nec obſint, extra impletionem ſtulti ſui placiti.

Huic ergo naturali rationi David judicium ſuum ſuperſtruebat, ſibi licere, in neceſſitate conſtituto, panes Propoſitionis comedere. Illud eſt prima ſua libertate ac jure uti; quum *lex naturalis* ipſi permitteret omnia guſtare; & illud Dei præceptum circa rem eam cum additamento iſto intelligendum eſſe, de quo jam diſputavimus. Ex quibus omnibus iterum clare patet, neque celebrationem Sabbathi Judaici; neque diei Solis ſanctificationem moralem, partemque legis naturalis eſſe. Ita enim ob nullam rationem obedientiâ illius mandati negligi poterat, non magis, quam ullum præceptum juris naturalis: quemadmodum ſuperius latiſſime probatum eſt. Imo hoc aſſeverare directe eſt contravenire dicto Chriſti, *Joh.* 4. *Deus eſt Spiritus: & in ſpiritu ac veritate vult adorari.* Ac contra ea, quæ Paulus dicit *Rom.* 14. *Regnum Dei non eſt eſca & potus: ſed juſtitia, & pax, & gaudium per Spiritum S.* Et contra *Hebr.* 9. ubi docetur cæremonias inſtitutionesque V. T. oppoſitas legibus moralibus, neminem poſſe ſanctificare ſecundum conſcientiam.

Atque ex hac regula dimetiendum eſt, quodnam præceptum morale ſit, ac quid ad conſtitutionem & prima mundi principia, rationali religioni oppoſita, *Rom.* 12: 1. referri debeat. Quis dicet, ſtatum humanæ naturæ requirere reſpectu virtutis, quod ſeptima hora potius quam octava, vel ſingulis horis ſeptimis vel octavis ad preces ſe conferre debeat? Quis idem dicere quit reſpectu certi cibi aut potus? Quis mactandarum victimarum reſpectu, aut certi generis beſtiarum? Quis dicere poteſt, Deo quandam ineſſe proprietatem,

tem, quæ exigat, ut Ipſum illo modo colamus: Deumque eo acquirere, quod attributa Ejus à nobis, tanquam rationalem Cultum Divinum, ſpiritualique Ipſius & rationali naturæ accommodatum (quod in textu *Iob*. 4. unum idemque eſt) poſtulant. Quivis facile videt, reſpectu rationalis hominis naturæ non deſiderari, ut is, qui nos colere expetit; vel noſtrum nobis reddere; vel ad obſequium noſtri accommodare ſe; illud certa hora, locoque faciat; vel certi cibi abſtinentia, velut re aliqua, quæ cum proprietatibus hominis conveniat; juxta quas moralia officia inter homines moderanda ſunt. Exempli cauſa Patrem Matremque, ac Magiſtratus honorare morale eſt mandatum: verum quis ratione prædirus dicturus eſt, præceptum injungens certis locis horiſque diei, certoque geſtu Parentes atque Magiſtratus colere, morale eſſe?

Sed pergimus ad inſtitutum, ac dicimus, naturalem Dei Cultum, ac rationem docere nos judicare, præcepta Divina, aliquam moralitatem non continentia quoad materiam, abſolutam obedientiam non poſtulare; quando illa cum inſigni incommodo conjuncta eſt: id eſt incommodo amiſſionis juris noſtri, bonorumque; nec Deus tali inobedientia illius præcepti ulla contumelia afficiatur. At hoc homini ex ſana ratione judicandum eſt. Atque idcirco magnitudo detrimenti, naturaque mandati expendi debent. Si ex præcepti circumſtantiis appareat, Deum abſolute velle, ut mos Sibi geratur: ita ut eo demonſtret, Se in infirmitate hominis nolle connivere; tum homini ſine ullo damni reſpectu obediendum eſt. Ac una præcipuarum circumſtantiarum ejuſmodi præceptorum eſt, ut præceptum, prout jacet, *directe*, ac *per ſe*, *non autem per accidens*, etiam amiſſionem commodi contineat: vel, ut clarius loquar, patientiam jacturæ jubeat: quoniam mandatum per ſe hoc ſecum fert. Verbi cauſa, Iſraëlitæ non poterant obedientiam inſtitutionis circumcidendi liberos ſuos negligere, quod dolorem afferret. Dolore enim iſto *per ſe*, non autem *per accidens* cum mandata re conjuncto, circumciſione nempe; nulla ratio, ex naturali religione deſumpta, dubium ipſis movere poterat, an ob dolorem iſtum obedientia iſtius mandati poſſet deſeri: non magis, quam dubitare poterant, an tandem in genere ejuſmodi præceptum eſſet: vel potius, an Deus ejuſmodi inſtitutionem, cum tali incommodo conjunctam, homini poſſet præſcribere. Atque hæc eſt ratio, quare Abrahamus non potuerit omittere obedientiam mandati mactationis ſui filii, ex contemplatione detrimenti, incommodi, &c. quæ exiſterent in immolando ac amittendo filio ſuo: quod præceptum in ſe mactationem atque amiſſionem nati ſui comprehenderet. Verum quum aliquod incommodum, quod per accidens ſequitur, ac per accidens præceptum comitatur, exoritur, quando obedientia exigitur: tum conſideratio ſuperius memoratarum regularum de naturali Cultu Divino locum habet. Deus mandat, ut circumciſio octavo fiat die. Sed hic novus incidit caſus, quod infans ægrotet; quod fugiendum; vel proficiſcendum ſit. Tum homini conſiderandum eſt, quouſque hoc incommodum per accidens mandatum illud comitetur: ac quanta illa jactura incommodumque ſit; ut ſuperſtitionem effugiamus, nec etiam mandatum Dei parvi pendamus. Ut ita in genere Chriſtiana prudentia hac in re modum ſervare debeat. Atque providendum eſt: primo, ut pars illa naturalis religionis inviolata conſervetur: nimirum, *Miſericordiam volo, non autem victimas*. Deinde, ne mandatum Dei parvi ducatur. Ac qui in eo maximam adhibet curam, is prudentiſſimus eſt.

Facile jam intelligi poteſt, fac quartum præceptum primario perpetuum eſſe: verum etiam continere quippiam, quod ſolos Judæos ſpectaret, quodque etiam præciſio-

ciſiorem ac ſtrictiorem obſervationem reſpiceret; ac quod ideo ad illud jugum referendum eſſet, quod neque majores noſtri, nec nos ferre potuimus, *Act.* 15. Ex prædictis inquam poſſe colligi, quid illud ſit, unde judicandum, aliquid ad jugum illud ſpectare. Omnia iſta mandata circa obſervationem Sabbathi, quæ inducunt ac proponunt Deum, per eadem præcepta obedientiam exigentem; quæ, niſi ejuſmodi expreſſa præcepta exiſterent, nihilominus omitti poſſent, juxta fundamentalem naturalis religionis regulam, *Miſericordiam volo, non autem victimas*: ejuſmodi mandata, ſi dentur, ad illud jugum pertinent; ac ad ſtatum Eccleſiæ etiamnum ſub Pædagogo exiſtentis. V. Gr. ſi præcepto illo Dei,ut Judæis domi ſuæ Sabbatho nullo modo liceret ignem accendere; ne quidem ad cibum apparandum: mandatum illud ſuſtinerem ſpectare Cultum Divinum V. T. propter rationes, quæ ex ſuperius narratis facile colligi poſſunt. Atque idcirco valde mihi abſurdum videtur, quod ad probationem, quartum præceptum (quatenus ſanctam quietem die ſeptimo comprehendit) perpetuum eſſe, ac etiamnum vim ſuam ſervare, allegent dictum illud Chriſti: *Orate, ne fuga veſtra incidat in diem Sabbathi.* Verum enim eſſe nequit, ut præceptum, ne Sabbatho ulterius, quam iter Sabbathi, procedere liceret, quantacunque etiam neceſſitas exiſteret, quæ nos longius proficiſci conſtringeret: quemadmodum hic in textu de periculo mortis ſermo fit; adhuc ſub N. T. locum inveniret; ac ita faceret ad confirmationem, quartum nempe præceptum ſub N. T. vigorem ſuum retinere. Sed in citato textu Chriſtus errorem Judæorum reſpicit, non ſolum adhuc celebrationi Sabbathi adhærentium: verum etiam per ſuperſtitionem præceptum illud de ſanctificando ſabbatho non explicantium juxta memoratam æquam regulam de religione naturali. Quemadmodum etiam temporibus Macchabæorum nonnulli ſanctificationem Sabbathi ſtricte nimis intelligentes; ac præ timore contemptus mandati, obliviſcentes Deum miſericordem eſſe; & miſericordiam, non autem victimas poſtulare; ab hoſtibus aggreſſi defendere ſe non audebant. Verum alii metui illi ratione carenti non nimium tribuentes; ſuamque religionem per regulam Chriſti, miſericordiam, non hoſtias exigentis; regentes, putabant, in ejuſmodi neceſſitate celebrationem Sabbathi poſſe negligi: atque ſe contra aggreſſores tutabantur. Credo talem ſuperſtitionem, ac pavorem ratione deſtitutum, verumtamen à tenera conſcientia ortum, & cum timore Numinis implicatum, non magnum peccatum temporibus illis ſervitutis fuiſſe, Deumque illo facto minus offenſum fuiſſe, quam temeraria profanatione ejus diei. Atque exiſtimo Chriſtum Phariſæos nec non & Scribas propter ſuperſtitionem eam tam acriter exagitantem, non tam reſpexiſſe errorem; quam magnam ipſorum invidiam ac hypocriſin, in exigui momenti rebus circa ſanctificationem ſabbathi ſcrupulum moventium: maximi autem ponderis res, quæ charitatem & miſericordiam reſpicerent, negligentium. Verum licet hæc ita ſint, non ideo recte conficitur quod illi, qui per immoderatum timorem; in quo tamen metus Numinis ſe prodere videtur, contemptuſque proprii commodi atque emolumenti; exactiorem debita, atque ita ſuperſtitioſam Sabbathi obſervationem urgent; pluris ſint faciendi, quam qui præceptum illud cum ea æquitate exponunt, miſericordiam volo, non ſacrificium: & qui ita in praxi præceptum videntur minoris; fugam autem jacturæ atque incommodi pluris ducere. Præterquam enim quod ſuperſtitio illa ſæpius multum Phariſaïſmi contineat: ac quoſdam concionatores magis deceret quartum præceptum paulo laxius explicare: ſuæque vindictæ, invidiæ, ira-

iracundiæ, atque maledicæ linguæ in cathedra propter diſcrepantiam opinionum ſuper hac quæſtione, ejuſmodi diebus paulo minus indulgere: præterquam quod etiam apud omnes Chriſtianos non ſpecies honeſti, ſed ipſa veræ honeſtatis ratio in conſiderationem *venire debeat*.

Ac fruſtra vociterantur, minus periculi ſubimus, ne offendamus in ſtricta nimis, quam in nimis laxa Sabbathi obſervatione. Tutiſſimum itaque inquiunt, eligamus: & ita miſellam plebem innumerabilibus conſcientiæ ſcrupulis irretiunt; quod aliter evenire non poteſt, quando non ratio, ſed metus actiones noſtras moderatur. At contra ſi exiſtimemus nos rationem habere credendi, Deum ſtrictam adeo obſervationem à nobis non exigere: quod per ſe non ſit morale bonum: nec Deus per omiſſionem ejuſmodi ſuperſtitioſæ obſervationis pejus colatur: nullum amplius reſtat periculum. Ad hæc urgendo tantopere ſtrictam Sabbathi obſervationem in Rebuſpublicis Chriſtianis non raro charitatis officia, quæ proximo debemus, intermittere tenentur; privantque proximum officiis quibus difficulter caret. An etiam extra controverſiam eſt, minus periculi eſſe in nimis ſtricta, quam in laxa nimis ſabbathi obſervatione? Si nihil omnino die Solis vendas, proximo ſæpenumero incommodum creætur; nec tribuitur ei, quod ipſi tum temporis maxime neceſſarium erat. Nolle die illo officio ſuo vacare, facit, ut proximus ſæpe fruſtra venerit magna ſua jactura; quoque occaſio ipſi eripitur, quæ non facile denuo occurrit. Præterea ſuperſtitioſa, vel ſtricta nimis Sabbathi obſervatione (quod unum idemque eſt) Deum *irrationale ac crudele* Numen efficimus, quod miſericordiæ, charitatis & clementiæ, ac benignitatis regulis in mundi adminiſtratione non utitur; quarum virtutum tamen tantum voluit extare commendationem in Scriptura. Ut ſilentio prætercam, quod periculum ſit, ne ſpiritualem Cultum Divinum N. T. in Carnalem mutemus; ac male de Dei miſericordia ſentiamus, quæ nos docet: *beneficentia delector, non autem ſacrificiis.* Ac cui Deus talia Spiritus dona tribuit, ut præcedentem regulam obſervans, nec opera charitatis miſericordiæque negligens; atque etiam illa opera, quæ neceſſitas à nobis requirit præſtans, inſuper toto die Sabbathi operibus pietatis poſſit eſſe intentus, rectiſſime facit. Ac cujuſvis Chriſtiani officium eſt, ut, quemadmodum ſemper perfectiſſima affectare tenetur, *Phil.* 4. omnem etiam occaſionem obſervet & aucupetur; atque ad id quaſi perpetuò animo ſit attento, ut collata ſibi à Deo dona maximo cum fœnore & lucro expendat: ſic etiam ſe die Sabbathi ſive Solis gerat, ut in rebus Divinis occupatus ſit. At hinc non ſequitur, etiam omnes eos, quibus Deus non tantam Spiritus menſuram concedit, ut ad ſummum perveniant, tamen in ſummo occupari debere: licet Spiritus menſura & gradus ad hoc nobis deſit. Tunc enim talis religio iterum carnalis ſit, ac juſtificatio carnis, *Hebr.* 9. jubens opera ſine ſpiritu: quaſi Deus adhuc ſub N. T. *opus operatum* pro parte religionis inſtituiſſet. Et licet tale externum opus, *opus operatum*, à ſpirituali ſanctaque internâ animi conſtitutione ſeparatum, Deo diſpliceret: erat tamen manebatque *pars* carnalis illius Divini Cultus, qui ſub V. T. vigere debebat. Sed hoc cum natura N. T. pugnat.

Rem exemplo illuſtrabo. Apoſtolus 1 *Tim.* 3: 1. inquit; *Si quis Epiſcopatum deſiderat, præclarum opus deſiderat.* Sic ait 1 *Cor.* 14: 1. *Sectamini charitatem; affectate ſpiritualia; maxime tamen ut prophetetis.* Ac porro (juxta dictum textum *Philipp.* 4.) cujuſvis Chriſtiani officium eſt, conari dona ſua excolere; & conari ad culmen ea evehere, & ideo ad ſummum & maxime præclarum anniti: & quia concionandi munus reliquis omnibus, quibus homines funguntur, præcel-

lit, ideo cujuſvis viri Chriſtiani officium eſt, omnes animi commotiones inſtinctuſque, qui hominem ad illud munus impellunt, fovere, augere, & omnibus modis laborare, quo Deo in re ſanctiſſima ſervire poſſit. Verum quando non donatus eſt ea Spiritus Divini gratia, ad ejuſmodi functionem idonea, non putandum eſt, nihilominus officium hujuſmodi eſſe, academiam frequentare, ſtudiis vacare, diſputare; quinimo conciones habere; omniaque officia perſequi, quibus illi defunguntur, qui ad concionandi munus aſpirantes; & ad illud idonea dona poſſidentes, ſe in illius præclari muneris tyrociniis exercent. Sic mandat etiam Deus, ut ſemper oremus: id eſt, ut omnibus rationibus animum eo in ſtatu ſervemus, ut omni occaſione apti ſimus, intentumque habeamus ad Deum orandum. Sed non ideo Deus imperat, ut ſemper Ipſum precemur, licet animus non adſit; nec ſpiritus ad illud ſit paratus. Tunc enim mandatum illud carnalem Dei Cultum præſcriberet: & verba precationis etiam ſine ſpiritu prolata partem Religionis facerent. Sic etiam quanquam Deus mandaret, ut homo integrum diem Solis vel diem Dominicum operibus pietatis vacaret: tamen præceptum hoc cum hac limitatione capiendum eſt; nempe, prout Deus cuivis menſuram ſpiritus & fidei dedit. Vel dicendum eſſet, Deum etiam imperare, ac velut pro religionis parte habere, orare, Verbum Ejus legere, atque auſcultare; licet neque animus, nec attentio adſit. Ita ut ex his conſtet, præceptum de Sabbatho Judæis datum, obtinere ſub N. T. non poſſe; niſi ſtatuas etiam actiones externas indifferentes, nullamque moralitatem in ſe complectentes, partem cultus facere ſub N. T.

Verum hiſce Profeſſor quidam reſpondet: ſi obedientia præceptorum Dei juxta menſuram noſtrarum virium aut Spiritus Divini metienda ſit, tum ſuper omnibus Dei præceptis licere ita ratiocinari; ac nos ita obedientiæ eximere; allegando, nos menſura ſpiritus carere ad præceptorum executionem: atque idcirco æquiorem laxioremque explicationem illi eſſe accommodandam. Sed an Profeſſor ille, qui ita in prima acie ad prælium ſe offert, nec provocatus adverſarium ſe conſtituit; atque ita directe alterius Tractatus refutationem ſuſcipit, non novit diſtinguere inter præcepta mandantia, aut prohibentia, quod abſolute bonum vel malum eſt: veluti ſunt *Non furaberis*: *Diliges proximum, ficut teipſum*: *Diligenter propriam ſalutem, nullas vias eo facientes negligendo, in timore ac tremore operaberis*: & inter illa juſſa, quæ in gradibus perfectionis conſiſtunt: atque ubi juxta inferiorem perfectionis gradum operari non malum, verum minus bonum eſt: & contra quæ præcepta peccatur, non quod juxta ſummum perfectionis gradum non operemur: ſed quod mediis & occaſionibus ad ſublimiorem gradum ducentibus non recte uſi ſimus; atque ita *talentum* non expenſum & in uſum relatum. Ac leges ejus generis Pontificii Doctores per errorem *conſilia* vocant: quaſi nemini *mandatum eſſet* omnem adhibere operam, ut ad ſummum ſanctificationis gradum perveniat. Aliud eſt, cum dicitur, Deum jubere, aut ſuadere, ut omnes nos velut oculum, aut caput corporis geramus; licet menſura ſpiritus ad hoc nobis deſit. Illud enim neque *mandat*, nec *ſuadet* Deus. Aliud eſt, ne dotes ac media ſervientia, ut poſſimus oculi corporis fieri, in terra abſcondamus: illud Deus non *ſuadet* modo, ſed & *præcipit*. Qui hoc *diſcrimen* non intelligit, non poteſt effugere, quin in infinitas abſurditates ſe induat. Mercenarius, qui totum diem laboravit; & in vitæ ſanctitate eo uſque profecit, ut animus ejus paratus ſit, ut tum inſuper horam unam vel alteram ſpiritualibus poſſit occupari; melius facit, quam ille, qui ea ſpiritus menſura carens, tempus iſtud in honeſta corporis recreatione tranſigit:

ve-

verum poſterior non peccat, quod delectatione ea fruatur; verum quod tempus, & occaſionem, ut ad ejuſmodi reſipiſcentiæ gradum perveniret, neglexerit: ac fortaſſe in hac ſua animi relaxatione adhuc occaſionem aliquam omittit. Sed non peccat, quod uno talento non tantum lucretur, quam alius ſex. Vel quod tantum Digitus ſpiritualis Corporis exiſtens, ſe non inſtar Oculi, aut manus gerat; & digna iſtis corporis partibus officia corpori præſtet. Sed non propterea prior etiam opera ſupererogatoria, & gratis atque ſponte præſtita facit; quod poſterior illis omittendis non formaliter in eo peccet. Qui enim ſex habet talenta, in negotiando ſe gerere debet ac is, qui ſex talentis inſtructus eſt. Similiter etiam in quæſtione de ſanctificatione Sabbathi abſurdum eſt rogare: an non illi melius faciant, qui integrum illum diem in operibus pietatis, charitatis & miſericordiæ conſumunt; quam iſti, qui partem ejus diei in honeſta animi & corporis recreatione impendunt: ac porro quærunt, an non nos omnes ad illum perfectionis gradum perveniſſe oportuit? Ac ſi illud affirmes: tum inde concludunt, iſtos, qui diem eum ita non tranſeunt, peccare: præceptumque Numinis de ſanctificando Sabbatho talem perfectionem requirere; licet ſpiritus nobis deſit ad implendum hujuſmodi mandatum. Si ſecus foret, inquiunt, ſemper obedientiam mandatorum Dei excutere poſſemus, ſub prætextu, nihil ſupra vires noſtras eſſe aggrediendum. Adhæc tali modo argumentantur. Non facere juxta mandatum Dei, peccatum eſt. Deus mandat, ut quam perfectiſſime Sancti ſimus, dicens; eſtote Sancti: ſicut Ego Sanctus ſum: ſed pars perfectæ iſtius ſanctitatis in eo conſiſtit, ut Diem Dominicum tam ſancte transfigamus: ergo hoc non facere, peccatum eſt: licet menſura ſpiritus careamus, quæ ad illud deſideratur. Hoc argumentandi modo ſe ſententiam irrefutabiliter defendere arbitrantur. Verum ſi argumentum hoc procedat; ſequitur inde, illos, qui à nobis diſſentiunt, concedere, *licere quidem Die Dominico peccare.* Nam, ex ipſorum ſententia, peccatum eſt juxta ſupremum reſipiſcentiæ ac ſpiritualis ſtatus gradum non operari; atque una recreare ſe Die Dominico in rebus non ſpiritualibus: etiam eſt, (ſecundum illorum opinionem) minorem ſanctitatem exercere; ac non in ſumma ſanctitate verſari: ac ſi nihilominus concedatur, hoc die Solis licitum eſſe: ergo conceditur, licere Die Dominico peccare.

His ita poſitis, etiam argumenta eorum corruunt, quibus perpetuo in ore eſt, quum cœtum fidelium ad arctiorem obſervationem mandatorum Divinorum adhortantur; *elige quod maxime vos à periculo peccandi ſecuros præſtet.* Si conſulantur, an hoc, vel illud Die Dominico facere liceat, abſtine potius, reſpondent, ab opere controverſo, ambiguique juris, & itaelige, quod *nullum injiciat animo ſcrupulum.* Et ita præ ſe ferentes ſibi exactiſſimam præceptorum Dei obſervationem cordi eſſe, populi applauſum & æſtimationem ſibi conciliant: atque ita collegæ ipſorum, qui cum plena animi perſuaſione profitentur, quid liceat necne, homineſque conſcientiæ ſcrupulis liberant; nec peccandi anxietate eos in hoc impellunt, ut abſtinentia multorum licitorum vitam ſibi acerbam reddant, ſuſpecti fiunt, ut homines, qui laxioris ſint conſcientiæ, & qui levia peccata non ducunt religioni; & parum exacti conſcientiarum moderatores. Hoc pacto indocti, ſuperſtitioſique vel hypocritæ honorem ſingularis pietatis aſſequuntur. Et contra, *ſenſus habere exercitatos ad diſcretionem boni ac mali, Hebr.* 5: 14. & idoneum eſſe ad judicandum cum certitudine de Chriſtianorum libertate, & præciſe definire quid per eam Chriſtiano fas aut nefas ſit, id docto pioque viro fraudi eſt. Ut quis, qui dubitat, eligat id, de quo non dubitat, hoc con-

ſentaneum eſt. Verum ratione caret, quia alius dubitat, vel quod de re aliqua dubitetur; mihi etiam ea de rè dubitandum eſſe, nec etiam apud me eſſe debere extra controverſiam; atque ita in infinitis rebus libertate mea mihi non utendum, ſi à cœtu fidelium, ac quibuſdam ignorantibus fratribus; qui malunt ſuperſtitioſi eſſe, quam diligentiam adhibere, ut accurate norint, quid verum atque licitum ſit; pro eo nolim haberi, qui conſcientiæ frænum nimis laxem. Dubito etiam, an hi doctores acquieſcerent illis in regenda conſcientia regulis, quas nunc ad cauſæ ſuæ defenſionem tantopere inculcant; atque num ſecundum eas vitæ ſuæ inſtitutum moderari vellent. Inter doctos pioſque diſputatur, an per Munus Prædicandi rem facere liceat; aut eam ſtabilire? An extra neceſſitatem ullam animi delectationem quærere liceat? An domi ſuæ, vel in amictu amplius quid habere liceat, quam neceſſitas honeſtaſque exigant? An non pauperibus erogare oporteat, quum reperiuntur, ſuperfluum noſtrorum bonorum, &c. Si in hiſce caſibus, de quibus inter probos ipſos diſputatur, inſiſtendum eſſet ad normam, quam adverſarii tradunt, nec ita ſatis tutum foret amplecti vitæ inſtitutum, quod ab iſtorum Chriſtianorum præceptis deflectat, qui Chriſtianorum vitam tam dura lege circumſcribunt; in vita multorum, qui reverentiam ſibi hiſce artibus apud cœtum fidelium crearunt, plurimum reformandum foret.

Ex omnibus his narratis liquet, unde ortum ſit, quod inter Judæos tot diſcrepantes opiniones fuerint de celebratione Sabbathi: quod hic rem aliquam crediderit eſſe licitam; per quam alius diem prophanari putaverit. Primo enim hujus ratio fuit: quod unus præceptum Sabbathi & quietis eo die, tanquam mandatum *ita ſtrictum* interpretaretur, quod cedere non deberet regulæ, *miſericordiam volo, & non ſacrificium*; veluti, v. gr. ejuſmodi præceptum Dei fuiſſe videtur, ut nemo, præter ſacerdotes ac Levitas Arcam Dei attingeret, quantacunque neceſſitas etiam incideret: quod Deus *Uſam* percuteret, qui Arcam Domini ſuſtinere volebat, quum caſum minaretur, 2 *Sam.* 6. Hujuſmodi lex etiam fuiſſe videtur, prohibitio, ne quid immundi comederent. Contra alii exiſtebant Judæi, qui præceptum Sabbathi cum mica ſalis interpretabantur; ut ei verba Chriſti poſſent accommodari: *miſericordiam volo, & non ſacrificium.* Altera ratio, quare Judæi de Sanctificatione Sabbathi non idem ſentirent, erat; quod alii opera charitatis & miſericordiæ aliquanto pluris æſtimarent: alii paulo ſtrictius obedientiam mandati exigerent. Tertio, quod nonnulli privationem alicujus commodi, ac averruncationem alicujus mali minoris ducerent aliis: atque eapropter conſcientiæ cauſa illa omittebant, quæ alii permiſſa arbitrabantur. Ac ſæpius caſus is evenire potuit, ut quod unus merito ſibi fas arbitretur, alter ab eo facto jure abſtinendum putaret. Non caret ratione, ut dives, qui ſingulis diebus honeſtam voluptatem, ad animum corpuſque ſuum reficiendum, percipere poteſt, putet ſe decere, ut die Dominico ab honeſta voluptate magis abſtineat, quam pauper mercenarius, cui integram hebdomadem laborandum eſt, ut victum familiæ ſuæ quærat. Quemadmodum rationi magis conſentaneum eſt; ut qui ex reditibus ſuis vivit, horam unam aut alteram quotidie lectioni S. Scripturæ impendat: quam ut opifex, poſtquam ab ortu ad occaſum ſolis probe laboraverit; tum inſuper bonam temporis partem lectioni rerum piarum impendat; honeſtamque ſuam voluptatem poſtponat. Operarius, qui animum ſuum excitatum, ac ſe ſpiritu impulſum ſentit; is illi motioni obſequi debet, ac ſe ad lectionem Verbi Divini conferre: & qui eo uſque in Religione atque pietate profecit, perfectior eſt eo, qui talem

lem pietatis gradum nondum conſecutus eſt. Et cujuſvis Chriſtiani officium eſt nullam occaſionem prætermittere qua ad ſummum contendat. Sed qui tali perfectione caret, licet ei poſt quotidianum ſuum laborem horam illam, qua qui annuo ſuo reditu, & in otio vivit, a licita voluptate abſtinet, in honeſta *recreatione* conſumere. Ut abſurdum ſit in celebratione diei Solis omnes eodem velle jure metiri: tum quod quilibet non eandem ſpiritus menſuram habeat: tum etiam, quod honeſta recreatio Die Dominico hunc magis, quam illum deceat. Et cum ratione ab otioſo divite amplius quid requiratur; quam à paupere operario. Quare quæſtio de ſanctificatione Sabbathi non ita proponenda eſt. An liceat quidem partem ejus diei honeſto otio tranſigere? An liceat quidem voluptatem recreationemque eo die ſumere? An quidem iſto die cibum potumque capere liceat; non tantum ad ſaturitatem, verum etiam ad hilaritatem. Si enim quæſtiones haſce ſimpliciter affirmes, vel neges; tum inde videtur ſequi, quaſi ſtatueres, omnia illa licita, vel illicita eſſe: quum tamen ex narratis pateat, ſæpius evenire, ut multis illa licita; aliis autem illicita ſint. Verum quæſtio ita proponenda eſt: cujus animus corpuſque die Solis recreationem deſiderat, an ei in honeſto otio & voluptate illam non liceat quærere? Cui Deus ſpiritum non tribuit, ut opus perfecti in Chriſto viri die Solis faciat, an non in eo acquieſcere debemus, ſi operam Pueri præſtet; illo cum propoſito conatuque, ut indies meliora meditetur. E diverſo, quæſtio ita proponi debet. An alicui quidem liceat die Dominica recreationem animi quærere; ac ſeponere ſpecialem zelum, qui eo die afferendus eſt, ut tum in religioſis operibus præcipue occupati ſimus? Arbitror quæſtione ita propoſita, in Theologorum reſponſione nullam differentiam repertum iri. Recreatio enim multorum peculiari zelo non repugnat, qui eo die adhibendus eſt, ut ſpiritualibus rebus vacent. Ex quibus liquet luce meridiana clarius eſſe, quartum præceptum ſub Euangelio vigorem legis habere non poſſe, niſi *opus operatum* partem cultus faciat, & quidem naturalis cultus: quod quam abſurdum ſit, ſupra oſtenſum eſt.

Quarto: quidam Sabbathum ſive ex errore, ſive ex pio propoſito, pro die propemodum prohibitionis habuerunt: cum tranſigere volentes in ſingulari ſui coram Deo humiliatione; ſe etiam omni commodo privantes, quo alioquin die Dominico legitime potuiſſent frui: eo modo, animoque, ſicuti multi pii Chriſtiani certos dies eligunt; ut præcipue ſe coram Deo humilient; abſtinentes illis oblectationibus imo commodis, quibus extra ejuſmodi ſingulare propoſitum frui potuiſſent. Ac nos arbitramur iſtos Chriſtianos prudentiſſime facere, qui per totam hebdomadem omnibus animi recreationibus abundantes, ſibi die Solis adimunt uſum earum rerum, quæ aliis iſto quidem die licitæ ſunt: ne ſpiritualis homo nimio commodo ac abundantia langueſcat. Verum valde etiam abſurdum foret ad illum modum pauperem operarium, cujus profeſti dies dimidiatum jejunium referunt, & per paupertatem tota hebdomade in ærumnis degunt, velle formare: atque ab eo hoc, vel ſimile exigere: quo vitæ ejus tantum tædium crearetur, ut Deus videretur acerba ac ſollicita hominis vita delectari. Et tam Magiſtratibus, quam privatis in præceptis ſuis propoſitoque de hoc, vel illo die ſanctificando, ſemper obſervandum eſt, ne ipſorum cives, aut ipſoſmet eo ejuſmodi incommodo afficiant, ut per hoc tædium doloremque arceſſant; *animique* vigorem extinguant; atque ita vitam, quæ donum Dei eſt, invidioſam ipſis reddant: circa ſanctificationem diei Solis non ejuſmodi communia præcepta cudentes, quibus pauperes *crucientur*; ac divitum *protervia* paulululum tantum inhibeatur:

beatur: aut hac in re conſilium quorundam imperitorum zelotarum ſequentes, qui cogitata ſua & ratione deſtitutam præciſitatem ac ſuperſtitionem de natura ſanctificationeque Sabbathi non tantum laïcis per doctrinam pro Verbo Dei conantur inſculpere: verum etiam Magiſtratibus vociferationibus ſuis graves ſunt, & ſua dogmata tanquam legem obtrudere ſtudent, ut regimen ſuum juxta eam dirigant; miſeramque plebem per mulctas ipſorum diſſentaneis & enormibus opinionibus morem gerere cogant. Ut profanatio diei Solis mandatis, doctrina & legibus prohibeatur; ac ſanctificatio jubeatur laude dignum eſt. Sed pios Magiſtratus non poſſe civibus ſuis hebdomadali labore exhauſtis & fractis permittere oblectamenta honeſta & ludos, id eſt quod negamus: & contra duram & acerbam illam ſententiam hujus Tractatus partem adornavimus, ut pro mea virili parte impedirem, ne ſtudia quorundam zelotarum civibus meis ſervitutem imponerent; cum viderem illorum animum ibi eſſe, ut à Magiſtratibus ea decreta extorquerent, quibus pauperes acerbe haberentur, divites autem & bene à re domeſtica conſtituti, iis nulla moleſtia afficerentur.

Quinimmo cum attentius totam hanc controverſiam mente introſpiciam, non exiſtimo illam diu tenere poſſe, ſi inter Doctores conveniret, quid proprie eſſet diem Sabbathi aut Solis *ſanctificare*. An ullus quidem reperitur Theologus, qui ſtatuat aliquem, qui ea tantum menſura ſpiritus donatus eſt, ut per ſemihoram duntaxat cum attentione precibus vacare poſſit; tamen per integram horam vel alteram orare debere: verborum copiam ſine ſpiritu & anima effundentem? Non puto. Quamvis omnes doceant, cunctis annitendum, nec ullam occaſionem negligendam eſſe, ut perveniant ad ſummam. Sic etiam nullus Theologorum credit, diuturnam orationem ſine animi attentione *cultus* partem eſſe: illumque horam vel alteram diei Dominicæ ſanctificaſſe, qui eas ejuſmodi precibus impendit. Vel an in precibus *ita perſeverare* via eſſet ad ſublimiorem menſuram ſpiritus adipiſcendum: cum ſit tantum precum murmur ſine animi intentione. Novi cunctos negaturos. Finge jam, ſpiritum aliquem deficere, ut plerumque integrum diem Solis veris, ſanctis, ac religioſis occupationibus tranſigat; quæ cum attentione atque ſpiritus commotione concurrere debent: an quis diem eum *ſanctificaret*, aut Cultum ſuum Divinum faceret, qui in ejuſmodi operibus, animo ac ſpiritu vacuis, perſeveraret? *Negabitur.* Quæritur ergo, quid illi, qui ejuſmodi ſpiritus menſura caret, porro die Dominico faciendum ſit. Dico, tali primo animo ſuo ſingulariter illo die velut *excubandum* eſſe, ad omnem occaſionem, ſervientem ad zelum ſuum excitandum; ac omnem ſanctam animi ſui commotionem probe captandam, ut peculiariter eam promoveat; num forte Deus ipſum inſpiraret, & ſpiritum ejus ad orationem impelleret. Deinde, ut poſtea ſe ad ejuſmodi res adiaphoras conferat, quæ non ſunt aptæ animum noſtrum à ſanctis illis excubiis avertere: atque illud cum ejuſmodi reſtrictione ac *retentione* animi, ut honeſto hujuſmodi otio quaſi inviti nos dedere videamur. Chriſtianus, in tali ſtatu conſtitutus, per ejuſmodi honeſtam voluptatem, eo modo perceptam, Sabbathum non profanat: nec etiam ſanctificat. Et qui ſingulis diebus Solis ita ſe gerit, ei indies major Divini Spiritus menſura exſpectanda eſt; ac per gratiam Numinis perfectus Vir in Chriſto poteſt evadere: ut non ſolum omnes Sabbathi horas, verum etiam omnium reliquarum in religioſis operibus tranſigat: quoties neceſſitas atque opera miſericordiæ tam erga ſemetipſum, quam erga proximum illa non remorentur. Cenſeo illi, qui controverſiam eo modo conſiderat; ac cauſam ita diſcutit, nullam difficultatem oborturam, quo minus noſtræ ſententiæ ſubſcribat.

Ut

Ut itaque de communi regula concludamus, de qua hactenus tam late diſputatum eſt: per *neceſſitatem* ergo illud intelligimus, quo jus acquirimus obedientiam cujuſdam mandati poſtponendi *omne periculum* carendi eo, quod jam poſſidemus. Carendi inquam eo, quod jam poſſidemus: non *periculum* carendi majori emolumento vel commodo. Quid per hoc intelligam, poſtea clarius patebit. Ac jure ſuo *ûti*, nihil aliud eſt, quam ad propulſationem illius *jacturæ*, uti; ac, ut ita dicam, manus admovere iis rebus, quæ eo in uſum noſtrum deſtinatæ ſunt: & quarum propterea domini ſumus. Atque opera charitatis miſericordiæque, de quibus Chriſto ſermo eſt, cum dicit, *miſericordiam volo, non ſacrificium*, nihil aliud ſunt, quam officia, quæ proximo debemus, quum in *periculo* verſatur, non ſolum vitæ amittendæ, verum etiam cum verſatur in periculo jacturam rei domeſticæ faciendi. Nam charitatis ac miſericordiæ opera, *extra periculum* alicujus damni, nomine naturaque degenerant: & minime eapropter religioni ſacrificiiſque præponenda ſunt: atque ideo tali caſu locum non habent; licet proximo noſtro talibus adjumentis, ſed mandatum Dei poſtponendo, infinitum lucrum & quæſtum procurare poſſemus. Ac qui in *neceſſitate*, uti dictum, cum omiſſione Cultus Divini, proximo commodat, ea de cauſa etiam primo ipſi ſtatuendum proximum juvare: verumtamen emolumento ei annexo frui ipſi licet, ſi quod in proximo ſublevando illi oritur emolumentum. Hoc enim tum etiam quaſi *per accidens* ſequitur uſum ſui juris. Atque hæc dicta ſint ad refutationem eorum, qui docent, nobis ex labore, quem die Dominico impendimus, ad proximum in neceſſitate conſtitutum ſublevandum, nihil percipere licere. Quorum enim officium in proximo adjuvando verſatur ut detrimentum à proximo depellat; idque tali tempore, quo illicitum foret officium illud adimplere, extra conſtitutum caſum; is inde ſolummodo *emolumentum* quaſi *per accidens* percipit. Atque ideo mercenario licet, proximum die Solis juvando in propulſando detrimento; metendo, v. gr. proximi frumentum cœlo pluvio, mercedem ſui laboris recipere. Verum in id non licet ipſi incumbere, idque mente agitare, ut die Solis operetur, pretiumque mereatur: & tum priori ſtudio adjungere animum inſerviendi per charitatem proximo, illique in jactura avertenda opem præſtare. Hoc eſt præpoſtere agere; ac die Dominico *opus facere*: quod Deus vetat. Sicuti etiam eo referendum eſt: quum quis extra propulſationem damni, ac diſcriminis aliquam imminutionem fortunarum ſuarum faciendi, operam dat, ut ejuſmodi diebus pecuniam corradat.

Porro, per verba illa, quod *noſtrum eſt*: & per *defenſionem jacturæ*, non ſolum ejuſmodi res intelligimus, quæ ita noſtræ ſunt, ut illa in alium transferre poſſimus; verum etiam quarum per *favorem*, ac *humanitatem*, uſum; imo ſpem uſus habemus. Et periculum eatenus poſſeſſionem amittendi, in caſu ſubjecto *neceſſitas* nominatur: atque omnia tum ſe ita habent, quemadmodum in metu amittendi aliquid, quod noſtrum eſt. Mercenario non licet affectare, ut die Solis laboret: verum neceſſitate urgente, ut proximus, qui ejus opera uti conſueverat, operario egeat; atque ſi alius illi operæ inhiaret: mercenario iſti die Solis media quidem adhibere licet, quibus damnum illud præveniat. Tunc enim etiam in avertenda jactura verſatur. Hoc omni quæſtui, commercio, obtentui, &c. accommodari poteſt: quorum eatenus quis in poſſeſſione eſt, quatenus res poſſeſſionem patitur. Et ideo mercator diem Solis non profanat, qui emptori ſuo aſſiduo iſto die aliquid vendit, quando periculum eſt, ne in poſterum deſtituatur illo ordinario emptore. Quamvis officium ſit cujuſvis Chriſtiani proximum modeſte monere,

ne tandem ipſum eo die conveniat, ut quippiam mercetur, ſi neceſſitas non urgeat. Ac ex mera ignorantia oritur Doctorum, & cum charitate pugnat, docere nihil omnino die Dominico licere vendere. Sed ipſis docendum erat, peccatum eſſe, *ſtudere* die Solis vendere: vel non ſatis eſſe *ſollicitum*, ut die Saturni de iſtis tibi provideas, quæ die Dominico neceſſaria ſunt; nec ſine magna Cultus Divini turbatione eo die recte comparari poſſunt.

Quod autem per *neceſſitatem*, atque *opera charitatis & miſericordiæ* nihil aliud ſit intelligendum, quam quod hactenus docuimus; hinc patet, ut, quam exigua etiam ſit jactura, jus nobis ſit noſtrum defendere, poſtpoſitis religioſis operibus. Licet quidem ſuam potare pecudem die Sabbathi, etiam extra timorem, ne præ ſiti ſuffocetur. Diſcipulis licebat ſpicas vellere, eaſque manibus terere; tantum, ut incommodum inediæ effugerent. Ad detrimentum arcendum, quod nobis oriri poteſt, quod veſti macula ſit aſperſa, veſtes licet die Dominico à ſordibus repurgare: atque ita, ad tam parvam jacturam avertendam, aliud quid, quam opera religioſa facere. Ac Chriſtus multos ægrotos Sabbatho ſanavit; quamvis nulla urgeret *neceſſitas*, ne in poſterum diem vitam producerent; ac miraculum æque eo die, quam Sabbatho, potuiſſet fieri. Tamen condecens erat, ut opera charitatis illico, ac ſine ulla dilatione, & reſpectu Religionis, patrarentur: quia æger ſemper verſatur in ſtatu repellendi damnum, ac periculum jacturæ. Dolor enim, privatioque uſus corporis atque ingenii ſui; metus ne morbus aggraveſcat, vel ne poſterum tempus non melius ſit, ipſum in perpetua detrimenti repulſione collocant; atque in jure uſurpandi illud, quod ſuum eſt, ad avertendam jacturam. Ac quoniam jus habet ad proximi operam laboremque hoc caſu; licet ipſi ejus ope, etiam Cultu Divino poſthabito, uti. Et cuncti obligamur, quiſque pro virili, proximo noſtro operam navare in propulſando ab ipſo damno. Officia enim illa tum proximo propria ſunt; atque is (ut ita dicam) jus ad ea nactus eſt, tum vi præcepti Divini, tum vi taciti & innati fœderis; quibus homines obſtringuntur ad infinita officia ſibi mutuo præſtanda, quæ per ſpeciales contractus invicem non potuerunt ſtipulari. * Ergo patet nunc etiam ex præmiſſis, quare Chriſti argumentum recte procedat, majori niti ratione, ægrotum die Sabbathi ſanare, quam pecudem aliquam ex puteo extrahere. Si enim ſententia noſtra falſa foret, Judæi etiam reſpondere potuiſſent, ſanationem in poſterum quidem diem potuiſſe differri; nec jacturam illam, quod ſanatione eo die deſtitueretur, tantam eſſe; quam quidem periculum jacturæ pecudis, quæ in foveam ceciderat.

Qui juxta has rationes de operibus neceſſitatis ac charitatis non didicerunt ferre judicium, illi ſe in infinitos conſcientiæ ſcrupulos induunt in diei Dominicæ ſanctificatione; à quibus nunquam poterint liberari. Quod enim ad neceſſitatem attinet: quis affirmabit, neceſſarium eſſe, cibum coquere; lectum ſternere; veſtes induere: quum hæc ſine magno incommodo mane vel veſpera quidem fieri poſſint. Quæ neceſſitas, ut nauta die Solis, quamvis cœlo ventiſque vocantibus, iter inceptet; in cujus navi nihil aliud ſæpius eſt, quam merces mercatorum: & qui mercatores, ſolum ut lucrum faciant, volunt, ut diebus Solis atque profeſtis navigare properet. Quæ neceſſitas eſt, ut die Dominico ſupellectilem loco ſuo diſponamus: vel ea, quæ meridie, ſive veſperi commaculavimus, mundemus? Quæ neceſſitas capiendi pulicem, cum prævidemus, aliquantum temporis ei impenſum iri? Quæ neceſſitas cibandi pecudes die Solis? die Saturni duplex eis portio objici potuit. An omnibus hiſce major neceſſitas ineſt, quare licitum ſit illa die Dominico facere; quam inſi-

infinitis aliis; à quibus nonnulli, adhortantibus quibuſdam Paſtoribus, omnino abſoluteque abſtinent. Veluti ſunt (quocunque fiat caſu) emptio & venditio: ita ut ille metuat aliquid vendere, quam vile etiam ſit; hic autem emere, licet rei emptione commodius diem tranſigeret. Ita nonnulli reperiuntur, quibus religio eſſet obolum impendere ſinapi comparando, quo condimentum bonum reddant: licet amicus ipſis ſuperveniſſet. Aliis religio diebus Solis, juxta Placitum Rectorum, pro pauperibus eleëmoſynas colligere. Nam, ut ajunt, quamvis pium ſit, pauperibus ſervire: tamen præſtat immediate Divinis rebus vacare, quum nempe opus ad commodum egenorum die Lunæ apte æque fieri poſſit. Quidam recuſant pretium pro mercibus die Solis accipere. Alii illos, qui peregre adveniunt, de lite ſua inſtruere, ſeu de ea doceri. Reperiuntur etiam, qui egentibus illo die oleum, quod lampadi infundant, vendere recuſant. Quin etiam, ægri aliqui inveniuntur, qui magna cum religione à Medico inquirunt, an ſumma ſit neceſſitas, ut pharmacis, quæ ipſe iis præſcripſit, etiam die Solis uti debeant; quod tum ſcilicet minus idonei futuri ſunt, ut rebus ſpiritualibus operam dent. Quinimo haud ita pridem Verbi Divini Præco etiamnum ex cathedra docebat, Deum inter multas alias rationes Paci, Monaſterii factæ, non benedixiſſe, quod pacificatores diebus Dominicis etiam conveniſſent. Chriſtus ægrotum ſanabat die Sabbathi: hic autem Doctor negat Chriſtianiſmum à bello die Sabbathi eſſe curandum. Et quis non percipit ex allatis exemplis miſeram plebem ignorantia & ſuperſtitione ſuorum doctorum millenis circumagi anxietatibus; hærentes ſemper quo tuto veſtigium ponant: iis ſimiles, qui per infeſta loca incedentes, & ſollicitum vultum in omnes partes circumferentes, ſuſpenſis ambulant veſtigiis. Libuit mihi quæſtionem illam tam late hic tractare, totumque illud ſtadium decurrere: tum quod præcedentes quæſtiones me eò ducerent; cum præcipue quia hac tempeſtate, qua hæc ſcribo, quæſtiones hæ ex cathedra detonuere: ac etiam in curribus navibuſque nihil aliud populo in ore eſt: tum etiam quod non exigua pars ſit officii Magiſtratuum ſcire, in quo profanatio Sabbathi conſiſtat; ut juxta eam leges ſuas ferant: noverintque, quid ipſis liceat eo die permittere. Revertimur jam ad principalem cauſam: ac hiſce digreſſionem atque excurſionem hanc abſolvimus.

CAP. X.

Ulterius inquiritur, quomodo Chriſtiano Magiſtratui propter ſingularem neceſſitatem malum tolerare licitum.

REvertimur jam ad principalem quæſtionem: ac porro ſingulariter inquiremus, quo pacto Chriſtiano Magiſtratui ex *peculiari neceſſitate* (quam diſtinguimus ab ea, quæ toti generi humano incumbit) peccata quædam, cum malitia conjuncta, in Statu ſuo tolerare liceat. Superius probatum eſt, ob *publicam neceſſitatem* Rectores peccata humanæ imbecillitatis, *per ſe*, ut *malum* conſiderata; ac non ob aliquod incommodum, quod imperio *per accidens* adferunt, punire non poſſe: cujus duæ communes regulæ traditæ ſunt. Una erat: cæteroquin fieri non poſſe, ut tot homines, quot ad formandam rempub. requiruntur, in unum corpus poſſent convenire. Altera à moderatione deſumpta erat; quæ iniquum eſſe putat, ut unus homo alterum ob humanas quaſdam imbecillitates ac vitia Reipub. communione privaret: atque ita neceſſarias commoditates eriperet, quas tam Rectores, quam cives è Repub. percipiunt. Incepimus etiam demonſtrare, quo pacto Reipub. Rectores ſæpenumero

mero ex ſpeciali neceſſitate malum quoddam in Repub. ſine offenſione Dei, permittere poſſint: quod extra ejuſmodi peculiarem neceſſitatem illicitum foret. Ac permiſſum illud malum ejuſmodi eſt, ut cum malitia mixtum eſſe judicetur; atque ideo non proxime procedens ex communi imbecillitate ac vitioſitate humana. Sic etiam ſingularis illa neceſſitas non omni civilis imperii formæ annexa eſt; nec omni tempore illud comitatur. De hac etiam re ſupra duæ communes regulæ traditæ ſunt. Prima latiſſime tractata eſt; in hoc conſiſtens, quod nos jure, ac idcirco ſine peccato uti poſſumus creaturis, illarumque virtutibus, ad quas jus habemus; quæque hominum cauſa creatæ ſunt; quamvis *per accidens* (quid hic per accidens intelligamus indicatum eſt) uſum iſtius juris morale aliquod malum ſequatur: quod malum tale tantumque eſt, ut non poſſit non à Rectoribus prohiberi atque puniri; ni peculiaris neceſſitas illud excuſaret. Altera regula, ac quæ etiam demonſtrat, quare neceſſitas excuſet malum punire, vel avertere, eſt; quod malum plectendi jus, quod Magiſtratibus à Deo traditum eſt *Rom.* 13. propter hominem exiſtat; non autem homo propter pœnam. Ita ut, quando pœna mali perniciem ejus ſecum traheret, qui jus habet illud caſtigandi, non ſolum non tenetur id punire: verum non magis illud ipſi facere licet, quam violentas ſibi adferre manus. Fac navigii gubernatorem, quo ſine magno incommodo carere nequimus, peccatum aliquod commiſiſſe, quod mortem meretur: neceſſitas nihilominus excuſat, imo imperat, ut gubernator is impune hoc ferat. Ac ſi gubernatoris opera ſemper æque nobis neceſſaria eſt: nunquam etiam obſtringimur gubernatorem punire. Sic ſupra etiam probatum eſt, Davidem jure à Joabo pœnam non exegiſſe, ne regni ſui ſtatum concuteret: aut ſeſe eo ejuſmodi privaret Viris, quibus tum temporis ſummopere indigebat.

Itaque verba illa, *Fiat Juſtitia, & pereat mundus*, juſtitiæ punitivæ non ſunt applicanda; verum illi juſtitiæ illiſque rebus, quæ per ſe juſtæ & æquæ ſunt: non autem iſtis, quæ per accidens uſum ejus, ad quod jus nobis eſt, ſequuntur. Non enim licet facere malum, ut inde eveniat bonum. Non licet *directo* de committenda injuſtitia aliqua, vel peccato, cum quoquam contrahere; ut inde nonnihil boni nobis, vel Reipub. quantumcunque commodum etiam futurum ſit, acquiramus. Peccatum odiſſe, illud omnibus legitimis mediis arcere velle, pars eſt naturalis æquitatis. Verum peccata hoc vel illo tempore *actualiter* punire, non magis naturalis legis pars eſt: quam naturalis religionis pars eſt certo tempore & loco Deum orare. Nemo eo ſe liberare poteſt, ne ad Deum adorandum promptus ſit; ac ne aperte Cultum ſuum Divinum profiteatur, ſiſtendo ſe in loco publicæ religioni dicato. Sed fieri poteſt, ut quis de rebus quibuſdam contractum ineat, in quas jus habet: quem contractum *per accidens* ſequitur, ut nunquam apertam profeſſionem religionis ſuæ facere poſſit. Sicuti is caſus exiſtit, quum aliquis ad vitam conſervandam ſe Mahometanis, vel Paganis dedit. Sic etiam cum actuali pœna inter homines res ſeſe habet. Vel dicendum eſſet, Rectores teneri injuriam ipſis factam ulciſci, licet Reſpub. eo funditus deleretur. Quod tam abſurdum eſt, quam privatum injuriam ſibi illatam vindicare teneri, licet prævideret ſe id ipſum morte luiturum. Quum tamen Deus homini jus pœnæ in commodum ejus conceſſerit; ut eo ſe ab injuria ac vi defenderet. Quemadmodum totam rerum naturam ad hominis uſum dedit, atque ita mundus propter hominem creatus recte dicitur, quod jus habeat in totum terrarum orbem: quanquam cuivis curandum ſit, ut legitime illo utatur; quaque re ſecundum naturam. Sic cibus eſt ventri, ac venter cibo, ut eo cum gratia-

rum

rum actione utatur: verum non ideo corpus eſt fornicationi. Sicut itaque hominis Chriſtiani officium eſt præferre aliis facem Euangelii, & tamen roſæ non ſint ſpargendæ porcis: de quibus juſtam habemus metuendi cauſam, ne ſe convertentes nos dilanient. Sic etiam punire oportet: ſed tum non, cum juſta adeſt ratio metuendi ne pœnæ executio redundatura ſit in noſtram perniciem. Cenſeo hanc rem ulteriori probatione non indigere. Probatum itaque ſit quibuſdam caſibus ab actuali pœna, etiam magni delicti, nos poſſe abſtinere: atque ita licere in Repub. nonnullum malum, quod pœna dignum eſt, impunitum dimittere. Atque hoc juxta prædicta, &, ut ſuperius narratum eſt, hiſce duobus caſibus, quum duo hæc concurrunt. Primo, quando malum *per accidens* ſequitur uſum juris noſtri. Deinde, cum *neceſſitas* urget. Quemadmodum ergo nulli jus eſt, quantacunque etiam neceſſitas exiſtat, ad injuriam, aut peccatum committendum; ac eo ſibi bonum aliquod conciliandum: ſic etiam directo de nulla injuſtitia contrahere licet. Magiſtratibus non licet in ſtupris connivere, ut pejora vitent. Nam nemini jus eſt de malo ita paciſci, ut id directè permittat, talique permiſſione aliquod commodum paret, aut incommodum vitet: quia tunc permiſſio mali non ſequitur per accidens legitimum rei uſum. Non licet etiam ob pretium domos meretricias tolerare. Sic neque ebrietatem Magiſtratibus permittere licet, ut vectigalia eo carius locentur; ac ut Reſpub. eo in ſumma neceſſitate rei nummariæ conſervetur. Sic etiam compotationes in cauponis diebus Dominicis non licet permittere, (poſito, illud abſolute illicitu m eſſe) ut eo reditus publici vini cereviſiæque augerentur. Sic Reipub. Rectoribus propter pretium vel mundanum commodum exercitationem Judaicæ, aut Pontificiæ Religionis tolerare non licet: (conceſſo illum errorem, atque exercitium ejus pœnam mereri; quod hic non decido) hoc enim pacto directo de malo paciſcerentur; atque exercitationes falſarum iſtarum religionum non per accidens ſi quererentur uſum alicujus rei, ad quam jus nobis competit. Sic etiam Magiſtratibus menſas trapeziticas, (ſi directo in ſe injuſti quid contineant) permittere non licet. Non magis, quam cuiquam profeſſionem vitæ permittere licet, quæ *per ſe* injuſtitiam quandam comprehenderet. Fac aliquem affirmare, ſe artem reperiſſe, unde magna negotiatio in urbe oreretur; ac unde cives multiplex emolumentum perciperent: verum eam non poſſe effici, ni injuria *directo* pauperibus inferatur; & ipſi per ſordidum ac iniquum fœnus emungantur: nullus rationis uſum habens conſentiet hoc magis licere, quam ars illius, qui civitatem è calamitate eripere novit; ea conditione, ut ipſi permittatur ſanguinem quorundam *innoxiorum* effundere; aut aliquorum uxores conſtuprare.

Sed vice verſa, quum ad rem nonnullam jus nobis eſt; & *neceſſitas* adeſt, licet quidem malum tolerare: id eſt, licet quidem ſuo jure uti, quamvis ſciamus multas calamitates malaque inde ſecutura. Sic Chriſtus non omittebat Euangelium prædicare, quanquam noverat ex eo gravia bella, contentiones, ac jurgia oritura, *Matth.* 10: 34. Poſito ergo, uſum totius terrarum orbis, etiam proximi noſtri nobis licitum eſſe; ac nobis *eatenus* ad ea jus competere: idcirco arte, ingenio, ſapientia, experientia, &c. proximi mei ad aliquid boni mihi parandum uti mihi licet (verbi gratia, ad bellum gerendum) quanquam peritiſſimus ille belli Dux, cujus opera in bello nobis utendum, in *concubinatu* vivat; ac dictet, ſe ea tantum conditione operam ſuam Reipub. polliceri, ſi in eo vitæ genere ſine pœna liceat ſibi perſeverare. Sic Papiſtici exercitus opera licet uti, ad defenſionem ſuæ regionis juriſque; ac Pontificiam idololatriam in caſtris tolerare.

Similiter etiam, quia jus nobis eſt urbibus ac hominibus ad noſtrum commodum uti: licet, quum neceſſitas inſtat, illis oppidis, civibuſque earum quidem uti ad defenſionem ac ſecuritatem noſtram; quamvis iſtarum urbium civiumque non poſſit nobis eſſe copia ſine permiſſione Papiſticæ, vel Judaicæ Religionis. Et quia ad eas creaturas jus habemus: ideo exercitium Pontificiæ, ſive Judaicæ Religionis *per accidens* uſum juris noſtri ſequitur. Atque hoc ſolo æquitas ac jus legitimum earum actionum niti, quod devictis civitatibus aliquando permittatur falſum aliquem Divinum Cultum exercere: quem jam ponimus exempli gratia extra neceſſitatem per pœnam perſecutionemque eſſe prohibendam. Atque maxime abſonum eſt, permiſſionem menſæ Trapeziticæ cum tolerantia Cultus Dei Pontificiorum in nonnullis devictis urbibus velle comparare. Hic enim incipimus ab uſu juris noſtri, quod in omnes creaturas habemus; ut iis in noſtrum commodum legitime utamur. Ac hujuſmodi jus etiam in oppida atque cives eorum habemus; & falſa religio, quæ in bello victis civitatibus toleratur, *per accidens* ſequitur uſum juris noſtri in ſuperatam urbem civeſque. Sed in cauſa menſæ Trapeziticæ ſimul à bono maloque incipitur: (loquor jam ſecundum opinionem illorum Theologorum, qui eas condemnant) Fœnus enim æque in divites, ac in pauperes exercetur: atque utrumque *æque directe* intenditur. At recte ad illud vitæ & quæſtus genus à peccato liberandum, dicitur fœnerationem in veros pauperes caſu ſequi fœnerationem illorum, quibus licet fœnus exercere: quum veris pauperibus alia loca ſint indicata, ut gratis opem ferant: ac quibus expreſſe vetitum eſt ad auxilium menſarum Trapeziticarum convolare. Et menſarum conductores non ideo legitimum munus coguntur omittere, quia *per accidens* illud fœneratio in veros egentes ſequitur: quia pauperes eo ſe non conferentes, quo oportet, ad menſam Trapeziticam contra expreſſum mandatum confugiunt. Ac licet illa vitæ profeſſio obnoxia ſit, ut nonnulli ea menſa abutantur: ideo non magis opus eſt eam profeſſionem vitare, quam aliud commercii genus; quo merces venduntur, quibus ſæpius nonnulli abutuntur. De re primariò jam non diſputo. Similiter poſito, non abſolute illicitum eſſe die Dominico in caupona tractum vini vel cerviſiæ haurire; atque id adiaphoris accenſendum eſſe: non cogitur Magiſtratus ob abuſum legitimum uſum prohibere: quamquam aliæ rationes poſſint exiſtere, quare utile, imo decorum ſit, rem adiaphorâm prohibere, propter magnas occaſiones mali, quæ inde profluunt: ac de quibus inferius differemus, quando docebitur Reipub. Rectorum ſæpius eſſe res indifferentes vetare, propter magnos abuſus, qui in iis fiunt. Sic ergo etiam nec œnopola, nec zythi coctor deſiſtere tenentur à venditione ſuarum mercium ad neceſſitatem, vel moderatam hilaritatem: licet modus in conviviis ſæpenumero excedatur. Sed qui profiteretur, ſe merces illas expreſſe emere, ut ſibi eſſent inſtrumenta luxus & ebrietatis, non liceret hominibus iſtius negotiationis vinum ſuum illis vendere: non magis, quam enſium fabricatori licet gladium alicui vendere, dicenti ſe eum comparare, ut proximum ſuum confodiat. Ac ſæpius abſurdum judicium Theologorum quorundam admiror de nonnullis vitæ generibus. Mirifice ſæpe contra rem quandam declamabitur, quæ vel vere in ſe bona ſit; vel de qua inter doctos ac pios Theologos diſputatur, & quæ nonniſi propter abuſum damnanda eſt: & ejuſmodi vitæ genera intacta relinquunt, in quibus magna de *re ipſa* controverſia moveri poſſet; atque non tantum de ejus *abuſu*. De talibus loquor quæſtibus & vitæ inſtituto, quæ cœtui fidelium directo,

ſto, atque cum præſcientia, in vanitate arrogantiaque ſerviunt. Sed ob rationes ſilentio hæc prætereo.

Atque hæc de prima conditione ſufficiant: nempe, non licere illud malum tolerare, quod pœnam meretur, niſi cum *per accidens* ſequatur uſum juris noſtri: quod eo uſque ſe extendit, ut etiam *reſpectus* ac ratio, quare quid faciamus, rem totam (ſicuti ſuperius etiam indicatum eſt) immutet. Ac duo unum idemque facturi ſunt: quorum alter graviter peccabit; alter vero extra noxiam erit. Rectores Papiſtis libertatem religionis ſuæ poſſent concedere; quod commoratio iſtorum, qui illi Cultui Divino addicti ſunt, ad ſalutem Reipub. neceſſaria ſit. Sic etiam recentes allicere poſſent, ut Reſpub. eorum utilitatibus & commodis fruens, quæ civium frequentia parere ſolet, firmior ſit, & aptior ad tolerandos ſumptus, quos ad tuendam Rempublicam, & religiones facere neceſſe habet. Sic Summæ Poteſtates Judæis permittere poſſunt in imperio ſuo vivere, ipſiſque libertatem Religionis ſuæ concedere: ſi privatione conſumptionis eſculentorum & potulentorum; nec non & mutuo commercio, quod à Judæis fit, periculum eſſet, ne ferendo eſſent onera ad defenſionem ipſorum requiſita. Atque ita tali caſu ex conſideratione redemptionis vectigalium, quæ eo carius locabuntur, malum prædicto modo licet tolerare: quod ſupra diximus illicitum eſſe alio ſenſu. Alii etiam Papiſtis eandem libertatem concederent: ſed pro ea certam nummorum ſummam poſcunt, in Reipub. commodum impendendam; contrahentes ita de malo ipſo: atque illi graviter peccarent. Sic cum ſcortatore de ſcortatione tractare vetitum; & permiſſioni ejus mali certum pretium imponere: ſive præ ſe ferant hoc per formam mulctæ, ſeu alio modo fieri. Præterquam enim quod nunquam ob eam rem, quæ nobis *permiſſa eſt*, mulctemur: (qua diſtinctione tamen tam perverſe in quæſtione de menſis Trapeziticis utuntur) non licet Magiſtratibus permittere, ut malum, quod alioquin à Repub. repelli debet, *redimatur*; & pretio vendere *licentiam faciendi malum*; imo ne quidem ejuſmodi malum, quod cæteroquin in Repub. tolerandum eſt: hoc enim eſſet amare cum Bileamo pretium injuſtitiæ, 2 *Petr.* 2: 15. Atque hoc tantundem eſt, ac ſi quis diceret, quid daturus mihi es, ac permittam tibi ſcortari, improbum fœnus exercere, occidere, falſas religiones colere, adulterium committere, &c. Quæ res abſurditate ſua ſe ipſam deſtruit. Et tamen Theologi nonnulli reperiuntur, qui pro perfectiſſimis Caſuiſtis haberi volunt; reliquiſque Theologis objiciunt, quod conſcientiis frænum nimis relaxent: qui Menſas Trapeziticas reprobantes, nihilominus volunt, ut Chriſtiani Magiſtratus certam pecuniæ ſummam ab injuſtarum Menſarum Trapeziticarum conductoribus per formam mulctæ, vel alio quo modo paciſci poſſint. Quaſi Magiſtratibus liberum eſſet dicere, *tantum mihi dabis, ac permittam tibi injuſtitiam committere*: vel, *non permittitur tibi facultas inique agendi cum proximo, niſi pro permiſſione tantum ſolveris*. Ita ut maxime abſurdum ſit, permiſſionem menſæ Trapeziticæ (poſito eam mali quid continere) cum permiſſione Papiſticæ religionis in bello devictis civitatibus componere: ſed cum tolerantia publicarum ganearum conferendæ erant. Hiſce etiam factum Prætorum aſſimilandum, qui cum Pontificiis de permiſſione cœtuum ipſorum tranſigunt, deque exercenda ipſorum idololatria: pro pretio licentiam peccati illius committendi vendentes. Quorum par ratio eſt ac illorum, qui pretio de peccatis tranſigunt, dicuntque tantum mihi dabitis, ac tum idololatriam pro libitu facietis. Rationes poſſunt dari, quare Magiſtratus ſine læſione conſcientiæ Pontificiam idololatriam poſ-

poſſint connivere. Verum nullæ rationes dictum Prætoris factum à culpa liberare poſſunt. Et peſſimas eſſe rationes deputo, quibus rem quidam faciunt.

Altera conditio, quæ in tolerantia mali requirebatur, quod per ſe in Repub. pœnam meretur, erat, ut *neceſſitas* locum haberet. Quo pacto neceſſitas intelligi debeat, partim explicatum eſt, quando tractavimus quæ, quantaque *neceſſitas* jus nobis daret poſtponendi Dei præcepta, quæ per ſe *moralia* non ſunt: dummodo neceſſitas, quæ privatos ſpectat, neceſſitati Reipub. accommodetur. Ita ut tunc per neceſſitatem Reipub. nonſolum *timor ac periculum ultimi Status exitii intelligenda ſint*, non etiam periculum magni incommodi; nec etiam, ne omnino poſſeſſionibus noſtris privemur: verum etiam diſcrimen, ne careamus atque amittamus illud, ad cujus poſſeſſionem adipiſcendam facultas nobis aliqua ſuppetit; veluti id, quod, v. gr. per ſolitum mercaturæ curſum promittere nobis poſſemus. Sicuti enim in ſanctificatione diei Solis non ſolum pauper agricola excuſandus eſt, quod cœlo pluvio frumentum ſuum condat horreo: verum dives etiam, quem tamen jactura illa non magnopere premeret: ac diviti hoc licet, quod detrimenti periculum neceſſitas ſatis juſta ſit ad ſanctificationem diei Dominicæ modo prædicto poſtponendam. Sic etiam Reipub. licitum ob timorem *commodi amittendi* malum aliquod permittere. Quanquam omnium Chriſtianorum Reip. Rectorum officium ſit, recte conſiderare, quod commodum Reſpub. ex mali alicujus tolerantia perceptura ſit: atque ipſis ante omnia providendum, *ne nimiæ luxus & divitiarum cupidine; vel levi nimiis timore privationis alicujus rei, malum præcipitanter nimis permittant; atque ita prohibitionem mali ad Dei virtutuque dedecus nimis parvipendant: temporalem autem felicitatem magni nimis faciant*: atque ut caveant malum ex. gr. idololatriæ ſuperſtitioniſque permittere ex parvo nimis mali odio; nec non ex odioſo libertiniſmo. Mercatori quidem licet, ad familiam alendam, etiam in Papiſticis regnis, ubi religionem ſuam exercere nequit; imo declarare non audet, cujus ſit religionis, & ſe tectum tenere cogitur, mercaturam exercere. Verum cui religio, ac ſalus animæ ſuæ cordi eſt, non temerarie hoc faciet: ac allaborabit optabitque meliores rationes occaſioneſque honeſte familiam ſuam ſuſtentandi. Sic peregrinationes quorundam in Hiſpaniam & Italiam laudare nequeo, ſolum animi cauſa: vel ſaltem ſpe parvi lucelli, quo facile carere poſſunt; nec ullo modo nomen *neceſſitatis* meretur; aut quo jacturam reſarcire non poſſunt, quam anima patitur, extra neceſſitatem eum vitæ ſtatum ſubeuntes, quo Cultum ſuum Divinum exercere nequeant. Ita fieri poteſt, ut Reipub. aut Societas Indiæ Orientalis commercium in Paganorum dominiis ſine peccato exerceat; ubi religionem ſuam profiteri vetitum; ubique digito compeſcere labellum tenentur. Veriſimile tamen eſt, quod Chriſtiani noſtri Magiſtratus ob magnas rationes famulos ſuos, mercatores, ac inſtitores in oras illas mittant, ubi religionem ſuam profiteri non audent, atque Verbi Divini miniſterio carent. Sed judicare quantæ, quantique ponderis ſint rationes, quare quid in Repub. permittatur, id Rectoribus competit, qui à Deo ad rerum politicarum adminiſtrationem conſtituti ſunt: eas expendere, *ponderare*, ac judicare, quanta ſit neceſſitas; & quantopere Reipub. ſalus hoc exigat: quemadmodum judices conſtituti ſunt ad judicandas & finiendas privatorum civium controverſias: & patresfamilias ad res ſuas domeſticas adminiſtrandas. Ut iniquum ſit, privatos quoſdam; ſive ii Paſtores ſint, ſive Membra (utriſque enim male convenit rebus politicis ſe immiſcere; ac curare ea, quæ Dei inſtitutione, ac natura rei Rectorum propria ſunt)

ſunt) judicium ſibi vindicare de Reipub. *utilitatibus*: & cujus ponderis ſit Reipublicæ, ut malum aliquod impunitum ſit, aut minus ſtricte prohibeatur. Poſito non licere Pontificiam idololatriam in Repub. tolerare extra neceſſitatem: ita ut errori iſti Pontificiorum malitia ineſſet, quæ ſine neceſſitate impunita non poterat dimitti: tam Paſtoribus, quam privatis civibus acquieſcendum erat; ac credendum, hoc legitime fieri, quum Chriſtiani Magiſtratus affirmarent, ſe malum illud in Repub. tolerare *propter neceſſarias politicas conſiderationes*. Ac æque abſurdum eſt petere à Rectoribus, ut ulterius ſe ſuper eis explicent: aut ſuum judicium Rectorum judicio opponere: eoſque ob id ſocordiæ inſimulare, & qui verum & falſum cultum promiſcue habent: quam privatum non decet poſtulare à judicibus, ut rationes reddant, quare huic civi bona adjudicarint, alteri autem actionem ſuam denegarint: ac quare ergo illum pro legitimo bonorum illorum poſſeſſore habere debeant; alterum vero male in petitione ſua fundatum eſſe. Aut privatum ſuum judicium de legitima cujuſdam rei poſſeſſione, de qua judex ſententiam tulit, judicis judicio velle opponere: illumque, cui contra opinionem privati adjudicatum eſt, habere atque tractare in Republica, aut Eccleſia velut illegitimum poſſeſſorem; per ſpeciem, quod in conſcientia ita cenſeant: ac ſolorum Eccleſiæ Paſtorum eſſe de rebus, quæ conſcientiam ſpectant, & quid quiſque jure facere poſſit, vel non, judicium ferre: quia cum ſint Rectores conſcientiarum, & paſtores animarum, de quibus Deo reddituri ſunt rationem, etiam ad ipſos ſpectat arbitrium & æſtimatio virtutum & vitiorum. Quemadmodum nuper ejuſmodi dogma magna cum admiratione, in Tractatu quodam, à tribus Profeſſoribus approbato propugnari percepi. Ac intelligo alios Doctores mala illa fundamenta etiam ſibi adoptare: pro furibus ac fœdifragis perſonas quaſdam, collegiaque traducentes, quorum factorum probatio circumſtantiis nititur, quarum circumſtantiarum inquiſitio atque ſententia definitiva, quæ iſto examine fundari ac ſuperſtrui debet; extra controverſiam certis perſonis atque collegiis competit, quæ ad id in Repub. electa & erecta ſunt, ac ſecundum quam quilibet conſcientiam ſuam, *quoad externa*, & *actiones ſuas*, in Eccleſia, ſtatu politico, ac privato regere tenetur. Nullius privati judicium, ſive is Eccleſiæ ſit doctor; ſeu alia perſona, ulterius in hujuſmodi rebus, quarum examen & judicium Rectoribus commiſſum eſt, valere debet, quam quatenus ad regimen ſuæ conſcientiæ ac domeſticarum rerum attinet. Si quis credat, hunc vel illum cauſam non ſatis juſtam tueri, ut à judice aliquorum bonorum legitimus poſſeſſor judicetur: juxta judicium illud tenetur quidem ſibi nullum jus in bona illa arrogare: ſed ei relinquere debet, ad quem in conſcientia credit pertinere: non tamen propterea poteſt alium, qui per legitimos tramites, perque legitimum judicem eo fundamento, quod ipſe quidem rejicit, ſed judex probat, bona illa nactus eſt, pro injuſto poſſeſſore habere; atque ipſum publice ita tractare. Similiter, quiſquis privatus cenſet, fœdera, vel contractum à Repub. non eſſe ſervata: aut neceſſitatem non ſatis magnam eſſe, quare, v. gr. Pontificia idololatria legitime poſſit tolerari; is in eo acquieſcere debet; quod, quando judicium ipſius ac ſententia, vi ſui muneris ea de re exquireretur, ex animi ſui ſententia declaret quid de æquitate aut iniquitate totius exiſtimet: & ſi ſua à Magiſtratuum ſententia diſcrepet, debet nihilominus omnem obedientiam quoad externa Magiſtratibus; ac idcirco pro amico & hoſte habere atque tractare illos, quos legitimus Magiſtratus pro eis habet: quemadmodum tenemur cuivis civi opem noſtram præſtare, ut jus illud intactum con-

conſervet, quod judices per ſententiam ipſi adjudicarunt. Naturalis enim æquitas docens contentiones, jurgia, & pugnas eſſe vitandas, quantum in nobis eſt: præterea nemini in propria cauſa licere eſſe judicem, ut eo proximo quippiam detineat: proximum etiam noſtrum non teneri judicium adverſarii, qua tale, pro meliori, æquiore, ac juſtiore ducere, quam ſuum: quum naturalis æquitas quidem dictet, ſanæ rationi locum eſſe dandum: ſed non una doceat, ſententiam proximi ſaniorem eſſe noſtra. Docet itaque judices arbitroſque eſſe habendos, ad lites inter adverſarios dirimendas. Ac ſi hoc verum: ergo nemini amplius licet, poſt ſententiam à judice latam, adhuc juxta ſuam opinionem aliquem pro fure, perjuro, ſcortatore, vel adultero tractare. Sic lex jubet, ut in ore duorum omnis veritas conſiſtat: ac in Judaica Repub. judici hoc ſufficiebat; ac privati cives in eo acquieſcere tenebantur, ut res, in facto conſiſtens, per duos probos teſtes probaretur: nec judicium privati Judæi, qui teſtimonio illo gravatus erat, eos pro falſis teſtibus habens, quos tamen judex probaverat, jus ipſi dabat, ut rem judicatam reprobare poſſet; adverſariumque ſuum, cui aliquid ea adjudicatum erat, pro injuſto publice habere. Sic ait Apoſtolus in rebus dubiis, quæque probari nequeunt, interventionem jurisjurandi alterutrius adverſarii controverſiam finire: atque ideo is, qui per præſtationem jurisjurandi ab adverſario re aliqua excidit, quam ſibi competere putabat, alterum coram hominibus appellare non debet perjurum ac injuſtum: quod ſe certum putet, adverſarium pejeraſſe. Atque hoc tam æquum eſt, ac in omni imperio adeo neceſſarium; & contrarium ejus adeo iniquum, ut Deus in Lege ſua imperet, ut qui ori aut ſententiæ judicum repugnet, morte plecteretur, *Deut.* 17: 12. Eccleſiæ doctor vel privatus, qui contra hæc peccant, nulla alia excuſatione uti poſſunt, niſi dicant, Reipub. Rectores ad manifeſtam adeo & notoriam impietatem prolapſos eſſe, ut neque decus, neque virtutem, nec fidem, neque promiſſa amplius curent. Quod manifeſtam injuriam, ac furtum, extra omnem controverſiam contra animum conſcientiamque approbent: atque ita privatorum eſſe ejuſmodi impietatem etiam publice condemnare.

Sed quis Chriſtianus hoc de ſuis Magiſtratibus, ſub quorum imperio ſumus, ſuſpicari ſuſtinet? Et nemo tamen poteſt Magiſtratibus ſuis, aut proximo fœderis violationem aut manifeſtum furtum adſcribere; ac dicere judicium Magiſtratuum ac judicis ipſum non impedire Magiſtratus, ac proximum exiſtimare ejuſmodi peccatorum reos; eoſque à ſe, quantum ad externa, pro talibus tractandos eſſe, quin Magiſtratus & Judices habeat pro hominibus profligatæ vitæ. Quemadmodum ergo judex conſtitutus eſt, ut de rebus quæ juſtitiam ſpectant, judicet: ſic Magiſtratus creati, ut decidant ea, quæ regimen politicum concernunt: ac quibus juxta ordinem legitimi imperii, ſub quo vivimus, jus non eſt, ut de rebus politicis *ſententiam ferant*; & ſimul opportunitatem non habent inquirendi in facti circumſtantias: ab iis facta Reipub. Rectorum circa res politicas, approbanda ſunt. Si Rectores cenſeant neceſſitatem exigere, ut in quibuſdam urbibus ac locis falſus aliquis Cultus Divinus toleretur; privati credere debent, neceſſitatem, de qua Rectoribus per inſtitutionem Dei, perque naturam imperii *ſolis* judicandum eſt, ut Rempub. ſecundum id adminiſtrent, vere adeſſe: atque ita in omnibus acquieſcere; nihil facientes, quo *directo*, ſeu *indirecto* Magiſtratuum adminiſtratio, præcepta, & conſtitutiones circa illam rem impedirentur. Si Rectores cenſeant neceſſitatem urgere, ut die Dominico cives arma induant: neque Eccleſiæ Paſtori, nec alii privato civi licet

licet contra illud reclamare, quod religio ipſi non dictet credere neceſſitatem tantam eſſe: quin imo tum conſcientiam ſuam, quod ad externa attinet, Rectorum conſcientiæ ſubmittere tenetur. Imo, ut proprie loquar, in ejuſmodi rebus privatus *judicio caret*; & proinde talis rei æquitas & iniquitas non vertitur in ejus foro: nam Deus hoc ipſi eripuit, Magiſtratibuſque tradidit. Si Magiſtratus judicent fœdus aliquod cum aliis Principibus initum finitum eſſe; ac jam ſe jus recepiſſe, ut rurſus bellum moveant: nemini civium licet tributum, imo nec expeditionem recuſare: licet conſcientia mentis arbitretur bellum eſſe injuſtum; putetque ſe illud ex verbis contractus cum finitimo Principe initi clare poſſe probare. Nam neque Deus, nec imperii natura non magis concedunt, ut Reipub. adminiſtratio privatorum judicio committatur; ac quilibet circa rem eam facti ſui ſit dominus, quam permittit, ut quivis privatus, in Repub. quadam vitam agens, privato ſuo judicio decidat, quid *ſuum*; quid vero *alterius* ſit. Omnis confuſionis origo eſt, in Repub. putare, civium officium, ut Magiſtratuum atque judicum placito pareant, æquitate mandatorum ipſorum niti. Quæ perverſa doctrina novo & non minus noxio errore cumulatur, cum dicitur, privatis de æquitate *judicandum* eſſe. *Poteſtas* Rectorum ac judicum *obligat* nos ad obedientiam; non autem *æquitas*, quam in illorum mandatis conſpicimus. *Ipſis* ſecundum æquitatem imperandum: *nobis poteſtati* illis à Deo datæ obediendum. Verum de hoc ſatis; & fortaſſe, pro Tractatus hujus ratione, nimium dictum. Revertimur ad illud, quod adhuc de ſpeciali neceſſitate tractandum reſtat.

At illud ſpecialiter obſervandum eſt, ut, quemadmodum tolerantia alicuius mali, quod pœnam meretur in Republica, propter neceſſitatem à vitio liberetur: quæ neceſſitas adeſſe putatur, quando ad aliquod naturale bonum poſſidendum; quam poſſeſſionem velut *per accidens* malum *morale* ſequitur, illudque ideo toleratur, ita ut propter illud malum non debeamus nos privare naturali illo bono & commodo: ergo tum etiam, ubi neceſſitas illa demonſtrari nequit; & cum ſimul per poſſeſſionem naturalis boni, quam malum *per accidens* ſequitur, periculum neceſſitatis non aufertur; malum permitti non poteſt, ob poſſeſſionem naturalis ejuſmodi boni. Exemplum unum aut alterum totam rem illuſtrabit. Quoniam ſumptus in victum expenſi, qui Romæ à meretricibus fiunt, nullius prorſus momenti ſunt: ac Civitas Romana ſine ulla imminutione ſuarum virium, impenſis illis carere poſſet: & ideo dici nequit, *neceſſitatem* Papam cogere ſcortationem tolerare: quod naturali, honeſto, ac legitimo earum meretricum uſu, quo impenſis vectigalia augent, opus ſit ſcilicet: & proinde illa permiſſio lupanarium *per accidens* non ſequitur legitimam poſſeſſionem naturalis cujuſdam boni. Supra enim latiſſime probatum eſt, malum pœna dignum in Repub. non eſſe tolerandum niſi ex *neceſſitate*. Atque ideo Pontificii permiſſionem lupanarium Romæ cum tolerantia Judaicæ, aut Papiſticæ religionis in Reformatis Imperiis comparare nequeunt; quas præſupponimus ex neceſſitate concedi: de qua ſuperius diſputatum eſt. Si naturale bonum, quod lupæ Statui adferunt, ejus foret ponderis, ut reſpub. eo non magis carere poſſet, quam victoria de Pontificia civitate intra certum temporis ſpatium carere poſſumus, ac poſſeſſione ejus, qua ex neceſſitate tolerantia Papiſticæ ſuperſtitionis in ejuſmodi bello devictis civitatibus toleratur: etiam proſtibula & meretricii quæſtus Romæ tolerari poſſent. Nec etiam permiſſio illa excuſatur, quod per conniventiam ſcortationis pejori malo obviam eatur. Non eſt enim faciendum malum, ut inde proveniat bonum: quum nemo *legis Divinæ*

dominus ſit: & malum cum malo non ſit compenſandum aut expungendum. Verum Pontificii merito tolerantiam luſtrorum Romæ cum Menſarum Trapeziticarum permiſſione conferunt: poſito ejuſmodi menſas illicitas eſſe: ac jure affirmant Reformatos in idem malum per conniventiam menſarum iſtarum Trapeziticarum incidere, (poſito quod in exercendis illis Menſis Trapeziticis injuſtitia ac immiſericordia fiat) in quod Papa prolabitur per fornicationis permiſſionem. Ac ſi cenſeatur Menſam Trapeziticam poſſe tolerari: tum etiam factum Papæ circa domorum meretriciarum permiſſionem approbandum. Quoniam enim fœneratio erga divites pauperesque *æqualiter procedit*: ac poſterius *per accidens* non ſequatur prius; & quod nec ſumptus & impenſæ, quas tabulæ Trapeziticæ miniſtri in victu & amictu faciunt, non ſint ullius momenti ad ita augendum ærarium, ut ſine eo incremento Reſpublica ſufficere non poſſit ſumptibus, quos ad alendos milites, & cultum tuendum neceſſitas poſtulat. Quod etiam juxta illorum Theologorum opinionem fœneratio contra pauperes peccatum ſit: Menſæ Trapeziticæ non magis poſſunt tolerari, quam lupanaria Romæ. Cum Menſa enim Trapezitica tum ita res ſeſe habet, quaſi quis diceret; Novi artem ſuccurrendi divitibus, ea ſub conditione, ut fœnerari mihi permittatur erga pauperes. Dicere autem Rectores Menſas Trapeziticas, per ſe licet malas, poſſe permittere; quod iis Civitates carere nequeant; & ut majora incommoda prohibeantur: tantundem eſt ac ſi diceres, ſcortationem legitime licere tolerare, ad adulterium, & peccatum Sodomiticum prohibendum. Atque hi ſunt illi Theologi, qui jactant, ſe tantopere pro Eccleſiæ gloria excubare; qui rigidos caſuiſtas ſe profitentur: ac ſe longe ab iis abeſſe, qui indulgenter peccatores habentes ad peccata connivent.

Ex hiſce exemplis lector probè conſpicit, in tota quæſtione de tolerantia mali animadverſione in Republica digni, id præcipue verti, ut malum *per accidens* ſequatur bonum: ut poſſeſſio boni nobis ſit *neceſſaria*; & malum pœnam mereatur. Diſcedo jam ab his, ut tædium lectoris vitem: qui regulas has ſingularibus caſibus applicans, in regimine ſuæ, ac proximi conſcientiæ in uſum ſuum vertere poterit.

CAP. XI.

Quod malum in Repub. tolerandum ſit, ob charitatem, quam proximo debemus.

HActenus diſputatum eſt, quo pacto in certis caſibus malum ex *neceſſitate* poſſit tolerari. Nunc brevi dicam, quomodo interdum malum poſſit, imo debeat permitti ex *charitate*: licet neque *communis* nec *ſpecialis* neceſſitas hoc excuſare posſit. Superius innuimus aliquando propter officia charitatis, religionem poſſe poſtponi; oſtendebamusque hanc doctrinam niti generali naturalis Cultus Divini regula; *Miſericordiam volo, non autem ſacrificia*. Verum jam probabimus, eandem naturalis cultus rationem nos docere, etiam aliquod malum in Republica plectendum; imo quod alioquin è Repub. eliminandum foret, ni communis, vel peculiaris illa necesſitas urgeret, quæ tolerantiam mali à peccato vindicat propter charitatem proximo debitam, perferendum eſſe. Supra demonſtratum, pœnam hominis gratia exiſtere, non autem hominem pœnæ cauſa: ac propterea neque Reipub. Rectorem, neque privatum teneri malum cum periculo *ſui exitii* punire. Quanquam alioquin plectere malum pars ſit virtutis juſtitiæ, Deoque placeat. Nunc probabimus, quandoque Magiſtratus ſe temperare debere à pœna propter *perniciem proximi*, quæ cum illa pœna implicita eſt; quia Deus impe-

rat,

rat, non ſolum noſtri, verum etiam proximi cauſa, virtutem, quæ in malo repellendo reſidet, poſtponere. Finge inter cives novum errorem exortum eſſe, qui extra caſum communis, vel peculiaris neceſſitatis arcendus eſt, nec in Repub. tolerandus: vel ſi ad nos Judæi, aut Gentiles perfugerent; ac qui eapropter erroribus immerſi ſunt, quos reſpectu noſtri, ac extra neceſſitatem conſtituti perferre non licet. Poſſet in tali caſu fieri, ut charitas mandaret nobis, iis cum errore ſuo, ac profeſſione ejuſdem in Repub. locum concedere: quum alibi per gravia bella, aut maximam crudelitatem ſuorum adverſariorum degere non poſſint, ut ſe ſuoſque, (*religionem ſuam retinentes*) incolumes ſervarent. Vel ſi ſubjecti, talibus aut ſimilibus erroribus abrepti, ac pertinaciter in illis perſeverantes, nuſquam amandari nequirent, ubi extra vitæ, aut ad victum neceſſariis carendi periculum, ſedes ſuas figere poſſent. Quanquam enim ponatur, ejuſmodi errores cum malitia conjunctos eſſe: non tamen ſequitur, Deum velle, ut malitia iſta prohibeatur, cum *ultima* proximi noſtri *pernicie*. Nam quamvis Status aliquis neminem *injuria* afficiat, ne quidem illos, quorum error cum malitia non eſt mixtus, quum peregrinos & hoſpites in cives allegere recuſat, qui religionem profitentur, quæ ab ipſis diſſidet; contra *charitatem* tamen, contraque naturalis Dei Cultus regulam peccare poſſunt: *Miſericordiam volo, non ſacrificia.*

Atque hæc veritas hinc manat, quia incommodum, quod proximo noſtro per recuſationem conciliatur, nequaquam cum illo damno compenſari poteſt, quod nobis per conceſſionem falſæ ipſorum religionis metuendum eſt: nec Deus cum tanta proximi noſtri pernicie prohibitionem falſi Ipſius Cultus velit fieri. Eodem prorſus modo, quo à ſanctificatione Sabbathi Judæos excuſabat, quum illud non poterat fieri, niſi magno hominis detrimento. Et præceptum de vindicando malo & puniendis flagitioſis non magis morale præceptum eſt; quam *peculiariter* religioni vacare *ſeptimo die* morale præceptum eſt. Sin ſecus foret, tum malum ſemper foret puniendum ac prohibendum, quantumcunque etiam incommodum proximo noſtro *per accidens* inde orietur: & horum ratio eſt, quod nunquam ſit faciendum malum, ut inde eveniat bonum. Et pater, qui homicida eſt, puniendus foret; licet prævideremus liberos per mortem patris velut *per naturalem ac propriam cauſam*, etiam eſſe perituros: cum tamen mulieri gravidæ tam diu parcatur, donec pepererit. Ac ſi fieri poſſet, ut ſemper foret gravida, ſemper à pœna mortis excuſaretur. Et regula ſuperius tradita: *quamdiu jure meo utor, nemini facio injuriam*, locum non habet, ubi de operibus charitatis diſputamus. Licet mihi quidem (ſi rigidum & ſummum jus ſpectes) in area mea ædificare parvæ mihi inde utilitatis rediturae cauſa, quamvis inde proximo maximum creem damnum, ſine proximi injuria: peccabo tamen contra charitatem.

Quoniam ergo prohibitio vel pœna mali *omni tempore exercenda* virtus *moralis* non eſt: ergo naturalis religionis regula nos docet; *miſericordiam* nempe *volo*, *non ſacrificium*, prohibitionem mali poſtponendam eſſe, quum nobis parvum damnum (cum detrimento comparandum, quod proximus paſſurus eſt) verendum eſt: nec ulla ſit ſuſpicio, quod præceptum Divinum de malo prohibendo parvi fiat. Eo modo, ac ſupra indicatum eſt; atque ex quo juxta regulam hanc quædam Dei præcepta, quæ in generalibus terminis propoſita ſunt, nec ullam ferre limitationem videntur, limitat ac reſtringit. Finge ergo neque communem, neque ſpecialem neceſſitatem permittere, ut Judæi in urbe tolerentur: an inde concludi poſſet, in Repub. non eſſe permittendos; licet omnes alii vicini

Status & Reſpublicæ ad internecionem eos perſequerentur? Vel gravia bella; quemadmodum jam pridem, eheu! in Polonia fuerunt, ipſos è Provincia expellere, ac cogere ad nos profugere? Non puto. Atque exiſtimo, tum nos teneri quidem miſeros illos Judæos recipere, tectis ſuſcipere, ac habitationem concedere, quum nulla ſpes eſt, eos alibi receptum iri. Quum Judæi tenerentur ſanctificationem Sabbathi poſtponere, ut proximis in neceſſitate conſtitutis ſuccurrerent. *Eſai.* 16: 3. legimus Deum hoſpitalitatem iſtis, qui noſtræ non ſunt gentis, ſummopere commendaſſe: *Abſconde fugientes, & vagos ne prodas.* Et Verſ. 4. *Habitent apud te profugi mei O Moab: eſto latibulum eorum.* Et *Eſai.* 21: 14. *Occurrentes ſitienti ferte aquam: incolæ terræ Thema fugientibus cum panibus occurrerunt.*

Ac poſito Judæos hoſce, vel alios ejuſmodi exoſæ Religionis, tanti externam exercitationem ſuorum morum & Divini Cultus facere, ut omnia tormenta perferre mallent, ac quotidie morti ſe offerrent, ut inſtituta ſua retinerent, externamque religionem contra expreſſa Magiſtratuum edicta: ac ſi ipſis, à nobis expulſis, nuſquam locus pateret; an non oporteret nos miſereſcere obduratorum illorum Judæorum? Aliquid eis potius condonare, quam univerſos eos exſtirpare: aut ipſos per expulſionem hoſtibus ſuis prædæ dedere: aut illos in ea loca relegare, ubi neceſſario ipſis pereundum eſſet. An non credendum eſt, Deo placere magis, ut miſericordiam eis præſtemus, neglecto præcepto falſi Cultus Divini exterminandi, utpote hic locum non habente; quam in falſa religione prohibenda, ad zelum noſtrum oſtendendum, omnes Judæos delere, atque ita Deo velut victimas offerre? Quod equidem puto: ac credo æque Deo intempeſtivum hunc zelum diſplicere, quam Ipſi ingratum foret, ſi Judæum, aut ethnicum paupertate, aut morbo perire ſineremus, quod ſciremus, ipſum idololatriam, aut blaſphemicam ſuam ſententiam prima data occaſione, ac ſimulac è ſummo ſuo periculo ereptus eſſet, palam denuo profeſſurum. Semper meminiſſe debemus ejus, quod Chriſtus ſuis diſcipulis, acerbo zelo impulſis, reſpondebat, *neſcitis, quo ſpiritu ducamini*: hoc nullus negare poteſt, quam qui arbitratur Deo gratum eſſe pertinaciam Judæi in errore expugnandam; etiamſi niſi cum ejus interitu res ad exitum perduci non poſſet. Sic novi etiam quoſdam, qui ſub prætextu, quod Pontificii in noſtris regionibus hoſtes nobis ſint; eoſque, ſi rerum potirentur, nos omnes ejecturos, vel interfecturos, ejuſmodi pauperibus nullas eleëmoſynas dant: ita ut, ni alii Chriſtiani majori erga Pontificios egenos miſericordia commoverentur, omnibus Papiſticis egentibus in terris hiſce præ paupertate pereundum foret. Hoc iniquum eſt. Præterquam enim quod plurimi Chriſtiani ea non ſint opinione; multo minus juxta fidem illam facta ſua dirigant; ac per jusjurandum à civibus præſtandum contrarium promittant: tamen minime Chriſtianum eſt, ad errorem iſtum, quem non veriſimile eſt in perniciem noſtram ab ipſis verſum iri, avertendum, Papiſtas inedia atque incommodis perdere. Samaritanus meliora edoctus erat, quam ejuſmodi Chriſtiani; qui putabat officia pietatis circa omnes illos eſſe exercenda, qui ope noſtra indigent; eoſque omnes proximorum numero habendos. Ejuſmodi ſpiritu etiam iſti ducuntur, qui omnem zelum atque operam ſuam impendunt, adhortando Reipub. Rectores, ut falſæ Religionis reos duris edictis gravent: non conſiderantes, an per hunc zelum charitas, quam proximo debemus, non veniat in periculum. Non reminiſcentes, quam parum Eccleſiæ Doctores deceat, qui præcipue manſueto ſpiritu Chriſti induti eſſe debent, zelum ſuum in perſecutione proximi exercendo: atque id adhuc in re, in qua tantum ſub-

imus

imus periculum, ne contra charitatis officia peccemus: quia in zelo, qui verſatur in perſequendis iis, qui gravibus erroribus immerſi ſunt, nulla charitatis opera ſe produnt. Quare non facile ſe illis negotiis immiſcere debebant, quæ tam cito in pejus rapiuntur; atque ita illis ſe inviſos reddere, quos tantum amanter tractando, & ſanam doctrinam iis proponendo, meliora docere poſſunt: atque acerbo hoc zelo errantibus cauſam præbent, ut præjudicio adverſus ipſorum perſonas ac doctrinam abripiantur. Imo quum jam omnia adæquata, & ad trutinam expenſa ſunt, & pœna ita temperata, ut malo ſit exæquata: non tamen illis operibus pœnæ vindicativæ Deus adeo delectari videtur, quam quidem operibus charitatis. Davidi, qui bella Domini patraverat; ac ubique juſtas ab inimicis Dei pœnas exegerat, non permiſit Deus templum ædificare, ob bellorum & præliorum multitudinem, quibus exercitus erat. Verum Salomon, vir Pacis, ad illud electus eſt. Externa hæc contra adverſarios ſuos vociferatio in cathedra mulieribus ac vulgo ſignum zeli eſſe videtur, odiumque mali: ſed abſque ulla ratione: vel dicendum, illos homines malum minus odiſſe, qui exiſtimant nullam corporalem pœnam contra maleficos exercere licere: quemadmodum hodierni Mennonitæ ſentiunt. Nihil proclivius (nam ad id neque eruditio, neque probitas requiritur) quam, quando ſolis licet loqui, errores adverſarii per ſpeciem zeli exagitare. Verum ſana ratione, patientia, ac comitate errantem proximum vincere; Hoc opus, hic labor eſt.

CAP. XII.

Magiſtratum etiam aliquid boni prohibere poſſe, propter abuſum, multiplexque malum, quod cum eo conjunctum eſt.

Etiamnum aliquid tractandum reſtat, occaſione præcedentis quæſtionis; in qua probatum eſt, Magiſtratui licere malum in repub. tolerare, propter uſum boni, ad quod hominibus jus eſt. Sed quod adhuc explicandum ſupereſt, nos docebit, quandoque bonum eſſe vetandum mali gratia, quod plerumque bonum comitatur. Patebitque regulam, *Maneat uſus, & tollatur abuſus*, non ſemper locum poſſe invenire.

Quum ergo eſſentialis origo omnis liberi imperii ſit, quod privati Principibus curam Reipub. detulerint: quam igitur etiam ſuſcipere tenentur; atque ita rempub. curare, ut privati ſuum; in rebus, quas reſpub. ſibi non vindicat: vel natura ſua ad Reipub. Rectores deferri nequeunt, jus ſuum retineant. Sequitur ergo, multos caſus poſſe exiſtere, in quibus non licet uſum cujuſdam boni civibus permittere, propter magnum abuſum, qui in eo fit; ac exiguum commodum, quo ſubjecti libero ejus uſu fruuntur: atque propter parvam jacturam, quam privatione illius uſus patiuntur. Ratio, ac Verbum Dei docent nos, quod Chriſtiani ſibi multarum rerum uſum, quæ alioquin per ſe malæ non ſunt, interdicere teneantur, propter periculum, quod incurrunt, ne abutantur iis: ac etiam, quia malum in vicinia cujuſdam boni tam prope verſatur, ut vix malum in uſu boni fugere liceat. Dici non poteſt, eum Deum vere timere, peccatumque fugere, qui occaſionem non vitat, quâ facile ad peccata impellitur. Qui iræ obnoxius eſt; eum decet omnia vitare loca, ubi litigatur & quæ litibus & rixis perſonant. Ac qui ita infirmus eſt, ut facile modum in cibo ac potu excedat; illi convivia vitanda ſunt. Atque iſtarum rerum uſus, quæ per ſe bonæ ac legitimæ ſunt, ipſi propter adhærens malum, & periculum, quicum uſus conjunctus eſt, fit illegitimus. Ac nemo dici poteſt vitæ ſuæ magnopere cavere, qui iis rebus delectatur, quæ cum diſcrimine uſurpantur. Qui ſincere Deus poteſt orari, ne inducat nos in tentationem; quum operam damus, ut peccatorum illecebræ quotidie nobis adſint.

 Quo-

Quomodo affirmari poteſt, iſtum ex animo Deum precari, ut ipſum à damno ſervet; ſi ſaluti ſibi ſit futurum, qui bonorum ſuorum bonam partem ſorti ſubjicit, atque in aleæ jactu collocat. Et qui infirmi præ ſe ferre queunt, quod laborent, ut in virtute boniſque moribus promoveant; qui quotidie malorum convictu utuntur: cum ipſis latere non poſſit verum eſſe, mala colloquia corrumpere bonos mores, 1 *Cor.* 15: 32.

Veluti ergo privati certis caſibus bonarum rerum uſum ſibi adimere debent: ſic etiam ſæpenumero Principes in caſibus ſimilibus civibus ſuis per leges ac edicta prohibent uſum illius, quod per ſe bonum eſt. Ac res hæc à Reip. Rectoribus conſiderate atque magna cum prudentia tractari debet; periculum & bonum atque commodum bene & æqua judicii lance expendentes, quid cives per uſum bonæ rei acquirere poſſunt: nec ſolum divitum, verum etiam pauperum ſubjectorum rationem habentes. Etiam probe examinantes, an non facilius malum, quod bonum comitatur, removeri; quam bonum prohiberi poſſit. Præceptum, ne liceat diebus Sabbathi in cauponis vinum aut cereviſiam ſolventibus promere, ſi ſolos opulentos reſpicias, nullam in ſe iniquitatem continere videtur; quibus illud, quod ad recreationem animi ac corporis conducit, domi facillime ſuppetit. Sed reſpectu pauperum, quibus ante omnia quidem refectione opus eſt, & ſæpe aliam aberrationem à vitæ ærumnis & moleſtiis non habent, mandatum id conſiderationem meretur, & non niſi pertentata & bene perſpecta cauſa de hujuſmodi rebus aliquid ſtatuendum. Eandem ob rationem cenſeo, munus cauponum, in quorum ædibus compotationes ſolum fiunt, parum legitimum eſſe, ac ſine peccato vix exerceri poſſe; ſed reſpectu multorum pauperum opificum, quibus cereviſiam domi habere paupertas non permittit; & quibus tamen non puto eſſe nefas hauſtu moleſtiam quotidiani ſui laboris eluere; juſſum illud ſatis durum foret. Facilius etiam profuſi ſumptus, qui in conviviis fiunt, prohiberi poſſent, quam convivia prorſus prohiberi: ſine quibus civilis ſocietas vix tueri ſe poteſt. Sic præſtat ædes ſacras, quibus ſuperſtitioſe nomen alicujus Sancti impoſitum eſt, integras conſervare, quam propter nominis abuſum eas diruere. Quod tamen Brouniſtis placet. Huc regula illa quadraret, *Maneat uſus, tollatur abuſus.* Cum civis facile bono aliquo carere poteſt, & ſi magnum quoddam malum ex utilitate exigui illius boni oriturum videtur, tum prudentia præcipit, ut bono malimus carere, quam ut id tanto cum diſcrimine poſſideamus. Celebratio honeſti atque publici funeris non poteſt damnum penſare, quod Reipub. metuendum eſt, quum prævidetur, cives circa ſepulchrum idololatriam ſuperſtitionemque exercituros. Ac eapropter Deus voluit, ut Moſes in abdito loco ſepeliretur. Contra mercatus ſolennes & nundinas omnino tollere, propter intemperantiæ genera, quæ illic obtinent, non equidem laudarem. Verum etiam ludos & ſpectacula, in quibus multa turpia aut Chriſtianis non convenientia committuntur, permittere nollem ob paulum boni, quod iis ineſt: quoque divites, ac pauperes, & civitas carere poteſt. Sic reprobarem permiſſionem hodiernorum ludorum Comicorum: quamvis aliquando Comœdiæ poſſent exhiberi, quæ multum honeſtæ voluptatis civibus concilient, ſine magno periculo labis & corruptelæ morum. Ejuſmodi enim graves comœdiæ raro aguntur: reliquæ autem non tantum per ſe multis vitiis laborant; verum etiam cum tot abuſuum & vitiorum additamentis foris accedentibus implicatæ ſunt, ut utilitas honeſtæ delectationis, quæ iis poſſet comprehendi, nullatenus malum, quod ex iis Reipublicæ Chriſtianæ oritur, poſſit penſare: & cives damnum illius voluptatis infinitis aliis honeſtis recreationibus

ationibus redimere poſſunt. Idem etiam judicarem de celebribus illis choreis, quas *Bal* vocant, ſi plurimum tanta levitas in iſtis committatur, uti ferunt, quanquam non auſim damnare omnem numeroſam ſaltationem. Quum enim ſaltatio per ſe juxta omnium Theologorum ſententiam non mala ſit: ſed propter abuſus, quæ plerumque eam comitantur, ab Eccleſiis noſtris ſuſpecta habeatur: itaque utilitatis ſpes cum damni metu, quod cœtui fidelium per illius exercitii permiſſionem naſci poſſit, componenda eſt. Ad honeſtam educationem non minus neceſſarium judico, ut corpus apte ac decenter ferre & flectere noverimus; quam ut linguam ad bonum ac facundum ſermonem formandum dirigamus. Et laudandum eſt, ut quis cantum ſuum ad menſuram & numerum regere poſſit, ſimul manibus ad illum utens: quî dedecere poteſt, ſi quis totum corpus una cum pedibus ſecundum menſuram & numerum commovere noverit: dummodo à petulantibus levibuſque geſtibus à Chriſtiana gravitate alienis abſtineas.

Enimvero, ni res hæc, prohibitio nimirum boni propter abuſum, quod illi adhæret, circumſpecte conſiderateque tractetur, Chriſtianus multis in rebus, extra neceſſitatem libertate ſua privabitur: ac quod præcipuum eſt, urbes regioneſque in paupertatem, ac tantam imbecillitatem recident, ut ſumptus ferre nequeant ad tutelam ſuam; atque ad ſuſtentationem Eccleſiæ Regiminiſque Politici neceſſarios. Atque illi, qui nunc maxime ejuſmodi edicta ac conſtitutiones urgent; forſan è primis forent, qui ſimulatione, quod alibi ipſorum opera majoris eſſet uſus; civitatem aliquam, quando collaberetur, ſtipendiumque ſuum paulo tardius ſolveretur, desererent. Si Pontificiis habitationem deneges, peregrinorum confluxu & habitatorum ac civium frequentia cariturus es; & ita utilitate fraudaberis, quæ ex conſumptione eſculentorum & poculentorum percipitur, ac vicinorum potentiam firmaveris in tuam ipſius perniciem. Atque hæc omnia propter fortuitum & foris adveniens malum, quod forſan non majus futurum eſt, quam malum, quod magnam partem quæſtuum quibus cives vitam tenent, comitatur. An ſartorum & ſutorum opera non magis deſervit ad inſtrumenta mundanæ vanitatis Chriſtianis paranda, quam in iis quæ neceſſitas atque honeſtas exigunt. Binæ tertiæ quidem vini portiones œnopolarum luxu conſumuntur. Sic etiam pauca convivia habentur ubi Chriſtianæ ſobrietati litatur. Illos mercatores tacitos prætereo, qui eas merces vendunt, quæ ſolummodo ad luxum comparatæ ſunt; operamque dant, ut quicquid gratia novitatis ad vanitatem Chriſtianos allicere poſſet, in officinis & tabernis venale habeant: quibuſque ita unum opus eſt, hominum vanitatem alere & incendere. Hoc etiam obſervandum eſt, multas res certa hominum genera non decere; quæ ab aliis ſine peccato fiunt: ita ut cum duo faciunt idem, non ſit tamen idem; & unus decorum negligat, alter ab eo non abſit. Ac ſæpius hac in re erramus, ut diſcrimen illud negligentes, in aliis, qui à nobis aut ordine & loco inter cives, aut conditione vitæ differunt, maximopere vituperemus, quod nos maxime dedecere cenſemus. In paupere opifice non tanta gravitas morum requiritur, quam in primario cive: & ideo ſæpe in illo non ſunt habendæ pro re indecora, aut cum morum levitate conjuncta, & per Magiſtratum, aut Eccleſiam prohibenda puniendaque, quæ in hoc immodeſtiæ & turpitudinis nota non carerent.

Hæc quidem ſunt mea cogitata, quæ ſuper quæſtione, an Magiſtratus Chriſtianus malum aliquod in Repub. tolerare poſſit, habui; & quæ ſcriptis mandata in lucem edi permiſi. Hac in re procul fui ab amore atque odio; ac affirmavi ea, quæ vera eſſe credo. Ea rejeci quæ pro congruentibus non habebam. Optarem Lectorem

ctorem tam benigne hæc admittere, quam candide à me dicta ſunt: ut ſi gratiam inire à multis non potuerim, ſaltem ab odio & livore liber ſim. Digreſſus equidem ſum ad aliquas particulares quæſtiones, quæ in præſentia in Eccleſia & Republica agitantur & fervent, in iiſque definiendis à nonnullis diſſentio: ſed non odio adverſariorum ad illas quæſtiones deſcendi, ſed ſtudio veritatis: quod certe mihi fraudi eſſe non debet; cum paratus ſim ab iis, qui à me diſſentiunt, moneri & doceri, ſi amice & benigne rem illam aggrediantur. Si alia inſiſtant via, æquo feram animo; curæque erit ne cui videar me memet deſeruiſſe, aut à me deſciviſſe: ut enim benevolos objurgatores placare, ita invidos vituperatores confutare parati ſumus, ut alteros reprehendiſſe pœniteat, alteri admonuiſſe gaudeant: nam qui amice admonent, amanter audiendi: qui inimice inſectantur, repellendi ſunt.

Index Capitum in hoc Tractatu contentorum.

CAPUT. I. *Introductio.* Pag. 609

CAP. II. *Quomodo communis neceſſitas exigat, ut peccata quædam in Republica tolerentur.* 621

CAP. III. *Juxta quas regulas judicandum ſit, quænam illa ſint peccata, quæ Deus vult ut alter in altero toleret.* 624

CAP. IV. *Quæ peccata exiſtimanda ſint ex communi animi imbecillitate, ac corruptela humana oriri: & ea de cauſa juxta ſuperius aſſerta, in Repub. non punienda.* 627

CAP. V. *Ex S. Scriptura demonſtratur, quosdam errores cum malitia conjunctos: aliquos non item.* 631

CAP. VI. *De conſcientiæ coactione: quæ ea ſit, ac quouſque interna peccata ab errante Conſcientia nata arcenda ſint à Magiſtratibus.* 636

CAP. VII. *Quænam peccata in Repub. ex peculiari neceſſitate poſſint tolerari.* 648

CAP. VIII. *Quando quædam generalia præcepta, ac in generalibus terminis propoſita, ſine ullo S. Scripturæ loco, vel expreſſo præcepto, ea limitante; tamen intelligenda ſint non in omnibus caſibus quadrare.* 657

CAP. IX. *Continuatio enumerationis regularum ſcitu neceſſariarum ad judicandum quando generale præceptum exceptionem patiatur; earumque regularum applicatio ad quæſtionem de Sabbatho.* 665

CAP. X. *Ulterius inquiritur, quomodo Chriſtiano Magiſtratui propter ſingularem neceſſitatem malum tolerare licitum.* 677

CAP. XI. *Quod malum in Republica tolerandum ſit, ob charitatem, quam proximo debemus.* 686

CAP. XII. *Magiſtratum etiam aliquid boni prohibere poſſe propter abuſum, multiplexque malum, quod cum eo conjunctum eſt.* 689

TRAC-

TRACTATUS
DE
ARTICULIS FIDEI
FUNDAMENTALIBUS.

Præfatio ad Lectorem.

Benevole Lector,

EX multis cauſis, quæ me ad ſuſcipiendum laborem recenſendi numerum articulorum fidei fundamentalium, impulere, hæc una præcipua fuit, quod animadverterem Eccleſiarum Reformatarum ſtatum quotidie à priſtino ſuo ſplendore & ſanctitate deſciſcere: cujus rei ego cauſas duas præcipue eſſe arbitratus ſum, diſciplinæ vigoroſæ, quæ quondam in Eccleſiis Reformatis obtinuit, relaxationem; & controverſiarum in Eccleſiis Reformatis multiplicationem; quæ tamen ad primam cauſam commode revocari poteſt. Nam ſi cum regimine Eccleſiaſtico, à cujus bona aut mala conſtitutione diſciplinæ robur aut infirmitas, ita eſſet comparatum, ut firmis præſidiis fulciretur, facile litibus inter fratres illo regimine poſſet occurri. Nam quamvis ego formam regiminis Eccleſiaſtici, quod per Presbyterium, Claſſes atque Synodos exercetur, magnopere probem: arbitror tamen illam in ſuis circumſtantiis & appendicibus magnis laborare defectibus. Præſertim in Eccleſiis, quæ liberæ à perſecutione, & florentes in proſpera fortuna, in exercendo illo regimine inſolentius ſe gerunt; & ſæpius malis affectibus indulgentes potius vindictæ, aut vanæ gloriæ ſtudium quam officium ſequuntur: quod quidem præſertim Eccleſiæ Doctoribus contingit, qui quemadmodum in excelſo loco ſunt conſtituti, ita propiores ſunt iis vitiis, quæ ſuperbia aut vana gloria continentur; & quorum omnium una eſt illa communis labes, quæ Diotrephum infecerat: quæ eſt velle dominari in fratres; & ſuos de quibuſdam religionis articulis ſenſus, ac in exercenda cenſura vota atque conſilia ſua ſola rata eſſe. Inde in Eccleſiis noſtris tot Doctorum in diverſum euntium ſtudia; unde poſtea naſcuntur & artes, quibus ſe muniant contra eos, quos à ſuis opinionibus alienos, nec eoſdem in conſtituenda Eccleſia ſecum habere ſenſus putant. Et ita Presbyteria, Claſſes & Synodi replentur ſæpe ejuſdem factionis hominibus: qui ſedentes tanquam judices æſtimant vitia & errores ex arbitrio illorum, qui in Eccleſia ſibi dominatum pepeiere. Et ita evenit ut ſæpiuſcule in hujuſmodi collegiis non ſine magnis diſſenſionis ſtudiis ſententiæ dicantur. Et quia Presbyteriale Eccleſiaſticum regimen hoc habet proprium, ut etiam de plebe homines, qui nullum rerum uſum habent, & nullis præceptis diſciplinæ Theologicæ ſunt imbuti, adhibeantur ad adminiſtrationem Eccleſiæ, & pro tribunali ſedeant, fieri non poteſt, quin plurima iniqua lege componantur; & non tam pondus quam numerus ſententiarum æſtimetur. Et quidem in illis Collegiis tanto proclivior prolapſus eſt in illa vitia, quod in illo Eccleſiaſtico tribu-

nali

nali cognitio cauſarum, & ſententia de cauſis, quæ in diſceptationem veniunt, nullis ferme fixis legibus & conſtitutionibus regantur: & quia coram eodem Collegio, & per eaſdem perſonas ſimul ea quæ Politiam Eccleſiaſticam ſpectant; & ea, quæ ad ſtrictum jus pertinent, adminiſtrantur: ſit ut ſæpius eadem cum licentia tam res, quæ jus ſpectant, quam ea quæ ad ἀταξίαν pertinent, tractentur. Et quamdiu legibus & conſtitutionibus æquioribus regimen presbyteriale non ordinatur; non eſt quod in hiſce Provinciis arctiore fœdere conjunctis, & in quibus omnibus presbyteriale regimen viget, ullos egregios ſucceſſus & eventus ſperes ad vindicandas Eccleſias priſtinæ ſuæ puritati & ſanctitati. Sed quia nefas eſt privata auctoritate publicam emendationem moliri, videbimus quid hac in parte præſtituri ſint qui nunc rerum potiuntur; exſpectabimusque ut nos votorum compotes reddant, qui innovandi nuper in noſtra Republica ſtudio Eccleſiæ præcipue utilitatem obtendêre.

Alteram deformationis Eccleſiarum noſtrarum cauſam arbitror eſſe rixas, lites & diſputationes, quæ non ſolum vigent inter Reformatos, qui ab Eccleſia Romana ſeſe ſepararunt; nec tamen in ullo errore fundamentali verſari putantur, ſed etiam inter Doctores & Eccleſiæ membra, quæ una Confeſſione unaque Regiminis Eccleſiaſtici forma conjuncta ſunt: quæ quidem lites & numero ita multiplicantur, & diſputantium præpoſtero fervore adeo intenduntur, ut qui in illis Eccleſiis maxime docti æſtimentur, nunc omnem ſuam operam in hoc ponere videantur, in eoque omnem ingenii ſui ſuccum exhaurire, ut mutuis ſcriptis in publicum editis ſeinvicem lacerent; & Adverſarios ſuos odioſis, & ad invidiam conflandam comparatis conſequentiis gravent & onerent.

Exiſtimamus autem iſtud Eccleſiarum malum aliter tolli non poſſe, quam ſi oſtendatur omnes à charitate, quam fratribus debemus, abeſſe, qui omnia illa (non dico ſolummodo dogmata, ſed etiam errores) in Eccleſia tolerare recuſant, qui fundamentales non ſunt. Nullum autem errorem fundamentalem æſtimandum, qui per ſe non evertat cultum rationalem; tam ratione quam Scriptura à Deo proditum. Neque referre quibus aliquis error non fundamentalis inſuper oneretur conſequentiis. Siquidem illi qui errorem non fundamentalem errant, omnes illas conſequentias præſcindant; & ab iis ſe alienos eſſe profiteantur, idque cultu ſuo teſtentur: ita ut quantum ad cultus ſubſtantiam omnes conveniant. Poſſe alioquin errorem quendam non fundamentalem homini alicui exitio eſſe, concedimus: ſed id tum non fit propter noxam aut peſtem erroris, ſed propter defectum in pietatis praxi & uſu, in quo aliquis verſari poteſt in amplectendo & tenendo aliquo errore. Hoc poſito, (quod quidem in præſenti Tractatu ſtabilire conatus ſum, an præſtiterim, aliorum eſto judicium) exiſtimo ultro inde manare omnes Chriſtianos deeſſe ſuo officio, qui errantem in non fundamentalibus propter errorem talem fra-

tris loco habere abnuunt, & cum eo omnia arctiſſimæ fraternitatis officia colere detrectant: & qui alia ratione errantem fratrem ab errore abducere laborant, quam quæ inter fratres convenit, qui alter alterum infirmitate lapſum erigere ſtudent. Quod ſi autem fraternitatis officia eouſque ſe diffundunt, ut etiam illi errores in Eccleſia tolerandi ſint, propter quos noſtro ſeculo ſchiſma natum, & itum eſt in partes; quanto æquius erga membra Eccleſiæ, quæ una fidei profeſſione nobiſcum conjuncta ſunt, ea adhibere officia, quæ arctior conjunctio flagitat; & fraternus amor, qui præcipue ad pacem confirmandam comparatus eſt, imperat. Et quandoquidem hominibus non ita facile conſtare & exploratum eſſe poteſt, utrum aliquis frater contumaciæ aut pertinaciæ vitio hæreat in errore; & res, omnium judicio, ſit intolerandæ ſuperbiæ fratrem iſtorum vitiorum reum agere, quia nobis & noſtris argumentis, quibus eum ab errore deducere laboramus, tantum non tribuit, ut in noſtram concedat ſententiam, inde facile conficitur nullum fratrem clementius habendum, quam errantem. Unde tunc rurſus in aperto eſt, illos longe, non dico à charitate, ſed ab humanitate abeſſe, qui tot contumeliis, acerbitatibus & damnis fratrem errantem inſectantur & perſequuntur: ut merito ſuſpicandum ſit, tales zelotas per ſimulationem ſtudii veritatis, privatæ ſuæ vindictæ parere; & aut ſuo honori ſuiſque commodis velificari. Si itaque clare oſtenderim illos male inſiſtere; & id, quod tamquam ſanctum & pium jactitant, originem debere animo amoris & fraternæ charitatis vacuo, in ſpem non exiguam excitor, me hoc effecturum, ut quoſdam mali ſui inſtituti pudeat, & ut alii in benevola atque benigna voluntate erga errantes magis magiſque confirmentur: cum viſuri ſint apertius, rationi & Scripturæ convenire, etiam in erroribus, propter quos quidam aliquando Eccleſia ejecti ſunt, ita connivendum eſſe, ut iiſdem etiam ſacris cum iis uti deceat. Et quamvis hæc ſententia antehac à plurimis fuerit vexata maledictis, & ſubjecta odio civium, confido tamen, quandoquidem ſtudium partium jam deferbuit, majorem noſtrorum Theologorum partem aliud laturam judicium, quam illi tulere, qui ante aliquot annos Eccleſiis noſtris præfuere: aut ſi hac in re eſfectus votis non reſpondeat, & concepta ſpes me deſtituat, confido tamen fore, ut multi in fratres errantes temperantiores futuri ſint; & in moderatiora incubituri conſilia, quibus pax reſtituatur Eccleſiis, & inter Reformatos vitetur major animorum diſtractio. Quod ſi eveniat, bene mihi conſtabunt mei laboris fructus. Quod ſi aliter in fatis eſt; & præterea pro ſuſcepto labore mihi à quibuſdam acerbis Theologis mala referatur gratia, conſolabitur me conſcientia recte facti: quandoquidem non alio, quam officii pretio ductus hoc opus ſum aggreſſus. Ita utcunque res cadet, nihil me deturbabit à quieto mentis meæ ſtatu: ut qui jam didicerim non ab hominibus rationes meæ vitæ ſuſpenſas habere.

TRAC-

TRACTATUS DE ARTICULIS FIDEI FUNDAMENTALIBUS.

CAPUT I.

In quo expenduntur & refelluntur argumenta eorum, qui articulorum fundamentalium enumerationem fieri non poſſe exiſtimant.

Conſtitutum nobis eſt, ſcribere Tractatum de Articulis fundamentalibus: à nonnullis, qui à nobis in religione diſſentiunt, hoc opus eſt ſuſceptum; & illis fortaſſe conſtitit laboris ſui fructus: ſed ex noſtris, quod ſciam, id nullus eſt aggreſſus; tum quia (ut quidem præ ſe ferunt) enumeratio Articulorum fundamentalium fieri non poteſt; cum etiam, ut ego arbitror, quia res illa multis videbatur habitura magnam invidiam, & quod eſſet varia ac multiplex ad ſuſpiciones & ſimultates: quod ideo eos deterruit, ne in illud debita cura incumberent. At tales, qui articulos fundamentales enumerari poſſe negant, non videntur intelligere in quam ſeſe induant difficultatem: nam quomodo illis conſtat ſua ratio, qui cum negant articulorum fundamentalium ſummam fieri poſſe, tamen ab aliquot enumerandis ſe non temperant. Si enim in illis enumerandis non ducantur conjectura, non debet illos fugere cauſa, quare quoſdam articulos fidei numero articulorum fundamentalium accenſeant, alios eo excludant: at quæ ratio valet in uno articulo, illa etiam obtinebit in reliquis: & ita articuli fundamentales nota ſua inſigniti, ſe ultro iis prodent, quorum cura evigilavit in aliquot articulis fundamentalibus eruendis; aut ſaltem res tam difficilis factu non eſt, quemadmodum plurimi obtendunt. Cui in Medicina conſtat formalis ratio partis principis, illi latere non poteſt magnus talium partium numerus; quia omnium idem eſt judicium: & qui perceptum & comprehenſum habet quid ſit vulnus lethale, illi ſatis in promptu eſt, & judicatu facile an vulnus, quo aliquis periit, lethale fuerit, an ſecus. Nam cum dicimus illis enumerationem articulorum fundamentalium non ita difficilem eſſe debere, qui jam de aliquibus fidei capitibus tulerunt judicium, non hoc ſtatuimus, quod facile potuerint numerum eorum recenſere, & ſpeciatim omnes enumerare; (quod tamen fieri poſſe exiſtimo) ſed quod diu hærere non poſſunt in declarando, an aliquis articulus fidei ſit fundamentalis, quando de illo controverſia incidit, & res in diſceptationem venit. Fatentur à noſtra ſententia alieni, notiones primas, & per ſe notas ſuis ſignis facile ſe aperire; & notionum tamen primarum numerum conſtituere difficile, & forte impoſſibile factu eſſe ferunt: at ego lubens concedo in præſentia non tam facile eſſe notionum communium numerum recenſere; quia in eo non magnopere fuit laboratum, & quia nondum ſatis explo-

ratum eſt, in quo vertatur natura communis notionis: ſed qui profitentur ſe unam notionem communem per *ſuam notam* cognoſcere, illos fugere non poteſt quid ſit, quod ſua ſponte cognoſcitur.

Dicunt præterea Deum non uno modo, nec unis mediis hominem ad ſalutem perducere; & ideo cognoſci non poſſe quid cuique ad ſalutem neceſſarium ſit: ſed non intelligo, quæ vis in hoc ſermone ſit. Non enim unquam in dubium vocatum fuit, utrum Deus omnibus ſalvandis eandem cognitionis & ſanctitatis menſuram largiatur: ſed quæritur, quanta cognitio myſteriorum fidei requiratur in homine rationis capace, ut eum quoad cognitionem & pietatem veram, quæ ſine cognitione articulorum fundamentalium eſſe non poteſt, fratris numero habeamus, & cœtui fidelium adſcribamus: at ſine cognitione articulorum fundamentalium id ita tuto fieri non poteſt. Neque etiam eſt aliquid momenti, cum dicunt enumerationem articulorum fundamentalium nullius eſſe uſus; nihil referre, etiamſi præciſe catalogum eorum facere non poſſimus: ſufficere nos ex eventu & ex effectis judicare poſſe aliquem omnibus articulis fundamentalibus fidem adhibere: tum quia veram pietatem ſuam vitæ ſanctitate prodit, quæ ſine vera fide eſſe non poteſt; cum etiam quia tantum & tam magnum numerum articulorum & capitum fidei profitetur, ut nullum dubium eſſe poſſit, quin illo magno numero etiam omnes articuli fundamentales comprehendantur. Qui ita argumentantur, circulum (ut Scholæ loquuntur) committunt; probant veram hominis fidem per ejus ſanctitatem, & rurſus veram ſanctitatem per hominis fidem: quia ſine vera fide vera ſanctitas in homine oriri non poteſt. Deinde quæro an vera ſanctitas & pietas facilius dijudicatur, quam articulus fundamentalis. Agimus hic non de cognitione, quæ nititur ſingularis cujuſque hominis conſcientia, ſed de illa, qua inſtructi eſſe debent illi, qui Eccleſias aut inſtituunt aut gubernant; & judicant atque ſententiam dicunt, cum quo digne Societas & Fraternitas Chriſtiana coli poſſit. Præterquam quod ſinguli fideles, quando ſe ſunt introſpecturi, & pertentaturi an vero pietatis ſtudio ducantur, etiam explorare debeant ſuam fidem, & ab illa etiam petere ſigna & teſtimonia veræ & non fucatæ pietatis. Deinde finge mihi conſtare de alicujus vera pietate; & ita me perſuaſum eſſe, poſſe talem omnes articulos fundamentales tenere, & credere: Quid inde efficitur? An talis vere fidelis non adhibet fidem multis articulis, quibus fides ejus firmior & perfectior redditur; & qui tamen articulorum fundamentalium numero non ſunt cenſendi? Reſtat igitur adhuc inveſtiganda *nota*, qua articuli *utiles* à *neceſſariis* diſtinguantur: fateor tamen iſtorum Doctorum ſententia hoc effici, ut ſi nobis de probitate alicujus v.gr. Sociniani conſtaret, tunc fas eſſe ſtatuere doctrinam Socinianorum errorem fundamentalem non complecti. Jam pariter liquet, quid judicandum ſit de illorum ſententia, qui *ſanctitatem* notam Eccleſiæ eſſe tradunt. Illa nota ſola & ſeorſim conſiderata, & ſejuncta à profeſſione articulorum fundamentalium, non eſt nota: ſed cum ea profeſſione conjuncta veriſſima nota eſt: quia non eſt vera Eccleſia, in qua vera ſanctitas non reperitur: ſed illa non poteſt dignoſci ab iis, quos fugit articulorum fundamentalium cognitio; quia profeſſio veritatis eſt pars ſanctitatis, & unum ex operibus, quibus veræ oves & veri paſtores à lupis rapacibus diſtinguuntur.

Quantum autem ad copioſum numerum capitum fidei, quæ aliquis profitetur, ita ut vix fieri poſſit eo non comprehendi omnes articulos fundamentales, id temere dicitur, & uſu damnatur: quia multæ Eccleſiæ, quæ ſatis inſignem articulorum fidei numerum recenſuerunt in ſuis Confeſſionibus, à noſtris tamen reæ aguntur errorum fundamentalium. Imo quo numerus

merus major eſt, eo magis extimeſcendum periculum, ne etiam capitalibus erroribus & poſitionibus ſeinvicem evertentibus, eum numerum repleamus: quod comperimus factum in Eccleſia Romana.

Alii docent ſatis conſtare enumerationem articulorum fundamentalium neceſſariam non eſſe, quia in Scriptura nullus eorum extat catalogus: qui proculdubio ibi reperiretur, ſi eorum cognitio eſſet neceſſaria. Reſpondeo; ſed in Scriptura non extat catalogus librorum canonicorum, attamen illis libris continetur fides ſalutaris. Deinde ubicunque Scriptura inculcat neceſſitatem alicujus articuli, (quod multis locis facit) ibi etiam neceſſitatem cognitionis reliquorum articulorum fundamentalium docet. Nam ſi ex Scriptura conſtat aliquorum articulorum fidei cognitionem neceſſariam eſſe; inde recte conficitur hominis Chriſtiani, cui ſua ſalus curæ eſt, plurimum intereſſe ſcire, quid ſibi ad religionem ſuam recte colendam ſcitu neceſſarium ſit, ut in eo præcipue ſe erudiat, & ne ſemper animi pendeat, & dubitet, utrum ſatis cognitionis acquiſiverit ad adipiſcendam ſalutem. Qui docet multa cognitu neceſſaria eſſe ad ſalutem, & quædam recenſet, innuens ſimul ſe non omnia enumeraſſe, ille certe auditori curam & ſollicitudinem affert inveſtigandi, quæ illa reliqua ſunt, quorum præterea cognitio requiritur. Præterea non capio, quomodo recte reſponderi poſſit ad argumentum Pontificiorum, qui negant nobis conſtare rationem, quare nos ſeparaverimus à Romana Eccleſia propter errores fundamentales, ſi nos fugiat errorum fundamentalium numerus: eſt enim idem, ac ſi hominem damnes, quod lucem non vult intueri; & interea ipſe ignoras, quid ſit lux. Neque vis iſtius argumentationis eluditur, reſpondendo; de quibuſdam erroribus Pontificiorum judicium conſtans & firmum ferri poſſe, illos eſſe fundamentales, quamvis eò non aſſurgat noſtra cognitio, ut catalogum omnium articulorum fidei fundamentalium poſſimus pertexere: at ſi non opinione ſed ſcientia proceſſit noſtrorum Reformatorum agendi ratio, qua ſeſe ſepararunt ab Eccleſia Romana propter errores fundamentales, in quibus verſabatur, habuerunt certam notam, qua diſcernerent errorem fundamentalem à non fundamentali; at illa nota etiam in omnibus aliis articulis fundamentalibus detegi, & in lucem protrahi poteſt; & ſi de quibuſdam dubitetur argumento eſt, illam notam in iis obſcuram eſſe: ergo illi qui dubitant an illa nota iis adſit, ponunt notam, qua articulus fundamentalis cognoſcitur, ſibi compertam & exploratam eſſe, ſed ſe ſolummodo animi ambigere, an illa nota adſit alicui articulo, quia ſe ſuis ſignis non manifeſtat. Deinde quomodo noſtri Reformatores Eccleſias & cœtus Chriſtianos, ex fide & cum fiducia congregare & erigere potuerunt, ſi formalis ratio articulorum fundamentalium eos fugerit; & ſi illi articuli, quos in Confeſſionibus fidei expreſſerunt, & qui ſunt ſatis magno numero, ſunt omnes articuli fundamentales, aut inſignis uſus: habuerunt illi itaque fundamentum, à quo deducunt neceſſitatem, & utilitatem alicujus articuli.

Dubito etiam an ſatis commode Boreëliſtis reſponderi poſſit, niſi concedatur articulos fundamentales enumerari poſſe; aut ſaltem ita certo agnoſci, ut quando de aliquo articulo lis movetur, pronunciari tuto liceat illum, aut fundamentalem eſſe, aut non neceſſarium. Boreëliſtæ hac ratione argumentari inſtituunt: quo pacto homines *fallibiles nomine Dei*, & ut *legati Dei*, Eccleſiam congregare, erigere & articulos fidei credendos ſocietatis membris cudere poſſunt, ſi ipſis non conſtet quinam ſunt articuli fundamentales, ſine quibus ex omnium Chriſtianorum ſententia, nulla ſocietas Eccleſiæ Chriſti nomine digna eſt? Quo jure aliquos Chriſtianiſmum profitentes, ſed in quibuſdam

buſdam

buſdam fidei capitibus diſcrepantes, ad Eccleſiam adjungunt, alios ab ea removent; ſi ipſis non liqueat, qua æſtimatione capita fidei habenda ſint, & quare unus error eos excludat ab Eccleſia, alius eos ea ſocietate non reddat indignos? Docent ideo Boreëliſtæ nemini fas eſſe Eccleſiam *nomine Dei* congregare: articulorum fidei numerum & catalogum facere; & ſocietatem, quæ iſtis articulis fidei fidem adhibet, dignari nomine Eccleſiæ Dei; illi tribuere omnes prærogativas, quas Scriptura illi tribuit; & hominibus inculcare aſſociationem ad illam Eccleſiam *tanquam partem cultus*, nemini, inquam, fas eſſe docent tantum ſibi authoritatis arrogare, qui ſpiritu infallibilitatis non eſt prædirus: & quia illud donum jam ceſſavit in Eccleſia, exiſtimant non aliter Chriſtianas ſocietates conſtitui poſſe, quam in *Dei tolerantia*, (ut loquuntur) donec illud donum infallibilitatis Deus reddat Chriſtianis. Et ita Boreëliſtæ non ferunt aliter Chriſtianas Eccleſias colligi, quam ſuper duobus illis fundamentis: nempe authoritate Scripturæ,& promiſſione obedientiæ eidem Scripturæ præſtandæ. Neque ullis aliis fidei articulis circumſcribunt ſocietates Chriſtianorum: dicunt autem illas Eccleſias in *tolerantia Dei* colligi, quia agnoſcunt illas Eccleſias eas partes principes non habere, quæ requirantur in Eccleſia, ubi donum infallibilitatis ſupereſt; quia neſciunt, an in tali Eccleſia non reperiantur, qui fundamentaliter errent, quia numerum articulorum fundamentalium ignorant. Et ita agnoſcunt tales Eccleſias imperfectiſſimas eſſe, & indignas illis titulis, quibus Eccleſia primitiva ornatur; & propterea Deus tales Eccleſias tolerat, & erigi permittit, quia Chriſtiani carentes dono infallibilitatis plus præſtare non poſſunt, quam fraterne convenire; ſuper capitibus religionis inter ſe differere, & ita ad communem ædificationem, & informationem Chriſtianorum dona in commune conferre: exſpectantes donec Deus majori benignitate dignetur complecti Chriſtianos, & eos de integro largiri infallibilitatis donum.

Non reſecabo ad vivum, quot qualeſve errores hæc doctrina contineat, cum illos hic recenſere, aut refutare nihil attinet. Hoc tamen aſſevero, Boreëliſtas non imperite argumentari contra Reformatos, qui docent de numero articulorum fundamentalium nobis non conſtare: nam ſi doctoribus, qui Eccleſiam colligunt, exploratum non eſt, Confeſſionem fidei alicujus Eccleſiæ complecti omnes articulos fundamentales; & eos, quos propter errores ab Eccleſia arcent, in fundamentalibus errare, non intelligo, qua fiducia fraternitatem cum quibuſdam colere nolint, de quibus tamen ipſos fugit, utrum exitialem errorem errent. Certe quandoquidem inter omnia præcepta, quæ in Euangelio exſtant, præceptum *de Charitate* familiam ducit, quomodo tam temere quoſdam indignos judicant, cum quibus eadem ſacra communia habeant; quos Deus tamen charos & acceptos habere poteſt. Et culpa quidem eorum eo augetur, quod maxima noſtrorum Theologorum pars non tantum illam aliorum excluſionem ab Eccleſia habeant pro *actione privata* hominum privatorum; qui ſe ſeparant à quibuſdam ex communi prudentia, ſecundum quam ſinguli fideles vitam & victus conſuetudinem dirigere debent; & qua ſinguli tenentur eorum conſortium vitare, & præſertim in ſocietate religionis & ſacrorum, quibus religio Chriſtiana inuri poſſit aliqua nota impietatis aut peſtiferorum dogmatum, quæ Religionem Chriſtianam aut delent, aut admodum deformant. Sed plurimi noſtrorum Doctorum præ ſe ferunt, ſe *jure excommunicationis* uti *nomine Chriſti* per poteſtatem judicialem ipſis à Chriſto conceſſam: quemadmodum liquet ex formula excommunicationis eos talem poteſtatem ſibi vindicare. At quomodo hæc

cohæ-

cohærent, nomine Chriſti talem auctoritatem exercere, & ſimul profiteri ſe ignorare, quinam ſunt articuli fundamentales; nec poſſe rationem formalem eorum aſſignare, neque *in notis*, quibus illi ab aliis diſtinguuntur, convenire: id mihi à ratione alienum videtur. Quemadmodum in talem abſurditatem ſe induit, qui attribuit ſibi poteſtatem judicandi de vulneribus lethalibus; & illa poteſtate ſæpius utens, alios homicidio abſolvit, alios ejus reos pronunciat, & interea profitetur ſe *certam notam* non habere, qua lethalia vulnera à non lethalibus diſcriminet.

Et tamen ad iſtud judicium legitime inſtituendum non requiritur donum infallibilitatis, quemadmodum ejus neceſſitatem urgent Boreëliſtæ. Poſſumus eſſe certi aliqua de re, etiamſi dono infallibilitatis careamus; quod mihi facile omnes Boreëliſtæ concedent in rebus moralibus obtinere, de quibus certo pronunciare licet, quaſdam actiones eſſe peccata, quaſdam virtutes, quamvis vacui ſumus ab infallibilitatis dono. Ita arbitror Boreëliſtas mihi facile largituros me ſine dono infallibilitatis poſſe certo ſcire, quid in aliqua epiſtola ab amico miſſa contineatur; & quis ſit verborum, quibus amicus uſus eſt in ea exaranda, ſenſus. Idem pari jure dico de textibus Scripturæ claris & perſpicuis; ut & de principiis religionis, & cultus naturalis, cujus ſemina & notiones primæ inſculptæ ſunt mentibus noſtris; & quorum principiorum tantus eſt uſus, etiam in cultu revelato, (poſtquam ſcilicet quædam fundamenta ex Scriptura eruta & exſtructa fuerunt) ut ferme utramque paginam in Chriſtiana Religione faciant: quia cum illa ſit ratio cultus rationalis, ut prima mediis & ultima primis reſpondeant, *ratio* ex uno fundamento innumera fundamentalia deducit: de quibus quaſi ſua ſponte omnes judicant, qui animum religione bene tactum habent. De qua re in ſequentibus erit dicendi locus; ut & de multis aliis dubiis, quæ in hiſce legendis lectori oriri poſſunt, quæ ſingula ſuo loco dicentur.

Cum autem Doctores noſtri ſe vocant *Dei legatos*, & ſe *nomine Dei Eccleſias* congregare dicunt, eo nihil aliud præ ſe ferunt, quam ſe parere Dei præcepto, & ordini ab ipſo inſtituto, quo Deus imperat, ut quiſquis pro menſura & modulo ſuæ cognitionis proximum in veritate erudiat, & ut Religionis & ſacrorum Antiſtites bene in ea eruditos & informatos in unam ſocietatem congregent: & communibus legibus ad veram fidem & pietatem colendam comparatis illam ſocietatem regant, ſanctis doctrinis, exhortationibus, admonitionibus & correctionibus illam pietatis incrementis cumulatiorem & perfectiorem reddant. Ad hujuſmodi munera donum infallibilitatis non requiritur, non magis quam illo dono opus eſt ad explenda officia charitatis erga proximum, aut ad dirigendam vitam noſtram in iis omnibus, quæ Deum, proximum, aut nos ipſos ſpectant. Itaque *nomine Dei* & *nomine legati Dei*, in hoc caſu nihil aliud ſignificat, quam ex præcepto, & lege Dei, aliquid agere; ita tamen, ut judicium & æſtimatio utrum Dei lege aliquid docemus, aut agimus, ſit penes eos, quibus ſupra memorata officia exhibemus; neque illi ſtare tenentur judicio eorum, qui profeſſione, alios erudire inſtituunt. Ita ut tota Doctorum auctoritas nulla ſit, ſi æſtimemus ex illa manare obligationem aliquam ad doctrinæ eorum parendum propter illam auctoritatem. Sed contra omnis parendi neceſſitas oritur ex judicio illius, qui inſtituitur: & ideo nulla Eccleſia, multo minus aliquis doctorum numerus, *imperare* poteſt obedientiam alicujus articuli fidei, ſed poteſt tantum illius articuli fidem *docere cum manifeſtatione veritatis ad conſcientiam hominis per rationes & argumenta*. Qui aliam auctoritatem Doctoribus Eccleſiæ, aut ipſi Eccleſiæ tribuunt in condendis fidei articulis, illis neceſſe eſt in caſtra Pontificiorum tranſire,

ire, & donum infallibilitatis Eccleſiæ tribuere; ſed de his alibi plurimis egimus.

Nunc revertamur ad propoſitum. Cum itaque Eccleſiam erigimus, & in eam aliquem recipimus; aut quando alicui jura & privilegia Eccleſiæ eripimus, ſegregando nos ab eo, id fit *privata auctoritate*: & donis ſcientiæ, charitatis, & prudentiæ, quâ ſinguli ſalutem ſuam operantur. Et quemadmodum ſinguli fideles ad defungendum illo munere, quo quiſque fidelis curam habere debet ſuæ ſalutis, opus non habet dono infallibilitatis: (concedentibus ipſis Boreëliſtis & Pontificiis) ita Eccleſia hujuſmodi dono carere poteſt; & tamen tueri dignitatem veræ Eccleſiæ. Nam ut cum Pontificiis propius pedem conferam: pone in doctoribus Eccleſiæ, aut in Pontifice Romano eſſe donum infallibilitatis; niſi idem illud donum tribuas ſingulis fidelibus, ne hilum quidem profecerunt ad ſtabiliendum illud dogma, fidem ſc. ſingulorum niti debere *infallibilitate*, *& fide* (ut illi loquuntur) *divina*. Nam quandoquidem ſinguli fideles ſuo quiſque intellectu percipit canones & decreta Eccleſiæ, eorumque decretorum explicationem & interpretationem, deque iis judicat privato ſuo judicio: ſi perceptio & judicium de ſenſu decreti non fiat ab intellectu infallibili, etiam fides ſingulorum infidelium non nititur infallibilitate aut fide divina. Et Boreëliſtæ ad evitandum illud incommodum tribuunt ſingulis fidelibus in primitiva Eccleſia donum infallibilitatis, quo ab erroris periculo immunes erant; & infallibiliter judicabant de doctrina propoſita; infallibiliterque ſenſum doctoris aſſequebantur. Qua infallibilitate ſublata, Pontificiorum infallibilitas, quam Papæ aut Concilio tribuunt, non ſufficit; nec eum uſum præſtat ut ideo ſtatui poſſit fidem ſingulorum fidelium niti *fide Divina*. Qua opera itaque refutamus Boreëliſtas, eadem refutamus Pontificios, qui privatis Chriſtianis non permittunt judicium, quo ipſorum fides nititur, de articulis fundamentalibus: & in ineunda ratione atque via in illis definiendis, & enumerandis longe à vero deflectunt: miſcentes *neceſſitatem* profeſſionis articuli *utilis*, cum *articuli neceſſarii* profeſſione: & docentes omnes illos articulos *creditu* neceſſarios, quos Eccleſia conſtituit, debere eſſe *de fide*, ut loquuntur, hoc eſt, quos definivit eſſe veros, & quorum fidem implicitam vel explicitam omnibus imperat, non inducta neceſſitate, aut utilitate articuli in ſe conſiderati; ſed ad componendas lites, & ad animorum diſtractionem vitandam in Eccleſia. At immenſum differunt declarare articulum aliquem verum eſſe, eumque à fidelibus recipiendum: quia id in præſentia conducit, & fidelibus ex uſu eſt; & declarare aliquem articulum ex ſua natura & indole, inteſtiniſque qualitatibus eſſe fundamentalem: quia ſc. ſine eo partes cultus non conſentiunt, aut cohærent, & ſibi non conſtant.

Et quandoquidem Eccleſia Romana, reſpectu multorum articulorum fidei contenta eſt fide multorum implicita; quatenus ille, qui profitetur ſe fide implicita aliquid credere, ſe refert ad Eccleſiæ fidem; & ita fide implicita credit quod Eccleſia credit, & ſimul declarat ſe paratum eſſe omnia amplecti, quæ Deus per Eccleſiam propoſuit credenda: & quia talis, qui fide Divina credit Eccleſiam regi à Spiritu Sancto, etiam paratus eſſe debet in nullo diſſentire ab Eccleſia, ideo putant Pontificii ſe recte diſtinguere inter fidem implicitam & explicitam. Hiſce enim quæ dixi, Pontificiorum fides implicita continetur. Quatenus, inquam, Eccleſia Romana contenta eſt tali fide implicita, ſatis oſtendit formam articuli fundamentalis & creditu neceſſarii plane aliam eſſe apud Pontificios, aliam apud nos: illis articulus eſt neceſſarius ratione præcepti Eccleſiæ; & qui quondam non fuit neceſſarius, fit neceſſarius; at nos loquimur

quimur de neceſſitate articuli reſpectu medii, quo quis cultum ſuum dirigit, & quo ratione utens conficit hoc & illud creditu neceſſarium eſſe, ſi partes ſui cultus cohærebunt. Hæc tamen implicita cognitio & fides longe diverſa eſt ab illorum, qui articulos fundamentales duobus axiomatis complectuntur: fide *Sacræ Scripturæ* adhibita, *& ſtudio pietatis*: cujus ſtudii partem faciunt ſanctam curam & ſtudium cognoſcendæ veritatis in Scriptura revelatæ. Et exiſtimant nullum, qui hæc duo adeptus eſt, & poſſidet, poſſe fundamentaliter errare. Quia quandoquidem, inquiunt, Scriptura eſt clara & perſpicua in neceſſariis, pius animus, & veritatis Divinæ ſtudioſus non poteſt errare cum animi pernicie, ſed Deus illi Scripturam ſancte meditanti ea aperiet, quæ ipſi cognitu neceſſaria ſunt ad ſalutem. Hæc fides implicita in hoc præcipue differt à fide implicita Pontificiorum, quod illorum doctrina requirat explicitam cognitionem, ſecundum quam homo dirigit fidem ſuam, & per quam ſe ad cultum rationalem excitat. Sed tamen hæc ſententia hoc vitio laborat, quod ex pietate hominis judicat de articulis fundamentalibus; & exiſtimat hominem duabus ſupra nominatis qualitatibus affectum, & iis præditum, vita excedentem, non erraſſe in fundamentalibus. Sed hæc doctrina ſupra refutata eſt: & hoc defectu laborat, quod committat circulum, judicans de veritate fidei ex veritate ſanctitatis, & de veritate ſanctitatis ex veritate fidei. Alioquin omnes Reformati hoc dare debent iſtius ſententiæ patronis, neminem animo devoto inquirere in veritatem, qui illam non aſſequitur.

Cæterum; quemadmodum Boreëliſtæ nullam *fidei confeſſionem* articulis expreſſam habent; ſed Sacram Scripturam univerſam pro regula, & norma fidei habentes; & tollentes ita notas, quibus articuli fundamentales à non fundamentalibus diſtinguuntur, & ſimul Spiritum infallibilem requirentes, exiſtimant illum in errore fundamentali verſari non poſſe, qui divinitatem Scripturæ veneratur, & ſedulo in inveſtigationem veritatis incumbit: & ideo teſtantur ſe propterea paratos eſſe colere fraternitatem cum omnibus, qui pietati ſtudent, & in Scriptura Divinam auctoritatem agnoſcunt. Quemadmodum, inquam, hæc eſt Boreëliſtarum doctrina, ita alii reperiuntur Boreëliſtarum doctrinæ admodum affines, qui exiſtimant illas confeſſiones fidei omnes articulos fundamentales complecti, & eos omnes fratrum dignatione habendos, qui verbis Scripturæ ſingulos ſuæ fidei articulos exponunt, quamvis ipſi *ſenſum dubium & ambiguum ſuper ipſis illis Scripturæ verbis foveant*, aut lectoribus talem ambiguum ſenſum in ſua Confeſſione propinent. Hujuſmodi mihi videntur potius ludere & jocari in re tam ſeria, quam ex animi ſententia loqui. Quæ hæc eſt confeſſio & fides, aut coram Deo edita, aut hominibus prodita, quæ fit verbis quibuſdam Scripturæ ambiguis? Narrare aliquid, quaſi Scripturæ conforme, & quod nulla cenſura notari poſſit: cum tamen reipſa illa verba nihil certi ſignificent, ex ſententia eorum, quorum confeſſio oſtenditur, & in ſpeciem editur: quaſi *Scriptura* non ſenſu ſed littera contineretur; & quaſi illa fides eſſet Deo grata, quæ fit Scripturæ verbis, quamvis à verborum ſenſu longiſſime abſit; & quaſi fides ſono verborum, non mentis ſenſu conſtaret, contra 1 *Cor.* 14. aut quaſi verbis Scripturæ uti non poſſem, & iis tamen perniciosum ſenſum aptare: vide 1 *Pet.* 3: 16. Hujuſmodi itaque Confeſſiones fidei tantum excogitatæ ſunt, tum ad vitandam perſecutionem, quam verentur ſubire, ſi aperte fidem ſuam aperirent; cum etiam ut Eccleſiæ pomœria latius extendant, & ita omnibus ſectis aditus ad Eccleſiam pateat: quare eos miſſos faciemus, ut qui non litantes candori, æquivocationibus proximum ludunt, & fruſtra habent.

Multi arbitrantur articulorum fundamentalium numerum colligi non poſſe: quia tot ſunt ingeniorum variæ indoles, alia ingenia tarda, alia lenta, alia hominum ætate maturorum, alia juniorum, alia exercitatorum, alia rudium. Præterea addunt, quorundam hominum tempora, & commoditates ad adipiſcendam cognitionem veritatis magis aut minus accommodata eſſe, &c. Putant itaque illam quæſtionem in caſu poſitam, & temporibus regi: & ideo quidam arbitrantur articulos fundamentales numero augeri aut minui, quemadmodum in Eccleſia cognitio plus vel minus viget: vel quatenus Eccleſia eſt conſtituta in ſua infantia, vel virili ætate; vel vergit ad ætatem decrepitam, qua Deus vix fidem inventurus eſt in terris. Reſpondemus; quorum mens his agitatur cogitationibus, illi quæſtionis ſtatum de articulis fundamentalibus mente non ſunt complexi. Articulus fundamentalis is eſt, ſine cujus cognitione nemo adultus ſub œconomia ſalutis à Deo conſtituta in Euangelio, ſalutem adipiſci poteſt. Qui itaque de articulis fundamentalibus recte ſermonem inſtituunt, I. Ponunt Deum homines adultos nonniſi per aliquam cognitionem aliquarum rerum ſervare velle. II. Cognitionem illarum rerum ita à Deo tanquam medium conſequendæ ſalutis conſtitutam, ut hominibus in illa *appareat ratio*, quare Deus illam Cognitionem tanquam medium conſtituerit. III. Illam rationem eſſe mediorum cohærentiam cum fine: in qua cohærentia cultus rationalitas conſiſtit. IV. Medium illud fortaſſe quidem Deo arbitrarium fuiſſe, quia fideles ſub V. T. multorum articulorum cognitione carere potuerunt, quæ nunc eſt neceſſaria. At nunc ex voluntate Dei illud medium, aut illam viam ſalutis eſſe firmam & ſtabilem. Rem autem ſic ſe habere nunc, quia (ut puto) commodior locus non dabitur, probabo auctoritate Scripturæ, cui totum, quod hac de re dicendum eſt, dandum eſt, quia agitur de cultu inſtituto.

Ante omnia hoc ponimus, dari aliquem finem homini ultimum, & optimum, ad quem virtutis via graſſamur, *Hebr.* 11: 16. *Nam qui accedit ad Deum, hunc credere oportet eſſe Deum, & præmia largiri iis, qui ipſum requirunt.* Secundo; illum finem ultimum in hac vita non acquiri, 1 *Cor.* 15: 19. *Si ſolummodo in hac vita ſperamus in Chriſtum, miſerrimi omnium hominum ſumus.* Et *verſ.* 23. *Si mortui non reſuſcitantur, edamus & bibamus, cras enim moriemur.* Tertio, illum felicem ſtatum tantum iis contingere, qui virtutem & pietatem coluere in hac vita: atque adeo illam hominibus probis tanquam præmium à Deo conferri, juxta *Rom.* 2: 6. *Qui reddet unicuique ſecundum opera ipſius: iis quidem, qui boni operis gloriam, & honorem & immortalitatem quærunt vitam æternam.* Et *verſ.* 8. *Rixoſis vero & veritati non obtemperantibus, obtemperantibus autem injuſtitiæ, erit excandeſcentia & ira.* Si enim tam piis quam impiis eadem exſpectanda eſt conditio, tunc incerta ratio, & via erit, qua ad felicitatem contendi poſſit. Veram autem pietatem complecti neceſſario quarundam rerum & veritatum cognitionem, ſine qua Deus hominum ſub Euangelio viventium virtutis ſtudium gratum non eſt, patet ex 2 *Tim.* 2: 25. *Cum lenitate erudiens eos, qui contrario animo ſunt affecti, experturus num aliquando daturus ſit Deus reſipiſcentiam ad agnitionem veritatis.* 2 *Theſſ.* 2: 11. *Et ideo Deus iis mittet efficaciam erroris, ut credant mendacio, ut damnentur omnes, qui non crediderint veritati, ſed acquieverint injuſtitiæ*: & 1 *Tim.* 5: 8. *Quod ſi quis ſuis & maxime domeſticis non providet, fidem abnegavit, & eſt infideli deterior.* Et quemadmodum locis ſupra citatis evicimus incredulis vitæ æternæ ſpem non eſſe propoſitam: ſic contra loca ſequentia nos docent, fidelibus & veritati obtemperantibus per ſuam fidem ad illam felicitatem aditum concedi, *Act.* 10: 42, 43.

Præ-

Præcepit autem nobis, ut prædicaremus populo, ac teſtificaremur eum eſſe, qui definitus eſt à Deo judex vivorum & mortuorum. Huic etiam omnes Prophetæ teſtimonium dant, remiſſionem peccatorum accepturum per nomen ejus quemvis, qui crediderit in eum, Act. 9: 14. *Johan.* 13: 18. *Marc.* 16: 16.

Omnium autem credendorum non eſſe eandem neceſſitatem, *Primum,* hoc docet Scriptura: quando diſtinguit inter fundamentum, & inter ea, quæ fundamento inædificantur. Notandum autem vocem fundamenti dupliciter in Scriptura uſurpari, aliquando ſignificat perſonam, qua noſtra ſalus nititur, quæ eam tuetur & procurat, 1 *Pet.* 2: 4. *Ad quem Chriſtum accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, apud Deum autem electum honoratum. Etiam vos ut lapides vivi ædificamini domus ſpiritualis, ſacerdotium ſanctum, ad offerendum ſpiritualia ſacrificia. Eph.* 2: 20. *Inædificati in fundamento Apoſtolorum & Prophetarum: dum eſt angularis lapis ipſe Chriſtus.* Aliquando ſignificat *principem & præcipuam doctrinam de fundamento;* quatenus doctrina ſalutis conſideratur ut aliquid complexum, & compoſitum ex diverſis partibus & capitibus, quorum alia ſunt fundamentum, fons, & origo, unde reliqua manant & ducuntur: alia tanquam rivuli ab illo fonte fluentes: quia partes doctrinæ ſalutis habent commune vinculum, & cognatione quadam inter ſe continentur. De hoc fundamento loquitur Paulus 1 *Cor.* 3: 10. *Secundum gratiam Dei, quæ data eſt mihi, ut peritus artifex fundamentum ſtatui; alius autem ſuperinædificat: porro quiſque videat quomodo ſuperinædificet.* Ubi certe fundamentum non eſt Deus aut perſona Chriſti; aut aliquid ſalutare à Chriſto præſtitum, ſed veritas quædam de Chriſto. Eo referenda omnia illa Scripturæ loca, quæ inſinuant talem alicujus doctrinæ neceſſitatem, ut in illius aberratione hominis perditio ſita ſit, 1 *Timoth.* 6: 3. *Si quis diverſam doctrinam docet, neque accedit ſanis ſermonibus Domini Jeſu Chriſti, & ei quæ ſecundum pietatem eſt doctrinæ, &c.* Et 2 *Tim.* 1: 13. & 2: 8. & *Iob.* 17: 3. *Matth.* 5: 11. *Luc.* 11. *Rom.* 4. Idem docent omnia loca Scripturæ, quæ innuunt dari quoddam vitæ inſtitutum, quod ducit ad interitum: & illud vitæ inſtitutum exprimitur in Scriptura diverſis modis: aliquando per maledictionem, perditionem, condemnationem, *Deut.* 17. *Ierem.* 19. *Matth.* 23. *Rom.* 3. per Anathema, 1 *Cor.* 16. per Spiritum Antichriſti & doctrinam dæmoniorum, 1 *Iob:* 4. 1 *Tim.* 4: 1 2 *Pet.* 2. per fidem & prædicationem vanam, 1 *Cor.* 15. *Excidiſtis, & gratia Chriſti vobis inutilis facta eſt, Gal.* 5. per tradere Satanæ & blaſphemare, 2 *Tim.* 2: 17. ſermo paſcit, tamquam cancer. Quemadmodum contra in Scripturis docetur quoddam vitæ inſtitutum cum ſalute conjunctum eſſe, *Johan.* 4: 40. *Hæc eſt voluntas Dei Patris ut quiſquis me viderit & crediderit, habeat vitam æternam. Johan.* 8: 12. *Ego ſum lux mundi, qui me ſequitur non ambulabit in tenebris.* & 14: 6. *Ego ſum via, veritas & vita,* &c. 17: 3. *Hæc eſt vita æterna,* &c. *Rom.* 1: 16. *Euangelium potentia Dei ad ſalutem. Johan.* 4: 22. *Salus ex Judæis eſt.* 1 *Job.* 4: 15. *Quiſquis profeſſus fuerit Jeſum eſſe Filium Dei, Deus in eo habitat.* & 1 *Job.* 5: 5. *Quicunque credit Jeſum eſſe Chriſtum ex Deo genitus eſt.* Et *verſ.* 12. *Qui habet Filium, habet vitam æternam.* 2 *Theſſ.* 2: 13. *Elegit vos Deus ab initio ad ſalutem per ſanctificationem Spiritus & fidem habitam veritati. Geneſ.* 12: 3. *Benedicant iis, qui tibi benedixerint. Rom.* 13: 8. *Qui diligit alterum, legem implevit. Gal.* 5: 14. *Matth.* 22. *Gal.* 3: 27. *Omnes qui baptizati eſtis in Chriſto, Chriſtum induiſtis. Act.* 26: 18. *Ut aperias oculos eorum & convertas eos à tenebris ad lucem, & à poteſtate Satanæ ad Deum.* Et *Luc.* 1: 79. & *Matth.* 11: 11. *Qui minimus eſt in regno cœlorum major eſt Johanne Baptiſta. Act.* 8: 37. *Si credis ex toto corde, licet tibi baptizari.* Et 9: 20. & 10: 42, 43. *Huic etiam*

omnes Prophetæ teſtimonium dant, remiſſionem peccatorum accepturum per nomen ejus quemvis, qui credit in eum. Et 9:14. *Qui tibi dicturus eſt per quem ſerviens tu & domus tua. Joh.* 1:12. *Quotquot crediderunt in eum, dedit in hoc jus ut filii Dei ſint facti. Act.* 2:19. *Quiſquis invocaverit nomen Domini ſalvus erit*: & hæc de numeris ſufficiant.

Et quemadmodum Scriptura docet dari capita doctrinæ Chriſtianæ tam neceſſaria, ut ſine ſalutis diſpendio ea aliquis ignorare non poſſit: ita innuit dari alia, quæ ejuſdem neceſſitatis non ſunt: cum docet veros fideles caruiſſe cognitione quorundam capitum doctrinæ, & tamen fidelium numero habitos, *Heb.* 5:12. *Vos enim quos oportuit pro temporis ratione doctores eſſe, rurſus opus eſt doceri, quæ ſunt elementa initii eloquiorum Dei; factique eſtis iis ſimiles, quibus lacte eſt opus & non ſolido cibo*, 1 *Cor.* 3:2. Qui ſolido cibo non utebantur ſunt illi, qui doctrinis magnopere utilibus, ſed tamen non abſoluto neceſſariis ad fruendum vita ſpirituali, carebant, & quæ diſtinguuntur ab iis, quibus vita Chriſtiana ſpiritualis præciſe contineatur. Huc referenda omnia illa Scripturæ loca, quæ ſuadent mutuam tolerantiam, & propter opiniones minoris momenti lites & rixas vetant, *Philip.* 3:10. *Quotquot itaque adulti ſumus, hoc ſentiamus, quod ſi quid aliter ſentitis, hoc quoque vobis Deus revelabit, attamen in eo ad quod uſque pervenimus, eadem cedamus regula, & idem ſapiamus*, *Rom.* 14:10. 2 *Petr.* 3:8. *Jacobi* 3:17. Liquet etiam hujus rei veritas, quod Chriſtus ipſe quædam diſcipulos ſibi maxime charos celaverit: & quod multi pii in ignorantia quorundam capitum religionis verſati ſunt, quæ tamen uſum inſignem præſtant in religione: at quibus tamen illi ſine jactura ſalutis carebant, *Act.* 14:18, 25. & 10:13. & 9:19. *Luc.* 9:46. & 18:32, 33. *Joh.* 16:12. Plura nec loca Scripturæ, nec argumenta addam, cum res apud omnes Chriſtianos extra diſceptationem poſita ſit.

Doctrinam autem ſalutarem ejuſmodi eſſe, ut non ſolum ejus partes cognatæ ſint inter ſe, ſed ut etiam aliæ ex aliis manent, & ita aliæ aliarum ſint fundamenta, & ſic viam monſtrent judicandi de pondere & momento cujuſque articuli: liquet, *Primo*, ex locis Scripturæ, quæ diſtinguunt inter fundamentum, & inter ea, quæ ædificantur ſuper fundamento: quorum ſupra meminimus. Patet etiam ex illis Scripturæ locis, quæ indicant dari doctrinas, ad quas aliæ examinari debent; & ſecundum eas inſtitui æſtimationem uſus & neceſſitatis cujuſque articuli: quod certe locum habere non poteſt in diſciplinis, quarum partes divulſæ & diſtractæ ſunt, *Rom.* 16:17. *Rogo vos ſpectetis eos, qui diſſenſiones & ſcandala præter doctrinam, quam vos didiciſtis, faciunt, & declinate ab ipſis.* 2 *Johan.* 10:11. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, ne accipite eum domum, & ne ave dicite ei: nam qui ave ipſi dicit, communicat cum operibus ipſius malis.* Ideo Apoſtolus *Rom.* 12:6. jubet prophetare ſecundum analogiam fidei: unde etiam idem Apoſtolus, 1 *Cor.* 12:3. ad unam veritatem tanquam ad certam normam & regulam revocat judicium de iis, qui in Spiritu Dei loquuntur, & qui non in Dei Spiritu loquuntur: quod etiam facit Johannes, 1 *Joh.* 2:22. & 4:2, 3. *Ex hoc cognoſcite Dei Spiritum, quicunque Spiritus profitetur Jeſum Chriſtum in carnem veniſſe, ex Deo eſt.* Ex quibus etiam manifeſtum eſt tales exiſtere veritates, quibus nullus ſine ſua pernicie carere poteſt. Quibus adde *Marc.* 16:16. *Qui non crediderit, condemnabitur.* Et *Johan.* 12:48. *Qui aſpernatur me, nec recipit verba mea, habet, qui condemnet ipſum.* 1 *Cor.* 16:22. *Si quis non amat Dominum Jeſum Chriſtum, eſto anathema maranatha. Act.* 4:12. *Nec eſt in alio quæpiam ſalus, nec enim aliud nomen eſt ſub cœlo, quod datum ſit inter homines, per quod oporteat nos ſervari.* Vide *Matth.* 1:21. *Act.* 10:43. Quæ omnia probant alios eſſe articulos fundamentales

les; alios à fundamento abeſſe: alios ad ſalutem neceſſarios; alios illa neceſſitate carere.

Nunc probandum articulos fundamentales non mutari, neque æſtimari deberi ex circumſtantiis temporum & perſonarum: quod ita tamen intellectum nolim, quaſi eadem clara diſtincta cognitio myſteriorum ſemper fuerit neceſſaria. Nam quamvis ratio & via ſalvandi homines omni ævo ſemper fuerit eadem; adeoque ſemper *fundamentum idem* exſtiterit, quatenus nempe hoc *à Deo* jactum & conſtitutum eſt: non tamen ejuſdem fundamenti cognitio ſemper æque magna omni tempore fuit; nec ab omnibus fuit requiſita eadem cognitionis myſteriorum menſura, ut pars cultus quo ſervari ſinguli debebant. Chriſtus ſive venturus, ſive qui jam venit, ſemper fuit *fundamentum* ſalutis, *Heb.* 9: 25. *Neque ut ſæpe offerat ſemet ipſum, ſicut Pontifex ingreditur in ſacrarium quotannis cum ſanguine alieno: alioquin oportuit eum ſæpe paſſum fuiſſe à jacto fundamento mundi.* Et 13: 8. *Jeſus Chriſtus heri & hodie, & idem eſt in ſecula.* Et 11: 40. *Et in quo benedictus eſt Abrahamus, in eo nempe Chriſto benedicuntur omnes.* Et omni tempore fuit Chriſtus *Jehova juſtitia noſtra*, *Jerem.* 23: 6. & 33: 16. & *Eſai.* 45: 24, 25. *De me dixit, tantum in Jehova eſt juſtitia omnis & robur: in Jehova juſtificabuntur & glorificabuntur omne ſemen Iſraëlis.* *Ita Chriſtus & is crucifixus eſt fundamentum ſub* N. T. 1 *Cor.* 3: 11. Quamvis itaque veriſſimum ſit, Chriſtum ſemper fuiſſe fundamentum, quo omnium qui ſalvantur, ſalus nititur; non tamen iſtius fundamenti cognitio æqualis ab omnibus omni ævo poſtulata fuit: alia cognitionis menſura requiſita ab iis, qui ſub V. T. vixere, alia ab iis, qui ſub Novo; & eorum, qui ſub Novo non eadem, quantum cognitionem ſpectat, fuit: ſicut id ſupra multis eſt probatum: nam & Apoſtolos ipſos multa fugerunt, quando nondum Chriſtiani tyrocinii rudimenta depoſuerant, quibus nunc nullus ſine ſalutis jactura carere poſſet. Fugit inter alia Apoſtolos Chriſti mors & reſurrectio; docet tamen Apoſtolus, 1 *Cor.* 15. fidem de morte & reſurrectione Chriſti eſſe neceſſariam, & illius negationem eſſe errorem exitialem. Ita fugit Apoſtolos abolitio legis cæremonialis, & verus ejus uſus: ſequentibus tamen temporibus illius rei ignorantia capitalis noxæ habita fuit, *Gal.* 5: 2. *Ecce ego Paulus dico vobis, ſi circumcidamini, Chriſtum vobis nihil profuturum.* Vide *Luc.* 8: 45, 46. *Luc.* 18: 32, 33. *Joh.* 20: 9. *Gal.* 2. Ita circumſtantiæ perſonarum faciunt unum excuſatius peccare altero; & errorem in uno eſſe exitialem, in alio minoris noxæ: quia aut abeſt malitia, aut inertia & ignavia, aut pertinacia & obſtinatio, &c. Sed male aliquis inſiſteret, qui ex omnium horum varietate, quæ inſtabilis eſt, vellet conficere numerum articulorum fundamentalium etiam inſtabilem & innumerabilem eſſe; hoc enim tantundem eſſet ac ſi aliquis naturam vulneris lethalis æſtimaret ex iis, quæ ipſi foris ſunt: v. gr. ex imperitia chirurgi, ex debilitate corporis vulnere affecti, & ſupinitate læſi, ex negligentia & poſthabita cuſtodia in potu & cibo, &c. Petendum itaque ex ipſa natura rei inſigne & nota articuli fundamentalis: atque ita examinandum eſt, an natura cultus rationalis, tam naturalis, quam revelatus nos non doceat, dari illorum cultuum aliquod fundamentum natura aut revelatione cognitum; ad quod referendum quicquid in cultu utile eſt: & ex proximitate & vicinitate cujuſque articuli cum fundamento, æſtimare oportet cujuſque articuli *neceſſitatem*, & *utilitatem*. Hæc in cultu Chriſtianorum ita ſe habere ſupra probavimus in genere, & ſuo loco in ſpecie, (conſtituto fundamento, & enumeratis iis, quæ cum fundamento tam arctum nexum habent, ut in fundamento includantur) ipſa enumeratione articulorum rem ita ſe habere oſtendemus. Errorum autem ex

cir-

circumſtantiis exitialium ratio non petenda ex fundamento *credendorum* & *cognoſcendorum*, ut rationalis cultus ſibi conſtet, & ex fide procedat, ſed ex fundamento *agendorum*, quod eſt, ſine ſanctitate neminem Deum viſurum, *Hebr.* 12: 14. At aliud eſt perire propter errorem ſundamentalem: aut propter ignorantiam *privativam* articuli fundamentalis: (quod in controverſia de articulis fundamentalibus unum & idem eſt) aliud perire, quia male collocavimus facultatem aut talentum concreditum, & quia nos inertiæ & ignaviæ damus; & quia res ad ſalutem & ad vitam ſpiritualem ſpectantes non æſtimamus ſuo pretio; neque damus operam, ut in cognitione proficiamus, & ab erroribus liberi ſimus.

Ex his jam etiam conſtat, quid illis reſpondendum, qui exiſtimant non eſſe laborandum in enumerandis articulis fundamentalibus, quia illorum tradita diſtinctio ducet homines ad ignaviam, & ad ſuſque deque habendum reliquos articulos fidei, qui neceſſitatis titulo ſe non commendant, quia cognitis neceſſariis reliquorum cognitionem pro nihilo ducent; nec operæ pretium eſſe putabunt, in ea acquirenda aliquem laborem ponere. Reſpondeo enim, quamvis aliorum articulorum non neceſſariorum cognitione carere poſſunt Chriſtiani, in directione & moderatione ſui cultus; multi tamen ſine inſigni impietate ſe ea non privant; quia eſt princeps pars veræ pietatis & veri ſtudii virtutis, velle in cognitione veritatis proficere: & eſt extremæ impietatis conſulto & cogitato nolle Deo ſervire viribus hominis adulti ſed infantis; & ita nolle veſci ſolidis cibis, ſed lacte & tenera eſca ne adoleſcamus; malle inſtar infantis debilis & infirmi ex levibus noxis periculo interitus ſeſe exponere, & omni ferme caſu indigere ope aliorum, quam adultum & viribus firmis animum ad pericula obfirmatum, & igneis diaboli ſagittis impervium habere; & ſimul idoneum ad inſignem operam navandum proximo. Omnia Scripturæ loca, quæ vitio dant homines cognitione non proficere; quæ imperant cognitionis incrementum, quæ in cognitione & fide ſtatum infantilem damnant, quæ non ſinunt ut aliquis per ignaviam & contemptum veritates ſalutares neglectui habeat, docent illum à vero pietatis ſtudio longe abeſſe, qui ſcientiam rerum ſalutarium non cupit augere. Vide *Heb.* 5: 12. 1 *Cor.* 3: 1, 2, 3. 2 *Petr.* 1: 5. *Joh.* 14: 9. *Eph.* 4: 13.

Quibus itaque imperatur ſanctitas, pietatis ſtudium, (quod imperatur omnibus) illorum munus eſt in cognitione proficere: & qui hic deficiunt, errant in articulo fundamentali; qui eſt *ſanctitati operam dandum eſſe*: ad quem articulum referendi omnes illi caſus, propter quos homo per defectum pietatis hæret in erroribus non fundamentalibus; & quorum tamen error aut ignorantia illos damnat: at omnes hujuſmodi caſus enumerare velle tantundem eſt, ac velle omnium atque ſingulorum hominum circumſtantias, propter quas peccatum in ſingulis majus vel minus eſt, recenſere: quod ſicut ſuperat finitam hominis facultatem; ita nullius eſt uſus. Sufficit hic unus articulus fundamentalis, quo omnes hujuſmodi caſus continentur: ſc. neminem vitam æternam conſequi poſſe, qui conſultò in aliquo peccato vivere perſeverat: quia cum tali propoſito verum pietatis & ſanctitatis ſtudium non convenit. Et hic articulus fundamentalis, de *ſtudio ſanctitatis* eſt fundamentum, à quo ducitur omnis ratio judicandi de erroribus, qui verſantur in judicando de caſibus conſcientiæ; & quibus erroribus homo, aut ſe ipſum, aut alios impellit ad aliquod peccatum perpetrandum; quod errando tamen peccatorum numero non habet. Hi errores alius ſunt generis quam illi, qui cultum aut minus rationalem, aut minus efficacem & fructuoſum reddunt: illorum ratio petitur ab articulo fundamentali communi; nemo

Pe

pe pietati ſtudendum eſſe; horum à generali articulo & fundamento, cum quo partes cultus cohærere debent, ſi rationalis futurus ſit; & propter quem nullus cultus Deo gratus eſt, niſi ſit rationalis & fundamentum implicans. In æſtimatione illorum errorum habenda ratio quantopere ſinguli errores deflectant à lege charitatis erga Deum & proximum, &c. in horum pondere expendendo vocandum ad examen quantum momenti ſinguli conferant, ad abducendum hominis animum à cultu per defectum argumentorum, quibus homo ad cultum ſuum rationalem Deo exhibendum duci ſoleat: illi errores per ſe *praxin* ſpectant; hi *rationes* quibus homo plus aut minus adduci ſolet ad incumbendum in illam praxin: propter illos errores homines appellamus *malos* & *vitioſos*, & propter hos *irrationales*.

Ex præcedentibus jam pariter conſtat, quid judicandum de illorum ſententia, qui docent omnem errorem fundamentalem conjunctum debere eſſe cum *malitia*: patitur illa ſententia ſenſum commodum; quatenus nullus in Chriſtianiſmo vivens, & doctrinam de ſalute audiens; & ita præceptis, inſtitutiſque fruendi facultatem habens, verſari poſſit in ignorantia articuli fundamentalis, quin alicui vitio obediens, privat ſe cognitione neceſſaria. At ſi quis arbitretur neminem teneri poſſe errore fundamentali, quin contra conſcientiam iſtum errorem profiteatur, & diſſeminet; & ex eo captans commoda, eadem veritati & bonæ conſcientiæ prævertat, hoc à veritate, & teſtimonio Scripturæ alienum eſt, quæ teſtatur multos *errore* perire, *Matth.* 15: 14. 2 *Theſſ.* 2: 11, 12. At is, qui illam labem & vulnus conſcientiæ ſuſcipit, ut contra animi ſententiam, doctrinam falſam, ut veram venditat, is non errore pellectus perit, ſed meditans facinus, exitium ſibi parit. Fortaſſe non longe abſunt à vero, qui arbitrantur omnem *hæreſin* cum tali malitia conjunctam eſſe: & ita oſtendunt Pontificios & alios vocem *hæreſis* male, & non ad conſuetudinem Scripturæ, uſurpare de omni errore exitiali, & quem una Eccleſia damnavit: & ita illos male confundere hæreſin cum errore fundamentali; qui ſine *tali malitia* eſſe poteſt. Certe ſi quis bene examinet textus, qui de hæreſi loquuntur, reperiet illam ferme ita ſemper deſcribi, ut in illa plus culpetur malitia cogitato ſuſcepta, quam error, qui incaute obrepſit, 1 *Tim.* 4: 1, 2. *Spiritus autem diſerte dicit, ore, ut poſterioribus præſtitutis temporibus deſciſcant quidam à fide: attenti ſpiritibus deceptoribus, ac doctrinis dæmoniorum, per hypocriſin ſalſiloquorum, quorum conſcientia cauterio reſecta eſt.* 1 *Cor.* 11: 19. *Oportet enim hæreſes inter vos eſſe, ut qui probi ſint, manifeſti fiant inter vos. Gal.* 5: 19. *Porro manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt adulterium, ſcortatio, impuritas, laſcivia, idololatria, veneficium, inimicitiæ, lites, æmulationes, excandeſcentiæ, rixæ, diſſidia, hæreſes.* 2 *Pet.* 2: 1. *Fuerunt autem etiam pſeudoprophetæ in populo, ut etiam inter vos erunt falſi doctores, qui ſubintroducent hæreſes exitiales, etiam Dominum, qui illos mercatus eſt, abnegantes, accerſentes ſibi ipſis celerem perniciem, &c. & per avaritiam fictis ſermonibus, vos negotiabuntur.* Vide 1 *Cor.* 11: 13. & 12: 3. Ex his & ſimilibus locis liquet hæreſin præcipue ſpectare ad errorem exitialem, quem conſulto aliquis pervulgat contra animi ſui ſenſum & ſententiam; captans inde privata commoda: aut vitans, & effugiens damna, & perſecutiones: quod factum teſtatur Apoſtolus ab iis, qui circumciſionem & legis cæremonialis obſervationem urgebant, *Gal.* 6: 12. Ulterius hæc non perſequor, quia non magnopere ad inſtitutum pertinent: hoc tantum ex his conficio, non debere miſceri & confundi *hæreſin* cum *errore fundamentali*; omnis quidem *hæreſis* eſt fundamentalis, ſed non omnis error fundamentalis eſt hæreſis; quia, quamvis nullus in errorem fundamentalem prolabatur, neque quiſquam cogni-

tionis articuli fundamentalis expers ſit, niſi ſua culpa & vitio; non tamen omnis talis errans ea malitia tenetur, qua hæreticus. Ita ut Eccleſia Romana, quæ tam crudelem ſeſe præbuit erga diſſentientes ab ipſa in fide; & hæreticorum nomine tales omnes notavit, & omni odio & pœna dignos putavit; una cum ſpiritu Antichriſti, qui ſanctorum ſanguinem expetit, prodidit ſuam ignorantiam, non intelligens, quæ ſit nominis hæreſeos & hæretici uſurpatio in Sacris.

Porro liquet eos, quando de articulis fundamentalibus oratio inſtituitur, rem non bene mente comprehendiſſe, qui diſtinguunt inter ignorantiam *privativam* & *errorem poſitivum*: inter hominem, qui vacat cognitione, ſine qua cultus rationalis ſibi non conſtat, & inter eum, qui non ſolum caret debita cognitione, ſed ſimul peſſimo errore eſt imbutus: nam quamvis veriſſimum ſit ſtatum illorum hominum unum altero Deo magis inviſum eſſe poſſe; in æſtimatione tamen articulorum fundamentalium res eodem redit. Sive negem *Deum exiſtere*, ſive credam *Jovem* Gentilium eſſe verum Deum, æque à fundamento aberro: ſive negem Meſſiam eſſe Chriſtum, & alium ejus loco ſubſtituam; ſive credam illum cum Judæis adhuc exſpectandum eſſe, nihil intereſt in controverſia de articulis fundamentalibus. Sive ignorem meritum & ſatisfactionem Chriſti: ſive credam me proprie *mereri* jus ad vitam æternam, res eodem (ſi cultum rationalem & ſalutarem ſpectes) recidit. Quid intereſt, ſive parte principe caream, ſine qua non poſſum ſpiritum ducere, ſive eam poſſideam, ſed ita peſte infectam, ut neceſſario illa mihi ſit allatura interitum.

Ita pariter illi, qui diſtinguunt inter neceſſitatem *præcepti* & neceſſitatem *medii*, aberrant à quæſtione, & rem non recte concipiunt: quia in quæſtione de articulis fundamentalibus nihil ad rem intereſt, inter neceſſitatem *præcepti*, & inter neceſſitatem *medii*: nam quod cauſâ *præcepti* neceſſarium eſt, etiam ratione *medii* tale eſt. Si adminiſtratio Sacramentorum ratione præcepti neceſſaria eſt, ita ut Deus neminem ſervare velit, qui illi præcepto non pareat, illius præcepti obedientia, tam neceſſaria eſt, quam præceptum aliquod Decalogi. Deinde quomodo mihi conſtabit de neceſſitate *præcepti*, niſi ex neceſſitate *medii*: quatenus res præcepta neceſſaria eſt ad cultum rationalem, aut *ſpiritualem*: ut eum alii non male vocant, juxta *Joh.* 4: 24. Nam non eſt dubium, quin Dei præceptum ſit, ut ſinguli fideles ad ſummum in cognitione & pietate contendant, *Philip.* 4: 8. Nemo tamen exiſtimat omnes in errore fundamentali verſari, quos fugit alicujus rei ſpiritualis, & ad cultum accommodatæ cognitio. Poſſet tamen hæc diſtinctio inter neceſſitatem *medii* & inter neceſſitatem *præcepti*, aliquem habere uſum; quatenus per articulos neceſſarios neceſſitate *præcepti* intelligamus ea fundamenta prima ſalutis, à quibus ea pendet, & à quibus ſimul petenda eſt ratio formalis cultus rationalis, & neceſſarii aliorum articulorum neceſſariorum: & quatenus illa prima fundamenta à Dei libero arbitrio ita profecta ſunt, ut eorum alia ratio reddi non poſſit, quam quod Deo ita placuerit; & per revelationem & *præceptum* voluntatem ſuam hominibus aperuerit: quale v. gr. ex nonnullorum ſententia eſt, ſervare homines per fidem in Euangelium: hoc, quia ex multorum ſententia putatur à voluntate & decreto Dei profectum, neque cum natura Dei, aut hominis ſalute neceſſarium nexum habere, arbitrarium Deo fuiſſe dicunt: & ita illa via ſalutis non male vocatur neceſſaria neceſſitate *præcepti*: & reliqui articuli fundamentales, qui illo fundamento implicantur; & qui, quatenus cum illo conſentiunt, aut ab illo alieni ſunt, rationales, utiles, neceſſarii, &c. vocantur, pro ratione eorum naturæ & indolis.

Solent etiam, qui de hac controverſia,

in qua jam noſter occupatus eſt labor, ſermonem inſtituunt, diſtinguere inter articulos fidei *præſuppoſitos* & *formales*: illi ſunt, quos habet *Theologia naturalis*, ut animas eſſe immortales, & poſt buſtum ſuperſtites; eſſe Deum, eumque eſſe mundi gubernatorem, omniumque remuneratorem, &c. Iſti ſunt, qui in ſymbolis Chriſtianæ fidei, quo à Gentilibus & Judæis diſtinguerentur, primo in genere, deinde additis aliis articulis & ſymbolis, & orthodoxis formulis expoſiti ſunt: quibus ſymbolis præſtruitur & præſupponitur ex Theologia ſupernaturali imaginis Divinæ, peccati & miſeriæ cognitio, &c. Nihil habeo quod in hac diſtinctione culpem, quoad conceptum, & notam, qua parant in aperto ponere rationem & viam, quæ tenenda ſit in enumeratione errorum fundamentalium: mihi tamen placet illa methodus, qua, poſito aliquo fundamento complexo, deinde pergamus ad expoſitionem ſingulorum articulorum, qui in illo fundamento implicantur, faciamus quaſi ſua ſponte oriri articulorum fundamentalium numerum: ut v. gr. poſito pro fundamento generali & complexo fidei nos indigere *gratia ſanctificationis*, ut tunc explicantes & evolventes veritates, quæ illo articulo implicantur, loquamur de peccato originali, & hominis vitioſitate & infirmitate ad emergendum, & ſe extollendum ex illa vitioſitate ad verum ſtudium virtutis, inſitis & propriis ſuis viribus: & ſimul indagemus qualem & quantum neceſſarium nexum habeant articuli fidei, qui huc ſpectant, cum illo fundamentali articulo, qui eſt, nos *gratia Dei indigere ad recte incumbendum in virtutis ſtudium*, & quales propterea ad Deum fundendæ preces, quales gratiarum actiones inſtituendæ, quæ cura à nobis nihilominus adhibenda, & quouſque liberum arbitrium cum illo articulo fundamentali conſiſtere poſſit.

Ita diſtinctio inter errorem fundamentalem, quoad *ſalutem*; & quoad *communionem Eccleſiæ*, habet ſuum uſum: quia inveſtigatione dignum eſt, utrum is, qui non erret in fundamentalibus quoad ſalutem, poſſit arceri, & removeri ab Eccleſia: de qua controverſia in ſequentibus dicendi locus erit. Hoc tamen dico in anteceſſum, lites illas in Eccleſia facilius componi poſſe, quam multi exiſtimant, quando ſcilicet inter articulos fundamentales etiam *ſtudium virtutis* ponitur, quod etiam neceſſario complectitur ſtudium charitatis, tolerantiæ, lenitudinis, augendæ cognitionis, &c. & contra fuga pertinaciæ, ignaviæ, inertiæ, contumeliæ, rixarum & litium. Quæ virtutes ſi in Eccleſia vigeant, & ex æquo æſtimentur; non autem opinione aut ſtudio partium, ita ut ſit judicium, non animi impetus, conſtabit viam concordiæ & conjunctionis Eccleſiarum tam difficilem non eſſe, quemadmodum multi arbitrantur. Nec multi tam facile ad excommunicationem & præciſionem membrorum ab Eccleſia pergerent, ſi vitia & virtutes morales æquabiliter appendentes, omnes illos culpabiles mores, qui modeſtiæ, candori, gravitati, facilitati, moderationi, &c. repugnant, præ ſtudio partium non ventitarent, virtutis ſimulatione & zeli ſpecie: quo fit ut homines, quos nulla ſocietas civilis, aut collegium propter importunitatem morum ferret (& de qua morum importunitate tam facilis & ſpontanea æſtimatio eſt, quam de rebus pudoris) à ſociis, & præſertim ab imperita & pullata plebe, ſancti, zelotæ, veritatis vindices, errorum hoſtes; denique columen Eccleſiæ & pignora orthodoxiæ vocentur: quorum tam plurimi nudi ſunt ab omni virtute, qua pax & ſocietas inter homines colitur & conſervatur: & qui ſimul deſtituti ſunt omni cognitione, quam judicium, ratione procedens requirit. Quid itaque mirandum Eccleſiam tot ſchiſmatis infeſtari, cum in ea non ſolum virtutes, quibus conſenſus & animorum conſpiratio conſervetur, ſuo non æſti-

æſtimentur pretio, ſed vitia, iis virtutibus oppoſita præſtantium virtutum nomine extollantur.

Cum autem docemus articulos fundamentales ſua forma & ſuis notis ab aliis diſtingui, non hoc urgemus, præciſe numerum articulorum fidei ita enumerari poſſe, ut certe definire liceat, quantus eorum ſit numerus, ſed tuemur numerum illorum nobis facilius conſtare poſſe, quam numerum principum partium corporis, & illarum, à quibus læſis mortalia manant ſymptomata, & tandem mors. Nam quamvis de paucillimis lis quædam eſſe poſſit inter Medicos, id tamen non impedit, quare judicia de homicidiis exerceri non poſſint: nam ubi caſus eſt dubius & anceps, ibi charitas jubet propendere in benigniorem partem, & album calculum in urnam conjicere. Sed quod hactenus inter Doctores de articulis fundamentalibus fuerit ſententiarum diſcrepantia; id ortum, quia longiſſime diverſas inierunt rationes, viaſque ſunt ingreſſi, admodum à ſeinvicem diſſitas, quibus progredi volebant, ad apparandos Chriſtianorum animos, in ferendo judicio de gravitate errorum, qui inter Chriſtianos agitantur, quarum nonnullas recenſere erit operæ pretium: ut ita lectoris animum paratiorem & accommodatiorem habeam ad judicandum de iis, quæ in ſequentibus dicentur.

CAP. II.

Examinantur quorundam Doctorum rationes & fundamenta, ſecundum quæ de articulis fundamentalibus judicium inſtituendum exiſtimarunt.

Neminem miratio tenebit, quare adeo in diverſum ſit itum in æſtimandis articulis fundamentalibus, qui expenderit, quomodo ſingulæ ferme ſectæ diverſa ſibi extruxerint fundamenta, quibus excitare voluerunt molem quorundam articulorum & ædificium Chriſtianæ Religionis, cujus profeſſio abſolute ad ſalutem eſt neceſſaria. Quidam docuerunt articulum fundamentalem *clarum* & *manifeſtum* eſſe debere, & facilem intellectu homini rationis capaci. Sed quamvis libenter concedam, articulum fundamentalem inter alias proprietates, quas poſſidet, etiam ſua evidentia ſe prodere, ita nempe ut acuto & ſagaci ingenio opus non ſit, ſed commune ſufficiat ad capienda capita religionis cognitu ad adipiſcendam ſalutem neceſſaria: non enim in hoc caſu tam de acumine, quam de moribus agitur. Non intelligo tamen quid multum illi doctores profecerint iſto axiomate, ſi manifeſtam & omnibus compertam notam non ediderint; qua rem facilem cognitu diſtinguamus ab iis, quæ ſunt altioris indaginis. Num illæ res tantum erunt faciles cognitu, de quibus nulla lis & controverſia eſt? Sed noſtri ingenii pravitas, ſtudium partium, præjudicia, vincendi ardor, & cupiditas, obſtinatio ſententiæ, &c. homines ita excæcare poſſunt, ut ad apertiſſima, & quæ alii juraverint ſibi comperta eſſe; & clamant eum, qui contra ſentit, nihil ſentire, cæcutiant. Quis quæſo eſt articulus in Chriſtiana Religione, qui non ab aliquo in dubium vocetur? Imo de primo religionis articulo non convenit inter homines: & non pauci reperti ſunt omni tempore, qui Deum exiſtere negant: & contra quam multos invenias, qui Religionem ut veram & ſibi probe cognitam profitentur, cujus nullam poſſent reddere rationem explicitam; ſed in quibus verſatiſſimi deficiunt ad illam liquido demonſtrandam: & quæ implicitis notionibus veris, & aliquando etiam pri-

primis fundatæ ſecreto vim ſuam perſuadendi exſerunt in hominum animis: de quo in ſequentibus erit dicendi locus.

Deinde quandoquidem tam multa in natura & Scriptura reperiantur, quæ cognitu facilia ſunt, & ad cultum & religionem ſuo modo pertinent, ſimulque inter Theologos conſtet, nos impune in ignorantia talium multorum verſari; ſaltem ignorantiam talium per ſe neminem ſalute privare: unde conſtabit ſingulis Chriſtianis, an illorum quæ ignorant non aliquid ſit, cujus ignorantia illos à ſalute excludat: ego equidem ſtatuo illud, quod creditu ad ſalutem neceſſarium eſt, haud ex abditis & abſconditis principiis & fontibus hauriendum eſſe, ſed honeſto, candido & ſalutis ſuæ ſtudioſo viro ita in aperto eſſe, ut ſi mediocrem diligentiam adhibeat, & ut decet hominem, cui ſalus ſua curæ eſt, animadvertat facile talem articulorum fundamentalium cognitionem adipiſci poſſit, quæ illi ad ſalutem ſufficiat. Eadem reſponſio iis aptanda, qui generaliter dicunt, articulum fundamentalem ita evidenter in Scriptura contineri debere, ut qui illi non credat, etiam toti Scripturæ fidem deroget: & affirmare non poſſit ſe illi fidem habere. Pariter ex ſupra in medium prolatis patet, quæ vis ſit in argumento Pontificiorum oppugnantium perſpicuitatem Scripturæ in neceſſariis creditu: dicunt ſi Scriptura eſt clara & perſpicua in neceſſariis, quare non traditis catalogum articulorum fidei fundamentalium: nam inquiunt, ex Reformatorum ſententia, illi articuli clari & cognitu faciles ſunt; & ideo eorum numerus non poteſt eſſe reconditus. Reſpondeo: nam quamvis cognitu faciles ſunt, non per facilitatem tamen ab aliis, non eodem modo neceſſariis, diſtinguuntur. Sed propius urgent Pontificii, dicuntque: quandoquidem, etiam ea, quæ admodum quibuſdam perſpicua videntur, aliis obſcura, imo falſa, propter præjudicia, videantur, & contra obſcuriſſima, à quibuſdam propter idem vitium, pro clariſſimis ventilentur, (quemadmodum hoc ſe prodit in noſtris Eccleſiis Reformatis, ubi ſingula membra intrepide inſiſtentes ſuo judicio privato confeſſioni infinitos articulos comprehendenti aſſentiunt) quomodo illorum privatorum proprio & privato judicio permittere poſſumus, ſelectum facere inter articulum fundamentalem aut non fundamentalem; aut ſaltem illis tribuere poteſtatem aut facultatem certo judicandi de ſuo ſtatu ſpirituali; & ſententiam ferendi utrum vera fide, & vero pietatis ſtudio præditi ſunt, nec ne: quandoquidem conſtet illos de vera pietate nihil certi habere, quod dicant, ſi ſibi non conſcii ſint ſe habere cognitionem articulorum fundamentalium. At quomodo illam fiduciam privato ſuo judicio ducti poſſunt ſumere; cum multa, quæ religionem Chriſtianam ſpectant, & cognitu facilia ſunt, ignorent? Quomodo ſingulis fidelibus conſtare poteſt inter facilia cognitu, & quorum tamen quædam ignorant, ea non eſſe, quæ articulum fundamentalem continent? Solent noſtri reſpondere ratione ducta à ſimilitudine ædificii, aut turris, quam cum ſtabilem & firmam intuemur, inde recte ſtatuimus omnia quæ ad illius fundamentum requiruntur, adhibita fuiſſe in ejus exſtructione: ſed dubito an illa reſponſio conſiſtere poſſit, quia intuentes turrim non poſſimus falli nos turrim intueri, eamque firmiter ſuis fundamentis inſiſtere, ſed judicium de vera pietate ferri ita non poteſt; neque aliquis ejus ſibi eſt certo conſcius, niſi ex cognitione articulorum fundamentalium tanquam veri & neceſſarii fundamenti; ita ut *explicita cognitio fundamenti* ad cognitionem veræ pietatis requiratur. Et ideo Pontificii auctoritatem Eccleſiæ in ſubſidium adhibent, quæ auctoritate definit, quæ credenda ſunt: quibus cum ſinguli fide-

fideles aſſentiunt, tunc etiam argumento muniti ſunt, quo ſibi certo perſuadeant ſe cognitionem articulorum fidei ad ſalutem neceſſariorum eſſe aſſequutos: ſine quo argumento nullus fidelium ratione & via certa progredi poteſt, ad ferendum de ſtatu ſuo judicium. Reſpondemus & dicimus ex præcedentibus patere reſponſionem ad hanc objectionem: negavimus enim *facilitatem* cognoſcendi aliquid, quod ad Religionem pertinet, eſſe *notam* per ſe ſufficientem ad diſcernendum inter articulum fundamentalem, & eum, qui ab illa dignitate abeſt; quamvis agnoſcamus *facilitatem*, unam eſſe ex notis characteriſticis, quibus articuli fundamentales à non fundamentalibus diſtinguuntur. Deinde dicimus articulos fundamentales homini pio & virtuti dedito facile eſſe cognoſcibiles; quod in ſequentibus manifeſtum fiet.

Tertio monendum, quod in colligendo numero articulorum fundamentalium, non tam oporteat habere reſpectum ad judicia aliorum hominum, quam ad ſuum proprium, qui articulos recenſet, qui ſi probus & honeſtus eſt, quemadmodum facile intelligit, quæ illa ſunt, quæ in promptu ſunt, & ſine longa indagine inveſtigavit; & quæ rurſus ab illa facilitate intelligendi abſunt, ita etiam illa æquitate utetur, ut habita ratione communis hominum infirmitatis; iſtum errorem capitalem non æſtimet, in quem facilis prolapſus eſt: quandoquidem Deus in Euangelio tam cumulatam ſuam gratiam prodidit hominibus, ut nihil ab Euangelica gratia alienius ſit, quam viam ad ſalutem, etiam illam ingredi volentibus, arduam facere. Licet itaque illam facilitatem cognitionis articulorum fundamentalium, tanquam fundamentum præſtruere reliquis, quæ dicenda habemus; ſi modo illam cognoſcendi facilitatem non ita ſuſpendeas ad aliorum judicium, ut id facile cognitu neges, quod alius ſibi non compertum eſſe aſſeverat; nam ea ſæpe hominum eſt perverſitas; tamque corruptum præjudiciis judicium, ut etiam ad evidentiſſima cæcutiant. Et quamvis non multum eo profecerimus; quia manebit ſemper numerus articulorum fundamentalium incertus reſpectu eorum, qui negant, ſibi liquere articuli evidentiam & certitudinem; & ita putaturi ſunt, talis articuli fidem non eſſe neceſſariam, id tamen ſinguli (qui de fide & ſtatu proximi ſunt judicaturi, & juxta illud judicium officia & munera erga ipſum directuri & expleturi) per illam regulam obtinent, ut ab hac facilitate cognitionis articuli, documentum & judicium capere poſſint articulum, cujus fidem poſtulant à proximo, illa ſaltem nota generali, quæ eſt cognitionis facilitas, inſignitum eſſe. Reliquarum objectionum & difficultatum ſupra memoratarum in ſequentibus per occaſionem dabitur ſolutio: quando illius tradentur fundamenta & fontes.

Alii docent in *ſymbolo Apoſtolorum*, & *inſtitutione baptiſmi* & *ſacræ Cœnæ* omnes articulos fundamentales contineri; quod quidem mihi non probatur: quia multa etiam continentur in Symbolo, quæ certe creditu neceſſaria non ſunt, & quæ idiotam ſine ſalutis diſpendio fugiunt. Num illius ſalus conclamata eſt, qui neſcit Chriſtum crucifixum ſub *Pontio Pilato*? Nemo ut arbitror, hoc eſt aſſeveraturus. Poſſet fortaſſe alicujus condemnationis cauſam eſſe ſupinitas, ignavia & negligentia, qua talis rei cognitione caret: ſed tunc ſupinitas & contemptus ipſum damnat, non articuli ignorantia. Deinde cum conſtet, & compertiſſimum ſit ſymbolum ab hominibus compoſitum, à quorum ſtatutis, decretis, & judiciis Chriſtianorum ſalus non eſt ſuſpenſa, par non eſt id auctoritatis tribuere illi Symbolo, ut ſine ratione aut Scriptura apud nos tantum valere debeat, ut qui omnium iſtorum articulorum cognitionem non profitetur, fideque amplectitur, ſalute æterna cariturus ſit. Tertio illo ſymbolo tot capita

pita Religionis ita generaliter traduntur, ut pauciſſimi ex Chriſtianis confeſſione, tam generalibus verbis concepta acquieſcere poſſint, & ſibi atque aliis ſatisfacere: ſed ſuper omnibus fermc articulis explicationem ab iis, cum quibus Religionis & Sacrorum ſocietatem inire volunt, requirunt. Præterquam quod ex argumento ſymboli & hiſtoria Eccleſiaſtica ſatis conſtet iſtud ſymbolum comparatum ad conſervandam unitatem fidei, contra pullulantes, & ſuborientes hæreſes, & errores: & illud ſymbolum proculdubio articulis auctum fuiſſet, ſi plures hæreſes tunc temporis extitiſſent: ſicut confeſſiones Eccleſiarum conſequutæ, numero articulorum hoc ſymbolum ſuperant, quia ſubſecutis temporibus alii adhuc errores nati ſunt; quibus cautum & proviſum voluit Eccleſia. Ex quibus conficimus, illud ſymbolum accommodatum ad illa tempora, & non idoneum, ut omni ævo Eccleſiis præſtet uſum & formulam confeſſionis. Si autem ipſum ſymbolum iſtum uſum non præbeat, quid efficitur adjectione duorum articulorum de baptiſmi & Cœnæ inſtitutione, quos quidam ſymbolo adjungunt, ut completus ſit articulorum fundamentalium numerus? Num illi ſatis teſtantur in Symbolo, qua tali, non eſſe illam auctoritatem, ut ſine ratione, aut ulteriore examine hoc illi dandum ſit, quod præciſe omnes articulos fundamentales contineat: quia ipſi illud duobus articulis augent. Et quidem articulis, verbis adeo generalibus expreſſis, ut Pontificiorum error de tranſſubſtantiatione iis non condemnetur.

Alii totam fidem Chriſtianam comprehendunt duobus articulis, *fiducia & obedientia*: quam hæc veritati conſentanea ſint, nunc non diſputo: ſed quid illa univerſalis deſcriptio momenti confert ad colligendos articulos fundamentales? Suntne omnes articuli fundamentales, in quibus aliquid adjumenti, aut præſidii eſt ad generandam, aut fovendam in nobis fiduciam & obedientiam? Si hoc obtineat, nunquam nobis conſtare poterit, utrum fide articulorum fundamentalium imbuti ſimus, quamdiu nobis exploratum non eſt num aliquod argumentum, quo ad fiduciam in Dei promiſſis habendam, & ad obedientiam illius præceptis præſtandam, duci & moveri poſſimus: recte fortaſſe aſſeritur illum errorem fundamentalem eſſe, quo cum verus rationalis cultus, qui *fiduciam*, & *obedientiam*, ſive fidem & charitatem complectitur, ſubſiſtere non poteſt: & libenter concedo, ab hac nota omnes errores fundamentales poſſe cognoſci. Sed tunc ſupereſt in omnibus erroribus fundamentalibus talem peſtiferam noxam oſtendere: & feciſſent aliquod operæ pretium ſi aggreſſi fuiſſent recenſere iſtum numerum; & in ſingulis erroribus, quos fundamentales vocant, oſtendere, eum cum fide & fiducia cohærere non poſſe. Deinde conſtitutis, & definitis *erroribus fundamentalibus*, tunc adhuc id muneris & operis reliquum eſt, ut *articuli fundamentales credendorum* enumerentur. Nam oſtenſis *erroribus fundamentalibus* non ſtatim ſua ſponte ſe aperiunt in omnibus, *articuli fundamentales credendorum*; quamvis concedam in plurimis eorum duorum unum & idem eſſe judicium. Qui negat Deum, ille verſatur in errore fundamentali. At qui aſſerit illi errori oppoſitum, *Deum ſc. exiſtere*, ille ideo ſalutariter illud non credit; quia poteſt ea attributa de Deo negare, quæ omnem rationalem cultum tollunt, & delent. Qui negat Chriſtum pro nobis paſſum & mortuum, illius error exitialis eſt; ſed qui profitetur Chriſtum pro nobis mortuum, tales de illius morte poteſt habere conceptus, ut illa fides aliquod fundamentum rationalis cultus, qualem Deus hominibus revelavit, ſubvertat.

Cum priori, & ſupra tradita ſententia congruit illa Remonſtrantium, qui tribus ſequentibus articulis totum Chriſtianorum officium complectuntur. I. *Fide Divina-*

Divinarum promiſſionum. II. *Obedientia Divinorum præceptorum.* III. *Debita Scripturæ reverentia.* Hæc certe pia ſunt: & recte inde conficiunt omnes in errore fundamentali verſari, qui ea credunt, quæ iſthæc fundamenta cultus Chriſtianorum diſturbant; aut ea omnia ignorant, quæ illa tria ſupra enumerata tanquam fundamentum requirunt: & ſine quibus illa tria in animis noſtris oriri & excitari non poſſunt, ſed nihil momenti ultra conferunt ad faciendam ſummam errorum fundamentalium quam prior ſententia.

His accedunt illi, qui docent tria requiri ad acquirendam cognitionem fundamentalium articulorum fidei. I. *Abnegationem præjudiciorum, & reverentiam erga Scripturam.* II. *Refugium ad Mediatorem Chriſtum.* III. *Ex amore Dei & Chriſti ſitis juſtitiæ, & pietatis ſtudium*: ſunt ſancta hæc prærequiſita; & ſine his tribus nullus aſpirare poteſt ad cognitionem ſalutarem, qua non ſolum creduntur ea, quæ cognitu neceſſaria ſunt, ut vera pietas in nobis generetur, ſed in quibus etiam vera pietas verſatur & continetur: quæ duo in hac controverſia confundi & miſceri non debent. Aliud enim eſt aliquem præditum eſſe cognitione articulorum fundamentalium, ſine quibus vera pietas non eſt; aliud, iſtos articulos *ſalutariter* cognoſcere: de poſteriori non agitur, quando diſquiſitio inſtituitur de articulis fundamentalibus. Poteſt aliquis vanæ gloriæ ſtudio, poteſt curioſitate duci, poteſt ſpe præmii & lucri moveri ut nitatur ad cognitionem firmam fidei Chriſtianorum, eamque conſequatur, & ex animo profiteatur, qui tamen in æternum pereat.

Magis conſentanea illi dicunt qui hæc tria generalia in omnibus articulis fundamentalibus requirunt, I. *Ut res credenda neceſſario, non repugnet ſenſibus aut rationi.* II. *Ut res evidenter, & clare ſit revelata.* III. *Ut articulus credendus magnum pondus atque momentum præbeat in cultu & religione.* Illud pondus autem æſtimatur. I.° *Si gloria Dei eo illuſtretur & enitescat.* II. *Si homini eo ad ſalutem aditus pareatur, & articulus eo ex ſua natura referatur.* III. *Ut accommodatus ſit ad excitandum in nobis pietatis ſtudium.* Recte hæc tria in omni articulo fundamentali requiruntur; & facile concedo, nullum articulum fundamentalium numero habendum, qui uno horum caret. De repugnantia cum ſenſibus & ratione, inter omnes Chriſtianos convenit, quamvis nihilominus magna ſit ſententiarum diſcrepantia, utrum hoc vel illud, cum recto ſenſuum judicio, & cum ratione pugnet. Poſitum fuit hoc primum requiſitum contra Pontificios, & recte probatur articulum Fidei, qui hoc vitio laborat, non poſſe eſſe articulum fundamentalem, quia id non poteſt eſſe objectum fidei, quod pugnantia & ſibi non conſtantia continet. Sed agitur hic de articulis fundamentalibus enumerandis & recenſendis, cui difficultati tres illæ poſitiones non ſubveniunt. An igitur id omne fundamentale eſt, quod ſenſibus & rationi convenit? De evidenti autem & clara revelatione ſupra loquutum eſt, quod hic repetere non eſt opus. Quæ autem patroni ſententiæ modo traditæ de pondere & momento rei credendæ docent, recte ſe habent; & rationi convenienter loquuntur: & exiſtimo hac via progrediendum in recenſione articulorum fundamentalium: quia dignitas cognitionis Theologicæ alicujus articuli ex tribus ſupra nominatis requiſitis petenda eſt. Scientia enim Theologica non arte, ſed utilitate continetur; neque ſublimis & ex alto petita, aut myſterii plena putata cognitio nullius momenti æſtimanda, ſi ea, aut Dei gloria non illuſtretur, aut ſalus hominis non paretur, aut ſanctitas non excitetur in hominum animis. Eſt enim doctrina Theologica *doctrina ſecundum pietatem*; & articuli fidei pluris aut minoris æſtimandi, quatenus plus aut minus accommodati ſunt ad illos tres fines obtinendos. Verumenim-

enimvero, quandoquidem non omne, quod utile eſt, ideo eſt neceſſarium ad ſalutem; ſed id ſolummòdo quo carere non poſſumus ſine ſalutis diſpendio, reliquum manet examinare, quæ illa ſunt, quæ inter utilia tantum, & talem ſibi uſum vindicant, ut ab ejus privatione pendeat hominis ſalus.

Tres itaque illæ conditiones in hoc deficiunt, quod utile cum neceſſario miſceant: & facile Chriſtiani de utilitate alicujus dogmatis inter ſe poſſent convenire, quemadmodum etiam de noxa alicujus erroris; aut ſi ſuper ea re non ita poſſent convenire, illa tamen diſſenſio ipſos non deduceret in partes, ſed permittentes rem cujuſque judicio, non abhorrerent à ſocietate & fraternitate fidelium colenda: ſed non ita facile lis componitur de tali neceſſitate aut tali noxa articuli fidei, ut ſine ejus cognitione Deus neminem rationis compotem juxta œconomiam ſalutis in Euangelio inſtitutam, ſervare velit. Et talis cognitio eſt cognitio fundamentalis articuli: quem articulum alii *fundamentum* vocant; & docent ideo articulum fundamentalem non ſolum debere eſſe *veritatem*, ſed *veritatem fundamentalem*, qui ſermo ſatis vagus eſt: nam quamvis omnis articulus fundamentalis concurrat ad *conſtitutionem fundamenti*; & ita recte *veritas fundamentalis* vocetur: via tamen & ratio, qua progredimur in inveſtigatione articulorum fundamentalium, nos ducit, ut diſtinguamus inter *fundamentum*, & inter id, quod *à fundamento* derivatur: quatenus in cognitione fundamenti implicatur cognitio aliorum articulorum fundamentalium, qui ideo ordine poſteriores ſunt, quamvis neceſſitate pares. Nam Divina ſapientia non eſt confuſa, aut indigeſta moles: ſed inter partes Theologiæ eſt ille nexus & conjunctio, ut partes aliæ ex aliis manent, imo unæ aliis continеantur: & ideo *cognitio implicita* quorundam articulorum fundamentalium ſano ſenſu intellecta ſufficit: ſed de his in ſequentibus.

CAP. III.

Admonitiones & cautiones quædam traduntur, quibus munitur, & apparatur via, qua progrediendum eſt in colligendis articulis fundamentalibus.

Agetur hic de cognitione & judicio rei alicujus: non tamen intereſt hic definire, utrum judicium ſit actio voluntatis, an potius intellectus, quia explicita iſtius rei cognitio nullum hic uſum præſtat. Deinde ſermo inſtituetur de cognitione & fide hominis rationis capacis; & cujus ætas jam ad mores pertinet; qui poteſt cognoſcere articulos, quorum cognitionem & fidem neceſſariam putamus ad adipiſcendam ſalutem ex Dei ordinatione, & juxta viam & curſum ordinarium, quem Deus in verbo ſuo declaravit ſe tenere velle in hominibus rationis capacibus ſub Euangelio ſervandis. Non itaque huc revocabimus diſputationem de fide Judæorum ſub V. T. & quibus illa articulis continebatur; ut putaretur fuiſſe illis ſalutaris: nam ex iſtius rei explanatione non multi fructus redundarent ad lectorem; quia illa tempora jam præterierunt; neque noſtra fides ad Patrum ſub V.T. exigenda. Quamquam hoc mihi tamquam principium ponendum videtur, Patrum ſub V. T. viventium fidem & cultum debuiſſe fuiſſe rationalem, ita ut partes cultus cohæſerint; & inde ratio & documentum fuerit petendum de neceſſitate alicujus articuli fide apprehendendi. Planius ſententiam exponam, quia in ſequentibus ſeſe aperiet hujus rei inſigne momentum. Quamvis quidam exiſtiment Deo arbitrarium fuiſſe, quas qualeſve rationes communicandæ homini beatitudinis eligeret. Poſtquam tamen Deus ex multis poſſibilibus unam aliquam elegit, ſtatuo in illa ſeſe aperire moralitatem & cultum rationalem Deo &

homini convenientem: ita ut ratio acquirendæ ſalutis, quam Deus hominibus declarat, & in qua ſalute adipiſcenda Deus ab homine requirit aliquod officium, contineatur ſemper aliqua actione morali, *natura*, non ex *inſtituto*, bona; ita ut ratio, convenientia, & Dei & hominis dignitas, &c. in conditione ac medio acquirendæ ſalutis ſeſe manifeſtet. Ita ut, poſito ex arbitrio Dei aliquo fundamento, homo, recta ratione tanquam duce utens, perſequi poſſit, quæ partes cultus veri aut falſi cum illo fundamento cognationem habeant, aut ab eo aberrent. Si hoc non foret: cultus Divinus non eſſet rationalis, nec Deo nec homini conveniens: nec ullum per eum cultum Dei manifeſtaretur attributum, ſed totus talis cultus eſſet ludus & jocus: nulla foret inter partes cultus connexio; nullus in illo foret locus argumentandi de una parte cultus ad aliam; ſed ſingulæ partes avulſæ à ſe invicem per ſe conſtarent, & vim ſuam atque dignitatem tueri poſſent. Et quod caput eſt, nulla alia moralitas in toto illo cultu ſeſe aperiret, quam *obedientia*: cæterum tota præceptorum de cultu materia vacaret omni moralitate; quemadmodum cultus Judæorum inſtitutus nobis adhuc in terra degentibus talis videtur: neque hominis intellectus ullo modo inde perficeretur, aut virtutibus moralibus excoleretur. Quam quidem rationem tam late diffuſam eſſe arbitror, ut mihi nullum ſit dubium, quin totius cultus inſtituti, etiam cæremonialis, quamvis homines jam ejus cauſam in ſingulis perſequi non poſſint; ita Deo conſtet ſua ratio, ut aliquando ſimus cogituri in eo ſummam Dei ſapientiam; ſed quia Deus magnam partem rationis iſtius cultus cæremonialis nobis latere voluit, ideo proprietates & attributa Dei in eo non ita cernuntur; neque nobis datum ex ejus natura & partibus ducere argumenta de neceſſitate ſingularum partium iſtius cultus. Et ideo miratio nos tenet Deum aliquando tam graviter puniiſſe & vindicaſſe contemptum iſtius cultus inſtituti & cæremonialis, in cujus obſervantia in præſentia non licet cognoſcere gloriam Dei collocatam, aut hominis ſalutem, aut perfectionem ejus ſitam; & multis temere judicantibus, & Numinis reverentia parum affectis, videretur Deum à crudelitate non abeſſe, qui hujuſmodi delicta contra cultum cæremonialem, ita obſervat, & tam ſevere exequitur. Sed qui Dei ſapientiam & ſanctitatem venerantur ut decet, aliter de tota hac re ſentiunt; nec Dei ſapientiam ad ſuam exigentes, ſibi perſuadent Deo optime conſtare ſuas rationes cultus cæremonialis. Et ſententiæ huic luculentum teſtimonium exhibet quod legimus Moſem tabernaculum exſtruxiſſe *juxta exemplar, quod illi fuit exhibitum in monte*. Et quoties animo reputo, quot figuris & typis Deus illud myſterium ſalutis omnibus ſæculis hominibus, quos ſpeciali favore complexus eſt, ſignificaverit; ita ut ipſa creatio typus atque figura fuerit novæ & ſpiritualis creationis, nullum mihi eſt dubium quin tota illa diſpenſatio ſalutis tam conveniens fuit Sacroſanctæ Trinitati, ut in cœlis beatorum mentes defixæ in contemplatione iſtius rei, ea continuo rapiantur ad decantandam ſapientiam Dei; & quia nunquam eam poterunt exhaurire, ideo indeſinenter gratiſſima admirabilitate capientur.

Cum itaque cultus Evangelii vocatur *rationalis*, in oppoſitione ad cultum cæremonialem, (qui dicitur habere infirma & inania elementa, & carnalis vocatur, *Galat.* 4: 9. & 3: 3.) hoc ita non eſt intelligendum, quaſi in cultu cæremoniali, ſi Deum ſpectes, nulla alia eſſet quærenda *ratio* præter Dei beneplacitum; & quod ita primas in eo ſibi vindicaret partes, ut præter ſummum Dei dominium nullum aliud in illo cultu ſe proderet Dei attributum, cujus manifeſtatione Dei gloria apud creaturam rationalem nunc & in ſæculo futuro poſſit eniteſcere; ſed Cultum cæ-

re-

remonialem Scriptura docet rationalitatis expertem eſſe, quia illius materia virtutem moralem non complectitur, nec comparata eſt ad *perficiendam* hominis *naturam*; & ideo pulchritudine ſua, quemadmodum virtutes morales, *homines ſpirituales* non allicit, aut inflammat ad ſui obſervationem, ſed deſtitutus illa ſuavitate ſectatoribus iſtius cultus ſemper onus viſum fuit, & cultus *irrationalis*: quia ejus cultoribus nulla ſe aperit in hoc mundo ratio, quare Deo hominibusve ille cultus conveniat. Et hæc eſt cauſa quare in cultu cæremoniali non ſit in promptu oſtendere, quæ partes iſtius cultus (ſi neceſſitatem aut utilitatem earum ſpectes) aliæ aliis digniores ſint, ſed omnes ſunt æque neceſſariæ, quia illa petitur ab *auctoritate præcipientis*, non ab *aptitudine mediorum* ad conſequendum finem. At quia jam cultus ille inolevit, illius in definiendis articulis fundamentalibus nulla jam habebitur ratio; ſed ſermo tantum verſabitur in colligendis creditu neceſſariis ad acquirendam ſalutem ſub diſpenſatione temporum Euangelii; eamque diſpenſationem dicimus eſſe *rationalem*. Hoc eſt talem, ut homo poſita revelatione, per quam venit in cognitionem cultus revelati, per principia moralitatis & rationis, hominibus conceſſa, judicare poſſit quæ fundamento cultus *revelati*, ut etiam *naturalis* congruant, quæ cum illo pugnent, eique inimica ſint. Non hic aliter diſtinguo inter cultum *naturalem* & *revelatum*, quam quod cultus *naturalis* principia naturâ cognoſcuntur; *instituti* revelatione: cæterum partium cultus, tam naturalis quam inſtituti, connexio & conſenſio, ut & earum pugna & diſſenſio etiam ratione dignoſcitur. Hoc primum manifeſtum eſt ex ſerie argumentorum, & ex illationibus & concluſionibus, quibus Spiritus Sanctus utitur, tam in cultu inſtituto, quam naturali: cujus egregium documentum habemus in tota *Epiſtola ad Galatas*: ut & *ad Romanos*; ſed præcipue in ea *ad Hæbreos*; in qua Apoſtolus continuo *ratiocinatur*, & illationibus utitur. Patet etiam ex locis Scripturæ, quæ diſtinguunt inter fundamentum, & inter ea, quæ eo inædificantur; aut quæ cum fundamento tam arctam cognationem non habent: ut & ex iis Scripturæ textibus, quæ docent dari quæſtiones inutiles; articulos fidei non eſſe ejuſdem neceſſitatis. Hujuſmodi articulorum diſcrepantiam Scriptura inſinuare non poteſt, ſi, *primo*, inter res credendas non detur connexio ratione perceptibilis: *ſecundo*, ſi uſus, & neceſſitas rerum credendarum dignoſci non poſſit; *tertio*, ſi articuli uſus non poſſit animadverti ex relatione ejus ad finem, quo cultus revelatus nos ducit. Quæ omnia cum liquido conſtent; & per ſe nota ſint, non utar in clara re probatione non neceſſaria; præſertim cum in ſequentibus in enumeratione articulorum fundamentalium ipſo uſu veritas patefiet.

Ex hac cultus rationalitate hæc ſequentia manant. 1. Omnem illum cultum voluntarium, & ultro à nobis ſuſceptum, vanum & ſuperſtitioſum eſſe, cujus uſus & commoditatem ad conſequendum finem cultus à Deo conſtitutum, non poſſumus oſtendere. Sed quia de ſuperſtitione alibi ex profeſſo egimus, hiſce in præſentia non immorabor. *Secundo*, etiam illam cognitionem vanam eſſe, neque cultum, religionem aut moralitatem ea contineri, quæ nullum uſum præſtat ad finis conſecutionem, 1 *Tim.* 1: 4. 2 *Tim.* 2: 24. Neque hoc tantum intelligendum de vanitate ſubjecti & materiæ, circa quam ſcientia eſt occupata, ſed etiam de quacunque & utcunque ſublimi Divinarum rerum ſcientia, quando amore & charitate Dei vacat, ita ut per eas virtutes non referatur in uſum: hoc eſt, nulla ſcientia per ſe, & quatenus in ſe reflectitur, ullam moralitatem continet; neque quiſquam ideo Deo gratior, aut magis eſt inviſus: quamvis tamen nullus verus cultus ſine vera cognitione eſſe poſſit. An autem ſcientiæ & cognitiones veritatum

tatum tam Theologicarum ſive Divinarum, quam naturalium in ſe præciſe conſideratæ complectantur aliquam moralitatem; & homo propter eas ſanctior putandus ſit, id accuratiore inveſtigatione dignum eſt, propter inſignem uſum, quem præſtat in ſocietate Chriſtiana, & præſertim in definiendis articulis fundamentalibus, hæc controverſia bene enodata. Erit itaque ob rem, ſi diligentius incumbamus ad hanc rem enucleatius tractandam. Conſtat homini intellectum & voluntatem conceſſam à Deo. Deinde in controverſiam venire non poteſt, quin homo ſe peccati reum faciat, quando iſtis facultatibus non recte & non convenienter utitur. Quæritur ſolummodo; an homo iis male uti poſſit: & ſi in his detur aberratio; quibus indiciis illa judicetur? Taciti hic rurſus præteribimus controverſiam multis diſputationibus celebratam; utrum judicare ſit actio intellectus an voluntatis: quia utcunque hæc res æſtimetur, id nullum confert momentum ad rem, quam in præſentia tractandam aggreſſi ſumus. Nam qui intellectui judicium attribuunt, illi tamen docent hominem peccare poſſe judicando. Deinde hoc etiam quidem extra diſceptationem eſſe videtur, hominis officium eſſe non judicare temere: nam quid tam temerarium, tamque indignum gravitate ſapientis atque conſtantia, quam aut falſum ſentire; aut quod non ſatis explorate perceptum ſit & cognitum, ſine ulla dubitatione defendere. Sed non immerito quæritur: quare homini non liceat temere judicare, idque de rebus, quæ nullum uſum habent in vita. V. Gr. an peccatum committatur, quando aliquid longo intervallo videns, temere judico id hominem eſſe, cum ſit arbor; quamvis alioquin ea in re nullum vertatur commodum aut damnum? Reſpondeo: exiſtimarem talia judicia temeraria & præcipitata vitio non carere, non ſolummodo quia uſu & conſuetudine temere judicandi labimur ad habitum temere judicandi; quo evenit ut etiam in rebus majoris momenti præcipites ad judicandum feramus; ſed etiam quia eſt contra *dignitatem* hominis ferre judicium de re non bene percepta & intellecta: quia homo ita natura comparatus eſt, ut judicium exſerere non debeat, quando res de qua judicatur, recte non eſt percepta. Quemadmodum officium hominis eſt cogitationes ſuas ita regere, ut ad ineptias & futilia non delabatur: & ſicut hominum geſtus debent eſſe honeſti, moderati & æquabiles, ſemper referentes illam dignitatem, in qua homo, qui eſt creatus ad imaginem Dei, eſt conſtitutus, ita decet hominem cum dignitate verſari in judicando; cujus dignitatis memor non eſt, cum ſuum judicium præcipitat. Plura hiſce non addam; cum hæc quæſtio exiguum aut nullum adjumentum conferat rei, in qua jam occupatus eſt ſermo: quia quamvis in temere judicando ſit vitium, non inde ilico confectum eſt, ideo in omni cognitione eſſe *moralitatem*: quia vitium in temerario & non cauto judicio, petitur ab abuſu facultatis judicandi: at *moralitas cognitionis* haurienda & accerſenda ab objecto ſcientiæ atque cognitionis. Neque eſt ulla connexio inter hæc duo: male & temere judicare vitio non caret; & bene atque caute incedere in ferendo judicio eſt virtus: ergo ipſa rei cognitio in ſe, & per ſe ſpectata eſt in genere morum bona vel mala. Non eſt hic certe major cohærentia, quam inter hæc duo: gravibus & compoſitis geſtibus incedere eſt laus: ergo eo inceſſu hac & non illac pergere laudem vel vitium in ſe complectitur.

Sic etiam hanc quæſtionem non decidit, ſi probatum fuerit homines peccare, quando aliquam veritatem non amplectantur, aut eam oppugnent per invidiam, aut odium in eos, qui profeſſione iſtius veritatis æſtimationem atque celebritatem ſibi pepererunt: etiamſi alioquin illa veritas præterea nulla utilitate humanum genus cumulet; quales ſunt multæ

artes

artes atque ſcientiæ ludicræ, aut curioſæ; quia odio aut vana gloria duci homine ſemper indignum eſt, eſtque illi arti & ſcientiæ extraneum.

Neque etiam pertinet ad finiendam hanc controverſiam, quod homo multarum rerum cognitione imbutus, fortaſſe ad digniorem ſtatum ſeſe effert, eoque commendatior atque laudatior exiſtat: nam præterquam quod dubio non careat, an quicquam hominem commendatiorem reddere poſſit, quod eum ſimul non reddat aptiorem ad munera vitæ præſtanda, ſic non recte procedit ratio: aliquid hominem conſtituit in ſtatu excelſiore, ergo ea in re eſt moralitas & virtus: ſicut id alibi fuſius tractavimus. Neque facit ad definiendam controverſiam, ſi probatum fuerit Deum præcipere rei cognitionem, cujus nos nullum uſum agnoſcimus: nam ſemper hoc dubium ſupereſt, an Deus imperet cognitionem alicujus rei, quæ nullum uſum præſtare poteſt humano generi? Videtur enim ſuperbiæ eſſe tantum ſibi aſſumere, ut exiſtimemus rem nullum uſum habere, quia alicujus rei utilitatem non cognoſcimus: neque eam ad aliquam frugem novimus conferre. Præterquam quod difficile judicatu ſit, qualium rerum ſcientiam nobis imperet Deus: & qualem illius uſum à ſingulis hominibus poſtulet. Nam præterquam quod hiſtoriæ ratio flagitet multas narrare circumſtantias, quæ tempore quo illæ ſcriptis conſignantur, multum conferunt ad conciliandam fidem narranti, & ad eam muniendam; quarum circumſtantiarum cognitio & fides tunc cum res accidebat, magni uſus erat: & quæ tamen poſtea natos fugere ſine vitio poteſt: quia illa hiſtoria prioribus ſæculis, hominibus ad fidem perſuaſa, poſterioribus atque ſequentibus ſæculis fidem ex aliis fundamentis ab hominibus impetrat; nempe *traditione*. Non itaque recte conficitur: in Sacra Scriptura innumera traduntur & narrantur, & illa Scriptura eſt à Deo, ergo omnium illorum cognitio nobis imperatur. Et quamvis aliam utilitatem, quantum ad uſum vitæ, ex eorum cognitione nobis conciliare non poſſimus, quam officium parendi Deo, (quod certe ſufficit, quando conſtat Deum alicujus rei cognitionem à nobis flagitare) non tamen recte conficitur: quarumcunque rerum fit ſermo in Scriptura, earum cognitionem Deus ab hominibus requirit. Redit itaque eadem difficultas, quæ nam ſint illæ veritates, quarum cognitionem Deus ab hominibus poſtulat. Neque eo aliquid confectum eſt, quod actus aſſentiendi alicui veritati poſſit eſſe bonus, & moralitate bona affectus, & actus oppoſitus malus: ſæpe enim non paremus veritati propter præjudicia, & quia arbitramur aliquam veritatem agnitam, illiuſque profeſſionem nobis atque noſtris utilitatibus officere poſſe, & contra, egregiam ſæpe virtutem experiri licet aſſentiendo alicui veritati; quando nempe vitioſas & inordinatas paſſiones, & animi permotiones reprimimus atque retundimus, & ita rationi nos damus. In quo caſu inſignem quidem præſtamus virtutem: ſed ideo non eſt probatum cognitionem aut judicium de rebus ſua natura & per ſe moralitatem aliquam complecti, ſed caſum aliquem foris advenientem illud laudabile aut culpandum reddere. Multo minus confundere & temere miſcere oportet cognitionem rei alicujus, cum ejus fructu & utilitate, quæ in illum inde redundat, quia illam cognitionem convertit ad frugem & commodum, quo carendum illi eſſet, ſi cognitione illa fuiſſet privatus. Innumerabiles enim cognitiones poſſunt eſſe neceſſariæ ad uſum vitæ civilem & religioſum, quæ tamen ſua vi ideo virtutis participes non ſunt: cum conſtet illos uſus eſſe extra cognitionem ipſam, eique extraneos. Quis neget cognitionem & fidem de Deo, & de libero arbitrio eſſe neceſſariam ad ſtabiliendum cultum rationalem; & ad homines excitandos ad venerandum Numen,

& ad ſectandam virtutem: ſed quid laudis aut virtutis in ea cognitione continetur, ſi eâ non ducamur ad colendum Deum; quemadmodum malis angelis hoc evenit, qui ſciunt Deum judicem exiſtere, & ad cogitationem illius contremiſcunt, nec ideo minus ſunt profligatæ nequitiæ.

Non etiam hic in controverſiam venit, an in judicio practico intellectus non ſit aliqua moralitas: quia revera illud judicium eſt conflatum ex cognitione & voluntatis ultima determinatione ad agendum, vel potius ex ipſa voluntate jam determinata: ita ut tantum abſit in hoc judicio practico non eſſe virtutem aut vitium, ut contra omnis virtutis & vitii ratio hac actione voluntatis contineatur. Sed ut tandem ad rem ipſam, quæ controvertitur, veniamus, quæſtio eſt de cognitione in ſe conſiderata; ſeparata atque ſejuncta ab omnibus, quæ illi antecedunt aut ſequuntur, quæque illi foris & extrinſecus accidunt: an illa ſit particeps alicujus moralitatis: quod nos negamus. Primo, ſi omnes cognitiones per ſe eſſent moralitatis participes, etiam cognitiones & artes ludicræ, vanæ, curioſæ, per ſe eſſent bonæ: quia cum non minus *rationem cognitionis* contineant, quam ſcientiæ laudatæ, etiam non minus cum iis eſſet conjuncta virtus. Deinde quia omnes cognitiones ſunt ejuſdem dignitatis & ordinis. Si enim aliter cum cognitione comparatum eſſet, detur ratio quare una ſit pluris æſtimanda alia, & indicetur unde haurienda ſit diſtinctio? Ab objecto inquies. An cognitio alicujus attributi Dei non eſt pluris æſtimanda cognitione proprietatis inſectorum? Reſpondeo: non certe, ſi eam ſepares ab uſu & utilitate, ad quam illa potius quam hæc referri poteſt. An homines ſua ſponte atque tacitis ſenſibus non judicant hominem doctum nihilo meliorem indocto eſſe. Præterea quare alicujus attributi Dei, aut ejus operationis cognitio præferenda alteri, niſi propter uſum & utilitatem, quam una præ alia præſtat.

Præterea: ſi ſcire eſt bonum, ergo neſcire eſt malum, & ſcientia atque eruditio docti penſabit ejus vitia & improbitatem. Denique quemadmodum in hominis arbitrio poſitum eſt diverſis diſciplinis operam dare, ita ipſi licebit in ſingulis pro arbitrio pietatem colere, & tam ſanctum ei erit, Matheſi, imo vanæ & inutili ſcientiæ ſe dare, quam charitatem in proximum exercere: & cultus voluntarius & involuntarius, rationalis & irrationalis nulla diſcriminis nota erunt diſtincti; quia cum ubique ſcientia augeatur, etiam ex adverſariorum ſententia, pietas ex ſcientia incrementa ſua capiet: quod quam ſit abſurdum lector tacita cogitatione facile comprehendit. Plura non addam, ut tædii moleſtiam vitem.

Liquet pariter quo loco æſtimanda ſit ſententia, quæ ſtatuit nullum errorem fundamentalem *ſpeculativum* eſſe. Primum hic in memoriam revocanda, quæ in ſuperioribus diximus de erroribus duorum generum: quorum alii ſpectant pietatis praxin, alii argumentorum vicem præſtant ad ducendos homines rationales ad officium & munus ſuum. Plures alias diſtinctionis notas illic attuli, quas lector ſi operæ pretium ducat, poteſt conſulere. Priores errores vitium in ſe continent, poſteriores ideo vitio laborant, quia impedimenta in cultu rationali important: & ideo in ſe *moralitatem* non continent; quemadmodum nec veritas & cognitio, aut fides iis erroribus oppoſita, nulla morali qualitate per ſe affecta eſt: ſed cognitio & ignorantia æſtimandæ ſunt ex utilitate & damno, quæ præſtant in cultu, & quarum rerum cognitio aut ignorantia talis eſt, ut ex ea nihil fructus aut damni redundet in religionem; tunc nihil refert utcunque homo iis affectus ſit: & illius articuli cognitio aut ignorantia magis aut minus utilis aut noxia pro proportione utilitatis aut damni, quæ inde ad cultum ma-

manant. Quæ autem ſcientiæ nihil boni aut mali ad cultum conferunt, utcunque ſimulatione magnorum myſteriorum jactantur, illæ ſunt in cultu ſcientiæ vanæ & inanes, 1 *Timoth.* 4: 7. & 6: 4. & 2 *Timoth.* 2: 16.

Et utinam hæc quæ dicimus, ſuo pretio æſtimarentur, careret Theologia multis vanis controverſiis; nec frater in fratrem tam levi compendio duceretur: offenſiones animorum minus evenirent; & pax firmior eſſet. Nunc pugnaciter contra & pro quibuſdam ſententiis contenditur, quæ non majorem uſum in cultu præſtant, quam mea intereſt ſcire utrum ſtellarum numerus ſit par aut impar.

Secundo: poteſt illa diſtinctio inter errorem *ſpeculativum* & *practicum* habere uſum ſuum in hac controverſia. *Primo*: quatenus ſunt quidam errores, qui quidem in mente hærent, ſed ſecundum quos homo ſuum cultum non dirigit, de quibus abunde (quia hæc res in controverſia de articulis & erroribus fundamentalibus maximum uſum habet) dicetur in ſequentibus. *Secundo*: quatenus dari poteſt error in intellectu de officio hominis, ad cujus præſtationem omnes non tenentur: ſed quod exercetur tantum à quibuſdam. Qui itaque male judicant de tali munere, nec tamen ſibi expedire putant, ut illud exerceant, eorum error vocari poteſt *ſpeculativus*: quia judicant aliquem quæſtum, munus aut actionem æquam eſſe; quæ re ipſa tamen ab æquitate & juſtitia abeſt, nec tamen illum quæſtum exercent. Rem exemplis expediam. Poteſt aliquis in errore verſari in quæſtione de gradibus matrimonii, de fœnore trapezitico, & de uſura, de poſſeſſione bonorum eccleſiaſticorum, de adminiſtratione belli, &c. quamvis ipſe nihil horum attingat. Talium error, comparatione eorum, qui iſthæc munera uſurpant, iiſque ſe tradunt, eſt error *ſpeculativus*: & iſtorum errorum pondus æſtimatur ex generali fundamento, quod eſt de ſtudio pietatis & ſanctitatis; & quo longius aut propius ab ea abſunt, eo magis aut minus graves & peccaminoſi ſunt.

Et Lector facile intelligit aliquem hujuſmodi errorem, tam noxium & longe remotum eſſe poſſe à ſanctitate, ut Eccleſia, quæ illam profiteti r, non ſit habenda pro Eccleſia vera: quia *ſanctitas* eſt præcipua Eccleſiæ *nota*. Et ideo inveniuntur viri docti, qui juſtam ſeceſſionem Reformatorum ab Eccleſia Romana, etiam tuentur argumento ducto à dogmatibus impuris Eccleſiæ Romanæ circa praxin pietatis; quam bene aut male nunc non diſputo. Hoc ſaltem cuivis conſtare poteſt errorem talem *ſpeculativum* in illo tanto majoris malitiæ participem eſſe, quo ſuo errore pluribus prolapſionis cauſa exiſtit; quales ſunt illi, qui doctorum perſonam in Eccleſia gerentes, idiotis ſuo exemplo & ſententia quaſi lex ſunt.

Intelligit jam etiam quivis cujus uſus ſit diſtinctio inter *credenda* & *facienda*: quaſi ad numerum articulorum fundamentalium ineundum neceſſe eſſet ire per ſingula, in quibus hominis vitæ ſanctitas occupata eſſe debet. Neque mirum quoſdam negare articulorum fundamentalium numerum & ſummam fieri non poſſe, quando illis talis articulorum fundamentalium ratio ante mentis oculos verſatur. Rectè quidem omnia ad ſalutem neceſſaria illis duobus generalibus principiis *credendis* & *agendis* comprehenduntur, *Act.* 20: 20, 21. *Galat.* 5: 6. Sed agendorum, ſicut jam ex ſuperioribus conſtat, unus tantum articulus conſtituendus, *ſtudium Pietatis & Sanctitatis*, ſine qua nemo videbit Deum: agendorum enim numerus abit in immenſum, ſed formalis eorum ratio exitialis eſt una tantum: nempe *quod cum pietatis vero ſtudio certa vitæ agendæ ratio conſiſtere non poteſt*: at *credendorum* ea quidem ratio eſt, quod ſine ea cultus rationalis eſſe non poſſit; ſed præterea ſingulis alia particularis forma & ratio eſt. V. Gr. eſt error fundamentalis,

lis, Deum non eſſe ita potentem quod nos beatos poſſit præſtare. Eſt etiam error fundamentalis mentem poſt buſtum non ſupereſſe: generale amborum iſtorum errorum fundamentalium fundamentum & ratio eſt, quod vigentibus illis erroribus in alicujus mente, eidem perit ratio cultus rationalis: ſed præter illam rationem generalem ſingulis iſtis erroribus ineſt ratio particularis, per quam cultus rationalis deletur, & è medio tollitur. Prior error illum tollit: quia ſi Deus, quem colere inſtituo, tam potens non eſt, ut me præmio afficere, aut beatum reddere non poſſit, fruſtra eum colo: at ſecundus error eundem cultum tollit: tum quia ſi poſt decurſum hoc vitæ ſpatium nulla me manet pœna aut præmium, non eſt, quod metu Numinis virtutem ſecter; & ſi poſt exactam vitam totus intereo, quid juvat credere Deum eſſe ita potentem, ut me poſſit reddere beatum, quando ex nullis ejus operibus conſtat Deum id velle facere. At *agendorum* una tantum prima & ultima eſt ratio & fundamentum, nempe an certa aliqua actio cum vero pietatis ſtudio poſſit convenire: non autem an ſit peccatum, & cujus generis peccatum ſit? An injuſtitia, an impudicitia, &c.? Atque hæc de his dicta ſufficiant.

Ex quibus rurſus hoc conficio: nempe quia cognitio per ſe jejuna & amore privata nullam in ſe complectitur moralitatem, neque quiſquam ideo Deo acceptior ſit; etiam ignorantiam negativam, in ſe conſideratam, non continere ullam moralitatem; neque propter eam quenquam Deo minus eſſe gratum. Nam ſi ſcientia rerum inutilium me Deo commendatiorem non reddit, tunc etiam earum rerum inutilium ignorantia Deum à me alieniorem non reddit. Deinde, ſi ignorantia hominem vitio inficeret; non potuiſſet Deus fidelibus largiri diverſos cognitionis gradus: nam quibus minor gradus cognitionis fuiſſet conceſſus, ut hoc contigit Patribus ſub V. T. illi ideo non tantum imperfectiores fuiſſent, quemadmodum infans imperfectior eſt adulto, ſed etiam impuriores, & propter illam ignorantiam Deo inviſi. Neque hic ullum uſum habet diſtinctio inter ignorantiam negativam & privativam: quia ignorantia privativa non ideo vitioſa eſt, quia ponit alicujus rei ignorantiam, ſed quia ponit ignaviam & ſupinitatem in homine, qui per eam neglexit acquirere cognitionem rei, qua indiget ad exhibenda debita officia Deo, proximo & ſibi ipſi; ut inde conſtet ignorantiam per ſe vitioſam non eſſe, ſed propter circumſtantias. In cultu itaque atque Religione nemo aut ſcientiæ aut ignorantiæ ullam ducat rationem, neque ſe ipſum aut alios extollat aut contemnat, ſed ponderet & expendat, qualem uſum, aut quod damnum rei alicujus ſcientia aut ignorantia in cultu & pietatis ſtudio præſtare poſſit; & inde de utilitate aut neceſſitate dogmatis judicet.

Neque arbitretur ea cognitu neceſſariora, quæ plus myſterii complecti, aut reconditæ magis naturæ eſſe videantur; quod tamen multis evenire intelligo: & ejus inſigne documentum habemus in Eccleſia Romana, quæ ferme proram & puppim totius Religionis conſtituit in fide de tranſſubſtantiatione: nec tamen oſtendere poteſt ullam utilitatem manantem ex natura iſtius articuli. Sed qui in animis eorum, qui fidem iſtam profitentur, excitatur religionis motus, is non ex iſtius articuli fide manat, ſed ex ſuperſtitione. Quid enim confert oralis manducatio corporis Chriſti ſine ſpirituali; & quid deficit in ſpirituali manducatione, etiamſi oralis non accedit. Et votis expetendum, ut aliæ Eccleſiæ immunes eſſe poſſint ab illa labe; & illi articuli aut quæſtiones tantum in iis agitentur, quæ præſtant credentibus aliquem uſum: & præſertim ne propter non neceſſaria, quamvis utilia, eatur in partes; & animorum diſſenſio & diſtractio inde oriatur.

Eſt

Eſt enim hoc perinde ac ſi aliquis in proximum invehatur, & criminoſe de eo loquatur, quia in admonitione aut exhortatione facta contra mundi vanitatem omiſit aliquod argumentum, quod ab aliquo capite religionis, aut ab aliqua parte Philoſophiæ moralis duci potuit: quamvis alioquin plurima protulerit, quæ auditoris animum contemptu mundi afficere potuerit.

Neque etiam magna diſſentionis cauſa ſubeſt, etiamſi hujuſmodi admonitor non ſolum quædam argumenta prætereat, ſed etiam ea in medium proferat, quæ aliquis in pravum detorquere poſſit, & vertere in occaſionem peccandi, & reverentiam Numinis aut ſtudium virtutis imminuere. Nam *primum*, non tam attendendum quemadmodum homines aliqua ſcientia abuti poſſunt, ſed quo aliqua ſcientia & doctrina ſua natura nos ducat. *Deinde*, ea eſt ingenii & cerebri humani fabrica, ut quidam eandem doctrinam impietatis damnent; & omnem cultum ex hominum animis delere ferunt, quam alii ad cœlum extollunt, & ferme totam pietatis vim in ea collocant. Cujus rei documentum præbent diſputationes de prædeſtinatione & gratia. Et quamvis Contra-Remonſtrantes intelligerent doctrinam ſuam Remonſtrantibus ſcandalo eſſe, & ſentire homines eam doctrinam ſectantes, ſi ſibi vellent conſtare, debere prolabi ad impitatem: quemadmodum contra noſtri, doctrinæ Remonſtrantium talem peſtem & venenum ineſſe dicebant; quamvis inquam tantopere diverſa ſunt hominum judicia de una eademque doctrina, non ideo ex diverſitate judiciorum æſtimandum articuli pondus. *Tertio*, non ſemper tam animadvertendum, quid doceatur, & quo per argumentorum ſeriem, ſi ratione & recta via progredi velis, ea aliquem ducere debebant, ſed quomodo ille, qui eam doctrinam profitetur, ea doctrina afficiatur; & quales ſibi inde paret utilitates & fructus. De hoc enim jam convenit inter omnes, non attribuendos errores, & noxias atque damnoſas ſequelas alicujus doctrinæ profeſſori, quando illas conſequentias præſcindit, & repudiat; & teſtatur ſe iſtarum conſequentiarum nullam in rationali ſuo cultu dirigendo ducere rationem: ſed ſe argumenta ex ſua doctrina petere, qui ipſum ad pietatem impellunt. *Quarto*, etiamſi aliquis doctrinam profiteatur, ſupra cujus utilitate aut noxa diſcrepantes ſunt ſententiæ; quæ ratio, aut quod Dei præceptum comparet, quare talium diſſentientium tentare non liceat conciliationem, aut eorum conſociationem colere & tueri: ſive tolerantia mutua, ſive articulorum, ſupra quibus inter Chriſtianos ab utraque parte contenditur, remotione ex Confeſſione fidei, & ſilentii injunctione: ſi propter Fratrum infirmitatem, aut temporum calamitatem & ſiniſteritatem illi articuli præbeant occaſionem litium, & mutui amoris extinctionem? An magnum committitur piaculum, ſi fideles aliqua parte veritatis cognitionis careant, ſi modo infinitis aliis non fraudentur, quibus animus ad rationalem cultum præſtandum inflammetur. Præſertim ſi prudentia Chriſtiana, & uſus doceat plus damni in Eccleſiam redundaturum ex talis articuli fidei prædicatione, quam ex ejus ſilentio. Aut quo crimine ſe obſtringunt fideles, ſi ſinant doctrinam aliquam ex ſua ſententia falſam; ſed ex aliorum fratrum judicio piam, & veræ pietatis conciliatricem, in Eccleſia doceri.

At clamant veritates ſacras ſilentio non premendas, de iis non paciſcendum: ingratitudinis erga Deum argumentum eſſe, ſi veritatem quam Deus ad hominis uſum & bonum prodidit, ex noſtro judicio clam aut palam haberi velimus, &c. Reſpondeo: non clam habetur aut tegitur quicquid in cœtu proponi prohibetur: poteſt ſtudioſis veritatis, aliunde ex ſcriptis, & ex privata inſtitutione veritas pateſcere. Non opponitur privatum homi-

num judicium Dei præcepto, quando componimus & contendimus commoda cum incommodis, quæ ex doctrinæ alicujus profeſſione, aut ſilentio redundatura ſunt in ſocietatem fidelium. Huic caſui aliquo modo aptari poſſunt verba Chriſti *Sabbathum eſt propter hominem, non homo propter Sabbathum.* Deus hominibus veritatem ſuam manifeſtavit propter homines, & ad eorum utilitatem; neque homines eam parvi faciunt, ſi omnibus omni tempore eadem doctrinæ capita non proponant. Factum Chriſti non arguit contemptum veritatis, quando Diſcipulos ea celavit, quæ capere nondum poterant: neque Apoſtolus Paulus ſe aliquo crimine obſtrinxit, quando teneros & infantes in fide, lacte, non ſolido cibo nutrivit. Et ſi in docenda religione gradus faciendi ſunt; & à facilioribus ad magis ardua progrediendum: quemadmodum ratio cultus rationalis hoc requirit, & uſus Apoſtolorum hoc comprobavit, *Heb.* 6: 1. eſt tunc etiam locus prudentiæ Chriſtianæ in docendis fidei capitibus. Et quidni quædam propter temporum iniquitatem, & animorum exacerbationem licebit prohibere, ne in cœtu aut corona auditorum, imo ne ſcriptis aut ſermone quædam indicentur in vulgus, ut ita lites & diſcordiæ fratrum vitentur, donec ſedata exacerbatione animorum, & matureſcente opportunitate, illæ opiniones & doctrinæ cum fructu poſſint proponi. In familiis, ſcholis, Academiis hoc obtinet; & nulli Patresfamiliæ aut ſcholarum Rectores exiſtimant ſe aliquid à ratione aut pietate alienum præſtare, ſi curent ſua auctoritate quibuſdam quæſtionibus aut finem imponi, aut modum adhiberi: ſi modo illarum ea non eſt neceſſitas, ut ſine earum cognitione pietas cum ratione coli non poſſit. Si enim hanc rem recte putemus, Societatis Eccleſiaſticæ membra eo in caſu non alia utilitate fraudantur, quam illi cives, quibus aliquis cibus, quem Deus homini ad victum conceſſit, interdicitur; quia illius invectio & venditio mulctat ſocietatem aliquo majori damno: dummodo aliunde populo ſuppetat copia ciborum, quo victitet. Imo in Eccleſiis Reformatis omnibus obtinet ea lex, ne quis novam aliquam doctrinam, aut nova cogitata in vulgus manifeſtet, antequam Rectoribus Eccleſiæ indicaverit; & ipſi judicaverint utrum Eccleſiæ bono illa doceri poſſint: neque tantum falſa doceri prohibent, ſed ſæpe etiam nova, quamvis veritati conſentanea: quod certe jure fieri non poſſet, ſi veritas aliqua Theologica aut omnino celari, aut ejus cognitione aliqua pars fidelium ad tempus fraudari non poſſet.

Nunc reliqua perſequamur, & ea colligamus, quæ ex natura cultus rationalis manant. Tertium itaque quod ex illo ſequitur, eſt, cultum noſtrum debere niti *cognitione*, ita ut illis, qui illum exercent, conſtet, quare, & in quem finem illum exerceant; & quomodo ille medii moralis rationem habeat ad finem, propter quem adhibetur; nimirum ad Dei gloriam illuſtrandam, & ad ſuam beatitudinem conſequendam: nam quæ *ratio* ſeſe prodit in cultu, cujus nullam rationem reddere poſſumus? Cognitio autem cultus, & rei quæ creditur, duplex eſt: una non attingit intrinſecam aut inteſtinam articuli fidei cognitionem, ſed tantum præceptum Divinum, quo imperatur ille cultus & fides; hæc poſtrema cognitio non reddit cultum & fidem noſtram rationalem, qualem rationalem cultum Euangelium requirit; & qui cultus rationalis in illo ſenſu, oppoſitus eſt cultui V. T. Præterquam quod iſti cognitioni nihil loci ſit in rebus credendis; & quæ mentis cogitatis, non actibus externis continetur. Non poteſt enim fingi aliquod præceptum imperans credi juſtificationem per fidem, ſi illud præceptum ſimul non explicet, quid ſit juſtificatio, & quid fides: neque ſe aperit ulla ratio in tali fide, quare illa fides moralem actionem in ſe contineat,

tineat; & nos ducat ad adipiſcendum finem, quo rationalis cultus jubet nos tendere; ſi ex ipſa articuli fidei cognitione non ſimul emergat cognitio talis uſus. Sed quid opus eſt magnopere laborare in re, quam omnes facile concedunt; & Scriptura adeo manifeſte docet, ut nullus iſti veritati refragari poſſit. Legatur caput 13 ad *Corinthios, Epiſt.* 1. cujus bona pars occupata eſt in probatione hujus veritatis: neminem ſcilicet ſe recte ad cultum excitare; neque *amen* aut aſſenſum rei præbere, quando ipſi non conſtat ſui aſſenſus ratio.

Tota difficultas in eo vertitur: qualis cognitio articuli fundamentalis requiratur? Alia enim eſt cognitio implicita, alia explicita: & implicitæ cognitionis non eadem apud omnes eſt uſurpatio. Pontificii dupliciter eam uſurpant: una cognitio implicita ipſis eſt, qua aliquis cognoſcens rei alicujus eſſentiam, aut primum ejus attributum, vi iſtius cognitionis cognoſcit reliqua, quæ ea eſſentia, aut illo attributo continentur: qui cognoſcit corpus, cognoſcit ſimul illud locum occupare, aliud ex illo loco excludere, eſſe extenſum, eſſe diviſibile, &c. Altera cognitio *implicita* Pontificiorum eſt, qua profitetur aliquis ſe credere quod credit Eccleſia, quamvis diſtincte & explicite non ſciat, aut intelligat, quid Eccleſia de aliquo articulo definierit: ad quam fidem implicitam inter alia requirunt, ut nullus teneat ſententiam illi definitioni Eccleſiæ contrariam: deinde, ut paratus ſit omnibus Eccleſiæ decretis ſubſcribere; ſi quando explicitam cognitionem alicujus articuli ab Eccleſia definiti, ipſa Eccleſia à Catholico requirat. Sed datur adhuc alia quædam cognitio *implicita* & *explicita*: illa, nempe explicita, eſt ea, qua aliquis clare & diſtincte rem aliquam ſcit; & ſecundum claram illam cognitionem cultum ſuum dirigit: ſive illa clara cognitio ſit intuitiva, ſive parata *ratiocinatione*, & nitens argumentorum ſerie, quorum evidentiam, nexum & cohæſionem uno & ſimplici mentis intuitu conſpicere non licet; quamvis meminerit ſe ſingula argumenta, eorumque progreſſum, & connexionem clare intellexiſſe. Sic per cognitionem intuitivam cognoſco bis ter eſſe ſex: at per cognitionem implicitam cognoſco multas numerorum ſummulas unam ſummam efficere. Sed datur adhuc alia cognitio *implicita*, qua hominis mens ſponte ſua & tacita quadam æſtimatione judicat de rei bonitate & malitia; & juxta illud judicium, actiones in cultu, & in explendis ſuis officiis dirigit; & tamen illius æſtimationis & judicii tam implicatas habet notiones, ut cultus ſui rationem explicitam reddere non poſſit. Et ideo multi ejuſmodi judicia, & actiones ex iis emergentes attribuunt *inſtinctui naturali*: alii *notionibus primis*, quarum cauſa & ratio reddi non poſſit, & cujus non magis probationem requiras, quam primorum principiorum. Et hujus *implicitæ cognitionis* exempla videre licet in rebus pudoris; quarum tacitam æſtimationem eſſe ferunt, quia pauciſſimis datum eſt cognoſcere veram & formalem cauſam, quare propter pudorem innumera facere vitemus. Sed hoc non ſolum obtinet in rebus pudoris; ſed in multis aliis rebus, de quibus vir probus & honeſtus, & ex cujus animo prima bonæ educationis & diſciplinæ præcepta conſuetudine peccandi aut præjudicis, quæ ut plurimum oriri ſolent ex vitioſo ſui amore, non ſunt deleta, aut corrupta: & quorum ope homo ſimplex; & à diſciplinis nudus rectius judicat de multis caſibus conſcientiæ, quam multi alii, qui magni doctores & caſuiſtæ cluunt. Cujus rei luculentum nobis præbet teſtimonium moralis Theologia Jeſuitarum: quemadmodum & quorundam Philoſophorum Stoicorum, ſed Cynicis affines; qui eos reprehendebant & irridebant, qui ea, quæ reipſa turpia non ſunt, verbis flagitioſa dicebant: illa autem quæ re turpia ſunt, nominibus appellemus ſuis: latrocinari,

fraudari, adulterari re turpe eſt, ſed dicitur non obſcœne: liberis dare operam *re* honeſtum eſt, *nomine* obſcœnum: pluraque in eam ſententiam ab eiſdem contra verecundiam diſputabantur. In hiſce nonne turpe eſt dubitare Philoſophos, in quibus non dubitat ruſticus? Et quia hæc implicita cognitio non parvum habet momentum in quæſtione de articulis fundamentalibus: ſpero me ob rem facturum, ſi exponam unde hujuſmodi implicita judicia in nobis oriantur, ut inde liqueat, quantum iis attribuendum ſit; & quomodo noſtrum cultum *rationalem* reddant, aut illum ea qualitate orbent.

Tacitorum iſtorum judiciorum origo & fons idem eſt, qui omnis moralitatis, nempe ille mentis impetus, quo homo ſuam beatitudinem quærit, qui junctus cum ratione, quæ menti propria eſt, accedente uſu & diſciplina imbuit hominis mentem moralitatis præceptis. Hujus veritatis demonſtrationem hic non ſuſcipiam; fiet hoc in alio tractatu. Ex hiſce tribus conjunctis emergit in homine rationis capace, fundamentum omnium præceptorum moralium, à quo ille omnia officia ducit; & unde emergunt omnia illa judicia tam clara, quam tacita & tecta, quæ vulgo inſtinctui & notionibus communibus tribuuntur. Hæc poſteriora diverſis occaſionibus & diverſis ex cauſis ex illo principio oriuntur: quia hærent in mente notæ, ſed ita latentes, ut homo præſentem & vivam ejus non habeat memoriam; neque illarum recordetur, quibus notis actiones quædam nobis notatæ fuere ut laude aut vituperio dignæ, & ſpe præmii aut pœnæ metu affectæ, &c. Evenit itaque tales aut ſimiles actiones rurſus ita nobis offerri, ut mens de iis judicium ferat; neque tamen meminerit amplius iſtarum notarum, quæ tamen tacite vim ſuam exerunt; ferme eo modo quo contingit, nos aliquam in nobis experiri triſtitiam, cujus rationem ignoramus; quia elapſa eſt ex memoria res triſtis, de qua paulo ante cogitavimus, quæque notam triſtitiæ menti inuſſerat. Ita nos multorum pudet, quorum rationem nullam reddere poſſumus: quia non ſolum illius ratio nobis nunquam fuit expoſita, ſed etiam quia non recordamur talis aut ſimilis actionis unquam laudem aut vituperationem inſinuatam menti fuiſſe, ita ut illius aliqua nota præſens & viva non ſit in memoria: & fit id ferme eo modo, quo aliquis naturaliter ab aliqua re abhorret, aut ad aliquam rem propendet propter caſus quoſdam, quos in pueritia circa aliquam rem, aut ei ſimilem, expertus eſt: quorum caſuum non amplius meminit, & tamen nota ejus in memoria hæret.

Secundo: hoc fit, quia eſt tacita, tecta, & recondita quædam analogia, aut etiam connexio inter res, quas mens in probandis aut improbandis, proſequendis aut fugiendis, &c. aliquibus rebus, non percipit, quamvis ea tacite afficiatur notis in memoria ſuperſtitibus, quibus ad cogitationem ſimilis rei affecta & commota fuit; & hanc cauſam cum priori conjunctam exiſtimo eſſe principem omnium illorum mentis judiciorum & commotionum, quas vulgus attribuit inſtinctui naturali, in homine rationis capace, & quorum vulgus rationem reddere non novit; & in quibus plus valet natura recta, quam oratio proba. Cujus rei exempla plurima præbent res pudoris, & illæ, in quibus aliquid *per ſe* aut *per accidens directe* aut *indirecte* ſequi dicitur. Ita tam idiota quam doctus de multis judicant ſua ſponte, & tamen ejus judicii rationem (ut ego quidem puto) reddere non norunt. V. Gr. virgo excuſatur à peccato impudentiæ, ſi ad ſe eripiendam mortis periculo nuda per medios milites, quia alia evadendi via non datur, fugam inſtituat: omnes tamen eandem impudentiæ ream agerent, ſi ſalutem ſub turpi conditione pacta fuiſſet à militibus. Sic aliquando fas eſt ad tuendam vitam ſe alicui in ſervitutem tradere, qua ſibi eripit omnem facultatem Deo

ſerviendi in cultu publico: at ſi idem ad conſervandam vitam paciſcatur cum inimico, ſe nunquam interfuturum Chriſtianorum ſacris, id flagitioſum putaretur. Omnes ſponte ſic judicant, nec tamen aliquis facile iſtius judicii rationem redditurus eſt. Nam quod dici ſolet in duobus poſterioribus enumeratis caſibus homines directe paciſci de malo, aut de eo, quod non eſt in eorum poteſtate: malum itaque non eſſe faciendum ut eveniat bonum; in prioribus autem caſum diſſimilem eſſe, id tanti non eſt faciendum. Nam quæ ratio te docet fas tibi eſſe tuo uti cum detectione partium, quas pudor tectas eſſe jubet: non licet mihi uti meo fundo, eique inædificare ædes ut proximo noceam. Si dicas id fas eſſe, ſi primum proximi damnum non intendas; neque ædificatione ædium utaris tanquam medio ad afficiendum damno proximum. Sed reſpondeo: virgo, quæ paciſcitur cum militibus ſub conditione turpi, nihil minus quam turpitudinem illam intendit; neque impudentia aut libidine ducitur, ſed ſummo metu mortis. Ad vivum hæc reſecare & enucleatius diſputare non eſt hujus loci: ſufficit omnes libenter mihi concedere doctos & indoctos occultis judiciis; & quorum ratio non eſt in promptu (quamvis ipſa judicia ultro & ſua ſponte quaſi ab omnibus manent) æſtimare unum fas eſſe, alterum ſine probro ſuſcipi non poſſe. Ita vulgus pejus odit furem quam homicidam, & totam viciniam clamoribus complet, ne fur elabatur; ſed homicidæ miſereſcens libenter omnem adhibet operam, ut elabi & evadere poſſit: at multis in proclivi non eſſet reddere duorum iſtorum judiciorum & animi commotionum diverſitatis rationem.

Naſcuntur *tertio* occulta illa judicia, non tantum cum mens hominis eſt imbuta aliqua cognitione, quæ tanquam fundamentum alias multas complectitur, ſed etiam cum mens illa cognitione admodum commovetur & afficitur, ita ut eo modo affecta, ipſa *illa cognitio* peragret & ſe diffundat per animum hominis, ut ea ita multa detegat, ad quæ antea non attenderat; imo de quibus aliter judicarat. Ita is, qui vera humilitate affectus eſt, multas vitæ partes ſuperbia inquinatas putabit, quas antea longe ab ea abeſſe exiſtimabat: ita qui vero peccatorum ſenſu tangitur; & vera pœnitentia ducitur, illa pœnitentia ita peragrat per hominis animum, ita ſenſus menteſque ejus pertentat; ut ſibi non tantum ad minima non indulgeat, ſed ab iis etiam abhorreat, in quibus nihil vitii antea cernebat. Ita qui recte ſuam vilitatem, vitioſitatem, ſuumque demeritum intelligit, & contra ad Dei majeſtatem, ſanctitatem & juſtam ſibi iraſcendi cauſam attendit, is doctrinæ *de juſtificatione per fidem* facile favebit; & parum præſidii ponet in meritis operum ſuorum. Ita qui bene perſuaſus eſt de intentiſſimo amore Dei erga genus humanum depromto in devovendo Filio ſuo unigenito; & qui illius amoris ſenſus in ſe experitur, ille facile interceſſione Sanctorum carebit. Ita poſſem ire per omnes Chriſtianæ doctrinæ partes, & oſtendere animum principiis quibuſdam veræ Religionis vivide tactum, tunc vi cognitionis iſtorum principiorum occulte ſeſe exerente, prompta de multis rebus ferre judicia, quarum implicatam rationem non poſſet evolvere; neque explicare quomodo ex illis principiis natæ & emerſæ ſint ſuæ concluſiones. Et ad hanc occultam convincendi rationem exiſtimo Spiritum Sanctum reſpicere, dum dicit, *unctionem nos docere omnia*, 1 *Johan*. 2: 27. Et *natos ex Deo non peccare, quia ſemen Dei manet in ipſis*, 1 *Johan*. 3: 9. Et *hominem ſpiritualem judicare de omnibus*, 1 *Corinth*. 2: 4. Et *oves cognoſcere vocem paſtoris veri, & mercenarii fugere*, *Joh*. 10. Non enim exiſtimo hoc ita intelligendum, quod illi, qui unctionem acceperunt, ſtatim docti & eruditi evadant Theologi, & rationes explicitas fidei ſuæ reddere norint; ſed puto eos, qui

unctionis illius participes ſunt, & vera pietate ducuntur, quæ tantum veræ fidei fructus eſt, vi quorundam principiorum fidei Chriſtianæ, ita judicare de aliis articulis, qui à principiis remotiores ſunt, ut iis aſſentiantur tacita vi iſtorum principiorum, per mentem pietate imbutam diffundentium: ferme eo modo, quo id uſu venire videmus in caſta virgine, quæ vi inſitæ caſtitatis multo ſanius judicat de rebus pudoris, quam impurus moralis Philoſophus.

Hiſce ita expoſitis, ſupereſt inveſtigare qualis cognitio articuli fundamentalis requiratur, ut putetur ſufficiens ad reddendum cultum, qui juxta illam cognitionem dirigitur, *rationalem*. Non neceſſario requiri cognitionem *intuitivam* omnes facile mihi dabunt; & ideo conſequenter omnes mihi concedent, cognitionem explicitam, ſed ſerie argumentorum elicitam, ſufficere, quia illa tam certa eſt, quam prima, ſiquidem recta ſit progreſſum, nec aberrarit mens in colligendis conſequentiis. Multi ſtatuunt cognitionem *explicitam* articulorum requiri, aliorum articulorum minus neceſſariorum cognitionem *implicitam* ſufficere arbitrantur. Non tamen per cognitionem explicitam intelligunt ſcientiam, qua aliquis ad unguem enumerare novit articulos fundamentales: non magis hoc requiri ajunt, quam enumerationem omnium *notionum primarum*: ſed talem cognitionem explicitam poſtulant, ut homo, quando interrogatur de fide articuli fundamentalis, ejus talem rationem reddere norit, ut illa ſit vera & ſufficiens ad ſtabiliendam *fidem rationalem*, ita ut homo abſit ab illa temeritate credendi, quæ ejus fidem & aſſenſum reddat *irrationalem*, & temere ſuſceptum: nec intereſt ſive de illa temeritate judicandum ſit juxta rationem naturalem, ſive inſuper juxta dictamen Scripturæ. Lector enim facile intelligit ultro illam difficultatem ſeſe aperire, quandoquidem ponitur cognitionem explicitam eſſe neceſſariam; & tamen multæ cognitiones non ſunt ejuſdem naturæ, & firmitatis reſpectu eorum, qui illam profitentur, quæ tamen poſſint eſſe æque *explicitæ*: inde merito quæritur, quæ cognitio explicita requiratur ad reddendum cultum rationalem? *An quæ teſtimonio Divino clare percepto nititur?* Sed multa fide Divina proponuntur credenda, quæ prærequirunt fidem & cognitionem naturalibus mediis quæſitam: ſicut id oſtendi *in Tractatu de uſu rationis in rebus fidei.* Deinde ſunt plures articuli fundamentales, qui ratione naturali nituntur, quam qui Scripturâ, quemadmodum in ſequentibus hoc docebitur. Denique quod ſi quis credat Sacram Scripturam tantum Divinam propter traditionem, quemadmodum ab ea noſtri Doctores etiam inter alia multa argumentum ducunt pro ejus auctoritate & divinitate; an talis fides iſtius articuli fundamentalis non eſt ſufficiens? Nam quamvis noſtri Doctores pluribus aliis utantur argumentis, nullus tamen eorum eo abſurditatis prolabitur, ut exiſtimet ad fidem *explicitam* articuli fundamentalis requiri cognitionem, & aſſenſum omnium argumentorum bonorum, quæ fidei illi probandæ conducunt. Nam quamvis agnoſcam illam fidem tanto firmiorem eſſe; majoreſque ex ſe reddere fructus, quæ pluribus munita eſt argumentis: non tamen illa fides, quæ paucioribus fulta eſt documentis, deſinit eſſe vera fides, & vera cognitio; ſi quidem vera ratione & bono nitatur argumento.

Merito itaque quæritur hac occaſione; ſitne vera & bona Pontificii fides credentis propter *traditionem* Eccleſiæ Sacra Biblia eſſe ſcriptum Divinum: hoc eſt propter traditionem hominum, eouſque fide dignorum, ut ea fides, quæ in traditione requiritur, iis competat, qualis fides Eccleſiæ Romanæ eripi non poteſt; quia etiam convenit omnibus hominibus, in quibus reſidet illa qualitas ut ea fide digni ſint, quæ ad firmandam traditionem ſufficit:

ita

ita ut ſi per Ethnicos nobis conſtare poſſit tanquam per *traditionem*, Sacram Scripturam eſſe divinitus traditam, fides tali traditione nitens eadem foret cum illa, quæ traditione Eccleſiæ nititur. Nam ad *infallibilitatem* Eccleſiæ hic non attendo. At quamvis traditio bonum ad demonſtrandam Scripturæ divinitatem contineat argumentum: quorum tamen fides de divinitate Scripturæ nititur argumentis ductis à Scripturæ ipſius viſceribus, & quæ Theologi vocare ſolent argumenta *inſita* Scripturæ, illi magis muniti ſunt contra infidelitatem; & majori cum fructu verſantur in Scripturæ lectione, & aliter ea afficiuntur. Præterquam quod illi, qui auctoritatem Scripturæ tantum recipiunt propter traditionem, illi ſibi imponunt inveſtigandi neceſſitatem & cognoſcendi hiſtoriam, utrum à primis Eccleſiæ temporibus ſemper fides de auctoritate Scripturæ tenuerit in Eccleſia? Quod non ita facile factu eſt hominibus illiteratis. Ut itaque concludam: cavendum eſt ne articulum fundamentalem confundamus cum argumentis atque rationibus, quibus iſtius articuli veritas probatur. Magna pars Scripturæ occupata eſt in probandis & in illuſtrandis dogmatibus, & in demonſtrando illorum uſu, quibus magnam partem, ſi *neceſſitatem abſolutam* ſpectes, carere poſſemus: & quæ per occaſionem quorundam hominum, qui ad fidem propter præjudicia duriores fuere, in medium à Divinis Scriptoribus prolata ſunt, quibus alius de veritate perſuaſus, facile caret, eorumque cognitione vacuus eſt ſine periculo perditionis, quæ oritur ex ignorantia articuli fundamentalis.

Perſequamur reliqua. Quandoquidem omnis certitudo cognitionis non eſt uniuſmodi; ſed alia eſt certitudo *Mathematica*, alia *Moralis*, ſed tamen talis, quæ hujuſmodi argumentis nititur, ut qui iis fidem adhibet, non peccet contra prudentiam vulgarem, qua, qui duci ſe ſinunt, tenentur culpa erroris humani, non autem temeritatis inter homines damnantur. Certitudinem *Mathematicam* hic nullus requirit, cum multorum articulorum fidei natura & ratio talem probationem non ferat; quales ſunt omnes, qui facto & teſtimonio nituntur; quæque cum principiis naturæ nullam neceſſariam connexionem habent; aut ſaltem ſi eam habent, nobis latet. Ergo tantum *Moralis* certitudo requiritur. Sed quandoquidem varii ſint gradus certitudinis moralis, quæritur qualis gradus ſufficiat ad reddendum cultum & fidem *rationalem*: ita ut Deo illa fides placeat, & reliqua quæ ex illa fide manant, ipſi grata ſint. Alia eſt certitudo moralis *Cæſarem* quondam extitiſſe: alia *Romulum* occidiſſe *Remum*: alia certitudo (ſi traditionem ſpectas) tam Epiſtolam ad Romanos à Paulo ſcriptam, quam illam ad Hebræos. Sic ſi ad traditionem attendas, illa Scripta divina majora certitudinis ſuæ habere documenta arbitror, de quibus nunquam fuit dubitatum, quam ea, quorum divinitas ab aliquibus Eccleſiæ doctoribus, aut aliquo tempore in dubium vocata fuit. Deinde conſtat multa in Scriptura non æque clare tradi, & præſertim id omnes facile concedent, omnium, qui in lectione Scripturæ verſantur, ingenia non æque apta ad capiendum Scripturæ ſenſum, & in quibus verbis Scripturæ unus perſpicuum teſtatur ſe percipere ſenſum, alius propter ingenii tenuitatem, aut propter alios defectus illam evidentiam non videt; ſed tantum magnam veriſimilitudinem.

Omnium horum dubiorum una eſt ſolutio: dicendo ad eam certitudinem nitendum, quam natura cujuſque rei credendæ fert; & ea cura & ſollicitudine res fidei tractanda, quam rei dignitas & pondus requirit: quod pondus facile unuſquiſque æſtimabit, qui intelligit ſic agi de cultu *Numinis*, & de promovenda ſalute. Et quo res magis ad ſalutem eſt neceſſaria, eo cautius eſt incedendum, ne lapſi judicio præcipiti deflectamus à vero:

cum

cum ille ſatis teſtetur ſalutem ſibi non magnopere cordi eſſe, qui in re tam momentoſa temere inſiſtit, & argumentis & teſtimoniis fidit, quæ illam certitudinem non generant, quæ in ſingulis generibus certitudinis ſumma eſt: quia alioquin cultus non inſtituitur ex fide, & ex plena perſuaſione veritatis; ſine qua cultus, qui caret illa certitudine,non eſt *rationalis*; & ideo Scriptura teſtatur illum cultum Deo eſſe inviſum. Per *perſuaſionem* autem intelligo *evidentiam*, qua propter cauſam veram rem cognoſco, non qua animus ſimpliciter à dubitatione vacuus & liber eſt: nam talis *perſuaſio* etiam in iis eſſe poteſt, qui nullam aliam fidei ſuæ rationem reddere poſſunt, quam quod in medio hominum vixerint, qui eam religionem profeſſi non ſinebant eam trahi in controverſiam, aut aliquid objici: aut deſtituti ſunt occaſione illa, qua illis facile obrepere potuiſſet aliqua ſuſpicio de falſitate ſuæ Religionis. Nam ad hujuſmodi perſuaſionem nihil aliud requiritur, quam quod nihil contra id quod credimus, in mentem veniat, quod dubitandi occaſionem præbeat. Quæ *perſuaſio* longe diſtat ab *evidentia*. Qui itaque temere & per argumenta non vera, & non proba profitetur veritatem, illius cultus eſt irrationalis: & credendo verum, peccat. Idque, ſicut diximus, toties fit, quoties pro natura cujuſque rei, non nitimur ad ſummum certitudinis genus. Sed de his plus quam ſatis.

Quod ſequitur majoris eſt momenti: nempe an fides aut cognitio *implicita* non ſufficiat. Et an omnis cognitio implicita pugnet cum illa cognitione & ſcientia, ut & cum illa *evidentia*, quam in cultu rationali requiri præſuppoſuimus? Supra diverſas cognitionis implicitæ ſpecies enumeravimus. De prima non eſt dubitandum, quin ſufficiat ad reddendum cultum rationalem, quia illa implicita cognitio nititur evidentia eadem, qua cognitio explicita, quoties per cultus Deo reddendi occaſionem homo mentem attendere & defigere in rei conſideratione debet. Ita qui credit Chriſtum eſſe verum hominem, ſimul eadem evidentia credit Chriſtum habere corpus, eſſe in loco, occupare locum; illud corpus eſſe extenſum, &c. Ita qui credit ſatisfactionem Chriſti pro noſtris peccatis, is credit nos fuiſſe ſub reatu; Deum inter & nos talem, ante ſatisfactionem præſtitam, extitiſſe relationem, ut effectus juſtitiæ Divinæ punitivæ nobis ſubeundi fuiſſent, niſi Deus iram illam in Chriſtum effudiſſet; & ut ita dicam, in illo exercuiſſet: nos per eam ſatisfactionem à reatu liberatos; propria itaque & noſtra pœna juſtitiæ Divinæ non ſatisfieri: bona opera itaque talem ordinem & reſpectum ad Dei juſtitiam punitivam non habere, ut iis iræ ejus ſatisfiat, aut placetur; & nos ita per illa liberemur à reatu, & ita juſtificemur. Idem dicendum de pœnis, quas quidam ferre dicuntur in purgatorio. Qui bene eſt informatus doctrina de Chriſti ſatisfactione, illum non poteſt fugere doctrinas modo enarratas, & tam arcte cum illa ſatisfactione conjugatas, eſſe veras, & ſententias per proximam conſequentiam illam ſubvertentes eſſe falſas. Et cum cultus & religionis partes & munera requirunt; tunc Chriſtianus ex illo fundamento de ſatisfactione Chriſti,ultro depromit argumenta, & rationes, quibus cultum ſuum rationalem præſtet, & religionem ſuam dirigat. Certum itaque eſt, talem implicitam cognitionem ſufficere ad reddendum cultum noſtrum *rationalem*; & ſpeciatim ad declarandum, aliquem ſatis evidenter cognoſcere articulum fundamentalem, qui tam evidenter ex ſuo fundamento depromit fidem ſuam de aliquo articulo neceſſario.

Sed major difficultas eſt de alia illa cognitione *implicita*,qua ex tacitis quibuſdam principiis & habitibus bonis, homo ad quædam judicanda & agenda ducitur, quorum explicitam rationem reddere non novit, ſed eam tantum, quod ſuum judicium

cium & factum intima mentis ſuæ permotione nititur, quam permotionem vulgus inſtinctui tribuere ſolet. Quo nomine appellentur illæ permotiones tacitæ mentis, imo qua ratione illæ in hac, quam præ manibus habemus controverſia, ſumantur, parum refert; ſiquidem probatum ſit, unumquemque inter bonam & malam permotionem, bonum inter & malum *inſtinctum* ita certo poſſe diſtinguere, ut illa certitudo ſufficiat ad reddendum cultum rationalem; & ut ita homo dicatur agere ex *illa fide*, ſine qua nulla actio Deo grata eſſe poteſt. Quandoquidem enim conſtat multa cæco & temerario impetu à nobis fieri, eumque ab educationis vitio, inſtitutionis & diſciplinæ uſu, & præjudiciis oriri, & tam alte ſeſe menti inſinuaſſe, ut ab hominis natura manare videantur.

Et ideo recte Romanorum doctiſſimus dicit. Cum magiſtris traditi ſumus, tum ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas, & opinioni confirmatæ natura ipſa cedat. Quandoquidem inquam, tantopere homini ſuſpecti eſſe debent animi impetus, quibus ad judicandum & agendum movetur: recte quæritur itaque quantum hujuſmodi inſtinctibus in Cultu Numinis tribuendum? Quid de hac re dicendum ſit, breviter expediam. In aperto eſt hic tantum agi de cognitione, quæ ſufficit ad reddendum cultum rationalem; non autem de illa, quæ argumentis & principiis nititur, quæ demonſtrationem generant, quia multarum rerum cognitio cultum rationalem reddit, quamvis non ſit demonſtrabilis illi, qui eam profitetur. Primo, quia ea eſt mentis admirabilis natura, ut cum uno aliquo bono principio eſt imbuta, ex eo de infinitis aliis cum illo principio cognatis eodem modo judicet; & homo ſimul intelligat ex eodem illo principio ſua judicia & actiones naſci, & ideo certo conſtituere poteſt ſe bene progredi, quamvis cognitionis formam, & rationem, quæ inter illud principium & judicia, & actiones inde manantes, intercedit, non noſcat. V. Gr. qui in coïtu aliquid turpe cognoſcit, quemadmodum omnes, qui in Europa vivunt, neceſſario propter pudicos mores, qui in ea mundi parte vigent, propter educationem & exemplum aliquid turpe & deforme in eo cognoſcere debent, is primo illo naturæ inſtituto de omnibus reliquis rebus, quæ cum illa turpitudine participant, tacite judicat, & ſimul experitur illud judicium & animi permotionem ab illo principio manare; quia menti in iis illa nota turpitudinis apparet: quamvis homo in ea re formalem turpitudinis *rationem* reddere non poſſit. Quod ſi contingat, quod ſæpius evenit, aliquem principio caſtitatis & pudoris ulterius duci, quam oporteat, ita ut etiam de iis, in quibus nulla turpitudo eſt, erubeſcat, ideo primum illud principium non vocandum in dubium; neque ideo hominis talis pudor & caſtitas orbanda virtutis gloria: quaſi omnes pudicæ mentis ejus affectiones ex ignorantia aut dubio (illius hominis reſpectu) principio orirentur, quia labitur judicio in judicando de aliquo actu, cui obſcœnitatem, turpitudinem aut impudentiam ineſſe autumat, qua tamen caret: non magis quam amor parentum virtutum numero eximendus, qui aliquando modum excedit. Sufficit ejuſmodi actiones à tali principio bono oriri, quod principium flagitioſiſſimus homo nulli conetur eripere aut extorquere. Quod hic diximus de principo pudoris, idem ſe prodit de principio honeſtatis & civilitatis morum.. Infinita homo modeſtus & urbanus ex illo principio præſtabit: quorum tamen nullam aliam rationem reddere novit, quam quod ſentiat iſthæc officia originem ducere à mente principio iſtius virtutis imbuta: & in quorum ratione evidente & explicita reddenda Philoſophorum multa cum delectatione auditoris, occupata eſt induſtria.

Huic cognitioni implicitæ affinis eſt illa, qua mens vera pietate affecta de mul-

tis recte judicat, ad quæ antea cæcutiebat. Non quod pietas per ſe novam cognitionem infundat; aut novum lumen impertiat; ſed quod cauſa ſit, cur quædam principia vera & bona, ſed quæ propter impietatem menti ita demerſa ſunt, ut vim ſuam explicare non potuerint, emergere & in bonam frugem ſoboleſcere incipiant. Ita homo ſanctificatus clare ex principiis cognitionis naturalis de ſanctitate, judicat Sacram Scripturam eſſe ſcriptum ſanctum & divinum; ſed qualem ſanctitatem ante ſuam regenerationem in illo animadvertere non potuit. Et quamvis idiota, ſed probus ſuper illa ſanctitate non longos novit habere ſermones, eamque ita in aperto ponere, & auditorum menti ſubjicere, quemadmodum docti, ita tamen eam percipit, & tam vivide ab ea afficitur; & tam plane ab ea perſuaſus eſt, ut nullus fucatus, aut in ſpeciem ornatus ſermo illam fidem illi ſit erepturus. Nec tamen hæc cognitio eſt Enthuſiaſmus, aut tribuenda ſpiritui privato & ſingulari; ſed nata ex principiis moralitatis à natura menti inſitis & infixis: ſive potius originem ſuam debet legi Dei æternæ; cujus Deus mentem hominis fecit participem, & quæ lex eſt hominis *ratio*, aut *lex moralis* menti impreſſa. Pius itaque hac ratione perſuaſus de divinitate Scripturæ, habet veram & ſufficientem cognitionem ad reddendum cultum ſuum rationalem: quamvis nullam aliam illius rationem reddere poteſt, quam vir in ſcriptis Ciceronis verſatus, ex principiis ſuæ cognitionis Ciceronem legendo acquiſitis, judicat hunc vel illum librum eſſe Ciceronis. Aut quemadmodum homo ad muſicam natura aptus (ut exemplum proferam quod rei in qua verſamur propius accedit) vi principiorum artis muſicæ à natura ipſi inditorum, de ſonorum intervallis & concentu judicat: ita vir pius imbutus à natura principiis cognitionis moralis; & quæ principia per pietatis ſtudium magis emicant, judicat de ſanctitate Scripturæ Sacræ: neque iſtius judicii aliam rationem depromere poteſt, quam quod ſentiat illam congruere principiis *moralitatis*. Quemadmodum homo natura accommodatus ad Muſicam, principiis naturæ judicat de ſonis: & qui porro muſicam excolens, artis præceptis, & uſu illam naturalem ſcientiam auget, ita ut alterum alterius auxilio vigeat. Ita initiis cognitionis naturalis judicamus de divinitate & ſanctitate Scripturæ; & legendo & in illius meditatione nos exercendo, augemus lumen illud naturale, quod ita mutua operâ incrementum capit. Et certe ſi omnes non peſſime à virtute conſtituti judicant, v. gr. *Thomæ à Kempis* tractatum *de imitatione Chriſti* inſigni ſimplicitate, & ab homine pietate animum informatum habente, eſſe conſcriptum: nec opus ſit ad illud judicium vindicandum à temeritate & falſitate ad authoritatem hominum confugere, aut rationibus ex diſciplinis deſumptis illud firmare; ſed ſufficiat conſcientia mentis noſtræ, & omnium hominum, qui animum à pietate alienum non habent. Quanto magis ad fidem idiotæ de divinitate Scripturæ ſatis eſt, quod principiis ſuæ cognitionis naturalis, iiſque meditando res ſacras Scriptura contentas, auctis & cumulatis intelligit illa in ea inveniri, quæ ſanctitati & pietati congruunt. Et ita fidelis vulgaris non indiget ad reddendum cultum ſuum rationalem & certum auctoritate Eccleſiæ: & tamen ab Enthuſiaſtarum errore longe abeſt; nec tamen circulum committit, aut tantum conjecturis inſiſtit. In hoc itaque & in ſimili caſu cognitio implicita talis, qualem jam deſcripſimus, ſufficit ad cultum rationalem. Et his aptanda Chriſti ſententia, quæ magnam certe vim & religionem habet, *Johan. 7: 17. Qui vult facere voluntatem Dei, is cognoſcet doctrinam meam eſſe à Deo.*

Secundo contingit hominis cognitionem implicitam eſſe, quia cauſæ quare judicat

dicat & aliquid agere inſtituit, ſunt non tantum admodum complicatæ, ſed etiam veræ falſis mixtæ; neque homo vulgaris iſtas cauſas veras à falſis ſatis decernere novit, omnes tamen illas explicite cognoſcit, & ideo cognitio ejus partim vera, partim falſa, ſed tamen tantum veritatis continet, & de ea veritate tantum explicite ſcit, ut ſufficiat ad dirigendum ejus cultum, eumque rationalem, & Deo gratum reddendum.

Ex his jam liquet, quo loco ſint habendæ animæ diſpoſitiones, & opera, quæ ex erroneo, & non recte fundato principio oriuntur, & quibus tamen homines moventur ad opera pietatis erga Deum, & charitatis erga proximum præſtanda. Hæc quæſtio tanti mihi uſus & ponderis in Theologia eſſe videtur, ut vix alia cum ea conferenda ſit, ſi utilitas ejus ſpectetur, in decernendis & definiendis articulis fundamentalibus. Neminem fugit quam ſublimis & abſconditæ, altæque indagationis ſunt controverſiæ, quæ agitantur in Theologia: quam exilis, contracta & brevibus finibus circumſcripta cognitio vulgi: imo etiam eorum, qui ſe doctores & duces cæcorum profitentur in hiſce tenebris. Et quamvis porro obſcuritatibus illæ quæſtiones implicatæ maneant; etiam poſtquam multis argumentationibus ultro citroque agitatæ ſunt: ita ut etiam tunc doctiſſimi & maxime pii viri in varias eant ſententias. Non loquor jam de illis controverſiis, quæ ex communi conſenſu Theologorum, & Apoſtoli Pauli, divinitus inſpirati judicio, ad cultum & pietatem, aut nullum aut admodum exiguum uſum conferunt: quales quondam erant tempore Apoſtolorum diſputationes de genealogiis; & quales fortaſſe ſunt illæ, quæ *hodie* de Geographia ſacra exercent doctos. Sed nobis jam ſermo eſt de illis controverſiis, quæ propiorem nexum habent cum cultu divino, & cum vera pietate: ita ut de iis etiam ſuo modo pendeat cultus rationalis & pietatis vera ratio.

Rem exemplis illuſtrabo, ut magis in conſpectu ſit. Omnes ferme judicant de juſtitia Dei punitiva, quemadmodum de juſtitia judicis terreni; putantque nihil inter hanc & illam intereſſe; cum tamen toto cœlo diſtent. Juſtitia punitiva inter homines fundata eſt in jure conſervationis ſui, ſive in jure, quo quiſque debet contendere ad ſuam beatitudinem; & ideo tantum futurum commodum, & utilitatem ſpectat. At juſtitia punitiva Dei fundamentum ſuum habet in ipſa peccati fœditate: & Deus punit peccatum, quia aliquid irrationale in peccato perpetratur: & ideo illa juſtitia punitiva Dei veram noxæ expiationem ſpectat. Porro vulgus æſtimat, Deum peccatis iraſci; eumque aliter erga probum, aliter erga ſceleratum eſſe affectum. Quæritur quo loco & numero ſint habendi tales errores? An corrumpant officia pietatis & cultus, ad quæ homo movetur ex conſideratione pœnæ; ut & ex conſideratione Dei ſanctitatis: de quibus omnibus habet ex parte conceptus erroneos? Reſpondemus iſtos errores fundamentales in iis, qui naturam Dei eousque contemplati & meditati ſunt, ut apodicticis argumentis perſuaſi ſint tales errores circa Dei naturam, ens ſumme perfectum & ſumme beatum evertere: & quibus propter iſtas apodicticas rationes ſtat ſententia, iſtos errores Deum aut tollere, aut ea Deo eripere, quibus rationalis cultus perit, & qui propterea ita perſuaſi fundamenta cultus rationalis tollunt: qui autem vera falſis permixta quidem credunt, ſed veris ducuntur in cultu, falſis vera non evertentibus, illi errores tanti in Eccleſia reſpectu idiotarum & vulgarium Chriſtianorum æſtimandos non eſſe ſicut vulgo fit; quia illi Chriſtiani vulgares ea tamen de articulis ſupra enumeratis ſciunt, & credunt, quæ ſunt vera fundamenta rationalis cultus; & ideo ipſorum cultus & officia non nituntur falſo principio, ſed vero & rationali. Credunt enim Deum aliquando judicaturum homines, Ipſum

cos præmio vel pœna affecturum pro cujuſque merito aut demerito: & ita credunt Deum peccatum puniturum, & illius intereſſe quali opere & ſtudio homines ſeſe oblectent.

Quod ſi illa quæ jam vera eſſe præſupponimus, forent falſa, & à vulgo pro talibus eſſent habita, tunc eorum cultus non eſſet rationalis: & tales errores corrumperent omnia pietatis officia. Et ſicut tunc ceſſaret *ratio* in cultu, ita nunquam Propheta (ut per hanc occaſionem breviter perſtringam ſententiam Auctoris tractatus Theologico-Politici) hujuſmodi argumentis, aut principiis falſis uti potuit. Nam ſi ſciens fecerit impoſtor eſt: ſi inſciens, non potuit fuiſſe Propheta, qui in tanta ignorantia verſaretur, ut ignoraret aliquid, quod eſt fundamentum cultus rationalis.

Sed contra: non video quid nos impellere debeat ad ſtatuendum Prophetam cognoſcere debuiſſe, quid credendum eſſet de illis ſublimibus quæſtionibus, quæ & vulgus fugiunt; & quarum cognitione carens verum tamen habet fundamentum *rationalis cultus*; ad quem cultum Propheta populum hortatur veris argumentis. Nec capio quare Propheta magis informatus eſſe debuit in illis veritatibus, quibus in ſe & per ſe æſtimatis, carere poſſumus; & tamen pietatem colere; & rationalem cultum exercere, quam aliarum veritatum cognitione præditus eſſe, quibus carere potuit, & tamen idoneus haberi ad explenda munera Prophetæ. Non enim exiſtimo noſtros Theologos urgere Prophetam omnium divinarum rerum cognitione debuiſſe præditum fuiſſe, ſi habendus fuiſſet pro Propheta bonæ notæ. Si objicias aliud eſſe cognitione alicujus rei carere, aliud falſa doctrina intellectum imbutum habere. Reſpondeo: diſtinguendum inter errorem, ſive conceptum rei falſum, quo *clare falſum dogma* mente concipitur; & inter conceptum confuſum, tenebricoſum & intricatum; & qui ideo dogma erroneum tantum obſcure exprimit. Deinde diſtinguendum inter cognitionem claram & diſtinctam conſequentiarum tam veri quam falſi conceptus, aut dogmatis; & inter negationem, aut ignorationem iſtarum conſequentiarum tam veri quam falſi dogmatis. Rem rurſus exemplis illuſtriorem reddemus. Aliud eſt clare & diſtincte hæc ſequentia dogmata ut falſa intelligere, & pro talibus agnoſcere, quæ v.gr. ſtatuunt Deum propter hominum peccata vera ira concitari, qualis inter homines obtinet; & ideo vero dolore affici: pœnam divinam tantum fundatam eſſe in exemplo & metu ad deterrendum alios à ſimili flagitio; & quo reliqui homines ſecurius atque felicius ætatem agant. Denique Dei ſanctitatem, quæ inter homines locum tenet, Deo non ita eſſentialem eſſe, ut natura Dei ea contineatur: ita ut idea iſtius ſanctitatis in Deo non fuerit prius ordine naturæ quam idea creaturæ rationalis; ita ut Deus libero decreto nullum nexum habente cum ejus natura, homini communicaverit eam rationem propter quam homo rationalis vocatur; & potuerit illi aliam rationem indere: cum tamen revera illa idea moralitatis aut ſanctitatis in Deo exiſtat, non quia voluit prius naturam rationalem, ſed quia Dei natura requirit, quæ eſt rationalis & vera, ut creatura rationalis ſanctis legibus, quæ in Decalogo deſcriptæ ſunt, & quas nos legem moralem vocamus, regeretur, ita i.e res non ſint morales, quia legibus imperantur aut prohibentur, ſed lege circumſcribuntur quia ſunt morales. Statuimus omnes qui clare & diſtincte illos errores cum ſuis conſequentiis cognoſcunt & profitentur, verſari in exitiali errore: quia illum fugere non poteſt, quid proxime ex illo errore efflorescit: nempe Deum beatum non eſſe: pœnis & præmiis poſt decurſum hunc vitæ curriculum locum non eſſe: rationem rectam non contineri in eſſentia divina; & ſanctitatem & juſtitiam Deo arbitrariam eſſe: qui errores omnes

ſun-

fundamentales ſunt in iis, qui illos diſtincte cognoſcunt & profitentur, eoſque pro veris dogmatibus habent, & juxta ea vitam & cultum ſui numinis inſtituunt: quia fieri non poteſt quin ſtatim concedant etiam illa dogmata talia complecti, ut cum iis rationalis cultus conſiſtere non poſſit. Cujus ſententiæ noſtræ veritas cuivis in aperto eſt.

Quid itaque hic ſtatuendum? Omnes qui ſervantur, & ſalutem conſequuntur, claram & diſtinctam cognitionem debere habere omnium illorum articulorum difficillimorum. At viri doctiſſimi & maxime pii poſt longas multaſque lucubrationes non poſſunt de iis convenire, quod judicium eſt multos ex iis claram & diſtinctam cognitionem iſtorum articulorum non habere: & quamvis ſtatuant Deum peccatum odiſſe, & Deum aliquando exerciturum judicium, & retributurum cuique ſecundum ſua opera, de natura tamen pœnarum & de origine, neceſſitate, atque radice moralitatis diſputant. Statuere itaque omnes homines qui ſervandi ſunt, debere habere claram & diſtinctam iſtorum articulorum cognitionem, omnique errore vacuam, eſt omnes homines pauciſſimis exceptis (ſi modo quidam docti & in hujuſmodi controverſiis verſati reperiantur, quibus nulla difficultas ſuperſit in illis controverſiis decidendis & definiendis) cœlo excludere: & viam acquirendæ ſalutis adeo difficilem reddere, & flexis atque aviis ſemitis adeo cæcam & obſcuram facere, ut nulli aut pauci reperiantur, qui non tantum non ceſpitent in hujuſmodi tenebris, ſed qui non deficiant, aut aberrent. Statuendum itaque ignorantiam illarum rerum, aut earum confuſum errorem; & in quibus errans, nec cogitationem figit nec hæret, nec antecedentia & conſequentia illarum ſententiarum errore implicitarum expendit, multo minus juxta eas vitam componat, eſſe *infirmitates humanas*, quibus Deus ignoſcit; & quæ cum vera regeneratione convenire poſſunt.

Si aliter de pondere articulorum fidei judicium inſtituatur, mihi in proclivi eſt oſtendere vix unum Chriſtianum reperiri, qui non verſetur in aliquo errore fundamentali. Hoc eſt nullum Chriſtianum reperiri, qui non tueatur quædam, quæ ego arbitrabor ex meis principiis, quæ ego vera eſſe cenſeo; alius ex ſuis, qui eodem pretio ſua principia habet quo ego mea, æſtimamus illa poſt ſe trahere errores, & dogmata exitialia: ſi nempe ad imputandum proximo hujuſmodi errores, & ad illum numerandum in numero illorum, qui talibus erroribus tenentur, ſufficiat mihi verè & ex animi ſententia loquenti dicere mihi liquere ex aliquo errore tam graves alios errores manare, ut cultus rationalis cum hujuſmodi erroribus convenire non poſſit, quamvis ille qui errat primum errorem, & à quo ego reliquos deduco, neque illas conſequentias videt, neque admittat.

Rem rurſus exemplis (quia operæ pretium eſt ob inſignes uſus, quos hæc res bene percepta præſtat ad conciliandam inter Chriſtianos pacem) illuſtrare lubet. Qui ſpiritibus locum & motum attribuunt, & negant eos tantum eſſe in loco per ſuas operationes, mihi, qui contrariam ſententiam defendo, & clarum atque diſtinctum conceptum de natura ſpirituum mihi perſuadeo habere, eſſet ille error fundamentalis: quia imbutus illo errore, non poſſum non claro & diſtincto conceptu inde concludere Deum eſſe corpus; & ipſum ubique eſſe per diffuſionem: ita ut ſi admitterem principium eorum, qui à me diſſentiunt, tranſeundum mihi eſſet in caſtra eorum, qui docent *Deum eſſe corpus*. At quàm iniquum foret propter conſequentias, quas ego adverſariorum errori aut ſententiæ attribuo; & quas ego evidentiſſime intelligo ex adverſariorum principiis proficiſci, & propter quæ principia multi Deo corpus attribuunt, ideo adverſarios reos agere talium errorum: quamvis ego perſuaſus ſim me tales errores non poſſe amplecti, quin ſimul

propter evidentiam conſequentiarum amplecterer etiam eorum errorem, qui Deo corpus aſſignant. Unde clarius ſeſe manifeſtat iniquitas eorum, qui de ejuſmodi rebus articulos fidei cudunt: nam dum à proximo illius articuli fidem exigunt, etiam illi neceſſitatem imponunt credendi *Deum eſſe corpus*, & per diffuſionem ſuæ ſubſtantiæ eſſe in loco. Unde conſtat quendam errorem in quibuſdam tantum eſſe levem, quia conſequentias periculoſas nec intelligunt nec admittunt, qui in aliis eſt exitialis: quia malo principio, quod tamen ipſis cum leviter errantibus commune eſt, inſiſtentes, iiſque ſe ulterius duci ſinentes, tandem in graviſſimos errores ſeſe dant præcipites.

Similiter ex mea ſententia & ſecundum mea principia, quæ ego veritati conſentanea eſſe arbitror, mihi ſum perſuaſus eorum doctrinam, qui negant naturam ſpiritus in ſubſtantiali cogitandi actu conſiſtere, poſt ſe trahere hoc abſurdum, nempe tunc probari non poſſe ſpiritum non eſſe corpus: non poſſe refelli ſententiam, quæ docet reipſa exiſtere ſubſtantiam quandam generalem, quæ poſſit ſimul eſſe extenſa & cogitare. Quodque itaque mihi tunc non liqueat utrum mens mea ſit corpus an ſpiritus, &c. utrum autem ſic argumentans, ex aliorum ſententia rectè an malè argumenter, nihil intereſt: ſufficit me perſuaſum eſſe hujuſmodi conſequentias ex ſententia adverſariorum ſequi. At quam eſſet contra omne fas adverſariis, qui negant naturam ſpiritus in cogitatione conſiſtere, attribuere illum errorem fundamentalem, quod doceant ſpiritum eſſe *corpus*; & ſua *natura mortalem*, & cogitationem à corpore proficiſci poſſe: quia ego perſuaſus ſum ex adverſariorum ſententia illud tam neceſſario ſequi, ut ego quidem profitear & publicè præ me feram, me non poſſe effugere illam conſequentiam; & me acceſſurum illi errori, ſi de mea ſententia cedens adverſariorum principia amplecterer. Eſſetque itaque ille error longè gravior in me, quam in Adverſariis. Et quemadmodum illos ſumma injuria afficerem, ſi illis improperarem errores, quos ex eorum principiis manare exiſtimo, ita perinique mecum agerent, ſi à me flagitarent fidem illius rei, ad cujus poſitionem & admiſſionem ego ſentio me debere ſuſcipere errores graviſſimos.

Ego mihi perſuadeo omnem rationem ſatisfactionis Chriſti perire, niſi ſtatuatur Deum neceſſario peccata punire: & ſi illa ſententia apud me non obtineret, tunc exiſtimarem attributum juſtitiæ Dei punitivæ non verſatum fuiſſe, & vim ſuam exſeruiſſe in objiciendo Chriſto tam horrendis doloribus & cruciatibus, ſed aliud quoddam attributum: aut tantum beneplacitum Dei moderatum fuiſſe iſtos cruciatus & tormenta. Sed quam hoc ab omni ratione alienum foret, ideo errorem eorum, qui ſatisfactionem abſolute neceſſariam fuiſſe negant, & tamen veram ſatisfactionem Chriſti interveniſſe agnoſcant, tanti facere, ut eos ponerem in numero eorum, qui ſatisfactionem Chriſti negant; & quam hoc eſſet ab omni prudentia & charitate Chriſtiana remotum, ideo declarare amoris & veritatis divinæ cauſa ſe teneri, de eo errore articulum fundamentalem cudere, & urgere illi errori oppoſitam ſententiam creditu neceſſariam eſſe. Et tamen rem propius examinanti patebit præcipua Synodorum & Conciliorum decreta, quibus tam multi articuli fidei ſunt conſtituti, & aliorum ſententiæ damnatæ, ex tali imprudentia & defectu charitatis Chriſtianæ nata eſſe. Putabant illi Patres aliquem errorem, qui ipſis propter conſequentias exitiales, quas ex illo manare credebant, erat fundamentalis, etiam omnibus aliis æque exitialem eſſe; quamvis illas noxias conſequentias non viderent, & multò minus admitterent, aut cultum ſuum juxta eas dirigerent. Quanto æquius & Reipublicæ atque Eccleſiæ utilius fuiſſet non à ratione

ſuas

ſuæ cognitionis ducere neceſſitatem credendorum quorundam articulorum, ſed à communi humanæ ſortis infirmitate, & una ab uſu articulorum, quem ſinguli in cultu rationali præſtant: expendentes quouſque captus vulgarium Chriſtianorum aſſurgat ad cognoſcendum aliquod dogma, & ſimul æſtimantes an illi, qui in aliquo errore verſantur, tamen cultum ſuum rationalem Deo exhibere non poſſint. Si res aliter putetur, videbitur religio Chriſtiana comparata ad torquenda hominum ingenia: & data tanquam aliqua crux & moleſtia, qua homines ſpiritum & corpus ſuum fatigent, & proximum vexent; qui cum ſæpe quietam & otioſam provinciam habere poſſet, moleſtam & ſtomachi plenam obtinet propter lites & rixas, quæ inter Theologos increbeſcunt indies.

Illuſtrans autem porro noſtram ſententiam, qua tueor illas cognitiones, quibus Chriſtianus carere non poteſt; & quibus cultus rationalis nititur, tam faciles, communes & obvias eſſe, ut docti, indocti, exercitati & rudes, ſagaces & ſtupidi, ſiquidem pietatem colere cordi habeant, de illis capitibus facile inter ſe conveniant: operæ pretium me facturum arbitror, ſi rem rurſus exemplis manifeſtam reddere coner. Quid apertius in Scriptura: & quid ad excitandas hominum mentes, ad pietatem utilius atque accommodatius, & quid ad cultum rationalem tuendum magis neceſſarium, quam credere Deum peccatorum vindicem eſſe, & virtutis remuneratorem: fore aliquando ultimum judicium, quo ſingulis probis & improbis pro ſuo merito atque demerito bona malave contingent? Quid in Scriptura clarius proditur, & magis rationi conſentaneum, magiſque ad pietatem colendam comparatum, quam credere Deum mundum ſua providentia regere, rebuſque humanis præſidere? Quid apertius Apoſtoli docuerunt, quam Meſſiam vaticiniis omnium Prophetarum promiſſum veniſſe; & ſua morte & cruciatibus quos ſubiit, iram Dei atque pœnam, cui propter peccata obnoxii eramus, avertiſſe, & viam ad ſalutem per fidem atque pœnitentiam adipiſcendam nobis muniviſſe? Quid ſimul magis neceſſarium quam illud, poſtquam revelatum eſt, fide amplecti; ut Deo Patri ac Chriſto debitas gratias habere poſſimus propter tantum tamque mirificum beneficium. Quid ubique in Scriptura inculcatur frequentius, quam Chriſto datam poteſtatem in cœlis & in terra, ſummumque ei collatum imperium ad ea exſequenda, quæ ad regnum cœlorum pertinent? Quid etiam magis creditu neceſſarium, ut ratio religionis Chriſtianæ conſtet in colendo & adorando Chriſto.

Sic poſſem ire per ſingula, ſi in præſentia ordo tractatus requireret illa ſingulatim enarrare, ſed quia id ordine atque cumulate in ſequentibus fiet, hiſce præterea nunc nihil addendum arbitror: voluimus tamen in præſentia quædam delibare, quo appararetur ingenium lectoris ad melius capienda, quæ in ſequentibus dicenda habemus.

Quæ in ſuperioribus tradita ſunt, monſtrant viam, qua ingredi oporteat ad expediendos aliquot conſcientiæ caſus; & ad enodandas quaſdam quæſtiones, & difficultates pertinentes ad Eccleſiæ & illorum hominum ſtatum, qui ante reformationem in Eccleſia Romana vixerunt: ut & ad naturam bonorum Eccleſiaſticorum, quæ in Papatu ad cultum conſecrata ſunt; utrum ſc. in illis ſit aliqua religio? An vero titulo tenus ſacra ſint? Facile intelligit lector iſtarum rerum judicium non pendere ab intentione donantis: non ab impuritate Eccleſiæ, cui illa bona legata ſunt: quatenus iſtius Eccleſiæ impuritas arguitur ex conſequentiis, ſed totam rem eſſe exiſtimandam ex erroribus fundamentalibus; cum quibus nullus cultus rationalis convenire poteſt; nulla vera poteſt eſſe Eccleſia. Sed præcipue in hac controverſia attendendum. Num donator

tor

tor (quamvis in errore fundamentali verſans) intenderit per ſuam donationem provehere aliquam partem cultus, quæ non ſolum libera eſt ab idololatria, ſed quæ per ſe, & ex iis, quæ ipſi inhærent, non autem foris accedunt, vacat vitio. V. Gr. pecunia & prædia conſecrata monaſteriis, ut in iis virginum & mulierum devota caſtitas ſub tutiori cuſtodia ſit, mea ſententia, ſacra ſunt, & (ut ita dicam) à Deo acceptata: quia ille uſus bonus, pius & juſtus eſt, neque appendices malæ iſtius uſus bona illa à religione liberant. Contra bona Eccleſiæ addicta ad animarum curam, ſed cum expreſſa ſtipulatione ut certus Miſſarum numerus ſingulis diebus celebretur, mihi eſſent profana: poſito in miſſa idololatriam committi. Qui hac via inſiſtit, non poteſt diu ambigere quid de hujuſmodi conſcientiæ caſibus ſtatuendum ſit. Et quod illa res tam diu jactata ſit per controverſias, non eſt ortum ex difficultate & obſcuritate quæſtionis, ſed ex ſtudio eorum, qui hanc rem in utramque partem diſputarunt. Quemadmodum ego in noſtra Republica propter eandem hominum pervicaciam, controverſiam de fœnore trapezitico per multos annos tractatam vidi ad ignominiam, & opprobrium noſtræ religionis: quaſi illa religio, quæ profitetur omnia ad ſalutem neceſſaria clare contineri, eſſet deſtituta adjumentis & præſidiis ad judicandum an in fœnore trapezitico, cui à Magiſtratu modus eſt præſcriptus; & quod Magiſtratus non ſolum æquum judicat, ſed ipſe exercet in multis urbibus, aliquid fiat contra charitatem; & quaſi ea eſſet liminis & præceptorum inopia in eadem Sacra Scriptura ut nimis imperfecta, aut obſcurior ſit, quam eſt opus ad regendam fidelium conſcientiam in rebus, quæ ex quorundam judicio tanti ſunt momenti, ut ſalus ex iis pendeat.

Pariter ex iis, quæ ſupra tradita ſunt, conſtat non ex verbis & profeſſione externa aut ſpecie judicandum de erroris natura & pondere, ſed ex ſenſu illorum qui in aliquo errore verſantur; ex uſu quem ſibi parant ex illo errore, & ex intentione & ex ſcopo, quo per errorem duci ſe ſinunt; & ex quo fundamento originem trahat. V. Gr. Apoſtolus, 1 *Timoth.* 4: 1, 2. 3. 4. vocat doctrinam *Dæmoniorum*, eorum ſententiam, qui prohibebant matrimonium, & imperabant ciborum ſelectum & diſtinctionem: non auſim eo crimine notare doctrinam eorum, qui hodie inter Chriſtianos quibuſdam matrimonium & quorundam ciborum uſum interdicunt: ſed in expoſitione talis Scripturæ loci confugiendum ad hiſtoriam Eccleſiaſticam, & ad erroris pondus non æſtimatum ex literali verborum ſenſu, ſed ex damno, quo afficit eos, qui ſecundum illum errorem cultum ſuum inſtituunt. Ita contra major erat *animorum*, quam *verborum* diſſenſio inter eos, qui tempore Apoſtoli dierum diſtinctionem, tanquam cultus partem urgebant: cum alii eo animo id facerent, ut tutarentur cultum cæremonialem, & Moſis miniſterium exæquarent Chriſti, qui error exitialis erat; alii vetere conſuetudine ducti dies obſervabant & menſes, conſervantes Chriſto ſuam dignitatem integram, & ille error tunc levis erat: vide *Epiſtolam ad Galatas*, *& Rom.* 14. *Act.* 15.

CAP. IV.

Complectens refutationem argumentorum, quibus nonnulli probare voluerunt, nihil intereſſe quid quiſque credat, ſi modo ea fide teneat, qua nos ad virtutem excitant.

SUpra diximus cultum non deſinere eſſe rationalem, quamvis homo multis erroribus ſit affectus, ſi modo ad cultum progrediatur & ducatur per & propter *rationem veram*; quia in ea ratione vera conſtare poteſt cultus ſpiritualitas:

litas: ita contra ſtatuendum, cultum rationalem convenire non poſſe cum ratione falſâ. Prodiit tamen non ita diu liber, cui titulus *Tractatus Theologico-Politicus*, cujus auctor contrarium tueri ſuſcepit. Omnia quæ pro illa exitiali doctrina in medium afferuntur, nunc non examinabo; cum alibi id, Deo volente, plenius ſum facturus, & totum illud ſtadium decurſurus. Summa autem ſententiæ & argumentorum, quibus utitur ille Auctor, hac præcipue re continetur. Nempe Deum hoc unum ab homine flagitare, ut virtutem colat; eos itaque errores tantum fundamentales & exitiales eſſe, qui hominem abducunt à capienda exercitatione virtutis. Deinde omnes illos cultus, & cultus cauſas, propter quas cultus ſuſcipitur, Deo gratas; quando iis ad virtutem impellimur. Exiſtimat itaque duplex dari hominum genus: unum quod vivit in regno *ſcientiæ* & *cognitionis*: alterum quod vivit in regno *pietatis* & *obedientiæ*, & quod virtutem exercet propter rationes extra virtutem conſtitutas; & quas auctor omnes erroneas & falſas arbitratur, cum omnia fatali neceſſitate ferri putet. Priores autem dicit virtutem colere propter ipſam virtutis pulchritudinem; eoſque vitæ inſtitutum ſequi, quod cum ratione convenit: amborum tamen inſtitutum bonum & laudandum, quia virtus iis commendatur. Sunt itaque illi Auctori errores fundamentales: v. gr. nullam cauſam dari, quare virtutem potius ſectemur quam vitium: ponere aliquem Deum aut dæmonem adeo potentem, qui poſſit & velit maleficos protegere, eoſque præmiis ornare: vitium & peccatum tam accommodatum eſſe ad vitam civilem colendam; ad pacem conſervandam, & ad ſocietatem felicem, & omnibus divitiis affluentem reddendam quam virtutem. Arbitratur autem omnes reliquas opiniones, quamvis à veritate alieniſſimas, non eſſe Deo ingratas, nec è ſocietate tollendas, ſi modo iis homines excitentur ad pietatem; quia *virtutis ſtudium*, ad quod tam falſæ quam veræ doctrinæ homines ducunt, reddit omnem cultum *rationalem*: nec error ullus, dummodo eo homines ducantur ad virtutis ſtudium eſt noxior; ſed ſolummodo ille, qui in ſe tantum reflexus, jejunus & ſterilis in mente hæret, & qui hominem non hortatur ad virtutem, ſed contra dehortatur. Tu virtutem ſectaris ut Deo obedias, ego ut mihi proſim, virtutem non aliò quam ad meam utilitatem referens: quare illud ſtudium, quamvis ex diverſo principio profectum non æque laudandum, cum ex illo æque contentum virtutis ſtudium oriatur. Reſpondebis, Deus priori virtutis conatu honoratur ut cauſa prima & ultima, propter quam omnia fieri, & ad quam homines omnia referre debeant; poſteriori Deus eo honore privatur: at inſtabunt aut potius reſpondebunt, Deus quidem poſteriori ratione non eo honore afficitur quo priori, attamen virtus colitur, ad quam omnis cultus comparatus eſt. Nam inquient, negare virtutem coli; ubi tam turpiter erramus ut actiones noſtras ad Deum non referamus tanquam ad finem ultimum, hoc eſt principium petere; & eo quod eſt in quæſtione, vice argumenti uti. An prudens & ſapiens Paterfamilias putaret ſua aliquid intereſſe, quibus argumentis domeſtici ducti exequerentur mandata ipſis à ſe munera, ſi modo inter ea argumenta nulla eſſent, quæ domeſticos ab obſequio aliquando poſſent abducere. Sed ut ad ea, quæ propiora ſunt, accedam, & cauſæ quam præ manibus habemus, conjunctiora, poſſet aliquis ſic argumentari: quare Deo ſtudium pietatis non erit gratum, quamvis eo animo in illud incumbam, ut eo vitam æternam merear. Quid refert ſive adorem Chriſtum ut hominem, ſive ut Deum, ſi quidem amorem & devotum animum erga Chriſtum teſter? Quid intereſt ſive me ſpe de miſericordia Dei ſuſtentem propter ſententiam & fidem, quam habeo de attributo miſericordiæ,

aut ſi illam virtutem exerceam, & animum in illa ſpe obfirmem contra terrores conſcientiæ, propter fidem de ſatisfactione & merito Chriſti; dummodo illa virtus ſpei colatur. Et ut tandem finem faciam, ſumma argumentorum Adverſariorum eo redit: quandoquidem Deus ex hominum cultu nullum incrementum aut imminutionem felicitatis capit, ſed is totus comparatus ſit propter bonum hominis; & ſimul hominis bonum & felicitas conſtituta ſit in ſtudio virtutis & fuga vitiorum. Statuunt Deum homini permiſiſſe uti illis argumentis; iiſque ſinere ſe duci ad virtutem ſectandam, quibus maxime moveretur: illa tantum argumenta & media vitans, quibus ſtudium pietatis ex hominum animis deleri poſſit: quemadmodum ex creaturarum infinita copia Deus homini jus eſt largitus eligendi, quicquid lubet ad victum, ſi modo à venenis & reliquis, qui ipſum vita interficere poſſunt, temperet; quia vitæ & ſalutis conſervandæ cauſa in omnes creaturas homini poteſtatem conceſſit; & propter illum finem in ſelectu ciborum agens, omnis creaturæ uſum juſtum & legitimum facit.

Reſpondemus: adverſarios hic maxime pugnantia pro congruentibus ſumere. Nam primum: falſiſſimum eſt ultimum cultus Numinis finem tantum eſſe illarum virtutum exercitationem, quæ inſerviunt conciliandæ hominum ſocietati pacem & felicitatem; quæ ſunt virtutes ſecundæ tabulæ: quod ex *Cap.* 1 *ad Romanos. Act.* 17. *Gal.* 4: 8. liquet. Quia licet gentes aliquod Numen venerabantur, & reverentia iſtius Numinis à peccatis, quæ ſocietatem turbant, abſtinerent, tamen falſas foviſſe opiniones de Deo illis vitio datur; & illæ opiniones non ideo earum gentium cultum Deo inviſum reddebant, quia gentes abducebant à virtutibus ſecundæ tabulæ; ſed quia ſingulatim pro Numine non habebant, quod verum Numen erat, & falſum contra ſubſtituebant. Si quæras, quare cognitio multorum Dei attributorum homini gentili ſit neceſſaria ad ſalutem, & quare ea non ſufficiat, qua ea de Numine credit, quibus impellitur ad virtutem; & quorum aliquem colligit fructum & uſum; cum in ſuperioribus tradidimus, etiam Chriſtianum ſine diſpendio ſalutis multa de Deo fugere poſſe, quibus tamen cognitis idea Dei multo perfectior & excellentior verſaretur in hominum mente; præſertim cum in ſuperioribus tanquam fundamentum reliquis dicendis præſtruxerimus, illa imprimis neceſſaria eſſe, quæ cultum præcipue *rationalem* conſtituunt; reliqua pro proportione uſus, quem præſtant in cultu rationali, &c. cæterum non magnam virtutem ponentes in cognitione ſublimium rerum, & quæ dignitatem & pretium ſuum mutuantur à pulchritudine objecti. Quare itaque non ſufficiebat gentibus talis cognitio de Deo, quæ virtutis ſtudium & vitiorum fugam in illis accendebat: etiamſi mutarent gloriam incorruptibilis Dei in efformatam imaginem corruptibilis hominis, dummodo cum iſta cognitione tale jungebant Numen, quod propter virtutes, quas ipſi attribuebant, in ipſis excitabat ſui metum, amorem, reverentiam: & quod ut vitiorum hoſtem, & virtutum amicum colebant, &c.

Reſpondemus ideo gentilium cultum idololatricum ſibi non conſtitiſſe, quia errores in ipſis non erant ſpeculativi, neque veritatem aliquam puram & nudam à vitioſis actibus, ducem ſequebantur in ſuo cultu, ſed eorum *errores* etiam veniebant in partem cultus. Non enim ſolummodo Deum aliquem venerabantur, ut vindicem peccatorum, & virtutum remuneratorem, ſed etiam ſimul cogitato infirmitates humanas illi attribuebant, & in cultu eas memorabant, & ſimul per eas ab alio Numine illum diſtinguebant; ita ut ſimul idea Dei & infirmæ creaturæ ipſis non tantum in cultu in mente verſaretur, ſed una etiam ipſorum cultum regeret:

quæ

quæ omnia immenſum diſtant ab iis, quæ in ſuperioribus tradidimus. Quando autem corruptela hujuſmodi in eorum cultu; aut virtutis exercitatione non reperiebatur, tunc ratio & Scriptura jubet nos eorum cultum alio loco & numero habere. Nam tunc Scriptura de talibus gentilibus teſtatur, quod quamvis legem ſcriptam non haberent, eas legem tamen obſervaſſe, *Rom.* 2. Et gentilium pudor impudentiam quorundam Chriſtianorum redarguit, 1 *Cor.* 5: 1, 2. Ita ut inde conſtet Ethnicorum cultum divinum, & virtutis ſtudium Deo non diſplicuiſſe omnino.

Secundo: reſpondemus hujuſmodi doctrinam adverſariorum, quamvis in cultu naturali ſit impia, in cultu inſtituto plane ab omni pietate abhorrere; eique pravitatis cumulum accedere, quia Deus per revelationem nos docuit, ſe velle certo modo, & per agnitionem certorum attributorum & operum à ſe præſtitorum coli: quæ res ſunt tanquam fundamenta & notiones principes, ad quas reliquæ partes cultus revocari & exigi debent; ad cujus veritatis probationem in ſuperioribus innumera adduximus Scripturæ loca, & ſequens ſermo in iis totus ferme erit occupatus: exſuperat itaque omnem impudentiam, in Chriſtianiſmo hominibus talem velle propinare doctrinam.

Tertio falluntur non ſolum in eo, quod virtutis rationem exiſtimant poſſe conſtare cum hujuſmodi erroribus, hoc eſt, v. gr. charitatis nomine venire poſſe illud opus, quod erga proximum exhibeo mea cauſa: ſed etiam quod putent virtutis ſtudium, etiam falſo ſic nominatum, poſſe in nobis excitari ex falſis & errore infectis principiis & cauſis. Certe tam à ratione alienum eſt, charitatem poſſe vigere in ſocietate, in qua homines ſuo tantum ducuntur commodo, quam fidem & juſtitiam in eadem civitate, in qua v. gr. hæc lex vitæ inſtituendæ obtinet, ſc. *neminem teneri illas memoratas virtutes exercere, ſi metus pœnarum & vindictæ ipſum non moveat & revocet à flagitiis.* Neque hæc peſtifera doctrina præſidium invenit in principiis iſtius moralis diſciplinæ, quæ docet *à conſervatione ſui ipſius*, tanquam à fundamento omnium legum moralium petendam eſſe formam virtutis: non enim hac via progreditur eorum, qui illa principia tuentur, ratio; *quicquid mihi bene ſubducta ratione profuturum eſſe arbitror, id à me juſte & æque ſuſcipitur.* Si enim ratio id ſuadet, etiam omnibus hominibus ſuadet, at ſi omnibus, qui in civitate vivunt, ea ſtat ſententia, quomodo non ſolum pax, quies, & ſecuritas in illa Civitate eſſe poterit, ſed quomodo vel inter duos pax & fiducia firma eſſe poterit; ſine qua pace & fiducia omnium & ſingulorum hominum vita acerba eſſe debet. Sunt equidem quidam ita argumentati; ſequi ſc. ex illis principiis, cuique fas eſſe ſe v. gr. præſenti mortis periculo perfidia liberare: quia ratio ſui conſervandi id omnino ſuadet, ſed optime reſpondetur, ſi ratio id ſuadet, ſuadet ergo omnibus hominibus, ne niſi dolo malo paciſcantur: at quam hoc pugnat cum conſervatione ſingulorum; quorum ſalus continetur fide illorum, cum quibus ſocietatem inierunt? At contra ex illorum doctorum ſententia, & juxta illorum principia ita inſtituenda argumentatio eſt. *Quicquid natura ita comparatum eſt, ut, ſi id inter homines vigeat, ideo feliciter & proſpere ætatem agere poſſint; id legibus naturæ imperatur.* Nec ex hac lege fundamentali ita intellecta & percepta tam abſurda, & religioni adverſa manant. Sed eſt extra propoſitum noſtrum hæc nunc ulterius perſequi; pergimus itaque ad reliqua.

 CAP. V.

CAP. V.

In quo fundamentalium articulorum enumeratio inſtituitur: & primo quidem illa traduntur, quæ de Deo creditu neceſſaria ſunt.

HIs itaque utcunque ex ſententia poſitis & adornatis, quæ inſtar apparatus præmittere aut præſtruere volui reliquis in poſterum dicendis, nunc rem ipſam aggrediamur; & articulorum fundamentalium enumerationem inſtituamus: ut autem res ordine procedat, ratio (quam in ſuperioribus tradidi) imperat primum aliquod fundamentum, quod erit inſtar legis fundamentalis, ad quam aliæ revocentur, jacere; & ſuper quo excitabitur reliquum ædificium. Eſto itaque primus & fundamentalis reliquorum articulus hic. *Deum miſereſcens generis humani obnoxii peccato, reatui & condemnationi, conſtituiſſe Jeſum Chriſtum Filium ſuum unigenitum, redemptorem, & vindicem generis humani: quatenus per mortem & paſſiones, tanquam per victimam placans iram Dei; & reatu homines eximens, cum Deo illos rurſus ita conciliavit, ut erga ipſos depromat tantum benignitatis & ſpiritus ſuæ gratiæ, qua omnibus eam benignitatem non reſpuentibus; & fide in Chriſtum per charitatem operante ad æternitatem graſſantibus, aditus ad perpetuam felicitatem in cœlis fruendam factus ſit: quamque certo omnibus in fide & ſanctitate perſeverantibus eſt tributurus, quando noviſſima die judicaturus eſt per Jeſum Chriſtum vivos & mortuos: & unicuique piis & impiis diſtributurus ſecundum merita ſua.* Si me mea non fallat opinio, puto me hic per compendium ea poſuiſſe, quæ, ſi plene intelligantur, & fide credantur, omnia complectuntur, quæ ſcitu & creditu ad ſalutem neceſſaria ſunt; hoc itaque operis reſtat, ut ea, quæ paucis illis regulis comprehenſa ſunt, evolvamus. Primum hic ponimus, illa quæ ſuperiores regulæ capitibus præcedentibus expoſitæ, complectuntur, ſciri & intelligi debere: unde conficio cognitionem illarum rerum non contineri aliqua *opinione* aut *conjectura*, ſed niti debere principiis certis & indubitatis. Et cum in illo articulo fundamentali primo & principe multa prodantur, quæ naturali ratione aſſequi non poſſumus, ſed revelatione tantum cognoſcuntur: inde naſcitur diſtinctio articulorum fundamentalium, quod alii ſint cultus *naturalis*, alii cultus *inſtituti*. Primo itaque dicam de iis, qui cultu naturali continentur; & præſertim quinam ſunt illi articuli creditu neceſſarii, qui circa Deum verſantur.

Quandoquidem de cultu tam naturali, quam inſtituto ſermonem ſumus habituri, ordo poſtulat, ut exordium capiatur de iis, quæ de Deo creditu neceſſaria ſunt. Hoc enim ſponte judicatur, nulli cultui locum eſſe, quando hominis mens Dei opinione non eſt imbuta. Extitere equidem quondam Philoſophi, qui quamvis Deum exiſtere agnoſcerent, non putabant tamen illum alio cultu venerandum, quam ſolummodo profeſſione, Deum eſſe ens ſumme perfectum & ſumme beatum, ſed quod rerum humanarum cura non tangebatur, & à quo homo nihil proſperi aut adverſi ſperandum, aut metuendum habebat. Sed ſtatuebant Deum, hominem ſibi reliquiſſe: adeoque in hominis poteſtate ſitum eſſe, qua quiſque frueretur fortuna. At quamvis quondam talis ſententia inter Philoſophos viguerit, nunquam tamen eo dementiæ quiſquam proceſſit, ut aliquis cultum fingeret, & tamen Deum tolleret. Supereſt itaque inveſtigare, quænam de illo ente ſumme perfecto creditu neceſſaria ſunt, ut Chriſtianis conſtet ſuus rationalis cultus. Primum itaque credendum illud ens ſumme perfectum eſſe tantum *unum*: quia, ſi darentur plura entia ſumme perfecta, ea deberent eſſe

ejuſdem ſpeciei, & naturæ: ſed interveniente tamen aliqua diſtinctione, qua illa entia ſumme perfecta à ſe invicem diſtinguerentur, forent enim alioquin non plura entia ſumme perfecta, ſed unum tantum. At illa diſtinctio *aliquid* eſt: ergo ambo alterutro carebunt, quo diſtinguuntur: ergo ambo non poſſunt eſſe entia ſumme perfecta. Deinde ſi plus uno ente ſumme perfecto exiſteret, nulla poſſit reddi cauſa, quare innumerabiles non exiſtant; quandoquidem enim ens ſumme perfectum à ſe eſſe debet, & poſito plus uno ente à ſe eſſe poſſe; quare non myriades? Tertio aliud eſt quærere cur res aliqua exiſtat, alia cur plures ejuſdem naturæ exiſtant: prius fluere poteſt ab ejus eſſentia, poſterius non. At pluralitas Deorum non oritur à natura Dei, quia in natura Dei tota ejus eſſentia continetur; & ideo aliam naturam non exigit ad ſuam exiſtentiam, ergo Deorum pluralitas non fluit à natura entis ſumme perfecti: & ſi pluralitas non poteſt oriri à natura Dei; igitur ab alia cauſa. At quod à cauſa eſt, non poteſt eſſe ens ſumme perfectum. Pluribus hæc non perſequar, quia non magnopere ad noſtrum inſtitutum pertinet, probare Dei unitatem; ſed plus intereſt ad noſtrum propoſitum nos oſtendere pondus illius erroris, qui pluralitatem Deorum fingit: peſtis autem & noxa hujus erroris ſe ultro prodit: qui enim plures habet Deos, nullos habet. Quia omnis ratio, quæ nos docet Deum exiſtere; & quæ nos ducit, & movet ad Deum aut aliquod numen colendum, unius tantum Dei ideam in nobis parit: quia illa ratio nos tantum ducit ad unum ens ſumme perfectum; complectens in ſe omnia, & omnia ſibi ſubjecta habens. Et qui credit plures Deos, ille unitatem cultus nulla ratione probare poteſt; & ita cultum rationalem exequi non poteſt, quia ipſi conſtare non poteſt de concordia voluntatis plurimorum Deorum: & cui hoc compertum non eſt, ille duobus dominis ſervire non poteſt; hærebit enim & ſemper dubius erit animi, in quem Deum ſerviendo incumbet; & à quo beatitudinem ſuam ſit exſpectaturus; ſine cujus aſſequendæ ſpe & fiducia nullus Numen colit.

At quemadmodum *pluralitas Deorum* complectitur errorem fundamentalem; ita eſt error fundamentalis, cultum illum, qui naſcitur in nobis ex Entis infinito perfecti, & ejuſdem attributorum cognitione, quæ verſantur circa hominem, referre ad alium, quam ad illud ens ſumme perfectum: quia ille cultus talis eſt, ut eum, quem ut ſupremum Numen colit, conſideret, ut cauſa prima, à qua omnia ſunt, & pendent: & ſine cujus gratia & benignitate à nulla creatura aliquid opis & auxilii ſperare poſſumus. Et ideo eſt error fundamentalis; & rationalem cultum pervertens, æque ac Deorum pluralitas, ita in aliqua creatura ſpem & fiduciam ſitam habere, ut ab ea ſperet ſibi aliquid præſtitum iri Deo abnuente aut non ſoſpitante. Unde (ut curſim hoc dicam) liquet quam horribile & deteſtandum ſit peccatum in afflicta fortuna perfugium ſuum habere ad artes Magicas; per quas ope ſpirituum malorum, & Deo exoſorum, nobis conamur aliquid præſidii parare.

Cultus itaque, qui naſcitur ex cognitione & reverentia Numinis, nobis vocatur *Religioſus*, & cultus *divinus*: & qui ulli creaturæ talem defert cultum, is reipſa plures ſibi fingit Deos. Neque exiſtimo ullum Chriſtianum *cogitata ratione* talem cultum ulli creaturæ deferre poſſe; non magis quam Deorum pluralitatem credere. Eſt itaque error, cultum angelis & defunctis in Eccleſia Romana delatum, vocare *cultum Religioſum*: quia omnis religio in cultu adorationis & invocationis animum ita afficit, ut fieri decet, quando de Numine cogitamus. Et ideo ubi eſt Numen, ibi eſt cultus & Religio, & ubi eſt Religio & cultus, ibi Numen po-

ponitur; ſuntque illa relata inter ſe: & tam abſurdum & abſonum eſt cultum vocare *Religioſum*, qui Deum pro objecto non habet quam fœminam vocare alicujus uxorem, qui ejus maritus non eſt. Quanquam hæc ita ſe habeant, & Pontificii errent, cum aliquem cultum religioſum vocant, qui tamen Numini non exhibetur; illi tamen illum cultum, quem Angelis & defunctis ſanctis exhibent; & quem illi *religioſum* vocant, ita limitant, & circumſcribunt, ut ex eo capite Eccleſia Romana rea agi non poſſit, illam diſerte cultum idololatricum ſuis decretis docere; & populum præceptis ad eum hortari. Hoc tamen intrepide definio Eccleſiam Romanam adoratione Angelorum & ſanctorum defunctorum, non tantum cultum falſum, temere ſuſceptum, atque etiam periculoſum, & in vicinia atque in confinio Idololatriæ conſtitutum, in Eccleſiam immiſiſſe, quo innumeri de plebe, animi affectu in idololatriam labuntur: ſed etiam pertinacia ſua in tuendo illo cultu, decretis, & exemplis illum firmando, à vera ſanctitate deficere: & ita non tam propter errorem in Cultu Angelis & ſanctis delato, quam propter illam pertinaciam verſari in errore fundamentali: multis documentis oſtendens, ſe malle cultum nulla ratione ſuffultum, nullo exemplo Eccleſiæ primitivæ probatum; multis ex plebe exitii cauſa exiſtens, ſolummodo per ſuperſtitionem in Eccleſiam introductum; & tam magnum omnibus probis ſcandalum præbens, conſervare, & fovere, applaudendo iis, qui illum ſcriptis & exemplis tuentur, quam hoc dare Chriſtianis, ut illam abominationem è medio tollant. Sed illud peccatum *pertinaciæ* Pontificiorum ad ſecundam tabulam ſpectat, & continetur ſub illis erroribus, quibus aliqua impietas docetur; & quales errores ſunt quibus aut ſcortatio, aut inceſtus, aut ebrietas à peccatis immunis putatur; aut quibus talia vitia in aliqua Eccleſia tolerantur, tamquam *peccata infirmitatis*; quæ peccata, ſi aliqua Eccleſia aut cœtus eo numero haberet, ut inter peccata ea non cenſeret, aut numero peccatorum haberet, cum quibus vera pietas convenire poteſt, verſaretur in errore fundamentali; neque cuiquam fas eſſet in illa ſocietate manere: & ita communione ſacrorum teſtari ſuum de illis peccatis par & ſimile judicium eſſe. Ut inde liqueat, quam grave ſit eorum peccatum, qui à Reformatorum Eccleſia recedentes, ſeſe ad Papiſmum convertunt, etiamſi illis poteſtas permittatur ſentiendi de doctrina & erroribus Eccleſiæ Romanæ, quod lubet: ſi quidem illi Eccleſiæ Romanæ ſeſe adjungentes, nec dictorum aut factorum offenſione illam lædere audentes, illo ſilentio, & ſimul atque una Pontificiorum reliquis ſacris utentes, confirmant in animis hominum Eccleſiæ Romanæ errores. Si enim Scriptura jubet è medio eorum ſeſe eripere, qui errorum fœditate, & vitæ turpitudine notabiles ſunt, 1 Cor. 6. quanto fœdius eſt à pura Eccleſia ſeſe ſeparare, & impuræ Eccleſiæ ſeſe adjungere: & exemplo ſuo illius erroribus & vitiis detrahere ſuam turpitudinem. Et ita conſtat non parem eſſe horum errorem, qui in medio Papatu viventes, vi quarundam veritatum, quas Eccleſia Romana adhuc tenet, ſeſe immunes præſtitere ab exitialibus Pontificiorum erroribus, & qui ita ſalutem adepti ſunt; cum illorum inſtituto, qui nunc Eccleſiæ Reformatæ nuncium mittentes Papiſmum profitentur, quamvis erroribus fundamentalibus iſtius Eccleſiæ non ſuffragentur. Nam priores nondum facta ſeparatione, non habebant, quo ſe verterent, aut quo ſe conferrent; & interea Deus Spiritus ſui gratia flexit corda eorum, ut non ſecundum errores Eccleſiæ Romanæ, ſed ſecundum principes veritates, quas aut cultus naturalis docet, aut quas Eccleſia Romana in cultu inſtituto adhuc retinuit, cultum ſuum dirigerent. Quemadmodum

dum uſus docet multos quidem quoſdam errores profiteri; & cultum tamen ſuum inſtituere ſecundum quaſdam veritates menti inſitas, & erroribus illis oppoſitas. Et hac in re elucet Dei gratia & miſericordia adverſus quoſdam: quod cum hominis ea ſit infirmitas, ut ab erroribus vix ſeſe cavere poſſit; nec in pluribus religionis capitibus implicatas ſuas ideas evolvere poſſit, facit tamen Deus quoſdam ita adhærere quibuſdam veritatibus, ut illæ totam peragrent mentem, & effectus erroris ita depellant, ut ab illo in directione cultus, & in exequendis vitæ officiis nulla vis ſeſe diffundat. In aliis autem, quos Deus pari gratia non proſequitur, errores ita ſuperant veritates, ut in vitam redundent; & cultum atque pietatem corrumpant, & deleant: quod in Atheis & ſuperſtitioſis manifeſtum eſt.

Pariter huic articulo de Deo accenſendus eſt ille, quo credimus *Deum eſſe Auctorem univerſi*; & *præſertim noſtræ originis*: nam nihil prius inter attributa Dei obverſatur ante oculos mentis noſtræ, quam illud, nempe Deum eſſe Auctorem noſtri ortus. Et arbitror in nulla cogitatione prius verſari mentes noſtras, quando ratio in nobis ſeſe incipit exerere, quam hoc univerſum cauſam & auctorem habere: eamque noſtri eſſe rationem, ut quemadmodum nos noſtræ infirmitatis ita ſumus conſcii, ut in alium noſtri ortus cauſam referamus; ita parentum noſtrorum originem etiam alii aſſignamus: quia in nullis creaturis, quæ nobis comparent, ea vis ſeſe manifeſtat, ut ipſas ſuæ naturæ & exiſtentiæ auctores, atque opifices eſſe nullo modo ſuſpicari poſſimus. Neque id tantum *verum* eſt: ſed iſtius rei fides atque cognitio talis *neceſſitatis*, ut quicquid homines præterea de Deo credant, id hac opinione atque fide niti videatur. Nam quamvis *doctis* proclive eſt formare Dei ideam excluſo mundi opificio; vulgus tamen in ſimplici *entis primi* conſideratione non tantum non ſolet ſubſiſtere, ſed vix unquam diſtincte de tali idea cogitat; Deum autem ſemper ſub aliquot attributis, quibus verſatur circa homines, animo percipit; v. gr. quatenus eſt *juſtus*, *bonus*, *ſanctus*, *mundi curam gerens*: & præcipue quatenus eſt mundi opifex & creator, & quatenus nos *ab eo pendemus*: quia cum omnes homines ſemper in ſe experiantur defectum iſtarum virium, quibus naturæ & ortus ſui cauſam debent attribuere, nullam cogitationem magis præſentem habent, quam Deum eſſe mundi opificem & Auctorem hominis. Ideo illi, qui mundum fortuito atomorum concurſu procreatum putant, Deum otioſum & feriatum in cœlis fingunt ignavia torpeſcere, nullamque vim agnoſcunt, quæ ſupra nos negotium gerat; aut cura rerum humanarum tangatur: de quali Deo nunquam homines vulgares cogitant. Et quanquam omnes homines, apud quos aliqua Deorum cognitio eſt, nomen habeant, quo eſſentiam Dei, hoc eſt, complexum omnium attributorum Dei exprimant; quia ratio rei concipiendæ & ſermonis uſus hoc poſtulat, nunquam tamen in hoc primo conceptu acquieſcunt, ſed ſemper ideam Dei in ſe concitant cum aliquo attributo, quod ad hominem refertur. Quemadmodum nomen & idea Parentis concipitur cum aliqua proprietate, quæ benevolentiam & curam erga liberos teſtatur. Eo etiam Chriſtus nos ducit, quando dicit, *Deus non eſt Deus mortuorum ſed viventium*. Nec poterat Deus ſecundum Verborum illorum ſenſum, quem Chriſtus innuit, eſſe Abrahami, Iſaaci, & Jacobi Deus, ſi non eſſet eorum fautor, vindex & liberator: ita nullus nobis Deus, qui non eſt noſtri opifex, noſtrique curam gerens.

Examinemus porrò, quæ præterea de Deo credenda ſunt: nam quemadmodum non eſt veriſimile omnium Dei perfectionum cognitionem ita neceſſariam eſſe, ut qui unam ignorat, aut de ea non recte ſentiat, ideo beatitudine cariturus ſit; ita in-

inſtituti ratio poſtulat, ut ea de Deo attributa & perfectiones recenſeamus, quæ ſcitu & creditu neceſſaria arbitramur. Supra probavimus, & tanquam fundamentum eorum, quæ in ſequentibus diceremus, poſuimus dignitatem cognitionis & fidei alicujus rei æſtimandam ex uſu, quem præſtat in cultu; & illius rei cognitionem tantum ſcitu & creditu neceſſariam eſſe, ſine qua *rationalis* cultus non conſiſtit. Eſt itaque etiam ante omnia neceſſarium credere de Deo illud ens eſſe Intellectu, & Voluntate præditum: & conſequenter Deum eſſe *Spiritum*; qui omnia intelligit & cognoſcit, quæ in mundo fiunt, & præſertim ea, quæ ab homine perpetrantur; quique omnia dirigit ſecundum beneplacitum voluntatis ſuæ: ita ut nulla vis aut potentia in mundo illud ſuum beneplacitum, & efficacem ſuam providentiam ſuperare, aut eludere poſſit. Si enim Deus ignorat quæ agimus, & cogitamus, fruſtra eum precibus compellamus: fruſtra illum peccatorum vindicem & virtutum remuneratorem credimus: denique ſi Deus eſt privatus omni cognitione, nulla illi attribui poteſt providentia. Si autem non omnia operetur ſecundum beneplacitum voluntatis ſuæ; ſed ſi res mundi ab alia voluntate à Deo diſtincta, aut à naturæ divinæ proprietate & perfectione, non intercedente Dei voluntate, (quæ eſt doctrina *Spinoſæ*) aut à natura univerſi manant, tunc certe nullus rationalis cultus reliquus eſt: cum enim ille poſt lapſum hominis præcipue contineatur precibus & ſupplicationibus; & ſtudio pietatis ſub ſpe præmii & conciliandæ ſibi Dei gratiæ, fruſtra atque temere ſe homo excitaret ad hujuſmodi munera cultus, ſi nulla talis Dei efficax providentia daretur, qualem ſupra deſcripſimus. Quod quivis tacita cogitatione comprehendere poteſt. Et includit hic articulus illum de *omnipotentia Dei*, quatenus ea talis eſt, ut ea exequatur quicquid lubet; & qua omnia præſtiturus eſt, quæ fore prædixit. Ad hunc articulum etiam refero Dei *beatitudinem*: quatenus creditu neceſſarium eſt, profiteri Deum eſſe beatum, ſi aliquando nos beatos redditurus eſt. Articulus autem de potentia Dei includit eum de *æternitate*: quia cum nulla creaturæ potentia cum Dei potentia contendi poſſit; imo omnis creaturæ vis Dei potentia comprehendatur, non poteſt Deus non eſſe æternus: quia ſi non eſt ab æterno, nulla cauſa potuit extitiſſe, quæ illi exiſtentiam largita fuiſſet. Et ſi Deus non creditur eſſe æternus, non poteſt homo ab eo exſpectare perfectam beatitudinem: quia illa beatitudo perfecta non eſt, quæ metu illa aliquando carendi turbatur.

Præterea de Deo credendum ipſum eſſe *ſanctum*: ſub ſanctitate comprehendo Dei juſtitiam, qua bonum morale amat, & remuneraturus, & qua malum morale odit, & illud puniturus eſt. Quis enim Numinis metu, aut reverentia duceretur, cui hoc in mente hæreret fixumque eſſet, Deum ſuſque deque habere, & illius nihil intereſſe quo pacto homines vitam inſtituant; neque ipſum bona aut mala cuiquam retributurum ſecundum cujuſque merita & demerita. Neque hic ventilanda quæſtio, utrum ſtudium virtutis, in nobis excitatum pulchritudine virtutis, extra ſpem ullius præmii, ratione duce in nobis producatur; an potius illud ſtudium virtutis ita excitatum, ſit temere ſuſceptum: nam utcunque hæc res æſtimetur, omnis qui tantum pulchritudine virtutis inductus virtutem colit, nec ſpe præmii aut metu pœnæ ducitur à Deo judice aliquando infligendæ, ille, quamvis juſtam cauſam habere poſſit, quare virtuti operam det, & vitia vitet, officium non ſpem ſequens; & quamvis in Republ. non inutilis poſſet eſſe civis, tamen talis Numinis reverentia & cultus ratione non impellitur ad ſectandam virtutem; & ita omni Religione caret, quæ tamen in hoc Tractatu præſupponitur.

Sub ſanctitate Dei complector etiam

Dei

Dei *bonitatem*, quatenus erga omnem creaturam rationalem, amice, & benevole affectus eſt; neque earum cuiquam ullam noxam moliatur, niſi quando virtuti nuncium miſerit, & à ſanctitatis ſtudio ſe averterit. Neceſſitas hujus articuli inde elucet, quod omnes homines experiantur, ſe eſſe peccatores, & ſe labi in multis: & niſi eſſent perſuaſi de illa Dei *bonitate*, qua vult pœnitenti & culpam confitenti, & ſimul ſeſe colligenti & revocanti ad officium, culpam condonare, nec ſingula peccata vindicta perſequi, ratio illos hortaretur ad deſperationem; & ad abjiciendam omnem ſpem ſalutis poſt perpetrationem alicujus peccati: & ita nulla ſubeſſet cauſa, quare Deum veneraretur, qui ipſi implacabiliter iratus eſt, & nunquam cum ipſo in gratiam rediturus. Apoſtolus *ad Rom. Cap.* 2. oſtendit gentes recte ex ſtudio bonorum operum potuiſſe concipere ſpem remunerationis: in quo certe falſi fuiſſent animo, ſi naturalis cognitio de ſummi entis bonitate in illis non genuiſſet illam fiduciam: omnes enim conſcii erant ſuæ infirmitatis & prolapſionis in infinita peccata. Deinde, ut alterum membrum hujus articuli expediam, qui exiſtimat non pugnare cum Dei *bonitate*, quod creaturam rationalem & innocentem miſeriis addicat, mediaque ordinet, quibus illa creatura in miſerias incidat, in iiſque ſemper verſetur, ille etiam ſtatuere debet convenire poſſe Dei ſanctitati & juſtitiæ, male mulctare creaturam rationalem juſtitiæ operam dantem: & contra beatitudinis participem reddere eam, quæ omnem ſanctitatem à ſe depellit. Qui autem in hujuſmodi opinione verſantur, illi, ſi ſibi conſtare velint; & ſecundum illa dogmata cultum ſuum exequi, non plus ſpei concipere poſſunt ex bene acta, quàm ex male acta vita: quæ doctrina pervertit omnem cultum, omniaque vitæ conſilia & rationes turbat.

Quæritur hac occaſione, cujus ponderis error ſit eorum, qui docent, Deo ſanctitatem illam, quam ratio humana commendat, & quam, ut rem *bonam* probare neceſſe habent, *arbitrariam* eſſe; non autem à *natura* Dei profectam, nec æternæ legis, aut æternæ rationis partem, ſed quam ita à Deo profectam putant, quemadmodum creaturæ rationalis natura (non dico exiſtentia) à Deo eſt profecta: & quam *rationem* creaturæ rationalis, ut & principia & fundamonta iſtius rationis, ſecundum quæ homo ratiocinatur, & judicat, ita libere à Deo profecta putant, quam ipſam creaturæ rationalis *exiſtentiam*: quia, inquiunt, creatura qualiſcunque, & cujuſcunque perfectionis, nihil commune habet cum Deo, neque ulla in re Dei perfectionem referre aut exprimere poteſt. Reſpondeo: quanquam ego illam ſententiam multis de cauſis à vero alienam eſſe putem, quas alibi in medium proferam, non tamen arbitror eam eſſe fundamentalem; ſi ſtatuant Deum poſt conditam naturam rationalem, nunc non poſſe non ſecundum illam rationem creaturæ datam mundum & præſertim creaturam rationalem regere: & Deum jam ſeſe ſubjeciſſe iſtis legibus. Hæc ego de Deo credenda arbitror; quantum ad ea, quæ ad cultum naturalem pertinent: & omnes ſententias, quæ ſupra enumeratis principiis ita contrariæ ſunt, ut ipſas deſtruant, fundamentales & exitiales errores eſſe exiſtimo. Sunt alia quædam credenda de Deo, quæ cultu inſtituto & revelato continentur: & in quo Deus ſe talem eſſe declaravit, & manifeſtavit, ut qui ipſum, ut talibus notis inſignitum non agnoſcit, in fundamentali errore verſetur. V. Gr. quod ſit Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti: quod Filium ſuum in mundum miſerit ut genus humanum redimeret, &c. Non itaque ſufficit ad ſalutem adipiſcendam ea de Deo credere, quæ ratio Deo attribuenda eſſe docet, ſed oportet nos, inſuper ea animo comprehenſa habere, quæ cultus revelatus creditu neceſſaria docet. Ratio autem inveſtigandi neceſſitatem ſingulo-

rum articulorum cultus revelati non deflectit ab ea, quam hactenus ſequuti ſumus in enumerandis articulis cultus naturalis de Deo, quatenus ſc. aliquod eorum fundamentum datur, cum quo reliqui articuli neceſſarium nexum habere debent, ſi putandi ſint ſcitu & creditu neceſſarii: de quo fundamento ſupra loquuti ſumus.

Nunc porro pergimus ad enumerationem articulorum fundamentalium, qui in cultu inſtituto obtinent, quorum primus articulus fundamentalis eſto; Deum de cœlis hominibus Religionem, qua coleretur, & beatitudo obtineretur, revelaſſe; eamque contineri in libris Veteris & Novi Teſtamenti. Negare enim aut neſcire talem revelationem eſſe factam, & eam conſignatam monumentis & libris, quos Biblia vocamus, eſt ignorare & abjicere omne fundamentum cognitionis cultus inſtituti; & cum ſupra probaverimus nullum aſſenſum temerarium, vanum, & ratione aut argumento carentem, aut falſo nixum fundamento, quamvis veritati tributum, eſſe *actionem moralem bonam*, & *Deo gratam*, inde recte conficitur fundamentum, à quo excitatur reliquum Religionis ædificium, ignorari, aut negari non poſſe, quin illa tota concidat; quia reliquorum articulorum fides mutuatur ſuam naturam à fide & cognitione primi fundamenti.

In ſuperioribus etiam probavimus non requiri ad veram cognitionem & rationalem cultum, ut aliquis omnia argumenta, ſive illa ſint Divina ſive humana, cognoſcat, iiſque fidem habeat, quibus aliqua cognitio confirmari poſſit; ſed probavimus ſufficere ſi cognitio nitatur aliquo fundamento, & argumento vero. Non itaque exiſtimo eſſe errorem fundamentalem, ſi quis non tantum fidat ſuæ peritiæ & privato judicio, ut putet ſe ſua ſponte & proprio inſiſtens judicio, ex *principiis inſitis Scripturæ* poſſe judicare de divinitate Scripturæ, & conſequenter de tali ejuſdem auctoritate, quæ ex illis argumentis, Scripturæ inſitis, manat, ita ut propterea illi fidem adhibeat; ſed arbitror ſufficere ad veram fidem de auctoritate, & divinitate Scripturæ, ſi illa nitatur aliquo vero argumento, quale ex omnium Doctorum noſtrorum Reformatorum ſententia, etiam eſt *traditio*: aut conſideratio & examinatio circumſtantiarum, quibus veritas aut falſitas alicujus ſcripti aut hiſtoriæ in aperto ponitur. Multo minus arbitror errorem fundamentalem eſſe, ſi quis inter libros canonicos aut apocryphos non bene norit diſtinguere: aut unum, aut plures libros in canonem per errorem recipiat, aut ex eo quoſdam eliminet & exterminet, & ita ſingulos non æſtimans ſuo pretio: ſufficit ſi doctrinam fundamentalem idoneis & probis argumentis innixam teneat; neque errori pareat, quo articulum fundamentalem ſubvertat. Quale, quæſo, momentum aut pondus habet ad cultum meum *rationalem* reddendum cognitio, aut error, quod Epiſtola Jacobi ſit authentica, aut ſecus: ſi modo v. gr. de juſtificatione bonam & veram foveam ſententiam? Superbia, temeritas, nimia de ſua ſententia fiducia, nimia, quam nobis ſumimus propter temere ſuſceptam opinionem, licentia; & jus ſtatuendi de divinitate aut humanitate alicujus ſcripti; ut & pertinacia tuendi ſemel traditam doctrinam & ſententiam, alicui parere exitium poteſt: at ignorantia aut error circa auctoritatem talium librorum nulli ſalutem eripit.

Porro hoc *primo* articulo de *auctoritate revelationis*, includitur *ſecundus*: nempe illam revelationem nobis eſſe *regulam fidei & morum*: non enim eſſet prioris articuli ullus uſus, multo minus in numero fundamentalium eſſet ponendus, ſi revelationi illa auctoritas, & vis non tribuatur, ut vim teneat *legis* in cultu Divino; & in regendis hominum officiis. Cum autem ſtatuo revelationem Bibliis contentam nobis eſſe ſolam regulam fidei & morum; non ideo puto eſſe errorem, multo minus erro-

errorem fundamentalem, ſi quis in cultu, aut in moribus aliquid aſſciſcat, quod Scriptura non contineatur, nihil minus; nam tunc pariter improbandus eſſet ordo & regimen Eccleſiarum, quod in Scriptura diſtincte non traditur: eſſet rejicienda omnis cæremonia, ſive ad decorum, ſive ad uniformitatem cultus, ſive ad docendam plebem, & ad excitandum ejus zelum, in Eccleſiam introducta, & cultui ſuperaddita. Et puto me in hac re omnes Reformatos Doctores conſentientes habiturum: quia nulla eſt Eccleſia ita à cæremoniis repurgata, quæ adhuc aliquas ſibi non retinuerit. Sed eſſet error fundamentalis, ſi quis erigeret aliud *tribunal*, aut aliam *auctoritatem* Divinæ revelationi oppoſitam: & præditam poteſtate decernendi & ſtatuendi aliquid, quod Divinæ revelationi oppoſitum eſſet, & ſimul vim legis haberet, quam homines ſequi tenerentur.

At difficilioris ſolutionis quæſtio & ſuperiori affinis eſt, utrum ſit error fundamentalis, profiteri Scripturam docere dari controverſiarum inter Chriſtianos ortarum, *ſupremum & infallibilem judicem, qui (ſed tamen ex Scriptura) definiat & pronunciet quid ſinguli Chriſtiani credere debeant?* Hæc doctrina non ita directe oppoſita videtur auctoritati revelationis, quia judicium & interpretatio putatur hauſta ex Scriptura; & ſimul judicium deciſivum de controverſiis Religionis, & cultus, & cui judicio conſcientia ſubjicitur, ſtatuitur pariter juxta Scripturam debere dirigi: ſed ponitur tantum iſtius judicii deciſivi poteſtatem uni perſonæ aut collegio, Papæ nempe, aut Concilio à Deo tributam eſſe; & nullius privati fidelis judicium debere ita valere contra judicium Papæ aut Concilii, aut utriuſque, ut ſingularis fidelis potius ſuo quam Papæ, aut Concilii judicio adhærere debeat. Non eſt hujus loci examinare, quousque ſeſe aliquis alterius judicio poſſit permittere; factum hoc eſt ſuo loco in Tractatu de cultu naturali: in multis hoc licere certum eſt. Sed Lector facile intelligit, totam controverſiam in hanc cauſam eſſe conjectam: utrum nempe hominis Chriſtiani religio non ratione, intelligentia, judicio & intimis animi ſenſibus, qui ex cognitione veritatis permoventur, nitatur, an vero Papæ aut Concilii imperio & legibus, imperantis, dictantis, & præſcribentis, quid credendum ſit. Ita ut non aliter Chriſtiano conſtet ratio ſuæ fidei, quam, quia Papa, aut Concilium declarat ita Scripturam & revelationem docere; ita ut nihil quicquam in ſua fide percipiat, quo perſuadetur ſe vera, juſta, ſancta, ſublimia, Deo & humanæ conditioni convenientia credere, ſed nihil horum magis intelligat in ſua religione contineri, quam in illo cultu cæremoniali, cujus nullam rationem reddere poteſt: præter eam, quod Deo imperanti parendum ſit. Nam ſi Chriſtianus præter illam vim legis à Concilio aut Papa profectæ, aliud quid in ſua Religione & fide intelligit, propter quam illi ſuffragatur, tunc fidei ſuæ fundamentum non eſt *ſola* Papæ aut Concilii *declaratio*: nec aliqua auctoritas extrinſecus, & aliunde petita, ſed cauſa credendi ex ipſis viſceribus, & ex natura Religionis ſumpta eſt: quemadmodum is, qui intelligit & percipit in libris Ciceronis contineri ſermonem Latinum purum & elegantem, non credit propter magiſtrum, qui ipſi copiam illorum librorum fecit, eos commendavit, & viam monſtravit, atque rationem aperuit, qua elegantiam ſermonis Ciceronis poſſet diſcernere; ſed illud ſcit, & judicat, quia ipſam elegantiam percipit.

Qui itaque docet Chriſtiani hominis fidem ita innixam Papæ aut Concilii ſententia & judicio, ut tota iſtius fidei cauſa contineatur lege, cujus legis tamen nullam intelligit rationem, ſed credit, quia divinitus *imperatur*, ille nobis Chriſtianum fingit, qui nihil ſanctitatis, nihil ſublimis, aut cœleſtis, nihil rationis, nec in

ſua religione aut moribus, quos Chriſtiana Religio præſcribit, intelligit aut percipit, ſed eſt inſtar illius, qui Ciceronianum ſe profitetur: quamvis nihil plus elegantiæ Latini ſermonis percipiat in libris Ciceronis, quam in epiſtolis obſcurorum virorum. Certe qui cogitate legit, quæ habentur 2 *Cor.* 3. à verſu 13. uſque ad finem capitis, is facile intelliget aliter cum Chriſtiana fide comparatum eſſe: & ejus ſanctitatem perfici vi cognitionis doctrinæ Chriſtianæ recte perceptæ, & totam mentem pervadentis; vide etiam cap. 4: 6. Cum itaque illa doctrina Pontificiorum, eo ſenſu intellecta, id abſurditatis importet, non eſt quod hæſitemus effari illam eſſe exitialem, & continere errorem fundamentalem: ſed non puto ullam ſectam inter Chriſtianos eo abſurditatis prolapſam, quamvis Pontificii non ſatis aſſequentes quid id, quod verbis profitentur, in ſe complectitur; illam doctrinam videntur inculcare, cum Papæ aut Concilio attribuant poteſtatem definiendi, quid ſinguli Chriſtiani credere debeant.

Dicimus Pontificios non ſatis percipere, quid ſub his verbis contineatur: & hoc inde manifeſtum eſt, quia ipſi non ſatis habent declarare quid credendum ſit, ſed argumentis dogmata ſua firmant, & parochis imperant; ut populum non ſolum doceant, quid ex decretis Papæ aut Concilii credendum ſit, ſed ut etiam eum informent & muniant rationibus & argumentis, quibus illa decreta illuſtrentur, & animis affigantur, tanquam ſancta & Deo convenientia Myſteria. Et quod caput eſt, etiam lectionem Sacræ Scripturæ ſingulis Chriſtianis permittunt, eamque commentariis & notis illuſtrant, ut ita intellectus fidelium imbuatur cognitione, & voluntas flectatur non imperio Papæ aut Concilii, ſed lumine veritatis, & evidentia perceptionis: quam lectio Scripturæ & veritatis doctrina argumentis confirmata parit. Et ideo agnoſcunt Pontificii fidem hominis Chriſtiani argumentis ex Scriptura & ratione privato judicio comparatis, illuſtratam digniorem eſſe, & uberiores ex ſe fructus fundere. Sed quod præcipuum eſt, & totum negotium conficit, ipſi Pontificii privato ſingulorum judicio permittunt examen & ſenſus interpretationem omnium Scripturæ locorum, quibus jactitant probari Papæ aut Concilii auctoritatem, & infallibile judicium de rebus religionis & morum: nam ſinguli fideles illorum locorum ſenſum non amplectuntur propter judicium Eccleſiæ, Papæ aut Concilii, cum ante adhibitam fidem iſti ſenſui locorum Scripturæ nullus fidelis hujuſmodi auctoritatem poteſt cognoſcere, quia illa cognitio & fides illo ſenſu nititur.

Sed ut eo unde egreſſa eſt, referat ſe oratio. Nullus Chriſtiani nomine dignus, nedum ut illi ſpes eſſe poſſit adipiſcendæ ſalutis, qui ita propter auctoritatem Eccleſiæ, Papæ aut Concilii capita Chriſtianæ fidei credit, ut ipſe in iis nihil *rationis*, nihil *ſanctitatis*, nihil *Deo* aut *homine dignum* cognoſcat, nihil iis permoveatur: ſed tantum credit illa vera, ſancta, ſalutaria, & ad adipiſcendam ſalutem apta eſſe; quia Deus per Eccleſiam illa credi imperat. Et ideo neque illa fides homini poteſt eſſe ſalutaris, qui prius, aut ambigens de aliqua veritate ad religionem pertinente, aut de ea perſuaſus, ex imperio & dictamine Eccleſiæ, ſe determinat, aut ſententiam mutat, antequam intellectus imbutus ſit novo lumine, quo judicium regatur, & voluntas flectatur, ſed credit tantum ex imperio. Hujuſmodi enim fides plane *irrationalis* eſt, & nullo modo comparata ad *ſanctificandam* naturam hominis: cum tamen doctrina Chriſtiana *lac rationale* vocetur, 1 *Petr.* 1: 2. & *ſemen noſtræ regenerationis*, 1 *Petr.* 1: 23. Quia illa, quæ doctrina ſalutis continentur, informant ipſum intellectum: neque homines aliter per eam doctrinam ſervantur; quam quatenus argumenta à natura do-

doctrinæ deſumpta contineat, quibus hominis animus pietate & reverentia Numinis afficitur. Præterquam quod ſit ridiculæ vanitatis velle hominibus imperare fidem, & *lege*, nulla ratione fulta, velle tollere, & delere lumen intellectus, quo voluntas ad credendum determinatur: quod perinde eſt ac imperare hominibus ne credant ſe videre, quod ſe videre oculi apertiſſime teſtantur. Ita ut error Pontificiorum de judice infallibili, ſenſu, quo illum expoſui, non tantum ſit fundamentalis, ſed etiam plenus inanitatis & vanitatis; cum hujuſmodi rei ne idea quidem eſſe poſſit, nec ullum exemplum prodi: nempe, docere *hominem ſuam ſententiam debere, aut poſſe mutare ex alterius dictamine, & imperio.* Me ex alterius judicio ac ſententia aliquando poſſe, & debere cedere de jure meo, & in alterum id conferre, & ita controverſiarum judicem agnoſcere, facile admitto: ſed dari judicem, qui per ſuum judicium mihi meam animi ſententiam extorqueat, ut ita per illud judicium animum informet, & illuſtret, ut id, quod antea injuſtum putabam, nunc juſtum arbitrer, id in ſenſum communem non cadit. Qui itaque talem ſententiam & fidem profitetur verbis, & juxta eam cultum ſuum dirigit, is verſatur in exitiali errore. Sed exiſtimo plurimos inter Pontificios in praxi longe alienos eſſe ab hoc errore, quamvis verbis eum præ ſe ferant: nec ſe in cultu ſuo dirigendo tam ſequi judicium Papæ aut Concilii, quam ſuum privatum, quatenus illud affectum & imbutum eſt lumine deſumpto ex ipſa articuli fidei natura.

Ex jam dictis etiam conſtat cujus momenti & ponderis ſit ille error, qui docet, Scripturam in rebus ad ſalutem neceſſariis, eſſe obſcuram; & privato judicio illius ſenſum ita erui non poſſe, ut homini præſtet fundamentum ſolidum, & firmum, quo nitatur ſua fides: ſi enim iſtius ſententiæ ea vis eſt, quod articuli fundamentales ea obſcuritate tradantur in Scriptura, ut nullus fidelis, qualemcunque adhibeat induſtriam, quibuſcunque utatur præſidiis, & quorumcunque inſtitutione & diſciplina fruatur, tamen ita Scripturæ ſenſum aſſequi non poſſit, ut in ipſis verbis argumenti vis ipſi appareat, eaque perſuadeatur & convincatur. Sed ſtatuat totam Chriſtiani fidem niti decreto Pontificis aut Concilii: & quo decreto nullum Chriſtiano oſtenditur, & detegitur *lumen*, quod in aliquo loco Scripturæ, quo Papa aut Concilium decretum ſuum fundat, ſplendeat, tunc ille error cum eo, quem jam excuſſimus; & cujus pondus expendimus, convenit, eoque includitur. Et ideo pariter exitialis & fundamentalis eſt, quia ſimiliter docet Chriſtianum fidem, qua ſervatur, profiteri, in qua nihil ſanctitatis & rationis, quibus mens ejus permoveatur, videt; ſed quam tantum amplectitur, eique adhæret, quia ita imperatur; nudus exiſtens ab omni cognitione, qua ad illam profitendam tanquam medio & via adipiſcendæ ſalutis excitetur, præter illam qua cognoſcit tantum illam fidem imperatam eſſe: ita ut ne intelligat quidem quomodo capita ſuæ fidei cohæreant; & quomodo ex aliquo fundamento reliqua ſequantur, quia illa mentis illuminatio, qua de intrinſeca natura fidei judicatur, non eſt fidei, quæ imperio, & lege in nobis nata eſt, opus, ſed illius tantum, quæ noſtro privato judicio & cognitione; & principiis cognitionis ſive naturalis, ſive Divinæ, ex Scriptura comparatæ nititur non imperio ſed *lumine*, principiis illis inſito, intellectum afficiente & judicium dirigente. Quod quivis facile ex ſuperioribus intelligat. Sed exiſtimo nullos inter Pontificios præter quoſdam rupices & agreſtes cultum & religionem ſuam juxta illum errorem dirigere; ſed omnes hoc agere, ut ſibi parent rationes, argumenta & articulorum fidei cognitionem talem, ut non *præceptum* Eccleſiæ, *ſed materia præcepti*, ut vera, juſta, & ſancta judicata, illos ad fidem impellat,

lat, mentemque ſua ſanctitate afficiat: quamvis decretum Papæ aut Concilii eam illis conciliet venerationem pro re, quæ ab Eccleſia credenda proponitur, ut accuratius ad illam mentem attendant, & propenſius ad illam inclinent, quod etiam inter Reformatos obtinet: qui etiam tantum auctoritatis lubenter Eccleſiæ tribuunt.

Nunc porro expendendum, quo loco, & ordine cenſendus ſit Enthuſiaſtarum error, qui revelationi ſcriptis conſignatæ, ut ſtatui ſpirituali hominis Chriſtiani minus convenienti, nuncium mittentes, in ejus locum ſubſtituunt *revelationem Divinam proxime & per ſe hominibus ſe inſinuantem, & ipſum commonefacientem, quid ſui muneris & officii ſit.* Cenſeo nemini dubium eſſe poſſe, quin exiſtimet illum errorem fundamentalem eſſe; nam quamvis revelationem ſcripto conſignatam, aut traditione conſervatam non omnino tollat, nullum tamen illi locum relinquit in regenda fide, & in moribus ordinandis; & revelatio, quam ſubſtituunt Enthuſiaſtæ, hujuſmodi eſt, ut ad nullas nec moralitatis, nec alias revelationis regulas exigi debeat; ſed volunt eam revelationem ex inſitis ſuis proprietatibus & revelationis modo ſe manifeſtare; & veritatis ſuæ argumenta prodere in hominis mente. Inde manifeſtum eſt, Enthuſiaſtas Sacram Scripturam è medio tollere; cum tamen nec ulla revelatione alia, argumentis ac ſignis comprobata pro vera; nec etiam ullis ſignis inſitis aut conjunctis cum ementita & falſa illa revelatione ipſis conſtare poſſit, *modum* illum revelationis, quem Divinum eſſe ventitant, eſſe Divinum; & non profectum ex hominis ingenio imaginario & commentitio; & mentis ſingulari & vitioſa conſtitutione, aut mali ſpiritus ſuggeſtione. Nam quod objiciunt Prophetas omnes nulla alia argumenta habuiſſe, quibus cognoſcerent Deum, non autem ſpiritum deceptorem, aut corruptam phantaſiam ipſis ſuggerere vaticinia, præter modum revelationis, qui ſua ſponte cognoſcitur, ſeque ab aliis deceptricibus per ſe diſtinguit; quemadmodum lumen ſe per ſe diſtinguit à tenebris, id temere ab iis aſſeritur: quia Propheta, cui Deus primum ſe aperuit per influxum ſui Spiritus; & ita quædam revelavit, non per *modum* revelationis ſolummodo, illapſum Spiritus Dei agnoſcere poterat, eumque à falſo diſtinguere, ſed etiam per alia ſigna antecedentia, & conſequentia (v. gr. per eventum) edocebatur Deum, non ſpiritum deceptorem ad ſe loqui: & tunc poſtea idem modus revelationis mentem afficiens, ipſi ſatis idoneum teſtimonium erat ſtatuendi Deum eſſe, qui ipſum alloquebatur. Quod autem ferunt lumen per ſe à tenebris diſtingui, nec aliud requiri, quo doceamur lumen non eſſe tenebras, id non magis lumini quam reliquis rebus proprium eſt; quæ, quemadmodum ſuis proprietatibus & formis ſunt, quod ſunt; ita iiſdem ſeſe ab aliis diſtinguunt: quia non poteſt aliquid eſſe in ſuo & alieno genere. Sed nodus in eo ſitus eſt, unde & quomodo ſine aliquo novo argumento cognoſcam modum, quo mens afficitur illum modum eſſe, quo Deus Vatis mentem afficere ſolet. Sed hæc ulterius non perſequar, quia non eſt tam hujus loci veritatem alicujus dogmatis probare, aut falſitatem ejus oſtendere, quam pondus & momentum quod ſingula, aut ad ſalutem aut ad perniciem adferunt, expendere; & de eo judicium ferre, atque ſententiam dicere.

Sunt alii præterea errores, huic errori quidem affines, ſed tamen plane in alium numerum rejiciendi: quia, quamvis inſpirationem novam, ſingularem, & privatam, qua mens Chriſtiani afficitur, doceant, ejus tamen inſpirationis judicium ad Scripturam revocant, ab eaque ſuſpendunt: hoc tantum urgentes, quod cum hominis mens lapſu Adami & peccandi conſuetudine ſit occæcata, neque verum & ſalutarem Scripturæ ſenſum ſuis viribus

bus nec aſſequi nec in uſum ſuum convertere poſſit, Deus homini inſtillet *novum rationis & ſanctitatis lumen.* Quo ita Scriptura & ſacra doctrina intelligitur, ut mens eo ita commoveatur, ut viva fides & verum ſanctitatis ſtudium eam occupet, & pervadat. Et ſtatuunt abſque novo illo lumine (non accenſo nec à Scriptura, cujus ſenſum ſalutariter percipi ſine illo lumine poſſe negant, nec ad rationem, quam corruptam prædicant, ſed à Deo in hominis mentem per ſe infuſo) hominem non magis ſenſum ſpiritualem intelligere poſſe, & de eo judicare, quam cæcus de coloribus: qui ex auditu & relatu aliorum multos de coloribus ſermones habere poteſt; non tamen vera eorum idea mentem imbutam habere. Eſt quidem in illa ſententia error; ſed qui nec in ſe, nec in ſuis conſequentiis magnis laborat incommodis: nam qui ſunt in illa ſententia, agnoſcunt *revelationem Divinam ſcriptis conſignatam*, eamque pro regula fidei, & morum recipiunt: ſolummodo per errorem potius Philoſophicum, quam Theologicum, non bene deſcribunt modum operationis Spiritus Sancti, in convertendis hominibus: ſtatuentes Illum ad intelligentiam ſalutarem Scripturæ non excitare lumen & rationem, quæ in nobis ſunt, & operantia, ut figamus bene noſtram attentionem; noſque omnia ad mentem & animum revocemus, quibus mens ſanctificetur, & ſanctificata rebus ſpiritualibus commoveatur: (quæ eſt doctrina vera Scripturæ & rationi conſentiens) ſed docentes Spiritum Sanctum novo lumine, hoc eſt, novis moralitatis principiis mentem hominis ampliorem,& ad capiendam fidem aptiorem reddere. Quod perinde eſt, ac ſi doceas, illos, qui artem muſicam addiſcunt, non principia naturæ inſita excolere, ita ut per diſciplinam & uſum illa principia ampliora reddant; ſed etiam principia illa naturalia de novo in nobis arte, & diſciplina creari, quod admodum à veritate alienum eſt. Ars enim ſine illis principiis nunquam extitiſſet: ſed homo per illa principia naturalia muſices arripit præcepta artis, & ars atque uſus viciſſim illa principia ita extollit, & evehit, ut ſine iis ars muſica nunquam emerſiſſet ex illis principiis. Ita ſimiliter homo ſine ratione naturali nunquam arripere poſſet ea, quæ in Sacra Scriptura traduntur; neque Spiritus Dei, operans hominis converſionem, non magis novam rationem, aut novæ rationis principia hominis convertendi menti inſculpſit, quam magiſter artis muſicæ, aut uſus, exercitatio, & mentis applicatio ad excolenda principia muſices, inſerit menti muſicæ principia. Neque ideo homini corrupto quicquam virium attribuitur ad ſe convertendum: ponimus enim iſthæc principia non potuiſſe ad aliquam frugem ſoboleſcere ſine gratia Spiritus Sancti. Statuimus itaque errorem poſteriorem fundamentalem non eſſe; quanquam ille ſit craſſus ſatis, & natus ab iis, qui non ſatis conſiderate & cogitate res Theologicas tractant: quamvis ſplendore vitæ ſanctitatis, & commendatione famæ magnopere laudabiles inter nos vixêre; & quorum errorem prudentiores Theologi ſemper tolerarunt. Nunc reliquos articulos fundamentales cultus revelati perſequamur.

Eſt igitur creditu neceſſarium: *Deum miſericordia ductum*, media paraſſe, quibus perditum genus humanum reſtaurari, emergere ex perditione; & ſalutem adipiſci poſſit. Quandoquidem enim illa miſericordia Dei eſt fons & origo totius œconomiæ ſalutis Euangelicæ; & per quam Deus præcipue teſtari voluit, & in aperto ponere ſuæ miſericordiæ & juſtitiæ,atque odii contra peccatum attributa: aut ſtatuendum in œconomia ſalutis Euangelicæ nihil creditu, aut ſcitu neceſſarium; & Deum homines velle ſervare ſine ullo cultu convenienti iſti œconomiæ; (cujus contrarium ſupra probavimus) aut hunc articulum eſſe neceſſarium,

um, & primo generali fundamento cultus revelati proximo inniti: qui enim *hanc miſericordiam* aut ignorat, aut negat, ille aut Euangelium ignorat, aut illi fidem non habet: aut ſaltem totum hoc magnum opus ſalutis generis humani exutiſſe: Deo, non dico, non bonam magnamque partem, ſed nihil ad illud afferente: qui hoc credit nullum rationalem cultum fundatum in opere noſtræ ſalutis Deo exhibere & deferre poteſt. Quemadmodum itaque in cultu naturali articuli neceſſarii dignitatem habet fides & cognitio, Deum eſſe auctorem noſtræ originis; & ab eo profluxiſſe quicquid hoc univerſum complectitur, quia ſine eo articulo animo percepto, homo non poteſt verſari in ſubmiſſa illa cogitatione, qua Deum veneratur ut cauſam primam; & in qua vivimus, movemur, & ſumus, ita pariter dignitate, & neceſſitate non eſt inferior ille articulus, qui agnoſcit Deum Patrem, tanquam primam & principem cauſam operis ſalutis: quia cum Chriſtus in hoc opere nobis ubique in Scriptura exhibeatur ut Patre inferior, & ut à Patre miſſus, labitur & concidit tota illa pars cultus inſtituti, qua in illo cultu cognoſcimus Deum Patrem ut primum auctorem ſalutis; & ille error ita perturbat omnia, ut aut Chriſtum in hoc opere conſtituat, à quo omnia ut à primo auctore profecta ſunt, aut nullum auctorem primum agnoſcens, ſine ordine & via totam œconomiam proceſſiſſe ſtatuit.

Porro, cum dicimus Deum miſertum generis humani, inde conſtat conſequenter creditu neceſſarium eſſe, cognoſcere genus humanum eo miſeriæ prolapſum ſuo vitio & peccato, ut ex illa emergere & extollere ſeſe ſuis viribus non potuerit, ſed Deum hominem nova & cumulatiore gratia, quam ea, quam homini primum creato conceſſit, proſequi, qua ſervetur: quia ubi hoc ignoratur, ibi tota ſalutis ratio in Euangelio prodita homines fugit. *Primum* igitur hic articulus fundamentalis includit illum, quo credimus nos noſtris vitiis eſſe perditos, & ab omni ſalute excluſos, ſi noſtra opera, & noſtris viribus adipiſci ſalutem velimus: quomodo autem illud vitium contraxerimus, quo in peccatum omnes ita proni ſumus, ut nullus ſine Dei gratia ſeſe erigere & extollere ad ſtudium pietatis poſſit, & quid lapſus primorum parentum ad hoc contulerit, ita creditu non eſt neceſſarium, ut per ſe ignoratio iſtius *modi* aliquem damnet, ſi modo ſtatuatur neminem reatu, culpa, tranſgreſſione legis teneri, aut vitioſum eſſe, niſi vitioſitate morali, ſibi inhærente, qua Deo inviſus eſt. *Secundo*: ſalutis acquiſitionem Dei benevolentiæ & amori attribuendam. *Tertio*, nos noſtro vitio nos induiſſe in illam miſeriam: quia credere Deum, hominem innoxium omnibus miſeriis in perpetuum exercitum habere pugnat cum articulo fundamentali de *bonitate & juſtitia Dei*: de quo ſupra. Et quia cum deſperatione & abjectione omnis ſpei de Dei miſericordia nullus poteſt conſiſtere *rationalis cultus*, quo homo ad virtutem ſe excitet, & Deum amet: eſt etiam articulus fundamentalis ut ſinguli homines credant ſe, quamdiu *viatores* ſunt, non eſſe excluſos ab illa Dei gratia; ſine qua ſalus obtineri non poteſt, dummodo ipſi ſibi non deſint. Et quamvis multi *prædeſtinationem* ita explicent, ut cum gratia univerſali cohærere non poſſit, omnes tamen hunc, quem modo recenſui, articulum fundamentalem admittunt. Omnes enim Theologi, quamcunque tueantur ſententiam, dehortantur omnes curæ ſuæ commiſſos, ne ſe putent in reprobatorum numero eſſe; & contra omnes quotquot offendunt, hortantur ad fidem & pietatem, ut ſalutem adipiſcantur: ſupra ſcriptum itaque articulum admittunt.

Sed in cultu inſtituto hoc præcipue de Deo credendum, quod ſit *Pater Jeſu Chriſti*: ita ut, qui Deum ſub ea nota non cognoſcat, non habeat *verum Chriſtianorum Deum*.

Deum. Quemadmodum itaque Judæis non ſatis erat cognoſcere *ens ſumme perfectum*, ſed præterea in cultu Judaico hoc ſcitu, & creditu erat neceſſarium, nempe, cognoſcere illum eſſe verum Deum, *qui erat Deus Abrahami, Iſaaci, & Jacobi; & qui ipſos ex Egypto manu forti & elata eduxerat, & in monte Sinai ipſis legem & formam cultus præſcripſerat.* Et hiſce ſignis Deus ſeſe non ſolum ab aliis Diis alienigenis diſtinxerat, ſed inſuper voluit ut ipſe ſub iis proprietatibus & notis ipſis in mente verſaretur, quoties de Religione cogitarent, animumque ad cultum excitarent, de qua re in præſentia plura non dicam, quia illa ſatis enucleate tractata eſt in libro de *idololatria & ſuperſtitione.* Ita pariter nullus verum Chriſtianorum Deum habet, qui *ens ſumme perfectum* ſpeciatim ſibi non repræſentat ſub ea nota, *quatenus* Deus Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, *Chriſtum ad redemptionem generis humani miſerit; & quod ille Chriſtus ſit Filius Dei.* Nam cum Deus per hoc præcipue probat ſuum amorem erga nos, quod cum ejus inimici eſſemus propter noſtra peccata, tamen Filio ſuo unigenito non pepercerit, ſed eum pro nobis in mortem tradiderit: quivis ſatis intelligit illud, quod in opere redemptionis, & circa quod fides, & cultus Chriſtianorum, qua talium præcipue verſatur, Deo detrahi, ſi ignoremus, aut negemus Deum *proprium ſuum Filium* miſiſſe, ſed tantum aliquam creaturam nulla propiore ſocietate cum illo conjunctam, quam illa communi, qua omnes creaturæ ſanctæ & juſtæ Deo charæ & acceptæ ſunt; & quarum reſpectu Deus teſtatur omnium ſanctorum martyrum mortem ſibi eſſe pretioſam; neminemque impune habiturum, qui ipſorum ſanguinem per cruciatus, & tormenta effuderit.

Præterea quandoquidem inter Chriſtianos convenit, ipſorum cultum, qua talem, aliquo fundamento niti, ad quod reliquæ partes cultus iſtius referri debeant; & quo fundamento ille cultus à Dei cultu, quatenus eſt ens ſumme perfectum, & quatenus naturali ratione cognoſcitur, diſtinguatur; velim ſcire, quæ pars cultus Chriſtianorum ſit magis princeps, & propius cum primo fundamento conjuncta, quam Deum Patrem in exequenda noſtra ſalute noluiſſe parcere *proprio & unigenito* ſuo Filio? Eſtne aliquid auguſtius, magiſque mirificum, ac magis teſtans Dei amorem, qui tantopere in œconomia noſtræ ſalutis prædicatur, quam illa traditio proprii & unigeniti Filii in mortem pro nobis? Si Chriſtus non eſt proprius Dei Filius, ſed tantum creatura, quam Deus formavit & idoneam reddidit ad ſubeundum pœnam & cruciatus pro nobis: compenſans in Chriſto (ſed mera creatura; neque naturali dignitate propius cum Deo conjuncta, quam reliquæ creaturæ) illos cruciatus ſumma gloria, majeſtate & imperio. Quid Deus de ſuo deprompſit ad liberandum humanum genus? Et unde ſe prodit ille ſummus amor Chriſti erga genus humanum; & à quo manavit illa tantopere decantata in Scripturis humiliatio Chriſti, *qui cum eſſet dives, ſe privavit omnibus*, ut nos ditaret; & qui cum eſſet *in forma Dei nec rapinam duceret Deo æqualem eſſe, formam & ſpeciem ſervi aſſumpſit, & ſe Deo obedientem præſtitit uſque ad mortem crucis.* Quæ ſe aperit humiliatio & ſubjectio creaturæ, quæ cum tota Deo debeat, quod poſſidet, à Deo eligitur ad tam excellens opus ſub ſpe tanti præmii? Et quemadmodum Dei & Chriſti amor non magnopere eluceret in erronea illa ſententia, ita Dei ſanctitas, juſtitia, odium peccati, &c. laterent in illa doctrina, cum tam levi compendio collapſum genus humanum, & conſuetudine peccandi à Deo averſum in integrum potuerit reſtitui; & totum illud damnum reſarciri immolatione creaturæ ſimplicis tantis præmiis illectæ ad dolores illos ſubeundos: contra tam manifeſta Scripturæ loca. Et cum Scriptura

paſſim tam ſerio inculcet fidem in Chriſtum: & docet per cognitionem rationis ſalutis in Euangelio revelatæ, homines regenerari in ſpem vivam, quid virtutis ſeſe manifeſtat in ratione ſalvandi homines: ſi nec Deus Filium ſuum impenderit; nec Chriſtus Dei Filius fuerit; & ſi pro peccatis non ſit ſatisfactum? Quæ tria ita conjugata ſunt ut nullum eorum labefactare poſſis, quin tota collabatur, & concidat doctrina Euangelica; & migrat atque tranſit tantum in diſciplinam moralem, paulo defæcatiorem eâ, quam tradidere gentiles.

Præterquam, quod ſi Deus Chriſtianorum non ſit Pater proprie dictus Domini Jeſu Chriſti; & Chriſtus proprius ejus Filius; atque cum Patre Deus, doctrina Euangelica conturbabit totum cultum naturalem recta ratione ſuffultum: ille enim docet Deum tantum cultu religioſo, & ſummo adorandum; at Euangelium paſſim inculcat adorationem Chriſti æqualem illi, quæ Deo exhibenda eſt; & Chriſto attribuit omnia, quæ homines ratione naturali præeunte ducit ad excitandam in eorum animis venerationem & cultum reſpondentem iſti cognitioni. Docet Euangelium Chriſto traditam poteſtatem in cœlo, & in terra; ipſum excitare mortuos, quemadmodum Pater excitat mortuos: ipſum adorandum, quemadmodum adoramus Patrem; admonentur omnes Angeli Dei ut Chriſtum adorent. Sexcenta hujuſmodi poſſem proferre, & quæ à noſtris contra Socinianos adferuntur in medium, ad probandum Chriſti divinitatem. Quæ omnia tam ſublimia ſunt, ut nulli niſi Deo, ſed qui per generationem æternam Patris naturæ Divinæ factus eſt particeps, & ita omnia divina poſſidet; & ideo Patre ſub ea ratione inferior, convenire poſſunt: *Pater me major eſt*: *& Filius nihil poteſt facere niſi videat Patrem agentem.*

Scio equidem adverſarios inſtare, dicendo ſe talia de Chriſto tradere, quæ præbent fundamentum rationalis, & divini ſui cultus. *Primo*, inquiunt, ſtatuimus Chriſtum factum à Deo Patre ſuo participem omnium donorum & virtutum, quæ creatura recipere poteſt: à quibus donis nihil fortaſſe excludi poteſt, quam quod dependenter à ſummo Deo agit: quia nulla ratio prohibet reliqua omnia in ſummo gradu Chriſto aſſignari potuiſſe, potentiam, ſapientiam, ſanctitatem, dominatum, &c. ita ut *inſita* vi, ſed à Patre communicata omnia regni ſui munera exequatur. *Secundo*: ut, ſi quædam opera, Chriſto in exequendo ſuo munere neceſſaria, excogitari poſſint, quæ requirunt illam vim, & poteſtatem, quæ creaturæ communicari non poſſit; eam à Deo Patre ita ſuppleri per continuum influxum Divinitatis ſuæ in humanam naturam, ut propter eum & propter concordem & unanimem voluntatem Dei Patris & Chriſti, Chriſtus Deum ita præſentem habeat, ut omnia, quæ velit operari Pater, etiam operetur Filius per Patrem; & quæ vult operari Filius, etiam Pater per ipſum Chriſtum operetur. His poſitis, inquiunt adverſarii, omnia fundamenta adorationis in Chriſto ponimus, quæ in ipſo, illi, qui ſe orthodoxos venditant, ponunt: hoc tantum excepto, quod illa dona & privilegia Chriſtus ab omni æternitate & natura non habuerit, ſed in tempore ei collata ſint. Nam & Scripturæ loca ſupra citata, & noſtra fides, & ratio explicandi generationis æternæ Filii à Patre, quemadmodum illa à noſtris traditur, etiam dependentiam Filii, quatenus Deus eſt, à Deo Patre important; neque putamus tamen, illam dependentiam tollere fundamentum, aut rationem cultus Divini. Reſpondemus, Socinianos tot talia, tantaque poſſe attribuere Chriſto, ut reapſe non amplius idea creaturæ, ſed Dei in mente eorum verſetur; quando talem Chriſtum ſibi repræſentant (quamvis verbis profiteantur ſe Chriſtum pro creatura habere) ut Deus, non creatura

tura in ipſorum mente verſetur; & ideo recte illi tunc attribuunt dignitatem, propter quam ſit adorandus. Et tunc nobis cum illis non rei ſed verborum controverſia eſt. Sed vera controverſia in hoc vertitur; an creatura, quibuſcunque etiam ornata ſit donis & virtutibus, poſſit eſſe objectum adorationis Divinæ aut religioſæ, quod eodem redit: religio enim tam neceſſario refertur ad Deum, quam Pater ad Filium; & uxor ad maritum, ita ut nulla ſit religio, ſi non ſit Deus; & quæ Deum non habet pro objecto, illa non eſt religio. Creatura à Creatore infinitum diſtat; & tanta inter utrumque eſt diverſitas, ut omnes creaturæ perfectiones in comparatione ad Deum deſinant eſſe perfectiones, & illud nomen tueri non poſſint; *unus tantum eſt bonus, unus tantum ſapiens, unus tantum Deus & Dominus*, *Matth.* 19: 17. *Rom.* 16: 27. 1 *Cor.* 8: 6. Et omnis vis & robur, mera infirmitas: *Eſai.* 3: 3. *Ægyptus vero homo eſt, non Deus fortis*: quamvis extra comparationem illam, multi revera ſint Dii & Domini, *Matth.* 19: 17. *Rom.* 16: 27. 1 *Cor.* 8: 5, 6. Et qui creaturam adorant, ſemper colunt & ſerviunt illi, qui *natura* non eſt Deus, & creaturam honore afficiunt, qui tantum ſoli creatori debetur, *Gal.* 4: 8. *Rom.* 1. Sed quando conſidero quantopere omnes Sociniani ab Idololatria Pontificiorum animo alieni ſunt, vix mihi poſſum perſuadere, quin in adorando Chriſto, quem verbis meram creaturam eſſe ferunt, aliqua divinitas, quam Chriſtus poſſidet, in ipſorum mente verſetur: quia tanta atque tam magna illi attribuunt, ut idea creaturæ illis perire debeat, & Dei idea ſuccedere. Qui autem credit Chriſtum divinitatem poſſidere, eaque ita frui, ut una cum Patre eadem velit, & operetur per divinitatem, quæ Pater operatur, illum exiſtimo habere in Chriſto fundamentum adorationis ſufficiens.

Neque hæc doctrina de Chriſti Deitate ſimpliciter explicata, nec tricis ſcholaſticis involuta, difficilis ſcitu eſt per Scripturam. Et lubet hujus rei documentum per compendium dare; ne quis arbitretur hunc articulum inter articulos fundamentales non oportere recenſeri, quia in ſe difficilis intellectu eſt. Omnes mihi hoc facile dabunt, quod, quemadmodum omnes Gentes ideam Dei habent, ita etiam illas *nomen* aliquod habere, quo illam ideam, aut conceptum mentis aliis ſignificent. Deinde omnes mihi pariter largientur, gentes ordine naturæ primum naturam Dei concipere, ut ens abſolutum, & nullam relationem ad creaturas habens: quemadmodum hoc omnibus inſitum eſt, primum naturam conſiderare in ſe, quam quibuſdam rebus affectam, quibus ad aliud refertur. Ita prius conſideramus naturam hominis in ſe; quam eandem conſideramus, ut à *patre* productam: ſub qua nota natura humana conſideratur, ut *filius*. Et quemadmodum omnes gentes aliam ideam habent naturæ alicujus abſolute conſideratæ; aliam ejuſdem naturæ ideam conſideratæ cum aliquo reſpectu ad aliud: ita etiam aliud nomen habent, quo abſolutam rei naturam exprimant, aliud quo eandem naturam aliqua relatione affectam denotent. Quod autem ſit illud nomen, quo gentes ſingulæ naturam Divinam abſolute conſideratam exprimant, facile ſciri poteſt ab iis, qui cujuſque gentis linguam callent. Non itaque magnopere laborandum eſt, utrum v. gr. nomen *Deus*, *God*, Θεὸς, *Jehova*, ſit nomen, quo volumus alteri ſignificare conceptum naturæ Divinæ abſolute conſideratæ; an autem ipſius naturæ conceptum conſideratæ cum aliqua relatione. Qui itaque linguæ alicujus gentis periti ſunt, facile ex natura vocis aut ex circumſtantiis æſtimant utrum in ſermone & oratione aliquâ vox quædam ſignificet ens illud abſolutum, & ſumme perfectum ſine expreſſione alicujus muneris, aut ſingularis proprietatis iſtius entis, hoc

eſt ſine aliqua relatione. Qui non plane rudis eſt linguæ Latinæ, is facile intelligit nomen *Deus* in ſe conſideratum, tantum naturam divinam abſolute conſideratam ſignificare, hoc eſt, ens infinite perfectum; non autem una ſignificare ſingulatim aliquam perfectionem aut relationem. At cum dicitur ego ſum *Deus tuus*, tunc facile percipitur per vocem *Deus* una ſignificari Dei benevolentiam & bonitatem erga eum, cui dicitur, *ego ſum Deus tuus*: hæc ulteriori explicatione non indigent.

At enimvero raro contingit homines naturas rerum ita abſolute conſiderare, ſaltem non eas, à quibus aliquid boni aut mali ad ſe derivari poteſt; & inde evenit, ut aliqua vox, quæ linguæ genio atque natura nihil præter naturam abſolutam ſignificat, ordinario & per conſuetudinem omnium hominum plerumque aliud quid inſuper ſignificet, denotet, & inſinuet menti noſtræ aliquam qualitatem, relationem, aut ſingulare aliquid iſtius rei attributum: fitque id (ſicut jam diximus) tunc præcipue, cum res de qua agitur, hujuſcemodi eſt, ut nobis illius aliquis uſus ſit, & commoda aut incommoda ex illa capere poſſumus. Non longe accerſam exempla, ſed ea in medium proferam, quæ ad rem, quam in præſentia tractamus, pertinent. In Scriptura vox *Deus* eſt illa, qua Latini utuntur, ut Ens abſolute perfectum, & ſine ulla relatione ad aliud ſignificent: at illa vox non diu illa ſignificatione conſtitit; & ideo in illa ſignificatione non ſemper uſurpatur in Scriptura: v. gr. quando Thomas dixit, *Domine mi, & Deus mi*, *Joh.* 20:8. Ita pariter vox *Deus* non denotat abſolutam Dei naturam: quando dicitur *Ego ſum Deus Abrahami, Iſaaci & Jacobi. Deus non eſt mortuorum Deus, ſed viventium.* Sociniani itaque non admodum imperite contendunt, vocem *Deus* non naturam divinam, ſed aliquod *munus*, *officium*, *aut dignitatem* ſignificare; ut ita labefactent argumenta Orthodoxorum, quando illi ex locis Scripturæ, in quibus Chriſtus *Deus* vocatur, probare volunt Chriſtum naturæ divinæ abſolute conſideratæ eſſe participem. Nam nos facile illis largimur vocem *Deus* (etiam juxta conſuetudinem Scripturæ) non conſtitiſſe in prima ſua ſignificatione, ſed ſæpe aliquod *munus* & *dignitatem*, quæ primum quidem in Deo ſunt, ſed quorum etiam homines pro ſuo modulo poſſunt eſſe participes, ſignificare: quemadmodum hujuſmodi ſignificatio vocis *Deus* occurrit, 1 *Cor.* 8:5. *Nam etiamſi ſint, qui vocantur Dii, &c. & ita Pſalm.* 82: 1. *Exod.* 21:6. 22:8. Et ideo facile hoc adverſariis damus ex ſimplice & ſola voce *Deus*, quando Chriſtus eo deſignatur non ilico probari, & conſtare Chriſtum eſſe verum illum Deum: neque negamus in illo ſenſu *gradus Deitatis* dari; *Deos majores & minores*. Quando ſc. vox *Deus* aliquod munus, aut aliquam dignitatem denotat. Et hoc ſenſu concedimus plures *veros* & *proprie* dictos Deos eſſe, quemadmodum plures ſunt veri Magiſtratus & Domini, majores & minores, ſupremi & ſubalterni. Ita *Johan.* 15: 1. Chriſtus ſe *veram vitam* vocat: & *Job.* 6: 15. *verum panem: & bona ſpiritualia, verus mammon*, *Luc.* 16: 12. Et *cœlum verum tabernaculum vocatur*, *Hebr.* 8: 2. Et hoc in locis poſtremo citatis fit, quia in illis vox, cui *verum* adjungitur, improprie ſumitur. Quando itaque (poſito illo improprio vocis uſu) metaphora verecunda eſt, & quæ deducta videtur in alienum locum non irruiſſe, tunc recte dicitur rem *vere* talem eſſe, quatenus *fundamentum* metaphoræ in illa re *vere* reperitur. Sic Chriſtus *verus cibus* eſt: poſito enim hic cibum ſumi pro cibo ſpirituali, atque ita tropum ſive metaphoram eſſe in voce *cibus*, Chriſtus tam *verus* cibus ſpiritualis eſt, quam frumentum verus cibus corporalis eſt. At quemadmodum omnis metaphora ducitur à re *naturali*; ita ut quicquid metaphorice aliquid ſignificet, nunquam pri-

mam

nam rei naturam explicet; ita vox *natura* *Gal.* 4: 8. *Serviebatis iis, qui natura non erant Dii*, non tantum illic improprie ſumi non poteſt, ſed neque ſimpliciter *verum* Deum ſignificat, quemadmodum Magiſtratus ſunt *veri* Dii: ſed vox *natura* loco citato ſignificat Deum, qui in ſe, & ſua natura extra omnem tropum Deus eſt.

Ita non video, quid adverſarii lucrentur, cum tantum operæ ponant in colligendis Scripturæ locis, in quibus vox Θεὸς ſine articulo ponitur: ut inde probent ea voce denotari *eſſentiam* divinam, aut Deum nulla nota limitatum, & Chriſto nunquam eam vocem ita eſſe attributam. Non inde enim peti debet, quo ſenſu Chriſtus *Deus* vocetur; aut quando vox *Deus* munus aliquod aut *dignitatem* denotet, (quæ quidem primum in Deo eſt, & poſtea creaturæ communicatur) aut quando naturam divinam ſignificat. Vocem autem *Deus* ſignificare etiam in Scriptura *naturam Dei abſolutam*, videre licet locis infinitis; quorum pauca tantum allegabo, ut Lector uſu & reipſa experiatur an circumſtantiæ & textus appendices oſtendant vocem *Deus*, ita & non aliter ſumendam eſſe. *Johan.* 4: 24. *Deus eſt Spiritus. Act.* 19: 28. *Non ſunt Dii facti manibus hominum. Gal.* 4: 8. *Tunc quidem ignorantes Deum, ſerviebatis iis, qui natura non ſunt Dii. Rom.* 1: 21. *Propterea, quod cum Deum norint, non tum ut Deum glorificaverunt. Act.* 26: 6. *Illi vero exſpectabant dum intumeſceret, aut concideret repente mortuus: ſed cum multum tempus ſpectaſſent, & viderent nihil incommodi illi accidere mutati dicebant eum eſſe Deum. Rom.* 9: 5. *Qui eſt ſupra omnia Deus.* Et toto primo capite Geneſeos vox *Deus* ita ſumitur. Plura non addam, quia numerus eſt infinitus. Et de illa ſignificatione vocis *Dei* ſponte, & naturali ſenſu judicamus, quoties illa vox *Deus* ita ſumitur, ut creaturæ cum ejus ſignificatu & notione nihil commune ſit; & nullum *munus*, ſed ipſam Dei naturam ſignificet.

Tota itaque diſputatio in hoc jam recumbit, an vox *Deus*, quando ſignificat ipſam naturam divinam abſolute conſideratam, (quæ natura etiam ex adverſariorum ſententia, una & ſimplex eſt, & in indiviſibili conſiſtit, quemadmodum omnes naturæ rerum) etiam Chriſto attribuatur. Statuimus omnibus locis ſequentibus vocem *Deus* Chriſto ita attribui, ut natura divina ea ſignificetur, non autem aliquod *munus*, aut aliquod *attributum* communicabile, aut aliqua actio, quæ relationem ſuam habet ad creaturam. 1 *Timoth.* 3: 16. *Deus conſpicuus factus in carne. Hebr.* 9: 9. *Propterea unxit te Deus, O Deus tuus. Joh.* 1. *Eratque ſermo ille Deus. Act.* 20. *Deus redemit Eccleſiam ſuo ſanguine. Rom.* 9: 5. *Quorum ſunt patres, ex quibus eſt Chriſtus, quod ad carnem attinet, qui eſt ſupra omnes Deus benedictus in ſæcula. Philipp.* 2: 6. *Cum eſſet in forma Dei non duxit rapinam, æqualem eſſe Deo.* 1 *Joh.* 5: 20. *Miſit verum ſuum Filium; qui eſt verus Deus & vita æterna.* Qui hæc loca, quæ agunt, etiam ex adverſariorum ſententia, de Chriſto, bene expendet, agnoſcet in iis per nomen Dei tantum denotari naturam divinam, non aliquod munus aut aliquod attributum hominibus communicabile. Cadit itaque diſtinctio illa, qua tueri volunt *Deum* non eſſe nomen *naturæ* & *eſſentiæ*: & qua diſtinctione adverſarii exiſtimant eludi poſſe omnia Scripturæ loca, quæ Chriſtum Deum vocant: exiſtimantes *Chriſtum* vocari poſſe Deum, & verum Deum eſſe; etiamſi non ſit *natura* Deus, & ens illud ſumme perfectum. Quibus locis ſi addamus illos textus Scripturæ, qui Deo attribuunt proprietates & actiones, quæ Enti ſumme perfecto & vero Deo tantum poſſunt convenire, non capio quare adverſarii ſe tam difficulter traduci ſinant in ſententiam Orthodoxorum. *Vide Pſalm.* 2: 12. & 68: 18, 19. *Eſa.* 45: 23. & 9: 6. *Joh.* 1: 1, 3, 4. & 10: 5. 17. 21. 26, & *cap.* 8: 5. 8. & *cap.* 10: 30. & *cap.* 14: 10. 17. *Heb.* 1: 2. 6. 10. 11, & *cap.*

cap. 3 : 6. *& cap.* 6 : 3. *& cap.* 9 : 14. *Coloſſ.* 1 : 15, 16. *Eph.* 3 : 9. *Lucæ* 5 : 17. *&* 6 : 19. *&* 9 : 43.

Et quamvis de quibuſdam Chriſti operibus dubitari poſſit, utrum illa non poſſint attribui humanæ naturæ Chriſti, eouſque à Deo exaltatæ, ut ei omnia ſit largitus, quorum creatura eſt capax; non poteſt tamen non v. gr. *creatio* arguere Chriſti æternitatem & potentiam infinitam. Quia juxta Scripturæ ſtylum, quicquid ante creationem extitit, æternum habetur. Et quandoquidem creatio eſt productio rei ex nihilo, & creaturæ conſervatio continuata creatio: ſi Chriſtus eſt mera creatura indiget continua creatione, & ita tantum vivit, agit & operatur in Deo. At quod ita infirmum eſt, quomodo id poteſt alteri illam operam præſtare, ut illa in illo infirmo ita conſiſtat, quemadmodum omnes creaturæ conſiſtunt, & ſubſiſtunt in Deo? An id quod continua manus meæ ſuſtentatione indiget, ne feratur ſua gravitate terram verſus, alteri eadem infirmitate affectæ commodare poteſt illam vim qua continuo creetur? Præterea: an creatio nova & hominis regeneratio minorem vim deſiderat, & requirit, quam creatio prima, quæ ſecundæ creationis typus fuit; & ad quam omnia magnifica, quæ traduntur in Scriptura, referuntur: & per quam Deus ſeſe manifeſtans, majori cum gloria, virtute, bonitate ſeſe hominibus conſpiciendum præbet, quam creatione prima: an, inquam, talis nova creatio minus virtute Divina indiget, quam creatio prima? At *Heb.* 1. ex adverſariorum ſententia, ſermo eſt de creatura nova: de cœlo novo; de nova terra, &c. quorum omnium maximam partem ſibi vindicat hominum ſanctificatio, & adverſarii agnoſcunt ea Chriſto attribui. Verum qualis vis requiratur ad creationem novam docet Paulus, *Epheſ.* 1 : 19, 20. Et certe quid eſt quod magis divinam potentiam arguit, quam immediate agere in cordibus hominum, eaque flectere, quo lubet, ſalva voluntatis libertate? Deinde, velim ab adverſariis doceri (quandoquidem etiam ex ipſorum ſententia Deus ex operibus ſuis cognoſcitur) quænam ſint illa opera, ex quorum contemplatione recte conficitur ens ſumme perfectum exiſtere? Suntne illa alia, quam, quæ Scriptura Chriſto tribuit? Et ſi hujuſmodi opera etiam creaturæ tribui poſſunt, quidni licebit concludere, ex contemplatione univerſi non poſſe confici dari Deum: ſed totum hoc univerſum ex rebus viſibilibus & inviſibilibus conſtans, continere, & complecti in ſe naturas tam potentes, quæ omnia illa opera, & effecta, quæ in mundo conſpiciuntur, efficere poſſunt. Si dicas iſthæc opera talia eſſe ut ens infinitum exiſtere doceant, & ideo recte ex iis probari Deum exiſtere, & quem Deum per revelationem ſcimus eſſe Patrem Jeſu Chriſti: qui etiam iſtam potentiam Chriſto eſt largitus, qua omnia exequitur, quæ ad creationem novam pertinent, & qui eam dependens à Deo, eique ſubmiſſus exercet. Tunc rurſus quæro an attributa Divina, aut potius ipſe Deus poſſit tranſire in naturam creaturæ? Non hoc dicent adverſarii. At ſupra probavimus opera Chriſti nos ducere ad naturam divinam, & arguere potentiam infinitam, ergo aut Chriſtus eſt Deus, aut nulla opera nos ducunt ad agnoſcendum Deum.

Præterea: quandoque Chriſtus eſt adorandus, doceant me Adverſarii qualis perfectio præter divinam ſufficiat ad præbendum objectum adorationis religioſæ? Si aliud quoddam objectum minori, quam divina perfectione præditum ſufficit ad fundandam adorationem religioſam, definiant & determinent, quales, & quot perfectiones ſpeciatim requirantur: & tunc ſemel vitent Pontificiorum errorem de adoratione Sanctorum. Denique hoc intrepide affirmamus omnes actiones omnium creaturarum, quia ſunt dependentes à Deo, in hoc omnes convenire reſpectu operis & effecti,

effecti, quod requirunt auctorem Deum, & ideo æque parum illum effectum *ſua virtute* attingere; ita ut ſi Chriſtus tantum eſt merus homo & mera creatura, non magis ejus vis aut potentia influit in effectum miraculoſum, quam vis, & potentia Apoſtolorum attigit miraculum in nomine Chriſti perpetratum: quod tamen directe contra Scripturam eſt, quæ docet Apoſtolos in nomine Chriſti miracula perpetraſſe.

Ex quibus adverſarii convicti, hoc ſaltem nobis dabunt: I. Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum divinitatem veram ita ſibi præſentem habere, ut operetur in Chriſto, & per Chriſtum talia, quæ creaturæ vires ſuperant atque excedunt. II. Summam voluntatis divinæ atque humanæ Chriſti concordiam & conjunctionem. III. Divinam naturam in ordine ad illam conjunctionem cum humana natura certas quaſdam relationes & denominationes acquirere; ex quibus, ſi illas intelligimus tales eſſe, ut *uni* Chriſto divina, atque humana tribuantur, recte inde concludimus talem in perſona Chriſti divinæ & humanæ naturæ conjunctionem eſſe; ut divina & humana natura tantum unam conſtituant perſonam. Præterea, id recte ex præcedentibus conficitur, eidem naturæ Divinæ conſideratæ cum illa ſingulari relatione, & conjunctione cum natura humana Chriſti, multa tribui poſſe, quę eidem naturæ divinæ non conveniunt, conſideratæ extra illam relationem conjunctionis cum natura humana Chriſti. Quemadmodum menti alia tribui debent, quatenus ſubſtantialiter unita eſt cum corpore hominis, ita ut unam perſonam cum corpore conſtituat: alia autem, quatenus illa mens (pone illam etiam extra corpus agere in rebus, cum quibus ſubſtantialiter unita non eſt: & cum quibus conſequenter non facit unum per ſe) extra corpus: nec cum relatione ad corpus conſiderata, multa operatur; quæ eidem menti conſideratæ, ut particularem relationem ad corpus, cum quo unum per ſe conſtituit, convenire non poſſunt. Una v. gr. ex præcipuis affectionibus, qua mens corpori ſubſtantialiter unita afficitur, eſt quod actualem ſui corporis præſentiam involvat, & in hoc ſuo corpore certo modo operetur, & ab eo aliquid vice verſa patiatur, quæ eadem illa mens, quatenus extra illud corpus, cui ſubſtantialiter & eſſentialiter unita eſt, aliquid in aliis corporibus operari ponitur, non ſuſcipit reſpectu illorum corporum, in quibus operari præſupponitur; & quandoquidem ad ea mens talem relationem non habet, ideo etiam diverſa eidem menti attribuuntur, quorum in ſequentibus exempla proferam.

Hiſce ita poſitis: neſcio quid adverſarios morari poſſit, quare non concedant in hanc ſententiam, qua optime conciliantur omnia loca Scripturæ, quæ de Chriſto loquuntur: & ita quidem ut nec ratio repugnet. An pugnat divinam naturam cum humana ita conjungi, ut unam perſonam conſtituant? Naturam divinam ita conjunctam cum humana aliquas inde acquirere relationes, & (ut ita dicam) affectiones, quæ naturæ divinæ, conſideratæ ut humanæ naturæ junctæ, fiant propriæ, quæ tamen eidem non conveniunt, extra illam relationem & conjunctionem conſideratæ? An menti alicui v. gr. ante mundum creatæ, & poſtea corpori ſubſtantialiter junctæ, ita tamen ut etiam extra illud corpus, cui ſubſtantialiter unita eſt, ſit & operetur, & ea ratione nullam relationem habeat ad corpus; an inquam menti & homini diverſis illis relationibus affectis, non poſſunt multa tribui, quorum omnium veritatem vindicat illa ſubſtantialis conjunctio mentis cum corpore; & ejuſdem mentis exiſtentia & operatio ante corporis formationem & extra corpus? An homo ex tali mente & corpore conſtans non poſſit dici fuiſſe *ante mundum viſibilem*: fuiſſe *antequam Abraham eſſet*, *deſcendiſſe de Cœlo*, *deſerere plagam*,

gam, partem & oram mundi reſpectu corporis ſui præſentiæ; & in eadem tamen manere reſpectu ſuæ præſentiæ & operationis, quibus aliis corporibus, quibus ſubſtantialiter conjuncta non eſt, tamen præſens & adeſt: dici majorem locum occupare, pluribusque corporibus præſentem eſſe, quatenus corporis ejus moles ætate creſcit, & tamen non majorem locum occupare, quatenus ejus mens jam ante iisdem locis præſens fuit. Poſt & ſimul ante mundum viſibilem eundem illum hominem creatum fuiſſe. Ante mundum: quatenus mens, quæ corpori jungitur; & quæ per eam conjunctionem hujus aut illius hominis mens fit, ante mundum viſibilem extitit. Poſt mundum: quatenus hominis ejuſdem pars eſſentialis, poſt viſibilem mundum conditum ſit producta.

Nam quod adverſarii dicunt: nihil de ſuppoſito negari poſſe, quod illi tamen ſecundum partem convenit, verum eſſe nego: neque poterunt adverſarii negare, quin hujuſmodi enunciata inter homines in uſu ſint, & pro veris & convenientibus uſurpentur: quia illorum veritas dependet à diverſa conſideratione & cogitatione hominum de re; & qua per abſtractionem diverſimode de illa re cogitant. An in mente noſtra mendacium arguit, ſi aliquis homo, cujus mens ante conditum viſibilem mundum extitiſſet, diceret, attendens ad illam mentis creationem, ſe extitiſſe ante mundum viſibilem, quamvis totum compoſitum hominis ante mundum creatum non fuerit. Certe hoc adverſariis abſurdum videri non debet, qui negantes ejuſdem corporis reſurrectionem, docent tamen *nos omnes* comparituros coram Chriſti tribunali. Et itaque vice verſa, an argueret mendacium ſi hujuſmodi homo diceret ſe non extitiſſe ante mundum viſibilem, intendens animum ad corporis, & partis ſui eſſentialis productionem poſt conditum mundum factam; quia mens antequam corpori ſuo juncta eſſet, nullam relationem habebat ad ſuum corpus: & ita hominis illius corpus non ante fuit, quam cum corpore unita eſt. An falſum eſt, & à veritate alienum, dicere eundem hominem locum aliquem deſeruiſſe, neque amplius in illo loco eſſe, qui corpore & mente (*quatenus illa unita eſt corpori*, & per illud corpus operatur) è loco decedens, nullam amplius ad illam præſentiam localem in loco, in quo antea erat, relationem habet; & tamen eundem hominem in loco eſſe, atque manere, quatenus ejus mens conſiderata ſine illa relatione ad corpus, extra illud corpus eſt, atque operatur? Sic Apoſtolus Paulus teſtatur ſe teneri deſiderio eundi ad Deum, 2 Cor. 6: 9. Erat tamen ſub certa conſideratione Deo ſemper præſens, & apud Deum; & tamen ſub alia conſideratione *à Deo aberat*. Ita Deus dicitur in quorundam cordibus habitare, & in quorundam cordibus non habitare: quamvis omnibus rebus ſit præſens, & tamen verum eſt Deum in quorundam cordibus non habitare, quatenus præſentia diverſimode ſumitur.

Sed ut ad inſtitutum revertar. An de tali homine, mente ita conſtituta prædito, non poſſit vere dici illum hoc vel illud non agere, quatenus ejus mens extra corpus aliquid agit: & cujus reſpectu nec mens ad corpus, nec corpus ad mentem illam relationem habent, ut quod uni tribuatur, aut de eo negetur, id etiam de toto affirmandum aut negandum ſit. Et quod ſi ita cum mente hominis comparatum eſſet, ut extra corpus hominis, cui ſubſtantialiter eſt conjuncta, aliam relationem & toto genere diverſam acquireret ad alias res hujus univerſi: an non poſſet de illa mente vere dici illam à corpore, cui conjuncta eſt, affici, & omnes denominationes illi convenire, quæ ex conjunctione ſubſtantiali in eam cadunt? Et rurſus de eadem mente illa negare: quatenus per relationem ad alia corpora, à ſe ipſa quaſi diſtincta eſt; quemadmodum de eodem corpore, etiam quatenus iiſdem qualitatibus eidem inhærentibus affectum eſt, (ſed quæ inſtar qua-

qualitatis ad ſenſus noſtros diverſam relationem habent) quædam affirmamus aut negamus. Ita de corpore v. gr. *aſpero*, & conſiderato cum relatione ad ſenſum *tactus*, multa vere prædicare poſſumus, quorum nihil verum eſt, ſi idem illud *aſperum* referam ad ſenſum viſus; nam tunc illud idem aſperum vocabitur v. gr. *rubrum*. At quanto verius de Chriſto narrat Scriptura ipſum *ignoraſſe diem judicii*: præſertim tunc, cum ipſi nondum eſſet data omnis poteſtas in Cœlo & in terra? Quandoquidem natura humana deſtituta adhuc illa cognitione; nec etiam propter unionem hypoſtaticam ne quidem illam relationem ad Divinam naturam habens, ut eidem naturæ divinæ non maneant quædam propria, quæ ea relatione, quæ naſcitur ex unione hypoſtatica non comprehenduntur, ut propterea communicatio prædicationum in perſona facta ſit. Rem exemplo explanabo; quia natura humana ſubſtantialiter conjuncta eſt cum natura Divina, non poteſt de Chriſto vere prædicari, quod non ſit Deus. Neque ad vindicandam illam prædicationem à falſitate valet exceptio: quod id de Chriſto vere prædicetur quatenus eſt homo. Et ratio eſt, quia natura divina Chriſti per unionem hypoſtaticam talem acquiſivit relationem ad naturam humanam, ut communicatio prædicationis, & attributorum in perſona facta ſit. Et ideo negare *Chriſtum eſſe Deum*, eſt negare unionem hypoſtaticam. At negare Chriſtum diem judicii ſciviſſe, eſt tantum illa negatione declarare omnia attributa Divina propter unionem hypoſtaticam naturæ divinæ cum humana, non ideo habere ad eandem naturam humanam relationes eaſdem: ſed propter eandem unionem, qua Chriſtus homo & Deus eſt factus Mediator, & inferior Patre, quædam de Chriſto negari, quæ ipſi propter Divinam naturam abſolute conſideratam, & extra relationem ad munus mediatorium, eripi non poſſunt: non magis quam ab ipſo ſub eadem ratione conſiderato, tolli poteſt, quod non *ſit Patri æqualis*: & quod *ipſius non ſit dare quibuſdam illam dignitatem, ut ſedeant ad ſuam dextram in regno ſuo*. Et tamen reſpectu relationis, quam natura divina habet in unione hypoſtatica, recte de Chriſto aſſeritur, *ipſum eſſe Patre minorem, non eſſe Patri æqualem*: *ſuum non eſſe diſponere de gradibus dignitatis in regno ſuo*, &c. Quemadmodum itaque propter relationum diverſitatem, quam divina natura habet ad humanam; & propter diverſas conſiderationes, quas mens ſuper iſtis relationibus reflectens, habet de divinitate, vere pro diverſo conſiderandi modo de Chriſto negatur, *quod cognoſcit diem judicii*. Quemadmodum de *homine*, cujus mens etiam extra ejus corpus operatur, & quæ ſub ea conſideratione non habet relationem ad corpus, quocum unum per ſe conſtituit, vere aſſeritur, quod nihil eorum agit, quæ mens extra corpus, quocum ſubſtantialiter unita eſt, agit: ita vere de Chriſto dicitur, eum ignorare diem judicii: quatenus ut Mediator, & Eccleſiæ Doctor, Divina natura illam relationem ad perſonam Chriſti non habebat, ut ſub illa forma omnia ipſi conveniant, quæ naturæ Divinæ abſolute conſideratæ propria ſunt. Et ea aſſertio tanto majorem fidem in animis adverſariorum inveniet, ſi conſiderent Chriſtum dicendo *ſe ignorare diem judicii*, attendiſſe ad cogitationem & animum diſcipulorum, qui eum tunc alloquebantur ut hominem, quemadmodum toto ferme tempore, quo cum Chriſto egerunt in terra, ejus conſuetudine ita uſi ſunt, quaſi fuiſſet homo merus.

Sed è diverticulo in viam: ſtatuo itaque nos hactenus ita loquutos eſſe de perſona Chriſti, & de vera ejus natura divina & humana in Chriſto conjunctis, ut *primo*, horum nihil cum ratione pugnet. *Secundo*: ut omnia Scripturæ loca, quæ de Chriſto loquuntur; & quæ adverſariis videntur pugnantia docere, facile ſolvantur;

tur: & quæ tamen illi ipſi ſolvere, & enodare non poſſunt, niſi illa torqueant; & quaſi in equuleo ponant. *Tertio* conſtare formalem rationem *adorationis*, & vitari ſcopulum illum, ad quem Sociniani una cum Pontificiis naufragium fecerunt: docentes aliquid adorari poſſe *religioſa* adoratione, quod non ſit *natura* Deus; aut (quod Socinianis tamen proprium eſt) poſſe collocari ſpem & fiduciam in homine, & creatura, contra tot expreſſa Scripturæ loca, *Pſalm.* 146: 3. & 56: 12. & 60: 3.

Et ut paucis documentum præbeam commodæ interpretationis locorum Scripturæ, in quibus adverſarii ſe jactant; & in quorum interpretatione ipſi tamen magna cum anxietate, aut admodum jejune verſantur, lubet fontes ſolutionum & reſponſionum digito indicare. An non Chriſto meritò attribuuntur attributa, opera, denominationes, &c. quæ Deo propria ſunt: quandoquidem *natura divina* per unionem hypoſtaticam facta eſt Chriſto *propria*; qualia ſunt, quod vocetur *Deus*, *Filius Dei*: quod ſit *à principio*: *quod omnia per ipſum facta ſint*: *quod ſæcula creaverit*: *quod nec principium*, *nec finem dierum habeat*: *quod vitam habeat in ſe ipſo*: *quod omnes eum debeant honorare*, *quemadmodum honorant Patrem*: *credere in ipſum*, *quemadmodum credunt in Deum*. Et rurſus: quandoquidem natura divina non eſt facta Chriſto *propria*, niſi quatenus eſt Mediator; & quapropter inferior eſt Deo Patre: hoc eſt, divinitate affecta illa revelatione, qua eſt Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti; & rurſus quia in Chriſto natura Divina eſt affecta illa relatione, qua per unionem hypoſtaticam conjuncta cum humana natura, conſtituat unam perſonam Mediatoris, ideo illi recte attribuuntur denominationes toti perſonæ convenientes: & ideo iſtius mediatorii muneris reſpectu, Chriſtus eſt Patre *minor*: *à Patre miſſus*: *nihil dicitur agere*, *niſi quod Patrem operantem videt*, &c. Nam quandoquidem perſona Mediatoris eſt minor Patre, qui ipſum miſit; & natura divina affecta relatione diverſa, ita diverſe (ut ita loquar) afficiatur, ut reſpectu illius diverſæ relationis & affectionis diverſa illi tribui poſſint: quidni Deus poſſidens naturam divinam, cum relatione ad naturam humanam, quæ genita eſt, conſideratus poſſit dici genitus: quia perſona, cujus partem eſſentialem Divinitas conſtituit, & cui etiam perſonæ natura divina cum illa relatione unionis cum natura humana conſiderata, eſt facta *propria*, genita eſt: & recte dicitur genita; quia pars ejus eſſentialis eſt genita. Præterquam quod eo nomine (etiamſi non reſpiciamus ad generationem æternam Filii, quam tamen credo, & profiteor) Chriſtus recte vocetur Filius Dei *proprius unigenitus*, &c. quatenus Pater eſt auctor miraculoſæ iſtius unionis hypoſtaticæ, qua Deus naſci, & in carne manifeſtari potuit; & qua etiam eſt auctor formationis, & ſanctificationis naturæ humanæ; ſive potius perſonæ Chriſti, quæ ſine ope viri nata eſt ex beata virgine Maria: quatenus auctor etiam eſt reſurrectionis, & glorificationis. Propter quæ omnia in Scriptura Chriſtus à Deo genitus, & Dei Filius vocatur, *Luc.* 1: 35. *Pſalm.* 2. *Heb.* 5: 5. *Actor.* 13: 32. *Rom.* 1: 4. Quamvis agnoſcamus fundamentum primum omnium iſtarum denominationum *Filii* eſſe generationem illam æternam, qua Pater Filium ex ſubſtantia ſua ab æterno genuit: & quamvis credamus Deum relatione *Filii* ab æterno affectum, & deſtinatum ad munus mediatorium; ideoque & ſub ea ratione Deo Patre minorem voluiſſe naſci ex Virgine, & ita Chriſtum agnoſcamus eſſe Filium Dei Patris *proprium*, & quem Deus porro per reſurrectionem ex mortuis, & per glorificationem voluerit declarare hæredem omnium; & ita prædicari Filium ſuum. Quæ quidem eſt orthodoxa fides. Quæri tamen poſſet utrum ultimum illud ſit articulus fundamentalis; quia priora po-

ponunt in Chriſto veram naturam divinam Chriſti perſonæ per unionem hypoſtaticam, factam propriam, & affectam ab æterno ſingulari ratione, qua eſſentia divina, quæ Patri & Filio communis eſt, reſtringitur ad Filium, & cum humana natura conſtituit perſonam Chriſti. Nam quandoquidem illa diſtinctio, qua Pater à Filio diſtinguitur, non ſemper eadem formali ratione exprimitur in Scripturis, ſed Filius aliquando *Λόγος*, aliquando *ſapientia* vocetur, & iis vocibus (quæ tamen generationem non ſignificant) à Deo Patre diſtinguatur, Doctis penſitandum relinquo an ad ſalutem illa fides non poſſit ſufficere, qua creditur ab æterno in Deo tres diſtinctas fuiſſe perſonas, ſed filiationem ſecundæ perſonæ divinitatis tantum adveniſſe in tempore. Quanquam fatear de ea re non magnopere laborandum, quia nulli, quod ſciam, hodie reperiuntur, qui illam ſententiam tuentur: ſed eam per formam quæſtionis propoſui, quo Socinianis omnia obſtacula, quæ poſſem, tollerem, ut propenſiores ad fidem noſtram amplectendam redderentur. Cæterum videbor quibuſdam tranſiiſſe terminum, quem mihi concinnando hoc tractatu propoſueram: quia non tantum de hujus articuli neceſſitate diſputo, ejuſque pondus expendo, ſed illius etiam veritatem confirmare laboro, quam in reliquis fidei capitibus præſupponere conſuevi. Sed exiſtimavi mihi in hoc articulo, & in quibuſdam aliis neceſſitatem impoſitam etiam ejus veritatem in aperto ponendi, & ita illuſtrandi, ut oſtenderem ipſum articulum tam difficilem intellectu non eſſe, ut vulgarium captum ſua natura ſuperet. Et quamvis præcedens ſermo longus, & tanquam inter multos ſcopulos eluctatus multos nodos, & difficultates complecti videtur, tamen cuivis ſuper ſuis notionibus, quibus imbutus eſt, reflectenti manifeſtum erit illam ſine longo diſcurſu, & ſerie argumentorum quemvis aſſequi poſſe.

Eſt itaque articulus fundamentalis, credere de Deo & de Chriſto, quod Deus miſerit Filium ſuum proprium & unigenitum; & quod Chriſtus ſit ille Filius unicus: atque ideo una cum Patre *Deus*: quia notio, idea & conceptus *Filii proprii* importat, quod Filius eſt particeps ejuſdem naturæ, cujus eſt Pater. At cum Scriptura paſſim inculcat Chriſtum fuiſſe hominem; & materia, atque argumentum totius ferme Euangelii ſit *Chriſti paſſio*, ejuſque ſacrificium; & in illa paſſione præcipue ſeſe manifeſtet Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti *amor*; & *fœditas* atque *demeritum* peccati; nec tamen paſſioni locus ſit, ſi Chriſtus veram naturam humanam non habuerit, erit etiam articulus fundamentalis, *Chriſtum verum fuiſſe hominem, verum corpus aſſumpſiſſe, & vere in corpore ſuo paſſum & dolores ſubiiſſe*. Deinde: quia nulla obedientia, nulla teſtificatio amoris, nulla doloris perpeſſio, quæ laudem aut præmium meretur, &c. ſine voluntate, & intellectu eſſe poteſt; & Chriſtus ſecundum divinam ſuam naturam pati non potuit, inde liquet cultum Euangelicum rationalem eſſe non poſſe, niſi credatur Chriſtum *mentem* humanam habuiſſe; & ita ſcientem, & volentem dolores crucis ſubiiſſe. Deinde: quia per ſe notum eſt divinam Chriſti naturam, nihil contuliſſe ad opus redemptionis, ſi Chriſtus non fuerit una perſona ex natura divina & humana conſtans: eſt articulus creditu neceſſarius, Chriſtum eſſe Θεάνθρωπον, hominem Deum. Quod ſi enim unio hypoſtatica duarum iſtarum naturarum non ſit facta in Chriſto, ita ut Chriſtus tantum ſit *una* perſona: nulla talis communicatio operum & ἀποτελεσμάτων potuit fuiſſe facta inter duas illas naturas, divinam & humanam: ut iſthæc opera naturam, & dignitatem ſuam mutuari potuerint ab utraque natura; nec uni Chriſto poterit attribui, quod ab alterutra natura tantum profectum conſtat, quod tamen adeo frequens eſt in Scriptura. Et ideo corruit totus cultus Euangelicus, ſi hoc

non teneamus, & tueamur: docere enim Deum miſiſſe Filium ſuum *proprium*, & *naturalem*, & in Chriſto eſſe naturam divinam; negare tamen unionem hypoſtaticam, tantundem eſt, ac negare, Deum non miſiſſe Filium ad redemptionem generis humani, quia tunc Filius nihil commune habuiſſet cum operibus naturæ humanæ Chriſti: atque ita in victima oblata pro peccato nullas alias partes habuiſſet Filius quam Pater; & ita non ſolum turbatur, ſed labitur tota œconomia Euangelica, quod, quia ex præcedentibus manifeſtum eſt, fuſius non perſequar.

Quot, & quales proprietates, & qualia opera humana Chriſti natura tam gratia unionis hypoſtaticæ, quam exaltationis & remunerationis; atque etiam ſeſſionis ad dextram Dei cauſa poſſideat & præſtare poſſit, aut non præſtare, id diſtincte cognoſcere non eſt ad ſalutem neceſſarium: & errores circa illum articulum exitiales per ſe non ſunt, quando errantes eas conſequentias præſcindunt, quibus cultus naturalis aut Euangelicus ſubvertitur. Cohærentia enim non interciditur, neque hiulca doctrina oritur; & ita cultus rationalis non perit, ſi putem Chriſtum exaltatum, eſſe *ubique*, etiam ſecundum humanam ſuam naturam: aut ſi putem eum ſecundum eam naturam miracula patrare: & opera divina exerere, modo ne prolabar ad illum errorem, quo *ideam Dei* confundam cum *idea creaturæ*; neque cogitato hoc tuear, & cultum meum juxta eam ſententiam inſtituam.

De pondere erroris de *præſentia* corporis Chriſti, in pluribus locis facilis eſt exiſtimatio, quia ultro conſtat, cultum rationalem ea ſententiâ non ſubverti, quando vera fides de vero *corpore Chriſti conſervatur*. De *miraculis* naturæ humanæ Chriſti facile expeditur ratio: nam quamvis iſtam poteſtatem aliquis naturæ humanæ Chriſti tribuat, ſi modo in cultu ſuo ſibi non fingat duplicem Deum *corporeum*, & non *corporeum*: unum *per ſe* Deum, alium Deum *factum*, &c. non magnopere ideo cultus laborat. Quemadmodum ad mores non multum intereſt, ſive ſtatuas hominem ali, nutriri, corpus in utero formari, denique vita animali vivere, mente nihil ad hoc conferente, ſive illi contra, in illis actionibus partes tribuas, ſi modo non æſtimes mentem aliquando ab homine abeſſe, & peregrinari, & hominem poſſe extingui non perpetrato vero homicidio; quia ſc. non proprie homo, ſed animal brutum: occiditur aut hominem poſſe vitam animalem degere mente à corpore jam ſeparata; quibus abſurdis conſequentiis video ſententiam de vita animali hominis gravari.

Eſt porro articulus fundamentalis: *Chriſtum paſſione & morte ſua redemiſſe, & expiaſſe genus humanum: placando atque ſedando illa ſua morte tanquam ſacrificio, iram Dei.* Horum verborum utcunque ſimplicium & perſpicuorum duplex tamen intellectus eſt, trahique poſſunt in duas diverſas ſententias: una eſt, qua concipitur Chriſtum morte ſua tanquam vero ſacrificio hylaſtico & expiatorio iram Dei ita placaſſe ut eam *averterit*, ne ſeſe exereret, & effunderet in nos; quatenus Chriſtus difficili, laborioſa atque ærumnoſa ſua obedientia, quam Deus in paranda noſtra ſalute extare voluit, tam gratum ſeſe præbuit Deo Patri, ut ipſe propter illam obedientiam, & propter Chriſtum ſibi admodum charum, & quia lubens illam ſubiit obedientiam, iram & pœnam peccatis debitam non exercuerit aut deprompſerit, ſed illam compeſcuerit, continuerit, & repreſſerit. Alius ſenſus eſt: quod Deus in Chriſto, & præſertim tunc cum acerbam crucis mortem ſubiret, *exercuerit iram ſuam*; tanquam in ſacrificio expiatorio perfectam ſolutionem peccatis noſtris debitam accipiens, & ita juſtitiæ ſuæ punitivæ ſatisfieri ſinens per paſſiones Chriſti, & quod ita per veram ſatisfactionem Deus homini propitius ſit factus, eique reconciliatus. Lector facile intel-

ligit iſtarum duarum ſententiarum eſſe magnum diſcrimen: prior Socinianorum eſt: poſterior orthodoxorum. Quæritur an prior ſententia per ſe ſit exitialis; & an poſterior creditu & ſcitu neceſſaria? In priori ſententia nulla peccatorum *pœna* extat, nulla juſtitiæ divinæ pro peccatis noſtris *ſatiſfactio*, nulla *iræ placatio*, nullum verum *ſacrificium expiatorium*: ſed docet Deum tantum uſum Chriſti acerba, & multis ærumnis exercita obedientiâ ad aperiendam, monſtrandam, & confirmandam morte & exemplo Chriſti hominibus viam & rationem ſalutis: quæ ex illorum ſententia eſt, *quod homines fide debent amplecti, Deum ita benignum & benevolum ſe præbere generi humano, ut qui vero pietatis ſtudio graſſari velit ad æternitatem, & nuncium mittere omnibus peccati illecebris, illi condonare velit omnia peccata, & ipſum per Chriſtum, quem conſtituit univerſi Dominum, & Judicem remunerare æterna ſelicitate in cœlis.* Huc redit tota doctrina Socinianorum de merito Chriſti, quam Lector facile intelligit vacuam eſſe omnibus principibus capitibus fidei Chriſtianæ: & *regium* atque *propheticum* munus tantum ſupereſſe; deleto toto ſacerdotali munere, & officio, quo expiatio peccatorum facta ſit. Qua doctrina tota ratio noſtræ ſalutis invertitur, & qua principes partes hominis Chriſtiani cultus ceſſare debent; manentibus tantum cultus naturalis partibus, ſed iis per doctrinam, Chriſti morte, exemplo, & reſurrectione ejus confirmatam, magis in aperto poſitis: & quæ cultus partes continentur duobus illis verſiculis, Rom. 2: 9, 10. *Afflictio & anguſtia in omnem animam hominis perpetrantis malum, tum Judæi imprimis tum Græci: gloria vero & honos, & pax erit cuivis recte facienti bonum, tum Judæo imprimis tum Græco.* Et hoc erit illud Euangelium, quod vocatur potentia Dei ad ſalutem omni credenti. Hæc illa fides in Chriſtum tantopere decantata. Qua interea nihil aliud creditur, quam bene operantibus fore bene, & male operantibus male: (quæ res hujuſmodi non eſt, ut in ea magnam virtutem experiri liceat) non vero qua odio Dei erga peccatores in Chriſti morte teſtato, peccator totus cohorreſcens, & à ſe ipſo deſperatus, credit ſub ſpe contra ſpem, ſe peccatorem & Dei inimicum propter opera mala, ſolummodo propter meritum Chriſti ab ira Dei liberatum iri; & gratiæ & gloriæ cœleſtis per Chriſtum nobis partæ participem fore. Et tamen hæc eſt illa fides, quæ totam diſciplinam Chriſtianam illuſtrat; & ſine illa jacet, & nihil ſingulare habet doctrina illa ſalutaris, & vivifica, qua tamquam medio, & argumento cooperante Dei Spiritu regeneramur: hinc illa arcta unio cum Chriſto, & communicatio cum ejus Spiritu: hinc aſperſio ſanguinis Chriſti, qua expiamur, & ſancti reddimur.

Poſtremo velim quidem doceri à Socinianis, ſi ductus recta ratione, ſpem poſſim concipere Deum mihi fore propitium, & remuneraturum meum ſtudium pietatis poſt hanc vitam, etiamſi me fugeret illud omne, quod à Chriſto præſtitum eſt ad illam ſpem generandam in me? An inquam non poſſem in conſequenda ſalute carere tota doctrina, & fide Euangelica? Non video quare hoc abnuerent; cum omnes fructus miſſionis Chriſti, ex illorum ſententia, contineantur in proponenda & confirmanda doctrina de æterna beatitudine poſt hanc vitam, omnibus parata, qui perſuaſi de veritate iſtius doctrinæ ex animo virtuti operam dant: ſi autem homo, duce recta ratione, ſpem & fiduciam animo concipere poteſt, probos talem beatitudinem poſt buſtum manere, poteſt carere toto Euangelio, & totum Chriſtum ignorare ſine diſpendio ſalutis. At quam hoc homini pronum & proclive eſt credere, Deum eſſe ſanctum & juſtum: probos amore & benevolentia complecti: iſtum amorem inanem & fruſtra non eſſe probis & improbis, ut plurimum in hac

 vita.

vita parem ſortem contingere; imo improbos ſæpius feliciter ætatem agere, probis multa ex ipſa virtute acerba naſci. Et ita homo via & ordine procedens recte conficit hominis probi felicitatem hujus vitæ finibus non terminari; & ita ratione naturali in ſpem felicitatis æternæ obtinendæ facile duci poteſt. Neque eſt quod eos morari poſſit doctrina quorundam Philoſophorum docentium virtutis præmium ipſam virtutem eſſe; eam ſua caritate eſſe colendam: virtutis rationem perire, ſi propter ſe non expetitur, & aliquid ea prius ducitur. Dicimus illam Philoſophorum doctrinam non invertere, aut turbare rectæ rationis ordinem, ſupra traditum: cum contra, illum magis confirmet, & roboret, eſt enim virtus ſua ſponte expetenda; & in ipſo virtutis uſu hominis felicitas conſtitiſſet, ſi peccatum hominis non evertiſſet omnia, & interrupiſſet illam ſeriem, & ordinem, quo homo in prima creatione beatitudinem nactus, illa propria & perpetua virtutis ſtudio fruiturus fuiſſet: nec propter illam beatitudinem virtutem coluiſſet, ſed per primam creationem conſtitutus in beatitudine, fruens illa beatitudine virtutem fuiſſet ſectatus, non ſectans virtutem propter beatitudinem, ſed ſectans virtutem, illam beatitudinem propriam & perpetuam ſibi peperiſſet.

At poſtquam per peccatum caterva malorum inceſſit humanum genus, fuitque turbata illa felicitas, virtuti quidem conſtitit ſua dignitas, eſtque illa propter ſe expetenda, ita ut in ipſa ſit, nec foris petatur ejus extremum; nam virtus alioquin non eſſet virtus: ſed felix hominis ſtatus virtutem operantis in terris ceſſavit, & illum ſtatum nullus homo virtutis ſtudio tanquam *effectum* virtutis hic in terris aſſequi poteſt. Nec poteſt hic vita beata abſolvi, & ad exitum perduci: ſed Deus poſt exactam hanc vitam probis illam beatitudinem tanquam præmium conferet: & hunc ſtatum homines expetere poſſunt, ad eumque contendere colendo virtutem, cupientes cum virtutis ſtudio conjunctim habere beatitudinis ſtatum: non tamen propter illam beatitudinem virtuti operam dantes, quaſi nihil pulchritudinis, nihil expetendum eſſet in virtute, ſi ad alium finem referatur: ſed per virtutem ad beatitudinem aſpirantes, agnoſcunt in ipſo virtutis ſtudio illam *beatitudinem* non contineri. Quod Stoici falſo, & directe contra Scripturam, & contra ipſam experientiam docebant: clamantes etiam, in Phalaridis tauro hominem probum eſſe beatum. Totaque Stoicorum doctrina nata eſt ex ignorantia peccati originalis, & cauſæ turbati ordinis naturæ; & malorum, quibus propter peccatum hominum vita infeſta eſt: ſed Stoici argumentantes ex natura virtutis, & ignorantes ſimul per peccatum ordinem naturæ eſſe inverſum, hominique infeſtum redditum, & tamen recte æſtimantes de natura virtutis; eamque ſua charitate expetendam eſſe docentes, & propter beatitudinem illam ſectandam eſſe negantes, maluerunt ſtatuere hominem probum, quamvis miſerrimum & omnibus malis exercitum, tamen felicem eſſe. Ex eadem ignorantia natus eſt error eorum, qui arbitrati ſunt in rebus venereis nihil turpe, indecorum, aut pudendum eſſe, quia argumentantes ex primis naturæ legibus, quæ nobis naturam integram exhibent, omnemque pudorem excludunt, & ignorantes per peccatum pudori locum factum, ratiocinando inſiſtunt, quaſi natura adhuc eſſet integra: cum eorum officium eſſet argumentari à natura corrupta; & ab hominis ſtatu qualem nactus eſt per peccatum: quo homo deſciſcens à primæva ſua dignitate, multa ſine turpitudine & impudentia committere non poteſt, à qua in ſtatu integro ipſum immunem præſtabat ipſius dignitas.

Ad eundem lapidem impingunt illi, qui diſciplinam moralem excitant ex fundamento, & principio *conſervationis ſui*, quaſi

quaſi virtus omne ſuum pretium, & pondus mutuaretur à neceſſitate: nulloque alio nomine commendanda eſſet, quam utilitate, & commodo, quod præſtat hominibus ad ætatem quiete in ſocietate agendam: & ita ex eorum ſententia ſequitur virtutem non eſſe rectam rationem à Deo tractam, & ab æterna lege manantem; & cui etiam ſuum pretium conſtitiſſet, etiamſi nullis malis hominis vita laboraſſet: ſed putant hominis mentem tantum virtutis notione informari uſu malorum, quæ in hac vita experitur: & ad quæ amolienda cogitat de auxiliis, quibus auxiliis præcepta virtutis continentur; & quæ præcepta nata & inventa per uſum, & hominis prudentiam & ſolertiam, prima, præcipua & univerſalia virtutis juſſa ſunt. Hic inquam error natus ex ignorantia lapſus hominis, & ſimul ex ignorantia cauſæ, quare hominum ætas tantis malis obnoxia ſit: & ideo ſententiæ iſtius patroni exiſtimantes *naturæ inſtitutum* eſſe, quod *peccati pœna* & *mulcta* eſt, & naturæ primæ leges ignorantes, virtutis originem petiere ab hominis ſtatu corrupto.

Virtus eſt *ratio practica*, quæ per ſe eſt completa: neque ab aliquo fine, aut extremo, quod extra ipſam eſt, formam ſuam mutuatur, ſplendeſcens inſita ſua pulchritudine, quam virtutem homo integer ultro, & ſua ſponte tanquam aliquid à rationali ſua natura manans ſectatus fuiſſet, nihil minus cogitans, quam virtutem comparatam eſſe ad averruncanda mala; cum mali cognitio ipſum fugeret: ſed poſtquam per peccatum homines multis miſeriis ſunt expoſiti propter vitioſam hominis naturam, uſu intelligunt virtutum præcepta eam utilitatem hominibus præſtare, ut iis etiam contineatur ratio ſeſe expediendi à malis: in quo virtutis ratio formalis non continetur, ſed illud aliquid extra virtutem eſt, quamvis in hac vita eam indiviſim comitans. Si enim illa utilitas eſſet formalis virtutis ratio, in ſtatu integro, ut & in cœlis virtutis forma ceſſaret; neque ulla dari poſſet ratio aut cauſa, à qua virtus in cœlis exercita, commendari poſſet. Quod ſi hujus ſententiæ patroni hoc tantum agunt, ut oſtendant fructus & commoditates, quæ in hac vita in hominem ex virtute redundant; & doceant quomodo illa colenda etiam ſit, quamvis ſua pulchritudine nos non alliceret, & quamvis illi nullum eſſet poſitum præmium poſt hanc vitam: ita ut virtutis exercendæ neceſſitas hominum mentem præceptis virtutis informaſſet, ſi inquam illi Philoſophi ea doctrina hoc voluiſſent, non tantum non video quid in illa ſententia culpandum ſit, ſed etiam magnum illius fructum & utilitatem oſtendere liceret. Quemadmodum multa cibi commoda, multaſque de diæta regulas colligere, & in uſum deducere licet, poſtquam per peccatum hominis vita morte terminanda multis incommodis eſt expoſita; quæ commoda & quæ regulæ ortæ ex damni metu, nemini in mentem venire poterant in ſtatu integritatis: nam tunc cibi & potus uſus non regebatur metu mortis, aut morborum, qui nos ad mortem deducunt. Et lector facile intelligit illum non recte progreſſurum, qui ex commoditatibus, quas ex præceptis diætæ colligimus contra incommoda morborum & mortis, vellet colligere, *edendi* in ſtatu integro nullam cauſam fuiſſe, & de ea tantum cogitatum propter indigentiam. Non longius in hujus controverſiæ ſtadium deſcendam ordinis & inſtituti cauſa tenendi: ad quod jam revertor.

Puto itaque ſupra tradita ſufficere ad probandam articuli de ſatisfactione Chriſti neceſſitatem: reliquas controverſias, quæ de illa materia agitari ſolent, extra numerum articulorum fundamentalium rejiciendas puto: quales ſunt v. gr. quæſtiones de juſtitia activa & paſſiva: an damnatorum dolores, & pœnam Chriſtus in cruce ſuſtinuerit? An ſatisfactio fuerit neceſſaria; ita ut nulla alia ratio expediendæ hominis ſalutis fuerit? Et an in ſpecie

ſpecie tales, & tanti dolores & cruces Chriſto erant ſubeundæ, ut juſtitiæ Dei ſatisfieret? An pro toto genere humano & omnibus hominibus Chriſtus ſatisfecerit? Et quales plures hujuſmodi quæſtiones Theologorum exercent ingenia: hujuſmodi enim quæſtiones in ſe conſideratæ, & animo tantum ſuſceptæ, & non comitatæ conſequentiis, cultum rationalem ſubvertentibus, peſtiferæ non ſunt, in quamcunque etiam Chriſtianus incumbat partem: quamvis non omnes circa eas quæſtiones errores ſint paris noxæ, & non omnes æque à confinio fundamentalium errorum abſint.

Perſequamur reliqua: ſtatuimus per mortem Chriſti homines non ſolum redemptos à pœnis, quas erant commeriti; ſed eâ etiam illos ita conciliatos Deo, ut Deus in Chriſto & propter Chriſtum erga homines tantum depromat benignitatis & Spiritus ſui gratiæ; qua, omnibus eam non reſpuentibus, & fide in Chriſtum per charitatem operante ad æternitatem graſſantibus, &c. æternum beatos reddere velit. Facile intellectu eſt articulum fundamentalem eſſe, *credere* Deum velle omnium ſalutem, cujus articuli hunc intellectum, & ſenſum eſſe volo: *omnes & ſingulos homines, quamdiu in viatorum numero ſunt, debere credere viam ſalutis ipſis non eſſe occluſam: atque ita neminem temere, & fruſtra ſeſe pietati traditurum; ſed Deum paratum per ſuam clementiam, & miſericordiam omnibus impietati nuncium mittentibus, & ſtudium virtutis amplectentibus, largiturum poſt decurſum hoc vitæ ſtadium præmium ſuæ pietatis*, Rom. 2: 6. 1 Cor. 1: 21. Act. 17: 27. Quibus de doctrina Euangelica nihil conſtat, illis cultus naturalis illam ſpem ſuggerit: hoc enim omnibus hominibus inſitum eſt, & naturali, ut ita dicam, ſenſu judicatur, Deum nempe clementem, & miſericordem eſſe; & ideo, quemadmodum neminem deſtinat abſolute, & abſque conſideratione peccati ad interitum; ita etiam ſic ſe gerit atque exhibet erga peccatorem, ut non ſatis habeat effugere crudelitatis notam, ſed ea expromat erga omnes clementiæ & miſericordiæ teſtimonia, ut omnibus æqua judicii lance rem expendentibus conſtare poſſit, ſe clementiæ, bonitatis & miſericordiæ Dei, qua ſervari potuiſſent, ſi voluiſſent, non fuiſſe expertes.

Quibus autem Euangelium eſt annunciatum, illi adhuc evidentius de illa veritate perſuaſi eſſe debent; tum quia Deus omnes per prædicationem Euangelii invitat, & hortatur ad fidem & ad pœnitentiam; cum etiam, quia ſumma totius doctrinæ Euangelicæ, hac ſententia continetur, *Joh. 3: 16. Ita enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum illum unigenitum dederit, ut quiquis credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Ad cultum itaque naturalem ſufficit credere Deum iis, qui per tolerantiam quærunt boni operis gloriam, & honorem, & incorruptibilitatem, largiturum vitam æternam: at ad cultum Euangelicum præter illum articulum requiritur *fides*, pœnitentia, confeſſio noſtræ vitioſitatis; per quam agnoſcimus nobis gratia Spiritus Dei opus eſſe ad credendum, & ad ſancte vivendum: Deum ideo indeſinenter precandum, ut nos Spiritu ſuo excitet, ſuſtentet, ducat, & ita nos ad ultimum vitæ ſpiritum perſeverare faciat in pietatis ſtudio. *Fidem* requiri, ſupra ſatis probatum eſt: cum docuimus, dari aliquot articulos fundamentales in cultu Euangelico; in articulis autem illis exponendis totus hic tractatus occupatus eſt; & ideo hic ſingulatim explicandi non ſunt articuli, qui *notione* fidei comprehenduntur.

Eſt autem & alia uſurpatio nominis *fidei* in Sacra Scriptura: una, qua ſignificatur firma perſuaſio, quam aliquis habet de ſalute adipiſcenda. Alia eſt, qua ſignificatur ſpeciatim illa virtus, qua juſtificari dicimur; & ſuper cujus ſignificatione inter nos, Pontificios, Remonſtrantes, & alios, qui operibus etiam aliquam vim

& effica-

& efficaciam moralem in juſtificatione & liberatione noſtra à reatu tribuunt, magna lis eſt. Quod quidem ad primam nominis fidei ſignificationem attinet: quandoquidem Deus in Euangelio clare docet, quibus hominibus, & quali conditione affectis velit ſalutem largiri; & ſimul conſtet, illas conditiones ejuſmodi eſſe, ad quas acquirendas homo incumbere debet; & quæ conditiones ſunt qualitates ipſi inhærentes; & quarum etiam conſcius eſſe poteſt, ſequitur inde doctrinam Reformatorum, qua docent cujuſvis hominis Chriſtiani officium eſſe vocationem, & electionem ſuam firmam efficere, 2 *Pet.* 1. & ſpem, quam de ſua ſalute per fidem, & obedientiam concepit, magis & magis firmam reddere, & ita cum pleno deſiderio nato ex perſuaſione Dei amoris erga nos, diem adventus Chriſti expetere, veritati eſſe conſentaneam: & inde ſequitur I. Chriſtiani hominis officium atque munus eſſe perſequi illam certitudinem. II. Illum perfectiorem eſſe, majoreſque in virtute progreſſus feciſſe, qui ampliora talis fiduciæ argumenta poſſidet. III. Illum hominem, qui ſe introſpiciens & pertentans, ac reflectens ſuper illas animæ ſuæ qualitates, quas Deus aperte, etiam juxta Pontificios, ab homine poſtulat; & ſub quibus etiam aperte homini ſalutem addicit, fiduciam concipit, eum hominem inquam egregium, Deoque gratum fidei actum exercere, qui in illa fiducia vivit, & moritur. Teſtatur enim Deum eſſe veracem; & excutiens omnes terrores & anxietates, quæ oriuntur à conſcientia hominis naturali; & vim & efficaciam ſanguinis Chriſti, aliud clamantis, quam ſanguis Abel, non ſatis vivide affecta, plena fide miſericordiæ Dei fundatæ in Chriſto incumbit. Et in hac ſententia tantopere elucet veritas, ut quantum ex Pontificiorum ſaniorum ſcriptis elicere liceat, controverſia inter nos & illos non in eo vertitur, utrum homo de ſalute ſua certus eſſe non poſſit, & an non debeat laborare ad acquirendam illam certitudinem & pacem conſcientiæ, in qua præcipue in hac vita regnum cœlorum conſiſtit, ſed controverſia in eo vertitur, quantus & qualis ſit ille certitudinis gradus. Sed ſuper his lis facile componi poſſet, cum extra dubium ſit, gradus illos in fidelibus diverſos eſſe: quemadmodum non eſt omnium fidelium eadem conditio; nec fidei non idem vigor atque robur. Et ſi ſuper ea re non magna eſt inter nos & Pontificios rerum & opinionum diſſenſio, ita non eſt error fundamentalis, docere hominem non ita certum poſſe aut debere eſſe de ſua ſalute, ut nulla formidine in contrarium tangatur: quemadmodum nec vitium exitiale in homine eſſe arbitrarer, ſed tantum infirmitatem, cum qua vera pietas & fides convenire poſſunt, *ſemper anxietate affici de ſua ſalute*: dummodo illa ſollicitudo & anxietas non oriatur ex neglectu pietatis, & vacuitate acris ſtudii operandi ſuam ſalutem. Et lector facile intelligit hujuſmodi errores Pontificiorum non eſſe exitiales: quia tam cultus naturalis, quam Euangelicus, cum iis non cadit: ſpes enim & fides cum iis conſiſtere poſſunt, præſertim cum conſtet defectum plenariæ fiduciæ ſæpe hujuſmodi eſſe, ut non propter defectum fundamenti, quod eſt fides per charitatem operans, in nobis excitari non poſſit, ſed propter urgentes tentationes, conſtringentes fidem tanquam lethargia & ſopore correptam.

Et ſi cultus verus cum talibus erroribus poteſt conſiſtere, multo minus doctrina, quæ oppugnat perſeverantiam ſanctorum, illum ſubvertit: quia permittit & largitur hominem de præſenti ſuo ſalutis ſtatu certum eſſe poſſe, imo & de futuro, ſi modo *velit*, hoc eſt, ſi velit in ſe conſervare idem fundamentum certitudinis pro futuro, quo in præſentia ejus certitudo de ſua ſalute nititur. Et cum disjecto illo fundamento nemo juſtam fiduciam de ſua ſalute concipit in cultu rationali, parum

Kkkkk admo-

admodum intereſt credere ſe certo perſeveraturum in fide, cum certitudo illa perire debeat, quando in gravia peccata prolapſus, nondum per veram pœnitentiam ex illo peccato emerſit, ſeſeque extulit: & rurſus illa in nobis naſci, quando vera pœnitentia intermiſſum pietatis ſtudium rurſus aggredimur. Non magnum meo judicio habet momentum in cultu rationali: utrum per priora gravia peccata ipſa fides radicitus ſit è cordibus noſtris evulſa, an tantum graviter læſa atque vulnerata? Et an conjunctio noſtra cum Chriſto plane fuerit dirupta, an tantum ejus conjunctionis effectus repreſſi? Et an ex vi illius radicis fidei in me ſuperſtitis, rurſus ad reſipiſcentiam me renovaverim, an vero Deus de novo mihi novam fidem & ſanctitatem largitus ſit, ſi modo agnoſcam immenſa, & ineffabili Dei miſericordia illam gratiam mihi conceſſam: quandoquidem ex primo ſtatu gratiæ, in quo fui, mihi non liceat ſpem concipere Deum aliter mihi fore propitium, quam ſi pœnitentia diluens priora peccata, rurſus virtutem ſerio ſecter. Et quandoquidem præterea de priori ſtatu, verufne an falſus fuerit, tamdiu certum judicium ferre non poſſum, quamdiu fide & pœnitentia me non renovaverim, quivis facile intelligit inter conditionem, & ſortem eorum, qui perſeverantiam ſanctorum tuentur, aut oppugnant, non multum intereſſe; præſertim non quantum ad cultum rationalem attinet: & ita exiſtimo articulum de perſeverantia Sanctorum non eſſe fundamentalem.

At diſputatio de fide, qua juſtificari dicimur, quo modo illa juſtificet, & quid per *juſtificationem* intelligendum ſit; & quomodo opera ab ea excludantur, majoris momenti eſt, maiorisque operæ. Notum eſt vocis *juſtificationis* non unum, & ſimplicem in Scripturis eſſe uſum, & ſignificationem: aliquando ſignificat opera, aut facto, & verbis declarare, & teſtari aliquem juſtum, æquum, & veracem eſſe: in quo ſenſu uſurpatur *Luc.* 7: 35. *Sapientia juſtificata eſt à filiis*: hoc eſt, ab amantibus ſapientiæ. Aliquando ejus ſignificatio plane forenſis eſt, & ſignificat aliquem à reatu abſolvere, aut ab eo liberum declarare: teſtarique illum odio, aut pœnæ, quæ oritur ex legis tranſgreſſione obnoxium non eſſe. In illa ſignificatione uſurpatur, *Proverb.* 17: 15. *Qui juſtificat impium, & condemnat juſtum, ambo Deo exoſi ſunt.* Tertius iſtius vocis uſus etiam in Sacris celebratus eſt, quando ſignificat per juſtitiæ & ſanctitatis habitum nobis inhærentem, juſti titulum, & dignitatem adipiſci: ſic uſurpatur *Apoc.* 22: 11. *Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc.* Ego autem exiſtimo non multum referre, quantum ad rem, quæ in præſentia noſtræ inquiſitioni ſubjecta eſt, ſcire quo ſenſu in ſingularibus quibuſdam textibus vox *juſtificari* ſumatur: cum nunquam error capitalis in eo verſetur, quod in expoſitione alicujus ſingularis loci Scripturæ aliquis labatur: ſed ſcire opus eſt, qua ratione homines liberentur à reatu & ira Dei, cui propter peccatum ſinguli ſunt obnoxii: & quid Scriptura de hoc articulo doceat. Hæc controverſia præcipua eſt, quæ agitatur inter Chriſtianos ſub titulo de *juſtificatione hominis coram Deo*: quia in hoc omnes convenire videntur, Scripturam illam liberationem à reatu, &c. per vocem *juſtificationis hominis coram Deo exprimere.* Quæſtio itaque eſt, quomodo homo juſtificetur: hoc eſt, liberetur à reatu peccati, & ira atque odio Dei, cui propter peccatum ſubjectus eſt; & quomodo beatitudinem conſequatur. Ut pondus hujus articuli recte æſtimare atque expendere poſſimus, diſtinguendum eſt inter *actum* mentis, quo aliquis perſuaſus eſt, ſe eſſe juſtificatum, & à reatu liberatum; & inter *actiones* hominis, ſine quibus ex Dei ordinatione, tanquam via & mediis iſtam liberationem à reatu, & beatitudinem præſertim aſſequi non poteſt, & hæ rurſus diſtinguendæ ab iis, per quas

homo

homo juſtificationem *formaliter* adipiſcitur. Quemadmodum rurſus omnes illæ actiones hominis diſtinguendæ, atque ſecernendæ ſunt ab iis, quas Deus depromit in noſtra juſtificatione: ad quas actiones etiam nunc refero paſſionem & meritum Chriſti; quia illa actio eſt extra hominem, & ſolummodo à Dei conſilio profecta.

Quid de pondere articuli illius, quo fideles credere debent ſe eſſe juſtificatos, & in ſtatu gratiæ conſtitutos, ſtatuendum ſit, de eo proxime in ſuperioribus locuti ſumus. Quantum ad actiones, officia & munera hominis, ſine quibus homo abſolutionem à reatu, & beatitudinem conſequi non poteſt, omnes quotquot ſunt Chriſtiani, profitentur, neminem juſtificationis & ſalutis fieri participem ſine fide, pœnitentia, & ſtudio bonorum operum: ſive amore ſanctitatis & juſtitiæ: ſive quod eodem redit, ſine *fide efficaci per charitatem.* Neque, quantum ad hunc articulum, neceſſe eſt enucleatius examinare, quid Scriptura per illam vocem *fidei* in locis, ubi illa occurrit, & quibus probatur hujus articuli veritas, & pondus, intelligat, dummodo per fidem intelligatur *virtus mentis*, aut *actio bona*; ita ut hic articulus tunc congruat cum eo, quo docetur *neminem ſine ſanctitate viſurum Deum.*

Difficilior expediendæ quæſtionis ratio eſt, quando controverſia eſt de actionibus, *per quas & propter quas, homo juſtificationem conſequitur.* In hac controverſia in ore eſt omnibus Reformatis diſtinctio inter *cauſam* regnandi, & *viam* regni: & certe apud eos, qui agnoſcunt meritum & ſatisfactionem Chriſti, illa diſtinctio magnum uſum habet: quia fides (ſumpta pro qualitate in homine inhærente, hoc eſt ſubjective, non objective) & bona opera ſunt *via* regnandi, quatenus Deus ſine iis nullum meriti Chriſti vult facere participem; neque ullus ſalutem aſſequi poteſt, qui in iis non perſeverat uſque ad ultimum vitæ ſpiritum. Non ſunt *cauſa* regnandi: quia iis nullus liberatur ita à reatu, ut iis ullo modo ſatisfaciat Divinæ juſtitiæ: ita ut Deus iis placetur, aut illa hominem à ſordibus peccati lavent: & qui contrarium docet, & profitetur, cultumque ſecundum eum dirigit, is verſatur in errore fundamentali; quia tollit meritum Chriſti: de cujus articuli neceſſitate ſupra egimus.

Sed nunc tamen ſupereſt illa quæſtio; quid interſit, inter *fidem* & inter *charitatem*, aut *bona opera*, ut fructus fidei: quatenus illa opera ſunt *via* regnandi. Fidem à charitate diſtingui Scriptura aperte docet: cum dicit, *fidem per charitatem operantem ſolummodo valere in nova creatura:* ita etiam diſtinguit inter fidem & bona opera. Docet præterea Scriptura, hominem fide juſtificari ſine operibus: idque Apoſtolus Paulus *in Epiſtola ad Rom.* 3: 28. & *ad Galatas* 2: 16. tam aperte docet, ut iſthæc verba iſtumque loquendi modum in Scriptura contineri nemo negare poſſit, qui Scripturæ fidem habet; neque id à cordatis Pontificiis negatur: ſed quæſtio inter nos & ipſos eo devoluta eſt, quid per *fidem*, & *opera*; & quid per vocem *juſtificationis* in illis textibus intelligendum ſit. Exiſtimo ex infinitis Scripturæ locis, tam Veteris quam Novi Teſtamenti conſtare, fidem in ſenſu Scripturario ſignificare *firmam hominis perſuaſionem, & exſpectationem, fundatam in Dei promiſſione de re futura; à Deo ita præſtanda ut homo eo tempore, quo credit, neque in ſe, neque in creaturis experiatur, aut videat vires, quibus res à Deo promiſſa; & à nobis ſperata & credita, ad exitum perduci poſſit: ſed quam tamen credit effectam datum iri per Deum.* Lector oculis & mente luſtret textus, in quibus de fide ſermo eſt; & præſertim *Cap.* 11. *ad Hebræos*; & comperiet in omnibus ferme locis voci fidei illam ſignificationem aut notionem ſubjectam eſſe: ita ut ſi alicubi aliter vox fidei ſumatur, dicere liceat tunc Scripturam nonnihil deflectere à propria & ſcripturaria fidei ſignificatione: eamque tunc tranſlatis,

latis, & alienis, non propriis ſuis verbis uti. Et cum *juſtificatio*, *ſalus*, *vita*, *juſtitia fidei* tribuitur: ſicut fit *Rom.* 1: 16. 3: 21, 22, 23, & 28. *Galat.* 2: 16. & 3: 6, 11. & 5: 5. *Epheſ.* 2: 8. & aliis locis multis. Æquus lector pariter intelligit tunc vocem fidei in proprio illo ſenſu ſumi: & denotare firmam hominis perſuaſionem & fiduciam, qua confidit Deum ſibi eſſe propitium; & ſalutis æternæ facturum participem propter meritum Chriſti: quamvis agnoſcat ſe omni odio, & ira Dei dignum; adeoque eo ſenſu improbum; omnique qualitate, quæ eam *vim cauſalitatis* moralis habeat, ut ſalus non ſit omnino *gratuita*, deſtitutum: ſed qui ideo totus recumbat in miſericordiam Dei promittentis omnibus ſe fore propitium, & ſalutis participem facturum; qui contra ſpem, quatenus conſcientiæ terrores, orti ex juſta æſtimatione ſui demeriti ipſum dehortentur, tamen ſub ſpe innixus Dei veritate, ad Dei miſericordiam, & clementiam fundatam in merito Chriſti, confugiunt, illique incumbunt. Hanc ego credo eſſe vim ſignificationis vocis fidei, in locis, in quibus dicimur *juſtificari fide*; & huic actioni mentis attribuitur juſtificatio, & vitæ æternæ adjudicatio. Quivis jam ſatis intelligit, quod etiamſi hic fidem, qua juſtificari dicimur, non ſumam objective, pro merito Chriſti, (quæ vocis fidei ſignificatio mihi violenta & contorta videtur in locis, quibus fide juſtificari dicimur) ſed pro actione mentis; me tamen nihil hic operibus tribuere, quatenus ita intervenirent in noſtra juſtificatione, ut eorum vis & cauſalitas moralis imminueret ita Dei gratiam, qua ſervamur; ut ea deſineret eſſe *omnino gratuita*. Et illam operum excluſionem à noſtra juſtificatione docet Scriptura, quando declarat hominem *fide juſtificari*, *non operibus legis*: & puto ad hanc rem revocandam totam controverſiam, quæ nobis intercedit cum Pontificiis, & aliis, qui videntur aliquid operibus attribuere in noſtra juſtificatione, Nempe ad hoc tantum attendendum, an illi alicui operi ſeu fidei ſeu charitati, ſeu utrique ſimul aliquam vim, cauſalitatem, effectum aut efficaciam (quocunque vocetur nomine parum intereſt) tribuant, qua *juſtificatio non maneat mere & omnino gratuita*.

At quivis facile ſua ſponte intelligit in fide juſtificante, qualem jam deſcripſimus, talibus viribus, & cauſalitati operum locum non eſſe, quibus ſalus minus *gratuita* putetur: quia illa fides juſtificans abſolvitur, completur & tota continetur in ſolo perſugio ad miſericordiam Dei in Chriſto. Et talis fides ita excludit *eam cauſalitatem operum*, qua gratia deſineret eſſe omnino gratia, ut hominis credentis, & confugientis ad miſericordiam Dei reſpectu, illa fides nequidem poſſit ſuſtinere, & tueri dignitatem *conditionis, ſine qua homo ſalutem adipiſci non poteſt*: quatenus homini confugienti ad miſericordiam Dei, non verſatur in mente, quando ſuum fidei actum exerit, hæc cogitatio: ſi velim credere, & mea fide obſequi voluntati Dei flagitantis à me tanquam Domini & legiſlatoris opus fidei, ſine quo Deus me ſervare non vult, tunc illa fide reſpondens voluntati Dei, & præſtans illam conditionem, ſervabor. Dicimus hujuſcemodi cogitationem, quæ naturam conditionis exprimit, in hominis mente, actum fidei formalem exerentis, verſari non poſſe: quia formalis actus fidei juſtificantis hominem impellit ad Chriſtum ejuſque meritum, tanquam ad unicum medium, & tanquam ad unicam viam, quà graſſari debet, ſi velit ſalutem obtinere. Quemadmodum itaque infans metu perculſus confugit ad matris ſinum, ut ita periculum vitet, nec cogitat illam periculi fugam & receptum ad matris ſinum, eſſe conditionem à matre propoſitam, ſine cujus conditionis adimpletione à matre recipiendus non eſt; nec in ſinu illius ſalus obtinenda ſit: ſed fuga eſt tantum illi infanti medium, per quod pergit ad matris ſinum;

ſinum; in quo ipſi ſalus eſt poſita. Attamen Dei reſpectu fides *verum rationem* conditionis habet, quatenus Deus nullum vult reddere ſalutis participem abſque illa fide, quam per formam præcepti ab hominibus requirit: & quatenus tantum vult per illam fidem hominibus gratiam Chriſti largiri; ita ut is, qui non credit tale præſidium & perfugium in Chriſto eſſe poſitum, ſalute cariturus ſit, tum quia Deum mendacem facit, cum etiam quia talis incredulus nunquam tali perfugio uti volet. Nihil itaque impedit quare non liceat docere hominem fide juſtificari, quatenus per *fidem* non intelligimus *meritum Chriſti*, ſed quatenus eſt *opus hominis*, & tamen damnare illam doctrinam, qua docetur hominem operibus ſuis juſtificari, quatenus tunc per opus, quo homo juſtificari dicitur, intelligitur tale opus, quod ita comparatum eſt ſua natura, & æſtimatum ſecundum fixas moralitatis regulas, ut gratiam Dei imminuat; nec ſinat eam eſſe *ex omni parte gratuitam*. Neque illa moralitas in actione, aut opere aliquo, quo tamen gratia non imminuitur, pendet ab operis exilitate aut vilitate, ſed à natura, & formali ratione operis, quæ talis eſt, ut in ſe includat teſtificationem talis gratiæ, qua ſervamur, ut omne meritum excludat; & omnem cauſalitatem moralem operis, qua gratia non deſinit eſſe pura gratia: quemadmodum id in actione fidei evenire cuique manifeſtum eſt. Eſt alioquin fides opus præſtantiſſimum & heroicum; complectens in ſe teſtimonium de veritate Divina, & de ſumma ejus miſericordia in Chriſto: ut & expugnationem omnium dubitationum & fluctuationum mentis, quibus ex contemplatione ſuæ vitioſitatis & juſtitiæ Divinæ, & Dei odii erga peccatum, merito jactatur, jacet, & quaſi deſperationem concipit, nihil boni in ſe reperiens, quo ſe excitet, aut inducat in ſpem aut cogitationem meliorem, ſed homo ex fide juſtificante agens, & excelſo mentis conatu & impetu excutiens omnes illas deſperandi cauſas ſuuat, & ſtabilit ſpem & fiduciam ſuam in Dei miſericordia, & Chriſti merito. Unde liquet fidem tam præclarum opus eſſe, ut vix aliquid præclarius excogitari poſſit: quod manifeſtum eſt ex fide Abrahami credentis ſe fore patrem multarum gentium, cum jam eſſet ætate confectus; & Sara ejus uxor effœta: ſicut id pariter conſtat ex fide ejuſdem Abrahami immolantis filium, & credentis tamen in illo ipſo filio debere vocari ſemen ſuum. Pariter ex præcedentibus manifeſtum eſt, per *opus*, quod Scriptura excludit à juſtificatione, tantum intelligendum opus, quo *gratia deſinit eſſe gratia*: non autem illud opus, quod gratiam illam integram relinquat, quale opus eſt *fides*; & qualia ſunt omnia illa opera, quæ formalis fides, cum ſeſe exerit, includit. Ita non eſt opus, quod matris benignitatem gratuitam imminuit aliqua cauſalitate morali, qua matris benignitas deſinit eſſe omnino gratuita, quando infans confugiens ad matris ſinum, in ea fuga per ignem & gladios ſibi viam parat ad matrem, multoſque ita ſubit cruciatus: ita non eſt opus, quod Apoſtolus Paulus à juſtificatione excludit; quando homo in formali ſuæ fidei actu exerendo proſternit & obtundit ſubnaſcentes dubitationes, vincitque omnes tentationes, quibus jactatur, & agitatur animus, quando à ſe deſciſcens & ſupergrediens omnia, quæ in ſe reperit, & quæ ipſum tantum in deſperationem cogunt, ſe Deo tradit: multo minus *opus amoris*, quo fidelis Deum complectitur, ut amicum & Deum ſuum, à juſtificatione excluditur: quia ultro conſtat iſthæc opera, *gratiæ* nihil detrahere. Et ita puto mihi aditum paraſſe quo lector intelligat, quo pacto Apoſtolus Paulus cum Apoſtolo Jacobo ſit conciliandus, quorum alter diſerte dicit hominem fide ſine operibus juſtificari, alter docet hominem non ſolum fide, ſed etiam operibus juſtificari: *de* iis verò in ſequentibus.

Ut autem revertar ad hoc, à quo paululum declinavit ſermo. Eſt itaque in fide juſtificante *perſuaſio*: hæc autem perſuaſio & fiducia diſtinguenda eſt ab actione reflexa mentis, qua homo fidem & ſtatum mentis ſuæ explorans, conficit ſe eſſe in ſtatu gratiæ: hæc enim perſuaſio nititur non ſolum Dei promiſſione, quemadmodum illa prior, ſed etiam propria conſcientia. Non eſt itaque actus fidei juſtificantis, *credo me iri ſalvatum*, quia conditionem præſtiti: quia illa fides, qua credo Deum mihi conditionem adimplenti præſtiturum promiſſum, longe differt ab ea, qua credo *Deum juſtificare impium*. Hæc fides habet pro objecto promiſſionem fundatam ſolummodo in Dei veritate, & clementia: non autem in aliqua antecedente qualitate, in me hærente: illa autem nititur Dei veritate, & conſcientia meæ fidei vivæ. Cum autem dicimus in fide juſtificante illud ſingulare eſſe, quod in juſtificatione per fidem Deus juſtificat *impium*, nos non id docemus, quaſi Deus hominem, etiam tunc cum impietatem ſectatur, juſtificaret; nam vix credo magis peſtiferam doctrinam tradi poſſe: ſed Scriptura hiſce verbis docet, illam eſſe conditionem, & rationem hominis juſtitiam adipiſcentis per fidem, quod tunc miſericordiam obtineat, cum ſe omni miſericordia indignum, & morte æterna propter reatum, cui ut impius & ſceleratus obnoxius eſt, digniſſimum profitetur: quamvis jam credendo non ſcelus aut impietatem committat, aut vitiis obnoxius vivat; ſed rem Deo gratiſſimam præſtet, ſed quæ tamen nec ulla efficacia morali reatum tollit, nec gratiam Dei hominem gratis juſtificantis, imminuit. Et eſt tamen judicium Dei *ſecundum veritatem*: quia Deus impium abſolvit à reatu propter meritum Chriſti, quod per & propter fidem *tanquam conditionem* à Deo requiſitam, fidelibus ſit *proprium*: & ita *fides homini imputatur ad juſtitiam*, quatenus fides illud apprehendit, in illud incumbit, conſcientiam eo involvit, illudque induit; atque ita illud ſibi jungit, & applicat: quemadmodum heroicum illud factum Phineæ, in quo ſumma fides, atque fiducia in Deo, & ſuperatio, atque expugnatio naturalium affectuum, elucet, ipſi fuit imputatum ad juſtitiam. Quemadmodum etiam fides Abrahami, qua *ſub ſpe, contra ſpem credebat ſe fore patrem multarum gentium, ipſi imputata fuit ad juſtitiam*: cujus fidei habitualis actum formalem rurſus exeruit, cum obtulit filium: & vivida vis fidei, aut vita fidei tunc eo manifeſtior ſe prodidit; quia actus, qui in explicatione vitæ fides, tunc ſeſe aperiebant, hominum ſenſibus magis erant expoſiti, cum tamen prior fides vitam ſuam nihilominus exereret, quamvis non per tales actus, qui ita ſeſe manifeſtantes, quemadmodum mactatio filii, aut potius decretum mactandi filium: quos actus Apoſtolus deſcribit *Rom.* 4: 19. *Ac minime infirmus fide non conſideravit ſuum ipſius corpus jam emortuum, cum centum circiter annos natus eſſet, nec emortuum uterum Saræ*, &c. Vita & opus intrinſecum, formale atque inteſtinum iſtius fidei Abrahami in eo conſiſtebat, quod tot dubitandi de promiſſione Dei cauſas, aut rationes apparentes, quibus homines duci conſueverunt, expugnare debebat, & fidem iis abrogare; Deoque contra promittenti ſub ſpe contra ſpem credere: & expugnatio dubitationum tam formalis fidei actus fuit, quam aſſenſus mentis ipſi promiſſioni præſtitus. Imo ex epiſtola ad *Hebr. Cap.* 11. liquet æque in actu ſive vita fidei Abrahami tanquam opere intrinſeco fidei, incluſam fuiſſe illam expugnationem cauſarum dubitandi, quæ Abrahamum poterant diſpoſuiſſe, ut dubitaret de benedictione in ſemine ejus; quatenus mactatio filii videbatur decollare omnem ſpem filium ſuum in poſterum victurum, & fore ſuperſtitem; quas tamen dubitandi cauſas fide ſuperavit ratiocinatus Deum potentia præditum eſſe eum excitandi ex mortuis: unde etiam illum

ſimilitudine quadam recepit, *Ierj.* 19 20. Dico inquam illam expugnationem dubitationum æque incluſam fuiſſe in formali actu fidei Abrahami, quam ipſam fidem Abrahami Dei promiſſis habitam. Ut inde adhuc magis liqueat fidem juſtifi. antem talia opera non excludere: ſed iis ipſis contineri vitam fidei, ſine quia vita fides non eſt fides. Quia ingrediuntur & conſtituunt ipſam fidei naturam; quia eodem actu, quo apprehendit meritum Chriſti, etiam depellit omnes difficultates, & obſtacula, quæ oppoſita ſunt illi perſuaſioni & fiduciæ: quemadmodum qui perfugit ad aliquem tanquam ad ſoſpitatorem, & ſervatorem, ſed ad quem pervenire & quem aſſequi non poteſt, niſi per ignem, aquam, ferrum & gladios ſibi viam affectet, eodem mentis impetu, ad tutorem, & cuſtodem ſuæ ſalutis viam ſibi munit, quo ſubit pericula atque acerbitates ignis, aquæ atque armorum. Idem patet in exemplo Rhahab, quæ non poterat illum formalem fidei actum exerere, quo ſibi perſuadebat Deum in excidio Jerichontis ſibi parciturum, & fore propitium, & ſpeciatim ſe ereptum iri ex malo, quod ipſi oriri poterat ex illa benevolentia, quam præſtabat ſpeculatoribus: quin ſimul ille metus & capitis periculum, quod ſubibat, & abnegatio charitatum, quas naturaliter pro patria & civibus ſuis habebat, comprehenderentur illa fide Rhahab: & depulſio atque rejectio rationum & argumentorum, quæ ipſam hortari & impellere potuiſſent, ut totum illud opus charitatis ſpeculatoribus præſtitum, defugiſſet, conſtituunt etiam ipſam fidem: quia iis continetur fidei vita.

Tales autem actus fidei, aut potius talis fides, quatenus tantum ad externam hiſtoriam attendimus, pertinet ad genus fidei generaliter ſumptæ, quæ pro objecto habet rem difficilem, & à nobis non parabilem; ſed quæ non ſolum exſpectatur à Deo, ſed cujus ſpem in nobis excitari non poſſumus, niſi per expugnationem multarum dubitationum, quæ in nobis oriri ſolent, quando cauſas ordinarias & conſuetas non videmus præſentes: at quatenus fideles ſub V. T. in exemplis allatis Chriſtum intuebantur, tranſibat illa fides in naturam *fidei juſtificantis*. Dicit itaque Apoſtolus Paulus *nos juſtificari fide ſine operibus*. Docet Apoſtolus Jacobus *hominem etiam operibus juſtificari*: & tamen congruentia & conſentanea docent: quia Paulus loquitur de operibus, quæ formalem fidei actum non ingrediuntur, hoc eſt, ipſo formali fidei actu non exſeruntur. Deinde de talibus operibus illi ſermo eſt, quæ gratiam Dei imminuunt, nec ſinunt illam eſſe gratiam ex omni parte. At Apoſtolus Jacobus loquitur de operibus, quæ una cum fiducia naturam fidei conſtituunt, & quæ continent *animam* fidei, per quam *viva* dicitur: & qua fide, quatenus *viva* eſt, juſtificamur; quia eodem actu fidei, quo meritum Chriſti apprehendimus, & in illud incumbimus, repellimus etiam omnes difficultates, & obſtacula, quæ oppoſita ſunt illi fiduciæ. Et fides *mortua* non eſt magis fides, quam cadaver eſt corpus hominis, *qui vivit*: & tota illa vita fidei ita eſt de ratione fidei, ut non tantum re, ſed ne cogitatione quidem ab ea ſeparari poſſit: quemadmodum figuratio, & temperatio corporis, qua viget, eſt de eſſentia corporis vivi: aut quemadmodum cogitatio eſt de eſſentia ſpiritus: poſito formalem rationem ſpiritus conſiſtere in cogitatione; quod nunc non diſputo. Et quemadmodum illis, qui in illa ſententia ſunt, mirifica videretur quæſtio: quærere utrum ſpiritus *qua cogitans*, ſit ſpiritus: ita non minus aliena eſt quæſtio, quærere, an fides viva, qua viva juſtificet: cum fides non viva non ſit fides; quemadmodum corpus, quod ſecundum minimas ſuas particulas inter ſe agitatas celerrimo motu non cietur, non eſt ignis. At fides per charitatem operans, quatenus per charitatem operatur ea, quæ fidem ſequuntur, non

autem

autem ipſum amorem & fiduciam in Chriſto includit, non juſtificat, quia illa charitatis opera non ſunt de eſſentia fidei, ſed fidei fructus: quemadmodum grata beneficiorum recordatio; & eorum remuneratio, non ſunt gratus animus, ſed grati animi effecta: aut quemadmodum actiones infantis non jam ad matrem confugientis, ſed in ſinu matris conquieſcentis, actiones quibus matris gratiam fovet, & amplius demereri ſtudet, non ſunt opera incluſa in ipſo ad matrem receptu. Ita quidem fides hominis Chriſtiani permeat & peragrat, ſi ita loqui fas eſt, omnia bona opera fidelis, ſed non eodem modo: quædam enim ipſum fidei actum includunt, & ab ea formam ſuam mutuantur; quatenus formali actu fidei exſeruntur: quædam quidem ortum & originem ſuam fidei debent; non tamen formam ab ea mutuantur. Sed præcipua operum differentia, quæ in hac controverſia utramque paginam facit, eſt quod quædam opera gratiam gratuitæ omnino juſtificationis imminuant, alia eam integram & illibatam conſervent.

Hoc tamen hic notandum: quod quia fide exſpectamus eventum, & adimpletionem promiſſi, ideo fides durare debet toto vitæ noſtræ curriculo: & illa toties exerit ſuos effectus *formales*, quoties perſeverantes in exſpectatione promiſſi, per fidem expugnamus omnes ſubnaſcentes dubitationes, & fluctuationes; ortas ex conſideratione noſtræ indignitatis, infirmitatis, & demeriti, & qua etiam ſuperamus omnia allectamenta & invitamenta mundi, quæ nos à fiducia depellere poſſent. Et natura fidei hinc eluceſcit, ſeſeque ſua ſponte ſecernit ab *operibus fidei oppoſitis*: & quæ Scriptura à juſtificatione excludit. Nullus enim fide indiget, ut credat id futurum, quod juxta communem diſpenſationem, ſive illa verſetur in naturalibus, ſive in ſpiritualibus, fieri conſuevit: qualia ſunt omnia opera, quæ effectum producunt proportionatum efficientiæ, & cauſalitati (ſive illa ſit naturalis, moralis, ſive ſpiritualis) qua agunt. Cum autem docetur nos *fide*, aut *per fidem*, ſuperare mundum, id fit, quatenus eodem actu formali fidei incumbimus in promiſſa Dei, & ſuperamus tentationes, & illecebroſa blandimenta mundi; quæ præſentia cum ſint etiam ſuaviter, atque jucundè nos afficiunt, cum contra pietatis fructus tantum in conſequentibus, & in futuro ſæculo ſperentur: & præſertim tunc illa fides ſe exerit, cum multæ acerbitates nobis in hac vita exhauriendæ ſint. At fructus iſtius fidei, hoc eſt opera charitatis, & pietatis ipſa, quæ formali actu fidei non includuntur, non ſunt opera formalis fidei. Ita de Moſe Scriptura teſtatur, ipſum *per fidem* (intellige formalem actum fidei) *renuiſſe vocari filium filiæ Pharaonis, potius eligens ſimul malis vexari cum populo Dei, quam temporariam retinere peccati fruitionem: majores ducens divitias probrum Chriſti, quam Ægyptiorum theſauros, &c.* Et hæc fides Moſis, intuens remunerationem, habuit etiam à parte Moſis *rationem conditionis*: ſed quatenus in illa fide ſenſu ſpirituali fides *formaliter juſtificans* includitur, eatenus à parte Moſis in ipſius cogitatione, *conditionis* natura & ratio non potuit conſiſtere, propter rationes traditas, quarum ſumma eſt, quod deſperatio ſui & ſuarum virium cum perfugio ad miſericordiam alicujus nullo omnino opere promeritam non ſinit in iſtius miſeri hominis cogitatione verſari rationem conditionis à ſe adimplendæ, ſi velit miſericordiam obtinere, ſed tantum rationem medii: & ideo ſupra judicavimus diſtinguendum eſſe inter fidem juſtificantem, & fidem generalem, de qua ſi hiſtoriam ſecundum litteralem ſenſum ſpectes, agitur *Hebr.* 11. toto capite: credo enim Patres illos ſanctos peccatorum ſuorum ſenſu vere tactos, cum illa fide generali conjunxiſſe fidem ſpecialem juſtificantem. Quemadmodum itaque lector jam facile intel-

intelligit, quæ ſunt illa opera, quæ excluduntur à juſtificatione; & quæ illa, quæ fide debent includi, ita facile alia opera à fide diſtinguet, quorum operum fides eſt cauſa; ita ut fide non tantum credamus, ſed etiam corda noſtra purgentur à mortuis operibus, eaque mundum vincamus. Ratio noſtræ ſalutis fide viva percepta inflammat animum fidelis tanto erga Deum & Chriſtum amore; tanto erga peccatum odio; tantoque contemptu rerum mundanarum replet fideles, ut omnes acerbitates libenter ſubeant, ſiquidem Deo iis ferendis ſervire poſſint. A fide talia opera proficiſcuntur: ſed eorum operum formalis ratio non eſt fides, hoc eſt, eodem & formali fidei actu non exſeruntur: quanquam fides iis omnibus ſeſe inſinuat, & permeat eorum naturam.

Hiſce diutius immorandum exiſtimavi, ut doctrina de juſtificatione paulo apertius proponeretur: & ita tutius judicium inſtitui poſſet de pondere & momento iſtius articuli, & errorum ipſi oppoſitorum. Et quanquam in expoſitione quorundam locorum Scripturæ nonnihil fortaſſe diſſentiam à communi Reformatorum doctrina; puto tamen reliqua quæ dixi, mihi conſtare cum omnibus Doctoribus. Expendamus nunc errores circa illam doctrinam. Quandoquidem in ſuperioribus probavimus ſummam totius Euangelii contineri merito & ſatisfactione Chriſti, per ſe lucet, illum errorem fundamentalem eſſe, qui docet *hominem ſe liberare à reatu, cui per peccatum obnoxius eſt, per ſua opera, ita ut juſtitiæ Divinæ ſatisfaciat; & ita mercatur abſolutionem à reatu:* hæc probatione non indigent. Secundo: eſt etiam ille error fundamentalis, qui rationem obtinendæ abſolutionis, & condonationis peccatorum partim Chriſti merito, partim obſervationi Legis tribuunt: talis enim error eouſque imminuit meritum Chriſti, & condonationem peccatorum gratuitam, ut gratia non maneat omnino gratia; & tribuunt operibus, quod ſoli Chriſto convenit, & propter quod Chriſtus natus & paſſus eſt: cum vis & potentia nos ſervandi non ſit in ulla alia perſona, quam in Chriſto. Neque refert, ſive illa opera præſtentur, & fiant per Dei gratiam nobis propter meritum Chriſti conceſſam, ſive noſtris viribus: dummodo per meritum operum intelligatur vis & efficientia operum moralis, qua ex parte ſatisfit iræ Divinæ, eaque placatur. Non itaque curamus verba, & voces, & contortas diſtinctiones, & implicitos conceptus Pontificiorum, quibus ad imminuendam perverſæ ſuæ doctrinæ invidiam, & pertinaciam pro cauſa induentes, diſtinguunt inter opera ante gratiam, & poſt gratiam præſtita: & inter merita operum in ſe conſideratorum, & inter ea merita, quæ dignitatem, & pretium operum mutuantur à merito Chriſti, & propter quod meritum Chriſti ſanctorum opera acquirunt pretium, & dignitatem *merendi* (hoc eſt, in quæſtione de qua nunc agitur) *ſatisfaciendæ efficientia, & vi morali juſtitiæ Divinæ.* Si Pontificii aliud quid per *meritum* in hac controverſia intelligunt, turbant & confundunt gratis doctrinam de juſtificatione Euangelica; & uſurpant in expoſitione illius articuli voces, & verba alieniſſima, & quoad voces ipſas, & quoad ſenſum, à Sacra Scriptura; idque propterea ut ſuum in hac doctrina errorem, & alia perniciosa dogmata, quæ cum vera doctrina de juſtificatione per fidem congruere non poſſunt, obnubilent; hominesque dubios & ancipites ſuſpendant, ſimiles iis, qui aperta ſpatia odere, & cum parum curſu valent, flexu eludunt: longe diſcedentes ab inſtituto Apoſtoli, 2 *Corinth.* 4: 1. & ſequentibus. *Propterea cum miniſterium hoc habeamus, prout miſericordiam conſequuti ſumus, ſegnes non fuimus; ſed abrenunciantes pudentiæ latebris non cum calliditate ambulantes, nec falſificantes ſermonem Dei, ſed declaratione veritatis commendantes nos ipſos ad omnem conſcientiam hominum in conſpectu*

Dei. Eodem tacit quando docent juſtificationem non eſſe actum *forenſem* & *judicialem*, & aſſerunt nos juſtificari juſtitia inhærente: & poſtea cum noſtrorum argumentis conſtringuntur, & turpitudo illius doctrinæ in aperto ponitur, diſtinctionibus eam molliunt, & mitigant, ut ita alia ſpecie veſtita minus odioſa atque inviſa videatur. Ita conſtantiæ & tuendæ dignitatis & auctoritatis Eccleſiæ cauſa, acervum errorum, quos ignorantia, & ſuperſtitio (ſemper ignorantiæ comes) in Eccleſiam invexit, ambiguo, & qui utroque trahi poſſit ſermone, alunt & fovent in Eccleſia, ne damnandos errores, quibus Eccleſia Romana ſcatet & redundat, condemnare, cum manifeſto tenetur, neceſſe habeant; nec eorum fœditas, & turpitudo luce, & ſplendore Reformationis oculis hominum ſubjiciatur. Ita ut jam uſu comperire liceat, Doctores Romanos, ut noſtros ad ſe alliciant, in eo occupatos eſſe ut ſua dogmata leniant & molliant, ita ut quaſdam religiones magis retineant quia factæ ſunt ad opinionem vulgi, & ad quaſdam utilitates Eccleſiæ, quam ad veritatis & pietatis cuſtodiam. Ita ut rurſus hoc tacitus præterire non poſſim, Eccleſiam Romanam, etiamſi in erroribus fundamentalibus non verſaretur, tamen propter defectum ſanctitatis, quo per deſtinationem, & obfirmationem animi in erroribus, laborat, veram Eccleſiam non eſſe, quia ſcandalum & offenſiones, quas ſanctis præbet, ſpeciem mali affectans, & ſectans, non vult tollere; & mavult non confiteri culpam, quam non hærere in ſua Eccleſia tot ſcandala. Sed pergamus proficiſci ad inſtitutum.

Quod ſi autem per meritum operum Pontificii nihil aliud velint, quam illa eſſe *conditionem, ſine qua* Deus neminem vult facere participem meriti Chriſti; ita ut in operibus fidelium, ſub quibus nunc etiam comprehendo fidem, (eſt enim inter omnia opera excellentiſſimum & heroicum opus) *ſit cauſalitas moralis*, per quam fiunt meritorum Chriſti conſortes: adimplentes conditionem, quam Deus ab hominibus poſtulat, tunc non video quid in illa doctrina culpandum ſit; quia nihil frequentius in Scriptura occurrit, quam fidem, & bona opera, ut ab hominibus præſtanda, prærequiri, antequam aliquis ſalutem poſſit aſſequi. Quanquam ego exiſtimem fidem juſtificantem conſideratam, ut ab homine proficiſcentem, non poſſe tueri in ſenſu proprio conditionis naturam: quandoquidem conditio reſpectu illius qui illam implet, ut rem propter quam aliquid beneficium ſibi collatum iri confidit; & quæ præſtatio conditionis poſſit in Eccleſia Romana *meritum de congruo* appellari, in actu fidei juſtificantis nullum repperit locum. Quia actus fidei juſtificantis non exeritur cum *intentione* adimplendæ conditionis ratione ſupra tradita, quia eſt ipſum hominis deſperantis, & à ſe derelicti perfugium ad Chriſtum: & tamen ille actus fidei eſt *adimpletio* conditionis, quia agit cauſalitate morali: & ita cauſa eſt moralis, per quam gratis reddimur participes meritorum Chriſti. Fides itaque & bona opera non tantum ſunt cauſa, *ſine qua* juſtificationem & vitam conſequi non poſſumus; quæ cauſa *ſine qua non*, non eſt vera cauſa: at contra bona opera ſunt veræ cauſæ morales, per quas juſtificationem & vitam æternam obtinemus. Singula fides & opera pro naturæ ſuæ indole & proprietate: per fidem collocamur in ſtatu gratiæ, & liberamur à reatu, & ira Dei: per opera nos tuemur in illo ſtatu gratiæ; & Dei benevolentiam in Chriſto nobis partam, & per fidem nobis conciliatam, conſervamus, fovemus; & ejus benevolentiæ effectus non tantum erga virtutis ſtudioſos, ſed & *propter* virtutem erga probos ſeſe exerentes, nobis paramus. Quemadmodum liberi per obedientiam, & ſanctitatem erga parentes, non quidem jus filiorum, & hæreditatis acquirunt, ſed tamen *vera cauſa morali* patris animum diſponunt, ut ſumma cum pro-

pronitate, & proclivitate omnia bona conferat in filium propter illam obedientiam, eamque præmio afficiat. At quanquam hæc veriſſima ſunt; nihil tamen magis à ſtilo Scripturæ alienum, quam docere hominem *per ſua opera juſtificari*, aut propter merita ſua juſtificari.

Reliquæ diſputationes, quæ ſuper controverſia de juſtificatione agitantur inter Chriſtianos; & propter quas ſe paſſim mutuis acuminibus compingunt, aut inutiles ſunt, aut aptæ tantum ad pulverem ſcholaſticum; aut minoris momenti, ut in contentionem venire poſſint utrum errores circa illas alicujus ſalutem in diſcrimen poſſint adducere. Cæterum quod in ſuperioribus ſæpe monui, id rurſus inculco: ut nempe diſtinguamus inter profeſſionem fidei, quæ oratione aut ſcriptis fit; & inter uſum & praxin fidei, ſecundum quæ, ut ſecundum fundamenta, illa praxis dirigitur; & ex qua praxi æſtimandum eſt quouſque cultus rationalis manet ſartus tectus. Et quamvis damnemus quoſdam errores ut fundamentales, nobis tamen dubium non eſt, quin infiniti, qui ore profitentur errorem fundamentalem, tamen in cultus & religionis uſu, quam longiſſime abſint à committendo in eo aliquid, quod exitiale, & peſtiferum exiſtens, cultum rationalem invertat. Et id præcipue evenire arbitror in diſputatione de juſtificatione, & meritis bonorum operum. Exiſtimo multos, aut fervore diſputationis abreptos, aut vincendi ſtudio excitatos, aut argutiis ſe, & alios eludentes; ſed præcipue eos, qui vera peccatorum pœnitentia non tacti, nec ſuum demeritum, nec peccati deformitatem, nec Dei juſtitiam ſatis agnoſcentes; nec in iis cogitationem defixam habentes, multa inania, non cohærentia, etiam exitioſa garrire & effutire *de meritis operum*, & de illorum efficientia ad promerendam juſtificationem: ſed vix crediderim ullum vere pœnitentem, & peccati fœditatem recte æſtimantem, & juſtitiam, atque ſanctitatem Dei digne expendentem ad id ſuperbiæ & vanitatis prolabi poſſe ut ea mente & cogitatione agitans in meritis bonorum operum ullum præſidium contra iram Dei collocet: ſed non potius ad Dei miſericordiam, & fœdus Euangelicum in Chriſti ſanguine ſancitum, ſe receptet; in eoque requieſcat. Videtur enim in communibus hominum ſenſibus, atque in ipſa natura poſitum & fixum eſſe neminem ira Dei, niſi precando, & ſuppliciter orando amoliri poſſe; quæ agendi ratio nullum locum reliquum facit meritis operum: & ideo quidam exiſtimant reipſa nullam controverſiam inter Chriſtianos eſſe poſſe de meritis operum, quamvis controverſa res, & plena diſſenſionis inter doctos eſſe videatur. Quod facile concedo ſi de Chriſtianis pœnitentibus, & regenitis id aſſeratur.

Ordo nunc poſtulat, ut de *gratia Dei*, qua hominis animus affici debet, antequam ullam *conditionem*, cujus adimpletionem Deus à ſingulis Chriſtianis adultis exigit, & ſine qua nullus ſalutem conſequitur, poſſit præſtare: cum natura fracta, & debilitata per peccatum ſe ſuis viribus renovare non poſſit, ſed adjumentis gratiæ indigeat. Et quia illa mentis renovatio per gratiam, in Scriptura communiter tribuitur Spiritui Sancto, non erit alienum illa occaſione agere de *perſonalitate Spiritus Sancti*. Doctrina de gratia eſt articulus *cultus inſtituti*: gentibus enim latuit; quemadmodum etiam eos fugit labes & corruptio originalis. Inde inter eos hæ ſententiæ celebratæ: *fortuna à Deo petenda*; *ſapientia à nobis ſumenda: cum Diis gratias agimus, tum nihil noſtræ laudi aſſignatum putamus*: & ideo pietatem, utpote in noſtra poteſtate ſitam nobis à Deo mandatam, & pro virili noſtra parte, tanquam provinciam nobis datam præſtandam, arbitrantur, Deo vice verſa ad ſe recipiente hominem remuneraturum, & præmia in ipſum collaturum. Sed longe ab his diſſentanea nos

docet Scriptura: & paſſim *gratiæ*, qua convertimur, mentionem facit: & de hac re inter Chriſtianos, qui ſunt alicujus numeri, nulla eſt controverſia. Et quandoquidem Scriptura illam Dei opem in noſtra ad Deum, & ad meliorem frugem converſione, *gratiæ* nomine ubique indigitet, & ex vi vocis *gratiæ*, quæ illi voci ſubjacet, conſtet non ex officio, aut ex debito Deum hominibus illam gratiam largiri, inde manifeſtum eſt, munus hominis eſſe, ſi iſtius gratiæ conſors eſſe velit, Deum ad illam obtinendam ſuppliciter venerari; & pietatis, & ſanctitatis ſtudio ejus benevolentiam ſibi parare, & conſervare: agnoſcens *velle & perficere* à Dei gratia pendere, omnes alioquin, qui in hoc officio deficiunt, iſtius gratiæ expertes fore, eaque excludendos. Unde conficitur hominis officium, munuſque ejus præcipue in eo cultu *precum* occupatum eſſe debere; eſſe etiam articulum fundamentalem, *hominem ea gratia indigere, ſi ſalutem adipiſci velit.* Hoc tam manifeſtum eſt, ut ejus nullam rationem reddendam putem. Sed difficultas in eo vertitur, ut definiatur, quid de ea gratia, ejuſque natura & magnitudine creditu neceſſarium ſit: nam ſuper ea re inter Chriſtianos in partes diverſas itum; Deique Eccleſia propter ſententiarum diſcrepantiam lacerata eſt: & quidam rem tanti exiſtimarunt, ut in expedienda illa controverſia etiam deſcenderint ad extremam anxietatem, & ineptas cavillationes: quaſi religio non vivendi præceptis, ſed ſubtilis diſciplinæ laudibus contineretur. Ego arbitror totam hanc controverſiam duabus ſententiis exhauriri; & ita facile rem convenire poſſe, niſi velimus potius ætatem in litibus & rixis agere. *Prima* eſto, gratiæ divinæ vim, & ejus effectus ſeſe in nobis non exerere, niſi per hominis voluntatem, & in hominis voluntate: non vult enim Deus nobis dormientibus noſtram ſalutem conficere. *Secunda*, noſtrum velle pie vivere, & illud votum abſolvere & perficere, ita in ſolidum Dei gratiæ tribuendum, ut nec voluntatis libertati aliquid derogetur, neque ullum pium deſtinatum, inceptum, ejuſque perfectio, & ad exitum perductio facta putetur ſine Dei gratia, ita ut homo impotentiæ ſuæ conſcius, intimo ſenſu agnoſcat ſola Dei gratia ſe extuliſſe ex ſervitute peccati. Reliquas controverſias atque ſententias de gratia, quæ duo iſthæc fundamenta non disjiciunt, non exiſtimo eſſe fundamentales; maximam partem Philoſophicas, & reliquas hujuſmodi, ut veritas, imo & earum momentum ad duas prædictas ſententias expendi debeat. Scriptura enim nihil aliud de gratia docet. Eſt autem ille error, quo mens ita afficitur & imbuitur, ut homo Deum non ſuppliciter veneretur ad adipiſcendam illam gratiam, ſine qua è ſtatu peccati emergere non poteſt, capitalis: quia Deus illam nemini largitur, niſi, qui ipſum ad illam obtinendam precatur, & voluntatem ſuam illa gratia informari, & imbui permittat: ita omnes illæ ſententiæ quamvis errore non vacent, exitiales non ſunt, quæ de modo & indole operationis gratiæ in, & circa noſtram voluntatem, aut de noſtræ voluntatis operatione, in & cum gratia agitantur, dummodo doctrina de gratia modo tradita, & qua omnia, quibus ſalus paratur, ad illam gratiam revocantur, integra conſervetur. Et uſu comperi, præcipuas controverſias *de gratia*, quæ inter Chriſtianos ventilantur, aut nominis & non rei controverſias eſſe: aut natas quidem ex re, & ex non temere ſuſcepta opinione, ſed quæ tamen hominis mentem, & ejus rationalem cultum, non ita traducit in ſuam poteſtatem, ut ſecundum eas homines cultum ſuum dirigant, & inſtituant: nam omnes eodem modo Deum precibus ſollicitant pro obtinenda gratia: & pariter iiſdem mentis cogitatis gratiarum actiones pro impetrata gratia exprimunt, ita ut in ratione conſequendæ gratiæ, ejuſque conſervandæ omnes, qui gratiam agnoſcunt

noſcunt, (loquor de illis Chriſtianis, qui ſunt alicujus nominis & ordinis) conveniant.

Nunc ſupereſt, ut agamus de Spiritu Sancto, cui in Scriptura vulgo attribuitur operatio illa, qua homo excutiens jugum peccati, & ſe vindicans in libertatem filiorum Dei, animum pietatis præceptis & ſtudio informat. Præcipua quidem de eo controverſia eſt, utrum ſit tantum Dei attributum, nempe *potentiæ*, aut *ſanctitatis*: aut utrum ſit Dei *vis* à Deo diſtincta diſtinctione reali, an potius *perſona tertia Trinitatis*? Ut commode hæc res expediri poſſit, *Primo* diſtinguendum eſt inter dona Spiritus *gratis data*, & inter dona Spiritus *gratum facientia*: per dona *gratis* data intelligo nunc, ut omnem ambiguitatem & obſcuritatem vitem, dona miraculorum, & eorum omnium admirandorum operum, in quibus exequendis nulla inſita virtute ſive naturali, ſive divinitus data, homo utitur: ſed tantum in iis operandis eſt externum inſtrumentum, quod ſua efficientia effectum non attingit. Per dona autem *gratum* facientia intelligo: Primo, dona illa, quibus homo ſanctificatur; & quæ hærent in homine, & quibus mens ejus tanquam novis viribus ſanctitatis renovata atque corroborata, viribus illis utitur tanquam ſuis propriis, intrinſecis atque inteſtinis, non foris, aut extra ipſum operantibus. Præter hæc etiam intelligo omnia alia dona, ſive illa hominem ſanctificent, ſive non ſanctificent, quæ ſimiliter homini intrinſeca ſunt; & quibus utitur tanquam principiis ſibi inhærentibus, & quæ per ſe effectum attingunt, nec tamen neceſſario ſanctitatem comitem habent. *Secundo* diſtinguendum inter operationem Dei, ſive inter Deum operantem in nobis actione illa, quæ nobis non fit propria, qualis eſt v. gr. operatio Dei, qua nos creat, & conſervat, & ſuſtentat; & inter operationem Dei, quæ in nobis manens, & conſiſtens, & ſeſe cum noſtro intellectu, & voluntate miſcens, in eaque ſeſe inſinuans, intellectum & voluntatem proxime ad aliquas operationes excitat, & quas tunc homines viribus ſuis operationibus Spiritus Dei excitatis, ſuſtentatis & conſervatis, exequuntur.

Ut commode hæc controverſia expediri poſſet, rem paulo altius acceſſam, & ſimul parum deflectam à ſuſcepto ordine, atque inſtituto; atque ſuſcipiam non ſolum examinare pondus atque momentum articuli de Divinitate & Perſonalitate Spiritus Sancti, ſed ſimul etiam veritatem ejus indagabo: quia hoc ordine utens apparabitur animus lectoris ad ferendum æquius de tota hac controverſia judicium. Sic itaque oriatur exordium. Notum eſt voces *Spiritus Sanctus* frequentes, & celebratas eſſe in Sacra Scriptura; & præſertim in Novo Teſtamento: facile etiam mihi quivis concedet voces *Spiritus Sanctus* ſenſu proprio, & non figurato, uſurpatas, denotare ſubſtantiam; & ſi illi ſubſtantiæ præterea ſine tropo attribuuntur intellectus, & voluntatis opera, illam ſubſtantiam tunc eſſe *perſonam*: quod ſi autem illa opera ſint divina, & potentia creaturæ majora, tunc illam perſonam etiam *divinam* eſſe. Porro dabunt mihi etiam hoc facile adverſarii, cognitionem naturalem de Deo nos non ducere in cognitionem alicujus Dei attributi: aut aliquarum operationum Dei, quibus in nobis generetur, aut excitetur idea, quam vocibus *Spiritus Sancti* exprimere opus habemus. Theologia naturalis nos docet, Deum eſſe *Sanctum*; & ideo ſimul docet, attributum *ſanctitatis* Deo convenire: Deum vi iſtius attributi amare ſanctitatem, quam conſpicit in creatura rationali; eamque remunerare velle. Neque repugnat cultui naturali, docere Deum propter amorem, quo ſanctitatem, & creaturam rationalem amat, ipſam creaturam rationalem ad pietatem ducere, intime ſua vi mentem ejus afficere, ita ut etiam operationes ſanctæ hominum, Deo propterea at-

bui poſſint. Ita ratione naturali conſequi poſſumus Deum miracula præſtare; & etiam talia opera facere poſſe, quæ facultatem hominis quidem excedunt, in, & per hominis mentem tamen ſeſe præcipue manifeſtant; & quæ ideo, quod in mente & per mentem fiant, ſpiritualia appellari poſſint: & ſi illa opera comparata ſint ad pietatem in hominibus excitandam, illa tunc etiam ſanctitatis nomine recte notari: ita ut Deus eorum reſpectu poſſit vocari *potens*, *ſanctus*, *ſpiritualis*: ſed nemini unquam in mentem venire poteſt propter iſthæc attributa, aut operationes Deum *Spiritum Sanctum* vocare, aut *Spiritui Sancto* ut *auctori* iſtas operationes tribuere. Itaque cum nulla naturalis idea rei, quæ per voces *Spiritus Sanctus* proprie ſignificatur, in nobis ſit ſtatuendum vocibus *Spiritus Sanctus* nobis myſterium revelari, aut probandum Sacram Scripturam inuſitato & novo illo loquendi modo nihil aliud nos docere, quam Dei aliquod attributum, aut Dei vim & efficientiam; illaſque voces in Scriptura nunquam niſi impropria, & tranſlata ſignificatione uſurpari: quandoquidem ex ſupra traditis conſtat voces *Spiritus Sanctus*, prout earum uſus in Scriptura extat, nobis, ſi primam earum vocum ſignificationem ſpectes, non ſignificare aliquod attributum *potentiæ* aut *ſanctitatis*, &c. ſed ſubſtantiam: & ita probandi partes ad adverſarios devolutæ ſunt. Sed ut indulgenter cum iis agamus: recipimus nos probaturos Scripturam nos aperte vocibus *Spiritus Sancti* docere illum, quem deſignat per *Spiritum Sanctum*, eſſe *perſonam Divinam*, quia illa de Spiritu Sancto nobis aperiuntur, quæ attributo aut efficientiæ Dei adſcribi non poſſunt.

Qui ad uſum, & conſuetudinem Scripturæ attendit, intelligit Scripturam non temere aliqua voce uti: præſertim tunc non, cum tam crebra ejus occurrit in Scriptura uſurpatio. Sed conſtat in Novo Teſtamento, & præſertim poſt aſcenſum Chriſti in cœlos, illi *Spiritui Sancto* certas quaſdam operationes in œconomia, & diſpenſatione ſalutis tribui; & quidem tales, quæ ſpeciatim à *Spiritus Sancti* virtute, & potentia procedere dicuntur. Ac eſt contra omnem conſuetudinem, & uſum loquendi, tam Sacræ Scripturæ, quam vulgarem inter homines, *potentiæ*, aut *attributo* Dei tribuere *potentiam*, & quæ ſit illius potentiæ, aut attributi *potentia*: ita ut inde recte conficiatur, id cui talis virtus, & potentia tribuitur; & præſertim quando illa comitem habet voluntatem & intellectum, eſſe perſonam. Idque eo magis in controverſia, quam in præſentia tractamus, ſententiam noſtram confirmat, quod ille *Spiritus Sanctus* introducitur in Scriptura, & præſertim in Novo Teſtamento, (in quo illud myſterium Deus hominibus apertius, & plenius manifeſtavit) ut procedens à Chriſto, eique ſubſerviens in perducendo ad exitum opus ſervandorum fidelium: quemadmodum loca ſequentia id manifeſto docent. *Si autem proficiſcar, mittam Spiritum Sanctum ad vos*, *Joh.* 15: 26. *Pater mittet Spiritum Sanctum in nomine meo*, *Joh.* 14: 14. 26. *Ego vobis mittam Paracletum à Patre.* At ratio ſalutis, ut illa revelata eſt in Sacra Scriptura, nos Chriſtum introducit, ut obſecundantem Patri tanquam principio & auctori primo, à quo profecta eſt œconomia ſalutis à Chriſto ad exequendum ſuſcepta: inde nati hi loquendi modi in Scriptura, quibus attribuitur Deo Patri *electio*, *Rom.* 8: 29. *Epheſ.* 1: 1. *Executio electionis*, quæ conſiſtit in vocatione efficaci, *Joh.* 6: 44. *Adoptio*, *Joh.* 1: 12. Ita Pater ut vindex legum, & diſpenſator juſtitiæ introducitur, *Rom.* 3: 25. & quod miſericordia generis humani ductus de nobis ſalute procuranda decretum formaverit. Et ita tota œconomia ſalutis turbatur, ſi Pater ad arbitrium (ut ita loquar) Filii Spiritum ſuum, quem adverſarii *vim*, aut *attributum* Dei eſſe volunt, ad agendum & operandum

rendum expediat: & ita Filius Dux & Princeps conſilii fuerit. Sed optime omnia conſentiunt, ſi Spiritus Sanctus, habitus pro tertia perſona, & in ordine trium perſonarum tertius, & ultimus; & à Patre, & Filio, aut per Filium procedens; ab iiſque ſuæ perſonalitatis principium habens, & utrique Patri, & Filio ſuccenturians in opere ſalutis conſideretur; ita ut, quemadmodum Filius nihil operatur, niſi videat operantem Patrem, ita Spiritus Sanctus nihil operatur niſi videat operantem Patrem & præſertim Filium: & putetur ex illo depromere & ſumere id, quod in Sanctis operetur, iiſque revelet. Et ideo Pater & Filius dicuntur mittere Spiritum Paracletum: at præterquam quod Pater & Filius contradiſtincti Spiritui Sancto, quemadmodum in locis ſupra citatis fit, non poteſt dici mittere Spiritum Sanctum, ſi Spiritus Sanctus eſt attributum, aut vis Patris & Filii: ita etiam repugnat minimeque convenit cum ratione ſalutis in Scriptura revelata, Deum Patrem agere ad Filii arbitrium, ita ut Pater in ratione procurandæ ſalutis hominis, Filio ſubordinatus eſſe putetur. Ita ut Pater videretur voluntatem ſuam contuliſſe ad voluntatem Filii. Legimus quidem Patrem agere, & operari obſecundantem precibus Filii; at nunquam ulla dependentia Patris à Filio operationibus externis in Scriptura nobis inſinuatur, aut docetur: quemadmodum loca ſupra citata Spiritum Sanctum ſubordinant Filio; eumque introducunt ut ſanctificantem, foventem, conſervantem & cuſtodientem eos, quos Filius redemit. Et propterea baptizamur in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti: quod idem eſt ac conſecrari & addici alicujus ſervitio, 1 *Cor.* 1: 13. At quam remotum eſt ab omni loquendi modo (præſertim tunc, quando nulla naturalis aut revelata cognitio omnibus in promptu, nec quæ ex reconditis fontibus haurienda ſit, doceat modum loquendi figuratum eſſe) diſerte Patrem & Filium diſtinguere à Spiritu Sancto, & tamen per Spiritum Sanctum intelligere Patris attributum, aut ejus vim & potentiam. Spiritum ſcrutari arcana Dei Patris, & eſſe tamen ipſum Patrem. Sed hi loquendi modi oſtendunt & docent intimam conjunctionem, & permeationem illius cum eo, in quo ſcrutando occupatur. Et cum Spiritus dicitur ſcrutari, inde manifeſto evincitur illum eſſe perſonam; quemadmodum ex omnibus aliis Scripturæ locis, quæ Spiritui Sancto intellectum & voluntatem tribuunt, eadem doctrina confirmatur. Cui quæſo aliquid contra in mentem venire poteſt, quando ſpiritui hominis tribuitur ſcrutatio cordis, quam ſpiritum hominis, cui tribuitur cognitio, eſſe ſubſtantiam ſpiritualem & rationalem? At quare detractamus Spiritui Sancto, ſcrutanti arcana Dei, eandem ſubſtantialitatem tribuere. Dicimus quidem Deum per potentiam, ſanctitatem, juſtitiam, &c. agere quæ vult. At eſt alieniſſima locutio, & quam ſenſus communis reſpuit, potentiam aut ſanctitatem Dei *agere quæ vult*; & præſertim tunc ratio ab illo loquendi modo abhorret, quando in eodem ſermonis contextu Pater & Filius ut diſtinctæ perſonæ introducuntur, & ſingulis ſuæ operationes, quæ tantum à ſubſtantia intellectu & voluntate prædita proficiſci poſſunt, attribuuntur. Et tunc præterea Spiritui Sancto etiam ſuas operationes tribuere; & tamen urgere Spiritum Sanctum tantum eſſe attributum Dei, aut ejus vim. Vide 1 *Cor.* 12: 4. *Diſtinctio autem donorum, ſed idem eſt Spiritus: diſtinctio miniſteriorum, ſed idem eſt Dominus: diſtinctiones actionum ſunt, ſed idem eſt Deus agens ea omnia in omnibus.*

Sed hæc doctrina adhuc clarior & apertior redditur, quando percipimus tales loquendi modos in Scriptura exſtare, qui docent Spiritum Sanctum à Patre & Filio diſtinctum eſſe, & habitare in homine; non tantum quatenus qualitates ſanctas in homine

homine producit, aut ad quaſdam actiones hominis aliquas actiones & miracula, extra hominem exiſtens, operatur: ſed quatenus ipſe, ut perſona in homine habitans, per ſe proxime hominis menti quædam afflat & inſtillat. V. Gr. cum *Rom.* 8. dicitur *precari pro nobis ad Patrem,* (nota) *cum ipſi neſciamus quid debeamus precari.* Hoc eſt, cum illæ preces non procedunt aut proficiſcuntur ab habitu precum in nobis, & ita ex illo habitu non excitantur, ſed Spiritus Sanctus ſe miſcens hominis ſpiritui, ipſum proxime afficiat. Eodem referendum, quod docetur de eodem Spiritu, ut Paracleto, quod *ducet Apoſtolos in omnem veritatem*; & propter quam operationem illi Spiritui peculiarem, homines ſancti atque Prophetæ locuti dicuntur *per Spiritum*, & Spiritum locutum eſſe per eorum os, *Act.* 1: 16. 3: 18. 21. *Matth.* 22: 43. *Marc.* 13: 11. Et quandoquidem donum prophetandi non erat aliquod donum, quo Prophetæ imbuebantur, tanquam aliquo principio & habitu hærente in hominis mente, non magis certe, quam donum miraculorum; quia Scriptura ſoli Deo attribuit cognitionem & prædictionem futurorum: ſequitur inde manifeſto, modos loquendi ſupra citatos nobis ſignificare actionem perſonæ à noſtra perſona diſtinctæ: ſed quæ actio ſuo modo in nobis deſinit & terminat. Eodem referendum quod narratur, *Act.* 2: 33. *Itaque dextra Dei ſurſum ſublatus, & Spiritum Sanctum promiſſum adeptus à Patre, illum effudit*, &c. At ex infinitis locis conſtat Spiritum Sanctum non eſſe nec Dei nec Chriſti virtutem, aut attributum, quorum ſupra quædam in medium protuli. Et hic locus ſatis docet Spiritum Sanctum non eſſe virtutem aut attributum Chriſti: quia illum accepit à Patre, & meritus eſt ut Pater virtutes ſuas exereret, & dona effunderet in homines: quatenus munus Chriſti mediatorium hoc depoſcit: & ideo Spiritus Sanctus vocatur *Spiritus Chriſti*, *Galat.* 4: 6. *Rom.* 8: 9. 1 *Petr.* 1: 11. & ideo *donatur à Filio*, *Joh.* 20: 22.

Et ex illa proxima operatione Spiritus Sancti in nobis, qua immediate non per aliquod principium, aut habitum in nobis, menti ſeſe manifeſtat, ducitur ratio cognoſcendi quid Scriptura intelligat per blaſphemiam contra Spiritum Sanctum: nam peccare *in* aut *contra Spiritum Sanctum*, ut vulgus loquitur, non eſt peccare contra conſcientiam, neque contra commotiones animi, quæ ſequi ſolent, quando intellectus eſt illuminatus, aut perſuaſus de aliqua re: aut quando voluntas vi iſtius luminis intellectus, hominem agit atque impellit ad operandum ſecundum illam operationem intellectus; & qui homo tamen iſtis animi motionibus non parit: quia avertitur ejus mens per alias falſas ideas, ſpeciem boni oſtentantes, quibus homo ſe tradit; & qui ideo ita peccat contra conſcientiam, quia hæret eodem tempore, & in memoria præſens illi eſt recordatio judicii, quo ſcit ſe aliter aliquando judicaſſe de actione quam operatur, eamque condemnaſſe; & quam etiam nunc condemnat propter eandem rationem, propter quam antea actionem illam vitioſam æſtimabat; & quam cupido peccati non tollit. Sed blaſphemia in Spiritum Sanctum eſt, quando homo ita reluctatur iſti operationi Spiritus, (quam in ſe experitur, & cujus effectus ſe ſentit eſſe participem, quia mens vivide affecta eſt) ut illi parere nullo modo velit: excutiens & extorquens ſibi totum hoc principium; nec volens amplius ipſo Spiritu Sancto duci, ſed abdicans illud principium illique nuncium mittens Spiritum Sanctum ita abnegat; fidemque atque ſanctitatem illi abrogat, obſequens pravæ ſuæ cupiditati.

Nam quamvis longe abſim ab Enthuſiaſtarum errore, nullo modo tamen iis aſſentior, qui nullam Spiritus Sancti immediatam operationem, quam per ſe, abſque principio, diſpoſitione, aut habitu mentis,

tis, in intellectu & voluntate hominis operatur, admittunt: ſed qui contendunt omnes mentis ſpirituales atque cœleſtes operationes ex principiis & habitibus in homine exiſtentibus (quanquam divinitus productis) proficiſci. Qui intendit animum in conſiderationem textuum, qui loquuntur de peccato in Spiritum Sanctum, & præſertim qui habentur, *Hebr.* 6: 4. & ſequentibus, & *Cap.* 10: 26. facile percipiet illic agi non de aliquo habitu ſanctitatis, contra cujus vim & commotionem peccatores agunt; ſed de proxima Spiritus operatione in hominis mente; qua tam vivide affectus eſt, ut cognoſcere potuerit, illam plus quam humanam eſſe.

Per hanc occaſionem indicandum arbitror me non exiſtimare Scripturam *per peccatum ad mortem*, de quo 1 *Joh.* 5: 15. 16. idem peccatum intelligere, quod Scriptura vocat peccatum in Spiritum Sanctum: ſed exiſtimo *per peccatum ad mortem* loco ſupra citato intelligi peccatum aliquod grave; & propter quod Deus hominem peccatorem morbo gravi afflixit; ſed cujus peccati æger vera non ducebatur pœnitentia, quare Deus noluit donum ſanationis, quod in primitiva Eccleſia viguit, erga talem peccatorem adhiberi, neque in illum finem preces pro & ſuper tali ægroto fundi. Ideo etiam loco citato precum & vitæ donationis fit mentio. Nam hic per vitam non puto intelligendam vitam æternam, ſed vitam temporalem, & liberationem à morbo exitiali: quæ liberatio, cum ad preces & unctionem ſequebatur, manifeſtum argumentum & indicium erat, Deum per preces presbyterorum ægroto indulſiſſe ſanitatem: de qua exauditione precum agitur *verſ.* 14. Et Apoſtolus verſibus 15, 16. occurrit ſcrupulo, aut objectioni, quam fideles formare poterant ex eo, quod multis ægris precibus cupide ſanationem expetentibus, ipſis tamen ea non contingebat nec oriebatur, cujus cauſam rejicit in irreſipiſcentiam ægroti: pro quo etiam non vult ut preces concipiantur, ne donum ſanationis, & cæremoniæ externæ, quæ in perpetratione iſtius miraculi adhibebantur, fruſtra tentarentur, & ne ita in contemptum abirent. Agitur itaque 1 *Joh.* 5: 15, 16. de illo caſu, de quo loquitur Apoſtolus Jacobus, *Jac.* 5: 14. *Marc.* 16: 18. & præſertim *Marc.* 6: 13.

Nunc ſupereſt expendere pondus hujus articuli, & an in numero articulorum fundamentalium ponendus ſit. Supra ſtatuimus creditu neceſſarium eſſe, nos eſſe corruptos, & ope & gratia Dei indigere ad fidem & veram reſipiſcentiam. Nunc addo etiam neceſſe eſſe credere, illam gratiam, quam Scriptura ubique inculcat, & Spiritui Sancto attribuit, eſſe effectum & fructum meriti Chriſti: quia Scriptura nobis ubique Chriſtum exhibet tanquam rupem & fundamentum unicum noſtræ ſalutis; tanquam unicum nomen ſive perſonam, per quam ſalutem adipiſcimur, & per quam ſolum aditum ad Deum Patrem habemus. At is bonam magnamque partem noſtræ ſalutis Chriſto eriperet, qui aut negaret ſe gratia indigere, aut ſe illam per alium, quam per Chriſtum, poſſe conſequi. Abſque hoc nec vera pietas erga Chriſtum, & quanta ei gratia debeatur, poteſt intelligi. Et Scriptura præcipue hoc inculcat, ut nos doceat in Chriſto, & per Chriſtum ſalutaria tantum à Deo ſperanda, atque obtinenda eſſe. Credendum itaque porro Spiritum Sanctum eſſe Spiritum Chriſti, quatenus in diſpenſatione & œconomia ſalutis interveniente merito & ſacerdotio Chriſti, operationes Spiritus Sancti exeruntur ad perficiendos, & per ſanctificationem apparandos omnes qui ſalvantur. Et ita credendum iſtum Spiritum Sanctum à Patre per Chriſtum, & à Chriſto nobis miſſum in Paracletum, Doctorem, & Sanctificatorem; & qui tanquam Numen in nobis operans, nobis præſens eſt, afflat, & ſanctificat, & in cujus nomen etiam ideo baptizati ſumus: & qui ſancte religioſeque

colendus eſt, pro proportione & menſura cognitionis; & ratione conceptus, quem in ſingulis generant proprietates & characteres, quibus per nomina *Paracleti*, *Doctoris*, &c. inſignitur; & intellectui atque fidei noſtræ ſubjicitur. Nec arbitror creditu neceſſarium eſſe cognoſcere, quo pacto Spiritus Sanctus, qui à Patre & Filio procedit, diſtinguatur ab utroque: dummodo Chriſtianus profiteatur Spiritum Sanctum modo ſupra tradito, *à Patre & à Filio, ſive per Filium procedere; & dari atque exiſtere Spiritum Sanctum ſpiritualibus operationibus, & ad cœleſte Chriſti regnum comparatis, præſidentem; & amoris conſpiratione, quam in Sanctis operatur, fidelium gregem conſentientem tenentem; & ita Filio ſubſervientem ad perducendum ad exitum id, quod Chriſtus in ſuſcipiendo opere mediatorio, à Patre ſuo pactus eſt; & quod ſibi reipſa, peracto redemptionis opere, peperit.*

Nunc ſupereſt agere de *Charitate*, ſive de *ſanctitate* hominis: & quid de ea homini creditu neceſſarium ſit. Hæc res non poteſt habere magnam dubitationem; quia quemadmodum ſupra indicatum eſt, omnem cultum, tam naturalem quam inſtitutum, aut revelatum diſturbat, tueri & docere pietatem, & bona opera nihil momenti adferre ad conſecutionem ſalutis; nihilque intereſſe, ſive bene ſive male vita exigatur. Credendum itaque eſt opus eſſe ſanctitate, *ſine qua nullus Deum viſurus eſt.* Quid autem ad ſanctitatem veram requiratur, id enucleatius hic diſputare nihil ad nos attinet. Sufficit hic dixiſſe per ſanctitatem nos intelligere *verum ſtudium pietatis*: quod præcipue complectitur abnegationem ſui, & omnium rerum abdicationem, quas cum lege Dei pugnare arbitramur, cum propoſito proficiendi, & indies alacrius currendi in virtutis ſtadio; iſtudque propoſitum effectis cumulandi. Non eſt enim vera pietas Chriſtiana, quæ tantum conatur adferre mediocritatem vitiorum, non autem eorum univerſum interitum. Quæri hic poſſet, quales errores in decidendis caſibus conſcientiæ ſint fundamentales, & eouſque hominem à ſanctitate ſejungant, ut vera pietas cum iis convenire non poſſit? Hanc quæſtionem expedire jam non licet propter caſuum conſcientiæ innumerabilitatem. Summa tamen reſponſionis, aut potius fons ſolutionis omnium iſtarum quæſtionum eſt, ne illum errorem in praxi ſectemur, & juxta eum vitæ inſtitutum dirigamus, quo contra principia legis naturalis, quæ omnia alte hominis menti inſita ſunt, agamus; neque in iis, quæ contra opinionem vulgi recta & æqua, quamvis non neceſſaria arbitramur, putemus licitum nobis eſſe indulgere, cum offenſione proximi: de cujus ſcandali vitatione Paulus *Rom.* 14. pleniſſime agit. Cæterum arbitror hominem probum, & cujus animus vera pietate tactus eſt, non diu hæſurum quo ſeſe conferet, & ad quam partem ſeſe convertet, ut vitet aliquod factum aut vitæ inſtitutum, quod cum ſalute congruere non poteſt.

Eſt tamen illuſtris & celebris quæſtio inter Chriſtianos, & quæ *mores* ſpectat, & quam ideo ita tacitam præterire non poſſumus, ut iſtius articuli naturam non in *aperto* ponamus. Eſtque illa *de jure Magiſtratus adminiſtrandi, & belli gerendi.* Mennonitæ exiſtimant jus pœnarum (his enim vocibus puto totam controverſiam non male comprehendi) directe adverſari *Charitati Chriſtianæ*: at reliquarum ſectarum Chriſtiani illud jus ab hoc vitio abſolvunt. Quæritur, quo numero articulorum *neceſſariorum* ne, an *non neceſſariorum* ille error Mennonitarum cenſendus ſit? Reſpondemus illum errorem non ſolum non eſſe fundamentalem, ſed levem. Et ſæpe me miratio tenuit, unde fiat, quoſdam Theologos, & Magiſtratus contra hoc genus hominum, qui illam religionem profitentur, adeo exarſiſſe, cum illa innoxia ſit ſocietati, & manarit à teneritudine conſcientiæ, & ab inſigni cautione, ne charitatem aliquo ſuo facto

læderent; cum cæterum Mennonitarum vita talis ſit, ut ſi moribus agere velimus, multæ Chriſtianorum ſectæ iis non ſint futuræ pares. Cum itaque eorum doctrina nullam partem cultus naturalis, aut inſtituti, aut doctrinæ moralis evertat: quid cauſæ ſubeſt, quare illos odimus, aut eorum errorem exitialem, aut ita peſtiferum putemus, ut etiam multi Chriſtiani Magiſtratus eos finibus expellant; extorreſque patria faciant?

Eſt autem hic ſermo de talibus Mennonitis, qui pœnarum jus tantum *Magiſtratui Chriſtiano* non permittunt, aliis autem id non eripiunt, neque illud cum jure naturali pugnare exiſtimant: ideoque illud jus gladii in omnibus ſuſpiciendum & reverendum eſſe, præſertim illis, qui in illius uſu nullum nefas eſſe arbitrantur. Plane eodem modo, quo nos æſtimamus jus dominii, & illius juris uſum in multis agnoſcendum, quamvis æſtimemus multos charitate Chriſtianâ teneri ſe privare dominio & utilitate multarum rerum; eaſque largiri pauperibus: nec tamen illa noſtra ſententia de proximi charitatis officiis, iſtius proximi poſſeſſiones minus cautas, & minus certas reddit: quamvis arbitremur illum ſe iis privare debere, ſi charitatis officiis ſatisfacere velit. Ita jus gladii iſtorum Mennonitarum doctrinâ non labefactatur eorum reſpectu, qui illud jus Chriſtiano convenire putant: quia Mennonitæ exiſtimantes jus gladii à Chriſtianis uſurpari non *deberi*, non ideo cuipiam jus eſſe putant illud Magiſtratui eripere, aut ex ſocietate hominum tollere.

Huc etiam revocanda eſt illa quæſtio, quo nempe loco cenſendus ſit error Pontificiorum in permittendis conjugiis, quæ nos inceſtuoſa vocamus, quæ illi tamen eo numero non habent; & ſcriptis atque factis teſtantur ſibi æque ac nobis inceſtuoſa conjugia inviſa atque exoſa eſſe: ſed ſtatuunt illa conjugia, ad quæ propter rationes graviſſimas (ut ferunt) indulgent, & quæ neceſſitas excuſat (quemadmodum in rebus pudoris neceſſitatis ea vis eſt, ut quod extra neceſſitatem turpiter fiebat, id propter neceſſitatem eo vitio liberetur) non eſſe *inceſtuoſa*: ſed Eccleſiæ jus eſſe ſtatuunt ad declarandum in certis circumſtantiis *notam turpitudinis* ab illis conjugiis abeſſe. Videtur itaque illa controverſia tantum ſpectare ſingulares quoſdam caſus difficiles; & de quibus Chriſtiani haud facile convenire poſſunt, non propter inclinationem in quædam vitia, & quæ cum vera pietate pugnat, ſed propter rationes implicatas & difficiles, à quibus ſolutio iſtius quæſtionis pendet. Quemadmodum evenit etiam inter Chriſtianos Reformatos de quibuſdam caſibus diſceptari, utrum cum charitate, juſtitiâ, modeſtiâ, &c. congruant, an cum eâ pugnent: nec tamen ideo eo temeritatis procedunt, ut eum, qui ab ipſis diſſentit, & juſtum atque æquum putat, quod ipſi ab eo alienum eſſe arbitrantur, ideo impietatis coarguant, aut illi animum tribuant parum virtute juſtitiæ, æquitatis & modeſtiæ affectum: ſed talis ſententiæ defenſionem à ſuâ diſcrepantis non impietati, ſed vitio atque errori infirmitatis humanæ imputant. Neque refert illa peccata, quæ ex infirmitate mentis humanæ adverſarii oriri putant, appellentur odioſo illo nomine *inceſtus*; & quod, ſi ſint peccata, ad inceſtum revocari debeant: nam quamvis ab illo fonte derivantur; imo etiam propter illam vitioſitatem, quam ab eo fonte mutuantur, *inceſtus* recte appellentur, non eſt illa ratio ſufficiens quare talia peccata non poſſint numerari inter peccata *infirmitatis*. Et poteſt hoc præcipue obtinere in peccatis, quæ committi dicuntur contra pudorem aut dignitatem naturalem hominis: quia poſtquam apud majores ſemel ab ea commendatione & perfectione naturæ deſcitum eſt; & mala inter gentem aut familiam conſuetudo obtinuit, difficile eſt in rationem

primam iſtius mali inquirere. Et ideo illud peccatum non tantum in ſocietate civili minus grave exiſtimandum, ſed etiam reſpectu Dei: quamvis Scriptura illa peccata eo appellet nomine, quo notari digna ſunt, ſi ad primas naturæ leges reſpicias, remque ad eas expendas: ita ut id, quod *inceſtus*, *adulterium*, &c. ſit & vocetur; quia formalis iſtorum peccatorum ratio iis continetur, tamen quia longe receſſum eſt à primâ origine, in quâ vitioſitas iſtorum factorum conſiſtit & ſeſe ultro prodit, ideo evenit illa vitia induere naturam errorum in moralibus, quia tantum longâ argumentorum ſerie coarguuntur, errores & peccata eſſe: & quæ tamen furti, rapinæ nomine recte vocantur; & reipſa talia ſunt: quia ubi rationem talium peccatorum ad primum ſuum fontem revocaveris, conſtabit illa fieri contra præceptum, v. gr. *non furaberis*, *non concupiſces*. Et quamvis nec fures, nec alieni cupidi unquam cœleſtem hæreditatem conſequentur: de talibus tamen, de quibus jam inſtitutus eſt ſermo, & qui per errorem, qualem jam ſupra memoravimus, labuntur, recte ſententiam feras, illos, ſi alioquin ex animo pietatem colant; neque contra conſcientiam, ſenſumque mentis agant, æternæ ſalutis fore participes.

Chriſtus verbis expreſſis, quæ nullam dubitationem in mente lectoris relinquunt, declarat illum adulterium committere, qui uxorem ſuam deſerit; quamvis juxta legem Moſis repudiatæ libellum repudii dederit. Et Apoſtolus Paulus diſerte docet ſcortatorem cum ſcorto unum corpus fieri, quia juxta primum conjugii inſtitutum, quod vim & rigorem ſuum omnibus ætatibus obtinet, & quam legem Deus nunquam mutavit, copula carnalis cum muliere iſtum nexum importat, ut *duo fiant una caro*. Ita ut *illa copula* ſemper, etiam hodie matrimonium complectatur. Neque à veritate aberrant, qui ſtatuunt tam eum, qui cum muliere conſuevit, nec eam ducit, ſed alteri per conjugium ſeſe addicit, *adulterium committere*, quam illum, qui ſtante politia Moſaica uxorem dimittebat, & aliam ducebat; de quibus Chriſtus dilucide declarat, illos adulterium commiſiſſe: & ratio iſtius ſententiæ eſt, quia in utroque caſu *adulterii formalis ratio* ſeſe æque prodit. Non enim ſolennia matrimonii, neque ipſa ſtipulatio matrimonium contrahentium; qua promittunt perpetuam vitæ conſuetudinem, conſtituunt matrimonium: ſed iſtis tantum declaratur quid copula importet: at copula ex inſtituto Dei unicum eſt vinculum, quo conjuges junguntur. Et propter eaſdem rationes ſtatuo omnes Judæos, qui ſuper primam, etiam ſecundam aut tertiam in domum ducebant uxorem, formali adulterio ſe polluiſſe; quia juxta conjugii inſtitutum debent tantum *duo eſſe in carnem unam*: & ideo neutra contrahentium pars habet *poteſtatem ſui corporis*, qua quantum ad debita, & jura, quibus mutuo tenentur conjuges, alium in ſocietatem iſtorum jurum vocare poſſint.

Sed inquies, an ſancti illi Patriarchæ ſub V. T. ſeſe reos conſtituerunt adulterii, cum duas ſibi jungerent uno tempore uxores? Aut an illi Judæi, qui dimittebant uxorem, & aliam ducebant, ejuſdem criminis rei peragendi ſunt? Et an is qui cum ſcorto conſuevit, nec eam in uxorem ducit; ſed ad vitandam ſcortationem, legitimum cum honeſta init conjugium, ſe tamen in adulterii peccatum induit? Reſpondeo affirmando, quia *ratio formalis* iſtorum peccatorum ex legibus matrimonii petenda; quæ ratio una eſt, & in indiviſibili conſiſtit: & iſthæc ſupra enumerata peccata non ſubſiſtunt in mente; nec ideo eo tantum nomine veniunt, quia *reduci* poſſunt ad hujuſmodi peccati genus, quemadmodum peccatum *concupiſcentiæ*, qua aliquis cum alterius uxore copulam expetit; & quod peccatum concupiſcentiæ non eſt eo nomine

for-

formale adulterium, quo nunc ſcortationem, divortium, polygamiam, adulterium formale eſſe ſtatuo, ſed illa concupiſcentia tantum ad adulterium reducitur; & eo nomine inſignitur, quia ducit ſua natura hominem ad adulterium formale, taleque ſit, quando actu completur. At ſupra enumerata peccata *formalia adulteria* eſſe tueor, & non ideo quod reduci poſſint ad hoc genus peccatorum. Quemadmodum vitium, cui obnoxii Americani, qui genitalia non tegunt, vivunt, ejuſdem generis peccati ſit, & ejus turpitudo ab eodem fonte & principio derivetur, ad quod referenda eſt actionis fœditas, qua aliquis inter Europæos nunc pudenda in hominum cœtu aut corona, oculis hominum ſubjicit: at quanto tamen intervallo, ſi peccatorum pondus ſpectes, iſtæ diverſarum nationum actiones, non ſpecie externa tantum, ſed etiam origine & conceptu formali ſimiles, à ſe invicem divergunt. At quamvis hujuſcemodi peccata adulteria cenſenda, & eo nomine appellanda ſint, ſi veritas in diſputatione limitetur, nec ſermo accommodetur ad opinionem vulgi, non tamen omnia adulteria æque gravia ſunt, ſed quædam ex errore quodam profecta tam levia ſiunt, etiam Dei reſpectu, ut contra æquitatem eſſet propterea aut cogitatione aut oratione tali errore lapſos ea turpi nota afficere: quemadmodum contra jus & fas eſſet proximum errore male inſiſtentem, & quædam bona ſibi male vindicantem, aut vitæ aliquod munus non plane à vitio liberum, amplectentem, de quibus inter doctos tamen lis eſt, utrum illa bonorum vindicatio, aut muneris adminiſtratio juſta & legitima ſit; propterea proximum appellare furem, ſacrilegum, injuſtum, fœneratorem, quibus non eum inſectari nominibus inviſis. Sed ad inſtitutum.

Volui hac digreſſiuncula uti, ut inſinuarem lectori bene penſiculanda omnia vitiorum momenta, antequam de ſtatu ſpirituali proximi judicium feramus: & cavendum ne nos proripiamus ad cœtum aut aliquem ſingularem hominem impium æſtumandum, quia verſatur in aliquo peccato, quod quidem in graviſſimorum peccatorum claſſe ponendum, quia in eo continetur formalis ratio, propter quam illud in certum peccatorum numerum rejiciendum ſit; ſed quod propter circumſtantias tanti faciendum non eſt, ut de eo non magis commoveri debeamus, quam de levi peccato: neque ideo de Eccleſia aut ſingulari homine ſtatuendum illam veram Eccleſiam, aut illum verum fidelem non eſſe, qui errore aut infirmitate ſe talis peccati reum facit. Utinam hoc in Eccleſia, in qua dego, uſurpatum fuiſſet; nec unus, aut alter feroculus, & plurimum de ſe ſentiens Antiſtes in famam aliquorum fidelium graſſans, in ſcriptis & pro concione eos non vocaſſet *ſacrilegos fœneratores*, &c. qui aliquod vitæ inſtitutum ſequebantur, quod illis Theologis non probabatur: de quibus tamen inter doctos, propter difficilem quæſtionis rationem diſputabatur. Et niſi à prudentibus & moderatis Eccleſiæ Presbyteris occurſum fuiſſet iſtorum hominum furori, an zelo, dicam neſcio, etiam ad excommunicationem proceſſum fuiſſet. Nec contenti ſpectatiſſimorum virorum æſtimationem læſiſſe, etiam conſcientiæ plagam inferre tentabant, eoſque privare bonis ſpiritualibus, quæ Deus in Eccleſia per Sacramentorum adminiſtrationem fidelibus impartit.

Nunc ordo poſtulat, ut agamus de beatitudine hominis, quo eum fides per charitatem operans ducit; & quæ ideo eſt finis & exitus quem pietas habet. Per beatitudinem intelligimus illum hominis ſtatum, qui completus eſt omnibus gaudiis; nec quicquam ægrum aut dolendum habet. Hunc articulum creditu neceſſarium eſſe ſatis ex ſupra dictis conſtat, quando probare contendimus virtutem homini degenti vitam in hoc mundo, in perpetuum omnibus miſeriis affluentem,

non eſſe ſatis magnum pretium, quare ipſam colere debeat; & ideo docuimus cultum rationalem non requirere, ut potius virtutem ſecter, quæ miſeriam comitem habet, quam vitium, quod mihi commoda & emolumenta, quibus delector & capior, præbet. Beatitudinem itaque in terris obtineri non poſſe uſus docet, neque oratione id probare neceſſe eſt. Iſtam beatitudinem debere eſſe æternam ipſius definitio ſatis indicat: cogitatio enim iſtam beatitudinem aliquando deſituram eſſe, turbaret omne animi gaudium; quemadmodum evenire ſolet, quando metu cruciamur & angimur. Eodem referendum, hominibus virtutis via graſſantibus ſpem certam eſſe factam, ipſos iſtius beatitudinis fore participes: qui enim iſtam veritatem animo non tenet comprehenſam, ille fluctuet neceſſe eſt; neque poterit omnes ſuos conatus ad virtutem referre, qui animi pendet utrum recte operanti, & virtutem longe omnibus aliis rebus anteponenti, conſtitutum ſit præmium. Nec arbitror quicquam nobis acrius calcar ad perſequendam virtutem addi, quam fidem alte hominis menti inſidentem, eamque peragrantem, qua credit Deum potentem eſſe reddendi ſe beatum; idque certo Deum præſtiturum, ſi ipſe ſibi non deficiat: & præſertim cum contra, aut ratione perſpexerit, quam inanes & vacuæ ſunt mundi voluptates atque illecebræ, aut eas ſatietate abjecerit, aut experiendo contemnere didicerit.

Manat ex præcedentibus neceſſitas articuli de ultimo judicio: quia illi cultus rationalis conſtare non poteſt, qui non credit Deum peccatum odio habere, & virtutem ipſi curam eſſe: & Deum ideo bonos & malos non eodem jure habere. Sed hic quæritur, an ſit etiam articulus fundamentalis, improbos poſt ultimum judicium cruciatibus æternis obnoxios futuros? Et an non ſatis ſit credere impios ita à facie Dei perituros, ut ſuperſtites non ſint futuri, totique abolendi? Auſim audacter definire eſſe *errorem fundamentalem* credere improbos defunctos nullam manere pœnam, ſed mente & corpore delendos, & funditus tollendos. Rationes, quæ me deducunt in illam ſententiam, multæ variæque ſunt. Prima eſt, quod Deus in Chriſto tam excellens documentum mortalibus dedit, quantopere odiſſet peccatum, & qualem quantamque pœnam id mereatur, ut ſumma doctrinæ Euangelicæ illa doctrina contineatur: quapropter etiam ſupra ſatisfactionem Chriſti recenſui inter articulos fundamentales. At quod exemplum proditur juſtitiæ Divinæ vindicativæ, quando improbus, qui feliciter hic ætatem egit, eique omnia ex voto fluxere; & qui inſuper libidinibus inflammatus & furens ſe in omnia peccata præcipitem conjecit; ut nec pudor nec metus pœnæ eum revocarit, uſuram vitæ per mortem deſerens, omni bono & malo ſimul privetur? Præſertim, ſi cogitemus in improbis tantos impietatis gradus reperiri; & alium alii longe flagitiis antecellere, qui tamen parem vitæ exitum habentes, poſt mortem eſſe deſinunt. Eſtne eo agendi modo vindicativæ juſtitiæ documentum præbere, ubi imparibus tam par manet exitus? At inſtant metus tamen carendi ſumma beatitudine; & nihil ſui poſt hanc vitam fore ſuperſtes, ſi impietati ſe tradant, ſufficit ad improbos deterrendos à peccato; & contra probi amore Dei atque juſtitiæ ducti atque incenſi poſſunt facile carere metu pœnarum, quo à malo revocentur. Addunt præterea quandoquidem nulla vera virtus metu pœnarum exercitur, ſed illa ſua ſponte, & ſua charitate coli debeat, quid facit metus pœnarum æternarum ad adhortandos homines ad virtutem? Si inquiunt, modeſti, ſi pudici pœnæ aut infamiæ metu coërcebuntur, non ſanctitate ſe tuebuntur, neque illis laudi erit aut præmio virtutem coluiſſe. Reſpondeo: iſtam privationem beatitudinis non poſſe haberi loco pœnæ profectæ à juſtitia

tia

tia Divina: quia illa non æquo jure diſtribuitur. Deinde, pone iſtam carentiam in claſſe pœnarum, non tamen eſt efficax ad prohibendum, ne illi, quibus beatitudo cordi non eſt; neque ad eam acquirendam laborent, tam facile ſe flagitiis & ſceleribus tradant; quam minoribus peccatis ſe oblectent. At quæro, quid cum cultu rationali magis pugnat, hominem, qui natura & ſua ſponte inter gradus peccatorum diſtinguit, ipſum tamen credere omnibus peccatis parem pœnam eſſe conſtitutam; neque quicquam cauſæ eſſe (ſi metum pœnæ temporalis excludas) quare v. gr ſcortationem majus nefas, quam adulterium æſtiment: cum utrumque æque impune committi poſſe putant? Ergo beatitudini renunciantibus hominibus nulla conſtat ratio, quare non potius omnibus vitiis ſeſe immergant, quam ab aliquibus ſe temperent, ſi voluptate & gaudio iis fruendi capiantur. Ergo ex ſententia adverſariorum manat, cultum rationalem ceſſare in iis, qui beatitudinis deſiderio, aut virtutis pulchritudine nondum ſunt tacti, (quod omnibus hominibus ex vitioſæ ſuæ naturæ principiis evenit) & qui ideo animo complecti non poſſunt nec beatorum ſtatum, nec pulchritudinem virtutis acie corrupti ingenii intueri: ſed qui metu pœnarum apparari debent, ut vitiis per illum metum abſtinentes virtuti locum dent, & guſtum virtutis capere incipiant, quia nec (ut jam dixi) beatitudinis ſpe illecti, nec virtutis pulchritudine capti, nec pœnarum metu à maleficiis revocati vitio naturæ ſuæ ruunt in omne nefas. Quemadmodum diſcipulus in initiis inſtitutionis, non diſciplinarum pulchritudine capi poteſt, aut per eam accendi, ut laborem & vigilias ſubeat; ſed ferulæ & virgidemiæ metu; aut pulchritudine earum rerum, quarum poteſt habere ſenſum, à deſidia revocetur neceſſe eſt. Ita homini corrupto & vitiis humi ſtrato virtus altius collocata eſt, quam quod eam ſuſcipere poſſit, aut ejus pulchritudine affici: ſed poſtquam metu pœnarum repreſſa eſt ejus ſoboleſcens malitia, tunc ſeſe erigere incipit, & dulcedine virtutis & cœleſtium rerum captus nil niſi cœlum & beatitudinem cogitat. Tollit itaque illa doctrina in cultu rationem, & occludit viam, qua homo corruptus ex gurgite ſuæ vitioſitatis emergere poſſit. Vide 1 *Cor.* 10: 11.

Et quam vere hæc à me dicantur, inde patet, quod homines, qui vitiis ſuis ſuperati, iis nuncium mittere nolunt; & tamen conſcientiæ lancinationibus punguntur ex pœnarum metu, eo primo omnes cogitationes convertant, quo ſibi evellant iſtos aculeos, & pœnarum exſpectationem peccatis ſuis debitam inanitatis damnent. Et quia hæc ſententia tam alte eorum animo inſidet, ita ut naturali ſenſu judicetur: *ſi eſt Deus, eſt iudex ſcelerum*, ideo in hoc incumbunt, ut ſibi perſuadeant Deum *non eſſe*. Ita ut radix iſtius exitialis erroris ſit cupiditas fugiendi pœnarum inflictionem; alioquin parum penſi haberent utrum Deus ſit, an non ſit. Quod autem Adverſarii ferunt multos viros pios illam ſententiam tueri, nec tamen impediri ea, quo minus pietatem & cultum rationalem exerceant: quia inquiunt, amor Dei & Chriſti, & ampliſſimi præmii promiſſio, & virtutis pulchritudo in iis pietatis ſtudium parit, illudque in omnibus parere debebat, qui cultum rationalem Deo præſtare atque exhibere cupiunt. Et contra à ratione alienum eſſe contendunt illum articulum neceſſarium ponere, quo non tantum omnes, qui cultum rationalem ſectantur, carere poſſunt, ſed etiam carere debebant, ſi non inſtar ſervorum potius, quam liberorum hominum ad officium excitari mallent. Ad hæc reſpondemus: ex externis dictu & judicatu difficile eſſe, qui vere pii & probi ſunt: multi ſe ſtudio, ſimulato vultu, & integumentis hypocriſeos involvunt, ut non facile eos à veris & ſinceris ſecernas: alii ſe inſcii fallunt: minime

enim

enim ſibi quiſque notus eſt, & difficillime quiſque de ſe ſentit: ita ut non male comicus in foro vix decimus quiſque eſt qui ipſus ſe novit: ita ut ex hoc capite de articuli neceſſitate non recte inſtituatur æſtimatio. Præterquam quod multopere disjuncta ſunt reperiri probos, qui illam ſententiam tutantur: & eoſdem illos probos uſque ab eo tempore, quo ratio ſeſe in ipſis exerere incipiebat, ea doctrina ita fuiſſe imbutos, ut metus pœnarum nullum iis attulerit momentum ad declinandum vitium: ſed ſe ab initiis puerilis ætatis ita delectatos ex pulchritudine virtutis, & beatitudinis ſpe; ut iis incenſi vera virtutis via graſſati ſint: at hoc de illis probis probandum erat. Quod autem contendunt rationem colendæ virtutis & vitandi vitii, metus cauſa homini libero indignum eſſe, & ſervorum conditioni conveniens, hoc quidem agnoſco: ſed quandoquidem omnes ſumus peccati ſervi; neque quiſquam liber naſcitur, nec alia datur via evadendi ex illo ſervili ſtatu, quam per præcedentem miſeriarum ſuarum cognitionem, & pœnarum metum, recte ſtatuitur illius fidei articulum ad cultum rationalem requiri, quo ſi intimis ſenſibus affecti & tacti non ſimus, nunquam nos poterimus extollere ex illo ſervili ſtatu. Diutius hiſce immorati ſumus, tum quia hujus generis error ita manat, ut non videam quo non poſſit accedere; cum etiam, quia nobis cum hominibus lis eſt, qui non contenti libertate, quam Magiſtratus in hiſce liberis Provinciis diverſarum ſectarum hominibus indulget, queruntur de Magiſtratuum ſeveritate: ſi hujuſcemodi errorum ſectatoribus libertatem eos ſermone & ſcriptis longe lateque diſſeminandis non permittunt: imo ſi res Eccleſiaſticæ ex eorum ſententia eſſent componendæ, nobiſcum ſacrorum ſocietatem libenter coirent; & in unum Eccleſiæ corpus coaleſcerent. Hoc præterea addo ſupplicium, & *pœnam ſenſus* tam manifeſto in Scriptura tradi; ut cogitatione conſequi non poſſim, quomodo Scripturæ auctoritas apud illos valere poſſit, qui talem errorem propugnant; ita ut à contumaciæ peccato vix videantur eſſe liberi, & ex eorum peccatorum numero eſſe, de quibus Petrus, *quod deſtinato & volentes verſentur in errore*; ſibique illum errorem finxerint, quod ſuo ingenio metiri voluerint jus Dei puniendi, eique ex ſuo affectu modum ponere, quaſi in perpetuum duratura pœna, juſta ſeverior eſſet: quo nihil hominibus, qui majeſtatem divinam recte æſtimant, abſurdius accidere poteſt; & dubito an talis oratio magis ineptiis an impietate peccet.

Utrum autem tam pii, quam impii ſtatim poſt obitum ſortem ſingulis pro ipſorum meritis aut demeritis deſtinatàm adipiſcantur, id quamvis aperte in Scripturis traditum, (ſaltem quantum ad piorum mortuorum ſtatum ſub œconomia Euangelica) iſtius tamen ponderis contrariam ſententiam eſſe non arbitror, ut cum exitio eam conjunctam putem: quia cultus rationalis cum tali doctrina non ita pugnat, ut ipſi non amplius conſtet ſua ratio; quod quivis, etſi à nobis non exponantur evitandi tædii cauſa, animo & cogitatione facile comprehendere poteſt. Idem judico de doctrina de purgatorio; & de vi precum pro defunctis: qui errores tamen, quamvis eos fundamentales eſſe non arbitrer, præterquam quod nullum in Scriptura habeant fundamentum; & ideo illa pars cultus Pontificiorum ſit temere ſuſcepta, etiam in confinio idololatriæ, & abnegationis, aut ſaltem imminutionis meriti Chriſti, verſantur. Et exiſtimo plurimos inter Pontificios & doctrina, & uſu tam male inſiſtere, ut duorum iſtorum peccatorum ſe reos conſtituant: non exiſtimo tamen illos errores in ſe ipſis ſpectatos; & quatenus ita proponuntur, ut nec idololatriam involvant, neque meritum Chriſti *directe* ita minuant, ut ea ulla creatura in ſocietatem muneris Chriſti mediatorii vocetur, illudque

que adeo integrum maneat, fundamentales eſſe.

Altioris autem videtur eſſe indaginis, utrum Articulus de *Reſurrectione corporis* ejuſdem, quod tam probi, quam improbi, cum ultimum vitæ diem morte conficerent, habebant, ſit habendus in numero articulorum fundamentalium. Ut hæc res recte æſtimari poſſit, diſtinguendum inter cultum naturalem & inter cultum inſtitutum: quantum ad cultum naturalem, videtur facilius rem expediri poſſe. Nam hoc poſito, quod etiam ſupra probavimus, pœnam & præmia diſtribuenda eſſe: quod tamen obtineri non poteſt, niſi ea conferantur in ſingulos pro ipſorum merito, aut demerito, ſequitur in cultu naturali examinandum tantum eſſe, quid importet ad tuendam illam veritatem, nempe, pœnarum & præmiorum diſtributionem poſt hanc vitam futuram, ut homo cum *eodem corpore* reſurgat: videlicet: utrum, ſi homo ſine *ſuo corpore* reſurgat, ſit, & maneat idem ille qui peccavit? Et an corpus hominis, in quo vitam exegit, poſſit haberi expers præmii, aut pœnarum, cum ſit pars eſſentialis hominis? Præſuppono nobis, quamdiu hanc vitam animalem degimus, compertam & exploratam eſſe diſtinctionem inter corpus noſtrum & mentem: hoc eſt, quod id quod *cogitat*, non ſit *corpus meum*. *Deinde* id eſſe *corpus meum*, à quo mens certo modo afficitur; & in quod mens pariter certo operatur modo: quos modos omnibus hominibus euſque cognitos eſſe præſupponimus, ut *proprium* ſuum corpus agnoſcant, illudque ab aliis diſtinguere norint. *Tertio*, omnes cognoſcere corpus qua tale, & ideo conſideratum ut anima deſtitutum; nec gaudio nec dolore affici; & ideo nullam pœnam aut præmium in ſe poſſe recipere: mentem tamen per corpus multa commoda & incommoda experiri: ſed id tamen, quod ea commoda & incommoda experitur, non eſſe corpus, nec conſequenter *non ille ego* qui cogitat. *Quarto*, remoto itaque & ſublato corpore manere ſuperſtitem ſubſtantiam cogitantem, & *illum ego*, qui quia pœnarum & præmiorum particeps eſſe poteſt, etiam jam privatus ſuo corpore; ideo etiam ratio docet propter eam cauſam non eſſe neceſſarium idem corpus reſurgere; imo non eſſe neceſſarium mentem cum ullo corpore conjungi. Puto hæc per ſe nota eſſe, nec ulteriori explicatione indigere.

Verum quidem eſt hominem probro aut gloria affici, quando ejus cadaver gloria aut ignominia afficitur, & eatenus corpus ſuo modo pœnæ & præmii conſors eſſe poſſe: & ideo videri idem corpus, quod inſtrumentum peccati aut virtutis fuit, in pœnæ aut præmii partem & communionem debere venire. Sed animadvertendum eſt, id tunc tantum evenire, quando in corpore reliqua eſt nota & relatio, per quam *hujus* & non *alius* corpus eſſe exiſtimatur. At poſtquam corpus ſive cadaver interiit in pulverem, illeque ita diſperſus & mixtus cum aliis corporibus, aut potius cum pulvere aliorum corporum, ut nota & relatio, quam antea habebat ad hominem, cum cujus mente integrum & unum compoſitum conſtituebat, perierit, tunc amplius honoris aut ignominiæ capax non eſt; reſpectu illius compoſiti ſive illius hominis, cujus quondam pars eſſentialis fuit: & ita menti amplius nihil quicquam rei eſt cum illis diſperſis partibus; neque ad illas relationem habet, tanquam ad proprium corpus: imo talem relationem ne haberet quidem, etiamſi Deus ex omnibus illis partibus in unum congregatis, corpus humanum fingeret, niſi omnes illæ partes eundem *inter ſe ſitum haberent*; qualis ille fuit cum viveret: quia alioquin non eſſet *idem* corpus; quod tamen omne, & unicum fundamentum eſt totius memoratæ relationis. Natura enim & ſponte judicamus tantum id unum idemque individuum, poſtquam deſtructum eſt, reproduci, quod ex ejuſdem materiæ partibus, & ſitum eundem

inter ſe habentibus, conflatur. Icon ex cera formata & deſtructa rurſus non idem reproducitur, niſi ex eadem cera; & quidem ejus partibus *eundem ſitum* habentibus, quem primum habebant, formetur: quod cuivis, animam attendenti, manifeſtum eſt.

In naturali itaque cultu pœnarum & præmiorum diſtributio poſt hanc vitam non importat reſurrectionem corporis: ideoque quamvis vulgaris admodum inter gentiles fuerit doctrina, probis & improbis poſt hanc vitam præmium & pœnam conſtituta, corporum tamen reſurrectio illis portentum & prodigium videbatur: quemadmodum id liquet ex *Cap.* 17. *Act.* Si itaque contemplationem tantum conjiciamus in id, quod Theologia naturalis nos docet de articuli, quem jam in manibus habemus, neceſſitate, facile intelligimus illum articulum *in cultu naturali* fundamentalem non eſſe.

Expoſitum itaque eſt, quid *Theologia Naturalis* nos doceat de neceſſitate articuli *de reſurrectione carnis*. Nunc examinandum, num *Theologia revelata* nos aliter doceat de neceſſitate hujus articuli? Ita quidem credo; & ut de neceſſitate iſtius articuli nobis conſtare poſſit, hoc notandum, & reliquis, quæ ſuper hac re dicenda habemus, præſtruendum. Judæos juxta conſuetudinem loquendi Scripturæ, & conſequenter juxta veritatem in illa contentam, non aliter exiſtimaſſe hominem ſingularem, Petrum, aut Paulum v. gr. poſt hanc vitam fore ſuperſtitem, quam quatenus anima, ſive mens rurſus cum ſuo corpore unita, eundem conſtitueret hominem: ita ut qui inter eos negaret *reſurrectionem* eorundem corporum, ſimul negare præſupponebatur, hominem poſt hanc vitam unquam rurſus victurum, & præmiorum aut pœnarum fore participem. Liquet hoc manifeſto ex quæſtione, quam Sadducæi, qui negabant dari ſpiritum, Chriſto proponebant, *Matth.*22. & ſimul ex reſponſione Chriſti eodem capite. Volebant Sadducæi probare ab abſurdo, hominem poſt mortem non eſſe ſuperſtitem; cumque omnino quoad animam & quoad corpus interire, ideoque reſurrectionem non dari: quia una mulier, quæ in hac vita plurimis maritis, diverſis temporibus nupta fuerat, in futuro ſæculo non poterat ſimul cum iis nupta eſſe. Scriptura loco citato diſerte narrat hanc quæſtionem, & difficultatem à Sadducæis Chriſto motam, quo reſurrectionem abſurditatis & falſitatis arguerent: unde manifeſtum eſt Sadducæos vitam hominis in futuro ſæculo nullam cogitatione ſibi finxiſſe, quam quæ non ageretur in corpore illo, in quo in præſenti ſæculo aliquis vixerat; & ideo ſublata reſurrectione ſimul (ex ſententia Sadducæorum, & omnium Judæorum; juxta doctrinam, quam hauſerant ex Scriptura) concidebat doctrina de immortalitate, & ſpiritualitate animæ; & contra ſtabilita doctrina de reſurrectione ex omnium Judæorum ſententia pariter in Scriptura fundata, animæ immortalitas & ſpiritualitas confirmabatur. Et hanc ratiocinationem Judæorum juxta fundamenta Theologiæ revelatæ fuiſſe veram & rectam, liquet ex reſponſione Chriſti, fundata in verbis Moſis, *Exod.* 3:6. *Sum Deus Abrahami, Iſaaci, & Jacobi; at Deus non eſt Deus mortuorum, ſed viventium:* manifeſto docens, Abrahamum, Iſaacum, & Jacobum in futuro ſæculo non fore ſuperſtites, ſi reſurrectio non detur: & Deum non fore eorum Deum, ſi non eſſet exſpectanda reſurrectio: quia ſine illa non eſſent victuri, aut numerandi inter viventes. Si res aliter ſumatur, nulla vis erit in verbis: *Deus non eſt Deus mortuorum, ſed viventium.* Quia Abraham, Iſaac, & Jacob poſſunt conſiderari, ut victuri in futuro ſæculo, quamvis corpore privati: & Deus, etiamſi nulla eſſet exſpectanda reſurrectio, erat tamen Deus Abrahami, Iſaaci, & Jacobi propter vitam animæ. At juxta Scripturam illa animæ vita ſeparatæ

ratæ à corpore pro nihilo putatur, ſi comparetur cum vita degenda in futuro ſæculo: & ideo fideles jubentur omnem ſuam ſpem ponere in beatorum reſurrectione: ita ut *fides de futuro ſæculo* contineatur fide *reſurrectionis*.

Qui hæc recte animo comprehendit, facile intelliget, & aſſequetur vim argumentationis Pauli 1 *Cor.* 15. qui pariter diſputans, & pugnans pro reſurrectione mortuorum, primo ponit præcipuum fructum reſurrectionis Chriſti, *reſurrectionem noſtrorum corporum*, Verſ. 12. *Quod ſi Chriſtus prædicatur ex mortuis ſuſcitatus eſſe, quomodo quidam dicunt inter vos non eſſe reſurrectionem mortuorum?* Verſ. 13. *Nam ſi reſurrectio mortuorum non eſt, Chriſtus quoque non eſt ſuſcitatus.* Ita ut negare reſurrectionem, ſit negare reſurrectionem Chriſti: quia ſi Chriſti reſurrectio ſit deſtituta illo fructu, merito ipſa reſurrectio Chriſti vocatur in dubium; quemadmodum abſentia caloris abſentiam ignis arguit. Videlicet: quia Chriſtus reſuſcitatus ex mortuis *primitiæ eorum*, qui *obdormierunt*, *factus eſt*; *quia enim per hominem mors, per hominem etiam reſurrectio mortuorum*, &c. Ita ut reſurrectio mortuorum cum Chriſti reſurrectione ſic conjuncta, & cum ea implicata ſit, ut Chriſtus primitiæ mortuorum factus, ſua reſurrectione reliquis mortuis, & morituris in fide, tanquam reliquæ maſſæ ſui corporis, qui ſunt fideles, *& os de oſſibus ejus, & caro de carnibus ejus*, conciliarit illam prærogativam; ut ſanctificati & obſignati in ſpem ſimilis reſurrectionis, etiam nunc cum Chriſto reſurrexiſſe dicantur; & vitam eorum in Chriſto eſſe reconditam: ita ut poſtquam Chriſtus vita eorum patefactus fuerit, tum illi etiam patefient, *Coloſſ.* 3. Quapropter etiam Spiritus Chriſti dicitur ita habitare in corpore fidelium, ut eorum mortalia corpora die noviſſimo Chriſtus vivificaturus ſit per illum Spiritum habitantem in ipſis: juxta quod dicitur 1 *Cor.* 15: 45. *Poſterior Adamus factus eſt Spiritus vivificans*, inſpirans animali & mortali noſtro corpori vim vivificantem, qua aliquando reſurrecturum eſt incorruptibile, & glorioſum, & expers omnis corruptionis; ut ita omnibus numeris & partibus verum comperiatur, *abſorptam mortem eſſe ad victoriam*.

Et hanc ſententiam maxime confirmat, quod Apoſtolus loco citato, 1 *Cor.* 15. pariter, quemadmodum Chriſtus *Matth.* 22. præſupponit veram vitam, veramque beatitudinem demum futuram ſæculo futuro; eamque tunc demum initium habituram cum noviſſimo die, reſurrectione noſtrorum corporum facta, fideles corpore & anima in cœlis degent ævum ſempiternum. Ideo ſemper argumentatur à negatione reſurrectionis ad negationem beatitudinis, & vitæ in ſæculo futuro agendæ, Verſ. 19. *Si in hac vita ſolum in Chriſto ſperamus, miſerrimi omnium hominum ſumus.* Verſ. 29. 30. *Si omnino mortui non ſuſcitantur, cur etiam nos periclitamur omni momento, &c.* *Deinde ſi mortui non ſuſcitantur, edamus, & bibamus; cras enim moriemur.* Ubique ſingulis verſibus inculcans veram beatitudinem poſt reſurrectionem in futuro ſæculo exſpectandam; cum fidelium corpora mortalia & corruptibilia induerint immortalitatem & incorruptibilitatem. Ita ut ſi rem ſuis ponderibus librare velimus, & loqui ſecundum Theologiam revelatam, & œconomiam ſalutis in Chriſto conſtitutam, qui ſummam totius Euangelii complectitur, dicendum ſit, eum, qui reſurrectionem corporum negat, negare Chriſtianorum beatitudinem in ſæculo futuro, quæ fidelium reſpectu eſt finis ultimus, ad quem fides collineat, & in quem fideles omnes ſuas ſpes conferant: vide 2 *Timoth.* 1: 12. 18 & 4: 1. 1 *Cor.* 1: 7. *Matth.* 24: 25. *Epheſ.* 1: 14. Ut itaque hunc locum concludam: quamvis cultus naturalis nos non ducat in cognitionem iſtius articuli *de reſurrectione corporum defunctorum*, multo minus nos erudiat de iſtius ar-

ticuli neceſſitate, Theologia tamen revelata illum ita illuſtrat, celebratque, ut eo complectatur fidelium beatitudinem; & doceat fideles in Chriſto mortuos, ante diem reſurrectionis eſſe adhuc ſub poteſtate mortis: quia eorum corpora, quæ per mortem ceciderunt, quamdiu reſuſcitata non ſunt, mortis vi coërcentur in ſepulchris, ejuſque ſubſunt imperio, 1 Cor. 15: 54. *Poſtquam autem hoc corruptibile induerit incorruptibilitatem, & mortale illud induerit immortalitatem, tunc fiet illud quod ſcriptum eſt, abſorpta eſt mors in victoriam: Ubi tua, O mors, victoria? Ubi tuus, O ſepulchrum, aculeus?* Et ideo dicit Apoſtolus *Rom.* 8: 23. *Nos exſpectare redemptionem corporum noſtrorum.* Hoc porro intelligendum de iiſdem corporibus, quæ per mortem ceciderunt, probatione non indiget; quia ſi futura ſint aliena corpora, quibus juſti in die noviſſimo induentur; ne unus quidem Scripturæ locus reperitur, quo ulla veriſimilitudine probari poſſit novorum corporum, atque alienorum cum mente beatorum conjunctionem in die noviſſimo: quod quivis facile accipiet, qui velit conſulere argumenta, quibus noſtri Theologi utuntur contra illos, qui illum errorem tuentur. Enodatius enim hanc rem enucleare ſcopus hujus tractatus non permittit.

Superſunt equidem multæ quæſtiones, quæ inter Chriſtianos agitantur de quibuſdam circumſtantiis beatitudinis; & de ſtatu damnatorum. V. gr. an dentur gradus beatitudinis? An beati ſe mutuo cognituri ſint juxta ideas, quas habuerunt de ſe invicem in terris? In quo beatitudo reipſa conſiſtat? Quid excruciaturum ſit impios in inferno? Et quæ illorum futura ſedes atque locus? Et quæ ſunt hujuſmodi: de quibus lectori judicare proclive eſt illarum cognitionem & fidem cum ſalute neceſſariam cognationem non habere; & ideo merito fugimus, in re clara exponenda operam ponere.

Supereſt ut nunc agamus de neceſſitate *uſus* Sacramentorum: ſed etiam hoc paucis poterimus defungi: quia inter Chriſtianos nunc de iis non eſt magna controverſia; alias autem quæſtiones, quæ inter Chriſtianos aut non celebrantur, aut ignorantur ad quæſtionem vocare eſſet hominis otio abundantis; & in rebus nullius uſus ſeſe jactantis atque oſtentantis. Intercedit nobis controverſia cum Anabaptiſtis hodiernis: utrum infantes recens nati, & rationis uſus expertes, baptizandi ſint? An vero exſpectanda ea eorum ætas, qua profeſſionem fidei edere; & vitæ ſanctitatem promittere poſſunt? Sed quis non facile percipit (excluſa & damnata Pontificiorum ſententia de neceſſitate baptiſmi) Mennonitarum errorem non eſſe fundamentalem: illi enim nec baptiſmum contemnunt, nec parvi ducunt, ſed contra ex reverentia erga illud Sacramentum exiſtimant illud erga neminem celebrandum, qui illud *ex ſuo proprio judicio* ſancte atque religioſe accipere non poteſt. Et error Pontificiorum de neceſſitate baptiſmi, quamvis ſit craſſus, & nota inclementiæ, ab Euangelio alienæ, inviſus atque odioſus, fundamentalis tamen non eſt: quia neminem à ſtudio pietatis revocat; neque fœdus Euangelicum ita lædit, ut eſſentiales ejus partes ſibi non conſtent: & Pontificii infantes fidelium non omnino gratiæ Euangelicæ expertes habent: carent enim infantes non baptizati *pœna ſenſus.* Ita pariter eorum error, qui nullos infantes baptiſmate abluendos putant, præter eos, quorum parentes, aut ſaltem alteruter eorum ſunt habiti digna Eccleſiæ membra; & virtutis ſtudio & veræ fidei profeſſione ſe tales probarunt, tanti faciendus non eſt, ut cum exitio errantium conjunctus eſſe putetur: manat enim ille error à quadam veritate magni momenti, ſed cujus vim ſententiæ jam traditæ propugnatores non ſatis aſſecuti ſunt: videlicet, veram Eccleſiam, verumque fidelium cœtum, cui factæ ſunt promiſſiones; & qui jus habet

ad

ad omnia privilegia Eccleſiæ facta, non eſſe illam Eccleſiam, in qua veræ fidei & pietatis profeſſio eam non ſegreget ab omnibus aliis cœtibus: ita ut, quemadmodum illi cœtui non convenit Eccleſiæ dignitas, qui verſatur in errore fundamentali, aut peccatum manifeſtum, v. gr. ſcortationem tuetur, ita nullus Eccleſiæ membrum eſſe poteſt, qui in duobus iſtis capitibus deficiat. Sed male inde conficiunt: ſicut cœtus, qui duobus iſtis eſſentialibus caret, vera Eccleſia non eſt; ſed ejus dignitatem confecit, quamvis nomen retineat: ideoque juribus atque prærogativis Eccleſiæ deſtitutus eſt. Ita etiam ſingulares homines Chriſtianam quidem religionem profitentes; ſed aut errore aut turpitudine vitæ teſtantes ſe vera Eccleſiæ membra non eſſe; adeoque in partem promiſſorum veræ Eccleſiæ factorum non venire: tales inquam homines ſingulares etiam infantes generare impuros. Loquor de impuritate, quæ oppoſita eſt ſanctitati: de qua Apoſtolus 1 Cor. 7: 14. *Alioquin certe liberi veſtri impuri eſſent, nunc vero ſancti ſunt.*

Dicimus itaque ex iſtis præmiſſis de natura Eccleſiæ non ſequi infantes Chriſtianorum turpiter viventium non eſſe ſanctos, eoſque eo numero non habendos, qui jus habent ad jura & privilegia veræ Eccleſiæ conceſſa; & ideo non eſſe baptizandos: & ratio noſtræ ſententiæ eſt, quia nondum ingreſſi ſunt vitæ curſum, quo ſe declarent indignos juribus, & prærogativis veræ Eccleſiæ conceſſis. Nam quamvis parentes revera impuri ſint, ſufficit majores vera Eccleſiæ membra fuiſſe: declarat enim Deus ſe fore Deum piorum uſque in tertiam & quartam generationem. Et eorum, qui ſententiam noſtræ oppoſitam tuentur, eſt probare vim ſanctitatis majorum non pertinere ad tertiam & quartam generationem: ita ut de talibus infantibus natis ex proximis parentibus non ſanctificatis, ſed qui majores probos nacti ſunt, ſtatuendum ſit eos non eſſe ſanctos, & promiſſionum Euangelicarum participes; ſi ante rationis uſum occumbant. Alii exiſtimant per illam ſanctitatem, 1 *Cor.* 7: 14. intelligendam talem *ſanctitatem externam*, qualis fuit ſanctitas Iſraëlitarum & circumciſorum: quæ etiam hærebat in Iſraëlita & Judæo, quamvis vitæ deformitate *ſe verum Iſraëlitam; & cujus laus eſt ex Deo, & non ex hominibus* non eſſe probaret. Hi autem qui ſunt in illa ſententia, arbitrantur ſub Euangelio etiam quoddam *fœdus externum* eſſe, cujus fœderis cauſa quidam *ſancti* vocantur; quamvis nulla vitæ commendatione verorum ſanctorum numero habendi ſint: ſed ego nullum veſtigium iſtius *fœderis externi* video in toto Euangelio: & hæc ſententia affinis eſt Pontificiorum errori, qui veræ Eccleſiæ numero habent cœtum, qui ſanctitate caret. Sed ad rem. Ipſa illa opinionum diſſenſio inter Reformatos ſatis oſtendit hujuſmodi quæſtiones à fundamento longe remotas eſſe. Et, qui hominem in Eccleſia Pontificia baptiſatum; & poſtea ſeſe in noſtram Eccleſiam dicantem, ſacraque noſtra amplectentem, non rebaptizent; & tamen Eccleſiam Romanam in fundamentalibus errare exiſtimant, veramque Eccleſiam non eſſe, illi ſatis oſtendunt, quæſtiones de baptiſmo adhuc implicatas eſſe; nec ſuper iis tanquam fundamento Eccleſiam fundatam.

Ita arbitror controverſias de ſacra Cœna tanti non eſſe momenti, ut in iis ſalus Chriſtianorum vertatur. Excipio illam de *tranſſubſtantiatione* & *adoratione hoſtiæ*, de qua ſtatim loquemur. Et quamvis cætera Pontificii ſacram cœnam tot cæremoniis & anilibus ſuperſtitionibus conſpurcarint, ut degenerarit inter ipſos in rem plenam futilitatis, ſummæque vanitatis; non tamen exiſtimo ipſam illam Miſſæ celebrationem, quamvis ab inſtituto Chriſti alieniſſimam, exitialem eſſe eam uſurpantibus: dummodo (ut jam inculcatum eſt) abſit ab eâ idololatria; &

meritum Chriſti, quod mihi fundamentum eſt Chriſtianiſmi, integrum illibatumque ſervetur.

Quæſtiones autem de Sacra Cœna, à quibus adminiſtrari debeat? Qui ad ejus communionem admitti? Quo geſtu accipi, & qualis panis eſſe debeat, azymus, an fermentatus? Et utrum orbicularis & ſeparatus, an fractus à maſſa communicantibus diſtribui debeat? Præterea an ſub una, an ſub duabus ſpeciebus (ut loqui ſolemus) adminiſtrari cœna debeat? Quamvis non ſint ejuſdem momenti, non tamen illarum quæſtionum ullam iſtius ponderis eſſe arbitror, ut ideo ſalus hominis in diſcrimen veniat, ſi in hiſce errore labatur. Et hoc facile illi admittent, qui bene penſicularint, quam indulgenter Chriſtiani verſati ſint in mutandis aut abolendis quibuſdam circumſtantiis, quæ in prima celebratione Cœnæ adfuere. Et hi quidem tantopere in hiſce ſibi indulſerunt, cum quia putabant illas circumſtantias non pertinere ad naturam rei, aut non conſtituere partem eſſentialem Sacramenti: tum etiam, quia edocti erant, libertati Chriſtianæ ab elementis mundi & cæremoniis liberæ non convenire, ut actionibus & ritibus quibuſdam ita conſtringatur, ut eadem religione eos obſervare deberent, qua quondam Judæis hoc erat imperatum: qui etiam ſingulos legis cæremonialis apices obſervare tenebantur. Spiritus ille libertatis & filiorum Dei, præterea cultus Novi Teſtamenti ſpiritualitas illis ſuggeſſit externis illis non magnopere ſerviendum; dummodo cultus ſubſtantia integra ſervaretur. Memoriam mortis Chriſti colendam in Sacra Cœna tuentur omnes, & pii toto Chriſti inſtituto ſatisfactum putabant, quando ea conſervabant in primo Chriſti inſtituto, quæ illi rei præcipue accommodata erant. Si rem aliter æſtimemus, non capio quomodo Chriſtiani tam licentes eſſe potuerint in multis aut omittendis, aut mutandis, quæ in primitiva Eccleſia fuerunt in uſu; & præſertim in celebratione Sacræ Cœnæ & baptiſmi. Arbitror itaque lites de hujuſmodi circumſtantiis atque cæremonialibus facile inter Chriſtianos debere componi; quando mentem bene informatam habent de cultu ſpirituali Novi Teſtamenti; nam tunc intelligent multa & graviore ex parte debere pacem & pietatem præponderare, & externis infinita *laude* anteponendas eſſe.

Nunc ordo & materiæ pondus poſtulat ut pergamus ad principes quæſtiones de ubiquitate & de tranſſubſtantiatione. Ubiquitarii docent Chriſtum, corpore omnibus locis præſentem, ubi Sacra Cœna adminiſtratur. Quando hoc dogma recte introſpicimus, & ſuis examinemus ponderibus, non poteſt cum eo congruere doctrina *de vero corpore Chriſti:* quia unum idemque corpus plurimis locis præſens eſſe non poteſt; aboleturque ea doctrina natura veri corporis. At ubiquitarii non tantum negant illam conſequentiam verbis; ſed etiam intellectu & conceptu: quatenus verum corpus Chriſti, quod ex ſubſtantia Mariæ formatum eſt, & multis aliis proprietatibus in hiſtoria Euangelica deſcriptis, in mente & cogitatione eorum, quando Chriſtum corpore in Cœna præſentem imaginantur, defixum manet. Et quia illud ita in eorum mente hæret, ut nec error per ſe, neque per conſequentias, quæ illum errorem ſequuntur, mentem eorum euſque abripiat, ut etiam veri corporis naturam; aut Chriſti corporis proprietates, quales ex Euangeliō didicerunt in Chriſto eſſe, in eorum mente defixæ non maneant: ideo omnes noſtræ Eccleſiæ Lutheranos abſolvunt erroribus iſtorum hæreticorum, qui negabant Chriſtum *verum naturale corpus ex Maria aſſumpſiſſe*; quamvis *ubiquitatis* doctrina ex omnium noſtrorum doctorum ſententia, *ſua natura*, & ſuis conſequentiis tollat à Chriſto verum & naturale corpus. Et inſiſtens iſtis principiis in *Tractatu de idololatria & ſuperſtitione*, ſtatui Lutheranos

hos non commiſſuros idololatriam, ſi in Euchariſtia Chriſtum *adorarent*: quia quamvis eorum intellectus errore ubiquitatis imbutus eſt, tamen manet imbutus iis veritatibus de corpore Chriſti, quæ in eorum intellectu ſibi vindicantes principatum, conſervant fidem de vero & naturali corpore Chriſti integram: ſecundum quas veritates fidem ſuam dirigentes, conſervant etiam in praxi atque uſu ſibi ideam veri corporis Chriſti: & ita propter illas veritates, & propter conſervatam ideam veri corporis Chriſti, non committerent idololatriam, ſi Chriſtum in Euchariſtia adorarent: quamvis graviter laberentur, adorantes Chriſtum in aliquo loco, ubi non eſt. Quemadmodum ſimiliter magnopere à vero abſunt, cum docent corpus Chriſti multis in locis eſſe, ubi revera non eſt: ſed ille error tamen illis exitialis non eſt. Quæ hactenus à me ſuper hac re dicta ſunt, arbitror mihi debere conſtare cum omnibus noſtris Doctoribus; quia tam clare ex conceſſis eorum principiis ſequuntur, ut ſibi convenire non poſſint, qui hæc negant: neque hæc longe petita, ſed omnibus patent, & in promptu ſunt. Interea intelligit lector pondus erroris hic æſtimari non ex ſua vi & natura, & ex iis quæ ipſi errori inhærentia ſunt, ſed ex iis, quæ extrinſecus, & foris aſſumuntur; ſcilicet ex modo, quo errantis mens errore afficitur.

Fingamus rurſus Pontificiæ glebæ addictum hominem credere, Chriſtum non tantum *ubique præſentem eſſe*, ubi celebratur Miſſa; ſed ipſum etiam Chriſtum illic adorare, & ſuppliciter venerari; is juxta ea, quæ in ſuperioribus tradita ſunt, pariter non committeret idololatriam. Sed Pontificius hos errores cumulat adhuc alio; & credit in Euchariſtia ſive in Miſſa corpus Chriſti *per tranſſubſtantiationem fieri ex pane*: & ita Pontificius novo illo errore æſtimato ex ſua vi & natura, adhuc magis deſtruit naturale & verum corpus Chriſti, quod aſſumptum eſt ex Beata Virgine Maria; magiſque pugnantia cum illo corpore docet atque credit, ideoque ille error tanto gravior. At interea Pontificius teſtatur ideam *veri & naturalis corporis Chriſti* per tranſſubſtantiationem in Miſſa ex mente ſua non tolli; ita ut inde conſtet alias veritates, quas de corpore Chriſti credit, tantam adhuc vim in ipſo exſerere, ut error de tranſſubſtantiatione ita ipſum non corrumpat, ut per eum ipſi pereat *idea veri corporis Chriſti*, neque ſecundum illum errorem cultum ſuum dirigat: credens & adorans quidem Chriſtum in Miſſa, qui corpus ſuum habet *factum ex pane per tranſſubſtantiationem*, ſed tamen talem agnoſcens Chriſtum, talemque adorans, qui habet corpus factum *ex ſubſtantia Mariæ*; & qui Pontificius quamvis tranſſubſtantiationem credit, tamen perſuaſus eſt, corpus Chriſti, quod generatu ortum eſt ex Maria, idem illud corpus eſſe, quod ex pane per tranſſubſtantiationem factum eſt. Quæritur quare (ſi æqua lege res componantur) ille Pontificii error major ſit eorum, qui credentes ubiquitatem, corpus Chriſti adorarent, quando celebratur cœna? Quandoquidem error de tranſſubſtantiatione eouſque deflectere non facit Pontificium à veritate, ut ideam veri & naturalis corporis Chriſti, aliis veritatibus, quas de naturali corpore Chriſti habet, eam tuentibus, ipſi non pereat, ſed ſecundum illas veritates, & ſecundum illam ſuam fidem Chriſtum in Miſſa adoret.

Hujus difficultatis expediendæ ratio alia mihi hactenus non ſuppetit, quam ea, quod in hominem mentis compotem cadere non poſſit fides duarum rerum ita pugnantium, ut credat unum & idem Chriſti corpus naturale eſſe id, quod ex Maria generatum eſt; & id, quod ex pane factum eſt per tranſſubſtantiationem; (ſi modo tranſſubſtantiationis claram & non confuſam habeat ideam) non magis Pontificius hæc credat, quam homo non fa-

tuus

tuus credere poſſit, poſt reſurrectionem idem corpus, quod per mortem depoſuit, ſibi reſtitutum iri; quamvis ſtatuat illud factum & fabricatum iri ex materia, quæ nunquam hominis pars fuit, hæc enim in ſenſum communem non cadunt. Itaque, quamvis Pontificius aliquis verbis profiteatur ſe in Miſſa conſervare ideam veri corporis Chriſti; animi tamen aſſenſum longe à verbis diverſum eſſe cenſeo: neque argumentis, aut rationibus hæc res ulterius firmari poteſt; quia tota hujus rei æſtimatio pendet à conſcientia hominis, ratione prædìti: qui ſcit quo pacto errores, & veritates mentem ejus afficiant; & quomodo non obſtante errore, tamen ſecundum quaſdam veritates cultum ſuum exerceat. Eſt enim hoc cuique notum unum eundemque errorem uni exitialem eſſe, alteri non ita infeſtum, propter conſequentias conceſſas, aut non conceſſas; & propter diverſos effectus, quibus mens ab errore afficitur. Ex doctrina, quæ docet voluntatis *prædeterminationem* à Deo, ejuſque talem dependentiam à ſummo Ente, ut nihil libertatis, aut ad oppoſitum, aut ad indifferentiam illi reliqui faciant; ita ut nec plus mali aut boni facere poſſit, quam facit, in quibuſdam hominibus hujuſmodi excitat conceptus, ut exiſtiment tunc nullam voluntatis, & libertatis ideam in homine ſupereſſe; & ideo arbitrantur ea doctrina moralitatem tolli: in aliis illa doctrina conſervatur cum idea voluntatis & moralitatis in rebus, quæ à voluntate, & per voluntatem efficiuntur; in aliis illa idea partim conſervatur, partim non conſervatur; ut in quibuſdam Enthuſiaſtis, qui malum homini totum attribuunt; virtutem autem totam Deo; neque homini in ea ullas partes dant; quia tantum illius virtutis reſpectu Dei inſtrumentum eſt. Quatenus hæc doctrina diverſimode hominis mentem afficit; & homo ſecundum mentis ſuæ affectionem diverſimode cultum ſuum dirigit, alii exitioſa, alii ſalutaris, alii ambigui eventus exiſtit. Et quemadmodum idem error diverſimode mentem hominum poteſt afficere: ita diverſi errores efficiunt ſæpe, ut homines opinionum diſſenſione diſcrepent; in cultus tamen formali ratione conſentiant; quod evenit in doctrina de prædeſtinatione & gratia: in qua quamvis Remonſtrantes à Contra-Remonſtrantibus diſſentiant, eodem tamen modo Deum precantur.

Cum autem ſupra dixi erroris pondus in caſibus enumeratis æſtimari ex affectione animi illius, qui errore tenetur; hoc non ita à me dictum velim, quaſi Scriptura nullibi nobis ſuggerat argumenta & indicia; aut etiam non aperte declaret in caſibus ſuperiori affinibus, hominis mentem ita aliquo errore affici, ut ille error ipſum in cultu Numinis deducat ad *fundamenti ſubverſionem*, aut non deducat. In Tractatu de Idololatria me multis argumentis ex Scriptura depromptis probaſſe puto, Iſraëlitas in cultu idololatrico vitulorum non aberraſſe mente à vero Deo Iſraëlis; & eo cultu non adoraſſe aliquem Deum advenam & peregrinum: ſed idololatriam eorum verſatam in eo, quod verum Deum ſub imaginibus & per imagines coluerint. Contra cum Deos gentilium & nationum finitimarum adorarunt, eos mente aberraſſe à vero Deo, & eorum idololatriam verſatam in cultu Dei peregrini, & alieni: quamvis ideam Numinis & Entis ſumme perfecti (ſine cujus idea confuſa, aut diſtincta nulla religio eſſe poteſt) conſervarunt, quia idololatria nunquam illud Numen ex animo delet, ſed transmutat in idolum. Nunc non diſputo utrum dicta diſtinctio idololatriæ Iſraëlitarum ratione erui non potuiſſet; ſed cum Scriptura prælucet, tutior & munitior via eſt.

Quæ autem conditiones requirantur, ut adoratio Numinis *ſub imagine* idololatria vocetur, libro citato explanare conati ſumus: & ſi quis ea æquo ponderet animo, facile intelliget omnes Pontificios, ſi Chriſtum ſub ſpeciebus panis & vini adorant,

rant, quemadmodum Numen ſub imagine adoratur ab idololatris, etiam in Miſſa idololatriam committere.

Ex hiſce jam pariter liquet, in æſtimandis articulis fundamentalibus non ducendam eſſe rationem eorum argumentorum; quibus *falſitas* doctrinæ probatur: neque etiam eorum, quorum occaſione in errorem aliquis labi potuerit, ſintne illa plauſibilia, aut à reverentia Numinis profecta, aut profani animi indicia: quamvis ab hiſce circumſtantiis duci poſſint argumenta, quibus iſtorum hominum peccata graviora vel minus gravia putentur: ſed argumentorum ratio in quæſtione de articulis fundamentalibus petenda ab eo, nempe quouſque error cultum *rationalem* aut *irrationalem* reddat; & ita fundamentum ſubvertat, aut non ſubvertat. Quod jam in medium profero: quia memini ſemper ad minuendum errorem Pontificiorum adferri bonam Pontificiorum intentionem, zelum & reverentiam erga Scripturam; qua legentes verba Scripturæ, *hoc eſt corpus meum*, illam eorum vim eſſe arbitrantur, ut credere debeant, corpus Chriſti eſſe ſub ſpeciebus panis. Neque erroris fundamentalis rationem, aut naturam imminuit, quod ſit diſputatio Philoſophica, utrum corpus poſſit eſſe in plurimis locis ſimul; & utrum unum idemque corpus poſſit habere ſuam materiam ex corpore *Mariæ*, & ſimul ex corpore *panis*: quia hæc argumenta tantum inſerviunt ad probandum quid verum aut falſum ſit; & cui & quibus temporibus aſſecutio veritatis facilior aut minus facilis eſt, & quibus viis & mediis ad veritatem nobis aditum paremus, non autem ad probandum ſitne in aliquo errore, ratio formalis erroris fundamentalis: quæ duæ argumentandi rationes miſcendæ non ſunt.

Rectius illi inſtituunt ſuas rationes, qui ad liberandos Pontificios ab idololatria, dicunt Pontificios non tantum non adorare panem in Miſſa; ſed ne quidem Chriſtum hominem: ſed Deum ipſum cœli & terræ creatorem, qui in Miſſa ſpeciali ratione eſt præſens. Sed negamus Deitatem Chriſti tantum adorandam eſſe in Sacra Cœna: eſt enim totus Chriſtus ibi adorandus; qui ex Divina & humana natura conſtat: & cujus humanæ naturæ in Chriſto pars eſt corpus Chriſti, quod ex Beata Maria aſſumpſit. At credere illum unum eundemque Chriſtum eſſe, qui corpus ſuum ex ſubſtantia beatæ Mariæ habet, & una id ſuum corpus per tranſſubſtantiationem, pugnantia ponit; & quæ in ſenſum communem non cadunt. Antequam itaque ab Idololatria abſolvi poſſint, debebat conſtare doctrinam de tranſſubſtantiatione clare & diſtincte intellectam & creditam, poſſe ſimul conſiſtere cum fide jam tradita: videtur enim hoc cadere non poſſe in hominem mentis compotem, ut credat eundem Chriſtum eſſe quem adorat; & in quo eſt Divinitas propter unionem hypoſtaticam cum corpore & natura humana ex Maria nata; & propter quam unionem Chriſtus homo Deus adorari debet. Hominem inquam, credere unum & eundem Chriſtum eſſe, qui corpus habet per tranſſubſtantiationem ex pane & vino; & qui ſimul habet corpus ſuum ex Maria Virgine, hoc dico non poſſe cadere in hominem, qui ſenſu communi deſtitutus non eſt. Hiſce plura non addam, quia in Tractatu de Idololatria, &c. de exitiali errore Pontificiorum, quo multifariam idololatriam committunt, locuti ſumus: & ita huic Quinto Capiti ſuſcepti operis finem imponimus, & tranſimus ad Sextum, in quo agitur de Eccleſia, eorumque qui illi præſunt officio in tolerandis erroribus eorum, qui in unum cœtum coëunt.

CAP. VI.

De Eccleſia & Tolerantia.

DIcturi ſumus de *Eccleſia* pro ratione neceſſitudinis, quam nobis imponit inſtitutum examinandi quæſtionem de *Tolerantia*: cui certe locus non eſt, ſi fideles non debeant convenire & ſociari in unum corpus; quod vulgo Eccleſia vocatur. Si enim fidelibus ſingulis fas eſſet ſeorſim vivere; & ſi communi tantum charitatis lege inter ſe conjungerentur, ſatis haberent erga errantem proximum ea charitatis officia exhibere, quibus probarent ſibi ſalutem proximi cordi eſſe, & cupere ejus progreſſum in cognitione veritatis; & ita erranti monſtrare viam: & quia nullus putandus illa informatione indignus, ita cum omnibus talis colenda eſſet vitæ conſuetudo & ſocietas, pro ratione officiorum, quæ ſingulis debemus. At enimvero quandoquidem & ex inſtituto Apoſtolorum, & ex præceptis eorum conſtat fideles in cœtus congregari deberi, & ita unum corpus conſtituere, quod certis quibuſdam legibus regi debeat; & in quo ideo ſunt qui regunt, & qui reguntur: primum fundamentum quod reliquis dicendis ſubſternitur, & quod apud nullos, qui Chriſtianiſmum profitentur, in dubium vocatur, eſto: *Fideles in unum cœtum debere congregari.*

Pariter ex Scriptura conſtat non omnes promiſcue, qui in illam conjunctionem & conſociationem poſſent velle conſentire, admittendos, ſed ſelectum faciendum eſſe: quando enim Apoſtolus, 1 *Cor.* 5. jubet ab Eccleſia ejici *inceſtuoſum*; & 2 *Cor.* 6. multis docet ſocietatem & fraternitatem colendam non eſſe cum impiis: & *verſ.* 17. concludit, *Exite ex medio eorum, & ſeparamini dicit Dominus; & impurum ne attingite, tum ego excipiam vos.* Et *Matth.* 18. jubet Chriſtus hominem contumacem habere pro ethnico & publicano: qui profani habiti à Sacrorum communione arcebantur. Eo faciunt omnia Scripturæ loca, quæ docent fratrem vitæ deformitate peccantem vitandum: 2 *Theſſ.* 3:6. *Denunciamus autem vobis, fratres in Nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut ſubducatis vos ab omni fratre qui inordinate ambulat, & non ex tradita doctrina, quam accepiſtis à nobis.* Rom. 16: 17. *Precor autem vos Fratres, ut obſervetis diſſidiorum & offendiculorum auctores contra doctrinam quam vos didiciſtis, & declinate ab eis.* Neque hoc tantum intelligendum de morum perverſitate, ſed etiam de doctrinæ pravitate, liquet ex 2 *Johan.* 10. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, ne recipite eum domum, nec ave ei dicite, &c.* Tit. 3: 10. *Hæreticum hominem poſt unam atque alteram admonitionem repelle.* Ita Apoſtolus Satanæ tradidit Alexandrum & Hymenæum propter errores pernicioſos, quos fovebant & tuebantur, 1 *Tim.* 1: 20. Quos autem Satanæ tradebat, cum iis eam ſocietatem coli noluit, quæ teſtatur fraternitatem & conſenſum in fide & moribus. Non ſunt itaque promiſcue ſinguli in cœtum, quem Eccleſiam vocamus, recipiendi.

Neque jam diſputo, aut ad vivum reſeco, quibus proprie rebus illa ſocietas & conjunctio fraterna *declaretur* juxta doctrinam in Euangelio contentam. An participatione Baptiſmatis? An communicatione Sacræ Cœnæ? An ſubjectione unius Regiminis? An congregatione in unum locum? An eadem profeſſione fidei? An autem hiſce omnibus ſimul? Nam non omnes Eccleſiæ omni tempore iiſdem ſignis, quæ cadunt in ſenſus, uſæ ſunt; & ne nunc quidem omnes Chriſtiani in iis conveniunt, quibus arctam conjunctionem, quam Chriſtus à ſuis requirit, & quam nos fraternitatem vocamus, teſtentur: ſufficit omnes Eccleſias unis vel pluribus ſignis uti, quibus

eos,

eos, qui ſunt de ſua fraternitate & grege, deſignent; & declarent illos ſe pro fratribus agnoſcere, quos participatione iſtorum ſignorum dignantur. Nunc ferme apud omnes Chriſtianos in Europa pro ſigno fraternitatis uſurpatur, *communio & participatio Sacramenti Sacræ Cœnæ*: utrum id recte an ſecus fiat; & an merito aliquis à cœna excludi poſſit, qui cupit illius eſſe particeps, non eſt hujus loci diſputare. Sufficit ex ſupra dictis conſtare, omnes cœtus Chriſtianos adhuc eouſque adhærere primo Chriſti & Apoſtolorum inſtituto. *Primo*: quod cœtus inſtituant, qui iis legibus reguntur, quibus talis inter eos, qui iſtorum cœtuum membra ſunt, conjunctio & ſocietas formatur, ut iis declaretur, omnes, qui juxta declarationem & confeſſionem fidei iſtius cœtus, & juxta pietatis uſum, qui in illo cœtu docetur, vitam inſtituunt, fratres ſpirituales inter ſe eſſe; & illos ea Sacra amplexos, quibus ſalutem obtinere poſſunt. Ita ut ex tali arcta conjunctione, & ex iis, quæ illam comitantur, de totius ſocietatis *natura* judicetur. *Secundo*: quod ſymbolo, aut ſigno uno, aut pluribus utantur, quibus illa arcta conjunctio declaretur. Et jam liquet totius cœtus intereſſe, ut factus & compoſitus ſit ex talibus membris, atque ita affectis, de quibus juxta confeſſionem cœtus ſui, & juxta animi ſui ſententiam iſtius cœtus membra declarare poſſint, illa membra religionem colere, qua ſervabuntur, ſi vitæ ſanctitate illi religioni reſpondeant: quia ſi alia membra admittantur, cum quibus communicant ſignum tam arctæ conjunctionis, de qua modo locuti ſumus, debent iſtorum membrorum turpitudo redundare in ipſum cœtum: quaſi teſtaretur etiam membrum tam male affectum, & peſtifera dogmata profitens, poſſe conſequi ſalutem.

Cum itaque agitur de Articulis fundamentalibus habita ratione talium cœtuum & membrorum, quæ in illo recipienda ſunt, ante omnia expendendum venit, quouſque Deus imperet Chriſtianorum conjunctionem in unum cœtum? Et an in diverſos cœtus abire non poſſint, etiamſi alteri cœtui, à quo ſe ſeparant, anathema dicere nolint? Et quam arctam Deus fidelium conjunctionem imperet, & quanti faciat, ut Chriſtiani illam fraternitatis teſſeram inter ſe communicent? Hodierna Eccleſia Romana conjunctionem & ſocietatem Chriſtianorum eouſque extendit, ut putet omnes Chriſtianos ſe debere conjungere in unam Eccleſiam, quæ Pontificis, aut Epiſcopi Romani auctoritate gubernetur: ita ut (ex Pontificiorum ſententia) quicunque extra illam Eccleſiam degat, ſalutem adipiſci non poſſit. Sed illa doctrina ab omnibus Reformatis merito exploſa eſt: eſtque temere excogitata ad tuendos & ſtabiliendos iſtius Eccleſiæ errores; idololatriam & ſuperſtitionem. Eccleſia primitiva docuit conjunctionem neceſſariam tam fidelium, quam Eccleſiarum particularium cum Synodis Oecumenicis & univerſalibus: ita ut Eccleſia, quæ iſtius decretis ſtare recuſaret, haberetur Eccleſia ſciſmatica; cum qua reliquæ ſingulæ particulares Eccleſiæ nullam ſocietatem colebant, & cum qua fraternitatis vinculum rumpebant. Et ideo Symbolum Apoſtolicum auxerunt articulo: *Credo Eccleſiam catholicam*: quo Synodis illis Oecumenicis majorem conciliarent auctoritatem; & privatos fideles, & ſingulares Eccleſias deterrerent à ſciſmate & ſeceſſione ab aliis Eccleſiis.

Conſideranti ſtatum Eccleſiæ tempore Apoſtolorum & Virorum Apoſtolicorum, facile mihi perſuadeo tunc omnes Eccleſias particulares ſub Apoſtolorum auctoritate ita in unam Eccleſiam univerſalem coaluiſſe, ut omnes illorum Apoſtolorum auctoritati parerent; & ut ita habita ratione iſtius auctoritatis omnes particulares Eccleſiæ unam Eccleſiam conſtituerent, una regiminis forma gubernarentur; & omnes Eccleſias particulares

culares ſeſe ſubjicerent Divinæ Apoſtolicæ auctoritati: eritque tunc maximus error, & qui apoſtaſiam involvebat nolle ſtare judicio Apoſtolorum in Religionis capitibus; ita ut fuerit ſciſmaticus & hæreticus, qui eo tempore iſti auctoritati Apoſtolicæ ſe non præberet obſequentem, ſed ei ſe ita ſubtraheret, ut inſtituta Apoſtolica, comparata ad ſocietatem, & fraternitatem inter ſingulos fideles, & inter omnes Eccleſias Chriſtianas conſervandam, & teſtandam, negligeret, aut nova & ab Apoſtolis non approbata dogmata ſequeretur, & ita ſeſe ab univerſa Eccleſia Apoſtolica ſepararet. Et tale ſciſma illud eſt, quod hominem faciat reum *aperti operis carnis*: inter quæ Apoſtolus *Galat.* 5: 20. numerat *ſciſmata & diſſidia*: deficiens ita in charitate & fraternitate colenda, ut recuſet ea præſtare, quibus ſaltem tunc temporis charitatis ac fraternitatis officium præcipuum continebatur. Et illud officium tunc erat, talem conſenſum cum reliquis Eccleſiis teſtari, quo omnibus pateret, nihil hujuſmodi inter Chriſtianos eſſe, propter quod omnia charitatis & fraternitatis munera, ſibi invicem non exhiberent; & arctiſſimæ inter ipſos conjunctionis & pacis conditiones non adimplerent. Ita ut ille fidelis, aut illa Eccleſia, quæ ita recuſabat jungi cum aliis Eccleſiis, non minus contra charitatem peccaret, quam ille ſingularis fidelis, *Matth.* 18. qui à privato fratre, deinde à tota Eccleſia, aut Eccleſiæ ſenatu officii quod fratri debet, admonitus; & ad illud exhortatus, contumaciter parere recuſat. Exiſtimo equidem in loco citato non agi de rebus fidei: ſed de iis, de quibus homo *paciſci poteſt*; & quæ ideo in hominis poteſtate ſunt; & in quibus in ſocietatibus nobis privato noſtro judicio uti non licet, niſi importuni, contumaces, & refractarii haberi velimus. Quanquam itaque iſtum locum agere putem de talibus cauſis; non male tamen eo utor, ad declarandum peccatum ſingularis fidelis aut Eccleſiæ, quæ auctoritati Apoſtolicæ, quæ judicis vim habet, non parens, & privato ſuo judicio indulgens, conjunctionis illius vinculum & teſſeram rumpit, quæ tunc animum & charitatem fraternam præcipue teſtabatur.

Sed tota difficultas in eo vertitur: ſcilicet quæ conjunctio fidelium & eccleſiarum inter ſe eſſe debeat, ut charitas & fraternitas inter eas ſarta tecta maneat, & ne in manifeſtum opus carnis, in ſciſma & diſſidium ſc. labantur; & ideo ſe nomine & dignitate Eccleſiæ privent: quia inter omnes articulos fundamentales princeps eſt *vitæ ſanctitas*; quæ in ſciſmatico & ſeditioſo atque rixoſo homine, aut in Eccleſia ſciſmatica, quæ rea eſt iſtius ſciſmatis, quod Scriptura opus carnis vocat, conſiſtere non poteſt. Scriptura infinitis locis fideles hortatur ut *unanimes* ſint: *ut pacem ſectentur*: ut ſublevent infirmos, & mutuo alii aliorum onera ferant: hortatur ad mutuam tolerantiam tam in rebus fidei, quam in pietatis officiis: & vult ut fideles unum ſint corpus, & uno ſpiritu regantur: agnoſcit nihilominus etiam in *cognitione* alios eſſe *adultos*, alios *infantes*; & ideo vult ut adoleſcamus in Chriſtum per cognitionem veritatis: vult ut noſtra moderatio innoteſcat omnibus. Prohibet aliquando judicium de fratre ſuper ſententiarum varietate in Religione: ſed totum hoc negotium permitti vult Deo. Vide *Philip.* 3: 15. 4: 5. *Rom.* 14: 4. 10. *Rom.* 12: 3. *Epheſ.* 4: 4. 14. 15. *Coloſſ.* 3: 15. 1 *Theſſ.* 5: 14. *Rom.* 15: 1. 7. 1 *Cor.* 12: 13. & 9: 20. 2 *Tim.* 2: 24. *Epheſ.* 4: 12. 2 *Pet.* 2: 17. *Tit.* 3. 1 *Pet.* 3: 8. & 2: 17. *Rom.* 15: 1. 6. & 14: 12. Ex quibus liquet Deum non tam arctis cancellis circumſcribere & finire mutuam Chriſtianorum charitatem, ut ea tantum inter eos conſtare debeat, qui profeſſione fidei & ſanctitatis menſura in omnibus conveniunt.

At quemadmodum Scriptura nos hortatur ad pacem; ad conjunctionem fraternam;

ternam; ad tolerantiam mutuam; ad vitanda diſſidia; & jubet, nobis omnes illas virtutes curæ eſſe, quæ accommodatæ ſunt ad effectus illos conſequendos, ita contra pluribus in locis clare & diſerte prohibet communionem Sacrorum, animorum conjunctionem, fraternitatis conteſſerationem, congregationem in unam ſocietatem, tolerantiam quorundam errantium, &c. *Act.* 18: 6. *&* 19: 9. *Rom.* 16: 17. 1 *Tim.* 6: 3. 2 *Tim.* 2: 17. *Philipp.* 2: 2. *Apocal.* 2: 20. *Matth.* 12: 30. *Tit.* 3: 10. 2 *Joh.* 10. 1 *Cor.* 15: 34. *&* 16: 18. 2 *Cor.* 11: 4. *Galat.* 1: 6. 2 *Cor.* 6: 14. Quæritur itaque, qua via inſiſtendum, ut utrique iſti ſcopo ſatisfacere poſſimus? Cum quibuſdam enim ita vivendum, ut illud ſignum, aut illa ſigna inter nos extare velimus, quibus & fidelibus & aliis teſtemur nos unius corporis ſpiritualis membra eſſe: eodem ſpiritu nos duci: fraternitatis & arctiſſimæ illius conjunctionis ſpiritualis eſſe ſocios: qualem Chriſtus ab omnibus fidelibus, & inter omnes fideles requirit. Cum aliis conjunctio & officia, quæ talem conjunctionem comitantur, vitare jubemur. Quæ ratio & via hic tenendi modum? Reſpondemus: poſito, quod etiam ſupra probavimus, eſſe legem perpetuam Evangelii, Chriſtianos debere talem fraternitatem inter ſe colere: eamque iſtis rebus, iiſque officiis contineri, quæ ſupra tradidimus, illud tantum expendendum venire. Quæ nempe ſint illa, quæ prohibeant ne fidelis aut cum alio homine, aut cum Eccleſia iſtud fraternitatis vinculum conſtituere poſſit.

Primo impedit vitæ impuritas, 2 *Cor.* 6. nulla enim communicatio lucis cum tenebris. Et quomodo uno ſpiritu duci poſſunt, qui tam oppoſitis ſtudiis diſtrahuntur? Cum nullo itaque peccatore, hoc eſt, cum nullo, qui ſibi in aliquo peccato manifeſto indulget, iſta fraterna ſocietas iniri aut contrahi poteſt. Vide etiam *Epheſ.* 1: 1. 1 *Cor.* 1: 2. 2 *Cor.* 1: 1. *&c.* Probatur etiam iis Scripturæ locis, quæ docent omnes & ſingulos, qui baptizari expetunt, non eſſe admittendos ad baptiſma; ſed eos tantum, qui adultæ ætatis cum ſunt, Religionis Chriſtianæ fundamenta norunt, & verum pietatis ſtudium præ ſe ferunt, *Matth.* 3: 6. 7. *&* 28: 19. 20. *Act.* 8: 37. Eodem referenda omnia Scripturæ loca, quæ jubent ejici ex Eccleſia omnes illos, qui vitæ turpitudine Eccleſiam, & ſanctum fidelium cœtum dehoneſtant, & probro ſunt, *Apocal.* 2: 14. 20. 2 *Theſſ.* 3: 6. 1 *Cor.* 5: 6. *Rom.* 16: 17. Quemadmodum & illa loca huc pertinent, quæ prohibent nos cum improbis vitæ conſuetudinem habere: 2 *Cor.* 6: 14. 1 *Timoth.* 6: 3. 4. Et quia Eccleſia ſancta eſt, ideo vocatur *domus Dei*, 1 *Timoth.* 3: 15. *Sanctum Dei Templum*, *Epheſ.* 2: 21. *Corpus Chriſti*, 1 *Cor.* 12: 27.

Qui itaque Eccleſiam componunt ex probis & improbis, illi Eccleſiam erigunt, qualem Sacra Scriptura non agnoſcit: & membrorum eccleſiæ conjunctionem conſtituunt in aliis rebus, quam Scriptura illam conſtitui vult. Sacra Scriptura fraternitatis vinculum conſtituit in pietatis communi ſtudio, & in unitate fidei, (loquor de unitate fidei in articulis fundamentalibus) & cultus rationalis, tam naturalis quam inſtituti. Quod ex ſupra traditis liquet, & infra clarius exponetur. Inde conficitur omnes errores fundamentales pariter illam fraternam conjunctionem impedire: quia iſtos errores errantes carent vero cultu; itaque cum aliis per unum ſpiritum, fidem & ſpem conjungi non poſſunt. Præter has duas cauſas in ſe ſpectatas (vitæ ſanctitatem & fidei integritatem) non arbitror dari alias, quæ inter Chriſtianos mutuam fraternitatis voluntatem impedire poſſint: ita ut ſinguli fideles, ſingulæque Eccleſiæ, quæ duobus iſtis vitiis carent, ſe mutuo omni ſtudio, benevolentiæ officiis, &c. quibus fraternitas & arcta illa conjunctio, quam Deus requirit à fidelibus,

tanquam unius corporis membris, conſtituatur, confirmetur & augeatur, amplecti debeant: nihilque contra conari, quo ille fraternus animus labefactetur, minuatur, aut aliquod frigus concipiat & ſentiat. Nam quamvis multæ rationes & cauſæ oriantur, quare aliquis homo, aut aliqua Eccleſia à communione, & fraterna ſocietate excludi poſſit; aut fraternitatis Chriſtianæ officia erga illam exhiberi non poſſint, aut ceſſare debeant: tamen omnes illæ ad duas ſupra traditas referri debent, ſc. ad errorem fundamentalem; aut ad vitæ impuritatem. Primam hujus ſententiæ partem, quæ declarat neminem à fraternitate excludendum, qui non errat in fundamentalibus, primo probabo: alteram in ſequentibus.

Primum argumentum eſto: ſingulorum Chriſtianorum officium eſſe cum illo fraternitatem colere, quem Deus adoptavit & ſibi aſſumpſit, *Rom.* 14:3. At Deus omnes aſſumpſit, qui non errantes errores exitiales etiam ſanctitatis ſtudio ſe probant. Non licet nobis maledicere, quibus Deus non maledicit, *Num.* 23:8. *Act.* 8:37. Philippus dicit Eunucho, ſi credis ex toto corde, nihil prohibet te baptizari. At ex conceſſis conſtat veram fidem poſſe conſiſtere cum erroribus: nam inde nata diſtinctio inter errores *fundamentales & non fundamentales.* Ergo Sacrorum communio, qua in unum corpus nos coalitos teſtamur, celebranda inter eos, qui ab exitiali errore liberi ſunt. II. *Actor.* 15:8, 9. docet Apoſtolus, Deum nullum diſcrimen poſuiſſe inter homines, quando fide corˋcorum expurgatum eſt. Et docet Apoſtolus, *Actor.* 20: 14. neminem prohibendum baptiſmate, qui una cum aliis Spiritus Sancti particeps factus eſt. Et 1 *Cor.* 2:13. *Epheſ.* 4: 4. docetur nos omnes in unum corpus per unum Spiritum baptizatos, &c. Quandoquidem itaque error non fundamentalis per ſe neminem Spiritu privat, ſequitur inde omnes ab errore fundamentali immunes, ejuſdem Spiritus participes eſſe; & ita eſſe ejuſdem corporis membra: quæ ita ſeſe erga ſe invicem gerere debent, & mutua præſtare officia, quemadmodum naturalis corporis membra mutua amoris conſpiratione vigent. III. Quandoquidem omnes, quotquot ſunt Chriſtiani aut Eccleſiæ Chriſtianæ, in aliis Chriſtianis, quos ut Fratres complectuntur, quoſdam errores ferunt; idque obſervent juxta præceptum Chriſti, & uſum primitivæ Eccleſiæ, 1 *Cor.* 9:22. *Joh.* 20: 9. *Rom.* 15: 1. *Luc.* 9: 45. *Act.* 18: 25. & 21: 20. nulla ratio reddi poteſt, quare idem uſus ſequentibus temporibus non debuerit obtinere? Reſpondent à nobis diſſentientes, illum uſum etiam hodie obſervari; ſed & tempore Apoſtolorum & nunc illam tolerantiam tantum viguiſſe in capitibus fidei *parum neceſſariis*, parumque noxiis: in aliis fundamentalibus erroribus propius accedentibus, eam tolerantiam non fuiſſe obſervatam. At hoc nos negamus: & cedant Adverſarii unum exemplum, quo probent aliquem propter errorem non exitialem & non fundamentalem in ſe ſpectatum, (*non propter vitia moralia, quæ illum errorem comitabantur*) fraternitate excluſum. Caret itaque Adverſariorum inſtitutum omni in primitiva Eccleſia exemplo: neque id mirum, quia Eccleſia primitiva eo uſu deſciviſſet à præceptis charitatis, quæ paſſim inculcat.

IV. Ipſa Scriptura diſtinguit inter errores *fundamentales & non fundamentales*, *Joh.* 5: 23. 3: 3. *Rom.* 16: 17. *Hebr.* 11: 6. 2 *Cor.* 11: 4. *Galat.* 1: 6. *Johan.* 15: 16. 2 *Johan.* 9 & 10. *Galat.* 5: 4. 20. 1 *Cor.* 3: 10. At quis uſus iſtius diſtinctionis? Nonne præter alios, hic eſt præcipuus, ut ſecundum illam diſtinctionem tolerantiam exerceamus, aut vitemus? Præſertim cum primitiva Eccleſia exemplo ſuo nobis monſtraverit viam, docens errores quoſdam tolerandos; & propter eos fraternitatem non eſſe dirimendam.

Et

Et ſi præter fundamentales errores alii ſint errores, propter quos fratribus multam ſalutem dicere liceat, quæ erit regula certa, ſecundum quam ejuſdem ſeceſſio dirigi debeat? Periculi ſeductionis magnitudo, inquies. Sed an tu à vero Chriſtiano & homine pio periculum ſeductionis extimeſcis? At inquies, manens in Eccleſia ſparget ſuos errores: ſed an tu ergo tantum vis fraternitatem colere cum fidelibus in fide & pietate adultis: & non cum infantibus, qui teneram iſtam ætatem non ſunt ſupergreſſi? An vis omnia illa membra à corpore reſcindere, quæ infirmitate laborant; & ita quibuſdam aliis membris oneri ſunt: cum cætera eodem ſpiritu alantur; & ille ſpiritus ea membra ægra ita permeat, ut etiam aliquem uſum præſtent toti corpori: cum conſtet ſpiritum nullibi,ubi eſt, inertem eſſe. Membra minus decora, & quæ aliorum membrorum cura indigent, non ſunt reſecanda à corpore, ſed majori ſtudio laborandum pro illorum incolumitate; ita ut robuſtiorum membrorum officium ſit ſuſtentare infirmorum ægritudinem, illiſque ſubvenire, 1 *Cor.* 12: 22. 23. At ægra membra ſunt illa membra, quæ Apoſtolus minus decora vocat; quia cognitione & gradibus ſanctitatis abſunt à membris decoris.

At inſtabis: non reſecamus membra ægra, & quæ ex infirmitate peccant, ſed quæ per contumaciam omnem curam reſpuunt; & ſimul iſtum cumulum vitioſitatis ægritudini ſuæ addunt, ut aliis membris ſanis ſuam labem impertiant.

Reſpondeo, non hic hoc agi, num aliquod membrum ægritudine per errorem non exitialem affectum, ſed propter *morum culpam*, ab Eccleſia, aut potius à fraternitate excludi non poſſit. Non enim hoc in diſceptationem venit, utrum nullus errans errorem non fundamentalem, ita in illo errore verſari poſſit, ut in illo tuendo & propagando non poſſit ita charitatis, modeſtiæ & lenitatis Chriſtianæ oblivisci, ut indignum ſe præbeat membrum. At ad tale membrum fraternitas non pertinet, non quia errat in fide, ſed quia vitium eſt in moribus. Sed quæſtio in hoc vertitur, an membrum ita manens in officiis charitatis, ut ea non deſerat propter quæ verus fidelis æſtimari poſſit, erroris non fundamentalis cauſa, fraternitatis vinculi particeps eſſe non debeat? Quæſtio itaque jam eo delapſa eſt, utrum cum homine non errante in fundamentalibus, ſed pro menſura ſuæ fidei loquente & alios docente; quamvis errore labatur, non poſſit coli fraternitas: eique patere non debeant omnia officia fraternitatis, arctæque conjunctionis inter Chriſtianos, quæ antea recenſuimus? Ego non dubitans, affirmo tali fraternitatis officia occludi non debere: & arbitror omnes in meam ituros ſententiam, qui tam magnifice de ſe non ſentiunt, ut putent hominem fraternitate indignum; & Spiritus Chriſti expertem, qui noſtris monitis in rebus fidei, quæ fundamentum non ſpectant, non paret & obſequitur, velitque eum pro contumace, indocili, ſuperbo, veritatis non ſtudioſo habendum, qui noſtræ diſciplinæ non paret, & veritatem amplecti renuit. Puto hic valere dictum Apoſtoli, *Rom.* 14: 3. 4. *Qui edit, non edentem pro nihilo ne habeto, & qui non edit edentem non condemnato: Deus enim eum aſſumpſit; tu qui es, qui condemnas alienum ſervum? Proprio ſuo Domino ſtat, aut cadit.* Et ſi tu id juris idque poteſtatis in fratrem tuum aſciſcis tibi, quare frater pari jure tecum contendere non poterit; & te contumaciæ arguere, quod ſuæ doctrinæ non accedis. Dices, veritati iſta prærogativa competit, ut ipſi parendum ſit, non autem errori. Recte quidem: & ideo frater errans propter errorem peccati reus eſt: ſed quia non eſt error fundamentalis, ideo Deus illum propter illum errorem non rejecit. At an tantus illi peccato erroris cumulus accedit, quod errans *tibi* veritatem docenti non aſſentit, ut ideo

ideo Spiritus Dei particeps eſſe non poſſit? Non quia illum docui, & tamen doctrinæ meæ non aſſentit, dices; ſed quia neglexit & contempſit augere ſuam ſcientiam in tanta inſtitutorum & præceptorum copia. Reſpondeo; mihi dubium non eſſe, quin neglectus proficiendi in veritate ſit grave peccatum; & quod hominem à beatitudine arcere poſſit: & talia ſe poſſunt prodere contemptus veritatis judicia, ut merito ſpes ejus ſalutis in anguſtiis conſtituta eſſe putetur; imo ut fraternitatis vinculum cum tali reſcindendum ſit. Sed hoc jam non agitur: & ſæpius monuimus deformitatem morum in controverſia de *Articulis Fundamentalibus* miſcendam aut confundendam non eſſe cum ipſo errore fundamentali. Et cum de Syncretiſmo & conjunctione Eccleſiarum diſceptatur, nunquam partes litigantes in medium vocant, tanquam cauſam ſeparationis, pertinaciam, aut contumaciam aliter à ſe ſentientium; quique diu uſi alterutrius partis diſciplina & inſtitutione, ſe tamen veritati dedere recuſarunt: ſed ſemper aliis armis pugnant pro ſua ſententia; nempe *erroris fœditate*, & *periculo ſeductionis*.

Deinde quandoquidem Adverſarii totos cœtus non errantes in fundamentalibus; & qui tamen ex adultis, & infantibus in fide componuntur, à ſe ſegregant, liquet illos iſtius *contumaciæ* rationem non ducere: quia ſingula totius cœtus membra non ſunt eodem numero habenda; neque in omnibus conſiſtit contumacia, nec idem contumaciæ gradus, per quam in errore hæreant & perſeverent. Denique contumaciæ reſpectu tam caute & circumſpecte procedendum foret reſpectu errantium; quam reſpectu eorum, qui ſemper in initiis regenerationis ſubſiſtentes; aut ſaltem exiguos progreſſus facientes, poſſent Rectoribus Eccleſiæ injicere curam, utrum tales tantum, tamque diuturnum teporem oſtendentes, pro veris membris ſemper habendi ſint? Sed qui rem recte reputant, facile intelligent illam ſe viam ingredi non poſſe: quia quem habent pro regenito, quamvis tenello, illum à fraterna communione non debent arcere: & quem eo numero non habent, ille non tantum propter contumaciam, inobedientiam & contumeliam, qua Doctores Eccleſiæ affecit, ſeparatur ab Eccleſia, ſed propter vitiorum curſum, quem tota vita tenuit. Et ita quem agnoſcunt non errare in fundamentalibus, cætera vitæ inſtituto non indignum, qui Eccleſiæ & fraternitati adſcribatur, eum propter errorem non fundamentalem ab Eccleſia removere non poſſunt; qui autem ſe moribus probat indignum Eccleſiæ membrum, illius ſeparationis cauſa non ad lapſum in errorem, ſed ad vitæ labem referenda eſt.

Quidam ſed non ſatis rerum ſuarum intelligentes, ſeparationem Eccleſiarum propter articulos non fundamentales tueri volunt hac ſpecie; nempe, quod eos cœtus, à quibus ſe ſeparant, ideo non oderint, aut anathema dicant. Sed ea reſponſione facti ſui injuſtitiam non imminuunt: non enim hoc diſputatur, an errantem in articulis non fundamentalibus odiſſe, aut anathema illis dicere liceat: ſed an non debeat manere cum illis conjunctio fraterna? Et an non omnia Fraternæ charitatis officia erga illos adhibere debeamus, quæ illa fraternitas imperat: & quam charitatem fraternam Chriſtus voluit ut Chriſtianos inter exerceretur: cujus fraternitatis princeps munus & officium eſt uno Spiritu duci, unis ſtudiis impelli, arctiſſima conjunctione & benignitate ſe mutuo complecti in ſententiarum de Religione diſcrepantia, ſummum tamen animorum conſenſum conſervare, & manere in eadem charitatis conſuetudine; qualem conſenſum & amorem Apoſtolus *Philipp.* 2. *nervoſe* & ſignificanter exprimit: *Si qua igitur conſolatio eſt in Chriſto: ſi quod ſolatium charitatis: ſi quis communis ſpiritus; ſi quæ viſcera miſerationum, ex-*

plete meum gaudium ut idem ſentiatis, eandem charitatem habentes unanimes & ſententiis uni. Interrogo ego conſcientiam eorum omnium, qui à nobis in hac re diſſentiunt: an erga illos, quos ex Eccleſia ejiciunt propter errores non fundamentales ita animati ſint? Et an per decreta ſua condemnatoria, per ejectionem ex Eccleſia, per excluſionem à communione Sacrorum, à loco congregationis, à cathedra, &c. non teſtentur ſe tam longe abeſſe ab illo animi affectu, quem Apoſtolus requirit, quam cœlum à terra abeſt?

Scimus equidem multos, qui degunt in Eccleſiis, quæ ſeſe ab aliis ſegregarunt, ſeceſſionem & lacerationem illam lugere; & omnibus votis expetere ſanationem iſtius vulneris; ideoque dolere illos, quibus fratris nominis inter ſe uſurpatio grata & jucunda eſſe debebat, tam acerbis odiis inter ſe contendere; ſed illi pauci ſunt, & vix ullum faciunt numerum. At contra odium & maledicentiæ vitium tantopere auctum eſt inter Chriſtianos, ut non ſolum contra eos ſeſe exerceat, quos temeraria, aut ſaltem ex defectu charitatis & cognitionis nata ſeparatio disjunxit, ſed etiam non minus inter eos, qui iiſdem Sacris utuntur, & levioribus de cauſis (ut illi ipſi fatentur) diſſentiunt; nec deſinunt ſuos Symmiſtas non minus pugnaciter aggredi, quam bonus paſtor lupos, quod etiam illorum ſcripta felle & bile ſtillantia teſtantur: & gliſcit adeo hoc vitium, ut vix ullam diſcriminis notam agnoſcas ſcripta inter, quibus illi fratres petunt; & inter ea, quibus invehuntur in eos, qui profeſſione Sacrorum ab ipſis ſunt ſejuncti. Nec mirum illud vitium augeſcere, cum nunc ſit optima via proceſſus in Eccleſia & Academiis: ſolent enim eo impendi ſuos labores, unde ſperantur præmia. Sed redeo ad id, à quo paululum declinaram: nempe ad illam inſtantiam, qua aliquis poſſet ſe velle tueri, ſc. officia charitatis mutuo debita Chriſtianis non occludi ſeparatione ab iis, qui nobiſcum ſuper articulis non fundamentalibus diſcrepant; ſed ſarta tecta manente charitate vitandorum quorundam incommodorum cauſa, ſeparatos cœtus inſtitui dicunt; nec magis eo inſtituto charitatem lædi putant, quam inter eos læditur, qui quidem in una Eccleſia degentes; & nonnunquam fervidiore zelo abrepti aliquanto acrius aut acerbius in fratrem à ſe diſſentientem invehuntur. Non putant itaque illa ſeceſſione importari charitatis vacuitatem, ſed ea tolli occaſiones, quibus animi fratrum exaſperentur, quando in eundem locum & cœtum conveniendum foret, & iiſdem ſacris utendum. Reſpondeo: *primo* me non exiſtimare illos magnopere à vitæ ſanctitate & charitate commendandos, qui ætatem ſuam in litibus cum fratribus degunt: magnum itaque defectum & imperfectionem arguere in illis Chriſtianis, qui, niſi ſegreges illis cœtus concedantur, cum aliis Chriſtianis, non in fundamentalibus errantibus, quiete & tranquille vivere non poſſunt. Dico *ſecundo*: longo intervallo ſejuncta eſſe affectibus ita excæcari & tranſverſum agi; ut quanquam charitatis magnam partem obliviſcaris, tamen exiſtimare te charitatis officiis ſatisfacere: aliud eſſe ſedata, compoſitaque mente, inita & ſubducta (ut ita dicam) ratione *fraternitati renunciare*; & ea omnia adhibere, & in aperto ponere, quibus declarare ſolemus nos nolle amplius regi communi illo ſpiritu, quo membra unius corporis regi conſueverunt. Superſunt adhuc alia, quæ illuſtrare convenit ad hanc noſtram ſententiam ſtabiliendam, & à difficultatibus liberandam, ſed ea rejicimus ad calcem hujus Tractatus, & redimus ad inſtitutum, & ea perſequimur, quæ cum ſuperioribus conjunctiora ſunt, ne nimium ab iis conſequentia divellamus.

Quintum argumentum pro *Tolerantia* ducitur à locis Scripturæ, quæ prohibent fratrum mutuam condemnationem, *Matt.* 7:1. 1 *Cor.* 4:5. *Jacob.* 3:1. *Rom.* 14:5.

14: 5. *Jacob.* 4: 12. In iis locis non agi de illa condemnatione & judicio, quo aliquem in Eccleſia condemnamus propter hæreſin, aut propter vitæ deformitatem ſtatuo; & rationes atque argumenta ſupra in medium producta id ſatis evincunt. Multo minus hic agitur de privato judicio, quod ferimus de fratris alicujus opinione & doctrina; & quo modeſte, charitatis officiis inviolatis, declaramus nos à fratris ſententia alienos eſſe: talis judicii declaratio locis Scripturæ ſupra allatis non prohibetur; quia ipſa illa loca fratrum ſententiarum diverſitatem indicant, non autem tegunt: ergo hoc intelligendum de tali judicio & condemnatione, qua labefactatur aut deletur charitas; qualia ſunt omnia illa judicia, quæ divellunt fraternam neceſſitudinem, quæ inter Chriſtianos vigere debet. At quanto magis ſejunctum eſt à charitate inſtitutum eorum, qui errantes in non fundamentalibus ejiciunt ex Eccleſia, onerant probro & pudore; & à communibus Sacris, quibus Chriſtiana Religio colitur, arcent?

Sextum Argumentum eſto, quod petitur ex iis locis, quæ nos docent ſemper eſſe, & futuros inter Eccleſiæ membra diverſos pietatis & cognitionis gradus; & plenam atque conſummatam pietatem, & myſteriorum cognitionem tantum exſpectandam in futuro ſæculo: unde manifeſto liquet fratres intra minores cognitionis gradus conſiſtentes, in Eccleſia tolerandos; neque alium errorem à Tolerantia excludendum, quam qui fundamentalis ſit. Liquet enim ex ſupra traditis, alium limitem & modum iſti tolerantiæ non poni: vide 1 *Cor.* 3: 2 *Rom.* 12: 3. *Matth.* 13: 8. *Joh.* 16: 12. *Hebr.* 5: 12. 1 *Cor.* 12: 15. *Epheſ.* 2: 21. & 4: 16. *Coloſſ.* 1: 8.

Septimum argumentum ducatur à praxi Primitivæ Eccleſiæ tempore Apoſtolorum, quæ nos informat & docet, Chriſtianos in Eccleſia multa, quæ ad fidem pertinebant, indeciſa, & in medio ita reliquiſſe; ut in errantes ſententiam, qua eorum error publice oſtenderetur, & ita nota aliqua inureretur, ferre noluerint: vide *Rom.* 14. & *Philipp.* 3. Quare hodierni Chriſtiani tantum præſumunt? Et quare tam parum parcunt fratribus, & tam libentes illos ea ignominia afficiunt, ut quaſi ſignatis tabellis, & cum pompa & oſtentatione illos declarent reos erroris; & eos ita per ora hominum traducentes ſumma afficiant contumelia; & tanquam putrida & gangræna infecta membra ferro & igne, hoc eſt, acerbis, & ad odium & contumeliam comparatis remediis à corpore ſeparata rejiciant, & valere jubeant.

Octavum Argumentum continetur verbis Chriſti, *Matth.* 12: 30. *Qui non eſt mecum contra me eſt, & qui mecum non congregat, diſpargit*: ergo vice verſa, qui non eſt contra Chriſtum, pro Chriſto eſt. Qui autem ſunt illi, qui cum Chriſto ſunt? Nonne omnes illi, qui in Chriſto ſalutem ſuam quærunt; & viam ſalutis ab ipſo nobis munitam, ingrediuntur; & aliis exemplo & documento ſunt, ut eadem pergere velint: qui itaque articulos fundamentales tenent, vera via inſiſtunt: & qui alios ad eandem ingrediendum exemplo & monitis hortantur, cum Chriſto congregant. Quemadmodum is fratrem ſuſtentare & nutrire dicitur, qui ea alimenta adminiſtrat, ſine quibus momento temporis vita & communi ſpiritu non poſſet frui, quamvis nutrimentum tale ſit ut commodius, & magis nutriens atque ſalubrius ab aliis, naturæ alimentorum magis gnaris, ſuppeditari poſſit. Plura non conſectar, quia hæc dicta ſufficere poſſunt. Nunc pergam ad alia dubia depellenda, quæ multis oriri ſolent, quando de tolerantia ad uſum deducenda agitur; & quibus putant ſe tueri poſſe inſtitutum eorum, qui cum non errantibus in fundamentalibus tamen fraternitatem exercere recuſant.

Pone inquiunt, rem ita ſe habere, ut qui-

quidem ſanctior & perfectior futurus eſſet Eccleſiæ ſtatus, ſi omnes Chriſtiani, non errantes in fundamentalibus, in unum corpus poſſent coaleſcere. Sed quandoquidem hoc optandum potius quam ſperandum ſit propter infirmitatem fidelium, qui omnes quid in hac re ad ſuum officium pertinet, æſtimare non poſſunt; & qui non tantum non putant munus ſuum eſſe cum fratre errante uti iiſdem ſacris, ſed pietatem ponunt in illo vitando, quo magis teſtentur ſe ad perfectionem aſpirare. Quandoquidem inquiunt, multis probis ea ſtat ſententia, atque ita animo affecti ſunt, an non eſt ſatius, & an non magis ad Chriſtianorum utilitatem redundat, ſi Eccleſiæ congregentur, quæ illa ſumma perfectione carent, qua omnes non errantes in fundamentalibus uno animi conſenſe in una Eccleſia degunt, ſed quæ compoſita eſt ex membris, quæ propter infirmitatem carnis, ſeſe ſeparant etiam ab iis, qui non errant in fundamentalibus, ut ita ægritudini talium membrorum conſulatur, & ſimul pax firmior ſit: quæ ſingulis ferme momentis in diſcrimen venit propter opinionum diſcrepantiam in Eccleſia. Qui in hac ſententia rem exemplo illuſtrant, quamvis inquiunt, ſtatus hominum longe beatior foret, ſi ſinguli intelligentes ſui officii, nec affectibus abrepti præſtarent proximo quod illi debetur: quodque ita homines non irent in judicium; non bellis certarent; carerent tribunalibus & poteſtatibus: denique viverent quemadmodum eveniſſet, ſi primus homo cupiditate lapſus non fuiſſet. Verumenimvero quandoquidem illa integritas hominibus ita defluxa & elapſa eſt, ut optari & votis expeti quidem, non tamen in mundo illam reſtitutum iri ſperari poſſit: nonne recte homines ad vitanda majora mala & incommoda perfugium habuerunt ad dominatus & judices, quos in ſocietatibus conſtituerunt ad dirimendas lites; & tuendos innocentes. Ita Apoſtolus Paulus 1 *Cor.* 6. accuſat Corinthios, quod lites inter ipſos eſſent de bonis fortunæ; dicitque defectum in ipſis eſſe, & debuiſſe malle jus ſuum imminui à proximo, quam turpibus litibus conflictari inter ſe: ſed tamen, quia deſperabat Corinthios ad illam perfectionem aſſurgere poſſe, ut maluiſſent injuriam ferre, quam jus ſuum perſequi; Apoſtolus itaque ut majora incommoda vitet, concedit illis lites ſuas arbitrorum fidelium judicio permittere: & ita Corinthii iſti conſilio parentes à peccato erant immunes. Ita Chriſtianorum in hoc mundo imperfectio ea eſt, ut cum errantibus fratribus fraternitatem colere quamvis debeant, tamen hoc à ſe impetrare non poſſint; ſed ſemper in litibus & rixis victuri ſint, ſi mutuæ errantium ſententiæ in eadem Eccleſia doceantur & propugnentur: longe itaque ajunt præſtare ad ſeparationem venire, quam ſinere Eccleſiam inteſtinis ſemper diſſidiis laborare. Ita quamvis matrimonii vinculum, quantum ad thori, & vitæ atque victus conſuetudinem, debeat eſſe perpetuum, obtinet tamen apud Magiſtratum Chriſtianum conjugatis, poſt cognitam cauſam, permitti, ut ſeorſim vivant: qui propter importunitatem morum, concordiam inter ſe tueri non poſſunt. Ita præſtat quoſdam fideles in unum congregare, aliis fidelibus ab ipſorum conjunctione excluſis; & ita conſulere paci, quam ſub inani ſpe ſe invicem ferendi & tolerandi, ſinere rixas & lites inveteraſcere & ſeneſcere in Eccleſia.

Reſpondemus: totam præcedentem Adverſariorum orationem vanam & inanem eſſe; & exempla & ſimilitudines in medium prolata non congruere. Eſt ſententia, inter omnes Chriſtianos, imo Ethnicos recepta: *non eſſe faciendum malum ut eveniat bonum.* Si itaque v. gr. charitas, quam proximo debeo, læditur; & officium ipſi præſtandum prætermittitur, ſi illum communi domo arceo, cui jus habitationis eſt: inique itaque etiam ago, ſi illum eo jure fraudo, & foras expello pro-

per aliorum importunitatem morum & injuſtitiam, qui non ſatis habent iiſdem ædibus ſine ullo impedimento (niſi quod ipſi ſibi ponant) frui: ſed etiam nemini volunt permittere illarum ædium habitationem, qui aliter in iis *ſtare* aut *accumbere* velit, quam cæteri probant: cum tamen ex illa libertate *ſtandi* aut *accumbendi*, ipſi nullum experiantur damnum. An illius inſtitutum probari poſſit, qui membrum ſanum & integrum, & fovendis partibus corporis principibus adjumentum præbens, à corpore ſuo reſcindit, quia illud nævo aliquo laborans, mollitie & faſtidio temere ſuſcepto ferre & intueri non poteſt? An ita recte pacis ratio ducitur, & an ita illam recte perſequimur, quando per ſpeciem eam ſectandi id agimus, quo proximum privemus iis, ad quæ pax comparata eſt; & quorum commendatione pax ſolummodo probatur? Quique laborat, non quo mederi poſſit ſuæ infirmitati, & acquirere virtutem æquanimitatis & æquitatis in ferendis fratrum infirmitatibus, ſed quo fratres patria extorres faciat; ut oſtenſione eorum infirmitatum liberatus, ab iræ & impatientiæ vitio liber ſit: cui vitio non noxa, damno, & injuria fratris occurrere debebat, ſed contra illud præſidium petere à proprio ſuo animi robore. Plura non addam; quia in præcedentibus ſatis multa in illam ſententiam dicta ſunt.

In exemplis itaque ſupra allatis nihil eſt præſidii; niſi oſtendant in iis *charitatem aut officium, quod proximo debemus, lædi*: & Apoſtolum tamen permittere illud malum quo majus incommodum vitetur. At hactenus nulli Chriſtiani, præter Mennonitas, in ea fuêre ſententia. Status hominum perfectorum, & ſponte ſuum officium cognoſcentium; & illud ita ſequentium, ut dominatui, poteſtatibus aut tribunalibus facile careant, longe perfectior eſt eorum, qui ad hujuſmodi res ſuum perfugium atque receptum habere coguntur: ſed minor perfectio non ideo vitio laborat; aut à charitate deficit. Duo, v.gr. agnoſcentes ſuas infirmitates, & cognitionem, quam de juſto & injuſto habent, imperfectam eſſe; & qui ſimul conſcii ſuæ infirmitatis prævident fore ut mutuis rixis & litibus atterantur; & qui ideo exiſtimant conducibilius rebus ſuis eſſe tertium eligere, quo judice & diſceptatore utantur in componendis ſuis controverſiis: quam privata ſua judicia ſequentes, id ſuum & proprium habere, quod per vim & arma ſibi vindicare poſſunt. Hi duo recte de ſuo officio judicant; neque illo inſtituto charitas læditur: quemadmodum nec facto judicum, qui æſtimantes conjuges in pace vivere non poſſe, & ex ſocietate thori atque victus, ea naſcitura incommoda, quæ in Republica omni modo vitanda ſunt, ſeparant conjuges quoad thorum & convictum. Sed Separationis Eccleſiarum ratio non congruit exemplis jam memoratis: primo quia illi, qui hactenus illam ſeparationem moliti & emoliti ſunt, eo facto non exiſtimant ſe teſtari ſuam infirmitatem & membrorum Eccleſiæ defectum, ſed contra loco perfectionis habent contendere ad illam ſeparationem, & illam jactant & oſtentant in teſtimonium ſtudii veritatis & zeli erga ſanctitatem. Secundo, quia fratris tui fides à te in aliquo Religionis capite diſſentiens, ſua natura te non turbat in tua poſſeſſione veritatis, ſed tu eam quietam & integram habere potes, etiamſi alius de tua religione aliter ſentiat: at qui dicit ſuum eſſe, quod ego meum eſſe tueor, quique ductus illo judicio parat ſe ad id vindicandum, quod ſuum eſſe putat, ille me de mea poſſeſſione dejicere ſtudens, non ſinit me tranquille meo frui. At omnia aliter comparata ſunt in caſu de Tolerantia: quod ex præcedentibus manifeſtum eſt; & in ſequentibus magis eluceſcet.

Sed addunt: finge aliquem in hoc errore verſari, ut putet aliquot errores, quamvis non fundamentales, tolerandos non eſſe: & ductus religione privati offi-

cii æſtimet ſe alios Chriſtianos à ſe diſſentientes debere à ſe ſegregare: aut debere ab Eccleſia tolerantiam exercente ſecedere; & ſe alii Eccleſiæ iſtos errores non toleranti adjungere: aut ſi non exiſtat talis Eccleſia, in quam ſe dicare poſſit, aliam novam erigere; quæritur quo loco habebitur illud peccatum: & qua dignatione cenſendæ illæ Eccleſiæ, quæ ita ſe ſeparant ab aliis? An ſunt æſtimandæ ſciſmaticæ, & reæ illius peccati, quod Apoſtolus *opus carnis* vocat? Eſtne error fundamentalis ita ſentire; & juxta illam animi ſententiam vitæ inſtitutum ingredi? Deinde, quandoquidem Chriſtiani tantopere diſcordes ſint ſuper numero articulorum fundamentalium; & res adeo judicatu difficilis ſit: quid commodi inde redundat in Chriſtianiſmum, multa de Tolerantia prædicare; eamque laudibus tollere, cum res inter pauciſſimos ad uſum deduci poſſit, propter perficiendi difficultatem. Nam, inquiunt, aut aperte diſſentient inter ſe de aliquo articulo, ſitne fundamentalis nec ne; & ita congregatio talium in unum cœtum fieri non poteſt: aut *ſubdubitabunt*, & ita tutius eſſe arbitrabuntur, aliquem verſantem in errore, de quo ambigitur, utrum ſit fundamentalis, vitare: quam cum tanto periculo ſeductionis ſanorum, ſinere talem ægrum in medio aliorum vivere. Reſpondemus, non eſſe errorem fundamentalem, ſi quis arbitretur aliquos errores non fundamentales non tolerandos in Eccleſia: neque is eſt reus iſtius ſciſmatis, quod Apoſtolus vocat *apertum opus carnis*, qui cauſa vitandæ naſcituræ in ſe exacerbationis per occaſionem diverſitatis ſententiarum, ſe ſubducit à talibus congreſſibus, & fugit et tales occaſiones; quibus excandeſcentiæ & ſtomachationes naſcituras in ſe prævidet.

Sed primo: hoc non eſt tribuendum pietati, ſanctitati, aut perfectionis ſtudio fidelium; ſed id eorum vitio, aut infirmis ſuæ regenerationis principiis aſſignandum, quod tot debiles, & tam parum modum ſuis affectibus ponere ſcientes inter eos reperiantur: & ideo talis diſceſſus non idcirco laudandus, commendandus; neque opera danda ut inter Chriſtianos vigeat: non magis certe quam illorum inſtitutum laudibus afficiendum, qui alios exhortantur ut jus ſuum apud judices perſequantur, quamvis ſpes ſit litem per arbitros componi poſſe. At noſtri Doctores plane alia inſiſtunt via; & in laude ponunt, & puritatis & ſanctitatis ſtudio tribuunt, ab errantibus in non fundamentalibus ſe ſubducere: neque tam infirmitatis ſuorum cauſa iſtas ſeceſſiones moliuntur, (tunc enim agnoſcerent ſuum cœtum ex morbidis, ægris, infirmis & infantibus conſtare) ſed quo majoris puritatis & ſanctitatis zelo ſatisfaciant: & ideo non in hoc incumbunt, ut in ſuis iſtum languorem & infirmitatem curent; & eos exhortantes ad tolerantiam, & præcepta de iis tradentes, mentem eorum informent & muniant contra vitioſas illas, & impotentiam animi arguentes commotiones: ſed contra ad hoc laborant, ut membra ſui cœtus ſibi ipſi applaudant in hiſce infirmitatibus; quia illas pro perfectionibus venditant. Quæ ratio agendi longe aliena eſt ab ea, qua aliquis per prudentiam conſcius ſuæ, aut aliorum infirmitatis, vitat eos cœtus, aut conciones, quando aut ſua, aut aliorum impotentia, qua à nobis diſſentientes mutuo ferre non poſſumus, animorum abalienatio oriri poſſet: ad hoc tamen contendens, ut ipſe & proximus ab illa infirmitate liberari poſſint; ut ita corroborati, & viri inter viros facti in pietate & cognitione veritatis, pleniſſime omnia charitatis officia exſequi poſſint. Singulares Fideles, aut Eccleſiæ, quæ hoc animo ab aliis ſecedunt, illæ non ſunt ſciſmatis reæ: alias Eccleſias, à quibus ſe ſegregant, præ ſe non contemnunt: non abeunt in diverſum, quo minus ſumma ſtudia officii & charitatis Chriſtianæ mutuo, etiam inter

 ipſos,

ipſos, à quibus ſe ſegregant, conſtarent: non recuſant fraternitatis Chriſtianæ ſymbolum & ſacramentum una cum iis, à quibus ſe propter infirmitatem ſuam ſubduxerunt, uſurpare: non ſecedunt, ut in perpetuum ab aliis ſeparati maneant, ſed ad tempus; donec vires collegerint, quibus communi & ſolido atque firmo cibo cum aliis frui poſſint.

Sed hæc tota oratio nihil pertinet ad hodiernos, qui errores non fundamentales errantes à ſuis cœtibus excludunt: quorum rationes propter quas illi ad ſeparationem deſcendunt, toto cœlo diſtant ab eorum, quos proxime deſcripſimus. Sciſma itaque non in hoc vertitur, quod propter quaſdam cauſas, quæ tamen charitatem non lædunt, quidam non ita in unum corpus coaleſcant, ut unum regimen habeant, unum congregationis locum, uni Synedrio, unis Claſſibus aut Synodis ſubſint: ſed qui tamen ſe mutuo pro fratribus agnoſcunt; & ſignum & teſſeram fraternitatis, qua fraternum noſtrum animum teſtamur, inter ſe uſurpant; & qui ut membra unius corporis in commune conferentes omnia charitatis officia, hoc agunt ut tanquam unum corpus myſticum conſtituentes mutuis auxiliis vigeant. Hoc certe plus eſt, *quam non odiſſe proximum*: *quam ejus ſalutem omni ſtudio quærere*: *quam illi non anathema dicere, aut cœlo excludere*: quibus quidam, dum erga proximum, quem fraternitate prohibent, defunguntur, putant ſibi cætera tuto licere: non animadvertentes Chriſtum majorem conjunctionem inter fideles poſtulare atque requirere, quam quæ nobis cum omnibus hominibus, etiam Ethnicis intercedere debet, quæ communibus tantum charitatis officiis continetur.

Ut itaque totam hanc rem concludam; & quid ſuper hac re ſentiam, bene exponam, non pigebit ea, quæ ſupra ſparſim dicta, in compendium contrahere, & ſub uno aſpectu ponere. Dicimus itaque ſciſmatis reum non eſſe fidelem, aut Eccleſias, eo cognitionis gradu deficientes, ut per errorem æſtiment ſe ſuo officio fungi, & præcepto Chriſti parere, quando errorum non fundamentalium cauſa ſeſe à fidelibus ſegregant; idque faciunt aut gratia conſervandæ puritatis, aut pacis in Eccleſia: vel etiam diſſipationis Eccleſiæ membrorum vitandæ ergo: quæ membra in æſtimatione ſui officii erga fratrem errantem, non poſſunt perduci in illam ſententiam, ut cum illo fraternitatem colant, & iiſdem Sacris utantur; quia putant ad hoc requiri eadem ſtudia eaſdemque voluntates communicantium: aut ſi quid incommodi inde naſci agnoſcant, multa tamen & graviore ex parte, bona atque utilitates quæ ex ſeparatione ſperantur, propendere exiſtimant. Si quid itaque horum contingat non puto talem fidelem aut tales Eccleſias, quæ propter tales cauſas ſeparationem moliuntur, & Eccleſiam lacerant; & ſeparatos ſibi cœtus conſtituunt, eſſe habendas numero ſciſmaticarum Eccleſiarum: quia in æſtimando illo peccato non tam attendendum eſt ad factum externum; & ad illam ſeparationem, quam oculis videmus, ſed ad illam, quæ animo tantum cernitur. Nam quamvis factis externis teſtentur ſibi nullum velle eſſe commercium; aut quicquam rei ſpiritualis cum aliis Eccleſiis, quas in quibuſdam erroribus, licet non fundamentalibus; & quos tamen ſe poſſe ferre, negant, verſari putant; tamen non eo animo affecti ſunt, qui comitari ſolet hujuſmodi facta; quæ deliberato animo & inita ratione fiunt ab illis, qui ſeparando parant ſe ad omnia fraternitatis officia neganda iis, à quibus ſe propter rationes jam traditas disjungunt: ſed eam ſeparationem tantum habent numero ſeparationum, quæ in externis quibuſdam conſiſtit, & fraternæ charitatis officiorum imminutionem non importat; qualia ſunt uno Eccleſiæ regimine non contineri; non claſſicali, aut Synodali conjunctione

ita

ita conſociatum eſſe, ut ex publico ſive multarum ſive omnium Eccleſiarum Chriſtianarum judicio res ſuas componere velint: & quæ ſunt hujuſcemodi. Nam etiamſi alios prohibeant etiam uſu illius conjunctionis Sacramenti, quo arcta inter fideles tuenda conjunctio, proditur: non tamen eo animo eos, à quibus diſſentiunt, fraudant illa communione, ut etiam fraternitatis Chriſtianæ officia inter ſe non amplius conſtare velint: ſed rem non ſatis penſitantes, externis quibuſdam cæremoniis teſtantur alienationem animorum, à qua mentis affectu longiſſime abſunt; fraternum animum erga illos conſervantes, erga quos per incogitantiam ſe externis judiciis & ſignis gerunt, quaſi nullo fraternæ charitatis vinculo amplius colligati eſſent. Quod in noſtris fœdere junctis Provinciis plurimum evenire mihi exploratum eſt: ubi innumerabilis multitudo fidelium fraternum animum erga ſe invicem conſervant: quamvis in Eccleſiis diverſis & ſeparatis, quæque eadem Sacramenta fraternæ charitatis non uſurpant, degant: & quarum Eccleſiarum ſeceſſus à ſe invicem, turbatis & iniquis temporibus factus eſt per inconſideratum & præcipitem quorundam Eccleſiarum Antiſtitum zelum, vel etiam propter animorum exacerbationem ortam ex quorundam Theologorum vincendi ſtudio: (ſi politicæ rationes hic non tenuere principatum) & quarum Eccleſiarum coalitus nondum fieri potuit propter eoſdem illos importunos homines. Sed illud ſciſma probi dolent & gemunt, & ut reſarciatur, votis expetunt; & omnia fraternæ charitatis officia mutuo præſtant: neque æquo animo ferre poſſunt, ſi quicquam erga eos moliri quidam inſtituant, quo minus commode & omni cum libertate ſacra ſua exercere poſſint: & ideo omnia illis commodent, per quæ tam terrenis, quam cœleſtibus frui poſſint utilitatibus: nec tamen iis Eccleſiis, quæ in non fundamentalibus tolerantiam probant, ſe jungunt; vel quia nondum de errore fundamentali inter eos convenit: vel quia cum iis decidere non potuerunt ſuper conditionibus, quibus illa conſociatio non tantum ſemel ſuſcipi inter ipſos, ſed in perpetuum pari jure conſervari poſſit. Qui eo ſunt affecti animo, illos non tantum non ſciſmaticorum numero habendos puto; ſed eos in officio boni Chriſtiani manere: etiamſi externa quædam, quibus fraterna conjunctio & ſocietas Religionis oſtendi ſolet, inter ſe non communicent. Eos autem ſciſmaticos eſſe arbitror, qui eo animo ab aliis, non errantibus in fundamentalibus, ſe ſeparant, ut eos tanquam membra gangræna infecta; & cum quibus, quamdiu hujuſmodi malo laborant, nulla ſocietas eſſe poſſit, æſtiment: & qui ideo ab hujuſmodi membris communicationem communis vitalis ſpiritus, quo corpus, & ſingulæ ejus partes vigere debent, prohibent, eaque membra indigna putant, quæ fraternitatis ſpiritu complectantur & foveant; & quæ ſi eo malo ſe curare non ſinant, aut à priſtina ſententia abduci propter illud malum, eamque ægritudinem, tamquam peſtifera membra odere, & à corpore reſcindunt; eorumque non aliam rationem habent, quam membri vitali ſpiritu deſtituti. Qui ita ſe inſtituunt, eos inquam, non dubitans *ſciſmaticos* eſſe denuncio; & *operis carnis* ſe reos facere, eâque culpa teneri, cui ſeſe obnoxios reddere ſupra docuimus, qui filium familias, & cohæredem omnium, domo ejiciunt, eumque exhæredem faciunt, & omnibus privilegiis & bonis privant, ad quæ communis fraternitatis ſanguis & ſpiritus eum vocat. Neque error, quo aliquis ſeductus, erga fratrem ſe non gerit ut decet, ipſum liberat ab illo peccato, quaſi ille *error* non eſſet *fundamentalis*: nam ille error non ſubſiſtit in mente, ſed vitium ponit in moribus; & quidem tale, quod aperte charitati repugnat, & quod numerandum ſit inter aperta opera carnis: & in

in quo homines hærentes, nec facti pœnitentes, non minus peccant quam illi, qui odio, livore, invidia, amore ſui, ſuorumque, &c. ducti à charitatis officiis, judicatu non difficilibus, ſi ab enumeratis vitiis immunes eſſent, deficiunt: & qui per ſpeciem teſtandi odii adverſus vitium & errorem, quo proximus laborat, & revocandi ipſum ab illo vitio & errore vindictam ſuam explent: & proximum adducendo in odium, omnibus commodis, quibus vitam ſuſtinebat, privant: denique quem corrigunt tamquam oderint.

Sed videor mihi audire, qui reſpondeat: quare non potius illum, qui vitioſa alimenta ſubminiſtrat, jubeas res ſuas ſeorſim habere; & cum iis ſocietatem inire, qui iſtæc vitioſa alimenta proba & ſalutaria arbitrantur, iiſque delectantur, quam ſinere eos inter ſanos verſari cum periculo communicandæ tabis? An non præſtat homines ſanos eripere ex peſtilenti aëre; & ſinere alios, quibus ille ſaluber videtur, illo frui, quam permittere ut illi, qui non ſolum contenti ſunt iſto peſtifero aëre, ſed qui etiam nituntur illum aſpirare aliis, in medio ſanorum degere? An non conducibilius eſt partem gangræna laborantem, aut alio vitio, quod partes alias contagione inficere poteſt, amputare, quam ſinere illam partem ægram corpori adhærere cum diſcrimine totius corporis. Præſertim ſi pars ægra, etiamſi à corpore ſejuncta ſit, ſpiritum vitalem in ſe conſervare valeat. Sed Reſpondeo interrogando viciſſim. An hominem Chriſtianum non deceat, cum vitæ periculo conſulere proximo, quando illi officio non ſatisfaciens, charitatem ſit violaturus, & reum ſe peccati conſtituturus? Si medicatio Chriſtiana imperet partis ſanæ cuſtodiam atque tutelam non parandam amputatione partis ægræ; ſed ejus partis fotu & diligenti cura, ut morbo liberetur, & ita corpus *integrum* conſervetur. An non decet in curando ægro corpore eam viam ingredi, quam Scriptura dictat? Sic arbitror. Præſertim cum Deus hanc curandæ ægritudinis, & labis vitandæ rationem ſuſcipere jubeat; promittatque ſe illam ſoſpitaturum, & certam ſpem facit eam bene ac feliciter eventuram. Non itaque ad ejectionem ex Eccleſia decurrendum, ſed inſtitutum Apoſtoli ſequendum, 2 *Tim.* 4: 2. & ſequentibus. *Prædica ſermonem iſtum*: *inſta tempeſtive, intempeſtive: urge, objurga, exhortare, cum omni cobibitione & doctrina.* Et verſ. 5. *Tu vigila in omnibus tolerans eſto afflictionum: opus perage Evangeliſtæ*, &c. Vult itaque Apoſtolus non ut fatigemur & animum deſpondeamus, aut ſpem abjiciamus perducendi fratrem in noſtram ſententiam; ſed ut urgeamus, nec contendere ſinamus. Hic enim valet, quod apud Ethnicos in proverbio eſt: proxima hoſtia litatur ſæpe pulcherrimè: ita multis in irritum cadentibus conatibus poſtremus ſæpe rem perficit, & fratrem ab errore abducit. Neque periculum illius, qui errat, parvi æſtimandum, quando judicio publico fratrem gravantes & onerantes charitatis fructus illi clauditur. Aliter Apoſtolus *Rom.* 14: 13. illud periculum æſtimat. *Ne amplius igitur alii alios judicemus, ſed hoc potius adhibete judicium, ut ne fratri proponatur quippiam, ad quod impingat aut offendat.* Res ita concipienda eſt. Errantes, ſed non in fundamentalibus, jus habent manendi in domo Dei; & ut filii & liberi utendi libertate judicandi & proponendi quibus modis atque rationibus domui atque familiæ optime conſuli poſſit; & ut ita quiſque pro modulo ſuæ cognitionis ea conferat, quæ putat maxime domui atque familiæ accommodata. Ita tamen *Primo* ut omnia illa diverſa, pro proſperitate familiæ, ſtudia conveniant in legibus fundamentalibus adminiſtrandæ rei familiaris: & à quibus legibus fundamentalibus ſalus familiæ ita dependet, ut inde neceſſario manent omnia officia, quæ ſalutem familiæ non tantum ſuſtinent & tuentur; ſed etiam illius commoda

da augent. *Secundo*, ut conſequenter illa diverſa judicia & ſtudia adminiſtrandæ familiæ ſibi invicem non officiant aut impedimento ſint, quo œconomia turbetur: ſed diſcrepantia judiciorum & ſtudiorum in eo verſetur, ut omnia ſtudia, quamvis diverſa redundent in domeſticorum utilitatem. V. Gr. omnes domeſtici incumbant, ut cibus ſanus, & omnibus domeſticis nutriendo corpori omnino neceſſarius, apparetur; & illius omnibus neceſſarii cibi omnes etiam ſint participes: judicii autem & ſtudii diverſitas occupata ſit in condiendo illo ſalutari cibo, pro ſingulorum appetitu; quia quidam exiſtimant cibum certo modo conditum ſalubriorem eſſe, quam ſi alio condiatur modo. Aliis ſuper ea re aliter ſtat ſententia. Quid jam æquius? Propter iſtam judiciorum diverſitatem, quæ per ſe neminem lædit, aut offendit; & qua cibi ſalubritas non corrumpitur (quod hic animadvertendum) familiam diſſolvere; & fraternam neceſſitudinem, mutuaque charitatis officia, quæ eam comitari ſolent, tollere, & ita totam familiam in diſcrimen adducere. An præſtet in hoc eniti, ut omnes certatim laborantes ad comparandum ſalutarem, & familiæ neceſſarium cibum, cæterum ſinguli in condiendo illo cibo fruantur ſuo judicio, eoque utantur, quod ſalubrius eſſe exiſtimant: & ſimul ipſis permittatur pro charitate, qua erga proximum ducuntur, de ſui condimenti præſtantia ſermones habere, quo commendetur condimenti utilitas, & frater ad eum deguſtandum excitetur: ita ut interea pax conſervetur; & ſinguli in ea familia jucundius vivant. At ita comparatum eſt cum controverſiis, quæ ad fundamentum non pertinent: illæ enim non ſolum fundamentum non evertunt, aut labefactant, ſed omnes illud communibus ſtudiis, & operis firmant & ſtabiliunt: neque earum ſententiarum diverſitatis ſuper articulis fundamentalibus ea eſt ratio, ut ſtudia & opera membrorum Eccleſiæ faciant mutuo in ſe impingere & collidere: ſed contra ſingula communi & regia via pergentia; & ſeinvicem ad alacritatem, patientiam atque conſtantiam exhortantia, illis opinionibus & ſententiis tantum diſcrepant, quæ & qualis ſc. ſemita inter alias multas, quæ oſtenduntur; & quæ omnes viæ regiæ adjacent & adhærent, neque ab ea errare faciunt, iter facientibus commodior ſit. Ita ut unuſquiſque ſuum proximum pro charitate, qua eum complectitur, adhortetur ea ſemita incedere, qua ipſe inſiſtens, ſibi perſuadet iter commodius confici poſſe. An non abeſſet ab omni humanitate, ſi quidam ſuæ ſemitæ ita amantes eſſent, ut nullos ferre velint, qui quidem alia ſemita incedunt, ſed tamen cum via regia connexa, verum illos omnes de via depellerent & arcerent, qui ſua ſemita non incedunt: quamvis alioquin cum aliis conſpirent, ut commeatum neceſſarium in commune conferant; quo iter habentes alantur: certe qui ita mavult peregrinationis ſuæ ſocios à ſe divelli, illis nuncium mittere; & ſacramentum conſociationis, quod inter peregrinantes erat, ejurare; quam illius opera in comparando cibo neceſſario uti, næ ille parum rerum ſuarum ſatagit. An convenit æſtimare tanti intereſſe, ut omnes ſua ſemita (quam jam largior eſſe optimam, & peregrinantes per compendium & ſecurius ad arcem verſus, quam omnes tendimus, ducere) ingrediantur; & nihil ab ea declinent, ut ſatius habeat alios diverſa à ſua ſemita inſiſtentes alienare, & privare, quantum in ſe eſt, communi peregrinantium commeatu, (quemadmodum opportunitates peregrinantium aliæ in aliis reperiuntur) quam illos habere itineris ſocios: intercludens ita illis, qui à ſe diſſentiunt, omnia officia, quæ ex animorum communi conjunctione peregrinantium in totam ſocietatem redundare ſolent: & ſe & eos, quos à ſe depellunt & abigunt, per diſſolutionem ſocietatis minus firmos reddens contra latrones, quibus via, qua iter habent, inſe-

ſta redditur. Nonne inquam ab omni humanitate abeſt, qui mavult mactare hujuſmodi incommodis Chriſtianorum peregrinantium ſocietatem, quam permittere ut in peregrinantium numero quidam minus ſuæ ſemitæ intelligentes reperiantur; & qui ideo aliam ingredientes, & aliis ut eam ingredi velint exhortantes, nonnihil periculi iis creare poſſunt, ne illi, qui meliorem itineris curſum tenent, à via deflectant; ſed qui tamen propter eam deviationem ita aberrare non poſſunt, ut ad locum, quem omnes petunt, & qui eſt arx ſalutis, pervenire non poſſint. An non eſt æſtimandum eos, qui ita male ſuas rationes inſtituunt, vacare charitate, ſe ſuaque nimium æſtimare, & amplecti, oblocutiones ferre non poſſe; tales velle ut ſolummodo ſua ſententia valeat & obtineat: denique & tales potius odio proximi, quam amore veritatis duci, quandoquidem propter errorem non fundamentalem ita Eccleſiam lacerant?

Similitudo itaque, quæ ducitur à membro ægro, aut ab aëre infecto, quo ſani poſſent infici, & ita eorum ſanitas labefactari, non undequaque convenit: quia pars ægra, & aëris labes officit aliis, quo minus recte officio fungi poſſint, & pugnantibus agitati ſpiritibus ſanæ partes cum ægris ita committuntur, ut totum corpus inde languorem contrahat: quæ omnia longe aliter evenire in Chriſtianorum tolerantia docuimus: in qua *articuli fundamentales* integri & illibati conſervati, ſunt illi ipſi qui effundunt vim vitalem, per omnia membra corporis myſtici pertinentem & peragrantem; neque errores non fundamentales talem influxum intercludunt. Ita comparatum eſſe cum articulorum non fundamentalium natura rem auctorem dabo; & exemplo comprobabo: quamvis hoc in prima hujus Tractatus parte multis cumulate factum eſſe videbitur.

Sententiarum diverſitas inter Calviniſtas & Lutheranos de præſentia corporis Chriſti in cœna non continet errorem fundamentalem: ergo illa juxta ſupra tradita, ita ſua natura turbare, aut impedire non poteſt rationalem cultum eorum, qui ſuper hac controverſia diſſentiunt, ut ille ſibi non conſtet: utraque pars conſentit Sacram Cœnam à dignis accipiendam: eam in memoriam Chriſti mortis inſtitutam: Chriſtum in illius Sacramenti celebratione religioſe venerandum, colendum & adorandum, &c. Hæc eſt via regia, qua omnes pergunt tam Lutherani quam Calviniſtæ: & mutuis officiis, monitis & exemplis, ad perſequenda hæc officia digne communicantium ſibi mutuo alacritatem addunt. Sed altera pars exiſtimat Chriſtianos illo munere non recte defungi, niſi credant corpus Chriſti *in*, *cum* & *ſub pane*, in Sacra Cœna præſens eſſe: altera pars hoc abnuit: ecce duas ſemitas, quarum ſingulæ partes ſuam & ab alia diverſam ſequuntur. Quid hic quæſo, utrivis parti ab altera impedimentum ponitur propter ſententiarum diſcrepantiam, quare iter ſuum via regia æque alacriter perſequi non poſſit? Si dicas, velle Deum nos una via regia incedere; & eos non pro itineris ſociis habere, qui in non fundamentalibus errantes, ſemitam minus commodam ſequuntur. Reſpondemus, ſupra multis argumentis oſtenſum eſſe, id à præceptis Chriſti alienum eſſe. Et ſi hæc doctrina obtinet, eadem ratione omnes, etiam leviſſimos errores errantes, ſocietate Chriſtiana prohibeas neceſſe eſt. Si dicas periculum ſeductionis non finit hujuſmodi errantes itineris ſocios habere. At ex ipſorum adverſariorum ſententia, non eſt metus de interitu & exitio, ſed ne minus commode iter conficiatur; & illa incommoditas ſæpe nulla eſt, & multis utilitatibus penſatur. Deinde eſtne metuendi cauſa ſi admittantur in Eccleſia, qui non ſunt adulti in Chriſto: at contra hoc eſt ex inſtituto Chriſti, qui vult Eccleſiam

cleſiam ſuam componi ex adultis, & ex iis, qui infra illam ætatem ſunt conſtituti. Præterquam quod illud commodum compenſetur tot aliis peregrinantium commodis, quæ ſupra recenſui, ut adverſarii male calculum ponant, qui putant ex tolerantia plus mali quam boni redundaturum in Eccleſiam. Et ſi metus eſt ſeductionis, & ne quidam à virili ſtatu deſciſcant ad infantilem, etiam contra ſpes maxima eſt, multos communione Sacrorum à ſtatu infantili emerſuros ad ſtatum virilem. Sed inquies: dum ſententiis ita diverſi ſunt, nihil aliud agent, ſi ſimul iter habeant, quam tota via rixari, & nitendo quiſque pro ſua ſententia calumniis invicem proſcindere: aut ſæpe etiam ad manus venire. Reſpondemus omnium iſtorum culpam eſſe in moribus, non in erroribus non fundamentalibus. Cognoſcant igitur illi, qui Eccleſiam ſuam ex hujuſmodi membris conſtitutam habent, talem Eccleſiam longe abeſſe ab illis conditionibus, quas Chriſtus à membris Eccleſiæ requirit: & diſcant non ab ejectione membrorum, quæ ſententiis ſuper quibuſdam articulis non fundamentalibus variant, remedium huic malo petendum, ſed à morum emendatione, inculcando illis tolerantiam; & inſpirando illis ſpiritum pacis, manſuetudinis & lenitudinis. Sed ab hoc inſtituto multi Paſtores in Eccleſiis ita abhorrent, ut contra nihil prius habeant, quam errantium errores exaggerando inflammare Auditorum ſuorum animos ad odium proximi; & ita per ſpeciem pietatis nihil aliud agentes, quam ſuæ gloriæ ſervire; & exultantes de multitudine ſectatorum gloriari, eoſque quaſi in triumpho circumducere. Deinde dominantes & rerum in Eccleſia potiuntes, adverſarios, & quos ſecum ſentientes non habent, cætera docti & probi, Eccleſiæ muneribus prohibere, vel etiam quidem à Sacrorum communione arcere. Hoc tamen do, quod ſi quidam de ſocietate peregrinantium eo immodeſtiæ prolabantur, ut iter facientibus ſeſe opponant, detineant, obicem ponant, illi arcendi ab Eccleſia, non propter errorem in fide, ſed propter deformitatem in moribus; & ideo digni quos de via regia depellas.

At urgent tamen Adverſarii, dicuntque illam tolerantiam, quamvis forte laudabilem ſuo nomine, tamen aditum non poſſe habere, quando in uſum deducenda eſt: quia hominum cupiditate vincendi, & ſuas ſententias propagandi, eventurum eſt, ut brevi dilapſa ſocietas ſolvatur, aut aliquot ſententiæ pro concione non amplius tractentur, nec proponantur penuria Doctorum: quia pars numero & auctoritate in Eccleſia potior, non alios vocabit Doctores, quam quos ſuæ ſententiæ addictos novit: neque ſuſpicari quidem licet parem ſemper diverſe ſentientium numerum & auctoritatem in Eccleſia fore: vel itaque eo veniendum, ut tot Doctores diverſi conſtituantur, & legibus numerus eorum definiatur, quot ſunt hominum claſſes in Eccleſia, qui quidem in unam ſententiam conſpirantes quantum ad fundamentalia, ab aliis tamen aliam ſectam ſequentibus, diverſi ſunt. At quivis ſatis percipit hujus rei propter innumera abſurda & incommoda, quæ ex ea ſequuntur, facultatem eſſe non poſſe. Reſpondeo hanc difficultatem tanti non æſtimandam, ut ideo ad ſeparationem veniendum ſit: nam *primo*, illa ducitur & manat ab hominum vitiis; non ab errorum natura & peſte, qua ſocietatem eccleſiaſticam per ſe infeſtant. *Secundo*, occurri poteſt iis incommodis, ſi numerus paſtorum circumſcribatur; & iis paſtores in Eccleſia concedantur, qui propter celebres, & in Eccleſia multum agitatas quæſtiones animum ſtudio & veneratione erga quoſdam articulos repletum habentes, illorum articulorum expoſitionem & propugnationem publicam in Eccleſia deſiderant: qui ſuper reliquis minoris (ex eorum ſententia) momenti facile convenirent;

nirent: conſtituta honeſta, & æquis legibus temperata prophetandi libertate. *Tertio*: At exemplum multarum Eccleſiarum docet illam tolerantiam non ita factu difficilem eſſe, quemadmodum multi arbitrantur: & Eccleſiæ Reformatæ in Gallia id uſu ſuo comprobarunt. Vel ſi æſtimetur rem ita confici non poſſe: demus partis, quæ in gubernatione Eccleſiæ ſuccumbit, & ſuffragiis vincitur, officium eſſe, æquo animo ferre debere, quod publice in cathedra ejus opiniones doceri & inculcari non poſſint propter Doctorum, qui iſtis opinionibus addicti ſunt, penuriam; non ideo laudandum inſtitutum eorum, qui ad ſeceſſum & ſciſma progreſſi ſunt. Potuiſſet illa pars minor tolerari in Eccleſia conceſſa ipſi libertate conſcientiæ, & proponendi per occaſionem ſuam doctrinam, eamque aliis perſuadendi, pacis ſemper ratione habita: quia ſemper attendendum ne intempeſtivo libertatis uſu illa turbetur; totum tamen hoc officium cujuſque judicio & prudentiæ permittendum eſt, à qua ſi aberretur, penes Eccleſiam jus eſſe ſtatuo notare eos, qui hac in re deficiunt in moribus, non autem quod opinione erroris lapſi ſunt.

Sed inquiunt: an cuivis in Eccleſia liberum & integrum erit nova, & recens ſibi nata, & ſæpe adhuc cruda, nec ulla ſevera meditatione ſubacta dogmata pro concione populo proponere; aut privata inſtitutione inter Eccleſiæ membra diſſeminare? Et an nullum extabit in Eccleſia tribunal aut collegium, quod expendat, judicet, & definiat, quæ dogmata cum utilitate populo exponi poſſint: cum certum & exploratum eſſe videatur; & exemplo Chriſti & Apoſtolorum comprobatum, omnes non omnium doctrinarum capaces eſſe: & quædam tam intempeſtive, præter ordinem, & tam mala accommodata ad auditorum animum ratione proponi poſſe, ut plus impedimenti, quam adjumenti in pietatis curriculo inde auditoribus oriatur. Reſpondeo: ſed ſi hoc tantopere neceſſarium, quare illi, qui jam in partes iverunt, & Eccleſiam lacerarunt, tale tribunal non conſtituunt? Aut an illa ſeparatio tanta ipſis præſtat commoda, ut nullus paſtorum libertate prophetandi, quam in ſuis Eccleſiis adhuc reliquam eſſe jactant, & æquis legibus temperatam, abutatur, & munere concionandi tam prudenter & æquiter utatur; & cibum illum ſpiritualem, quem auditoribus ſuis diſtribuunt, tanta cum prudentia & ſolertia condiunt, & ad uſum ſingulorum accommodant, ut omnes eo capiantur; eum deguſtent, & in ſuccum & ſanguinem convertant? Non arbitror: & lites, rixæ, diſſidia, æmulationes, contentiones, calumniæ, conciones plenæ aculeorum in adverſarios, denique ſcripta tot conviciis, quæ puritatis illi amantes fratres inter ſe contorquent, adeo plena, ut citius in navi lignum deſideres, quam in eorum ſcriptis convicium, omnino contrarium teſtantur: cum aliæ Eccleſiæ, in quibus libertas prophetandi major eſt, ſumma quiete fruantur. Non itaque à tribunali aliquo, hoc eſt, à poteſtate, & auctoritate judiciali Synedriorum, Claſſium, aut Synodorum petendum præſidium contra quædam membrorum Eccleſiæ faſtidia, & mollitiem, ſi ita loqui liceat, qua ſui, ſuæque ſententiæ magnopere amantes, nihil audire ſuſtinent, quod à ſua opinione alienum eſt, quin ſtatim hoc illis moveat ſtomachum, & deducat ad rixas & declamationes, &c. Sed huic malo remedium quærendum à moribus tam Doctorum, quam eorum, qui docentur: & ad hoc laborandum ut charitatis, tolerantiæ mutuæ leges, & pondus articulorum fidei bene intelligere & percipere poſſint, & diſcant amoris ſui minus rationem ducere; in minimis res & gloriam ſuam ponere: de Eccleſia præcipue laborare: non cupere ſua dogmata ſola valere, ſola rata eſſe in Ec-

Eccleſia. Diſcant moderationem, modeſtiam, animi æquitatem & lenitatem, morum commoditatem, &c. non minus in Eccleſia, & inter Chriſtianos valere debere, quam inter cives: quorum tamen, pròh dolor, (non ſit hæc contumeliæ, ſed doloris vox) contrarium obtinet; ut quicquid ferme in vita civili vitio datur, id in Eccleſia, nomine virtutis ſeſe commendet, & ſpecie zeli ſtudii pro veritate, & proximi ſalutis amore ſeſe oſtentet. Et cum hæc vitia ſatis in aperto ſint; & tam in Eccleſia, quam in vita civili cerni ita poſſint, ut nemini lateant, tamen ad hæc non modo connivent multi in Eccleſia Doctores: ſed ex hiſce malæ notæ animi affectibus pietatem æſtimant: & hoc agunt, ut iis, qui illis vitiis adhuc carent, ea inſtillent, atque impertiant; imo ſtimulis fodicent, ut in hos animos & virtutes ſeſe excitare velint; quo ſocios ſibi parent, & manum facere poſſint, qua graviore noxa in fratrem in levibus ab ipſis diſſentientem, incumbant, illique acerbiſſimum dolorem inurere poſſint; eumque ita odio ſubjicientes, fructus laboris ejus corrumpant; & Eccleſiam ejus opera ſalutari privent. Ab hoc malo præcipuæ calamitates redundant in Eccleſiam: huic claſſibus & Synodis medendum: contra hoc cenſores morum conſtituendi: qui ſi affectibus ſint vacui, facile decernere poterunt, quid modeſtiam, gravitatem, & præcipuè quid Chriſtianam charitatem deceat; tunc veris, piis, & zelo veritatis actis, conſtabit ſuum decus & honos, ferentque pretium dignum æquitate animi ſui: & contentioſi atque rixoſi famam atque notam immodeſtiæ & iniquitatis non effugient: & pax atque concordia efflorefcet, quam precor, ut Deus ſingulis & univerſis Chriſtianis tribuat.

F I N I S.

Index

Index Capitum

Tractatus de Articulis fidei fundamentalibus.

Cap. I. *In quo expenduntur & refelluntur argumenta eorum, qui articulorum fundamentalium enumerationem fieri non poſſe exiſtimant.* Pag. 697

Cap. II. *Examinantur quorundam Doctorum rationes & fundamenta, ſecundum quæ de articulis fundamentalibus judicium inſtituendum exiſtimarunt.* 712

Cap. III. *Admonitiones & cautiones quædam traduntur, quibus munitur & apparatur via, qua progrediendum eſt in colligendis articulis fundamentalibus.* 717

Cap. IV. *Complectens refutationem argumentorum, quibus nonnulli probare voluerunt, nihil intereſſe quid quisque credat, ſi modo ea fide teneat, quæ nos ad virtutem excitant.* 740

Cap. V. *In quo fundamentalium articulorum enumeratio inſtituitur: & primo quidem illa traduntur, quæ de Deo creditu neceſſaria ſunt.* 744

Cap. VI. *De Eccleſia & Tolerantia.* 806

SPE-

SPECIMEN
RETORSIONIS
CALUMNIARUM
Auctori à mendaciſsimo Tenebrione impactarum.

SPECIMEN RETORSIONIS CALUMNIARUM

Auctori à mendaciſſimo tenebrione impactarum.

PRodiit nuper libellus, nec auctoris nec typographi nomen præ ſe ferens; & ideo merito habendus in famoſorum libellorum numero: & quem ideo ego, qui eo petor, recte contempſerim, ſi ea eſſet ſæculi felicitas ut recta judicii lance accuſationum momenta ponderarentur. Quid enim fidei ille mereatur, qui ut latentius in famam proximi graſſari poſſit, ſe abdit in latebras, ne mendaciorum & calumniarum, quarum ſibi probe conſcius eſt, manifeſtus, omnium proborum odio ſe dignum præbeat. Imo qui ita clam proximum laceſſit, eo ipſo mundum quaſi ad teſtimonium vocat, ſe nil niſi mendacia prolaturum. Fuit præterea huic calumniatori cauſa ſingularis, quare tam acerbe inveheretur: ambiit Profeſſoratus in Theologia in patria Academia munus; & quia ſibi perſuadet me ipſius conatibus parum faviſſe, hoc ſcripto anonymo me ulciſci voluit. Aliquid tamen reponendum duxi, quia multis contingit vivere inter homines, quorum magna pars pietatis & zeli ſpecie ab iis rapitur in errorem, à quibus virtutis & candoris exempla peti debebant: & qui eam æſtimationem ſibi peperere apud ſuos, ut & jus & auctoritatem decernendi habere, & ſumma fide ac religione judicium ferre credantur: quique editionis hujus libelli conſcii ſunt; & quibus auctor cogitatum ſuum ſcelus ante aliquot menſes aperuit; eoque nunc exultant, & ita ſe ſocios criminis fatentur. Quamvis etiam aliunde mihi conſtet, hunc auctorem ſuis mendaciis illorum applauſum meruiſſe; eumque de eorum grege, & in eorum ludo edoctum eſſe. In hoc tamen iis diſſimilis, quod ejus impietas longe aliorum exſuperet pravitatem. Quoties enim mecum cogito, quam apertis fraudibus graſſetur auctor, non dubito quin vaſtitatem intulerit conſcientiæ; noveritque ſe videntem ſcientemque ſycophantari: ita ut millies, dum hunc libellum componeret, retuderit conſcientiæ lancinationes, ut jam callum obduxerit. Tam probe illi conſtat quàm mihi, me in ſcriptis meis teſtari atque docere me à Socinianorum hæreſi, & Remonſtrantium erroribus longe abeſſe. Nam ex profeſſo priorum hæreſin impugno; & in præfatione primæ partis Doctrinæ de *Gratia & Prædeſtinatione*, ut & in ſecunda parte, *Pag.* 319. ſententiam meam de *Gratia* dixi Janſeniſtarum doctrinæ proxime accedere. Neque contigit mihi videre Socinianum aut Remonſtrantem, qui vel unum ex meis dogmatis, quæ in ſcriptis meis tueor, approbet. Nihil igitur reſtat quod in hanc mentem illum potuerit impellere, quam, ſi leniſſime interpreteris, falſa perſuaſio, me per ſimulationem præ me ferre orthodoxiam; meque eam doctrinam

ctrinam oppugnare publice, cui intimis meis ſenſibus applaudo.

Sed eſtne hoc ſummum hujus hominis flagitium cogitare de proximo, eum tale ſcelus in ſe poſſe admittere? Præterea, quas cauſas illi præbui iſtud de me ſuſpicandi? Eſtne ingenium meum adeo tectum & fictum? An in familiaribus colloquiis prodo me erroribus & hæreſibus addictum, quarum me inſimulat affinem eſſe? An iſtos errores diſſemino?

At ego teſtor omnium illorum fidem, cum quibus mihi aliqua vitæ conſuetudo intercedit, an non, quoties juſta cauſa ſe offert, declarem me ab erroribus, quos Eccleſiæ Reformatæ damnarunt, alienum eſſe. Agnoſco equidem me ab eorum moribus abhorrere, qui in eo perpetuo ſunt, ut propter diſcrepantiam opinionum in Religione Rempublicam turbent, & civibus, cæterum probis, moleſti ſint. Num autem doctrinam Janſeniſtarum de Gratia, cui mea vicina eſt, repudient Eccleſiæ noſtræ, me fugit. Sed noſtros Theologos de Janſeniſtarum conſenſu gloriari mihi recte conſtat. Deinde quid commodi ex tam tetra diſſimulatione mihi polliceri poſſum? Nemo gratis malus eſt. Si ita me vellem venditare æſtimationi civium: quomodo conveniret illi rationi, qua utor in tam prompte & intrepide meam operam commodando civibus meis, qui in periculum veniebant ne quorundam perverſo zelo, odio, imo apertis mendaciis ex cathedra poſt invocationem nominis Divini, ut illis pretium adderent, prolatis, contra leges noſtræ civitatis injuria fieret ab iis, quos præcipue decet omnis æquitatis & modeſtiæ ſtudioſos eſſe; & qui in primis apud imperitam plebem gratia valent; quorumque favore non facile careas, ſi apud plebem bene audire velis. Qui ut cauſam contra hos cives tenerent, apud Magiſtratus illos in ſuſpicionem magnorum errorum vocant; à quibus ego illos immunes eſſe ſcio; & quorum errorum nihil comperti aut certi habent eorum adverſarii. Quorum etiam illos nec accuſare, nec reos agere audent; ſed novis artibus, & in his Provinciis liberis inauditis per quæſtiones, inquirendo in illorum fidem, moleſtias civibus illis creare nituntur.

Si inquam magnopere laborarem de fama mea apud plebem, & ſi alio quam bonæ conſcientiæ pretio me duci ſinerem, poſſem facile illo odio & invidia carere, & inimicis anſam illam eripere. Quandoquidem præcipue ob eam rem me adducant in odium, & Socinianum eſſe clament. Nempe pro libertate conſcientiarum niti, & iis reſiſtere, qui noſtræ libertati imminent, eſt ex illorum ſententia, adoptare Socinianorum dogmata. Ego paratus ſum omnibus, qui fidei meæ rationem à me poſtulant, eam declarare: & provoco adverſarios, ut experimentum capiant, inquirantque ea ratione in meam fidem: non quæram effugia. Et quamvis improbem cum aliis eam iniri rationem, ego tamen lubens illam ſervitutem ſubibo; ne videar meam cauſam egiſſe quando laboravi pro illis civibus: qui illam fugiunt inquiſitionem; & gradum eſſe putant ad Papalem tyrannidem. Nulli itaque mihi ſimulandi aut diſſimulandi fructus conſtant.

Auctori, cujus nomini nunc parcam, multæ fuere rationes quare ad hoc flagitium ſeſe proripuerit. Ingenium pravum & invidum, cui parere illi ſemper jucundum eſt: & quod eorum, in quorum poteſtate eſt, diſciplina & cultu in malam meſſem adolevit. Quo factum eſt, ut probis & honeſtis, qui illum ab hoc flagitioſo propoſito demovere voluerint, minus auſcultaverit, ſed ſe dederit inimicis meis: qui dictaturam ſibi vindicantes in omni diſciplinarum genere, ferre non poſſunt eos, qui ab eorum inſtituto deflectunt. Et quia in Philoſophia *Principia Carteſii* amplexus ſum, proque mea facultate laboro ne invidorum hominum technis

nis ſcripta tam excellentis viri è manibus ſtudioſorum excutiantur, ſatis cauſæ ſe habere putant, quare omni impetu me ſtudeant evertere. Et hic tenebrio eo dolet, quod videat eorum ſtudia, qui contra *Carteſium* nituntur, parum feliciter procedere: & eorum æſtimationem indies imminui, quorum favorem malis artibus ſibi pararat; & à quibus earum præmium ſperabat: videtque vix ullum in locis celebrioribus locum eſſe acerbis & importunis illis ingeniis, quorum ille ſe admiratorem & imitatorem jactitat. Sed præcipue illum male habet, quod repudiatus à Magiſtratibus noſtris, nec admiſſus ſit ad munus, ad quod animum adjecerat. Cum enim me putet ex eorum numero eſſe, qui pravis quorundam conatibus, qui ſtatum Reipublicæ labefactant, non poſſim applaudere; atque idem judicet me ejus promotioni obſtiſſe, dignum me putavit in quem impune bilem ſuam evomeret. Quod autem hactenus tacuerit, cauſa fuit, quod huc uſque ſe aliqua ſpe ſuſtentaverit: at nunc ab ea dejectus, id ipſum in deſperationem egit. Detectus enim quod auctor eſt libelli, qui clariſſimum *Coccejum* Socinianiſmi reum agit, adeo ſe inviſum omnibus probis præbuit, ut ſe non potuerit amplius in ſpem erigere obtinendæ alicujus profeſſionis in noſtris Academiis. Eſt præterea magnum argumentum adverſarios meos non multum fiduciæ habere in ſua cauſa; eamque magnoperè malam & conclamatam eſſe: eoſque bonorum virorum penuria laborare, quod non niſi parum integræ famæ hominis opera uti potuerint; eique præterea tecti & latentis poſt carecta perſonam attribuerint. Nempe probi huic flagitio operam ſuam noluiſſent navare: & perſonatus eſſe debuit, ne hominis deformitas totius fabulæ venuſtatem & veriſimilitudinem tolleret. Si probi perhiberi velint, agant candide & generoſe: aperte me accuſent erroris aut vitii: pedem conferant: valeant leges & judicia ſive Politica ſive Eccleſiaſtica; iis mecum experiantur. Nolo quicquam gratiæ dari. Liceat mihi in mea civitate tam æquo jure eſſe quam infimis civibus, quos ab omni moleſtia liberos eſſe oportet, quamdiu legibus civitatis parent. Qui ſperat me metu aut obtrectationibus poſſe deterreri à defendenda mea ſententia & fama, inſigniter animi falſus eſt. Hæc dico, quia video nonnullos in hoc incumbere ut metum mihi incutiant, & ſilentium imponant, quia vident ſe legibus & cauſa inferiores eſſe: ut ita ſoli poſſint vacua dominari in aula, & omnes cives ſub jugum mittere. Sed fuit præter hæc omnia huic calumniatori adhuc alia ſingularis cauſa, quapropter his armis me petierit. Excerpſit quondam ex ſcriptis Socinianorum & Remonſtrantium verſus & textus, quibus probare nititur Remonſtrantium doctrinam Socinianorum affinem eſſe. Quo jure aut qua injuria hoc factum ſit non diſputo. Cum itaque mihi malevellet; haberetque hæc Socinianorum & Remonſtrantium excerpta in promptu, putavit ſe una eademque opera nomini meo notam inurere poſſe, parum penſi habens qua fide id fieret. Et mihi perſuadeo ſi ex Alcorano excerptorum copiam habuiſſet in expedito, eum meos tractatus Alcorano aſſimilaturum fuiſſe. Eſt illi ad tale ſcelus fraudis & impietatis abunde: ſed quia voluit laboris compendium facere, ideo maluit me cum Socinianis & Remonſtrantibus componere quam cum Turcis. Sed pro tempore reique neceſſitudine ſatis ſuperque de hoc tenebrione.

Nunc primum generatim oſtendere lubet quam futiles ſint illæ rationes, quibus meam famam lædere ſtudet. Primum, ad conciliandam fidem ſuis calumniis producit ex meis ſcriptis excerpta paucorum verſuum; ex quibus (etiamſi cum fide eſſent deſcripta) nullus ſenſum auctoris poſſet percipere; variæque obnoxia eſſent interpretationi. Et poſſet aliquis ſi-

ne ulla induſtria excerpendo ex Sacra Scriptura verba & ſententias à præcedentibus & ſequentibus ſegregatas, cudere dogmata, à quibus etiam ſceleſtiſſimus abhorreat. Subnectit præterea verba aliquot auctoris, Socini aut Remonſtrantium placitis addicti. Sed Sociniani & Remonſtrantes multa profitentur & docent, quæ nobis probantur: Divinitatem, v. gr. Scripturæ agnoſcunt, ejuſque perſpicuitatem tuentur contra Pontificios; & credunt in unum Deum, &c. Num vitio dabitur ſi in hiſce cum iis in unum ſenſum conſpiraverim? Eſt præterea multorum verborum & phraſium uſus apud illos, quæ etiam in ſcriptis noſtrorum comparent, ſed ſenſus longe eſt diſſimilis. Et eſſet mihi in proclivi hac ratione omnes noſtros Theologos, qui aliquid memoriæ prodiderunt, Socinianiſmi convincere: ſi ad probandam cauſam ſufficeret verba & ſententias excerpſiſſe, quæ eodem ſenſu videntur eſſe poſita, ſi verba ſpectes, quibus tamen longe alius ſubjectus eſt ſenſus. Duo cum dicunt idem, non eſt tamen idem. Præterea, quam hoc promptum eſt, & in ore omnibus noſtris zelotis ad explendum odium & vindictam ſuam, accuſare ſuos fratres & collegas Socinianiſmi, Arminianiſmi, &c. ita ut tales exprobrationes non ſint veritatis indicium, ſed irati & vindictæ pleni animi argumentum. Ex hoc armamentario omnia ſua tela depromunt. Et illis commodum accidit tetras hæreſes ortas eſſe; cum enim invidia, odio, & vindictæ libidine turgeant, rumperentur illis ilia ſi in calumniandis inimicis, & in exprobrando illis hæreſin, animum explere non poſſent: nam fuſtibus aut gladiis pugnare, aut proximi ſanguinem per vindictam effundere, zeli & pietatis ſpecie tegi non poteſt: quæ duæ virtutes ſemper ab iis prætendi ſolent quando iræ & vindictæ obſequuntur. Si aliquis contra eorum ſtudia, aut vota ad munus aliquod in Eccleſia aut Politia evectus eſt, extemplo clamant, hæreſin & pernicioſa dogmata Politiam & Eccleſiam inficere; & per obtrectationes ita proximum depretiare ſtudent, ut ſi voti compotes fieri poſſent, nihil antiquius ducerent, quam videre excellentia dona à Deo in eos, quos oderunt, collocata nullum fructum in Eccleſia & Politia ferre. Quod quam verum ſit, omnes mecum cognoſcent, quorum aures & animus non peregrinantur in locis, in quibus hi zelotæ verſantur. Et tam illuſtria & recentia ſunt hujus rei exempla, ut ea adhuc tanquam præſentia intueamur.

Quanto juſtius de talibus querelæ deferrerentur ad Nob. & Potent. Ordines, & contra eos remedia peterentur, quam contra quoſdam libellos, quibus falſo ferunt concionatorum munus in contemptum adduci; & eo fieri, ut eorum labor minori cum fructu occupetur in Eccleſia. Cum tamen illa doctrina, quam tantopere publice privatimque vexant, nihil aliud complectatur, quam Magiſtratus in Religionis negotio tantum poſſe in Republica, quantum paterfamilias in ſua familia: concionatorum dicta ex ſe non plus fidei mereri in Eccleſia, quam alterius membri; quamvis concionatores diſtinctum munus; & à Deo ordinatum & conſtitutum, in Eccleſia habeant. Penes concionatores aut presbyterium, qua tale, non eſſe juriſdictionem; nec jus cœli aperiendi aut claudendi cum poteſtate aut auctoritate: ſed eorum ſententiam atque judicium eſſe hominum privatorum & collegii privati; quorum ſententia inniti debet doctrinâ Euangelica: quæ ſive à concionatoribus, ſive ab alio homine qualicunque annuncietur, ejuſdem eſt auctoritatis: quandoquidem doctrina Euangelica à nulla creatura ſuam auctoritatem mutuetur. Docetur præterea concionatoris & presbyterii plane aliam eſſe rationem, quando privato pietatis ſtudio & zelo Eccleſiæ conſtituuntur, quam quando per Magiſtratum publica auctoritate eriguntur. Tunc enim fiunt perſo-

næ

næ & collegium publicum: & tunc illæ perſonæ & collegia jus & poteſtatem habent à Magiſtratibus; ſed talem, qualem Magiſtratus circa ſacra habent: quæ longe differt à *miniſterio verbi*, quod in hodiernis concionatoribus omni poteſtate & auctoritate deſtitutum eſt; & tantum in monendo, exhortando, conſolando, & Sacramenta adminiſtrando verſatur: & quod miniſterium illi peculiariter incumbit, cui hoc ſpeciatim demandatum eſt, illudque ſuſcepit. Hæc iſtorum libellorum ſumma eſt, quos tantopere inſectantur quidam, qui videntur malle aliis artibus, minorique opera quam pietate & eruditione, apud plebem in pretio eſſe. Sed quare quæſo tamdiu ceſſavit eorum zelus; & quare fidem ſuam tam tarde liberant (quamvis ſæpius moniti) exhibendo ex iis excerpta Nobil. & Præpot. Ordinibus, quæ ante multos menſes ſe exhibituros promiſere. Dixit nonnemo eorum; & qui ſe ducem reliquis præbet, in libellis his doceri *munus concionatorium non eſſe munus perpetuum in Eccleſia.* Et quandoquidem eſt ex iis fratribus, qui excerpta ſe exhibituros promiſerunt, præſtet promiſſa ſua, & probet id, quod tunc in pleno conſeſſu dixit. Ego ſcio nihil falſius, & à veritate alienius ab illo concionatore fingi potuiſſe: cum contrarium multis in illo libello argumentis adſtruatur. Ego me auctorem iſtius libelli ſemper profeſſus ſum; & paratus ſum probare me nihil in eo docuiſſe, quod pietati aut confeſſioni noſtræ fidei repugnet. Hic rhodus hic ſaltus. Obtuli hanc conditionem nonnullis ex concionatoribus; & inter alios uni per Senatorem hujus urbis: cui ante narrarat ſe miratum eſſe, me in Tractatu *de Munere Paſtorali ſive Concionatorum* tam longe deſciviſſe à doctrina Eccleſiarum Reformatarum. Qui mihi reſponſum retulit, multis amicis præſentibus, concionatorem ſe excuſaſſe, & cauſatum eſſe ſe concionatorem non diſputatorem agere. Interea molitur quicquid poteſt; & pro concione infigniter debacchatur contra illum libellum; multumque ſudat ut quædam muneri concionatorio vindicet, quæ nemo vocavit in dubium; & alia adſtruat, quibus nec ſenſus nec ratio ſubeſt, aut quibus merum introducit Papiſmum. Rixas & immodeſtas contentiones vitare officium concionatoris eſſe arbitror, ſed nolle dare copiam placidæ diſputationis ad inveſtigationem veritatis, aut ad inſtruendum proximum, id puto vitio dandum eſſe. Nec ſine offenſione & diſpendio veritatis factum eſt, quod idem ille concionator excuſabat venire in congreſſum & colloquium cum adverſario ſuo, dicens ſe malle ſcribendo, quam coram diſputando eum erroris convincere, cui jam per contemptum exprobrarat ſuam ignorantiam; & quod ut ſutor ultra crepidam ſeſe immiſceret rebus Theologicis: quem, ut chirurgum, potius deceret pixides & ollas unguentarias tractare. Hæc parum conveniunt, proximo ignorantiam objicere, & ſimul detrectare cum eo in corona honeſtorum virorum congredi. Huic vitio affinem ſe præbuit alius quidam paſtor, qui maluit calumniatoris artibus ſuperare proximum, & clam peſſimos de viro eruditiſſimo ſpargere rumores, quam oblatam diſputationem acceptare; in qua vir doctiſſimus ampliorem ſuæ ſententiæ expoſitionem defenſionemque pollicebatur. Hæc ſunt, quæ concionatorio muneri contemptum conciliant. Prodeat pariter hic tenebrio ex latebris ſuis, & dicat ſe paratum eſſe ad me convincendum errorum eorum, quorum me inſimulat: promitto me oſtenſurum eum in talibus tantiſque fraudibus verſatum eſſe, ut Stygiæ improbitatis eſſe omnes boni cognoſcant, qui non ſit veritus tantis impoſturis & mendaciis in eorundem ſacrorum hominem graſſari.

Harum fraudum nunc lubet generatim quædam ſpecimina dare; earumque detectio clavis vicem ſuſtinebit ad bene intelligenda

telligenda quædam verba, quibus in ſcriptis meis uſus ſum; quæ calumniator citat; & quæ pro meis agnoſco, ſed quibus ille ſenſum adaptat longe alienum à mea ſententia; quemque præcedentia & ſequentia nullo modo admittunt: ſed quæ illis alium ſenſum vindicant. Dabo hoc ſpecimen ex iis ſectionibus libelli calumniatoris quæ agunt de rebus, quæ magnum momentum habent in Religione. Quod ſi mihi polliceri potuiſſem lectorem, cui moleſtum non fuerat calumniatoris hujus ſcriptum legere, id etiam operæ ſumpturum, ut loca citata fuiſſet inſpecturus, potuiſſem hoc labore & hac reſponſione ſuperſedere, (quam certe invitus ſuſcepi, obſequens potius amicorum conſiliis, quam animo meo morem gerens) cum illico ex inſpectione paginæ, quam citat, fraus & fallacia ſe prodat. Sed quia vix à multis iſtam æquitatem exſpectare poſſum: & publici atque mea intereſſe putatur hujus tenebrionis fraudes in aperto poni; ut ab his agnina pelle tectis lupis vulgus ſibi cavere diſcat, non fruſtra credo hic labor ſuſcipietur.

Quod primum in illo libello, ut præcipuum, & maximi in Religione momenti caput, occurrit, eſt ſectio de *Trinitate*. In qua quam fraudulenter ſe geſſerit, oſtendam. Statuo cum omnibus Theologis à nobis concipi non poſſe quid illud in ſe ſit, quo perſonæ à ſe invicem diſtinguantur: nos etiam pariter neſcire quid ſit ille ſubſiſtendi modus: & quid conſequenter ſit *perſonalitas* in tribus illis Divinis perſonis. Sed doceo Patres per vocem perſonæ indicaſſe Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum non nomina, aut accidentia, aut operationes eſſe unius Dei; & qui propter diverſos reſpectus & operationes acquirit diverſas denominationes: ſed Deum Patrem, Deum Filium & Deum Spiritum Sanctum eſſe unum illum verum Deum: quamvis nobis incomprehenſibile ſit quo pacto hi tres, qui ſinguli ſunt ſubſtantia, unus tantum ſint Deus. Et addo præterea, vanum eſſe, ſe fatigare ut rationibus explicemus, quomodo pugnet aut non pugnet *illos tres unum eſſe Deum*. Quoniam hujus formalis infiniti nullam habemus ideam aut conceptum: addo nobis ſufficere debere nos ex Scriptura edoctos eſſe Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum eſſe unum Deum. Hinc adverſarius conficit me docere nos nihil ſcire de Trinitate. Æque fraudulenter inde colligit me ſtatuere nobis latere num Trinitas contradictionem involvat. At dixi illius formalis cognitionem, quo perſonæ Divinæ à ſe invicem diſtinguuntur, nobis latere. Et quia rei ignotæ nulla datur idea; nullæque nobis cognitæ ſunt proprietates, ineptum eſſe dixi ex rei ignotæ natura, quaſi nota eſſet, arguere quomodo illa ſimul conſiſtat aut non conſiſtat. Sed cum Sacra Scriptura nos doceat S. S. Trinitatem, credere debemus illam non implicare: quod facile factu eſt, quandoquidem nullum conceptum habemus, ex Scriptura hauſtum, ex quo implicatio naſci poſſit.

Eodem referendum, quod dixi ex *ratione* adſtrui non poſſe utrum humana & Divina in Chriſto natura faciat vel non faciat unam perſonam: ſed ex Scriptura nobis tantum conſtare Chriſtum *unam eſſe perſonam*. Quod calumniator interpretatur quaſi dubius eſſem utrum Chriſtus ſit una perſona nec ne. Si quis ad hæc attendat, facile omnes fallacias deteget. Interea notandum quod hic impoſtor citat hæc verba, quaſi ex meis ſcriptis deprompta: *De rebus infinitis nullum conceptum habere licet*: quæ in meo Tractatu non extant. Dixi quidem alibi multas eſſe agendi rationes in Deo infinitas, quarum nullum conceptum formare poſſumus. V. Gr. quomodo omnia à Deo libere, abſolute & ab æterno decreta ſint, eaque certo Deus exequatur, nec tamen voluntatis libertas eo non imminuatur aut tollatur.

Ideo-

Ideoque dixi nos fruſtra eſſe quando laboramus ea per rationem conciliare, ſed ſufficere ſi probemus ratione, aut Scriptura utrumque verum eſſe; neque formemus de his rebus infinitis conceptus qui pugnent: videat lector Tractatum *de Juſtitia Divina & humana*, *Pag.* 20 & 21.

Nunc lubet apponere pauca quædam excerpta ex Tractatibus meis duobus de *Initiis Philoſophiæ Carteſianæ*; & *de Juſtitia Divina & Humana*, quos calumniator citat, quæ loquuntur de S. S. Trinitate: & judicet lector utrum obſcuri mei loquendi modi eum in errorem pellexerint, an non potius meditato dolo has fallacias ſtruxerit. Omittam quod in *Tractatu de Initiis Philoſophiæ*, *Pag.* 933. ex profeſſo diſputem contra Socinianos pro Deitate Chriſti. In Tractatu de *Juſtitia Divina & humana*, *Pag.* 20. hæc verba occurrunt. *Reſpondemus illud non eſſe effugium, ſed aptam reſponſionem innixam infinita Dei & finita noſtra natura, quæ idonea non eſt ad comprehendendam rem infinitam; & ideo nos lumine naturali, & Sacra præeunte Scriptura multa ſcire Deo ineſſe; eique attribuenda eſſe, quæ quomodo in Deo ſint explicare non poſſumus, ſed tamen illa in Deo eſſe aſſerimus: tum quia Deus eſt ens ſumme perfectum, & quia quæ Deo attribuimus, perfectionem eſſe ſcimus: cum etiam, quia Scriptura perſpicue docet hoc aut illud de natura Dei eſſe. V. Gr. eſſe unum tantum Deum, & tamen eſſe Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, qui ſubſtantia, natura aut eſſentia non differunt: neque ſunt tamen Divinæ naturæ accidentia aut proprietates. Quomodo autem hæc in Deo ſint, nec concipere, nec declarare poſſumus.* In Tractatu de *Initiis &c. Pag.* 866. *Ita ſufficit nos textibus Scripturæ claris & apertis edoctos eſſe Patrem eſſe Deum Filium eſſe Deum, & Spiritum Sanctum eſſe Deum, hoc eſt, eſſe ens ſumme perfectum, & tamen unum tantum eſſe Deum.* Et Pag. 866. ejuſdem Tractatus. *Eſt præterea etiam arrogantiæ, illud Deo tantum poſſibile eſſe, quod clare & diſtincte cognoſcimus, illud impoſſibile quod intellectu aſſequi non poſſumus. Cum ea ratione omne infinitum negandum foret, & Deo detrahendum eſſet; quod præcipue ſibi vindicat, ſc. ipſum incomprehenſibilem eſſe. Unde ſequitur multa in Deo eſſe, & ab ipſo fieri poſſe, & inſtituta eſſe, quæ quomodo fiant comprehendere non poſſumus, imo quæ nullo conceptu à nobis comprehendi poſſint quare ſic & non aliter ſe habeant.* Similia multa extant in *Tractatu de Juſtitia Divina, & humana*, Pag. 31. 32 & aliis.

Altera ſectio, quæ continet quædam magni ponderis in Religione, eſt de Dei Providentia: & ſpeciatim de ea, quæ circa hominem occupata eſt: quo refero ſectiones de prædeſtinatione, de libero arbitrio, de gratia, &c. Hic præmitto meam ſententiam de prædeſtinatione & gratia ei, quoad eſſentialia, conſentaneam eſſe, quam Janſeniſtæ tuentur. Fruſtra itaque eſt calumniator, quando quædam ex meis ſcriptis producit, quæ à ſua aliorumque ſententia, qui ab Auguſtino & Janſenio recedunt, diſcordant.

De providentia Dei circa peccatum doceo Deum ab æterno libere & abſolute ordinaſſe ut certæ creaturæ exiſterent, quæ libere peccarent, & ſingulatim *hoc & illud peccatum committerent*. Videat lector Partem ſecundam *Novæ Methodi de Gratia & Prædeſtinatione* in principio. Locus longior eſt quam qui adſcribi poſſit: & tam efficacem Dei providentiam circa peccatum urgeo, ut dicam vocem *permiſſionis*, qua multi uti ſolent, cum ſermo eſt de Dei providentia circa malum, non ſatis exprimere Dei providentiam: quod in ſectione de Dei providentia circa peccatum mihi exprobrat, ut erroneum. Et præterea taxat mea verba, quod in eadem ſecunda parte dixi peccata eſſe *partem ordinis, quem Deus in hoc mundo extare voluit.* Videor illi nimium Dei providentiæ circa peccatum tribuere: & videtur credere à Dei providentia ortum

non eſſe, quod bona malaque moralia in mundo exiſtant. Ecce mea verba Pag. 301 & 302. partis ſecundæ *Novæ Methodi de Gratia & Prædeſtinatione. Quamvis meo judicio vox permiſſionis non ſatis explicet efficacem Dei providentiam circa peccatum; & innuere videatur diſtinctionem decretorum Dei, quorum altero decernit hominem exiſtere, altero decernit permittere peccatum hominis extra ſuum decretum conſtituti in circumſtantiis, in quibus Deus illum peccaturum prævidet; decernitque peccatum permittere. Cum tamen totus ordo, qui naſcitur ex bono & malo liberi arbitrii uſu, à Deo abſolute ſimul & ſemel ſit conſtitutus & decretus. Qui hoc negat, ſtatuere debet Deum ex occaſione boni aut mali liberi arbitrii uſus nova capere conſilia, & nova formare decreta: nexum rerum, quem in mundo ex virtutibus & peccatis conſpicimus, denique totum illud quod fit, factum aut futurum eſt intercedente creaturarum libero arbitrio (in quo præcipua Dei providentiæ pars vertitur) non ab æterno à Dei conſilio proceſſiſſe: nec Deum ab æterno ex ſuo beneplacito decreviſſe, ut talis rerum nexus eſſet, ſed ordinem partim à rebus ipſis eſſe, partim à Deo in tempore per occaſionem formari. Deum non abſolute decreviſſe ut præter alias res eſſet v. gr. infernus, pœna, peccatum, &c. ſed Deum ex occaſione peccati, à ſe prævisi, de eo decretum formaſſe.* Et in prima parte *Novæ Methodi de Gratia & Prædeſtinatione*, Pag. 292. *Et propterea Deus introducitur in Scriptura non tantum ut prævidens peccatum, ſed etiam ut ordinans*, *Act.* 4: 27, 28. Quid hic deeſt ad exprimendam orthodoxorum ſententiam de Dei providentia circa peccatum.

Secundo, doceo Deum nihil in mundi gubernatione ordinaſſe tanquam *verum medium ab ipſo deſtinatum, quo obtineat ut homo peccet.* Hoc culpat tanquam heterodoxum. At ego puto contrariam ſententiam omni odio & invidia dignam eſſe, & ſua natura ſubvertere omnem cultum & religionem.

Tertio, doceo noſtram naturam & eſſentiam, etiam noſtram exiſtentiam, & actiones ſingulas à Deo tanquam à cauſa prima dependere; ſine qua nihil poſſumus, & per quam, tam principium, quam medium & finis noſtrarum actionum extat. Videat lector primam partem de *Prædeſtinatione*, *Cap.* I. in qua ex profeſſo & multis argumentis illam doctrinam probo. Sed nego illam dependentiam exprimendam eſſe per voces *prædeterminatio*, *concurſus*: & nego voluntatem hominis reſpectu hujus dependentiæ conſiderandam ut *paſſive* ſe habentem: & illam ita à potentia in actum tranſire, quemadmodum corpus quieſcens tranſit de quiete ad motum per *præmotionem*, &c. At adverſarius fraudulenter inde conficit, me negare *dependentiam* noſtræ voluntatis à Deo: quia repudio quoſdam terminos & loquendi modos, quibus nonnulli utuntur, non tantum ut per analogiam explicent quo pacto noſtra voluntas in ſuis operationibus dependeat à Deo, ſed ut rem ipſam doceant; & ex vi ſignificationis vocis, ſumptæ in ſenſu proprio, argumententur. At ego affirmo tales conceptus, quos hæ voces in ſenſu proprio exprimunt, deſtruere naturam voluntatis. Poſſet hic tenebrio eodem jure multos Reformatos Theologos accuſare Arrianiſmi, aut Socinianiſmi, quia non probant, imo deſpuunt quoſdam quorundam Theologorum conceptus de generatione Filii, & proceſſione Spiritus Sancti. Nempe ſi voluntas noſtra non prædeterminetur, præmoveatur & per præcurſum à Deo è potentia in actum concitetur, ſumptis his vocibus in ſenſu proprio, voluntas noſtra non ſubjacet efficaci Dei directioni, neque à Deo in ſuo eſſe & operari dependet ut à cauſa prima. Quam male hæc cohærent. Sed non dubito quin hic tenebrio ex illorum ſit cohorte, qui cum ratio illos deficit, *præſcriptione* adverſarios urgent; poſſeſſionemque doctrinæ prætendunt: ut quamvis illa do-

ctrina, quam damnant, nec Confeſſioni fidei, nec Catecheſi repugnet, tamen diſſentientes heterodoxiæ arguant: quia novis cogitationibus & expoſitionibus veterem, veram & ab Eccleſiis receptam illuſtrant, & confirmant.

Quarto. Illud præterea ſæpius inculco, eam voluntatis, & actionum à voluntate profectarum naturam eſſe, ut Deus earum talis cauſa phyſica, quæ non tantum certo, quod nos concedimus, ſed etiam neceſſario voluntatis reſpectu, effecta producit, dici non poſſit. Deinde, Deum illas actiones hominum liberas ita abſolute decernere ab æterno, ut eas tamen imperet poſtuletque ab hominibus fieri: quia à noſtra voluntate proficiſci debent; & quod ideo ſic, & ſub ea ratione à voluntate tanquam à *conditione* pendeat quod probi vel improbi, ſancti vel corrupti ſimus: quatenus nullus ſine ſua voluntate probus vel improbus eſt. Quamvis totum gratiæ tribuam quod aliquis ſit probus. Sed nego gratiam ita conſiderandam, ut quæ tollat *liberum illud* à voluntate, cujus liberi reſpectu Deus non decernit aliquem probum fore ſine illius voluntate, quem probum eſſe voluit. Hoc eſt, non decernit aliquem fore probum, niſi qui probus eſſe voluerit: & ſub hac ratione ſtatuo decreta Dei abſoluta circa creaturas liberas conſiderari debere ut conditionata; quandoquidem natura voluntatis importet ſemper talem conditionem. In prima parte *Novæ Methodi Tractatus de Prædeſtinatione & Gratia*, *Pag.* 256. ita mentem meam expono. *Contra, ſpontaneitas, ut ita dicam, & libertas voluntati ita propria & peculiaris eſt, ut ipſi repugnet cogi, aut paſſive ſe habere: & ideo omnes operationes, quæ ab homine per voluntatem exeruntur, ſunt morales; & vituperio aut laude dignæ. Quia propter illam libertatem eſt aliquid in actione voluntaria, quod ita à ſubſtantia libera eſt, ut ideo ejus auctor dicatur; recteque ſibi, ſi bene fecerit, applaudat, contriſtetur ſi ſecus. Et ideo nunquam corruptio tam magna, quin ſicut in peccatis illa libertas manet, ita ſemper manet in iis illud, propter quod homo auctor actus peccaminoſi dicitur. Pariter nunquam gratia* [illegible] *tam magna & copioſa eſt in virtutis executione, quin, ſicut in iis libertas manet, ita maneat in iis id, propter quod homo auctor actus virtuoſi dicitur. Verum quidem eſt, quod quia vitium & labes animæ tota ex nobis eſt, ideo aliter peccati auctores, quam virtutis dicimur. Quatenus opus bonum gratia Dei, quæ à nobis non eſt, exequimur. Attamen illa libertas, quæ noſtra eſt, quæque augeri, aut minui non poteſt, &c. etiam in actione virtutis eadem eſt.* Et Pag. eadem. *Nam quamvis recte & ſecundum Scripturam aſſeratur, Deum in nobis illam conditionem (fidei ſc. & bonorum operum) implere; noſque gratia Dei bonum velle & operari; Deumque ſuum opus in nobis coronare, ita ut principium & finis cujuſque boni operis à gratia ſit; & homo ſine ea nihil boni operetur; nihilque ſit in opere quod gratia non attingat, aut quod homo ſuis viribus præſtet, nihilominus manet illa libertas in actione virtutis, propter quam homo dicitur virtutem operatus, ideoque laude dignus.* Videantur plura in parte ſecunda *Novæ Methodi de Gratia & Prædeſtinatione.* Pag. 316. & ſeqq.

Hanc doctrinam tamen ita detorquet, quaſi negarem Deum aliter quam monendo, exhortando, comminando, præmia & pœnas proponendo hominis voluntatem flectere: aut quaſi negarem *efficacem Dei gratiam* immediate agentem in hominis voluntate: quia ſc. nego gratiam imponere neceſſitatem voluntati, ita ut gratia ponatur impedimentum propter quod dici de voluntate non poſſit, *quod habeat facultatem volendi contrarium:* quanquam aperte doceam efficaciam gratiæ talem eſſe, ut homo per eam ſua ſponte ſemper certo ſit bono adhæſurus. Deinde, quia præcurſum & præmotionem, modo ſupra tradito, nego, colligit me negare gratiæ operationem, qua hominis

actionis bonæ principium, medium & finis Deo abſolute accepta ferenda ſint. Tertio, quia ſtatuo voluntati non convenire, quod conſideretur ut *paſſive* ſe habens in ordine ad Divinæ gratiæ operationem, concludit fraudulenter me docere: *Hominis regenerationis initium non eſſe à Deo: & voluntatem nolentem à Deo non fieri volentem:* quia ſc. nego voluntatem ex nolente non ita volentem fieri, quemadmodum corpus quieſcens à quiete traducitur ad motum. Et quia etiam nego *voluntatem* noſtram hac ratione ab ulla re, quæ extra illam eſt, ne Dei quidem gratia excepta, moveri, quemadmodum corpus à corpore aut à ſpiritu movetur, & ex corpore quieſcente fit corpus motum. De modo operationis gratiæ Divinæ videat lector ſecundam partem *Novæ Methodi de Prædeſtinatione & Gratia* Pag. 317. & ſeq.

Propter eandem rationem uſus ſum loquendi modo, quo doceo voluntatem *omnia poſſe*; neque gratiam unquam in homine ita operari, ut homo non *poſſit* peccare: neque malitiam tam altam atque profundam eſſe ut non *poſſit*, modo velit, bonum operari. Interea per illud *poſſe* nihil aliud intelligo, quam nullum impedimentum, à mala volitione diſtinctum, poſitum eſſe in homine, quare non *poſſet omnia velle*: ſed voluntatis voluntariam malitiam dico in cauſa ſemper eſſe, quod homo non convertatur; & voluntariam hominis probi, & gratia Dei regeniti probitatem in cauſa eſſe, quod fixe bono & virtuti adhæreat. Nemo enim bonus aut malus eſt niſi ſua voluntate. Et ideo, quod huic doctrinæ conſentaneum eſt, doceo neminem niſi *volentem* probum fieri aut regenerari. Quod calumniator interpretatur quaſi more Remonſtrantium Dei gratiam docerem ſuſpenſam ab hominis libero arbitrio. Cum tamen locis ferme infinitis contrarium docuerim: & præſertim in Præfatione primæ Partis *de Gratia & Prædeſtinatione. Et certe eo modo diſputando pro gratia omni modo tollunt vires liberi arbitrii, totumque converſionis opus velle & operari gratiæ in ſolidum attribuunt; tuenturque eouſque recte doctrinam de Gratia: cui illa adverſa eſt, quæ introducit tale liberum arbitrium, quod facit gratiam efficacem; quodque propterea gratiam per ſe efficacem è medio tollit, gratiamque quoad uſum ſubjicit libero arbitrio; quæque largitur tantum poſſe velle, non ipſum velle, &c.*

Sed nuſquam majorem dolum prodit quam in ſectione de *Dei imagine*. In Tractatu de *Juſtitia Divina & humana*, Pag. 25. inquiro unde pretium & magnitudo virtutis in hac vita petenda ſit: & ea occaſione diſſero de illarum virtutum natura, earumque merito, quas Chriſtus in mundo degens exercuit. Dixi illarum virtutum meritum & dignitatem non eſſe petendam, quod Chriſtus curam & ſollicitudinem adhibere debuerit ne peccaret; quod inter alia erat officium Adami in ſtatu integritatis: multo minus quod Chriſto luctandum fuerit cum peccati illecebris, aut appetitu aut inclinationibus malis; & quod propterea cum moleſtia munus quod ſuſceperat, expleverit. Sed ſtatuo inde petendam inter alia virtutum Chriſti dignitatem & valorem, quod in curriculo vitæ & ſuſcepti muneris famem, ſitim, dolores, contemptum, frigus, calorem, &c. pertulerit: à quibus natura abhorret; & quibus libenter caremus; quæque ex officio vitamus & fugimus. At ſi res ferat nos aliter noſtro officio fungi non poſſe quam ſubeundo illas moleſtias, tunc operi bono inde pretium & majus pondus accedere dicimus. Quod etiam Chriſto eveniſſe doceo. Legat lector ſequentia verba, Pag. 24. *At quamvis actiones liberæ in gradibus libertatis ſibi invicem ſint ſimiles, non tamen omnibus creaturis liberis omni tempore & loco æque proclive eſt ſingularem aliquam virtutem, aut ſingulare aliquod vitium exercere. Angeli & animæ glori-*

glorificatæ degentes in cœlis, non tantum ſine ulla lucta, pugna, aut conatu alacritate ſumma & ſtudio prompto quaſlibet virtutes æque alacriter expediunt, ſed eas etiam exerunt ſine ulla abnegatione aut renunciatione propenſionum aut inclinationum naturalium bonarum. Chriſtus quidem non minori alacritate & promptitudine omnes virtutes exercuit quam angeli; ſed non ſine abnegatione multarum inclinationum naturalium bonarum: ex qua abnegatione Chriſto orta eſt moleſtia in virtutis ſtudio. Sæpius contigit Chriſto in præſtanda Patri obedientia famem & ſitim pati, labores ſubire, inimicorum tela in ſe admittere. Item, *Adamus ante peccatum & ante animi ægritudinem peccato contractam, ſicut peccare potuit, ita potuit à malo tentari, & peccati illecebris duci, &c. Et in hoc rurſus a Chriſto differt, qui malo tentari non potuit.* Conſulat lector ſequentia.

Hæc, cum ab omni errore longe diſſident, perditus ille homo interpretatur quaſi docuiſſem Chriſti virtutibus gradus & dignitatem acceſſiſſe *ex lucta inter carnem & ſpiritum*; & quaſi ſtatuerem ex moleſtiis famis, ſitis, frigoris, caloris, &c. natam luctam in Chriſto, utrum potius Deo pareret, an naturali inclinationi obſequeretur; & ab illis moleſtiis ſeſe præberet immunem. Quis Theologorum aut Philoſophorum unquam naturales inclinationes, quibus v. gr. famem & ſitim explere, & dolorem, qui ex fame & ſiti oritur, vitare cupimus, *concupiſcentiam malam* vocavit?

Jam pergimus ad ſectionem de peccato originali de quo agit *ſect.* 13.

De duplici peccato originali agunt Theologi Reformati, de *imputato* & *inhærente*. Peccatum *imputatum* vocant reatum mortis æternæ, ſub quo tota Adami poſteritas, Chriſto excepto, jacet propter primum *actuale* Adami peccatum. *Inhærens* peccatum illis vocatur peccatum, quo ab utero omnes poſteri Adami in ſe ipſis, Chriſto excepto, inficiuntur; & propter quod ad omne bonum inepti, & ad omne malum proclives, & æternæ damnationis rei ſunt. Prius peccatum originale non admittitur ab omnibus Theologis Reformatis; & ſi calumniator non ſit imperitus eorum, quæ inter doctos ventilantur, eum fugere non potuit eſſe Profeſſores in Academiis Reformatis, qui prius peccatum non agnoſcunt. Et ego etiam illud non admitto.

At poſterius omnes tuentur, quod ego etiam in omni poſteritate Adami, Chriſto excepto, eſſe aſſevero & trado ex profeſſo, locis ab adverſario citatis, *Pag.* 43. & ſeq. Quomodo autem *propter primum actuale peccatum Adami* ad ipſius poſteros propagetur peccatum originale inhærens, fuſe expoſuimus *in ſectione de peccato originali* in Tractatu de *Juſtitia Divina & humana*. Inter alia hæc doceo: *à Deo nullam creaturam produci, quæ peccati labe infecta ſit; ita ut nulla intercedente hominis actione, vitioſitas immediate à Deo profecta dicatur.* Hanc doctrinam, ut heterodoxam, culpat calumniator. At ego illam veram, orthodoxam, ſanctitati & juſtitiæ Dei convenientem eſſe credo; & contrariam Deum peccatorum autorem facere: quia ſtatuit immediate à Deo proficiſci peccatum & vitioſitatem. Interea ſplendide mentitur, cum indicat me docere poſteritati Adami nec mortis, nec reliquarum calamitatum, tam ſpiritualium quam corporalium participem eſſe, quod mihi affingit §. 5. Quemadmodum pariter impudens eſt calumnia cum dicit me docere eſſe contra jus Dei, Deum producere creaturam rationalem, quæ ilico inviſa ipſi conſtituatur propter defectum juſtitiæ originalis: quaſi negarem hominem propter peccatum originale inhærens eſſe Deo inviſum. Agnoſcit me loco citato, Pag. 272. partis primæ *de Prædeſtinatione ambigue* loqui. At ubi expreſſe & ex profeſſo tracto de peccato originali, illic ſaltem *ambigue* non loquor in Tractatu de *Juſtitia Divina &*

humana. Pag. 46. *Nunc tertio conſiderandus venit reatus, in quo omnis poſteritas Adami, etiam infantes naſcuntur. Nos omnes naſci ſub reatu inde probatur, quod omnes egemus reconciliatione:* legantur reliqua, ſi ducatur operæ pretium. Non mea ſententia ambigue prolata illum dubium fecit, ſed inſita malitia illum ſimulatorem finxit.

In titulo, ſeu appendice de ſatisfactionibus humanis inſigniter impoſtorem agit. Nullibi uſus ſum vocibus *ſatisfactionis humanæ:* neque etiam dixi unquam nos reſipiſcentia & vitæ ſanctitate Deo *reconciliari* & *ſatisfacere*. Quod rurſus calumniator mihi exprobrat falſo. Sed doceo nos per bona opera, virtutis ſtudium, reſipiſcentiam, tanquam per cauſam moralem, & meritum *impropriè* dictum, in vitæ ſanctitate *progreſſus facere, incrementum gratiæ nobis parare, in ſpe bona confirmari, vocationem noſtram firmam reddere;* & ut compendio dicam, nos virtutis via ad æternitatem graſſari. Hoc qui negat, is omnem religionem de Republica Chriſtiana tollit. Ad hanc doctrinam probandam adduxi Pag. 35. Tractatus de *Juſtitia Divina & Humana*. loca Scripturæ, quæ docent vitam æternam ut *mercedem, coronam & præmium* fidelibus conferri, *Matth.* 5: 12. 10: 24. *Coloſſ.* 3: 24 2 *Timoth.* 4: 8. *Lucæ* 20: 35. *Matth.* 25: 34. *Lucæ* 7: 47. *Apoc.* 3: 10. Quæ trado *de cauſalitate* bonorum operum ad perveniendum ad ſalutem, pariter reperiuntur in Tractatu de *Juſtitia Divina*, &c. *Pag.* 28. 34 35. & 38. Sed calumniator ipſe hanc bonorum operum cauſalitatem in acquirenda ſalute non omnino repudiat; & concedit illa eſſe *cauſam inſtrumentalem*. At ego genus cauſæ nunquam expreſſi. Sed accurate diſtinxi inter cauſalitatem bonorum operum ad acquirendum jus ad vitam æternam, & inter eorum cauſalitatem ad parandam ſalutem. Sed quid doceam de meritis bonorum operum, id patebit ex doctrina de juſtificatione. Ad quam ſectionem nunc pergo.

Majorem adhuc fraudem committit *ſect.* 20. de *juſtificatione;* & videtur ejus animi pravitas ſo magis magiſque extuliſſe, quo propius ad finem accedebat: nec puto ullum hominem tale meditatum ſcelus in ſe poſſe admittere, qui aliqua religione aut Numinis reverentia tangitur, ita ut hic tenebrio merito pro ordinis ſui macula & vibice ſit habendus. In illa ſectione duo proponit, quaſi ex ſcriptis meis decerpta, ſed ut flagitium ſuum tegeret, numerum paginæ neque libri titulum addidit, quod alioquin ſemper fecit; neque potui ullam animo meo conjecturam facere, in qua tractatuum meorum parte ea legerentur, ita ut neceſſe habui duos illos tractatus totos percurrere: & tandem incidi in illa verba quæ citat, ſed ita truncata & mutata, ut non credam unquam extitiſſe pejorem inſtrumentorum publicorum & teſtamentorum corruptorem. Mea verba ſic citat.

Rejicienda eſt illa ſalutis ratio, qua quis credit Deum propter Chriſti meritum ſibi condonaſſe omnia peccata. Et rurſus:

Rejicienda eſt illa ſalutis obtinendæ ratio, qua quis credit ſe propter Chriſti meritum tractandum ut juſtum, quamvis juſtus non ſit.

Mea verba Pag. 38. in Tractatu de *Juſtitia Divina & humana* ſic habent. *Quæ ſalutis obtinendæ ratio longe diſſentit ab illa, qua aliquis credit Deum propter meritum Chriſti ſibi condonaſſe omnia peccata, & ſe propter ſua bona opera, quanquam imperfecta; & longe à lege deficientia, per idem illud meritum Chriſti à Deo tractatum iri tanquam juſtum, quamvis juſtus non ſit.* Hæc verba exprimunt doctrinam erroneam; & cum qua doctrina Pontificiorum magnam affinitatem habet; eamque rejicio & damno loco citato. Meam autem ſententiam de juſtificatione hiſce verbis, locum citatum præcedentibus, expoſueram Pag. 37. *Cum enim juſtifica-*

re, Scripturæ ſenſu, ſit illius judicis actum exercere, quo homo reatui obnoxius abſolvitur à reatu; & jus ad vitam æternam illi adjudicatur, fieri non poteſt ut bona noſtra opera ad juſtificationem relata ullam quamcunque meriti rationem habeant. Ideo ſpeciatim dicimur juſtificari ex gratia, ex promiſſione nos eſſe vitæ hæredes: vitam nos aſſequi tanquam hæreditatem: juſtificationem per fidem eſſe juſtificationem hominis improbi deſperantis omnia præſidia comparandæ per ſeipſum ſalutis; & ita & ſub hac ratione omnem ſalutis ſpem abdicantis, ſed credentis in Deum, qui Chriſti juſtitia, non hominis juſtitia, hominem juſtificat. Ideo juſtus dicitur ſua fide vivere: quatenus ſedato & quieto animo in Deum ſuum recumbens, confidit à Deo id effectum datum iri, ad quod faciendum vires & facultates deficiunt ipſum fidelem: quemadmodum Abrahamo deficiebant vires ad generandum. Et hanc fidem certo comitatur amor erga Deum & Chriſtum; & ſtudium atque conſtans voluntas ſectandi quod bonum eſt. Quæ ſalutis obtinendæ ratio, &c. Hic jam incipiunt verba quæ falſarius citat.

Non potuit itaque illum fugere ea verba quæ citat, ſed mutilata, non meam, ſed adverſariorum ſententiam de juſtificatione exprimere. Sed hoc leve præ eo, quod dicendum reſtat. Continentia mea verba ſeparavit in duas ſectiones, & intermedia, quæ ſpeciatim adverſariorum errorem complectuntur, & quæ hæc ſunt: *& ſe propter ſua bona opera quanquam imperfecta, & longe à lege deficientia,* ſuſtulit. Quibus omiſſis, reliqua verba tum orthodoxum ſenſum tradunt, ſed male cohærent: hoc itaque correxit horum verborum ſuppletione. *Rejicienda eſt illa ſalutis obtinendæ ratio.* Sed ut fraus lateret, nec paginam nec tractatum, ex quo hæc decerpta ſunt, addit; quod ut dixi, alioquin ſemper & ubique facit. Et quamvis tanta opera hanc fraudem molitus fuerit, pergit tamen in Socinianiſmi crimen me vocare propter doctrinam, quam per ſummam fraudem mihi affingit. Quoties mecum cogito, quam ſedato animo, & quanto ſtudio & induſtria has technas & fraudem mihi ſtruxerit, nullum mihi dubium, quin omnem fidem & pietatem ejuraverit; eumque nihil penſi habere credo, modo ſuæ libidini ſatisfacere, & à ſuis amicis gratiam inire poſſit. Quanquam non videam quare ejus amici propter hunc tenebrionis libellum tantum exultent, quod tamen fieri audio. Non poſſunt enim non in criminis ſocietatem venire, qui talibus ſceleribus applaudunt; & hujuſmodi hominis opera & familiaritate utuntur; ſed ſimiles habent labra lactucas. Et poſſem catalogum hujuſmodi nebulonum texere, quorum artibus uſi ſunt in vexandis honeſtis.

Atque ita percurri illas ſectiones, quæ inviſos continebant errores in Religione: & mihi perſuadeo nullum alicui ſcrupulum ſuperfuturum, quin credat peſſima fide uſum eſſe calumniatorem. Et ſi ſingula ad examen vocare, & in iis fraudem detegere vellem, ubique appareret illum eſſe ſubleſtæ fidei hominem, ſed mallem Zyſiphi ſaxum, & Plauti piſtrinum volvere, quam in hoc laborare.

Ne tamen videar eas ſectiones mihi ſelegiſſe, in quibus calumniatoris fraus manifeſtior erat, lubet præterea paginam unam aut alteram à principio & medio ſingulatim examinare; & ita fraudes & mendacia calumniatoris, aut ejus ignorantiam & ineptias, quando à mendaciis temperat, in aperto ponere.

Fol. 3. ſect. 1. de beatitudine.

Quicunque poteſt agere id quod vult, is perfecta felicitate fruitur. Pag. 895. Tractatus de *Initiis Philoſophiæ.*

At nihil hujuſmodi comparet pagina citata. Malum omen in limine ita turpiter ſe dare.

Sect. 11. de principiis fidei.

1. *De Sacræ Scripturæ perſpicuitate.*

Quatuor primos paragraphos orthodoxos eſſe, & communem Eccleſiarum Reformatarum doctrinam continere de *perſpicuitate Scripturæ* contra Pontificios dico. Sed eo jam deventum eſt, ut quæ tanquam vera adverſarii contra Pontificios defendunt, eadem cum ab inimicis dicuntur, ut vitioſa culpent. Ejus rei multa exempla poſſem proferre; ſed unum recens eſt. Acriter diſputatur contra pœnitentiæ ſacramentum Pontificiorum, & contra *juriſdictionem Eccleſiaſticam*: & negant noſtri Theologi à Deo in Eccleſia Chriſtiana conſtitutum aliquod munus aut officium collegio aut perſonæ alicui demandatum, quo cum authoritate & poteſtate (non loquor de miniſterio verbi & uſus clavium) peccata remittuntur, & ligentur aut ſolvantur homines; & pueris catechumenis hoc in ore eſt: *Sacerdotem non poſſe peccata remittere.* At ſi eadem argumenta urgeas contra quoſdam Papizantes concionatores; qui ſibi attribuunt auctoritatem & poteſtatem ſolvendi & ligandi, cœlum claudendi & aperiendi, clamant miniſterio nullum amplius in Eccleſia locum relinqui: & illius orthodoxæ ſententiæ defenſores omnibus maledictis inſectantur.

Appendix de principio Autoris, pag. 4. *&* 5.

Quæcunque illic damnat, ego veriſſima eſſe exiſtimo; neque cuiquam hæc diſplicere poſſunt, niſi craſſo & indocto Pontificio, aut Carteſianorum inimico. Debet ne aliquis animum ſuum inducere, ut dicat ſe ea ſcire, aut credere, ut vera, cujus veritatis evidens argumentum non habet; neque ex Scriptura neque ex ratione? Et an non poſſumus eſſe conſcii utrum talem *evidentiam* habeamus nec ne; quamvis multi ſibi imponant, & evidentiam ſe habere jactitent, quam non habent? An non poſſumus certo ſcire nos noſtræ mentis compotes eſſe, etiamſi ſtulti & furioſi per errorem mentis ſuæ impotentiam non cognoſcant?

Pag. 5. ſub finem ponit hæc, quaſi mea verba eſſent, *gratiæ efficacia ſeu converſio tantum à volitione hominis dependet*, Pag. 324. ſecund. part. *de Gratia*, &c. quæ mea verba non ſunt: neque ullibi comparent, ſed ea per fraudem finxit. Fateor me docere Dei gratiam homini, eam gratiam nolenti, adeſſe non poſſe; ſed id orthodoxum eſt: *nullus enim contra ſuam voluntatem probus eſt.* Vide Pag. 324.

Pag. 6. *Homo poſt lapſum æque liber eſt ad bonum ſpirituale quam ad malum.* Nullibi hoc dico; & eſt ſplendidum mendacium. Citat Pag. 316. ſed nihil illic comparet. Doceo poſt lapſum voluntatis naturam non eſſe immutatam, ideoque ejus libertatem non eſſe imminutam; nullamque ei *neceſſitatem* impoſitam propter quam malo adhærere debeat.

Ibidem mihi exprobrat me docere: *nullum eſſe peccatum originis, neque reatum inde conſequentem*; quod nunquam ſcripſi.

Ibidem: pariter & hoc falſum eſt: *voluntatem hominis ne quidem in cœlis eſſe determinatam ad bonum, ita ut non poſſit velle malum, ſeu ut non poſſit peccare*, Pag. 891. *Tractatus de Initiis.* Ubi nihil tale reperitur.

Ibidem: & illa falſa ſunt: me docere *Deum non niſi moraliter attingere voluntatem, & actu phyſico in eam non agere.* Nego talem operationem phyſicam, quæ cogat voluntatem, aut eam præmoveat, quemadmodum corpus quieſcens movetur à corpore, aut ſpiritu: non nego *dependentiam* voluntatis à Deo. Sed de hiſce videantur ea, quæ dicta ſunt in ſectione de Dei providentia.

Pagina 7. mihi affingit, *quod ſtatuam prædeſtinationis cauſam eſſe impletam conditionem fidei & operum.* Quæ verba in meis tractatibus nuſquam reperiuntur: ſed hic tenebrio, quem ejus amici *malleum* Remonſtrantium vocant, non alia ſomniat quam quinque articulos Remonſtrantium

tium. Doceo omnia Dei decreta circa actiones liberas voluntatis libertatem includere; cujus libertatis voluntatis natura eſt, ut aliquo reſpectu in ea ſemper conditio contineatur: quatenus Deus circa operationes voluntatis non putatur ita ſe habere, quemadmodum circa operationes phyſicas. Actiones voluntatis ita operatur Deus, ut eas etiam ab homine fieri imperet, quod mandatum nunquam, niſi ſenſu figurato, rebus inanimatis & brutis proponitur. At quodcunque decretum includit hujus mandati obedientiam aut inobedientiam, idque ita, ut huic decreto nullus poſſet eſſe locus niſi quatenus libera hominis obedientia aut inobedientia includitur, illud eſt conditionatum illo reſpectu; & in ſuo formali includit liberam creaturam, ut aliqua morali qualitate affectam. Sed falſo inde concluditur Deum de tali prædeſtinationis decreto hominis ſingularis, cogitaſſe propter aliquam moralem qualitatem in creatura libera. Aliud certe eſt, docere decreti alicujus eam eſſe naturam, ut in ejus formali etiam contineatur hominis libertas & moralis qualitas: aliud, illam moralem qualitatem cauſam eſſe quare Deus tale decretum de ſingulari hac & illa creatura libera eſſe voluerit. Videat lector *Pag.* 255. & ſeq. partis primæ *de Gratia & Prædeſtinatione*: & *Pag.* 301. *&* 309. Partis ſecundæ. ubi trado, quomodo Dei decreta abſoluta & conditionata vocem: & intelliget quam longe abſim à Remonſtrantium doctrina.

Nunc examinabo ſectionem illam, quæ pag. 45. continetur: quæ pagina media eſt totius libelli.

De imagine Dei.

§ 1. Talia verba & voces, eorumque conſtructio pagina citata non comparent, eaque calumniator commentus eſt. Quæ ibi trado *Pag.* 64. Tractatus *de Juſtitia &c.* hæc ſunt. *Tertio ſtatuo juſtitiam punitivam humanam non proficiſci à ſanctitate*, aut dominio, aut jure judicandi atque puniendi proximum, *naturaliter* nobis competente in proximum. Pariter falſiſſimum eſſe ſtatuo aliquos homines natura eſſe ſervos. Tantumne crimen eſt hoc ſtatuere?

§. 2. *Pugna fuit in Adamo integro, ut & in Chriſto Jeſu* (*ſc. inter appetitum & rationem*) *ſine peccato*, *Pag.* 27. Tract. *de Juſt. ut ex ſequentibus patebit. Ab iſta pravitate ad peccandum, quæ in hominibus ab infantia conſpicitur, ut in præced. habetur, non plane immunes fuerunt protoplaſtæ, &c.*

Omnia hæc nebulo & ſcurra fingit obclamante conſcientia. Supra de iis loquutus ſum. Et hic textus inter alios eum fugere non potuit. Pag. 28. ejuſdem Tractatus. *Præterquam quod res ſua abſurditate ſe confutet, illius nempe opera Deo minus grata eſſe; illaſque virtutes minores, quas probus ſanctitate provectiore exerit, operibus illius, qui in principiis adhuc conſiſtens, propter veteris hominis vires non ita toto corde ſe ad mandata Dei flectit. Chriſti virtutes* (nota) *ideo minores eſſe, quia ſupra conſortes unctus, & ab omni peccati labe immunis, nullis animæ facultatibus reluctantibus virtutem coluit.* De Adamo integro hæc dixi *Pag.* 27. ejusdem Tractatus. *Porro per moleſtiam non intelligo luctam illam, quæ omnibus regenitis propter peccati reliquias uſque ad ultimum vitæ ſpiritum adeſt: nam hujusmodi corporis peccati motus non neceſſario viatori adſunt, ſicut liquet in Adamo integro & in Chriſto.*

§. 3. Ea orthodoxa eſſe ſtatuo. Verba mea ſic habent. *Et ideo Scriptura teſtatur Chriſtum in omnibus fuiſſe tentatum excepto peccato. Dolores & triſtitia ſubegerunt Chriſtum: gemitus, lachrymas & querelas imo preces effundere, quas effudit: non certe ut liberaretur à tentatione peccati, aut ne induceretur in tentationem; quod de Chriſto cogitare mihi impium videtur: ſed ut conſolationem acciperet, & acerbitatum ſenſus interno ſpirituali gaudio, ut ita dicam, mitigaretur.*

§ 10. *De*

10. *De lapſu.*

Hæc producit in medium, quaſi eſſent mea verba. *Cum Deus lapſum Adami permiſit, ſeu omnia ſub peccato concluſit.* Rom. 3. *intentio Dei non fuit ut omnium miſereretur* Rom. 3. *Sed eſt hic merus eventus, quem Deus non intenderat.*

Hæc rurſus per ſummum ſcelus fingit calumniator. Verba pagina *citat.* 272. partis primæ Tractatus *de Gratia*, &c. ſic habent. *Pariter liquet quid dicendum ſit de diſtinctione illa inter finem operis & finem operantis, qua quidam noſtrorum utuntur: nihil enim ſolidi tinnit, & ex eorum numero eſt, quibus ſcholaſtici Doctores ludificare ſolent opponentes, & ſub ſpecioſo terminorum uſu nihil dicere. Non enim quæritur, quo hominis ſanctitas in ſtatu integritatis, legis præſcriptio, exhortationes, admonitiones, gratia ſufficiens*, &c. *ſua natura hominem ducere potuiſſent; ſi per liberæ ſuæ voluntatis abuſum illa omnia non feciſſet irrita: ſed quæritur quo fine, & qua intentione hæc à Deo homini ſubminiſtrata ſint? An recte dicatur finem operantis in ordine ad hominem integrum, aut ad hominem nondum condemnatum eſſe ut quidam homines pereant. Et an Deus deſtinaverit ullam rem ſive lapſum, ſive lapſus permiſſionem tanquam medium quo quidam pereant. Quod nos negamus.* Quid hic ſimile comparet iis, quæ calumniator citat & fingit. Centies dixi Deum abſolute, & ſine ullo reſpectu ad aliquam qualitatem moralem decreviſſe, ut exiſteret Adam libere peccans. Quamvis tali decreto locus eſſe non potuerit ſine vitioſa qualitate in Adamo. *Eadem pag. Adamus ejuſque poſteritas per lapſum non ſunt conſtituti in ſtatu damnatorum.* Quid calumniator in eo culpandum cenſet. Tota poſteritas Adami ab utero ſub reatu eſt, ſed non *in ſtatu damnatorum.*

Deinde. *Adam per peccatum totam poſteritatem in ſtatum condemnationis intercedente peccato voluntario conjecit.* Quid hoc abſurdi aut falſi aut heterodoxi continet? Nego enim nos actuali peccato Adami reos factos; & ideo ſtatuo debuiſſe intercedere actuale peccatum poſterorum Adami, quo rei facti ſint: quamvis non negem imputationem iſtius peccati actualis Adami. Et Pag. 48. Tractatus de *juſtitia* agnoſco *Rom.* 5. agi *de imputatione actualis peccati.* Et Pag. 45. & 46. ejuſdem Tractatus hæc habentur. *Sed pariter contendimus omnes animas vel potius homines propter conjunctionem, quam omnes poſteri Adami cum Adamo habent propter fœdus, quod Deus cum Adamo erexit, & propter ipſius peccatum, ita deſeri à Deo, talibusque in circumſtantiis conſtitui, ut omnes ſe certo corrumpant. Nam ſi res aliter concipiatur nulla, juxta adverſariorum doctrinam, erit peccati Adami imputatio, quam Scriptura tam liquido docet; vide ſequentia.* & Pag. 48. ejuſd. Tract. Hoc tamen notandum, quod hic per ſtatum damnationis intelligo *reatum*: & per ſtatum damnatorum, illum ſtatum, in quo ſunt diaboli & reliqui, qui præmio & pœna ad virtutem non amplius incitantur. Et puto me ſignificanter & proprie loquutum eſſe.

Ibid. Status damnatorum eſt, in quo viatorum numero exempta eſt creatura libera, cujus ſalutem Deus amplius non vult, nec ei gratiam ullam confert qua ſervetur; non ſunt mea verba. Tamen Ego hæc vera eſſe ſtatuo.

De libero arbitrio.

§ 1. *Formalis ratio cauſæ voluntariæ in eo conſiſtit quod ſua ſponte ex ſeſe proxime actionem excitat,* illa veriſſima eſſe arbitror. In brutis enim nullam mentem, aut ſpiritum eſſe puto, ſed nil niſi corporeum. At nullum corpus ſeſe ex ſe ad motum concitat.

§ 2. *Liberi arbitrii, hoc eſt, voluntatis ea natura eſt ut poſſit omnia velle.* Recte: quia nullo impedimento, aut cauſa externa cogitur, quod aliquid non poſſet velle; ſed homo carnalis *certo*, & tamen

men libere malus eſt, non *neceſſario.*

§. 3. *Homo ita actionum ſuarum dominus eſt, ut nulla quacunque afficiatur gratia, quin, ſi velit, eam poſſit eludere & pervertere.* At cur non addit immediate ſequentia. *Hoc eſt: homo manet ſemper dominus actionum ſuarum, nam ſine illa libertate voluntatis actio moralis non exeritur.* Ego exiſtimo per gratiam voluntatem non *cogi*; aut ab illa potentiam tolli, propter quam libera vocetur, & in qua libertate voluntatis natura conſiſtit. Interea doceo, per Dei gratiam voluntatem certo adhæſuram bono; vide ſupra. Textus alios non addo, quia compendio ſtudeo.

§ 6. *Fruſtra adhiberentur homini exhortationes & comminationes, qui cadere & ſurgere non poteſt.* Illud veriſſimum eſſe arbitror. Et ideo diabolis & damnatis exhortationes & comminationes non proponuntur. Sed male inde aliquis concludat *nos ideo ſine gratia Dei ſurgere.*

§ 7. Verba mea pervertit; videat lector pag. 281. partis primæ Tractatus *de Gratia.* Doceo hominem irregenitum quidem *certo* malæ libidini obſequi; tamen nihil eſſe præter hominis malam voluntatem quapropter malo delectetur, & bonum non amplectatur. Supra ea de re mentem expoſui.

§ 8. *Libertas ſemper eadem manet & potentia reparandi infirmitatem.* Recte; libertas voluntatis augeri aut minui non poteſt: & nihil eſt extra illam voluntatem, quæ iſtam libertatem & potentiam volendi impediat, ſed eſt ipſa voluntas mala in cauſa quod homo non ſit probus.

§ 9. *Eodem referendum ut* & 10. §. Quæ ego diſſero de libertate voluntatis ille interpretatur de viribus liberi arbitrii, & de diſpoſitione atque habitu voluntatis. Quod ſine improbitate facere non poteſt, cum pluries omnem noſtram ſanctitatem omnino gratiæ adſcribam.

§ 11. *A libertate hominis pendet actionis moralitas.* Rurſus per fraudem verba mea corrumpit. Quæ ſic ſe habent; *Ab hominis enim lege, & pœna ipſi ſuperaddita, non pendet actionis moralitas.* Patiuntur tamen iſthæc verba commodum ſenſum: quatenus virtuti aut vitio locus non eſt, ubi non eſt voluntas aut libertas, quæ eſt attributum voluntatis.

§ 12. Verba locis citatis non ita reperiuntur, ſed addidit quædam & invertit alia veterator, quo ſpeciem heterodoxiæ præ ſe ferrent. Verba mea ſic ſonant. *Et hæc eſt cauſa quare gratia Dei, & qua convertuntur illi qui convertuntur, & qua converſi omnes perſeverant in ſanctitate, concipi non debeat tanquam aliqua virtus & efficacia extra voluntatem actu volentem exiſtens, & voluntatem movens tranſire à potentia in actum, tanquam aliquod principium volitione prius: talis conceptus non cadit in voluntatem. Sed gratia tantum ſe exerit per volitionem ipſam & in actuali volitione, quatenus illa volendo roboratur gratia, & in robore gratiæ vult.* Hoc eſt, non agnoſco gratiæ operationem in homine, niſi quæ in voluntate eſt: & non agnoſco voluntatem, quæ *paſſive* ſe habet in ordine ad aliquam cauſam à voluntate diſtinctam. Hæc cum veritati conſentanea ſint, hic tenebrio tamen culpat, & interpretatur, quaſi docerem hominem ſine gratia Dei viribus ſui liberi arbitrii bonum velle, & ita per vires ſui liberi arbitrii gratiam *efficacem* reddere. Quam tamen ſententiam plurimis in locis repudiavi, & citata pagina verbis expreſſis rejeci.

Plura non addam: & ab his fraudibus, diſce lector, omnes: quas ego tam tetras & turpes eſſe exiſtimo, ut non putem ex infima plebe, & pullata multitudine aliquem repertum iri tam perditis moribus, qui ullo pretio induci poſſet ut hujuſmodi fraudibus famæ proximi inſidias facere velit. Hic tamen cluit concionator doctus: & ſi Deo placet, eſt ex zelotarum numero, &

ſeverioris ſanctitatis ſtudioſus, qui religioni habet, ſternutanti bene precari, poculum ſanitatis bibere, voces *diei Dominicæ*, (ne Judæorum ſabbathum inter Chriſtianos aboleatur) aut templi *ſancti Petri* uſurpare; ſed quidem *Petri* templum: cum tamen ſi quid vitii in ea oratione eſt, id non adhæreat voci *ſancti*, ſed voci *Petri*, cui templum dedicatum eſt) qui percolat culicem & camelum deglutit. Sed qui etiam ſuo indicio ut ſorex ſe probat eſſe hypocritam inſignem: quemadmodum Deus tales ſolet deſerere; & eorum hypocriſin detegere. Ideo non dubito quin omnium talium hypocritarum opus Deus deſtructurus & diſſipaturus ſit; utcunque videantur ſibi pulchre ſtare. Cæterum proteſtor me nullum verbum repoſiturum amplius, ſi author nomen ſuum non adſcribat. Quod ſi nomen ſuum profiteatur, ego me per Dei gratiam non deſeram; neque negligam id, quod putabo mei eſſe officii.

F I N I S.